COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

AUGUSTINUS CRAMPON,

DIŒCESIS AMBIAN. PRESBYTER.

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.

TOMUS DECIMUS

IN ECCLESIASTICUM



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXV

COMMENTARIA

IN ECCLESIASTICUM.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit agere de mulieribus; quare per antitheses multas ostendit quanta sit bonitas mulieris probæ et sensatæ, ac quanta malitia improbæ et insensatæ.

1. Mulieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum illius duplex. 2. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. 3. Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis; 4. divitis autem et pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris. 5. A tribus timuit cor meum, et in quarto facies mea metuit : 6. Delaturam civitatis, et collectionem populi, 7. calumniam mendacem, super mortem omnia gravia. 8. Dolor cordis et luctus, mulier zelotypa. 9. In muliere zelotypa, flagellum linguæ, omnibus communicans. 10. Sicut boum jugum quod movetur, ita et mulier nequam : qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. 11. Mulier ebriosa, ira magna : et contumelia, et turpitudo illius non tegetur. 12. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscetur. 13. In filia non avertente se, firma custodiam, ne inventa occasione utatur se. 14. Ab omni irreverentia oculorum ejus cave, et ne mireris si te neglexerit. 15. Sicut viator sitiens ad fontem os aperiet, et ab omni aqua proxima bibet, et contra omnem palum sedebit, et contra omnem sagittam aperiet pharetram, donec deficiat. 16. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. 17. Disciplina illius datum Dei est. 18. Mulier sensata et tacita non est immutatio eruditæ animæ. 19. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata. 20. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. 21. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus. 22. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem. 23. Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. 24. Fundamenta æterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ. 25. In duobus contristatum est cor meum, et in tertio iracundia mihi advenit. 26. Vir bellator deficiens per inopiam, et vir sensatus contemptus. 27. Et qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam. 28. Duæ species difficiles et periculosæ mihi apparuerunt : difficile exuitur negotians a negligentia, et non justificabitur caupo a peccatis labiorum.

Vers. 1. Mulier bona beat virum: cur?

1. MULIERIS BONÆ BEATUS VIR : NUMERUS ENIM ANNORUM ILLIUS DUPLEX. — « Illius, » scilicet viri. Ita Græca, Romana et Syrus. Aliqui legunt, *illorum*, scilicet viri et mulieris sive uxoris. Ita Palacius. Viri enim bonæ uxoris anni sunt duplices, tum quia diutius, et duplo amplius vivet ob bonitatem uxoris, ut scilicet vivat 70 vel 80 annos, qui alias tantum vixisset triginta, vel quadraginta; mulier enim nequam tot molestias et mœrores parit marito, ut iis cito consumatur et contabescat; tum quia lætius et jucundius vivet; nam vita tristis potius mors est, quam vita, adeoque dimidiata est mors, et dimidiata vita. Tristis enim et mœrens vivit vita naturali per res-

pirationem, sensum et motum; sed moritur vita morali per ærumnas, dolores, angores et mœrores. Nam, ut ait Martialis : « Non est vivere, sed valere *et vigere* vita.» Ita Tigurina, *beatus,* inquit, *est vir probæ mulieris; nam numerus dierum ipsius conduplicabitur*; Syrus, *mulier bona* (id est « mulieris bonæ, » est Syrismus et Hebraismus), *beatus est vir ejus; quia dies vitæ ejus duplicati sunt.* Duplices hi anni viri, qui habet uxorem bonam, accipiendi sunt respectu viri qui habet uxorem malam; hujus enim anni sunt simplices, quia dimidii et pauci. Palacius tamen accipit duplices, respectu naturæ et naturalis complexionis. Annos enim quos natura cuique præscripsit, sicut ars, ita multo magis Deus augere et duplicare potest. Sicut enim « viri sanguinum non dimidiabunt dies suos, » *Psalm.* LIV, Deo minuente numerum annorum, quos sanguinariis natura taxaverat : ita bonis conjugibus anni sunt duplices, Deo duplicante annos illos quos natura dimidios decreverat : ut enim illos dimidiat, quia eos abhorret; ita hos duplicat, quia gaudet in eis. Hoc subinde verum, sed rarum est. Crebrius id accidebat bonis et piis in Veteri Testamento, quibus felicitas terrena a Deo promissa erat; in Novo vero illa compensatur majore felicitate spiritali et cœlesti.

Tropologice. Tropologice, uxor bona vitam duplicem largitur marito; quia ei causa est, tum verbo et exemplo, tum sua concordia et pietate, ut vivat hic vita gratiæ, et in futuro vita gloriæ; mala vero malum dans marito exemplum, eumque provocans ad impatientiam, lites, desperationem aliaque scelera, est ei causa ut moriatur hic anima ejus morte peccati, in futuro vero morte gehennæ et æterna. Ita S. Cæcilia maritum Valerianum sanctum et martyrem effecit, et Clotildis Clodovæum, et S. Elizabeth suum Lantgravium. Unde Hugo per *mulierem bonam* accipit B. Virginem, quæ fuit optima, quia summe pia, casta, benigna et modesta. Pia in opere, benigna in corde, modesta in sermone, casta in corpore et in mente, fortis in laborum et tribulationum firma perpessione. De qua *Proverb.* XI : « Mulier gratiosa inveniet gloriam. » Hæc sine dubio virum suum Joseph et beatificavit et lætificavit. *Proverb.* XII : « Mulier sapiens corona est viro suo. » Rursum, inquit, mulier bona et fortis est parochia tua, vel religio tua. *Proverb.* V : « Lætare, juvenis, cum muliere adolescentiæ tuæ. » Sed dicit Salomon contra mutatores Ecclesiarum, vel desertores pro præbendis opimioribus : « Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, » *Proverb.* XVIII, 22.

Mystice. Mystice Rabanus : « Mulier bona, ait, aut specialiter justi ac boni hominis est anima, aut generaliter tota electorum Ecclesia, cujus vir beatus esse describitur; quia Christus (qui ejus vir est) beatitas et celsitudo in universo mundo prædicatur; numerus enim annorum illorum duplex, quia hic vivit Ecclesia sub custodia mandatorum Dei cum honestate virtutum, et in futuro veraciter gaudebit in perceptione cœlestium præmiorum. »

Vers. 2. 2. MULIER FORTIS OBLECTAT VIRUM SUUM, ET ANNOS VITÆ ILLIUS IN PACE IMPLEBIT. — « Mulier fortis, » græce ἀνδρεία, hebraice אשת חיל *escet chail,* id est mulier virtutis, sive virago, vocatur mulier strenua, operosa, sedula, quæ judicio et consilio pollet, ac instar apis jugiter sollicita est, ut sua industria et labore familiam rite administret, filios rite educet, servis et ancillis de victu, vestitu et rebus omnibus provideat, rem familiarem augeat; denique viro, filiis sibique opes, honorem et gloriam conciliet; qualem describit Salomon toto capite XXXI *Proverb.* Hæc sane sua industria, labore, opibus oblectat virum suum, ideoque annos illius non in mœrore et labore, sed in pace et gaudio adimplet; facit enim ut ad plenam longamque ætatem cum quiete et lætitia perveniat, moriaturque cum Abraham, Isaac et Jacob in senectute bona. Rursum, « in pace, » id est in rerum omnium abundantia, quam parit sua strenuitate; hanc enim significat Hebræis שלום *scalom,* id est pax. Unde Tigurina vertit, *mulier strenua virum suum exhilarat, facitque ut annos vitæ suæ exigat per tranquillitatem*; Vatablus, *annos vitæ ipsius replet tranquillitate*; Syrus, *mulier fortis oblectabit virum suum, et annos vitæ suæ in lætitia complebit,* scilicet ipse vir, sive maritus. Alia est ergo uxor bona a forti; bona enim est benigna, facilis, morigera, amans mariti et filiorum, item pia in Deum; fortis vero est prudens, virilis, industria, strenua. Quæ utrumque habet, perfecta est et heroina. Mulieres enim partim ex complexione phlegmatica, partim ex usu et otio, desidiosæ sunt, segnes et pigræ. Unde Hippocrates, lib. *De Natura, sive morbis virginum,* scribit muliebrem naturam esse ignaviorem, ob idque plures feminas quam viros incidere in terrores illos panicos et imaginosos, qui tam vehementer territant homines, ut desipiant, sibique larvas et dæmones spectare videantur, quo multæ exagitatæ se suspendunt vel enecant. Et Galenus, lib. II *Temperamentorum,* scribit mulieres viris pinguiores, eo quod sint vitæ magis desidiosæ; et, cum tarditas sit comes acediæ, hinc feminas tardas et cunctatrices videmus. Unde Plautus, in *Milite* :

Mulieres segnes, cur?

> Mulier, *inquit,* nata est ex ipsa mora;
> Nam quævis alia, quæ mora est æque, mora
> Minor ea videtur, quæ propter mulierem est.

Et illud :

> Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Quæ ergo hanc desidiam superant strenuitate, viragines sunt.

Vers. 3. 3. PARS BONA, MULIER BONA, IN PARTE TIMENTIUM DEUM DABITUR VIRO PRO FACTIS BONIS. — « Pars » idem est quod sors, *q. d.* Sors bona est mulier

bona : quocirca Deus, qui quasi modimperator, cuilibet suam sortem pro suo beneplacito et hominum merito admetiri et elargiri solet, bonam mulierem dabit viro bono pro mercede bonorum operum ipsius. Illa ergo probis dabitur « in parte, » id est tanquam pars et sors debita et propria timentium Deum. Hebraice enim ב *beth*, id est *in*, sæpe sumitur pro כ *caph* similitudinis, vel potius mensuræ, id est *sicut*, tanquam, quasi mensura mercedis adæquata merito. Unde Græca concise sic habent, *mulier bona portio est bona, in parte timentium Dominum datur*; Tigurina, *uxor bona, bona est obventio, pro præmio obtinget Dominum reverentibus*; Syrus, *mulier bona dabitur viro, qui timet Dominum propter opera ejus bona*. Alludit ad *Prov.* XIX, 14 : « Domus et divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens. » Ubi nota τὸ *proprie*, *q. d.* Licet domus et divitiæ a Deo dentur; tamen hæc sæpe filiis a parentibus hæreditate relinquuntur, et hæreditario jure obveniunt; at vero uxor commoda, *proprium*, id est peculiare et eximium est Dei donum; licet enim talis a volente inire conjugium studiose et sollicite sit inquirenda; non tamen tam humana sollicitudine, quam divina providentia a Deo ipso specialiter procuratur, ideoque ab eo precibus postulanda est. Id patet in Rebecca, Rachel, Sara, quas Deus proprie uxores procuravit Isaaco, Jacobo et Tobiæ. Deus enim, licet sua providentia omnia curet, magis tamen curat et procurat majora et magis necessaria : talis autem est uxor prudens, commodis moribus, et viri ingenio congruens; quia inde pendet quies, pax, sanctitas, salus et prædestinatio viri, filiorum et totius familiæ. Simile est in vocatione ad religionem, in qua hæc potius religio quam illa, huic homini congruit, et a Deo præparatur, si Deum vocantem consulere, audire et sequi velit. Sensus ergo est, *q. d.* Qui a Deo vocatur ad matrimonium, in deligenda uxore non tam suæ aut parentum, sive phantasiæ, sive industriæ, debet inniti et fidere, quam Deo, ab eoque assidue flagitare, ut sibi commodam uxorem dirigat. Simili sensu, linguæ custodia et directio tribuitur Deo potius quam homini, *Prov.* cap. XVI, 1 : « Hominis, inquit, est animam præparare, et Domini gubernare linguam. » Et sortium distributio, ibidem, vers. 33 : « Sortes, inquit, mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. » Unde Palacius censet bonam uxorem signum esse prædestinationis viri et filiorum, ac proinde eam dari a Deo prædestinatis; cætera vero bona dari tam reprobis quam prædestinatis.

Uxor commoda est peculiare Dei donum.

Multo magis status commodus.

Aliter paulo Jansenius : « Mulier bona, inquit, est bona portio, et bona sors, quæ dabitur viro in sorte et portione timentium Deum; quia in ea sorte quam Deus promisit, et dare solet timentibus se, etiam includitur uxor bona. »

Plura de hac gnome dicam in Salomonide, quod, Deo dante, erit proximum opus, *Proverb.* cap. XVI, 14; inde enim eam mutuatus est Siracides.

4. DIVITIS AUTEM ET PAUPERIS COR BONUM, IN OMNI TEMPORE VULTUS ILLORUM HILARIS, — *q. d.* Quando hominis sive divitis, sive pauperis, « cor bonum, » id est tranquillum, serenum, jucundum, lætum est, ob uxorem scilicet bonam et strenuam, tunc pariter in omni tempore vultus illorum erit hilaris, serenus et lætus; quia hilaritas cordis in hilaritatem oris et vultus se exerit. Hæc sententia spectat ad vers. 2. Unde Syrus, transponens versum secundum in tertium, illum cum hoc quarto sic immediate connectit, *mulier fortis oblectabit maritum suum, et annos vitæ suæ in lætitia complebit* (maritus), *sive dives sit, sive pauper, cor ejus bonum est semper, et facies hilaris*; Tigurina, *uxor bona*, etc.; *tam divitis cor erga Dominum* (legit enim πρὸς Κύριον, pro quo Noster et alii legunt, ἐν παντὶ καιρῷ, id est *in omni tempore*), *quam pauperis lætificat, ut omni tempore sint hilares*. Sensus est, *q. d.* Nec opes, nec honores, nec epulæ, nec quid aliud faciunt maritum felicem, sicut nec pauperies, ignobilitas, fames, sitis, infelicem; sed lætitia, vel mœstitia cordis et vultus, quam affert uxor bona vel mala; bona enim cor vultumque mariti serenat et exhilarat, mala vero confundit, contristat et contabescere facit. Sic *bonum* sumitur pro læto et jucundo, *Psalm.* CXXXII, 1 : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! » Ex adverso, *Matth.* VI, ait Christus : « Sufficit diei malitia (id est mœstitia et afflictio) sua. » Vers. 4.

5. A TRIBUS TIMUIT COR MEUM, ET IN QUARTO FACIES MEA METUIT. — Legit Interpres cum Complutensibus, ἐφοβήθην, id est metuit, pro quo Romana legunt, ἐδεήθην; unde vertunt : *Et in quarto facie mea supplicavi*, vel *deprecatus sum*; ut ostendat quantum malum, quamque hominem conturbans, ejusque cor et faciem immutans, sit mulier mala; comparat et anteponit eam tribus valde noxiis, quæ mire hominem affligunt, ideoque ab omnibus studiose vitantur. Sensus ergo est, *q. d.* Tria velut valde acerba timuit (græce εὐλαβήθη, id est reveritum est) cor meum : at in quarto, id est quartum (est enim Hebræum *beth* contactus), ita corde extimui, ut et facies mea expavesceret et expallesceret. Est hebraismus, qualis est apud *Amos* cap. I, vers. 3, 9 et 11 : « Super tribus sceleribus Damasci, et super quartum non convertam eum, » *q. d.* Tria scelera commiserunt Damasceni; sed quartum adeo enorme est, ut vindictam mihi extorqueat. Vide ibi dicta. Unde Tigurina vertit, *tria expavescit cor meum, quartumque facies mea exhorrescit*; Syrus, *a tribus commotum est cor meum, et a quatuor* (id est a quarto; ponitur enim numerus cardinalis pro ordinali) *valde timui*. Porro quatuor hæc enumerat, dicens : Vers. 5.

6 et 7. DELATURAM CIVITATIS, ET COLLECTIONEM POPULI, CALUMNIAM MENDACEM, SUPER MORTEM OMNIA GRAVIA, — *q. d.* Tria a quibus timuit cor meum, sunt *primum*, « delatura, » id est proditio, « civitatis, » ut vertit Tigurina, *q. d.* Esse in civitate, quæ Vers. 6 et 7. Tria extimescenda.

hosti proditur, ejusque expilationi, quassationi, cædi et furiis exponi, grave est malum. Ita Lyranus. Palacius vero pro *delaturam* vertit, *adversationem*, qua tota civitas alicui fit adversa et contraria. Verum græce est διαβολήν, id est calumniam, criminationem, qua scilicet civitas, id est cives plerique ex rumore sinistro criminantur aliquem, illique aliquod crimen impingunt. Hoc enim grave est malum, tum quia per hoc reus infamiam publicam, æque ac odium civium omnium incurrit; tum quia per hoc non ab uno, sed ab omnibus civibus sibi metuere et cavere debet, ne morti, exilio et carceri addicatur. Unde Syrus vertit, *oblocutionem congregationis in multitudine populi;* διαβολή enim est calumnia, suspicio, invidia, obtrectatio, indignatio, ignominia, infamia, crimen, delatio: unde διάβολος est calumniator, delator, diabolus. Radix enim διαβάλλω significat criminari, notam infamiæ afferre, damnare, injuria afficere, suspectum reddere, et invisum accusare, infamare, calumniari, decipere, traducere, obtrectare, crimen deferre. Hoc est quod ait Ecclesiastes, cap. VII, 8 : « Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius; » ubi plura hæc de re dicam.

Secundum est, *collectio populi,* græce ἐκκλησία ὄχλου, id est congregatio turbæ, puta populi turbati et tumultuantis, id est seditio, ut vertit Tigurina, qua populus in aliquem resurgit, eumque deposcit ad necem; qualem passus fuit Ephesi S. Paulus, suscitatam a Demetrio et aurificibus Dianæ, *Actor.* XIX.

Tertium est *calumnia mendax,* qua scilicet quis falso per accusatorem et testes accusatur, agiturque reus mortis, similisve mali. Inter hæc tria est gradatio : *primo* enim malum est in civitate sinistra fama laborare, et civibus esse suspectum; *secundo,* pejus est, cum hæc fama et suspicio adeo crescit, ut contra eum coeat populus, ejusque caput petat; *tertio,* pessimum est, cum ex coitione furentis populi instruitur processus juridicus, quo per calumniam falsosque testes juridice et certo damnetur ad mortem, uti factum est Susannæ, *Daniel.* XIII, et Naboth, libro III *Reg.* cap. XXI. Quocirca ab eo liberari se instanter obsecrat Psaltes, *Psal.* CXVIII : « Feci, inquit, judicium et justitiam, non tradas me calumniantibus me. Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi. » Huc facit symbolum Pythagoræ : « Mustela e transverso offensa retrocede, id est homines delatores fuge; » nam mustelam ore parere affirmant.

Porro, hæc tria dicit esse gravia super mortem, id est morte graviora et acerbiora, tum quia morte naturali gravior et acerbior est mors violenta, illata per judicem injuste, ob calumniam accusatorum testiumque falsorum; tum quia magis diutiusque per multos annos, et subinde per totam vitam cruciant, quam ipsa mors, quæ in ictu duntaxat sentitur, illicoque transit, ac hominem omni dolore et cruciatu eximit. Unde illud : « Melior est mors quam vita amara. »

Perfecti gaudent in calumniis.

Nota : Hæc tria valde gravia et molesta sunt viris etiam probis; qui tamen valde patientes, et in virtute provecti perfectique sunt, facile ea superant, sicut et mortem ipsam superant; præsertim si pro Deo, justitia, sanctitate, castitate vel virtute alia ista patiantur, imo in istis exsultant et triumphant; sicut S. Paulus exsultat in suis persecutionibus, calumniis, seditionibus, carceribus, plagis et verberibus, II *Cor.* XI. Quia solet Deus iis qui calumnias et injurias patienter tolerant, magnas immittere illuminationes, vires, animos et consolationes spiritales, ut propter eas in calumniis mire gaudeant, nolintque illis carere.

Exempla.

Narrat Climachus, gradu 4 *De Obedientia,* Abbakirum in monasterio a fratribus quotidie asperis verbis et verberibus excipi solitum, atque omnia humiliter atque constanter tolerasse usque ad mortem, sibi persuadendo hæc sibi fieri non ex odio, sed probationis et virtutis augendæ studio; unde moriturus exsultans dixit : « Gratias ago Domino Jesu Christo et vobis, quia propter id quod me tentastis in salutem, ecce decem et septem annis permansi immunis a tentatione dæmonis. » Ibidem narrat Macedonium diaconum, sine culpa, a suo Superiore probationis ergo, suo Ordine dejectum et pœnitentiæ mancipatum, sine tristitia omnia tolerasse, quasi non ipse, sed alius fuisset increpitus; imo cum Ordini suo a Superiore restitutus esset, rogasse eumdem ut ad pristinam degradationem et ignominiam relegaretur, ac Superiorem conscium virtutis ejus id ei indulsisse : qui deinde ipsi Climacho miranti ejus inter novitios humilitatem et pœnitentiam, causamque quærenti confessus est, dixitque : « Nunquam sicut nunc evacuationem omnis prælii, et luminis divini dulcedinem in meipso perspexi. » Hinc S. Franciscus aiebat : « Perfecta lætitia est, cum quis libenter amore Christi injurias et opprobria sustinet. » Talis enim cum S. Paulo dicit : « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » Et noster S. Ignatius, fundator Societatis Jesu, ob pietatis ministeria mille calumnias passus, ac sæpius in carcerem conjectus, gaudebat et exsultabat in spiritu, dictitans hoc esse summum fidelium bonum et gaudium in hac vita, atque hanc unicam et compendiariam ad culmen virtutis et perfectionis esse crucis viam. Hoc est quod ait S. Jacobus, cap. I : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis. » Ubi plura hac de re dixi.

Vers. 8 et 9.

8 et 9. DOLOR CORDIS ET LUCTUS, MULIER ZELOTYPA. IN MULIERE ZELOTYPA FLAGELLUM LINGUÆ, OMNIBUS COMMUNICANS. — *Quartum* est hoc malum pessimum, tria jam dicta longe superans, nimirum mulier zelotypa, quæ scilicet suspicatur maritum aliam mulierem præ se diligere sibique anteferre, ideoque ei diffidit. Unde Rabanus legit, *mulier infidelis,* id est diffidens; græce ἀντίζηλος

Zelotypiæ malum in femina.

γυναικί, id est rivalis mulieris, æmulæ æmula, zelotypa in zelotypam, qualis fuit Anna Phenennæ, I *Reg.* I; Saræ Agar, *Gen.* XVI; Rachel Liæ, *Gen.* XXX, 1 et 15. Olim enim Judæis licita erat polygamia, id est pluralitas uxorum; in qua facile oriebatur zelotypia, ut una suspicaretur, doleret et quereretur se minus a marito diligi, aliamque sibi anteferri, melius vestiri, tractari, honorari, etc.; suspicax enim est sexus ille infirmior, minorisque animi et judicii. Atque ob hanc causam inter alias sublata est a Christo polygamia.

Sensus ergo est, *q. d.* Mulier zelotypa et rivalis suæ æmula, marito et familiæ non consolationem et gaudium quod sperabatur, sed cordis dolorem et luctum affert. Rationem subdit : « In muliere zelotypa flagellum linguæ, » *q. d.* Quia mulier zelotypa lingua sua assidue flagellat maritum suis querelis, suspiriis, indignationibus, expostulationibus, litibus, rixis, jurgiis, conviciis, maledictis. Porro, hoc « linguæ flagellum » non est domesticum tantum, id est privatum, secretum et inter domus parietes conclusum; sed « omnibus communicans, » quia zelotypa suam zelotypiam, indignationem, amaritudinem celare nequit, sed omnibus cognatis, amicis, vicinis, imo quibusvis obviis, eam communicat et exponit, conquerendo de marito, quod aliam plus amet, sibi infidus sit, se indigne tractet, etc. Unde Græca sic habent, *dolor cordis et luctus mulier zelotypa in mulierem zelotypam, et flagellum linguæ communicans;* Tigurina, *dolor animi luctusque est mulier æmulans mulierem, et flagellum linguæ cum quibusvis communicans;* alii, *quæ omnibus communis est;* Syrus, *et plaga linguæ omnia simul.* Aliter Palacius : *Omnibus communicans,* inquit, quia ex omni re occasionem conquerendi de marito, lamentandi et expostulandi accipit, imo quærit et captat. Quocirca recte S. Chrysostomus, hom. 55 *in Genes.* : « Grave, inquit, malum est zelotypia, et desinit in insipientiam. »

Ejus origo.

Porro, zelotypia maxime laborant mulieres, cujus ratio et origo est, quod laborant φιλαυτίᾳ, sui sint amantiores, sibique nimis placeant. Ita Philo apud Eusebium, lib. VIII *Præparat.* cap. IV : « Mulier, inquit, nimium seipsam amat, etc., et zelotypia maxime mordetur. » Et Plutarchus, lib. *De Tranquillitate,* inter proprias mulierum passiones ponit zelotypiam. Hinc et Poeta :

Incendit omnem feminæ zelus domum.

Exemplum.

Audi exemplum mirabile et miserabile. Mulier ex marito filium susceperat; marito defuncto, alium duxit, ex quo pariter filium genuit. Hic secundus maritus una cum hoc filio suo priorem filium, puta privignum, quem illa de priore marito susceperat, clanculum interemerunt, ut soli mulieris essent hæredes. Mulier, imo mater, id resciens, in zelum, imo furorem acta, tam maritum quam filium interemit. Rea viricidii et filicidii, ob casus implexi novitatem delata fuit ad Areopagitas. Illi hinc videntes reatum criminis, inde dolorem justum, qui ream ad talionem vindictæ impulerat, causa indecisa hanc protulere sententiam : « Rea et læsi post centum annos nostro tribunali sistantur. »

Audi aliud mirabile, sed memorabile et imitabile. Æsopus, mythologorum princeps, Enno filio suo hæc præcepta vitæ dedit : « Fili, ante omnia time Deum. Regem honora. Inimicis tuis terribilem teipsum præbe, ne te contemnant; amicis facilem et communicabilem, quo longe benevolentiores tibi sint. Semper uxori tuæ bene adhære, ne alterius viri periculum facere velit : leve enim mulierum est genus; ac adulatum, minus malum cogitat. Linguæ continens esto. Bene agentibus ne invide, sed congratulare; invidens enim teipsum magis offendes. Domesticorum tuorum satage, ut te non solum ut dominum timeant, sed etiam ut benefactorem venerentur. Ne pudeat discere semper meliora. Mulieri nunquam credas secreta : nam semper armatur, quomodo tibi dominetur. Salutato facile qui tibi occurrunt, sciens et catulo caudam panem comparare. Bonum esse ne pœniteat. Susurronem emitte domo tua. Nam quæ a te dicuntur ac fiunt, aliis communicabit. Fac quæ te non mœstificent. Contingentibus ne tristare. Neque prava consulas unquam, neque mores malorum imiteris. » Ita Planudes in *Vita Æsopi.* Æsopi præcepta vitæ.

10. SICUT BOUM JUGUM QUOD MOVETUR (σαλευόμενον, id est motum, agitatum, concussum), ITA ET MULIER NEQUAM; QUI TENET ILLAM, QUASI QUI APPREHENDIT SCORPIONEM. — Nequitiam mulieris repræsentat per duas similitudines : unam jugi agitati; alteram scorpionis. Prior huic loco apposita est : a jugo enim dictum est conjugium; conjuges enim sunt quasi duo boves jugales, qui in eodem jugo copulati currum trahunt, vel aratro terram sulcant. Sicut ergo jugum si agitetur, sive quia nimis est laxum, sive quia alter bos jugi impatiens illud concutit, ut excutiat; sive quia auriga vel quis alius illud agitat, illique vim infert : Si, inquam, jugum agitetur, impedit boves, ut currum vel aratrum vix trahere queant; quin et boves ipsos offendit et lædit : ita pariter mulier nequam suis litigiis et nequitia totum conjugium concutit, virumque et familiam offendit et lædit. Unde Tigurina : *Similis jugo boum laxitate inquieto est mala mulier; qui eam sibi adsciscit, perinde facit ac qui apprehendit scorpionem.* Nam, ut explicat Palacius, ut jugo boum unus inquietus turbat alterum, quamvis quietissimum; ita in jugo matrimonii uxor zelotypa inquietissimum virum reddit, quamvis sit ille quietissimus; et sicut qui tenet diu scorpionem, non evadet quin pungatur ab eo : ita qui uxorem tenet nequam, maxime zelotypam, mortifere pungetur ab ea; solent enim hujusmodi viri aut uxorem occidere, aut in desperationem incidere, aut certe cura rei familiaris abjecta patriam etiam relinquere. Hic verum est vetus dictum : *Sero detrectat jugum, qui subiit.* Prius inquire in mores uxoris antequam eam ducas : nam Vers. 10.

ubi duxeris, jugum illius et mores tibi ferendi sunt, nec illos excutere poteris.

Scorpionis et mulieris octo analogiæ. Prima.

Nota : Nequam mulier comparatur scorpioni; *primo*, quia « solus inter insecta scorpio longo spiculo armatur, et brachia quinque bisulcis dentata forcipibus habet, » ait Aristoteles, lib. IV *De Histor. Animalium*, cap. VII. Ita mulier nequam virulentæ linguæ spiculo armatur, brachiaque habet dentata, quibus maritum apprehendat, lacessat, vexet. Secunda. *Secundo*, scorpio pestilentissimus est et exitialis; nam, ut ait Plinius lib. XI, cap. XXV : « Scorpio est pestis importuna veneni serpentium, nisi quod graviore supplicio lenta per triduum morte conficiunt. » Ita nequam mulier assidue Tertia. virum cruciat, et lenta eum tabe conficit. *Tertio*, scorpio cauda arcuato ictu dolose eum quem cornibus tenet, ferit; quia ei, ait Plinius, « semper cauda in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. Ferit et obliquo ictu et inflexo. » Ita nequam mulier, esto blandiatur, in cauda, id est in fine, aculeum dolose exerit, omnique occasioni, qua nocere possit, in- Quarta. tendit et invigilat. *Quarto*, venenum scorpionibus, ait Plinius, est « medio die, cum incanduere solis ardoribus; itemque cum sitiunt, inexplebiles potu. » Ita et mulier nequam, cum vino æstuque incaluit, venena sua ejaculatur; eadem bibax est Quinta. et mero inexplebilis. *Quinto*, scorpiones non nocent iis quibus non est sanguis, ait Plinius : ita mulier nequam non nocet viris mortificatis, in quibus non est cupiditas (hujus enim sedes et symbolum est sanguis); sed eis potius virtutis et victoriæ est materia. Rursum, mulier nequam et rixosa, æque ac diabolus, tabidis peccatoribus non insidiatur, sed bonis et probis, quibus est succus et sanguis virtutum; ita et maledicus eosdem impetit. Nam, ut in eumdem ait Martialis, in *Xeniis* :

Quid dentem dente juvabit
Rodere? carne opus est, si satur esse velis.

Sexta. *Sexto* : « Quidam, ait Plinius, a scorpionibus fœtum devorari arbitrantur; unum modo relinqui solertissimum, et qui se ipsius matris clunibus imponendo, tutus et a cauda, et a morsu loco fiat. Hunc esse reliquorum ultorem, qui postremo genitores superne conficiat. Pariuntur autem undeni. » Ita mulier nequam suas proles non raro sua molestia conficit, aut nequitia enecat; unde Septima. et ab iis vicissim e medio tollitur. *Septimo*, morsus scorpii remedium est : « Ipsius cinis potus in vino, » ait Plinius; ita mulieris nequam remedium est ipsius interitus, quo in cinerem convertetur. Dum enim cogitat maritus illa se brevi per mortem liberandum, solatur suos, quos ab illa patitur, dolores et ærumnas. Potissimum vero scorpio cornibus stringens, sed cauda pungens, notat mulierum nequitiam et dolum, maxime quo nocent, dum amorem simulant. Unde Antonius in *Melissa*, lib. II, cap. XXXIV, ex Socrate, ait : « Cum te amare atque appetere se dicit mulier, ab ea magis tibi metuendum est, quam cum maledicit. » Hinc Euripides mulieres vocat « fucatum malum. » Unde idem in *Hippolyto* :

Odi mulieres, te vero præcipue;
Quæ cum male egeris, blande loqueris.

Et P. Syrus in *Mimo* : « Aperte, ait, cum mala est mulier, tum demum est bona; » nam, ut ille de eadem loquens, ait : « Nota res mala optima est. » Unde Josephus, lib. V *Antiq.* cap. XVII, scribit Samsonem, cum suum ænigma de leone et ape, Philistæis a sua Dalila proditum cognovisset, exclamasse :

Nihil est dolosius femina.

Et Poeta :

Sidera non tot habet cœlum, nec flumina pisces
Quot scelerata gerit femina mente dolos.

Et alter :

At crudele genus, nec fidum femina nomen.

Denique ex cancro nasci scorpium tradunt Phy- Octava. sici. Audi Plinium, lib. IX, cap. XXXI : « Sole cancri signum transeunte, et ipsorum (cancrorum) cum exanimati sunt, corpus transfigurari in scorpiones narratur in sicco. » Ovidius vero, nullum tempus designans, absolute idem asserit :

Concava, *inquit*, littoreo si demas brachia cancro,
Cæterea supponas terræ, de parte sepulta
Scorpius exibit, caudaque minabitur unca.

Ita mulier, quæ cancri more incedit retrorsum, semper adversa marito, illi renitens, obluctans, obtrectans, tandem vertitur in scorpium, certumque marito parat virus et exitium; sicut enim sensim increscit virus serpentum, sic et malitia mulierum. Unde, sicut serpentes tandem crescunt in dracones, omnibus animalibus formidabiles et exitiales; sic et mulieres, crescentes in improbitate, tandem evadunt furiæ infernales.

Mystice, uxor nequam est propria voluntas, cui Mystice, hæc omnia adaptes propriæ voluntati. dum animalis homo velut malæ conjugi fœderatur, peccatorum et imperfectionum innumerabilium onere premitur, agitatur et cruciatur assidue. Nam propria voluntas totam interiorem domum turbat, hominibus et Deo repugnat, et eam amplectentem quasi veneno contaminat. Hæc quæ primo aspectu libertatem sapit, et hominem videtur facere sui juris, si intimius inspiciatur, magis premit jugo importabili, quod, qui non vult perire, debet excutere. Optime namque dixit S. Bernardus, tract. *De Diligendo Deo*, sub finem : « Tunc dixerim quemque sibi fecisse suam legem, quando communi et æternæ legi propriam prætulit voluntatem, perverse utique volens suum imitari Creatorem; ut, sicut ipse sibi lex suique juris est, ita is quoque seipsum regeret, et legem sibi suam faceret voluntatem; grave utique et importabile jugum super omnes filios Adam; heu! inclinans

et incurvans cervices nostras, adeo ut vita nostra inferno appropinquaret. » Hæc ille. Qui et addit de hoc jugo S. Job fuisse locutum, cum dixit : « Et factus sum mihimetipsi gravis. » Ille enim seipsum gravat, qui jugum proprie voluntatis excutere et ablegare non curat. Vide Cassianum, lib. IV *De Institut. renunt.* cap. VIII, ubi docet impossibile esse mortificare voluptates et desideria concupiscentiæ, nisi quis prius didicerit mortificare propriam voluntatem; et cap. XXIV, docet propriam voluntatem crucifigendam, crucique Christi affigendam esse.

Vers. 11. 11. MULIER EBRIOSA, IRA MAGNA; ET CONTUMELIA, ET TURPITUDO ILLIUS NON TEGETUR, — *q. d.* Mulier ebriosa iracunda est et contumeliosa; cum enim incaluit mero, rixatur et plaustra conviciorum in maritum cæterosque domesticos evomit; quare eadem marito magnam affert iram et contumeliam. Irascitur enim maritus ob ejus ebrietatem moresque ebriosos, qui ei sunt probro et dedecori. Licet enim ipsa subinde suam turpitudinem, puta ebrietatem moresque ebriosos, tegere et celare velit; tamen ipsi seipsos ipsamque produnt, juxta illud : « Vinum, nummi et amor dissimulari non possunt. » Unde Græca habent : *Et turpitudinem suam non teget, q. d.* Ipsa suam ebrietatem, indeque garrulitatem, petulantiam, inverecundiam et libidinem verbis gestibusque patefaciet. Et Tigurina : *Noxa magna est mulier ebria et indomita* (Græca enim nonnulla addunt καὶ ῥεμβὰς), *ut quæ non celet suam turpitudinem.* Viri enim, cum fortius habeant cerebrum, majorique polleant ratione et judicio, suam ebrietatem, animique secreta celare possunt. Unde in his non adeo probrosa est ebrietas; at mulieres, cum debili sint cerebro, ratione et judicio, id facere nequeunt : unde ebriæ produnt internam concupiscentiam et vitiâ; quocirca in illis dedecorosa est ebrietas, præsertim quia ebrietas laxat frena pudori, qui custos est pudicitiæ, indeque fiunt impudentes et impudicæ. Syrus, *furor magnus mulier ebriosa* (hæc enim quasi furia furibunda in omnes bacchatur et furit) *et insana, quia ipsa ignominiam suam non celabit.*

Nota : Complutensia, Tigurina et alii addunt καὶ ῥεμβὰς, quod Complutensia vertunt, *mente aliena* (unde Gallicum *rêver* et *rêverie*); Romana, *vaga*; Tigurina, *indomita*; alii, *inconstans*. Nam ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας vocatur inconstantia concupiscentiæ, *Sap.* IV; ῥέμβω enim est circumverto, circumvolvo, irrito : ῥεμβεύω est circumeo, vagor, fluctuo, uti facit mulier ebria.

Mulier vinosa quantum malum?

Porro, monet hoc Siracides, eo quod mulieres malæ bibaces et vinosæ sunt; exemplo sit Cleo illa mulier adeo bibax, ut nullus eam vincere aut tentaverit, aut potuerit, ut indicat illud epigramma Phalæci apud Athenæum, lib. X, cap. XII, in fine :

Auratam vestem et croceam succincta Lyæo
Ista dedit patri munera magna Cleo.
Symposiis quoniam præstabat; quam bibere æque
Nullus tentavit vincere, vel potuit.

Ut non sine causa D. Paulus, I *Tim.* XXII, mulieres sobrias esse præceperit; et *Tit.* cap. II, ne anus multo vino serviant. Quem locum interpretans D. Chrysostomus : « Idem, ait, mulierum et senectutis vitium est; nam quod ætate frigescant, magno potationis inserviunt studio. Quocirca eas hinc maxime admonet, ut omnibus ex partibus ebrietatis vitium amputent, eas ab hoc morbo remotissimas esse cupiens, atque irrisionem, quæ hinc exsurgit, effugere; sciens scilicet eas huic vitio esse addictas. » Huc spectat, quod in festo Bacchi femina potius quam vir populo liba suppeditabat; quoniam feminarum greges, quas Mænadas vocabant, Bacchum ipsum sequebantur, veluti vinosiores quam viri, et anus præsertim. Ex quo Ovidius, lib. III *Fastor.*, ait :

Femina cur præstet, non est rationis opertæ;
Femineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hæc faciat, quæris? vinosior ætas
Hæc erat, et gravidæ munera vitis amans.

Juvenalis autem, *Satyr.* 6, de muliebri vini bibacitate ita scribit :

Tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit et vomit.

Serpens vini avidus.

Nam et Plinius, lib. X, cap. LXXII, et iterum, lib. XXII, cap. XXIII, tradit serpentes præcipue vinum appetere, tanquam scilicet illud invideant serpentes mulieribus, earum hostes perpetui a Deo optimo maximo, *Gen.* cap. III, destinati, ne scilicet in ea re ab illis vincantur; ita Tiraquellus, lege 9 *Connub.*, num. 203.

Quocirca S. Chrysostomus, hom. 71 *ad Popul.*, graviter pronuntiavit nihil esse turpius ebriosa muliere. Et *in Acta Apostolorum*, homil. 28 : « Nihil, ait, fœdius muliere ebria; obscuratur ei visus, turbatur serenitas et puritas oculorum, quasi nube quadam radiis solaribus succedente, opus illiberale et servile, et omni ignobilitate plenum. Quam insuavis est mulier vinum spirans, » etc. Et paulo post : « Da formosam puellam, turbulentam, loquacem, conviciatricem, ebriam et sumptuosam, nonne quavis re fœda ac turpi deformior est? » Et S. Hieronymus, aut quisquis est auctor in *Regula sanctimonialium ad Eustochium*, cap. XXXVI, asserit sacrilegium esse ebrietatem in femina. Denique Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. II, citans hunc Siracidis locum, ex eo ostendit ebrietatem in femina admodum esse turpem. Hac de causa veteres mulieribus vinum interdicebant. Exstat Romuli lex : « Si vinum biberit (uxor) domi, uti adulteram puniunto. » Ex ebrietate enim facilis in adulterium est prolapsus. Plinius, lib. XIV, cap. XIII, scribit Mecennii uxorem, quod vinum bibisset, interfectam a marito, eumque cædis a Romulo absolutum. Idem testatur Valerius Maximus, lib. VI, cap. III, ubi *Mecennium* vocat Metellum. Eadem de causa Fatuam, Fauni regis Latii uxorem, a marito virgis

cæsam usque ad mortem narrat Arnobius, lib. V *Contra Gentes*. Vide Tiraquellum supra, num. 206 et seq. Denique S. Chrysostomus, vel potius Auctor *Imperfecti in Matth.* cap. I : « Omnis, ait, mulier quæ vinolenta et comessatrix est, eadem quoque meretrix est. » Et S. Ambrosius, libro *De Elia et Jejunio*, cap. XVIII : « Vinum, ait, nobis tantarum animarum damna intulit. Etenim si vinum et mulieres discedere a Deo faciunt, quod vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ sint; si singula ac separata hæc faciunt, quid facient unita? unde non immerito ait Sapiens : Mulier ebriosa, ira magna; turpitudinem suam non celabit. »

Vers. 12. 12. FORNICATIO MULIERIS IN EXTOLLENTIA OCULORUM (cernitur), ET IN PALPEBRIS ILLIUS AGNOSCITUR, — *q. d.* Impudicitia cordis mulieris fornicariæ se prodit oculis, palpebris et vultu, si eos attollat, iisque inverecunde circumspiciat et vagetur, tum quia elati oculi signum sunt elati, ideoque impudici cordis : superbia enim est mater impudicitiæ, sicut humilitas pudicitiæ; tum quia vagi oculi significant vagos amores et concupiscentias mentis; tum quia nutus nictusque oculorum nuntii sunt luxuriæ internæ, juxta illud S. Augustini : « Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. » Unde Tigurina, *impudicitia mulieris elucet in elatis ipsius oculis, et e palpebris suis* (nutantibus et nictantibus, quibus viris, quos amant, annuunt, et quasi lynces ad se alliciunt) *cognoscitur*; Syrus, *fornicatio mulieris in extollentia oculorum ejus, et ex superciliis suis dignoscitur*; id est, inquit Palacius : Fornicaria mulier indicatur per oculos impudice elatos, et palpebras sublatas. Nam honesta mulier oculos gerit demissos et verecundos, qui non facile vagantur. Nam quæ fixit suum amorem in viro suo, fixit etiam oculos, ne videat alienos : quæ vero a viro submovit amorem, per oculos alienum quærit. Siracidem secutus R. Alziba in *Pirke Avoth*, id est in *Sententiis Patrum* : « Risus, inquit, et jactatio capitis hominem assuefaciunt adulterio. »

Oculi quales, qualia significent vitia?

Porro, quomodo ex physiognomia oculorum cognosci possint affectus animæ, quæve in oculis sint signa physiognomica superbiæ, iræ, inverecundiæ, luxuriæ, etc., docet Aristoteles in *Physiognom.* cap. X : « Iracundi, inquit, rubescunt oculis; quibus autem oculi valde nigri, timidi : niger enim color valde videtur timiditatem significare; quibus autem vino colore sunt similes, stolidi sunt; referuntur ad capras, quibus ignei sunt; inverecundi, referuntur ad canes; qui autem oculos habent discoloratos et turbatos, timidi; quicumque oculos lucentes habent, luxuriosi, referuntur ad gallos et corvos. » Et cap. V : « Inverecundi, ait, signa sunt oculus apertus et splendidus, palpebræ sanguineæ et crassæ; humeri sursum elevati; figura non rectus, sed parum pronus; in motibus præceps, ruber corpore; color sanguineus, facies rotunda, pectus sursum contractum. » Et cap. VI : « Luxuriosus est, qui est albi coloris et hirsutus; rectis capillis et crassis, et nigris : tempora hirsuta; oculus pinguis et lascivus. »

Pro *in extollentia oculorum*, græce est ἐν μετεωρισμοῖς, id est in sublimatibus, summitatibus, volatibus, jactibus oculorum; μετέωρος enim est sublimis, elatus, tumidus, suspensus, erectus animo, id est nondum fixo; sed ex eventu consulturus, pensilis : μετεωρίζομαι est volito, sublimis efferor, me effero, jacto, sum suspensus.

Audi S. Basilium in illud *Isaiæ* III, 16 : « Elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant et plaudebant. Quæ in animo constituit captare multos, ac venari laqueo suæ elegantis formæ, collo incedit in sublime porrecto; et in nutibus item oculorum probatio redditur mulieris fornicariæ et procacis, ad opera ipsa anhelantis fascino ac noxio aspectu. Ipso enim intuitu, obscenam demonstrat animæ impuritatem. Dum enim suaviter et blandis arridet ocellis, prolicit ad explendam libidinem : jactu enim oculorum, sagittam plane exitialem emittit, cujusmodi tandem obtinet rumor de basilisci natura, quem dicunt solo aspectu corrumpere suos spectatores. »

Vers. 13. 13. IN FILIA NON AVERTENTE SE, FIRMA CUSTODIAM : NE INVENTA OCCASIONE UTATUR SE, — id est, ut Complutensia, *abutatur se*; sic enim subinde *uti* sumitur pro abuti, et *usus* pro abusu, quasi simplex pro composito, per catachresin. Sensus est, *q. d.* Si habes filiam non se avertentem ab intuitu et conversatione juvenum, sed omnes libere intuentem, omnia petulanter circumspectantem, omnia inverecunde lustrantem; observa et custodi eam; ne data occasione utatur se, id est abutatur sua libertate, lascivia, incontinentia, seque permittat dedatque suæ libidini. Perperam, pro *non avertente*, id est non verecunda (sic enim sæpe accipitur διατρέπομαι), Complutensia legunt, *avertente;* Græca Complutensia legunt, ἀδιατρέπτῳ, id est *invertibili*, quæ a sua curiositate, libertate, lascivia compesci et averti nequit. In aliquot libris est ἀδιατρέπτως, ut conjungatur cum φερέωσον, *q. d.* Sine intermissione, nunquam avertens oculos, firma custodiam super filiam. Tigurina, *filiæ inverecundæ custodiam adhibe, ne, nacta licentiam, se permittat suæ libidini;* Syrus, *super inverecunda multiplica custodes; quia non est illi quies, nisi furtive egerit.* « Non avertente » ergo, id est inverecunda, S. Augustinus in *Speculo* legit, *non advertente*, id est quæ sibi non attendit, quæ non advertit suæ pudicitiæ pericula, quæ incustodita est oculis, lingua, auribus; quales sunt inverecundæ. Nam solet femina, viro conspecto, se a fenestra vel janua subtrahere; si non subtrahit nec avertit, impudens est : ac ideo custodienda diligentius est, ne fornicandi occasionem inveniat. Ut enim natura leporibus et cervis timorem dedit, quo suæ vitæ per fugam prospiciant; ita dedit feminis fugam et pudorem; quo suæ consulant integritati,

quæ manifesto periculo objecta est, si pudoris custodia destituatur. Ita Palacius.

Vers. 14. 14. AB OMNI IRREVERENTIA OCULORUM EJUS CAVE, ET NE MIRERIS SI TE NEGLEXERIT, — *q. d.* Cohibe et refrena inverecundos filiæ tuæ aspectus, et, si in iis inverecunda sit, non mireris si tua monita, correptionem et disciplinam contemnat. Aut, ut Palacius, *q. d.* Quamcumque impudentiam in filia tua repereris, adhibe illi custodiam; nec mireris, si correctiones tuas neglexerit: id tua in eam indulgentiore educatione promerente, et ejus exæstuante libidine ad id impellente. Ut enim sitiens, etiam turbidam, bibit aquam; ita illa quemlibet amabit, etiam vilem. Unde Tigurina vertit, *oculum impudentem asserva, aut, ne mireris si in te deliquerit;* Syrus, *inverecundam oculis sectare, et ne cunctéris, ne forte mentiatur tibi.* Levitas enim et fragilitas feminæ est tanta, ut in scelus facile ruat.

Mulier quasi *mollier.* Unde mulier Latinis a mollitie dicitur, quasi *mollier,* ait Varro, et ex eo Lactantius et S. Augustinus, serm. 243 *De Temp.*, cum vir a *vi* et *virtute* dicatur. Hebraice vero feminæ vocantur נשים *nascim,* quod fragiles sint et ad omnia vitia proclives, ait R. David in radice אנש *anasch,* id est debilis fuit, infirmatus est: inde enim homo vocatur אנוש *enosch,* id est infirmus, caducus et morti destinatus. Unde ænigma Hebraicum: *Vidi quinque viros equitantes, cecidit unus, et cæteri omnes facti sunt feminæ;* אנשים *anascim* enim quinque litterarum significat viros, tolle primam *aleph,* remanebit נשים *nascim,* id est feminæ. Quocirca Plato, qui Græcis est Moses Atticus, dubitare videtur an mulieres in genere rationalium, an irrationalium et brutorum sint reponendæ, ait Tiraquellus, lib. I *Connub.* num. 69. Unde et Poeta:

Ut corpus, teneris sic mens infirma puellis.

Mulier salax. Ratio hujus moniti est, quia mulieres, præsertim filiæ inverecundæ et procaces, sunt salaces, et in venerem proclives, uti subdit Siracides. Unde Propertius, lib. III:

Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella est,
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.

Et Ovidius, lib. I *Eleg.*:

Casta est, quam nemo rogavit.

Et Martialis, lib. IV *ad Sophronium*:

Casta igitur nulla est? castæ sunt mille: quid ergo
Casta facit? non dat, non tamen illa negat.

Æschines omnes feminas Ionicas ausus est appellare « adulteras. » In quam sententiam refert Diodorus, lib. II, et ante illum Herodotus, lib. II, quod, cum Pheron, Sesostris filius, rex Ægyptiorum, oculis captus fuisset, ideoque ad deorum auxilium confugiens, peractis multis variisque sacris, ei responsum fuisset ut placato deo qui in Heliopoli coleretur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullum nisi proprium virum novisset; ab uxore propria incipiens, multas experius est, nullam tamen reperit incorruptam, præter hortulani cujusdam, quam restituto visu uxorem cepit, reliquas omnes vivas combussit. Josephus, *Belli Judaici* lib. II, cap. VII, scribit Esseos (alii vocant Essenos), Judæorum philosophos, uxores non ducere: non quia matrimonia contemnunt, sed quoniam cavendam esse putant feminarum intemperantiam; nullam earum uni viro fidem servare credentes. Quanquam et ipse aliam ejus rei rationem reddit, lib. XVIII *Antiq. Judaicarum* cap. II. Hippocrates in quadam ad Dionysium epistola scribit feminam semper egere oculo alterius, sese in continentia et pudicitia continentis. Suapte namque natura libidines venereas insitas habere, quas nisi quis in dies comprimat, tanquam arbores in materiæ multæ effusionem exuberant.

Quocirca Plutarchus in *Præceptis connubialibus*: « Lucerna, ait, sublata, omnis mulier eadem est, » *q. d.* Omnis est impudica, modo detur facultas peccandi absque arbitris. Hinc et inter omnia animantia, sola mulier et equa post conceptum venerem appetunt et patiuntur, ut scribit Aristoteles, lib. VII *Histor. Animal.* cap. IV, et Lactantius, lib. *De Vero cultu,* cap. XXIII, ubi et duas hujus rei rationes morales affert. Clare S. Chrysostomus: « Propria, inquit, mulieris passio est luxuria. » Vide eumdem, homil. 40 *in Matth.*, ubi explicans illud: *Publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei*: « Ex persona, inquit, omnium mulierum peccantium meretrices ponuntur; quoniam, quamvis sint multa peccata in mulieribus, tamen in illis præcipue fornicatio abundat. » Cujus rei Ob otium. rationem tradit, quia videlicet hoc vitium facile ex otio nascitur. Nam qui sollicitudinibus habet animum occupatum, non facile fornicationi operam dat, quia definitio amoris hæc est: « Animi cura vacantis passio. » Unde Diogenes Sinopæus, apud Laertium, ait amorem vacantium, id est otiosorum, esse occupationem. Et Poeta:

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.
Quæritur Ægistus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Alias rationes dant Hippocrates, Galenus et me- Et lenitatem. dici, scilicet quod feminæ abundent humore, quod debili sint ratione, quod vagæ sint, leves, voluptatum avidæ, quod affectibus agantur, quod sexu sint imperfectæ, ideoque virum appetant, sicut materia appetit formam, ut perficiatur, etc. Unde Eleazarus apud Aristæam, lib. LXXII *De Interpret.*: « Est, inquit, mulierum genus suorum affectuum sequax, atque in lapsum proclive, propter impudentiam et ejus naturam imbecillem. » Denique Salomon, *Prov.* XXX, inter quatuor insaturabilia os vulvæ annumerat; et Siracides, cap. XXXVIII: « Omnem, inquit, masculum excipiet mulier. » Plura vide apud Tiraquellum, leg. 9 *Connub.* num. 79 et seq.

Hinc disce amantes et amasias esse impuden- Amor fa-

cit impudentes. Apologus.

tes : amor enim pellit pudorem. Exstat de hac re insignis apologus Æsopi : « Jupiter, inquit, formatis hominibus, omnes illis affectus indidit, solum indere pudorem oblitus est. Quapropter non habens undenam ipsum introduceret, per turbam ingredi eum jussit. Hic vero primum contradicebat, quod indigna ferret. Vehementius vero eo instante, ait : Sed ego sane his ingredior pactis, si amor non ingrediatur. Si ingrediatur, ipse exibo quam primum. Ex hoc sane evenit, omnia scorta inverecunda esse. Affabulatio : Fabula significat captos amore inverecundos esse. »

Vers. 15.

15. SICUT VIATOR SITIENS AD FONTEM OS APERIET, ET AB OMNI AQUA PROXIMA BIBET, ET CONTRA OMNEM PALUM SEDEBIT, ET CONTRA OMNEM SAGITTAM APERIET PHARETRAM DONEC DEFICIAT. — Tribus similitudinibus honeste et verecunde repræsentat salaciam filiæ inverecundæ et impudicæ, eamque per tres quasi periphrases obscure circumscribit, *q. d.* Sicut viator sitiens anhelat ad fontem, et ex prima aqua, quam invenit, esto turbida et cœnosa, sitim restinguit : sic et filia inverecunda sitim libidinis ex obvio quoque, licet vili et fœdo, restinguet. Eadem prostituet se ad omnem palum et angulum, ut amasios alliciat, eosque avide excipiet, sicut pharetra excipit sagittas; donec deficiat et omnino delassetur, juxta illud *Ezech.* XVI : « Divisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti omnes fornicationes tuas. » Unde Tigurina vertit, *tanquam viator sitiens reperto fonte os aperiet, et bibet de proxima quavis aqua : ad omnem palum desidebit, et obviam cuivis telo pharetram* (*donec deficiat*) *aperiet;* Syrus, *sicut sitiens qui ingreditur ex via, et os ejus apertum est ad aquas frigidas, et ex omni aqua bibit, et super quocumque ligno discumbit, et coram omni sagitta aperta est pharetra ejus : ita et mulier adultera, cujus vulva unicuique aperta est;* Arabicus, *veluti qui siti ardet de via adveniens, et exoptat potum frigidum : bibet namque de omni, et cum gustu, et labia illius adaperta sunt ad receptionem omnis damni : sic mulier meretrix commutat gremium suum omni a se exigenti.* Sic et Lyranus, Palacius, Jansenius et alii. Paulo ante de hac re plura dixi : plura non addam in materia adeo spurca, ne castas aures offendam.

Hinc concors est philosophorum et medicorum sententia, feminas viris esse petulantiores et salaciores, idque tum propter levitatem naturæ, tum propter copiam humoris, tum propter carnium mollitiem, tum propter curiositatem qua se poliunt et ornant ut videantur et videant, tum propter gulositatem, otium et inertiam, quæ luxuriæ fomenta sunt. Ita docet Aristoteles, lib. II *De Part. Animal.* cap. II; Galenus, lib. XI *De Utilit. part.*; Albertus Magnus, lib. VIII *De Animal.* cap. I. Hinc Salomon, *Prov.* cap. XXX, 16, ait insatiabile esse os vulvæ,

Vers. 16. Gratia mulieris sedulæ

16. GRATIA MULIERIS SEDULÆ DELECTABIT VIRUM SUUM, ET OSSA ILLIUS IMPINGUABIT. — Ita Romana et Complutensia. Verum Jansenius et alii quædam addunt, sicque legunt : *Et ossa illius impinguabit disciplina illius.* Sic et dispungunt Græca Romæ correcta, et Tigurina, dum vertit : *Comitas uxoris delectat virum suum, et ossa ipsius pinguefacit ejusdem peritia,* vel scientia, vel disciplina : hæc enim omnia significat Græcum ἐπιστήμη. Græca enim non habent τὸ *sedulæ*. Unde χάρις, id est *gratia*, significat gratam ejus comitatem morumque suavitatem. Verum quia Noster legit τὸ *sedulæ*, hinc « gratia » non solum comitatem, sed et sedulitatem diligentiamque significat : gratia enim mulieris sedulæ, est grata ejus sedulitas et strenuitas in laborando et gubernando familiam, ut marito, filiis, ancillis, famulis de rebus omnibus ad victum et vestitum necessariis provideat. Hæc enim delectat virum, ideoque ossa illius impinguat, id est medullis irrigat, eumque fortem, alacrem validumque efficit; lætitia enim mentis redundat in corpus, illudque vegetum, vividum validumque efficit. Nam ossa sunt quasi fulcra et columnæ nostri corporis et microcosmi. Ossium autem sanitas medullæ pinguedine irrigatur, fovetur et impinguatur, eaque deficiente arescunt; unde sequitur tabes et corruptio hominis. Sic *Prov.* III, 8, dicitur : « Time Deum, et recede a malo : sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum, » *q. d.* Totum corpus tuum, cujus partes præcipuæ sunt umbilicus et ossa, sanum erit et vegetum : sana enim mens sanum efficit corpus.

virum impinguat.

Vis rationem a priori? accipe. Gratiæ sunt deliciæ, laquei, sagittæ et faces, quibus intime deliciantur, feriuntur, pascuntur, vulnerantur et incenduntur corda et animi. Unde Homerus illas inter vincula numeravit, quibus pulchritudo animas illigat. Illæ enim sunt dulcissimi escarum laquei, qui tam suaviter devinciunt, ut etiam a vinctis diligantur et expetantur, ut summe cupiant iis arctius ligari. Hinc gratiæ dicuntur ridere hilares, omniaque exhilarare. Porro, gratia maxime se exerit in oculis et ore, sive sermone et cantu, qui mire audientes devincit, passionesque animi ciet et componit. Hinc veteres Mercurium eloquentiæ deum, gratiarum ducem asseruerunt. Gratia ex ore prodiens est potentior, virilior et divinior : prodiens vero ex oculis, lascivior et effeminatior. Prodiens ex ore, est spiritalior; ex oculis, materiata magis. Percipitur gratia visu et auditu, qui sunt principes ministri rationis; per alios sensus solum adumbrate, et ex eventu; intrinsecus autem per rationem exactissime dignoscitur. In femina refulget magis gratia materiata, corporea et externa : in viro virilis, spiritalior et interna. Præstantissima est gratia animæ, quæ oculos Dei et Angelorum pascit et oblectat, æque ac hominum, dum per gratiosos actus externos loquendi, agendi, incedendi, etc., emicat et effulgurat. Quare dum mulier gratiosa eos ostentat, Dei et hominum gratiam sibi conciliat, ac præsertim maritum exhi-

Ratio a priori est vis gratiæ.

larat, pascit, impinguat, vivificat. Gratia enim est benevolentiæ illex, amoris lynx, voluntatum arbitra, animorum imperatrix, cordium dulcis fur, nexilis aureaque mentium catena, dissidentium magnes, consentientium adamas : denique vera sanctaque cœli venus, omnigenæ venustatis parens, est Dei gratia, virtus et sanctitas. Transit Siracides a muliere nequam ad probam et sanctam, ut per antithesin illius nequitiam, hujus bonitatem demonstret. Contraria enim juxta se posita magis elucescunt.

Tropologice Rabanus : « Gratia, inquit, bonæ devotionis et obedientiæ, quam habet quælibet sancta anima, vel generaliter tota electorum Ecclesia, jucundat boni doctoris animum, vel potius Christi Domini nostri, qui verus sponsus est Ecclesiæ ; cui qui devota humilitate obedit, præcepta ipsius custodiendo, pinguedinem charitatis ejus in medulla cordis se habere ostendit. Unde etiam amorem ejus ipse impetrabit, sicut ipsa Veritas in Evangelio ait : Qui amat mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. » Deinde subdit : « Sed quia nemo prius eum diligit, quam ejus gratia ad sui amorem illum provocaverit, sequens sententia declarat : Disciplina illius datum Dei est. Omne quippe bonum Ecclesiæ, donum est Dei : quia omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, » *Jacob.* I.

Vers. 17. 17. DISCIPLINA ILLIUS, DATUM DEI EST. — Ita dispungunt et combinant Biblia Romana et Complutensia, *q. d.* Uxor disciplinata et sapiens, ideoque sedula, ingens est donum Dei. Etiam « mala est donum Dei, ait Menander, sed irati. » Sensus est, *q. d.* Maritus non suæ industriæ, nec suis meritis, sed Dei gratiæ et dono adscribat, si ei obtigerit uxor prudens et sedula.

Vers. 18. 18. MULIER SENSATA ET TACITA, NON EST IMMUTATIO ERUDITÆ ANIMÆ, — *q. d.* Mulier mente sensata et prudens, indeque ore taciturna et pauciloqua, tanti est pretii, ut non sit « immutatio, » id est commutatio vel permutatio, græce ἀντάλλαγμα, hoc est pretium quo appendas eruditam, græce πεπαιδευμένην, id est disciplinatam, compositam et sapientem ejus animam, *q. d.* Nullo pretio permutari, nulla re æstimari potest, quia omne pretium, omnem æstimationem superat. Ita Tigurina : *uxor, inquit, taciturna et cordata donum Dei est, nec est quo pretio permutes eruditam animam :* hæc enim docet mentem sapere, linguam tacere ; sicut ex adverso inerudita, id est imprudens, anima facit mentem desipere, indeque linguam garrire et ineptire. Syrus, *donum Dei mulier bona, et non est pretium sobrietati.* Pro *sensata* græce est εὔνους, id est bonæ mentis, hoc est prudens ; item benevola, studiosa, bene cupiens, bene consulens : εὔνοια enim est benevolentia, favor, amicitia. Multa in laudem cordatarum mulierum congessit S. Chrysostomus, hom. *De Decollat. S. Joannis,* et S. Hieronymus, *Psalm.* XLIV, *ad Principiam,* et Procœmio *in Sophoniam;* et lib. I *Contra Jovin.* Scripsit et Plutarchus librum, cui titulus : *Mulierum virtutes;* ac eo antiquior Hesiodus, lib. eodem argumento, in quo mulieres heroides celebrat. Scripsit et Hispanus quidam insigne opus hoc titulo : *Honor Dominarum;* ac Christina Pisana, mulier egregie docta, elegantem feminarum apologiam dicam, an encomium ? contexuit. Gulfridus Chancerus Anglus, duos scripsit libros : priorem indigitat : *Laudes bonarum mulierum ;* posteriorem : *Feminarum encomium.* Novissime Joannes Textor tractatum edidit *de Claris mulieribus.* Vide et Cælium Rhodiginum, lib. XIII, cap. XXXIII, et lib. XIV, cap. I, ac Tiraquellum, leg. 11 *Connub.* num. 30, ubi feminarum sapientum, quæ viros doctrina æquarunt vel superarunt, ingentem catalogum ordine alphabetico pertexit.

Vers. 19. 19. GRATIA SUPER GRATIAM, MULIER SANCTA ET PUDORATA. — Pro *sancta* græce est πιστή, id est fidelis, quæ scilicet fidem Deo æque ac marito servat, id est casta et proba. Sic Apostolus fideles vocat *sanctos ;* quia fides charitate formata, qualis erat primorum fidelium, efficit sanctos, uti dixi initio epist. I *ad Cor.* Tigurina, *gratia alia super aliam est uxor pudens* (alii, *pudica,* pudor enim est comes et velum pudicitiæ) *et fidelis.*

Gratia quadruplex. « Gratia, » id est res gratissima et acceptissima, summum donum et beneficium. Hinc *secundo,* « gratia, » id est felicitas, *q. d.* Ille felix et beatus est in hac vita, cui obtigit mulier sancta. *Tertio,* « gratia, » id est pulchritudo, decor, ornamentum, et quasi monile aureum gemmeumque viro, est mulier pudorata. *Quarto,* « gratia, » quia omni Dei gratia, virtute et sanctitate cumulatur vir per uxorem sanctam. Ratio a priori est hæc. Gratia est decor, venustas et lepor, ac quasi spiritus et vita pulchritudinis. Gratia ergo perinde ut pulchritudo competit Deo per originem et causam, menti per formam, animæ per rationem, naturæ per semina, materiei per umbras et participationem ; adeo ut gratia et pulchritudo sint tanquam radii et splendores divini Solis, in rebus variis vario modo effulgentes. Unde dictitabat Plato : « Quicumque gratiosum et pulchrum aliquid admiratur et diligit, non id, sed Deum in eo fulgentem colit ; » uti S. Antonius, S. Augustinus et similes in pulchritudine creaturarum et mundi, intuiti et admirati sunt pulchritudinem Dei creatoris. Poetæ et philosophi dixerunt gratias esse ancillas et pedissequas Veneris. Alii censuerunt gratiam esse quid divini, quod occulta cœli virtute in uno magis fulget quam in alio : gratia enim solis viventibus, imo soli homini competit. Verius alii gratiam sic definiunt : « Gratia est

Gratia est vita pulchritudinis.

Gratia quid ?

externus quidam rationis fulgor, congruensque dexteritas in obeundis munerum functionibus, ex recta animi et corporis constitutione consurgens, perfectamque pulchritudinem insequens,» gratia enim in gestibus, motibus, incessu, actionibus, sermonibus refulget.

Porro, τὸ *gratia super gratiam, primo* idem est ac si dicat : Duplex, imo multiplex, est gratia, *q. d.* Simplex gratia, species et decor, est mulier pulchra et modesta. At duplex, imo multiplex est gratia et decor, mulier quæ pudicitiæ sanctitatem sanctosque mores adjungit. Alludit ad *Prov.* XVIII, 22 : « Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum; » Septuaginta, *invenit* χάριτες, id est *gratias et Charites*. Quam vocem illustrans noster Salazar : Plutarchus, inquit, docet illas felices esse feminarum nuptias, a quibus Charites non exsulant : sane illius mens hæc est, totam nuptiarum felicitatem in conjugum mutua gratia et amore sitam esse, qui per Charites adumbratur.

Quapropter, si tres Charites triplicis temporis gratiam significare dixeris, præteriti, præsentis et futuri, ut multi tradunt, qui propterea eas horarum sorores fingi dicuntur : utique constantem quamdam gratiam et amorem notabunt, qui nullo tempore dissolvatur. Ergo cum Salomon ait : « Qui invenit mulierem bonam, invenit Charites, » sensus erit : Tres gratias in conjugium suum adducit, hoc est amorem quemdam omnis temporis differentias amplectentem. Mul' enim amorem præmittunt conjugiis, quia nubunt, ut aiunt, per amores; sed vix dum nuptiæ copulatæ sunt, cum amor intepescit : his una tantummodo ex Charitibus præfuit. Alii rursus non solum nuptias ex amore susceperunt, sed etiam aliquandiu post nuptias in eisdem amor viguit; postea tamen decursu temporis deferbuit: his duæ Charites interfuerunt. Illis ergo trium Charitum in unum conspirantium favor adfuit, quorum amor et conjugalis gratia ante nuptias, in nuptiis, ac deinceps toto vitæ tempore, constans fuit. Hæc autem felicitas ejus est tantum, qui bonam plane atque adeo amabilem uxorem nactus est.

Jam si omnes viri felices sunt, quibus obtigit mulier sancta et pudorata, quasi gratia super gratiam, quam felix fuit S. Joseph, cui a Deo obtigit sponsa sanctissima, imo Virginum et Sanctorum omnium Regina B. Virgo Maria, quæ «gratia plena» salutata est ab Angelo, et gratiam hanc suam Josepho vultu, voce, vita et continua conversatione per tot annos afflavit? Unde Hugo : B. Virgo, inquit, comparatur hisce quatuor, scilicet soli, lucernæ, columnæ, fundamento : soli comparatur; quia sicut sol toti mundo lumen præstat, ita B. Virgo toti Ecclesiæ gratiam præstat et impetrat. Tollatur sol, est miserabilis mundus; tollatur B. Virgo, est miserabilis Ecclesia. *Cant.* VI : « Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? » Quasi aurora fuit in nativitate sua, ut luna in conceptione Domini, ut sol in nativitate Domini, « terribilis ut castrorum acies ordinata» in purificatione. Comparatur lucernæ, quia sicut lucerna lucem habet in testa, ita B. Virgo lucem veram habet intra sua viscera; at non abscondit eam, sed in aperto posuit, ut ab omnibus videretur. *Luc.* XI : « Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. » Columnæ aureæ comparatur propter rectitudinem, propter stabilitatem, propter fundamentum Ecclesiæ. Fundamento comparatur propter humilitatem, propter compassionem, propter secreti sive solitudinis amorem.

Mira B. Virginis gratia.

Nota : « Mulier sancta » generaliter, id est pia, religiosa, quæ Deum sancte colit et reveretur, quomodo vulgo vocamus hominem sanctum; proprie tamen « sancta, » id est pura, casta; sequitur enim « et pudorata, » id est verecunda, quæ scilicet pudorem et verecundiam, quæ comes et index est castitatis, vultu, oculis, silentio, modestia, totoque habitu præferat; sicut ex adverso mulier incesta et adultera, est impudens et inverecunda. Unde et subdit : « Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. » Sanctitas enim conjugii et uxoris, qua uxor est, consistit in castitate, qua fidem Deo, Ecclesiæ et marito datam, sancte servat. Sic Apostolus de virgine ait : « Ut sit sancta corpore et spiritu, I *Cor.* VII, 34. « Sancta » id est pura, casta, intemerata. « Sanctitas » enim, ut ait S. Dionysius *De Divin. Nom.*, « est ab omni inquinamento libera, incontaminatissima et perfectissima puritas. » Et I *Thess.* IV, 4 : « Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas (id est uxorem) suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii. » Vide ibi dicta. Ac Poeta : « Et tu sanctissima conjux : sanctissima, » id est castissima.

Sancta, id est casta.

Moraliter, hic disce proprium mulierum et virginum monile esse pudorem et verecundiam : hic enim index est custosque pudicitiæ. Nam, ut ait Poeta : « Non veniunt in idem pudor atque amor. » Unde vocatur pudor virgineus, juxta illud :

Verecundiæ feminarum elogia.

Virgineus teneras stat pudor ante genas.

Et :

Olim hic virginei custos monitorque pudoris.

Quocirca S. Gorgoniam sororem suam ab hoc pudore laudat Nazianzenus, orat. *De Laudib. Gorgon.* : « Cum multos, inquit, et varios mulierum externos nosset ornatus, nullum tamen moribus suis, splendoreque intus recondito præstantiorem cognoscebat. Unus illi rubor placebat, quem gignit pudor; unus candor, quem parit abstinentia. » Unde et Tertullianus, lib. *De Veland. Virgin.* cap. II : « Virginibus, inquit, præter quod a Deo, non ab hominibus captanda gloria est, etiam ipsum bo-

num suum erubescendum est. » Et inferius : « Ejusdem libidinis est videri et videre. Tam sancti viri est subfundi, si virginem viderit; quam sanctæ virginis, si a viro visa sit. » Et S. Bernardus, serm. 4 *in Cant.* : « Verecundiam intellige, inquit, tanquam colorem in facie; quod hæc potissimum virtus et venustatem ingerat, et augeat gratiam. » Et *serm.* 86 : « Rubor ille genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ et decoris suffuso afferre vultui solet ! » Denique S. Ambrosius, lib. I *Offic.* XVIII : « Verecundia, ait, pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est; bonus enim regendæ castitatis pudor est comes. » Et cap. XLIII : « Verecundia ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet. » Et S. Chrysostomus, hom. 26 *in Matth.* : « Pudor, ait, frequenter est frenum vitiorum. » Hinc *Cant.* IV, 3, dicitur : « Sicut fragmen mali punici, ita et genæ tuæ. » Nam, ut ait S. Bernardus, serm. 40 *in Cant.* : « Pudoris sedes in genis est. »

Ex adverso mulierum infamia est impudentia; hæc enim mater est impudicitiæ; impudentes enim sunt similes canibus impudentibus et impudicis. Unde S. Hieronymus in cap. LXVI *Isaiæ* : « Pulchre, ait, canis et meretrix copulantur; quia utrumque animal pronum est ad libidinem. »

Vers. 20. 20. OMNIS AUTEM PONDERATIO NON EST DIGNA CONTINENTIS ANIMÆ. — Pro *ponderatio* græce est σταθμός, id est pondus, *q. d.* Nullum est auri, argenti, vel rei alterius pondus, quantumvis ingens, quod æquivaleat continenti, id est castæ, modestæ et sanctæ uxori. Syrus, *gratia super gratiam mulier pudorata, et non est pondus* (id est pretium condignum) *taciturnitati.* Pudoris enim comes est taciturnitas, et pudentes sunt taciturnæ, sicut impudentes sunt loquaces et garrulæ. Tigurina, *nec tanti pondus est ullum, ut eo rependas animi ipsius modestiam, q. d.* Maritus pluris æstimare debet uxoris modestiam et continentiam, quam multa auri talenta; quia nihil est in opibus et thesauris hujus mundi, quod cum anima casta et pura valeat comparari; nam non tam abundantes thesauri domos divitum replent, quam merita castitatis, corpora et animas continentium totasque domos exornant; ut merito dicant illud : « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, » *Sap.* VII, 11, quoniam castitas ipsis castis et puritatem mentis et munditiam corporis affert, et sensibus ordinem et motibus modum secundum modestiam confert; ipsis vero maritis totique familiæ mirum decorem, puritatem, sanctitatem, pacem et exsultationem afflat et aspirat. Recte Plutarchus in *Moral.* uxorem comparat speculo : speculum autem bonum censemus non quod auro et gemmis vestitum, sed quod purum, tersum, pellucidum, nihil habens depressi vel prominentis : sic pariter uxor non auro dives, sed continens, casta, modesta, obsequens, censenda est optima.

Uxor similis speculo.

Ex hac sententia : « Omnis ponderatio non est digna continentis animæ, » colligit Albertus Magnus Pontificem non posse dispensare in voto solemni castitatis, ut scilicet religiosa castitatem professa societur conjugio. Sed hæc gnome id non evincit, tum quia τὸ *continentis* significat non tantum cælibem, qualis est religiosa, sed et uxorem castam; agitur enim hic de uxore proba; tum quia τὸ *ponderatio* significat pretium auri et argenti, non autem bonum publicum, v. g. ut totum regnum convertatur, vel conservetur in vera fide, pietate, justitia. Hoc enim bonum majus est quam castitas religiosa unius personæ; unde propter hoc potest Pontifex cum illa dispensare ut conjugio copuletur, uti cum pluribus dispensavit. Denique hæc gnome tam intelligitur de castitate privata et simplici, quam publica solemni; et tamen omnes fatentur in simplici posse Pontificem dispensare. Vide Bellarminum, Sanchez, Lessium et alios, in tract. *De Voto.*

Vers. 21. 21. SICUT SOL ORIENS MUNDO IN ALTISSIMIS DEI, SIC MULIERIS BONÆ SPECIES IN ORNAMENTUM DOMUS EJUS. — « Species, » id est pulchritudo tum corporis, tum potius animæ, quæ est pulchritudo virtutis, puta castitatis, modestiæ, etc.; utramque enim comparat soli, *q. d.* Sicut sol, cum post noctis tenebras mane oritur in altissimis, scilicet cœlis et habitaculis Domini Dei, tam cœlos quam elementa, totumque orbem nova, grata roseaque luce illuminat, exhilarat, condecorat, vegetat, vivificat : sic et uxoris bonæ pulchritudo corporis et magis animi, suæ virtutis fulgore pellit omnes mariti domusque molestias et mœrores, totamque domum irradiat, lætificat, exornat, vivificat, ac ad Dei cognitionem, amorem et cultum accendit. Unde Tigurina, *quod est in supremis Domini sol oriens, hoc in ornatu domus suæ pulchritudo bonæ mulieris, q. d.* Sol et uxor proba paria sunt; sicut enim sol cœlum, ita uxor domum illustrat. Syrus; *sicut sol qui oritur in firmamento cœli, ita pulchritudo mulieris bonæ in habitatione domus ejus.* Sic S. Pulcheria in aula Theodosii patris, et Marciani mariti Imperatoris quasi sol effulsit; et Cunegundis in aula Henrici Imperatoris, S. Elisabeth in aula Lantgravii. Simili modo Debora et Barach in epinicio, benedicentes Deum diligentibus, orant ut rutilent « sicut sol in ortu suo splendet. » Et de sponsa dicitur *Cant.* VI, 9 : « Electa ut sol. » Idem de Onia inferius, cap. L, vers. 7 : « Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in domo Dei. » Denique Christus vocatur « sol justitiæ, » *Malach.* IV, 2, atque ex eo « fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum, » *Matth.* XIII, 43. Vide nostrum Delrio, *adagio* 155.

Tres reginarum soles.

Tales reginarum soles tres, sive parelii, exstitere sub annum Domini 600, quo tempore Ecclesiæ præerat S. Gregorius. *Prima* fuit Ingundis, quæ S. Hermenigildum maritum ab arianismo ad fidem orthodoxam, et consequenter totam Hispaniam convertit. *Secunda* fuit Clothildis, quæ Clodovæum, et per eum Franciam, ad Christum traduxit. *Tertia* fuit Theodolinda decus Bavariæ, quæ Agilulphum regem maritum, cæterosque Longo-

bardos ad fidem catholicam pellexit, teste Paulo Diacono, lib. IV, cap. II, qui et cap. XV et XXII, multis ejus pietatem celebrat. Similes gentilium reginarum soles fuere : *prima,* Semiramis, qua inconsulta nihil faciebat Menon maritus, teste Diodoro, lib. III, cap. II et seq.; *secunda,* Aspasia, quæ Cyro fuit instar domestici oraculi, de qua Ælianus, lib. XII *Variæ Histor.*; *tertia* fuit Livia, rectrix Augusti Cæsaris; *quarta,* Pompeia Plotina, cujus consilia sequebatur Trajanus Imperator maritus, de qua Aurelius Victor in *Juliana.* Hæ ergo reginæ sua sapientia et virtute quasi soles præfulserunt regibus et regnis. Igitur sicut sol totum orbem non solum clarificat, sed et fecundat, bonisque omnibus ditat : sic et uxor præstans fulgore suæ sapientiæ et virtutis non solum illustrat, sed et fecundat tum multa probaque prole, tum rerum copia, tum virtutum exercitatione totam domum, imo subinde totam urbem, provinciam et regnum. Vide solis dotes quas recensui *Isaiæ* cap. XLV, 1, easque applica uxori et reginæ.

Vers. 22. 22. LUCERNA SPLENDENS SUPER CANDELABRUM SANCTUM, ET (id est *sic,* est enim et nota similitudinis, quia connectit similia) SPECIES FACIEI SUPER ÆTATEM STABILEM. — Comparavit speciem mulieris soli illuminanti mundum : nunc per gradationem ulterius ascendit, eamque comparat lucernæ et candelabro sancto, quod positum erat in templo, puta in Sancto, ut illud illuminaret, et præluceret facemque præferret Deo residenti in Sancto sanctorum, *q. d.* Sicut lucerna imposita candelabro sancto in templo, illud illuminat (ut ostendi *Exod.* XXV, 31) : sic et pulchritudo faciei mulieris, faciei, inquam, tam animæ quam corporis, imposita ætati ejus stabili, græce ϛασίμῃ, id est constanti et validæ, qua possit filios educare, famulos regere, et familiam gubernare; totam domum illustrat, et velut sancta lucerna omnibus præfulget, imo totam familiam sanctam efficit, totamque domum quasi sanctam Ecclesiam templumque Deo consecrat. Ita Tigurina, *lucerna splendens,* ait, *in sancto candelabro venusta facies in ætate constanti est;* Syrus, *sicut lucerna, quæ illuminat super candelabrum sanctum, pulchritudo mulieris in habitatione domus ejus.* Ad hoc significandum, lampades, sive tædæ, quæ « jugales » et « geniales, » dicebantur, sponsis in nuptiis præferebantur, ut patet *Matth.* cap. XXV, vers. 1. Vide nostrum Martinum de Roa, lib. II *Singular.* cap. XXI.

Nota : « Species, » id est pulchritudo, « faciei, » non tantum corporalis intelligenda est (nam de ea, si sola sit, ait Salomon *Proverb.* XI : « Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua; » sed et moralis ac spiritalis, puta pulchritudo animæ per decorem virtutum; hæc enim mulierem pulchram, pulcherrimam efficit, juxta illud :

Gratior est pulchro veniens de corpore virtus.

Modestia enim, verecundia, gravitas, cæteræque virtutes animum exornantes, relucent in facie, totoque corporis habitu, illamque magis quam stibium colorant, exornant, ac speciosam Deo et hominibus efficiunt. Simili modo *ætas stabilis,* sive constans, tam animæ quam corporis intelligitur, puta, animi in virtute solidati constantia, gravitas et maturitas; hæc enim ætatem florentem vegetamque uxoris perficit et condecorat. Sicut ergo pulchritudo corporis in ætate florenti et constanti, est quasi lucerna in candelabro sancto: sic multo magis pulchritudo animæ in constanti virtute, est lucerna in candelabro, sua sanctitate illuminans totam familiam, illamque verbo et exemplo sanctificans, ac sanctum in ea Deo templum constituens. Idem dicas de persona qualibet sancta, quæ totam familiam, collegium, monasterium exemplo sanctitatis illustrat et sanctificat. Sic S. Dominicus fuit facula et lucerna sui Ordinis totiusque orbis, æque ac S. Franciscus Xaverius fuit lucerna et sanctitas Societatis Jesu. Et talis deberet esse quisque sacerdos religiosus, imo quilibet christianus, nimirum sanctitas suæ Ecclesiæ, Ordinis vel domus.

Sanctus totam familiam sanctificat.

Porro, sanctitas hæc multa complectitur, quæ paucis ita perstringit S. Ambrosius, lib. III, epist. 25 *ad Eccles. Vercell.* : « Sit, inquit, in vobis vitæ hujus delectatio in bona conscientia, patientia mortis cum spe immortalitatis, confirmatio resurrectionis cum Christi gratia, veritas cum simplicitate, fides cum confidentia, abstinentia cum sanctitate, industria cum sobrietate, conversatio cum modestia, eruditio sine vanitate, sobrietas doctrinæ fidelis sine hæresis temulentia. » Hasce ergo virtutes magis exemplo quam verbo doceat maritus uxorem, præceptor discipulum, princeps subditos, pastor populum. Scitum est illud Aristotelis, in *Œconom.* : « Si mulier cognoverit sibi castum et fidum virum, ipsa etiam fida et casta erit. » Et illud Plutarchi, in *Lycurgo* : « Ut populus dicto sit audiens, hoc discit a principe. Nam qui bonum præbet ducem, is facit ut alii bene sequantur, » juxta illud vulgatum : « Bonus dux bonum reddit comitem. » In principe ergo situm est, ut sit bene morata civitas, si modo ipse bonus sit imperator. In Episcopo positum, ut piam efficiat plebem, si ipse piam et integram agat vitam. Probus et incorruptus magistratus probos et integros facit cives. Frugi maritus uxorem et familiam in suos mores trahit. Doctus ac diligens magister doctum facit discipulum.

Mystice, sicut hominis uxor improba, est concupiscentia et voluntas propria : sic ejusdem uxor proba est voluntas sancta, Deo subdita, Dei gratia et charitate imbuta, adeoque est ipsa sapientia, ait Rabanus, gratia et charitas. Hæc enim quasi lucerna et sol illustrat totam animæ domum, eamque sanctum Deo templum efficit, quin et totam familiam, urbem, provinciam, et subinde totum orbem radiis suæ virtutis et sapientiæ collustrat. Vide dicta *Exodi* XXV, 31. Unde hoc solius Dei

Mystice, uxor proba et voluntas sancta.

est opus et conjugium. Audi S. Ambrosium, lib. VIII in cap. XVI *S. Lucæ* : « Nemo venit ad me, nisi Pater meus qui misit me, attraxerit eum. Ille enim solus potuit has nuptias copulare. Et ideo mystice Salomon dixit, *Prov.* XIX : A Deo præparatur viro uxor. Vir Christus, uxor Ecclesia est. Charitate uxor, integritate virgo. Ergo quem Deus traxit ad Filium, non separet persecutio, non avertat luxuria, non philosophia deprædetur, non Manichæus contaminet, etc. Mens quæ credidisti Deo, esto fortis mulier, qualis illa vel anima, vel Ecclesia, de qua dicit Salomon *Prov.* XXXI : Mulierem fortem quis inveniet? pretiosior autem est lapidibus pretiosis. »

Vers. 23. 23. COLUMNÆ AUREÆ SUPER BASES ARGENTEAS, ET (id est *sic*) PEDES FIRMI SUPER PLANTAS STABILIS MULIERIS, — *q. d.* Sicut pretiosæ et pulchræ sunt columnæ aureæ innixæ basibus argenteis : sic et pedes stabiles mulieris super plantas stabiles, ut scilicet tam pedum quam plantarum ejus gravis sit incessus, rarus et necessarius; pretiosi sunt et pulchri. Incessus enim hic gravis index est animi gravis, constantis et maturi; sicut ex adverso incessus vagus, levis, præceps, inconstans, index est animi vagi, levis, præcipitis, inconstantis. Legit Interpres πτέρναις, id est plantas; jam Græca habent σέρνοις, id est pectus. Rursum, pro *firmis* legunt ὡραῖοι, id est speciosi; unde sic habent : *Columnæ aureæ in basi argentea, et pedes speciosi* (conjuncti) *cum pectore stabili;* Complutensia, *et pedes formosi super pavimenta stabilia;* Syrus, *sicut ornamenta aurea super columnas argenteas* (sic) *congruunt plantæ ejus juxta ambitum domus ejus;* Tigurina, *instar columnarum aurearum super basi argentea, sic crura formosa cum pectore stabili.* Comparat pedes uxoris gravis (quæ per plateas non discurrit, sed domi se continet eam gubernans) columnis aureis, plantas basibus argenteis, quando scilicet (uti Græca exprimunt) nituntur pectore, id est animo stabili, gravi et maturo; ut scilicet is sit quasi basis et fundamentum externi incessus et firmitatis, qui proinde illi non tantum elegantiam, sed et dignitatem conciliat. Significat ergo Siracides (ut recte advertit Jansenius), quod, sicut columnæ aureæ super bases argenteas constitutæ, præter firmitatem quam habent, etiam concinnitatem habent et pretium : sic et pedes mulieris firmi super plantas stabiles, præter firmitatem etiam pretium habeant et concinnitatem, pulchramque congruentiam, dum gressuum actuumque exterior maturitas pulchre respondet interiori stabilitati mentis et animi, ex qua promanat.

Hoc est quod in sponsa suspiciens sponsus celebrat, *Cant.* VII, vers. 1 : « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Junctura femorum tuorum sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis. » Unde eam comparat choris castrorum : « Quid videbis, inquit, in Sulamite, nisi choros castrorum? » Huc facit proverbium Hihpanorum : « Mulier et gallina foras prodeundo se perdunt, » ait Palacius.

Mystice Rabanus : « Columnæ aureæ sunt doc- Mystice. tores sancti, luce sapientiæ præclari, qui super bases argenteas collocantur, cum eloquiis Scripturarum sacrarum prædicatione sua innituntur. Columnis enim merito Apostoli et Apostolici viri comparantur, quia terrena vitia in imo deprimunt, et supernas virtutes ad gratiam Regis cœlestis extollunt. Horum pedes firmi super plantas mulieris stabiliti sunt; quia incessus prædicationis eorum, quo per totum orbem verbum Dei disseminaverunt (In omnem enim terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum), super catholicæ fidei stabilitatem firmiter consistit. » Horum ergo pedes sunt « columnæ aureæ super bases argenteas, » qui videlicet ab argento niveum candorem, ab auro virtutum pretium, a basibus et columnis robur et firmitatem, ad sustinendos quoslibet pro Ecclesia labores, mutuantur.

Vers. 24. 24. FUNDAMENTA ÆTERNA SUPER PETRAM SOLIDAM, ET (id est *sic*) MANDATA DEI IN CORDE MULIERIS SANCTÆ. — Supple : « æterna et perpetua sunt. » Hic versus jam deest in Græco et Syro; sed Tigurina sic eum exprimit : *Ut æternum est super petram firmam fundamentum, ita mandata Dei in animo sanctæ mulieris.* Sensus est, *q. d.* Sicut fundamenta domorum, columnarum, etc., firmissima et quasi æterna (more loquendi hominum, qui longæva vocant « æterna » per hyperbolen) sunt, quæ fundata sunt super solidam petram; quia petra firmiter ea sustinet, tuetur et conservat, ut nulla ventorum vel procellarum vi concuti vel convelli valeant : sic pariter mandata Dei, in corde mulieris sanctæ, firmissima et æterna sunt; quia ab illo firmiter continentur et conservantur, ut ab eis nulla tentationum, persecutionum vel adversitatum vi se avelli sinat, quamdiu, scilicet, sancta persistit. Si enim sanctitatem abjiciat, omne robur, omne fulcrum, omnem constantiam suam abjicit. Significat ergo cor sanctum et in sanctitate stabilitum, esse immobile instar petræ et rupis, ut dicat cum Paulo : « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas, etc.? Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. Huc allusit Christus, *Matth.* VII, dicens : « Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam; et non cecidit, fundata enim erat supra petram. » Præclare Nazianzenus, in *Distichis* : « Ut incus maxima, inquit, ictus non pertimescit, sic mens sapiens omne detrimentum extrudit. »

Græca Complutensia, Syrus, Tigurina et alii hic subnectunt undecim sententias de feminis graves et appositas. Eæ sic habent : *Fili, florem ætatis tuæ conserva sanum, et ne dederis alienis robur tuum. Cum requisieris omnis campi fertilem sortem, semina propria semina, fretus nobilitate tua. Sic progenies*

tuæ superstites, et fidentiam nobilitatis habentes; magnificabuntur. Mulier mercenaria æqualis porco reputabitur; conjugata autem turris mortis utentibus reputabitur. Mulier impia iniquo pars dabitur; pia autem datur timenti Dominum. Mulier turpis infamiam conteret; filia autem honesta etiam virum reverebitur. Mulier impudens sicut canis reputabitur; quæ autem habet verecundiam, Dominum timebit. Mulier virum proprium honorans, sapiens omnibus videbitur; inhonorans autem, impia in superbia omnibus cognoscetur. Mulieris bonæ beatus vir; numerus enim annorum illius duplex erit. Mulier clamosa et linguosa in hostium fugationem considerabitur. Hominis autem cujusque animas, similibus moratus moribus, belli seditionibus vitam transiget. Duos ultimos versus clarius sic effert Tigurina, *clamosa mulier et linguax, ad hostes fugandos exquiretur. Omnis vero hominis animus his moribus similis* (hoc enim est ὁμιότροπος, pro quo Vatablus legit ὁμότροφος, id est convivens illi, vel convictu ejus utens) *versabitur inter tumultus bellicos;* Syrus, *mulier verbosa et contentiosa sicut cornu* (tuba cornea, quali olim in prœliis utebantur) *concitans ad pugnam reputabitur. Anima autem omnis hominis, qui habet omnia hæc, conjicietur in tumultum bellicum* (vel assimilabitur tumultui bellico), *vita in tribulatione transigetur.*

Verum hæc omnia non sunt Scriptura Canonica, quia ea omittit editio Latina Vulgata, quam pro authentica Scriptura habendam definivit Concilium Tridentinum, *Sess.* IV. Imo editio Græca correcta a Romanis eadem omittit. Adde, multas ex hisce sententiis in capitibus præcedentibus traditas esse vel in se, vel in sui simili; quare eæ hic ascititiæ videntur, uti recte advertit Jansenius.

Vers. 25, 26 et 27.

25, 26 et 27. IN DUOBUS CONTRISTATUM EST COR MEUM, ET IN TERTIO IRACUNDIA MIHI ADVENIT. VIR BELLATOR DEFICIENS PER INOPIAM : ET VIR SENSATUS CONTEMPTUS. ET QUI TRANSGREDITUR A JUSTITIA AD PECCATUM, DEUS PARAVIT EUM AD RHOMPHÆAM. — Hoc loco transit Siracides a mulieribus ad alia sapientiæ dogmata. Quare hinc novum caput, puta XXVII, inchoat Glossa : Sensus est, *q. d.* Duo sunt miserabilia, tertium vero indignum : quæ duo proinde mihi commiserationem, tertium vero iram et indignationem commovet; quia scilicet summum omnium malorum est, quod homo sponte sibi accersit, cum nimirum justitiam deserit et peccat. *Primum* est bellator laborans inopia; qui scilicet pugnavit pro patria, vitamque pro bonis civium exposuit, ac pro iis graves et continuos labores, ærumnas, pericula sustinuit, ideoque dignus est qui sumptu publico alatur, uti olim milites senes et emeriti publicis stipendiis alebantur Romæ in taberna, quæ inde meritoria est cognominata, ex qua tempore nativitatis Christi miraculose profluxit oleum; unde postea a Callisto I Pontifice conversa est in ecclesiam B. Virginis Transtiberinam.

Tria contristantia.

Secundum est, vir sensatus et prudens, qui scilicet sua prudentia posset regere domum, collegium, rempublicam, ideoque ad quoslibet honorum gradus in ea evehi meretur, contemptus et neglectus, quod amicos non habeat qui eum commendent et promoveant. Græce est, ἄνδρες συνετοὶ ἐὰν σκυβαλισθῶσιν, id est *viri prudentes, si contemnantur;* alii, *si pro rejectamentis habeantur viri intelligentes;* Tigurina, *viri cordati indigna patientes;* Syrus, *super viris famosis qui imminuti sunt ab honore suo;* σκύβαλα enim sunt retrimenta, quisquiliæ, rejicula, stercora, excrementa, quæ canibus projiciuntur, quasi κυσίβαλα, uti dixi, *Philip.* III, 8.

Tertium est, justus a justitia prolabens in peccatum; hæc enim summa est insipientia et stoliditas, qua sanctus summum bonum, puta justitiam, gratiam, Deum et cœlum, ultro pro vili voluptate vel honore prodegit, seque in summam miseriam, puta in peccatum, Dei iram, reatum gehennæ ac damnationem æternam præcipitat; quare huic non tam commisereor quam irascor et indignor, quod sua libertate, liberaque voluntate et electione tantum bonum deserat, et tantum malum sibi accersat, ac ultro quasi e cœlo in infernum præceps ruat. Quocirca « Deus paravit » et destinavit « eum ad rhomphæam, » id est ad gladium, hoc est ad pœnam et mortem præsentem et æternam. Ita Tigurina, *duo,* inquit, *cor meum contristant, et tertium mihi movet indignationem : vir bellicosus* (Vatablus, *fortis*) *laborans egestate, viri cordati indigna patientes, et qui se a justitia transfert ad peccatum. Dominus eum cædi destinabit;* Syrus, *super duabus rebus obstupuit cor meum, et super tribus* (id est super tertio) *valde displicuit mihi : super viro ingenuo qui pauper evasit et inops effectus est, et super viris famosis qui imminuti sunt ab honore suo, et super eo qui convertitur a timore Dei ad opus iniquitatis. Trade eum diei occisionis.* Jure ergo meritoque Siracides irascitur justo in peccatum declinanti. At S. Augustinus non irascitur peccanti, sed miseretur, asserens eum omni lacrymarum fonte deflendum. Jeremias vero, cap. XI, vers. 12, jubet cœlos obstupescere, quia relicto fonte aquarum viventium, puta Deo, populus cisternas quærit dissipatas. Ipse autem Deus tactus dolore cordis intrinsecus parat ob crimina, non unum hominem, sed omnes totumque mundum, mergere et perdere diluvio, *Genes.* VI, 6. Igitur miserandum est, quod tam facile committimus ea, quæ Deus tam dure parat ad rhomphæam, ait Palacius.

Mystice.

Mystice Rabanus : « Vir bellator, inquit, deficit per inopiam, cum is qui multos labores in agone istius mundi sustinuit pro Christo, novissime aliqua adversitate fractus, perdit laborem per inconstantiam mentis. »

Vers. 28. Duo difficilia.

28. DUÆ SPECIES DIFFICILES ET PERICULOSÆ MIHI APPARUERUNT; DIFFICILE EXUITUR NEGOTIANS A NEGLIGENTIA, ET NON JUSTIFICABITUR CAUPO A PECCATIS LABIORUM, — *q. d.* Duo genera officiorum, licet ex natura sua non mala, imo necessaria reipu-

blicæ difficilia tamen ad evadendum peccata, ideoque animæ periculosa mihi videntur.

Primum est negotiatio et mercatura, nam ἔμποροϛ, id est negotiator et mercator, difficile exuitur a negligentia; quia facile ob lucrum negligit fidem datam, justitiam, pietatem, cultum Dei, v. g. sacrum die festo, concionem, confessionem, communionem, etc. Mercatura enim totum hominem sibi vendicat, totam mentem occupat; unde nihil fere relinquit cogitationis vel temporis ad animam excolendam.

Secundum est cauponariæ sive tabernæ; caupo enim non justificabitur, id est non erit justus, hoc est, insons et immunis a peccatis labiorum; quia ut hospites ad se alliciat, ab iisque lucrum captet, multa mentitur, v. g. vinum suum esse Creticum vel Rhenanum, cum sit Cyprium vel Mosellanum; esculenta sua esse talis generis, cum sint alterius; lectos et linteamina esse lota et munda, cum sint illota et immunda, etc. Videre est in Italia caupones obviam prodeuntes viatoribus, iisque sua hospitia mire deprædicantes; quæ cum ingressi sunt, verba sibi data non raro experiuntur. Porro, elegantiæ causa duo hæc officia dividit, et cuique sui vitii periculum assignat. Alioqui sicut officium, sic et vitium et periculum utrumque, utrique est commune. Nam et caupo est negotiator, vendit enim sua vina, cibos et cœnas; ac proinde a negligentiæ vitio illi est periculum, æque ac negotiatori a peccatis labiorum. Sed, ut dixi, elegantiæ et rhythmi causa hæc dispertit, et suum cuique magis proclive et familiare attribuit. Hæc dicit, ut doceat mercatoriam et cauponariam esse artes periculosas, ideoque non facile capessendas, sed caute et cum magna animi in pietate, virtute et veritate obfirmatione; unde et Ecclesia utramque Ecclesiasticis prohibuit.

Nota: Τὸ *labiorum* non est in Græco; rursum pro *negligentia* græce est πλημμέλεια, quod Noster in *Levitico* vertit « delictum : » pro *peccatis*, græce est ἁμαρτία, quod Noster vertit « peccatum; » delictum autem est peccatum omissionis; peccatum vero est commissionis, juxta S. Augustinum, *Quæst.* XX *in Levit.*, et S. Gregorius, hom. 21 *in Ezechiel.* : « Hoc, ait, inter peccatum et delictum distat, quod peccatum est mala facere; delictum vero est bona derelinquere, quæ summopere tenenda sunt. » Sic ea hic accipit et distinguit Siracides (licet aliter ea accipiat Moses, uti dixi *Levit.* VII, vers. 1), *q. d.* Tam mercator quam caupo difficulter evadit peccata commissionis, et delicta omissionis; quia ob lucrum multas fraudes, mendacia, injustitias committit, quæ omittere deberet; ac vicissim multa officia divina, restitutiones, solutionem promissorum et debitorum, ac eleemosynas omittit, quæ committere et exercere deberet. Unde Tigurina vertit, *duo genera difficilia mihi et periculosa videntur, mercator vix evitabit delictum, et caupo culpa non vacaverit;* Syrus, *cum difficultate magna liberatur negotiator a peccatis; si non in hoc, sed in hoc offendit : caupo autem non justificatur a peccatis.*

Porro, Palacius negligentiam mercatoris aliter explicat : licet mercator, inquit, sit diligentissimus, difficile tamen evadit aliquam in mercando negligentiam. Aliquando enim ob multitudinem et varietatem mercium, non meminit quanti hæc aut illa merx constiterit, quantique vendenda sit. Aliquando obliviscitur ponderis, aliquando debitorum, aliquando creditorum.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sermonem in fine capitis inchoatum de mercatura prosequitur, docens lucri cupiditatem esse causam peccatorum. Mox, vers. 5, *tractat varia, præsertim de loquela, probatione, et linguæ moderatione; ac vers.* 17, *usque ad vers.* 25, *multis ostendit quam turpe sit revelare secretum. Inde ad finem docet quam detestabilis sit dolus et dolosi, ideoque malum quod aliis parant, in ipsosmet revolvendum, ut in suos auctores relabatur et recidat.*

1. Propter inopiam multi deliquerunt : et qui quærit locupletari, avertit oculum suum. 2. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum. 3. Conteretur cum delinquente delictum. 4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. 5. Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. 6. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. 7. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis. 8. Ante sermonem non laudes virum : hæc enim tentatio est hominum. 9. Si sequaris justitiam, apprehendes illam; et indues quasi poderem honoris

et inhabitabis cum ea, et proteget te in sempiternum, et in die agnitionis invenies firmamentum. 10. Volatilia ad sibi similia conveniunt : et veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur. 11. Leo venationi insidiatur semper : sic peccata operantibus iniquitates. 12. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur. 13. In medio insensatorum serva verbum tempori : in medio autem cogitantium assiduus esto. 14. Narratio peccantium odiosa, et risus illorum in deliciis peccati. 15. Loquela multum jurans, horripilationem capiti statuet : et irreverentia ipsius obturatio aurium. 16. Effusio sanguinis in rixa superborum : et maledictio illorum auditus gravis. 17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, et non invenict amicum ad animum suum. 18. Dilige proximum, et conjungere fide cum illo. 19. Quod si denudaveris absconsa illius, non persequeris post eum. 20. Sicut enim homo, qui perdit amicum suum, sic et qui perdit amicitiam proximi sui. 21. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, et non eum capies. 22. Non illum sequaris, quoniam longe abest : effugit enim quasi caprea de laqueo : quoniam vulnerata est anima ejus; 23. ultra eum non poteris colligare. Et maledicti est concordatio : 24. denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. 25. Annuens oculo fabricat iniqua, et nemo eum abjiciet : 26. in conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum, et super sermones tuos admirabitur : novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum. 27. Multa odivi, et non coæquavi ei, et Dominus odiet illum. 28. Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet : et plaga dolosa, dolosi dividet vulnera. 29. Et qui foveam fodit, incidet in eam : et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo : et qui laqueum alii ponit, peribit in illo. 30. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non agnoscet unde adveniat illi. 31. Illusio, et improperium superborum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi. 32. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum : dolor autem consumet illos antequam moriantur. 33. Ira et furor, utraque execrabilia sunt, et vir peccator continens erit illorum.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. PROPTER INOPIAM MULTI DELIQUERUNT : ET QUI QUÆRIT LOCUPLETARI, AVERTIT OCULUM SUUM, — a justitia et recto, a Deo, Deique lege. Explicat quod dixit in fine capitis præcedentis, difficile exuitur negotians avarus a neglectu rerum æternarum; quia ab eis ad lucrum oculos avertit. Sensus ergo est, *q. d.* Duo sunt scopuli in mari hujus sæculi, ad quorum alterutrum communiter allidunt et impingunt homines, ruuntque in peccatum et ruinam, scilicet opes et inopia. Inopes enim, ut inopiam præsentem vel imminentem fugiant, multas injustitias, artes, fraudes, mendacia, etc., concinnant; feminæ etiam ob pauperiem pudorem et corpus prostituunt : opulenti vero vel in re, vel in spe et voto, ut opes acquirant, conservent, augeant, Dei, conscientiæ, justitiæ, pietatis obliviscuntur, ab iisque avertunt oculum : quia eum convertunt ad lucrum qualibet ratione per fas et nefas captandum. Quocirca id prævidens Salomon, Deum obsecrat, dicens : « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. » *Prov.* XXX, 8. Hinc Silius, lib. XIII : « Scelèri, inquit, proclivis egestas. » Et Philemon apud Stobæum, *serm.* 94 : « Inopia, ait, prompta est in perpetrandis malis. » Quocirca cum Sergius Sulpitius Galba et Aurelius in senatu ambirent missionem in Hispaniam contra Viriatum, Scipio rogatus sententiam, dixit : « Neutrum mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil satis est. » Ita Valerius Maximus, lib. VI, cap. IV. Et Cicero : « Duæ, inquit, res sunt quæ homines ad turpe compendium movent, inopia et avaritia. » Suetonius scribit Domitianum Imperatorem per inopiam effectum rapacem. Sallustius in *Catilinar.* : « Omnes, inquit, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinæ proximi et familiares erant. » Lactantius, lib. *De Ira Dei*, cap. XX : « Multa sunt, inquit, quæ ad peccandum invitant, ætas, violentia, egestas. » Rursum Sallustius, in *Jugurtha* : « Egentissimo, inquit, omnia cum pretio honesta videntur. »

Pauperies, causa scelerum.

Gnoma.

Noster legit, χάριν ἐνδείας, id est *propter inopiam*; jam legunt, χάριν ἀδιαφόρου, id est *propter indifferens*, hoc est, « propter opes, multi deliquerunt : » nam, ut sequitur, « qui quærit locupletari, avertit oculum suum, » a lege et

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

virtute. Opes enim sunt res indifferentes, et τὰ τύχης; id est fortunæ bona, non virtutis, quibus proinde vel bene, vel male, pro libero voluntatis arbitrio uti possumus. Unde ex Græco sic vertas, *propter bona fortunæ multi peccant, et qui quærit abundare, avertit oculum*; Tigurina, *pervertit oculum suum* (id est *judicium et cogitationem*, ait Vatablus); Syrus, *multi peccaverunt, quia non est in eis timor* Dei, sed amor lucri, *et qui vult multiplicare peccata, avertit oculos suos* a Deo, cœlo et gehenna: uti fecerunt senes illi impudici insidiantes Susannæ, de quibus dicitur *Daniel.* cap. XIII, vers. 9 : « Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.» Omnis enim qui fornicari, rapere, occidere, aliterve peccare destinat, avertit oculos mentis suæ a Deo, cœlo, gehenna, æternitate: quia si hæc attente consideraret, eorum metu et timore adeo percelleretur, ut impossibile foret eum peccare. Eodem redit utraque lectio, quia fuga inopiæ fit propter amorem opum : quicumque ergo peccant propter inopiam, peccant pariter propter opes; ideo enim fraudant, pejerant, usuras exercent, etc., ut fugiant inopiam, et opes assequantur.

Avaritia est inopia mentis: cur?

Rursum, cupido opum, sive avaritia magna, est inopia mentis. Avarus enim esto sit dives, tamen se inopem putat, ideoque plura et plura semper desiderat. Talis erat Achab, rex Israel, qui postulans a Naboth vineam, ait : « Da mihi vineam tuam, et erit mihi in hortum olerum. » In quæ verba S. Ambrosius, lib. *De Naboth.* cap. II : « O dives, inquit, nescis quam pauper sis; et quam inops tibi ipsi videaris, qui te divitem dicis? Quanto plus habueris, plus requiris; et quanquam acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. » Et inferius id probat ex ipsius petitione : « Da mihi, inquit. Quæ alia vox egentis est? quæ vox alia stipem publice postulantis, nisi : Da mihi? hoc est, da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud vitæ subsidium habere non possum. Da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. Da mihi, quia tibi Dominus dedit unde largiri debeas; mihi non dedit. Da mihi, nisi tu dederis, habere non potero. Da mihi, quia scriptum est : Date eleemosynam. Hæc quam abjecta, quam vilia! non enim habent humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium. » Unde Aristides diviti cuidam paupertatem sibi objicienti : « Mihi quidem, inquit, nihil mali paupertas affert, tibi vero divitiæ non paucas perturbationes. » Ita Antonius in *Melissa*, part. I, cap. XXXIII. Et Diogenes pauperiem sibi exprobranti : «Infelix, ait, quid ais? at ego neminem vidi tyrannidem gerere propter paupertatem, omnes vero propter divitias. » Ita Stobæus, *serm.* 95.

Mystice.

Hinc mystice Rabanus : « Multi, inquit, per inopiam delinquunt, sed magis propter inopiam cordis (mentis et voluntatis constantis) quam corporis : quia multos viros sanctos pauperes rebus in hoc mundo legimus, divites autem in fide et virtutibus. »

Vers. 2 et 3.

2 et 3. SICUT IN MEDIO COMPAGINIS LAPIDUM PALUS FIGITUR, SIC ET INTER MEDIUM VENDITIONIS ET EMPTIONIS ANGUSTIABITUR PECCATUM (Ita Græca et Latina : unde perperam Rabanus, Lyranus et Jansenius legunt, *peccatis*; et alii perperam, pro *peccatum*, legunt *pretium*). CONTERETUR CUM DELINQUENTE DELICTUM. — Ita Romana. Alii, ut Jansenius, pro *delictum*, legunt *peccatum*. Sensus est, quasi dicat : Sicut palus, id est stipes vel baculus, inter medios lapides invicem conjunctos et compaginatos infixus, ab iis circumquaque quasi premitur et angustiatur : sic et peccatum quasi premitur et angustiatur inter vendentem et ementem, dum uterque alterum vult decipere, ac vendens mercem suam pluris vendere, emens vero minoris emere satagit; ideoque ille rem plus justo æstimat et laudat, hic deprimit et vituperat. Qua in re multa mendacia, fraudes, doli, perjuria, etc., committuntur : quare hac ratione inter hos duos peccatum et delictum quasi comprimitur et conteritur cum ipso peccante et delinquente. Ita Græca, quæ de more concisa sic habent, *inter compages lapidum figitur palus, et inter venditionem et emptionem conteritur peccatum*; Syrus, *inter petram et petram ingreditur palus, et in medio ementis et vendentis fortificantur peccata, q. d.* Sicut palus undique lapidibus cinctus, licet pressus, ab iis tamen roboratur et fortificatur : pari modo roborantur, augentur et multiplicantur peccata inter avaros ementes et vendentes. Tigurina, *ut fixus inter compages lapidum paxillus, peccatum inter venditionem urgetur et emptionem, delictumque cum delinquente consumetur.* Significatur ergo quod inter avaros ementes et vendentes pro avaritia sua certantes, peccatum ita angustietur, stringatur et concludatur, ut evadere non possit, quin ab utroque capiatur, occupetur et committatur : sicut ex adverso inter eosdem ita premitur veritas et justitia, ut comprimatur et opprimatur : perinde ac lepus undique canibus cinctus, ab iis premitur, capitur et devoratur. Quocirca justo Dei judicio «conteretur cum delinquente delictum;» vel a judice, qui damnum illatum a lædente resarciri jubebit; vel ab ipso emente vel vendente læso, qui dum fraudem sentit et damnum, illud sibi reparari curabit; vel ab ipso Deo, qui omnis injustitiæ et doli justus est vindex. Dum igitur contendit mercator dolos inserere inter emptionem et venditionem, contendit pariter Deus eum cum suis dolis conterere. Quod ita esse docet experientia. Ita Palacius, sic et Lyranus. Nam in morte, inquit, conteritur peccator, et actus peccandi terminatur, quia tunc cessat tempus merendi et demerendi.

Inter ementes et vendentes arctatur peccatum.

Hoc est quod Tyro, emporio mercatorum cele-

berrimo, objicit Ezechiel cap. XXVIII, vers. 16 : « In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti; » hebraice, *multitudines negotiationis tuæ repleverunt cor tuum iniquitate*. Nonnulli probabiliter censent hic alludi ad palum, in quem quasi scopum sagittarii sagittas et tela sua collimant, ut eum configant. Sic enim olim Romani milites et tirones, cum ad pugnam exercebantur, palum figebant, in eumque hastas et jacula facto impetu jaciebant; itaque discebant directe jaculari, pugnare et confligere, teste Vegetio, lib. II, cap. XXIII, et lib. I, cap. XI, ac Polybio, lib. XVII. Sicut enim hic palus, utpote inter lapides fixus, evadere nequit, quin a jaculatoribus multis jaculis configatur, adeo ut iis oppletus vix locum liberum habeat, quo plura recipiat : sic pariter ementes et vendentes tot mendacibus et fraudulentis contractibus, promissis, assertionibus, quasi jaculis configunt palum peccati, studio lucri, ut iis vix quidquam addi queat.

Alii per *palum* accipiunt paxillum, ex quo situlæ, lebetes, cacabi, cæteraque vasa suspenduntur, *Isaiæ* cap. XXII, 23, *q. d.* Contractus ementium et vendentium quasi palus inter utrosque medius, tot oneratur peccatis, ut angustus appareat, utpote e quo tot scelerum quasi vasa dependeant.

Tropologice, palus est cupiditas ditescendi. In hanc enim, puta in animum lucro inhiantem, dæmones toto agmine incurrunt, totque eum peccatorum jaculis configunt, ut oppleant et obruant. Ita Anacharsis, apud Laertium, ait : « Forum venalitium esse locum impostorum, utpote destinatum ad fallendum invicem. » Quocirca Athenienses lege caverunt, « ut in foro rerum venalium mendacium omne abesset, » nimirum ἐν ἀγορᾷ ψεύδεσθαι, teste Theophrasto, lib. *De Legibus*. Hinc philosophi et Patres toties taxant mercaturam, hoc est vitia fraudesque mercatorum. Vide S. Ambrosium, I *Offic.* cap. XLIX; S. Augustinum, in *Psal.* XVIII et LXX; S. Chrysostomum, lib. II *De Compunct.*; Platonem, lib. *De Legib.*; Aristotelem, lib. III *Polit.* cap. III, et lib. VII, cap. IX; Valerium Maximum, lib. III, cap. III, Philostratum, lib. IV et VIII.

Hic ergo verum est illud Jeremiæ, *Thren.* III, 12 : « Posuit me quasi signum ad sagittam : misit in renibus meis filias pharetræ suæ. » Ideo enim Christus in cruce fuit quasi scopus, in quem Judæi omne suum verberum et verborum virus ejaculati sunt; quia peccatores, præsertim mercatores, tot scelerum jaculis animas suas confixerant : hæc enim in se luenda et expianda suscepit Christus.

Huc facit quod ait Hugo Victorinus, lib. II *Erudit. didascal.* cap. XXIV : Mercatoribus « eloquentia maxime necessaria est. Unde et is qui facundiæ præest, dicitur Mercurius, quasi mercatorum κύριος, id est dominus; » licet alii aliud aptius Mercurii dent etymon.

Mimi leges. Hanc sententiam illustret factum et dictum mimi, quod recenset S. Augustinus, lib. XIII *De Trinit.* cap. III : « Unde, inquit, illa cujusdam mimi facetissima prædicatur urbanitas; qui cum se promisisset in theatro quid in animo haberent, et quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum ingenti exspectatione major multitudo confluerel, suspensis et silentibus omnibus dixisse perhibetur : Vili vultis emere, et caro vendere. In quo dicto levissimi scenici omnes tamen conscientias invenerunt suas, eique vera ante oculos omnium constituta, et tamen improvisa, dicenti admirabili favore plauserunt. » Idem tamen ab hac universali sententia nonnullos excipit : « Nam scio, inquit, hominem, cum venalis codex ei fuisset oblatus, pretiique ejus ignarum, et ideo quiddam exiguum poscentem cerneret venditorem, justum pretium, quod multo amplius erat, nec opinanti dedisse. »

Denique, audi hanc sententiam Siracidis pertractantem Auctorem *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, hom. 38 in illud *S. Matth.* cap. XXI : *Ejiciebat vendentes et ementes de templo*. « Significat, inquit, quia homo mercator vix aut nunquam potest Deo placere. Et ideo nullus christianus debet esse mercator : aut si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia Dei, dicente Propheta : Quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini. Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens et se commendare, sine maliloquio non potest esse : necesse est enim ut et isti male loquatur de illo, et illi male loquatur de isto; sic qui emit et vendit, sine mendacio et perjurio esse non potest : necesse est enim ut de negotiatoribus hic juret, quia non tantum valet res, quantum comparat eam; et ille juret, quia plus valet res quam vendit. Sed nec est stabilis substantia eorum. Talium enim substantia aut ipsis viventibus peritura est, aut a malis hæredibus dissipanda est, aut ad extraneos et inimicos hæreditas ipsorum ventura est. Non potest ad bonum proficere, quod congregatur de malo. Quemadmodum si triticum, aut aliquam bladi speciem, cernas in cribro, dum huc illucque jactas eam, grana omnia paulatim deorsum cadunt, et in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum : sic et substantia negotiatorum dum vadunt et veniunt, inter emptionem et venditionem minuitur, et in novissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum. »

Mercatura habet pericula salutis.

Ubi adverte, in Auctore *Imperfecti* nonnullos contineri errores. Talis est quod initio dicit mercatorem vix aut nunquam posse Deo placere, et ideo christianum nullum debere esse mercatorem, licet S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXVII, art. 4, eum excuset dicendo quod loquatur de eo qui finem ultimum in lucro constituit, paratus pejerare, fraudare, usuras exercere, etc., ut lucretur : sic et eum excusat noster Lessius, lib. II *De Justitia*, cap. XXI, dub. 1, num. 4. Rursum nota, pro eo quod, *Psal.* LXX, 16, legimus : « Quoniam non cognovi γραμματείας, id est litteraturam, introibo in potentias Domini, » S. Chrysostomus, S. Augus-

tinus, Arnobius, Cassiodorus et alii legunt πραγματείας, id est *negotiationem*; ac hebraice ספורות *sephorot*, significat non tantum litteras, sed et numerationem ac computum, qualis est mercatorum, *q. d.* David: Quoniam non cognovi negotiationem, vel etiam negotia hujus sæculi, quæ mentem a Deo distrahunt, et terræ lucroque affigunt, idcirco accedam ad celebrandam Dei potentiam et misericordiam erga me. Quare isto loco non damnatur mercatura, sed vitia mercaturæ, qualia sunt eorum qui plus mercem quam fidem diligunt. Quod mercatorum, non mercaturæ est vitium, ut ibidem docet S. Augustinus. Aut potius non damnatur mercatura et negotium, sed illi sanctum piumque orandi, Deumque laudandi præfertur otium. Sic et Cassiodorus, in *Psalm.* LXX: « Negotiatores, inquit, illi abominabiles existimantur, qui justitiam Dei minime considerantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluunt merces suas plus perjuriis quam pretiis. Tales ejecit Dominus de templo, dicens: Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. »

Vers. 4. 4. SI NON IN TIMORE DOMINI TENUERIS TE INSTANTER, CITO SUBVERTETUR DOMUS TUA. — Hæc sententia generalis ubique locum habet; hic tamen spectat ad avaros ementes et vendentes, *q. d.* Hi avari, si in emptionibus et venditionibus timorem Dei non servaverint, eoque avaritiam suam refrenarint, cito videbunt subverti suam domum, familiam et substantiam, quam suis dolis ædificarunt. Igitur avaritia est quæ hominem avarum in ruinam et exitium agit: hujus remedium est timor Dei, qui avarum se præcipitantem a præcipitio cohibet et refrenat. Unde Græca habent, *nisi quis in timore Domini se continuerit studiose, citò subvertetur ejus domus;* Tigurina, *nisi quis religionem Domini studiose tenuerit, brevi evertetur domus ejus;* Syrus, *fili mi, si contra timorem Dei prævaricatus fueris paululum, tempore multo deficies.* Unde Gabriel Vasquez, I II, tom. II, disp. 196, cap. IV: « Hac sententia, inquit, monet Siracides mercatores, ut cum timore Dei negotientur, emant et vendant. »

Tropologice Lyranus. Si, inquit, non tenueris te in timore Dei instanter, cito subvertetur ædificium virtutum propter pronitatem ad malum, juxta illud *Genes.* VIII: « Sensus et cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia sua. » Est enim homo sicut navis in flumine deorsum currente; quæ nisi fortiter sursum impellatur, seu detineatur, statim descendit per impetum fluminis: sic homo facile labitur ad vitia, nisi fortiter per timorem Dei, quasi funem vel remulcum, se teneat contra impulsum fomitis. Hucusque Lyranus. Et S. Bernardus, serm. 2 *De Donis Spiritus Sancti*, cap. I: « Omne namque, inquit, virtutum ædificium illico vergit in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidium. » Quin et Comicus: « Animus, inquit, qui vereri scit, scit tuto ingredi. » Et Plinius, lib. VII, *epist.* 17: « Timor est emendator acerrimus. » Et alius: « Quem non corrigit pudor, emendat timor. »

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA DOCET HOMINEM COGNOSCI EX TRIBUS: PRIMO, EX COGITATIONE; SECUNDO, EX TRIBULATIONE; TERTIO ET MAXIME, EX SERMONE: SAPIENS ENIM LOQUITUR SAPIENTIA ET SANCTA, INSIPIENS STULTA ET IMPIA.

Vers. 5. 5. SICUT IN PERCUSSURA (S. Augustinus in *Speculo*, legit, *in pertusura*, id est in foraminibus pertusis, sive in ocellis) CRIBRI REMANEBIT PULVIS, SIC APORIA HOMINIS IN COGITATU ILLIUS. — *Primo*, Palacius hanc sententiam refert ad præcedentem, quasi eam explicet, hoc sensu, *q. d.* Femina concutiens cribrum, invenit post concussionem furfures et quisquilias: ita vir, si cogitaverit se, si excusserit se, post examen hoc inveniet miseriam et egestatem, imo quid non mali reperiet? Si tu tibi places, si nimis te æstimas, id facis quia te non concussisti, non examinasti: excute te, et farina bonorum tuorum cadente, nihil nisi furfures et miseriam invenies: est enim universa vanitas omnis homo vivens, est omnis caro fœnum: pulvis est, et in pulverem revertetur.

Secundo, Rabanus: Convenienti, inquit, exemplo ostendit timorem Dei purgare animam hominis. Sicut enim cribrum purgamenta colligit, et grana a paleis secernit: ita timor Dei per *aporiam*, id est curam et angorem animi, omnes sordidas cogitationes a corde expellit.

Tertio, melius alii censent hic disparatam et novam esse sententiam de ærumnis, quæ hominis mentem et cogitationem affligunt, *q. d.* Sicut dum percutitur, agitatur, concutitur cribrum, farina per foramina delabitur, in cribro vero remanet pulvis, puta furfures et sordes: sic cum mens hominis agitatur et concutitur variis cogitationibus, instar cribri (hinc *cribrum* dicitur quasi *curri-frugum*, quod in eo currat frumentum, ait S. Isidorus, lib. XX *Originum*, cap. VIII), præsertim dum est in afflictione et tribulatione; sæpe bonæ et lætæ cogitationes dilabuntur, ac post omnem mentis agitationem in ea nil remanet nisi aporia, id est animi perplexitas, anxietas et mœstitia, *q. d.* Hæc est naturalis hominis et mentis infirmitas, ut bona et læta dimittat, mala et tristia retineat: cum potius, ex adverso, oporteret dimittere furfures, id est abjicere tristia, ac retinere fari-

nam, id est mentem occupare cogitationibus rebusque lætis, quæ præcesserunt, vel sequentur. Vere Plutarchus, lib. *De Tranquillitate animi* : « Sicut, inquit, cucurbitæ medicinales teterrimum sanguinem ex carne eliciunt : sic tu pessima quæque (cum ærumnoso et afflicto loquitur) tuorum in te congeris, nihilo illo Chio negotiatore melior, qui cum vinum optimum venderet, ipse sibi acidum comparabat. » Solent enim melancholici, pusillanimes, tristes, afflicti mentem affigere cogitationibus sui similibus, scilicet mœstis, timidis, funestis, diffidentibus, quas suggerit tristitia, qua pleni sunt, ac lætas bonæque spei plenas dimittere, imo repellere quasi a se alienas, sibique incongruas et invisas.

Nota : Pro *pulvis* græce est κοπρία, id est fimus, stercus, fæces, sordes. Rursum, pro *aporia* Complutens. habent σκῦλα, id est spolia : unde vertunt, *in concussione cribri permanent stercora : sic spolia hominis in cogitatione illius.* Romana vero legunt σκύβαλα, id est rejectamenta, sordes, quisquiliæ, uti dixi cap. præced. vers. 26 : unde vertunt, *in percussura cribri remanet fimus, sic quisquiliæ hominis in cogitatione ejus;* Tigurina, *ut sordes in excusso cribro remanent, ita spurcitias hominis discernit ratio,* vel *cogitatio.* Noster videtur inverse legisse, scilicet priore loco σκῦλα, id est spolia, id est pulvis et furfures, quibus in cribri agitatione expoliatur triticum et farina : posteriore vero loco pro κοπρία (uti jam legunt), legisse ἀπορία. Quæ sane lectio commodior et concinnior est, ut patet intuenti. Ἀπορία autem Græcis duo significat, *primo,* inopiam, penuriam, indigentiam ; *secundo,* ambiguitatem, difficultatem, anxietatem, diffidentiam, perplexitatem, desperationem, quæ est mentis, consilii et spei inopia : ἀπορέω enim est ambigo, dubito, hæreo, animi pendeo, consilii inops sum, deficio, angor, perplexus sum. Sic Apostolus ait, II *Cor.* IV, 8 : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur (id est perplexi sumus), sed non destituimur. » Utroque modo hic *aporia* accipi potest, sed magis posteriore. Syrus, pro cribri pulvere aliam similitudinem fumi ignis substituens, sic vertit, *sicut multus fumus supra ignem, ita narrationes hominum supra cogitationem, q. d.* Sicut ignis ollam sibi suppositam agitans et calefaciens, multos excitat vapores et fumos : sic mens hominis multa audita, visa, cogitata mente et cogitatione versans, multa cogitat et comminiscitur; quæ aliis deinde enarrans, vanas narrationes et rumores spargit in vulgus.

Ἀπορία. quid?

Tropologice Lyranus. Sicut in cribro, inquit, remanent festucæ, lapilli, quisquiliæ aliæque res inutiles : sic post actum peccati remanet in cogitatione peccatoris aporia, id est angustia et remorsus peccati, qui dicitur vermis conscientiæ, qui jugiter peccatorem cruciat, mordet et torquet.

Vers. 6. 6. VASA FIGULI PROBAT FORNAX, ET HOMINES JUSTOS TENTATIO TRIBULATIONIS. — *Justos* jam non est in Græco. Rursum, pro *tribulationis* græce est διαλογισμός, id est disputatio, disceptatio, ratiocinatio, sermocinatio, collocutio, consultatio : item cogitatio, conceptus, sensus animi, propositum, voluntas. Unde Complutensia vertunt, *vasa figuli probat fornax, et tentatio hominis in cogitatione illius,* quasi dicat : Sicut fornax probat vasa figuli, sic cogitatio probat qualis sit homo : doctus enim cogitat docta, sanctus sancta, castus casta, cœlestis cœlestia, carnalis carnalia, stultus stulta, spurcus spurca, superbus superba, etc. Vis ergo scire qualis sis, ubi sit amor tuus, quid ames? vide quid crebro cogites : hoc ipsum enim amas, ubi enim est amor, ibi est et mens, æque ac oculus. Romana vertunt, *vasa figuli probat fornax, et tentatio* (id est, ut alii vertunt, *probatio et exploratio*) *hominis in sermocinatione ejus, q. d.* Sicut fornax probat vas, sic sermo probat, explorat et ostendit quale sit cor hominis. Ex corde enim sermo promanat, sicut radius a sole. Hæc versio congruit cum versu seq. Tigurina vertit, *fornax exercet vasa figuli, sed hominem probat ratio* vel *cogitatio hominis, q. d.* Rationalem probat ratio, cogitantem cogitatio. Vis ergo cognoscere qualis in hoc homine sit anima rationalis, qualis mens? explora qualis sit ejus ratio, cogitatio, discursus. Hi enim quatuor versus in Græco singuli habent λογισμὸν vel διαλογισμὸν, id est rationem et sermonem, eumque cordis probationem indicemque constituunt.

Noster, pro διαλογισμός, videtur legisse θλίψεως, id est tribulationis. Itaque legit S. Augustinus in *Speculo,* S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovin.*, cujus verba recitantur de pœnitentia, dist. 2, cap. *Si enim,* § *Liberi arbitrii.* Sensus ergo est, *q. d.* Sicut ignis in fornace coquens et consolidans vasa testea a figulo efficta, probat ea, et ostendit an recte ab eo efficta sint, necne : nam quæ recte temperata et conglutinata sunt, in igne perdurant, eoque consolidantur ; quæ vero secus, rumpuntur et dissiliunt : sic pariter tentatio et tribulatio probat et ostendit qualis sit justus. Qui enim in tentatione constantes perdurant, ostendunt se in justitia esse fundatos et firmatos ; qui vero in ea animo cadunt, ostendunt se in justitia non esse stabiles, sed leves et inconstantes ; quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt, ait Christus, *Luc.* VIII. Significat hæc sententia nos luteos esse et quasi lutum in manu figuli, puta Dei ; ideoque instar vasorum luteorum ab eo igne tribulationis excoqui, ut eo tum purgemur, tum probemur, tum in virtute solidemur, sicut vas luteum ab igne soliditatem accipit. Alludit ad *Sap.* III, 6 : « Tanquam aurum in fornace probavit illos. » Et *Malach.* XXXII : « Ipse quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum : et sedebit conflans, et mundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum. » Et *Psal.* XVI, 3 : « Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. » Nam, ut ait Paulus, *Rom.* V, 3 : « Tribulatio patientiam

operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. »

Tribulatio est probatio. Hinc disce tribulationem et tentationem non aliud esse quam πειρασμὸν, id est probationem et experimentum, qua Deus cujusque fidem, constantiam, virtutem probat, experitur et explorat, juxta illud Mosis : « Tentat vos Dominus, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde, et in tota anima vestra, » *Deut.* XIII, 3. Audi S. Bernardum, tract. *De Gradibus humilitatis*, in nono : « Vasa figuli, inquit, probat fornax, et tribulatio vere pœnitentes discernit. Qui enim veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret; sed quidquid sibi pro culpa, quam odit, injungitur, tacita conscientia patienter amplectitur. In ipsa quoque obedientia duris ac contrariis rebus obortis, quibuslibet irrogatis injuriis, sustinens non lacessitur, ut in quarto gradu se stare judicet humilitatis. Cujus vero simulata confessio est, una vel levi contumelia, aut exigua pœna interrogatus, jam humilitatem simulare, jam simulationem dissimulare non potest. Murmurat, frendet, irascitur, nec in quarto stare humilitatis, sed in nonum superbiæ gradum corruisse probatur, qui secundum quod descriptus est, recte simulata confessio appellari potest. Quanta putas tunc confusio sit in corde superbi, cum fraus decipitur, pax amittitur, laus minuitur, nec culpa diluitur? Tandem notatur ab omnibus, judicatur ab omnibus, eoque vehementius omnes indignantur, quo falsum conspiciunt quidquid de eo prius opinabantur. Tunc opus est prælato, ut eo minus illi parcendum putet, quo magis omnes offenderet, si uni parceret. »

Nota : Tribulatio sicut est fornax crucians, probans et purgans animas a Deo electas; sic est et annulus, quo easdem velut sponsas Christus despondet. Hoc annulo Christus tangens oculum S. Gertrudis, perpetuum dolorem illi inflixit : unde didicit quod, sicut annulus signum est conjugii, sic adversitas certum sit signum et arrha divinæ electionis, ut per eam anima quasi conjugium ineat cum Christo, adeo ut quisque tribulatus et afflictus possit dicere cum S. Agnete : « Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, et tanquam sponsam decoravit me corona. » Hæc ad verbum habet *Vita S. Gertrudis*, lib. III, cap. II. Ad hanc gnomen spectat illa S. Ephrem, tract. *De Timore Dei* : « Multi habitu monachi, at pauci certatores; tempore autem tentationis monachi probatio apparet. »

Plura de hac tentatione et probatione tribulationis dixi cap. II, vers. 8. Hinc collige tentationem tribulationis non esse fugiendam, sed potius ambiendam justo. Nonne vasa figuli bene temperata, si sentire, concupiscere et loqui possent, dicerent se ignem fornacis expetere, ut eo coquerentur et solidarentur? Ita et justi, Dei gratia suffulti, flammam tribulationis expetunt, quæ in eis quidquid impurum est excoquat, eosque in virtute solidet et perficiat. Id sciebat David; unde orat *Psal.* XXV : « Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos et cor meum. » Patientia adversis roboratur. Præclare S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 23 : « Philosophicus, inquit, animus ex eo quod passus est, generosior redditur, atque ut candens ferrum frigida aspersione, ita periculis obdurescit, » ut de illo illud Horatianum recte usurpes :

> Duris ut ilex tonsa bipennibus,
> Nigræ feraci frondis in Algido,
> Per damna, per cædes ab ipso
> Ducit opes animumque ferro.

Et S. Basilius, orat. 11 *De Patientia et tolerantia* : « Ut gubernatorem navis, inquit, tempestas, athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas, sic christianum hominem tentatio probat. Et sicut athletas certaminum labores coronis ad se alliciunt, ita etiam homines christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si modo cum decenti tolerantia, ac omni gratiarum actione ea quæ a Domino ordinantur, susceperimus. » Quin et Plinius Trajano consuli, cap. XXXI : « Adversa, inquit, magnos, læta felices probant. »

Exempla. Exemplum illustre est in Vita S. Litifredi, Episcopi Ticinensis, sub annum Domini 850, qui singulari patientia enituit. Nam, ut scribit Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ, in ejus Vita, etiamsi illatas injurias absque charitatis detrimento ulcisci potuisset; nolebat tamen, illud Apostoli usurpans : « Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones : » Quin etiam contumelias a vilibus personis æquo animo tolerabat, et familiari suo, verba indigna a quodam in eum prolata indigne ferenti, et ut injuriam pro officii sui dignitate vindicaret suadenti, quod boni malis justa animadversione correptis quietiores degunt; S. Episcopus respondit : « Præstare, ut boni a malis exerceantur; nec malorum mortem a bonis optandam esse. Ut enim aurum igne probatur, sic boni ex malorum persecutione perfectiores evadunt. » Quare miraculis clarus effulsit, quæ ex historia Papiensi et aliis idem Ferrarius recenset.

Exempla e S. Scriptura dat S. Augustinus, serm. 82 *De Tempore*, Jacob et Joseph patriarchas. Quærens enim cur Deus Jacob per 30 annos, quibus Joseph fuit in vicina Ægypto, ejus rei ignoratione torqueri permiserit (putabat enim eum esse mortuum), respondet : « Quia ergo sine istis minutis peccatis Jacob esse non potuit, volens Deus ipsa parva peccata in hoc sæculo tribulationis igne consumere, implet in eo quod ipse per Spiritum Sanctum dixit : Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Et illud : Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et illud : Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Ut ergo S. Jacob Deus noster velut aurum purgatum in futuro judicio

præsentaret, prius ab illo omnes maculas peccatorum abstersit, ut in eo ignis ille arbiter quod exureret, invenire non posset. » Adducit deinde ipsummet Joseph, causamque ejus biennalis carceris hanc assignat; quod scilicet magis in homine quam in Deo sperarit, dum a principe pincernarum petiit, ut a Pharaone sui liberationem impetraret. « Tanquam diceret ei Deus, inquit : Ego tibi ostendo, ut magis a me quam ab homine debeas auxilium postulare. Sine ulla enim dubitatione credendum est, quod pro castigatione S. Joseqh non permisit Deus magistrum pincernarum, ut in mente haberet, quod ei S. Joseph, quando de carcere dimissus est, supplicaverat. Et quia etiam et ipse Joseph, quamvis sanctus tunc, sine peccato esse non poterat, ideo tanto tempore fuit in carcere clausus, ut in eo impleretur quod scriptum est : Ego quos amo, arguo; et quos diligo, castigo. »

Joseph in carcere mansit, quia speravit in pincerna.

Vers. 7. 7. SICUT RUSTICATIO DE LIGNO OSTENDIT FRUCTUM ILLIUS, SIC VERBUM EX COGITATU CORDIS HOMINIS. — Ita Romana et Complutensia Latina, licet S. Augustinus, in *Speculo*, legat, « ex cogitatu hominis cordis, » id est cordati; alii legunt : *sic verbum excogitatum hominis cor*, scilicet, ostendit. Ita Rabanus. Sic et Græca Romæ correcta, *culturam ligni*, inquiunt, *ostendit fructus ipsius : sic verbum excogitatum cor hominis*; Græca vero Complutensia, *culturam ligni*, inquiunt, *ostendit fructus illius : sic locutio cogitationis in corde hominis*; alii, *sic sermo cogitationis cordis hominis*, id est sermo manans ex cogitatione cordis hominis; Tigurina, *ut cultura arboris fructus ejus indicat, ita corda hominum* (indicat) *meditata ratio*, vel cogitatio. Græce enim legitur λόγος, id est ratio aut sermo, vel λογισμός, id est cogitatio, ratiocinatio; Syrus, *sicut cultura arboris facit fructus ejus, ita cogitationes hominum super meditationes eorum.*

Omnes hæ lectiones et versiones eodem redeunt. Sensus enim est, *q. d.* Sicut rusticatio, id est rustica agricolatio et cultura arboris ostendit fructum arboris, et ex fructu consequente qualis sit arbor : ita pariter verbum prolatum ex cogitata et meditatione cordis hominis, ostendit fructum cordis, et per consequens, quale sit cor. Porro, sicut fructus non tantum ostendit qualis sit arbor, sed et qualiter a rustico fuerit exculta : ita pariter verbum et sermo non tantum ostendit quale sit cor, sed et qualiter sit excultum. Hoc enim significant Græca jam citata, et sic Latinam versionem intelligit Hugo per hypallagen, *q. d.* Rusticationem de ligno, id est ligni, ostendit fructus illius. Idipsum est quod ait Christus, *Matth.* XII, 33 : « Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam, et fructum ejus malum; siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de thesauro profert bona : et malus homo de thesauro (cordis sui) profert mala. » Ita Rabanus, et Palacius : Bona, inquit, et diligens arboris cultura in lucem profert bonum ejus fructum : ita bona et diligens cogitationis cordis nostri cultura bonum verbum profert : ut contra, arbor neglecta profert sterilem fructum; et cogitatio neglecta, verba aut mala, aut stulta : est enim cordis et oris consensus. Per os pronuntiabis de corde.

Dicit : « ex cogitatu, » quia sermo prolatus ex prævia cogitatione et præmeditatione indicat cordis statum et habitum, non autem sermo impræmeditatus, qui ex subita cholera, tristitia, aliave passione profertur : illum enim extorquet passio, non autem e thesauro suo promit elicitum cor. Unde aliqui ex Græco vertunt, *sicut culturam ligni ostendit fructus illius, ita animum hominis meditatus sermo declarat* Et codex Latinus Leodiensis, citatus a Francisco Luca, sic legit : « Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum excogitatus (id est cogitationis et meditationis) cordis hominis, » scilicet illud ipsum cor ostendit et pandit : quamvis non raro verba subita, si crebra sint, indicent habitum mentis etiam sopitæ, alienatæ aut dormientis. Sic enim S. Franciscus Xaverius etiam dormiens, aut phrenesi correptus, eructabat pia cum Christo colloquia, dicendo : « Mi Jesu, bone Jesu, Jesu amor mi; » quia cor ejus plenum erat, imo ardebat amore Jesu : unde et de eo somnians loquebatur, ac delirans non aliud corde et ore eructabat.

Moraliter, hinc disce cor nostrum egere cultura, ut eget ager. Rursum, primum cordis fructum esse cogitationem, secundum sermonem. Ut ergo correcta, casta et sancta loquatur, eadem crebro cogitet et meditetur; ut illa crebro cogitet, cor castitate et sanctitate plane imbuat : sicut enim corpus balsamo imbutum, spirat balsamum, ita cor sanctitate imbutum Deoque plenum, non nisi sanctitatem et Deum spirat: perinde ac vasa vino referta, non nisi odorem vini exhalant, et stomachus succum cibi delicati, quo plenus est, eructat. Vox ergo est interpres mentis, et index personæ; unde Isaac Jacobum filium ex sola voce agnovit, et ab Esau discrevit. Idipsum docet Christus verbis paulo ante citatis. Quin et philosophi. Chrysippus rogatus : « Quid esset mens hominis : Sermonis fontem esse, » respondit : « Sicut enim rivuli ex fonte fluunt, sic sermo ex corde et mente hominis procedit. » Ita Stobæus, *serm.* 1. Alius : « Ex voce agnoscimus hominem facie non conspecta; nam sua cuique vox : ita ex oratione licet mentem et vitam hominis conjectare. » Et : « Sicut Protogenes pictor Apellem ex unica linea cognovit, nunquam alioqui visum : ita ex unico responso ingenium et prudentiam viri deprehendet qui sit ipse sapiens. » Plures recitabo vers. seq.

Sermo est index mentis.

Vers. 8. 8. ANTE SERMONEM NON LAUDES VIRUM : HÆC ENIM TENTATIO EST HOMINUM. — *Tentatio*, græce πειρασμός, id est probatio et exploratio hominum, *q. d.* Vera ratio explorandi mentem, ingenium et indolem hominis, est loquela : antequam ergo quem loquentem audieris, noli de eo ejusque indole ferre judicium. Nam ut cote exploratur aurum, ita sermone vir, præsertim familiari et crebro vel assiduo. Multi enim ad horam sermonem fingunt vel componunt, ut indolem præclaram simulent, ac pravam dissimulent. Pro *sermonem* græce est λογισμὸς, id est consideratio, cogitatio, ratio, intellectus : unde Tigurina vertit, *ne laudes quemquam ante rationem initam* (Vatablus, *ante perpensam cogitationem*) ; *hæc enim hominum probatio est*, *q. d.* Ne laudes quemquam antequam eum consideres, ejusque sermones, vultum et mores tecum exacte perpendas : quia hæc consideratio homini data est pro examine et trutina, qua homines resque omnes probet, examinet et exploret. Verum Siracides λογισμόν sumit pro λόγου, id est sermone, uti vertunt Complutensia Romana et cæteri : aut certe pro διαλογισμοῦ, id est ratiocinatione, disputatione, discursu. Ex discursu enim optime mens cujusque cognoscitur : vultus enim sæpe mendax est, æque ac statura et forma corporis. Multi enim vultu, statura et forma sunt insigni, qui ingenium habent obtusum, judicium exiguum, mentem depressam. Ex adverso, multi staturam habent exiguam, vultum obscurum, formam deformem, qui tamen animos habent magnos, ingenium acre, prudentiam eximiam; qualem fuisse Socratem narrat Laertius. Sermo autem animi est index : os enim cordis est fibula, imo janua : cor enim per os suos affectus enuntiat, prodit et pandit. Os ergo est imago et speculum cordis : sicut enim verbum mentis est imago et speculum mentis (unde Dei Filius, qui est Verbum mentis Patris, vocatur « Patris imago, » *Coloss.* I, vers. 15) : sic pariter verbum oris est speculum et imago verbi mentis. In eo ergo velut in speculo intuere mentem, et sensum mentis cujusque.

Veterum gnomæ, quod os sit speculum cordis.

Multis veterum gnomis id probat Maximus, *serm.* 15. Solon, inquit, dicebat, « sermonem esse operum simulacrum » (sic et Democritus λόγον vocabat εἴδωλον τοῦ βίου). Romulus aiebat : « Vasa fictilia sono et percussu, hominem vero sermone explorandum esse. » Cenopidas asserebat, qualis cujusque esset natura, talem quoque esse orationem. Demonax dicere solebat : « In speculis vultus figuram, in colloquiis autem naturam et mentis imaginem cerni posse. Sermonem enim esse quasi figulum hominis, qui animi formam effingat et proferat. Nullo enim in speculo melius expressiusque relucet figura corporis, quam in oratione pectoris imago repræsentatur : » hæc Maximus. Socratis, teste Cicerone, *Tusculan.* V, axioma erat : « Qualis homo est, talis etiam erit ejus oratio; orationi autem facta simillima, factis vitam. » Idem, cum dives quidam filium ad se misisset, ut indolem ejus inspiceret, ac pædagogus diceret : « Pater, ad te, o Socrates, misit filium, ut eum videres; » tum Socrates ad puerum : « Loquere igitur, adolescens, ut te videamus; » significans ingenium hominis non tam in vultu relucere, quam in oratione ; quod hæc sit certissimum minimeque mendax animi speculum.

Vers. 9. 9. SI SEQUARIS JUSTITIAM, APPREHENDES ILLAM; ET INDUES QUASI PODEREM (perperam in *Speculo* S. Augustini legitur *pudorem*) HONORIS ET INHABITABIS CUM EA, ET PROTEGET TE IN SEMPITERNUM, ET IN DIE AGNITIONIS INVENIES FIRMAMENTUM. — Græca, de more concisa, hæc tantum habent, *si sequaris justitiam, apprehendes ipsam, et indues eam, ut talarem tunicam gloriæ* ; Syrus, *si quæsieris veritatem, invenies eam, et indues eam sicut vestem gloriæ*; Tigurina, *si secteris justitiam, assequeris eam, et tanquam togam honorificam indues.* Deinde ex Latina Vulgata addit, *cum hac habitabis, quæ te protegat in æternum, ut tempore inquisitionis invenias firmamentum.* Pro *sequaris* græce est διώκῃς, id est persequaris, eo scilicet studio, velocitate, conatu, contentione, constantia, quo canis insequitur leporem, nec cessat, donec eum capiat et comprehendat. Simili enim modo sequi et persequi debemus justitiam, ac dicere cum Apostolo : « Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu, » *Philip.* cap. III, 13.

Pro *justitiam* græce est τὸ δίκαιον, id est justum, puta opera justa et sancta, quæ te justum sanctumque efficiant, ac justitia habituali vestiant et ornent. *Justitia* ergo hic generalis intelligitur, quæ est complexio virtutum omnium, in qua fidelium sanctitas et perfectio consistit. *Poderis* est tunica talaris, ita dicta, quod a collo usque ad πόδας, id est pedes et talos, sit demissa, quæ proinde totum hominis corpus ambit, vestit, protegit, ornat et decorat. Unde talari vestiuntur doctores, senatores, magistratus, ac præ omnibus sacerdotes. Poderis enim erat vestis Aaronis et pontificum, de qua dicitur *Sap.* XVIII, vers. 24 : « In veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum : et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta. » Vide ea quæ dixi *Exodi* XXVIII, 6. Igitur significat, quod justitia sit quasi sacra poderis ornans justum, eumque quasi consecrans sacerdotem, juxta illud S. Petri, *epist.* I, cap. II, 9 : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. » Justitia ergo est poderis, justum efficiens, creansque doctorem, senatorem, sacerdotem et pontificem curiæ cœlestis.

Porro, *justitia* duplici podere nos vestit et ornat : *primo*, podere gratiæ in hac vita, gratia enim est lux cœlestis animam splendentem et gratiosam in oculis Dei et angelorum efficiens;

secundo, podere gloriæ in cœlo; ibi enim perficitur omnis nostra justitia et gratia, ibique gloria divina pro meritis operum justitiæ donabitur et beabitur. Ibi ergo justitia propria amicietur podere gloriæ, ut habent Græca et Syriaca. Alludit ad *Isaiæ* cap. LXI, vers. 10 : « Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo : quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. » Vide ibi dicta. Hinc tres effectus fructusque hujus poderis vestisque justitiæ subjungit Siracides, dicens *primo* : « Et inhabitabis cum ea, » *q. d.* Habitabis cum justitia quasi cum veste, imo virgine cœlesti, adeoque habitabis cum sanctitate divina, Deoque ipso : hujus enim participatio est justitia et sanctitas creata, et a Deo sanctis infusa mentibus. *Secundo*, « proteget te in sempiternum » contra omnes tentationes concupiscentiæ, contra omnes dæmonis insultus, contra omnes mundi fallacias, blanditias, terrores, pericula, imo contra Dei ipsius fulmina et fulgura, quæ in impios, præsertim in die judicii, vibrabit, quando horrendam damnationis sententiam in eos detonabit, dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, » *Matth.* XXV. Unde *tertio* : « In die agnitionis, » id est in die judicii et examinis divini, quo Christus cognoscet de omnibus hominum factis, « invenies firmamentum : » justitia enim erit tibi quasi lorica firmans tuum pectus, ut in illo terribili die, quo cæteri omnes pavebunt a facie Christi irati, dicentque « montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos, » *Lucæ* XXIII, 30, firmus et inconcussus consistas, imo plenus bona spe, lætus et alacer exspectes illam beatitudinis sententiam : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, » *Matth.* XXV.

Tres effectus justitiæ.

Allegorice et tropologice Palacius per *justitiam*, accipit Christum, Christique gratias et virtutes. Si Pauli verbum, inquit, præ oculis habeas : « Induimini Dominum nostrum Jesum Christum, » intelliges Christum esse justitiam, quam qui votis, precibus et bonis operibus quærit, apprehendet. Intelliges etiam eumdem esse poderem honoris, id est polymitam et talarem vestem, qua Joseph, *Genes.* XXXVII, 3, induebatur. Intelliges item esse dominum domus, qui nos secum habitare faciet; esse etiam protectorem sempiternum : feret enim nos in cœlum, ubi abscondet nos in absconditio tabernaculi sui. Demum erit firmamentum, cui in die judicii nitemur. Vocatur dies judicii, « dies agnitionis; » agnoscet enim tunc se quisque, et agnoscetur ab omnibus. Tunc erit Christus firmamentum, cui nitemur omnes, quotquot peccavimus, justificati vero fuimus per redemptionem quæ est in Christo. Perspice christianum Christo vestitum exterius, qui Christum habitatorem habeat interius; qui Christum habeat perpetuum protectorem, et columnam, cui nitatur maxime in die judicii. Quam longe ab his distant mores nostri! nihil enim minus in quovis nostrum perspicitur, quam Christus. Hucusque Palacius.

Christus est justitia.

Anagogice Rabanus : « Poderis, inquit, est tunica usque ad talos pertinens. Quid est ergo talaris tunica, nisi actio consummata? quasi enim protensa tunica talum corporis cooperit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitæ nos terminum tegit. Unde et per Moysen cauda hostiæ in altari offerri præcipitur, ut videlicet omne bonum, quod incipimus, etiam perseveranti fine compleamus. Quisquis ergo usque ad finem vitæ perseverat in bona actione, proteget eum Dominus in sempiternum, et in die agnitionis, hoc est in die judicii, quando veniens Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, tunc inveniet firmamentum : quia tunc justitiæ suæ verum et firmum percipiet præmium. »

Poderis est perseverantia.

10. VOLATILIA AD SIBI SIMILIA CONVENIUNT (græce κατὰλύσει, id est divertunt) : ET VERITAS AD EOS, QUI OPERANTUR ILLAM, REVERTETUR. — « Veritas » tum speculativa, hæc enim operantibus, id est studentibus, laborantibus et speculantibus advenit; tum potius moralis et practica, qualis est in intellectu practico ethica et prudentia, in appetitu et voluntate justitia et virtus, puta exsecutio ethices, et operatio recta juxta dictamen prudentiæ. Prior veritas est mentis et speculationis : posterior, voluntatis et operationis. Dicitur « veritas, » quia inclinat et operatur verum morale, quod est bonum honestum : hoc enim est verum, quia conforme et commensum suæ regulæ, puta legi et voluntati Dei. Ex adverso vitium vocatur mendax et mendacium, quia difforme et dissonans a recta ratione suaque lege et regula. Unde crebro in Scripturis impii dicuntur sequi vanitatem et mendacium. Explicat quod dixit : « Si sequaris justitiam, apprehendes illam, » per appositam similitudinem avium. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut aves congeneres et concolores simul congregantur, simulque pascuntur, habitant et volitant, ac, si paululum avolent, statim ad socias revolant; ut videmus grues volare et pasci cum gruibus, anseres cum anseribus, picas cum picis, et, ut vulgo dicitur, graculum graculo assidere : ita pariter veritas, id est prudentia, justitia et virtutes fugiunt improbos, iterque reflectunt ad probos quasi sibi similes, saltem voto et affectu : quia scilicet probi eas amant, ambiunt, operantur; et quia probi cum probis, sicut improbi cum improbis, quasi sui similibus, congregantur. Probi autem secum adducunt suam probitatem et virtutem, quam aliis affricant, perinde ac improbi suam improbitatem et vitia. Huc facit illud Claudiani, in nuptiis Honorii Imperatoris et Mariæ :

Vers. 10.

Simile gaudet simili.

Nutant ad mutua palmæ
Fœdera, populeo suspirat populus ictu,
Et platani platanis, alnoque assibilat alnus.

q. d. Palma congaudet et condolet palmæ, populus populo, platanus platano, alnus alno, velut simile simili : quanto magis homine sibi simili gaudeat homo, eique afflicto condoleat? Significat ergo quod, sicut aves congeneres conveniunt ad sibi similes, seque invicem recreant, exhilarant, amplexantur, adjuvant : ita pariter veritas et virtus cum sui studiosis familiariter agat, cum eis jucunde vivat, eos recreet, amplexetur, pascat, et in omni bono promoveat, ac tandem æterno gaudio et felicitate beet in cœlo. Ibi enim ad eos quasi postliminio « revertetur, » quæ in hujus vitæ ærumnis, ac virtutis laboribus se suamque jucunditatem quasi abscondit, ut a justis absens esse, seque elongare videatur. Ita Tigurina ; *volucres*, inquit, *adjungunt se sui similibus, itemque veritas accedit ad eos, qui ipsi dant operam;* Syrus, *volatile cœli apud genus suum habitat, et veritas ad facientes eam vadit.*

Virtutes sunt quasi aves: cur?

Apposite, veritas et virtutes comparantur avibus; quia utræque sunt leves, agiles, elevatæ a terra, canoræ, elatæ, cœlestes : Deo enim perennes canunt laudes, alisque præpetibus in cœlum evolant. Sic sapientia et castitas, teste Rufino, quasi aves et virgines cœlestes, advolarunt ad S. Gregorium Nazianzenum in somnis, eique dixerunt : « Amicæ tuæ sumus, quia jucundum nobis in anima tua præparasti habitaculum. » Sic eleemosyna quasi avis divina advolavit ad S. Joannem Eleemosynarium, eumque ad sui amorem invitavit, teste Leontio in ejus Vita. Sic tres virgines, puta paupertas, castitas, obedientia, advolarunt ad S. Franciscum, teste S. Bonaventura in ejus Vita. Unde mystice Rabanus per volatilia accipit « sanctas electorum animas, quæ pennis virtutum semetipsas a terrestrium et carnalium societate sublevant, et sanctis angelis in cœlesti gaudio associari appetunt, quibus etiam in futura vita conjunguntur. » Rursum sicut aves a sui dissimilibus et discoloribus repulsæ, redeunt ad sui similes et concolores : ita veritas et sanctitas ab impiis repulsa, nec apud eos inveniens locum, ubi suum collocet pedem, instar columbæ Noe, revertitur ad pios sui studiosos. Causam a priori dedi cap. XIII, vers. 19.

Secundo, cum Jansenio « veritas » hic accipi potest increata, puta æquitas et justitia, quæ est in Deo. Ad illam enim accedunt justitiæ studiosi, ipsaque vicissim eos remunerat : quare ad eos reverti dicitur, cum reddit eis justitiæ præmia, quæ illam operantes in hac vita promeriti sunt, juxta illud Christi : « Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos, » *Joan.* VIII. Deus enim et Christus est veritas ipsa rerum, puta vera sapientia, veræ deliciæ, veræ divitiæ, verus honor, verum gaudium, vera felicitas : cætera omnia vanitas sunt et mendacium, imo, ut ait Ecclesiastes, cap. XI : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. »

Moraliter notat Palacius, veritatem et sanctitatem dici reverti ad pios, cum eis opera vera, id est pia et sancta exercendi offert occasionem. Subinde enim ea exercendi non datur occasio, tumque veritas a sui studioso fugere videtur; sed mox illi rursum præsentem se exhibet, cum novam bene agendi opportunitatem suggerit. Quo significat captandam esse occasionem bene operandi dum eam Deus offert : nam, ut ait Poeta,

Fronte capillata, post est occasio calva.

Vers. 11. 11. LEO VENATIONI INSIDIATUR SEMPER : SIC PECCATA OPERANTIBUS INIQUITATES. — Probat quod dixit, veritatem ad sui studiosos et operatores reverti, per antithesin contrarii, scilicet peccati et iniquitatis. « Venationi, » id est animalibus et feris, quas venatur. Sic ergo ex Græco clare vertas cum Vatablo, *ut leo feræ insidiatur, ita peccatum injusta patrantibus;* Syrus, *leo confractioni* (id est bestiis quas confringat, laceret et devoret) *insidiatur : sic iniquitas facientibus peccata.* Apposite, sicut veritatem et virtutes comparavit avibus, sic hic mendacium et peccatum comparat leoni sævo et crudeli, peccatores vero feris quibus leo insidiatur. Hæc ergo antithesis est inter virtutem et peccatum, eaque non una, sed multiplex : scilicet *prima*, quod virtus sit avis gratiosa, quæ cum sui similibus, puta virtute præditis, jucunde versatur eosque lætificat, recreat et beat; peccatum vero sit quasi leo sævissimus, qui nullius amicitiam aut convictum familiarem admittit, sed in omnes feras quas venatur, cæde et laniena grassatur. Esto enim ipse sit fera, cæteras tamen feras devorat : sic enim peccatum peccatori exitiale est, nihilque boni, sed omne malum creat, perinde ac si illi non esset congener et simile, sed plane degener et dissimile, imo ex diametro oppositum et contrarium.

Antithesis virtutis et vitii. Prima.

Secundo, sicut leo insidiatur, et ex insidiis aggreditur bestias et homines, sic et peccatum insidiatur peccatori. Offert enim illi escam voluptatis, ut illa eum capiat et enecet, sicut piscator esca piscem capit et enecat, juxta illud *Proverb.* V : « Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. »

Secunda.

Tertio, sicut leo feras, quas venatur, occidit et devorat : sic peccatum peccatorem occidit, eumque facit pabulum mortis præsentis et æternæ, ut semper ardeat in gehenna.

Tertia.

Moraliter Palacius : Ut leo, inquit, qui in insidiis est ad venandum, offert se etiam nihil tale metuenti : ita peccatum se offert peccatori, etiam peccatum non cogitanti. Ubique enim se exhibet peccatori peccandi materia. Ita vicissim viro operanti veritatem, veritas ipsa ubilibet se exercendam offert; et si aliquando veritatis exercendæ occasio fugit, statim revertitur. Adeo Deus bona ubilibet parat bonis, et diabolus indesinenter parat mala malis. Sed hoc discrimine, quod peccatum leo sit, devorans peccatorem : veritas omne bonum est, beans veritatis operatorem.

Est prosopopœia. Peccatum enim hic inducitur quasi persona, imo quasi fera et leo insidians peccatori. « Peccatum » hic ample et generatim accipe : unde sub eo particulatim descendas, ut *primo*, per *peccatum* accipias habituale, puta habitum peccandi ; hoc enim insidiatur homini, dum secreto et clanculum eum inclinat ad iterandos actus peccati. Ebriosus enim, v. g. ex crebra ebrietate contraxit habitum, per quem valde propendet ad semper potandum : hic ergo habitus eum etiam non cogitantem et quasi nescientem insidiose inclinat, ut adeat popinas et potet.

Peccatum intuitu illicite amitur. Primo.

Secundo. *Secundo*, per *peccatum* accipias actuale, puta actum peccati : hic enim inclinat hominem ad sui iterationem. Experientia enim voluptatis, quæ est præsente peccato, eum allicit ad illud iterandum, ut per illud iteretur voluptas, quam in præsenti experitur, et in præterito expertus est.

Tertio. *Tertio*, per *peccatum* accipias concupiscentiam. Hæc enim metonymice ab Apostolo, *Rom.* VII, a S. Augustino et Doctoribus sæpe vocatur « peccatum, » quia est effectus æque ac causa peccati. Concupiscentia enim hominem secreto titillat, et furtim sollicitat, ut eam opere expleat. Hinc fit ut homo, rationis judicio postposito, eam sequatur, eaque se pascat et oblectet, etiam incogitans et quasi nescius : quia concupiscentia quasi mentem homini surripit, itaque quasi per insidias eum capit et dementat.

Quarto. *Quarto*, per *peccatum* accipias objectum peccati, puta illecebras et species illecebrosas rerum delectabilium, quæ hominem illiciunt ad peccandum. Tales sunt formulæ mulierum, quæ rapiunt intuentes ad luxuriam; fulgor vini et mensæ opiparæ, quæ rapiunt gulosum, ut iis gulam expleat; splendor auri, qui rapit avarum, ut illi per fas et nefas inhiet ; honoris pompa, quæ rapit superbum, ut eam ambiat. Hic est fraus, hic sunt insidiæ, dum socii vel concupiscentia suggerunt homini dicuntque : Vide quam formosa est ista et ista, nolo ut pecces, sed tantum ut spectes ejus pulchritudinem; gusta hoc vinum, ut videas quam sit suave, nolo tamen ut potes, gusta duntaxat; et ita de cæteris : a gustu enim unius scyphi gula trahente venitur ad secundum, tertium, quartum, et tandem ad plenam compotationem. Idem sit in intuitu mulierum cæterisque objectis illecebrosis.

Quinto. *Quinto*, per *peccatum* accipias pœnam peccati : hæc enim peccanti quasi ex insidiis astat, sicut prætor clanculum astat furi, ut eum furantem capiat et plectat, juxta illud Dei ad Cain, quo hic alludit Siracides : « Nonne si bene egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit, » quasi canis et Cerberus te allatrans, teque dilanians, *Genes.* IV, 7. Vide ibi dicta. Sic cap. XXVII, 31, ait Siracides : « Illusio et improperium superborum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi. »

Sexto. Denique, per *peccatum* accipi potest dæmon, auctor peccati : hic enim insidiatur peccatori, ut eum in peccatum, et per illud in gehennam protrahat; unde « tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, » I *Petri* V, 8. Simili modo per *peccatum* accipias peccatores, uti pravos socios, qui insidiantur socio etiam pœnitenti, ut eum ad peccatum suamque societatem retrahant, ideoque mille ei technas et insidias struunt, uti quotidiana patet experientia. Ab illis ergo quasi a leonibus crudelissimis cavendum est ei qui animam servare velit. Simili modo lenæ et meretrices insidiantur adolescentibus.

Ubi nota : Sicut leonum tota vis est in oculis, sic peccati tota vis est in aspectu, puta in videre et videri. Hæc enim est occasio et janua omnis peccati; hanc claude, et evasisti peccati insidias. Audi Plinium, lib. VIII, cap. XVI, docentem qua ratione leo vinci, capi et domari possit. « Principatu Claudii, inquit, casus rationem docuit pudendam pene talis feræ nomine, pastoris Getuli sago contra ingruentis impetum objecto; quod spectaculum in arenam protinus translatum est, vix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamvis levi injectu operto capite, ita ut devinciatur non repugnans, videlicet omnis vis constat in oculis. » Et anterius : « Cum pro Catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat. » Atque paulo ante modum venandi leonis insinuat dicens : « Dum sequitur, insilit saltu; » sic peccatum et dæmon repentino saltu irruit in hominem, ut eum percellat et sternat. Rursum Aristoteles, lib. IX *Histor. animal.*, cap. XLIV, et ex eo Plinius : « In venatu, inquit, dum cernitur (leo), nunquam fugit aut metuit; sed etiamsi venantium multitudine cedere cogitur, sensim pedatimque descendit, crebro subsistens atque respectans : nactus vero opaca, fuga, qua maxime potest, veloci se subtrahit, donec in aperta deveniat; tum rursus lente incedit. » Idem prorsus facit dæmon et pravi socii.

12. HOMO SANCTUS IN SAPIENTIA MANET SICUT SOL (constanter eodem fulgore semper lucens) : NAM STULTUS UT LUNA MUTATUR. — Pro *sanctus*, uti legunt Romana et Græca, aliqui legunt *sensatus* : hic enim opponitur stulto; sed idem in hoc libro, æque ac in Proverbiis, est sensatus et sanctus : verus enim sensus, veraque prudentia non est alia quam virtus et sanctitas; τὸ *sicut sol*, jam non est in Græco, nec in Syro, idipsum tamen legit S. Augustinus, *epist.* 119, cap. V; unde colligas olim in Græco id exstitisse. Sic ergo habent Græca Romæ emendata, *narratio pii semper sapientia, at stultus sicut luna* ἀλλιοῦται, id est *alteratur*; Tigurina, *narratio pii ut sol perpetua est sapientia, stultus autem more lunæ variatur*; Syrus, *narrationes sapientum in sapientia sunt semper, et stultus sicut luna mutatur*. Sic quoque legit S. Ambrosius, locis mox citandis : ex quibus patet, tam Græca quam Syrum hæc arctare ad sermones sapientum et stultorum, *q. d.* Sapiens semper loquitur Vers. 12.

sapientia, puta honesta et sancta; at stultus nunc sapientia et sancta, nunc insipientia, id est inhonesta et impia eructat. Accommodat enim se occasioni et sociis : quare cum castis caste, cum incestis inceste, cum humilibus humiliter, cum superbis superbe, cum maledicentibus maledicendo sermocinatur. Sapiens vero uti mentem habet sanctam semper, sic et linguam : quare non nisi caste, humiliter, benevole, laudando et benedicendo tam Deum quam proximum, eloquitur. Noster vero ampliorem facit hanc sententiam, *q. d.* Sapiens, id est sanctus quamdiu talis est, manet in sapientia, id est sanctitate, sicut sol, ut internam sapientiam et sanctitatem nullo metu, nullis blanditiis, nullis præmiis propositis deserat, eamque externis verbis et factis constanter profitetur : at stultus, id est inconstans et impius, instar polypi et lunæ, mutat mentem, et cum mente linguam, ut nunc sapientia et sancta cogitet, proponat, agat et loquatur; nunc vero stulta et impia machinetur, agat, dicat et doceat.

Causam dat Palacius : Inter multa, inquit, quæ Domino Deo conveniunt, id fere præcipuum est, quod immutabilis sit, idemque omnino sine ulla mutatione perseveret. Hanc maximam prærogativam Dominus concedit (suo tamen modo) sanctis suis, ut fere non mutentur. « Non enim justum contristabit, quidquid illi acciderit, » etc., *Proverb.* XII : « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum, » etc., *Psal.* CXXIV. « Pax multa diligentibus legem tuam, » etc., *Psalm.* CXVIII. Nam ut S. Joannes ait : « Omnis qui natus est ex Deo peccare non potest, » I *Joan.* III, 9. At qui non peccat, non mutatur; id est, quod Auctor dicit, sanctus homo immobilis est, minime peccat, minime sanctitati suæ maculæ notam imponit.

Dices : Nonne Samson, David et Salomon peccarunt? Plane; ideo Auctor addidit : « Sanctus in sapientia sua, » id est dum in sapientia manet, « manet sicut sol; » si a sapientia et charitate decidat, cecidit certe e cœlo Lucifer, *Isaiæ* XIV, 12. Ut etiam S. Joannes intelligendus est, scilicet quod « natus ex Deo, » dum semen Dei conservat, « peccare non potest. » Jam vero ut sancto viro Deus communicat suam (suo modo) immutabilitatem : ita stultis non communicata hac immobilitate, necesse est ut subinde varientur ut luna. Patet hinc justum non solum per annum posse sine mortali crimine perseverare, ut dixit Scotus, sed et per plurimos annos : manet enim sicut sol. Porro, vocatur hoc loco « sapientia » sanctitas vitæ, quia vera sapientia est, cui Christus verus justitiæ sol semper adest. Talis porro habitator talem immobilitatem hospiti suo largitur : largitur etiam ei, ut sit quidam sol, ut hic habemus; nam alibi dixit : « Vos estis lux mundi; » at clarum est lucem mundi solem esse. Sol ergo Deum Deique justitiam ab eo justis communicatam repræsentat. Quocirca S. Dionysius *De Divin. Nomin.* cap. IV, asserit solem esse « significativam, expressam et evidentem divinæ bonitatis imaginem. » Et Christus innuit solem esse divinitatis symbolum, cum ait *Matth.* V, 45 : « Qui solem suum oriri facit; » « suum, » quia sui imaginem.

Luna vero, quia suum lumen mutuatur a sole, et quia citima terris, in suo orbe exiguo citius eum decurrit, ideoque varie solem respicit; hinc suas variat luminis vices, ut nunc cornuta, nunc semiplena, nunc plena appareat. Hinc luna dicta est, quod « luce luceat aliena, » aiunt etymologici. Talis apparet et stultus. Huc facit illud Cleobuli apud Plutarchum, in *Convivio* : « Lex, inquit, sapientibus mensuram præscribit. Ineptis fabulam narrabo, quam mater mea fratri objecit. Aiebat enim lunam a matre petiisse, ut sibi tuniculam congruentem texeret; ac matrem respondisse : Qua ratione id possim, cum te jam plenam, mox in cornua attenuatam, rursum dimidio orbe videam? Sic etiam, mi Chersia, homini fatuo et vitioso nulla mensura opum est. » Sic lunaticus, hoc est epilepticus, ac varius et inconstans fuit Mahomet pseudopropheta, qui proinde in Alcorano fabulatur se lunæ partem cœlo deciduam, lunæ et cœlo restituisse. Rursum luna, cum apud nos lucet, cœlo et cœlitibus non lucet; quia ex superiori parte non illuminatur, sed ex inferiori. Et, ut ait S. Gregorius Nyssenus, lib. *De Anima et resurr.*, atque ex eo noster Pineda, in *Job* XXV, vers. 5, num. 4, luna nunc radios solis a tergo recipit, nunc a fronte et facie ad nos conversis. Sic sane quæ pulcherrima nobis videntur, in supremi luminis conspectu obscura sunt et non illuminata; et qui hominum judicio sanctissimi habentur, interdum coram Deo impuri sunt. Quare et cum luna Sapiens comparat stultum, qui sicut luna mutatur. Nam cum apud homines lucere et splendere quærit stultus, lumen ex superiori parte coram Dei conspectu amittit. Atque illud etiam, quod tunc luna maxime nobis splendet, cum maxime distat a sole; obscuratur autem, cum ei appropinquat, ut philosophi et astrologi tradunt : sic profecto, quo ad divinam lucem aliquid magis accesserit, minus lucidum apparebit, atque adeo, si ab illo recesserit, minus utique luminis habebit, quamvis apud homines multum fulgere videatur. *Tertio*, luna signum est amatorium, atque ab amantibus invocatur, eo quod præsit nocti et tenebris, atque iis voluptatibus quas stulti et carnales in tenebris quærunt et exercent. *Quarto*, luna ad oculos nostros augetur, cum a sole recedit; iis vero minui videtur, cum ad solem alia ex parte propinquat : sic et stultus carnalisque tunc in terra splendet et celebratur, cum instar lunæ facie ad terram conversa, a Deo recedens terrenos honores et pompam sectatur; cum vero illos aspernatur, Deo appropinquat. Ita S. Augustinus, *epist.* 119, cujus verba mox recitabo. *Quinto*, luna, teste Hippocrate, lib. *De Indiciis infirmitatum*, et Galeno initio dierum criticorum, quia crebras mutationes

Analogia stulti et lunæ. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

et eclipses patitur; facit homines instabiles, in proposito inconstantes, variis studiis gaudentes, luminibus varios, et vitiatos, vel strabos, motu ac mutatione celeres : sic et eos, in quibus dominatur, luna stultitiæ et amoris carnalis facit leves, versatiles, inconstantes, lunaticos. Illi ergo similes sunt gemmæ quæ selenites dicitur a σελήνη, quasi lunaris a luna; quæ, ut ait Plinius, lib. XXXVI, cap. x : « Ex candido translucet melleo fulgore, imaginem lunæ continens, redditque eum in dies singulos crescentis minuentisque numero.» Simili enim modo lunatici lunæ varietates imitantur et induunt. Quare humana gaudia et festa carnalium non aliud sunt, quam festa Neomeniæ, novæ scilicet lunæ, crescentis celeriter, sed paulo post senescentis. Quod ut sibi ob oculos ponerent Romanorum nobilissimi et sapientissimi, lunæ imaginem gestabant in calceis, ut illo symbolo nobilitatis et excellentiæ inconstantis, et semper ad finem cum deteriore mutatione properantis, eos memores redderet, teste Plutarcho, *Quæst. Rom.* LXXVI, et Rhodigino, lib. XX, cap. XXVIII.

Probatur ex S. Ambrosio.

Quocirca S. Ambrosius, IV *Hexam.* VIII : « Stultus, ait, ut luna mutatur; et ideo sapiens non cum luna mutatur, sed permanebit cum sole. Unde non luna est particeps stultitiæ, quia non luna mutatur ut stultus (leviter, temere et sine causa), sed stultus ut luna, » *q. d.* Luna non est similis stulto, nec stulta; sed sapiens; quia cum ratione et causa mutatur : at stultus stulte imitatur lunam; quia sine causa, leviter et stulte mutatur ut luna, quæ tamen non nisi magna ratione ac prudenter, juxta motus et leges sibi a Deo et natura præscriptas mutatur. Unde explicans subdit : « Denique semen justi, sicut luna perfecta, in æternum manet, et testis in cœlo fidelis, » *Psalm.* LXXXVIII. « Aliud est enim fungi ministerio, aliud circumferri ingenio, et sensus infirmitate fixam non habere sententiam » (uti non habet stultus). « Luna pro te laborat, et propter voluntatem Dei subdita est. Vanitati enim creatura subjecta est non sponte, sed propter eum qui subjecit eam in spe, » *Rom.* VIII. « Illa ergo non sponte mutatur; tu sponte mutaris. Illa congemiscit et comparturit in sua mutatione : tu non intelligis, et gratularis frequenter. Illa tuam redemptionem exspectat, ut a communi totius creaturæ servitio liberetur : tu et tuæ redemptioni, et illius libertati affers impedimentum. Tuæ ergo, non suæ, stultitiæ est, quod, dum tu exspectaris et nec sero converteris, adhuc et illa mutatur. Noli ergo lunam oculo tui corporis æstimare, sed mentis vivacitate. Minuitur luna, ut elementa repleat. »

Deinde mystice mutationem lunæ applicans Christo, Ecclesiæ et Sanctis, qui sapientissimi sunt : « Hoc, ait, est vere grande mysterium. Donavit hoc ei qui omnibus donavit gratiam. Exinanivit eam ut repleat, qui etiam se exinanivit, ut omnes repleret. Exinanivit enim se, ut descenderet nobis : descendit nobis, ut ascenderet omnibus. Ascendit enim, inquit, super omnes cœlos, ut impleret omnia, » *Ephes.* IV. « Itaque qui exinanitus advenerat, de plenitudine sua Apostolos adimplevit. Unde unus ex his dicit : Nam de plenitudine ejus omnes nos accepimus, » *Joan.* I. « Ergo annuntiavit luna mysterium Christi. Non mediocris, in qua signum posuit suum : non mediocris, quæ typum dilectæ habet Ecclesiæ, quod significat Propheta dicens : Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec exiollatur luna, » *Psalm.* LXXI. « Et in Canticis, Dominus de sua sponsa ait : Quænam est hæc prospiciens tanquam diluculum, speciosa sicut luna, electa ut sol? » *Cant.* VI. « Et merito speciosa sicut luna Ecclesia, quæ toto mundo refulsit, et tenebras sæculi hujus illuminans dicit : Nox præcessit, dies autem appropinquavit, » *Rom.* XIII. « Pulchre ait : Prospiciens, quasi suos de superiore prospectans, sicut habes, Dominus de cœlo prospexit super filios hominum. Prospiciens ergo Ecclesia sicut luna, defectus habet et ortus frequentes : sed defectibus suis crevit, et his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur, et confessorum martyriis coronatur. Hæc est vera luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis et gratiæ mutuatur. Fulget enim Ecclesia non suo, sed Christi lumine, et splendorem sibi arcessit de Sole justitiæ, ut dicat : Vivo autem, jam non ego; vivit autem in me Christus. Beata plane quæ tantum insigne meruisti. Unde te non tuis neomeniis, sed typo Ecclesiæ beatam dixerim : in illis enim servis, in hoc diligeris. » Idem S. Ambrosius in *Psalm.* XXXVI, ad illud : *Os justi meditabitur sapientiam* : « Narratio justi, ait, semper in sapientia; stultus autem sicut luna mutatur, id est quod sæpe varietur, nec in sua perseveret sententia, et tanquam in tenebris lumen videatur offundere, nec tenere. » Idem, *serm.* 4, objurgans populi superstitionem qua censebat lunam deficientem laborare et periclitari, ne a cœlo caderet, ideoque vociferando eam animare et adjuvare satagebat : « Apud vos, inquit, vespertinis tantum horis laborare consuevit, quando copiosa cœna venter distenditur, quando majoribus poculis caput movetur. Tunc igitur apud vos laborat luna, quando laborat et vinum. Tunc, inquam, apud vos turbatur carminibus globus lunæ, quando calicibus turbantur et oculi. Quomodo igitur, ebrius, videre potes circa lunam quid agatur in cœlo, qui circa te non vides quid agatur in terra? Hoc est plane quod ait S. Salomon, dicens : Stultus sicut luna mutatur. Mutaris enim sicut luna, dum stultus et insipiens ad motum ejus, qui christianus fueras, incipis esse sacrilegus : sacrilegium enim Creatori committitur, dum imbecillitas adscribitur creaturæ. Mutaris ergo sicut luna, ut qui paulo ante fidei devotione fulgebas, postea perfidiæ infirmitate deficias. Mutaris sicut luna, dum cerebrum tuum ita exinanitur sapientia, sicut lunæ obscuritas : te vero teterrimæ te-

nebræ mentis invadunt. Atque utinam, o stulte, sicut luna muteris! Illa enim cito ad plenitudinem suam redit, tu ad sapientiam nec sero converteris. Illa velociter colligit quod amiserat lumen; tu nec tarde fidem recipis, quam negasti. Gravior ergo tua, quam lunæ, mutatio est. Luna defectum luminis patitur, tu salutis. Quam bene igitur scriptum est de sapiente : Et permanebit cum sole! Permanet enim sapiens cum sole, cum constantia fidei permaneat cum Salvatore. » Et inferius : « Ergo luna a statu suo non sponte mutatur, tu de sensu tuo sponte mutaris. Illa in diminutionem sui conditione deducitur, tu in detrimentum tui voluntate pertraheris. Nolo igitur, frater, ita sis sicut luna, cum deficit; sed esto sicut quando est plena atque perfecta. Scriptum est enim de justo : Sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis. »

Analogiæ solis et justi. Ex adverso, sapiens et sanctus fulget constatque ut sol. Accipe analogias solis et sapientis, solis et sanctitatis, solis et charitatis.

Prima. *Primo*, sol eadem semper est facie, luce, motu, colore, tenore : ita et justus.

Secunda. *Secundo*, sol non offuscatur fumo, nebulis : ita nec justus metu, cupiditate aliisque passionibus.

Tertia. *Tertio*, sol longe super terram eminet : sic et justus terrena despicit, mente in cœlo fixus.

Quarta. *Quarto*, sol æqualiter spargit radios in omnes bonos et malos : sic et justus omnibus benefacit, amicis et inimicis.

Quinta. *Quinto*, sol ad omnem Dei nutum movetur, gyrat et regyrat : sic et justus.

Sexta. *Sexto*, sol centies et sexagies major et amplior est tota terra : ita justus ampla est charitate, ut ejus sinu totum orbem complectatur.

Septima. *Septimo*, sol major est stellis : ita sanctus fulgore suæ sanctitatis cæteris præcellit.

Octava. *Octavo*, sol velocissimus est, quia qualibet hora conficit unum millionem et centum quadraginta millia milliarium, uti ostendi *Gen.* 1, 14. Sic et justus ad omne Dei obsequium celer est et agillimus. Ita S. Antonius apud S. Athanasium vultu radiabat quasi sol, ut ex hac serenitate et luce vultus ab omnibus, etiam qui eum non noverant, agnosceretur : et hic vultus ei erat idem, et constabat tam in adversis quam in prosperis, tam coram inimicis quam amicis. Talis sit sapiens et sanctus : quidquid alii ei obstrepant, detrahant, laudent, rideant, etc. Ipse sibi constet, et perstet ut sol : huncque solis vultum omnibus etiam calumniantibus ostendat, eosque radiis suæ lucis et charitatis aspergat, ut ex inimicis faciat amicos.

Christus sol justitiæ. Vis exempla prototypa sapientis constanter lucentis ut sol? Accipe. *Primum* assignat S. Augustinus, *epist.* 119, cap. v, ubi solem ait esse Christum, lunam vero esse Adamum ejusque asseclas : « Sapiens, inquit, sicut sol permanet; stultus autem sicut luna mutatur. Et quis est sapiens, qui permanet, nisi Sol ille justitiæ de quo dicitur : Ortus est mihi Sol justitiæ; et quem sibi non fuisse ortum in die novissima plangentes impii dicturi sunt : Et justitiæ lumen non luxit nobis, » et « Sol justitiæ non ortus est nobis? » *Sap.* v. Nam istum carnis oculis visibilem solem oriri facit super bonos et malos Deus, qui etiam pluit super justos et injustos. Ducuntur autem semper ex rebus visibilibus invisibilium congruæ similitudines. Quis est ergo ille stultus, qui tanquam luna mutatur, nisi Adam, in quo omnes peccaverunt? Anima quippe humana recedens a Sole justitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena convertit, et eo magis magisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis; sed cum redire cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quanto magis ei appropinquat affectu pietatis, tanto magis exterior homo corrumpitur; sed interior renovatur de die in diem, omnisque lux illa ingenii, quæ ad inferiora vergebat, ad superiora convertitur, et a terrenis quodam modo aufertur, ut magis magisque huic sæculo moriatur, et vita ejus abscondatur cum Christo in Deo. » *Coloss.* III : « Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens, et in vita sua projiciens intima sua; et hoc terræ, id est eis, qui terrena sapiunt, melius videtur, cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui inique se gerit, benedicitur. » *Psalm.* IX : « Mutatur autem in melius, cum intentionem suam et gloriam a terrenis, quæ in hoc sæculo apparent, paulatim avertit, et ad superiora ab inferioribus convertit; et hoc terræ, id est eis qui terrena sapiunt, deterius videtur. »

Secundum exemplum sapientis radiantis ut sol est B. Virgo, de qua audi S. Bernardum, serm. in illud *Apoc.* cap. XII : *Signum magnum apparuit in cœlo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus.* « Nimirum, inquit, ea est quæ velut alterum solem induit sibi. » Et paulo post : « Solet luna non modo defectum corruptionis, sed et stultitiam mentis, nonnunquam vero Ecclesiam hujus temporis designare; illam quidem propter mutabilitatem, hanc sane propter susceptum aliunde splendorem. Utraque vero (ut ita dixerim) luna sub Mariæ pedibus congrue satis ponitur, alio tamen atque alio modo. Siquidem stultus ut luna mutatur, sapiens autem permanet ut sol. In sole nimirum et fervor et splendor stabilis, in luna solus splendor, atque is omnino mutabilis et incertus, qui nunquam in eodem statu permaneat. Jure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ Sapientiæ ultra quam credi valeat, penetravit abyssum : ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique et circumfundi, et tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed et calidissimus hujus mulieris amictus : cujus omnia tam excellenter irradiati

Et B. Virgo.

noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari. Insipientia vero omnis longe sub pedibus ejus est, ut penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, et collegio virginum fatuarum. Imo vero et unicus ille stultus, et totius stultitiæ princeps, qui vere mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus et contritus, miseram patitur servitutem. »

Et S. Joannes Baptista.

Tertium exemplum sancti fulgentis ut sol est S. Joannes Baptista, de quo audi eumdem S. Bernardum, serm. *in Nativit.* ejusdem : « Ille erat lucerna ardens et lucens. Magnum testimonium, fratres mei : magnus enim est cui perhibetur, sed major est ipse qui perhibet. Ille (inquit) erat lucerna ardens et lucens. Est enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum : ardere et lucere, perfectum. Audi quid dicat Scriptura : Sapiens permanet ut sol, stultus autem ut luna mutatur. Quia enim splendet luna sine fervore ; modo plena, modo exigua, modo nulla videtur. Mutuatum siquidem lumen nunquam in eodem permanet statu ; sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, et penitus non comparet : sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At vero solis splendor igneus est, et cum fervet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur ; sic sapientis ardor internus foris lucet, et, si non ei datur utrumque, curat semper ardere magis ; ut pater suus, qui videt in abscondito, reddat ei. Væ nobis, fratres, si luxerimus tantum ! »

Lunatici cum luna delirant.

Porro, physice et medice hæc verba : « Stultus ut luna mutatur, » sic explicat Franciscus Valesius, *De Sacra Philos.* cap. LXXI, *q. d.* Insensati et stulti, qui non sunt sana mente et cerebro, per vicissitudines et mutationes lunæ pejus habent, indeque vocantur « lunatici, » id est melancholici, maniaci, epileptici. Unde hi in plenilunio, alii in novilunio magis agitantur, insaniunt et delirant. Luna enim ob vim humectandi valde talium cerebrum alterat et immutat : quare malum cerebri cum crescente luna pariter accrescit. Huc alludit Siracides : sed per hoc aliud ad litteram significare intendit, nimirum stultum in volendo, agendo et loquendo esse varium et inconstantem instar lunæ. Nam nunquam luna est eodem vultu, quia modo apparet corniculata, modo gibbosa, modo dividua, modo plena : inde græce μήνη dicitur per antiphrasin, ἀπὸ τοῦ μένειν, id est a manendo, quod nunquam maneat sui similis. Sic et stultus. Contra, homo sanctus in sapientia manet sicut sol. Unde Aristoteles, lib. VII *De Moribus* : Vir bonus, ait, semper sui est similis, neque mutat mores suos ; at vitiosus et insipiens non videtur esse idem mane, qui vesperi. Et Seneca, *epist.* 47 : « Boni mores placent sibi et permanent, levis est malitia, sæpe mutatur, non in melius, sed in aliud. » S. Ambrosius, cap. XII *De Arca Noe* : « Valida, ait, sapientis et fixa sententia est : insipientis, consilio nutat incerto, nunc odio inflexa, nunc quæstu versicolor, et humorum varietate difformis, instar leprosi corporis maculans animam, et salubres cogitationes noxiis sæpe permiscens. » Verba S. Ambrosii in pauca contraxi.

Anagogice.

Symbolice et anagogice S. Cæsarius, frater S. Gregorii Nazianzeni, *Dialogo* 1, in fine, pulchre ostendit lunam esse speculum et imaginem hominis, qui nunc crescit, nunc decrescit, nunc vivit, nunc moritur, nunc resurgit. « Luna, inquit, est evidens imago nostræ naturæ nascens, crescens, plena, decrescens, imminuta, occidens, non tamen prorsus intercidens. Consimiliter et nos nascimur, crescimus ad plenitudinem, evadimus in senectutem : ita deinde deficimus vigore faciei, decrescimus elegantia coloris, et gratia floris in vultu, rubori pallorem inducentes. Imminuimur corporis robore, incipientes incedere curvi, et inniti baculo, ad terram inclinati, et ipso habitu ipsam obtestantes : Ecce adsum. Morimur, et in ipsam desinimus corpore ; non tamen intercidentes spiritu, sed paulo post deposito carnis pallio, rursus anima vestitur. Non enim ego sum corpus, sed ego quidem anima, meum autem hoc corpus, et quæcumque ex terra nascuntur ; unde et hoc rursus post interitum nascitur, ut luna, quæ veluti reviviscens sub aspectum omnibus venit. Quandoquidem et nos in sepulcro intereuntes rursum resurgemus, quasi renati secundum verbum illud divinum : Quando venerit Filius hominis in regeneratione, quo nostræ resurrectionis tempus significatur. »

Tropologice.

Tropologice, hac sententia monemur in sapientia et virtute perseverare, esseque constantes ; hoc enim signum est virtutis veræ et solidæ, sicut ex adverso ingruente tentatione deficere a sanctitate, signum est illam non fuisse veram, id est solidam et fundatam. Sanctus ergo in sanctitate constans est quasi sol, imo quasi angelus, et Deus quidam terrestris ; et, ut ait ille, « quasi quidam obambulans in terra Deus, et sanctus in carne angelus. » Deus enim est sol increatus et pater luminum, « apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, » *Jacob.* I. Vide ergo ut angeli in carne assumpta conversentur, nec a carne mutentur, sed ut angeli in angelica puritate, sapientia, constantia permaneant ; et eos imitare, quoad animam enim angelus es. Vide ut Deus incarnatus, puta Christus, inter homines versatus sit, ut ab hominibus nil vitii, nil mutabilitatis contraheret ; sed in sua substantia permanserit Deus natura incorruptibilis, qualitate immutabilis ; et eum imitare.

Justus creavit ut sol : cur ?

Rursum, sicut sol constanter ascendit usque ad lucem plenam et meridianam ; ita et justus in sapientia et veritate, juxta illud *Proverb.* XVIII : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et

crescit usque ad perfectam diem. » Ratio est, tum quia virtus in dies exercitio fit ei facilior et jucundior; tum quia actus unus virtutis invitat et elicit alium et alium; tum quia vires tum animi, tum corporis exercitio augentur et crescunt. Ita Milo Crotoniates vires corporis exercendo auxit; ut enim in publico agone fortitudinis palmam ferret, primo portavit vitulum; deinde eum quotidie portando, crescente vitulo, creverunt et vires ejus; adeo ut vitulo tandem excrescente in bovem, eumdem jam bovem tulerit. Ita S. Dominicus Loricatus mire austeram egit vitam in jejuniis, lorica ferrea, quam continuo ad nudam carnem gestavit, disciplinis acribus et prolixis. Rogatus quomodo tanta ferre posset, respondit: « A parvis cœpi, et constanter gradatim ad majora perrexi; quæ mihi jam tam facilia sunt, quam olim erant parva; labor enim laborem adescat, inquit, vigilias vigiliæ pariunt, et corpus, in quo sensim enutritur, in eo et roboratur. » Ita Simeon Stylites gradatim ascendit, ut tandem in columna steterit sub dio perdius et pernox per annos 50, vel, ut Baronius, 80, perpetim orans, aut instruens hortansque alios ad virtutem, vix comedens, vix dormiens.

Stimuli ad constantiam. Primus.

Ad hanc constantiam consistendi et proficiendi in sapientia et virtute, stimulus est, *primo*, mentem defigere in Deo. Hic enim est primus constantiæ et perseverantiæ actus, ex quo cætera bona sequuntur. Qui enim mente defixus est in Deo, nullis illecebris flectitur, nullis minis et terroribus concutitur : « Qui adhæret Deo, spiritus unus est; qui petræ, lapis unus, ait S. Bernardus, serm. 8 in Psalm. *Qui habitat.*

Secundus.

Secundus est amor ingens Dei. Hic enim excitat amantem ad constanter laborandum et patiendum quidlibet pro ejus obsequio. Charitate enim obarmatus Paulus fidenter exclamabat : « Quis nos separabit a charitate Dei? An tribulatio, an angustia, an fames? etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. *Rom.* VIII.

Tertius.

Tertius est magnum desiderium proficiendi in virtute. « Cave, ait Nazianzenus in *Distichis*, ne unquam in via virtutis subsistas. Tibi enim, qui a vitiosa vita excessisti, perinde puto esse consistere, ac si in imum vitii gurgitem labereris. »

Quartus.

Quartus, cogitare quanta et quam magna opera facta sint, et fiant etiamnum, per constantiam. Considera Paulum, qui omnes pene gentes docuit et convertit, ideoque doctor Gentium appellatur. Qua ratione id fecit? labore et constantia. Unde captus Hierosolymis a Deo audivit : « Constans esto; sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romæ testificari, » *Act.* XXIII, 11. Et prædicans Corinthi ab eodem audivit : « Noli timere, sed loquere, et ne taceas; propter quod ego sum tecum, et nemo opponetur tibi ut noceat te; quoniam populus mihi multus in hac civitate, » *Act.* XVIII, 10. Considera S. Athanasium, qui pondus Ecclesiæ et furias arianorum, adeoque insultus totius quasi orbis sustinuit per 46 annos, eaque ratione et fidem Homousii, et Ecclesiæ integritatem conservavit. Qua ratione? adamantina constantia. Considera Simeonem Stylitem jam nominatum, qui stans in columna jugiter, typus et imago fuit constantiæ; quid non hic vir effecit suis orationibus, miraculis, consiliis, exemplo? Lege ejus Vitam apud Theodoretum et alios, et obstupesces.

Quintus.

Quintus est cogitare brevem esse omnem laborem et dolorem nostrum : « Momentaneum enim et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis, » II *Corinth.* IV. Hac consideratione S. Antonius suos ad constantiam in rigore vitæ tam austeræ hortabatur, teste S. Athanasio in ejus Vita. Eadem Barlaam apud Bamascenum, in Historia, hortatur Josaphat ad constantiam vitæ religiosæ, et contra tentationem longitudinis viæ et pœnitentiæ obarmat, dicens : « Cogita te hodie cœpisse servire Deo, te hodie finiturum. » S. Athanasius, cum Julianus Apostata capesseret imperium, ideoque percellerentur omnes Christiani, exclamavit : « Bono animo estote, nubecula tantum est, quæ mox evanescet splendente sole. » Ita Sozomenes, lib. VI, cap. XXVI. S. Polycarpus, Herodi proconsuli, ignem minitanti, ni a Christo descisceret : « Ignem, inquit, minaris hunc qui ad momentum incenditur, et paulo post exstinguitur; verum ignoras futuri judicii ignem æternum fore, qui ad perpetuas pœnas præparatus est. » Ita Eusebius, lib. XIV *Hist.* cap. V.

Sextus.

Sextus est invocare angelum constantiæ, puta S. Gabrielem, qui interpretatur fortitudo Dei, vel fortis Deus; tum quia hic constantissimus est; unde Daniel ita eum pingit cap. X, 5 : « Vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obrizo; et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens : et brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis; » tum quia a Deo datus est nobis præses fortitudinis et constantiæ, ut nostram infirmitatem et inconstantiam confirmet, uti confirmavit Danielis, dicens vers. 19 : « Noli timere, vir desideriorum; pax tibi, confortare, et esto robustus. » Idem, ut videtur, confirmavit Judam Machabæum cum paucis sociis, ut contra castra Lysiæ, scilicet contra 80 millia peditum et ingentem equitatum, dimicarent et vincerent. « Apparuit, inquit, præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, et convaluerunt animis; non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti de cœlo habentes adjutorem, et miserantem super eos Dominum. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum et equitum mille

sexcentos; universos autem in fugam verterunt, » II *Mach.* XI, 8.

Septimus. Denique, efficax ad constantiam stimulus est cogitare, quod ait hic Sapiens, scilicet justum et sapientem permanere in sua sapientia quasi solem; inconstantem vero esse stultum et lunaticum, qui cum luna et instar lunæ mutatur. Id per umbram videre gentilium sapientes, qui censuerunt viri cordati esse constantiam; feminæ, inconstantiam. Ita Zeno, Stoicorum parens, dicebat facilius esse utrem inflatum mergere, quam virum probum invitum ad aliquid agendum cogere. Nam invictus animus, rationis rectæ placitis confirmatus, cedit nemini. Ita Philo, lib. *Quod omnis probus sit liber.*

Exempla Gentilium. Anaxarchus philosophus, cum a Nicocreonte, Cypri tyranno, in saxo concavo tunderetur; animo infractus : « Tunde, inquit, tunde Anaxarchi vasculum, Anaxarchi constantiam non teres.»

Socrates semper erat eodem vultu; cum alii in prosperis gestiant, in adversis dejiciantur. Unde S. Hieronymus robur Socraticum commendat.

Agesilaus monenti ut aliquid de vitæ rigore remitteret : « At ego, inquit, me consuefacio, ut quæcumque inciderit fortunæ mutatio, non quæram ipse mutationem. » Mira animi constantia, quæ nec in austeriore vita delicias requireret, nec inter delicias agens, ab illis corrumpi posset. Ita Plutarchus in *Lacon.*

Manlius electus in consulem Romanum, instantibus cunctis ut eum acceptaret, immobili animo ac vultu respondit : « Alium, Quirites, quærite, ad quem hunc transferatis honorem; nam nec ego vestros mores ferre possum, nec vos meum imperium perpeti poteritis. » Ita Livius, lib. VI, *Decade* I, et Plinius Junior, *De Viris illustribus*, cap. XXVIII.

Cato, cum, perditis jam rebus, eum amici hortarentur ut ad Cæsaris clementiam confugeret, respondit « victorum esse, et eorum qui deliquissent, supplicare; Catonem nec victum, nec captum esse, qui se per omnem vitam invictum præstitisset, ac Cæsarem honestate justitiaque longe superasset : Cæsarem potius victum captumque esse, qui bellum, quod diu negasset se moliri adversus patriam, nunc id egisse convictus esset. Proinde, pro se Cæsarem orarent qui vellent, pro Catone neminem orare debere. » Ita Plutarchus in *Catone.*

C. Mævius, Augusti centurio, captus et ad Antonium perductus, cum interrogaretur quid de se statui juberet : « Jugulari, inquit, me jube; quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris miles esse desinam, aut tuus esse incipiam. »

Gentilibus constantiores fuere Christiani.

Christianorum. Ludovicus, Bavariæ dux, captus ab Alberto marchione Brandeburgensi, qui multa cum minis ab eo petebat, ait : « Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modo ex capto petito; si quid amplius voles, corpus meum in tua potestate; animum mihi, non tibi obnoxium invenies. » Ita Æneas Sylvius, lib. III *De Rebus Alfonsi.*

Victor, proconsul Carthaginis, sollicitatus ad arianismum : « Dicite, ait, regi vestro, ut ignibus me subjiciat, adigat bestiis, excruciet omni genere tormentorum; si consentio, frustra sum in Ecclesia baptizatus catholica. Nam si hæc vita præsens sola fuisset, et aliam, quæ vere est, non speraremus æternam, nec ita fecissem ad modicum, atque temporaliter gloriarer. » Ita Victor; lib. III *Wandalic.*

S. Basilius præfecto Valentis Imperatoris minitanti mortem, nisi Valenti Ariano pareret, tranquille et intrepide respondit : « Atque utinam aliquid mihi esset digni muneris, quod offerrem huic qui maturius Basilium de nodo hujus follis absolveret. » Cumque daretur ei nox sequens ad deliberandum : « Ego, ait, cras idem ero qui nunc; tu utinam te non mutares ! » Ita *Eccles. Histor.* lib. XI, cap. IX.

S. Basilii socius S. Gregorius Nazianzenus in *Distichis* : « Quisquis, inquit, venientibus vicissimque abeuntibus rebus confidit, ille utique fluvio perenni labenti confidit. Dies ad diem te transmittit, levissimeque volvitur; at constantis hominis sententia sempiternum diem habet. » Et mox : « Id demum mihi placet, quod altissimas in animo radices egit. » Hi nimirum sunt heroes, cœlo, quasi civitate fortium, digni; de quibus Isaias cap. LXI : « Vocabuntur in ea, ait, fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. »

Apologus constantiæ. Hanc parabolam apologo similem festivo galaxiæ, asbesti, sinochitis et carbunculi apologo honestat Cyrillus, lib. I *Apolog. moral.* cap. XXVI, cujus titulus : *In bonis constantia te confirmet* : « Galaxias, inquit, asbestos et synochites, gemmæ tres simul congregatæ, de suis virtutibus cœperunt disceptare, primaque dixit galaxias : Ego quidem licet adamantino robore non polleam, ipsum tamen excedo quod tenacissimæ proprietatis vigore, ab igne minime calefio. Mox asbestos illi se præferens inferebat : Utique nobiliore ego præditus sum qualitate, quod inseparabiliter unctuosum humorem continendo, semel accensus vix aut nunquam exstinguor. Quibus synochites adjunxit : Vosmetipsos, ut video, de contraria vestra immutabilitate jactatis; attamen ego me haud minus admirabilem esse puto, quoniam varietate mirabili cum luna quotidie cresco et decresco. Verum cum qui seipsum commendat, non ille probatus sit; idcirco ipsis non immerito placuit carbunculi audire sententiam radiantis, qui prædoctus de causa, æquo rationis libramine, mox disceptantium litem sententialiter definivit, dixitque : Cum contrariorum habituale sit præstantius privativo, utique calefieri est ad melius immutari, infrigidari vero in deterius converti; in continuo autem fluxu esse, nihil est

esse; nam secundum hoc, non est esse. Unde res omnis quantum habet de mutatione, tantum habet de non esse. Dico igitur : Nunquam promoveri ad melius, dura nequitia est; sicut nec unquam in deterius converti, constantia; semper autem mutari, imbecillitatis est atque clementiæ. » Deinde idipsum exemplo cannæ, chamæleontis, cœli et melodiæ confirmans, adjicit : Similia. « Cannam siquidem vacuam, exhalationis semper influxus hinc inde mobilitat, et cum vento conflictans, continue fluida spargitur maris unda. Non audisti quid sagax vulpes semel responderit chamæleonti, de coloris aurei adeptione glorianti? Quippe ubi non est stabilitas, umbralis est entitas, et gloriositas non est vera. Nonne quantum de stabilitate, tantum de nobilitate tenent omnia; et in unoquoque genere firmiter stabilita, sunt prima principia? Porro natura quæ sapientiæ ordine regitur, in necessariis conditionibus stabilitatis amatrix, non sine firmamento uniformitatis mutatur. Nam cœlum semper regulariter volvitur, ac temporum vicissitudines et ætates uniformiter se sequuntur. Quin et melodiæ concentus, et facundiæ fluxus, licet demulceant, tamen sine decentis stabilitatis correspondentia, sensum animæ constantis non delectant. Sicut igitur nihil est sapiente mobilius in malis, sic nihil constabilius est in bonis. Quibus dictis, lis fuit terminata. »

Vers. 13. 13. IN MEDIO INSENSATORUM SERVA VERBUM TEMPORI : IN MEDIO AUTEM COGITANTIUM ASSIDUUS ESTO. — Aliqui legunt, *cogitantium legem Dei;* sed τὸ *legem Dei* delent Romana et Græca. Jam « cogitantium, » id est meditabundorum, hoc est prudentium; cogitatio enim et meditatio parit prudentiam.

Dixit, versu præcedenti, narrationem sancti semper esse in sapientia : nunc, ne quis inde colligat sanctum ubique debere promere suam sapientiam, illud hic limitat, docetque ubi eam promere debeat, ubi vero reticere, *q. d.* Dum inter insensatos et insipientes versaris, noli proferre verba sapientiæ; et, ut ait Christus : Noli sanctum dare canibus, et margaritas projicere ante porcos; sed serva illa tempori, ut opportune ea proferas, cum scilicet proderit ea dixisse. Cura interim consortia et familiaritatem virorum prudentium et gravium, qui non nisi seria, prius diu multumque cogitata beneque expensa, loquuntur; hi enim doctrinam sapientiæ tuæ avide excipient, ac tu vicissim multa ab iis proficua audies et disces. Hoc est quod ait Salomon, *Eccles.* III : « Tempus loquendi, et tempus tacendi; » quod sit illud tempus, explicat hic Siracides, nimirum, tacendi tempus esse, cum inter stultos versaris; loquendi vero, cum inter sapientes. Unde Tigurina vertit, *insipientibus interventurus observes opportunitatem* (qua scilicet, data commoda occasione, apposite et cum gratia eis ostendas et corrigas eorum insipientiam), *at cœtum cordatorum frequens adeas;* Vatablus, *inter insipientes tempori servias, at inter cordatos crebro loquere;* Syrus, *inter stultos opus est observare tempus, et inter sapientes loqui semper.*

Vers. 14. 14. NARRATIO PECCANTIUM ODIOSA, ET RISUS ILLORUM IN DELICIIS (ita Romana et Græca; perperam ergo Jansenius et alii passim legunt *delictis*) PECCATI. — « Peccantium, » id est peccatis deditorum, qui crebro solent peccare, qui peccata frequentant, iisque delectantur et exsultant. Græce est μωρῶν, id est *stultorum.* Peccator enim, dum peccat, stultissimus est, et peccatum est summa stultitia; quia Creatori creaturam, cœlo terram, paradiso gehennam anteponit et præeligit. Pro *odiosa* græce est προσόχθισμα, id est offensio, offendiculum, molestia, tædium, odium, exsecratio. Unde Complutenses vertunt, *narratio fatuorum onerositas, et risus eorum in cibo peccati;* Tigurina, *narratio stultorum offensionem habet, et risus eorum scelerosam voluptatem;* Syrus, *narrationes stultorum odibiles sunt, et risus eorum amaritudo* (vel impudentia) *est.* Sensus est, *q. d.* Sapientibus, puta justis, « narratio peccatorum est odiosa, » molestaque, « et, » id est quia, « risus illorum « est » in deliciis peccati; » quia scilicet cum risu et gaudio narrant suas libidines aliasque fœdas peccatorum delicias, in iisque exsultant, quas justi exhorrent. Ex abundantia enim cordis os loquitur, juxta illud *Proverb.* II : « Lætantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. » Jam quid gravius viro casto et sancto, quam incesta, blasphema, impia, adeoque non nisi Dei offensiones audire? Unde David, *Psalm.* CXVIII : « Vidi, inquit, prævaricantes, et tabescebam; » et : « Tabescere me fecit zelus meus. » Impii enim aguntur spiritu non Dei, sed diaboli, luxuriæ, superbiæ, etc. : hic enim eis dominatur; hic per os eorum loquitur superba, luxuriosa, diabolica; hic per manus et membra eorum similia exercet et operatur.

Vers. 15. 15. LOQUELA MULTUM JURANS, HORRIPILATIONEM CAPITI STATUET : ET IRREVERENTIA IPSIUS OBTURATIO AURIUM. — Exemplo docet quam narratio peccantium sit odiosa; quia scilicet inter alia peccata, quæ ipsi committunt, unum est quod crebro, imo tertio quoque verbo, jurent et dejerent, idque sæpe per vulnera Christi resque sanctissimas. Quæ juramenta et exsecrationes aliaque similia, quæ irreverenter et impudenter proferunt, justis audientibus horrorem incutiunt : adeo ut subinde ex pudore et horrore aures suas obturent, ne tam infandis sermonibus feriantur et polluantur. Pro *irreverentia,* S. Augustinus per diæresim legit, « in reverentia, » id est præ pudore et verecundia; hanc enim sæpe in Scripturis significat « reverentia. » Græce est μάχη, id est jurgium, rixa, contentio, pugna. Unde Complutenses vertunt, *loquela multum jurantis eriget capillos, et rixa* (Romana, *jurgium*) *eorum obturatio aurium;* Tigurina, *sermo crebro jurantis horrorem incutit, et aures obtundit contensio talium.* Alludit ad morem Judæorum, qui,

audita blasphemia, vel vera vel apprehensa, aures obturabant, ut ostenderent se eam exsecrari, ut patet *Actor.* VII, 56. Unde Palacius per *irreverentiam* accipit blasphemiam. Blasphemiam enim adeo horrebant Judæi, ut ne quidem ejus nomen proferre auderent, sed illud alio honestiori designarent, aut per periphrasin circumscriberent.

Vers. 16. 16. EFFUSIO SANGUINIS IN RIXA SUPERBORUM ET MALEDICTIO ILLORUM AUDITUS GRAVIS. — Alio exemplo ostendit quam narratio peccantium sit odiosa, *q. d.* Stulti loquendo concitant rixas et jurgia, ex quibus sequuntur pugnæ, duella et cædes, « et maledictio; » græce διαλοιδόρησις, id est conviciatio, « illorum, auditus gravis, » hoc est, auditu est gravis et molesta; græce μοχθηρά, id est nequam, prava, flagitiosa, improba, importuna, tetra, laboriosa, molesta, ærumnosa. Tigurina, *concertatio superborum sanguinis effusio est, et convicia eorum auditu gravia.* Syrus pro hoc versu et præcedenti hos substituit: *Donum impii arrigere facit pilos capillorum, et qui effundit sanguinem auscultabit verba impii. Inter impios ne sedeas, et cum ridente obtura aures tuas.*

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET QUAM NOXIA SIT SECRETI REVELATIO.

Vers. 17. 17. QUI DENUDAT ARCANA AMICI, FIDEM PERDIT, ET NON INVENIET AMICUM AD ANIMUM SUUM. — « Fidem, » id est fidelitatem, tum realem in se, tum æstimatam in amico cæterisque, *q. d.* Qui revelat secreta amici, perdit fidelitatem, quia desinit esse amico fidelis, et incipit esse infidus ac perfidus; quare vicissim « fidem, » id est opinionem, creditum, et nomen fidelitatis perdet apud amicum, ut ille deinceps ei fidem non habeat, nec ei credat; sed eum aspernetur ut perfidum et proditorem, ideoque amicitiam ejus abrumpet, et ex amico fiet hostis et inimicus. Amicitiæ enim fundamentum est fides, sive fidelitas; eam si evertas, evertis omnem amicitiam: « Et non invenies amicum ad animum tuum, » id est pro tuo voto et desiderio, pro animi tui sententia. Nemo enim cordatus eum volet amicum, quem aliquando expertus sit vel audierit amico fuisse infidum, ejusque arcana revelasse. Ita Tigurina, *enuntiator,* inquit, *arcanorum fidem perdit, nec amicum pro animi voto inveniet;* Syrus, *qui revelat secretum, perdet fidem suam, et non inveniet sibi amicum secundum animum suum*; imo justo Dei judicio reddetur ei talia, ut, sicut ipse fidem non servavit amico, sic nec amicus ullus eam illi servet. Alludit ad *Proverb.* XI, 13: « Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, amici celat commissum. »

Arcana amici celanda.

Cur?

Et cap. XXV, vers. 9: « Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles. » Nam, ut ait S. Augustinus, vel quisquis est auctor libri *De Amicitia*, cap. XIII: « Secretorum revelatione inter amicos nihil turpius, nihil exsecrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos; sed omnia replens amaritudine indignationis, et odii atque doloris felle cuncta aspergens. Unde Salomon: Qui denudat arcana amici, perdit fidem. Quid enim infelicius illo qui perdit fidem, et desperatione languescit? Unde denudare amici arcana, desperatio est animæ infelicis. » Quin et Isocrates ad Demonicum: « Diligentius, inquit, tuenda sunt deposita verborum, quam pecuniarum. »

Gnomæ.

Quam sententiam Anaxander, comicus græcus, sic effert:

> Commissa cui sunt verba, cui depositum;
> Si retegit, est iniquus, aut est garrulus,
> Si spe lucri, est iniquus hic, sive garrulus.
> Censendus autem uterque pariter improbus.

Hinc Ægyptii, ut scribit Diodorus Siculus, lib. II, cap. II, linguam abscindi jubebant illi qui secreta revelasset; Romani autem hujusmodi hominem aut vivum comburendum, aut furca suspendendum existimabunt. Ita Paulus, libro *Si quis,* § *De pœnis.*

Vers. 18 et 19.

18 et 19. DILIGE PROXIMUM, ET CONJUNGERE FIDE CUM ILLO. QUOD SI NUDAVERIS ABSCONSA ILLIUS, NON PERSEQUERIS POST EUM. — Ita Romana legunt, « persequeris, » non *persequaris,* ut alii; esto, utriusque lectionis idem sit sensus, *q. d.* Si diligis proximum, græce φίλον, id est amicum jungere, illi per fidem, ut scilicet fidem illi serves, et fideliter secreta ejus reticeas, eaque apud te serves; nam si ea nudaveris et revelaveris, fugiet te tuamque amicitiam certo et irrevocabiliter; quare frustra persequeris eum, ut ad amicitiam revoces; manebit enim ille a te aversus et inexorabilis. Tigurina: *Fac ames amicum, et te fidum illi præbeas* (alii, *fidem cum eo firma*); *quod si arcana ejus effutias, non assequaris eum postea.* Syrus vero sententiam sic invertit, *proba socium tuum, et fide illi; si autem revelet secretum fidei, ne incedas post eum.* Alludit ad illud *Proverb.* XX, 19: « Ei qui revelat mysteria (arcana), et ambulat fraudulenter, et dilatat labia, ne commiscearis. » In quæ verba S. Hieronymi, vel quisquis est auctor lib. II in *Proverb.* cap. X: « Si quis, inquit, voluerit tuis misceri amicitiis, et hunc videris prioris amici secreta pandentem, hunc velut perfidum cave. »

Ratio a priori est, quod celare secreta proximorum sit res necessaria ad hoc, ut homines in pace et tranquillitate vivant, utque mutua hominum conversatio tuta servetur. Si enim homines

hominum secreta detegerent, maxima inde perturbatio, imo societatis humanæ eversio sequeretur. Ergo præceptum naturale est, ut homines hominum vicissim secreta custodiant. Ergo fides secretorum juris est naturalis, divini et humani. Igitur qui data fide recipit arcanum amici, tenetur illud secretum servare ex justitia, perinde ut tenetur servare depositum; pluris enim est secretum quam depositum pecuniæ. Atque adeo qui per injuriam extorsit ab alio secretum suum, tenetur illud servare, sicut fur tenetur restituere furtum; ut, si quis litteras alienas aperuit, præterquam quod graviter peccavit, obnoxius est secreti servandi.

Hæc in genere de fide secreti. Nam in particulari sunt nonnullæ secreti revelationes, in quibus præter infidelitatem accumulantur circumstantiæ aliorum peccatorum. Ut patefacere latronibus ubi latitet thesaurus proximi, præter infidelitatem, genus est furti; ac prodere latentem hominem hostibus occidendum, genus est homicidii. Ita Socrates dictitabat colendam fidem potius in arcanis, quam in creditis pecuniis. Et Cato hoc nomine maxime celebratur, quod amicorum arcana sancte celaret. Et Simonides homines infimæ notæ censebat eos qui secreta continere non possent, ac similes servo illi apud comicum, qui rimarum plenus effundebat arcana.

Apud Christianos vero sanctior est fides secreti, adeo ut sacerdos sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum occulto peccatori ministrare debeat, ne ejus crimen manifestet, etiamsi illud extra confessionem secreto noverit, uti docet S. Augustinus, hom. 50 *De Pœnit.*, et refertur II, Quæst. I, cap. *Multi*. Confessionis vero sacramentalis tam religiosa est fides secreti, ut confessarius mille potius mortes subire debeat, quam vel minimum pœnitentis peccatum revelare; si secus faxit, grave sacrilegium admittit. Et in hoc secreto nec Summus Pontifex, nec tota Ecclesia dispensare potest. Hæc et plura docet Dominicus Soto, *Relect. de tegendo secreto*.

Vers. 20. 20. SICUT ENIM HOMO QUI PERDIT AMICUM SUUM, SIC ET QUI PERDIT AMICITIAM PROXIMI SUI. — Ita Romana et S. Augustinus in *Speculo*, *q. d.* Sicut perdis amicum per mortem; cum enim ipse moritur, moritur pariter amicitia quam cum illo habebas; idque irreparabiliter, quia a morte non datur reditus ad vitam, nec mortuus reviviscere potest; ita quoque perdis amicum ejusque amicitiam per revelationem secreti, cum ejus arcana evulges; idque irrevocabiliter, quia fidem tollis, quæ est quasi anima et vita amicitiæ. *Secundo*, Palacius: Amicus, inquit, et amicitia pari gradu currunt, ac ideo si amicitiam leviter violasti, violasti et amicum leviter; sed si ictu lethali (qualis est revelatio secreti) amicitiam læsisti; crede omnino amicum amissum, sicut amittitur avis, cum e manu evolavit, et caprea, cum e laqueo fugit. Græca pro *amicum*, contrarie legentes ἐχθρόν, id est *inimicum*, sic habent: *Sicut enim aliquis perdidit inimicum suum, sic perdidisti amicitiam proximi tui*, id est, ut vertit Tigurina, *ut enim quispiam inimicum suum interemerit, ita benevolentiam perdideris amici.* Τὸ enim *perdidit* active sumitur pro *occidere*, *q. d.* Sicut occidens inimicum perdit ejus vitam; sic revelans secretum amici perdit et occidit quasi ejus amicitiam. Syrus vero: *Sicut enim qui perdit partem suam, ita perdidisti amicitiam amici tui.* Aliter Græca explicat Jansenius, *q. d.* Sicut sine spe amicitiæ obtinendæ homo amittit inimicum suum, scilicet quoad amicitiam ipsius; verus enim inimicus nunquam erit verus amicus; sic etiam se habet homo, qui sua perfidia, aut futili secretorum sibi commissorum denudatione perdit amicitiam proximi, id est amici sui; nimirum perdit eam irrecuperabiliter, nec sentiet illum magis sibi benevolum quam hostem suum.

Vers. et 22. 21 et 22. ET SICUT QUI DIMITTIT AVEM DE MANU SUA, SIC DERELIQUISTI PROXIMUM TUUM, ET NON EUM CAPIES, NON ILLUM SEQUARIS, QUONIAM LONGE ABEST; EFFUGIT ENIM QUASI CAPREA DE LAQUEO. — Probat duabus similitudinibus, avis et capreæ, irrevocabilem esse amicitiam ejus qui perfide secretum amici revelavit, *q. d.* Sicut avis manu aucupis dimissa illico avolat in arbores et silvas, gaudetque se manibus aucupis liberatam, ac libertate sua gaudens, ab eo procul aufugit, ita ut, licet auceps eam persequatur ut recipiat, nunquam tamen eam consequi possit; sic pariter amicus, perfide ab amico revelante ejus secreta læsus, ab eo aufugit, gaudetque se ejus perfidia liberatum, nec unquam ad ejus amicitiam redit, esto ab eo rogetur et sollicitetur. Rursum, sicut caprea e laqueo se extricans gaudet se laqueo liberatam, fugitque in petras et rupes, ac plane cavet a laqueo; sic et amicus, proditus ab amico, ab eo plane avertitur, et longissime recedit, gaudetque se laqueo perfidi amici liberatum, et semper ab eo quasi a laqueo sibi cavet. Tigurina: *Quasi qui avem manu emiseris, ita amiseris amicum, quem nullo venatu recuperes, ne secteris eum, quoniam procul abscessit, et quasi caprea* (græce, *dorcas*) *effugiet eum*; Syrus, *sicut avem e manibus tuis avolare fecisti eum, et non venaberis eum, et non sequeris eum; quoniam effugit tanquam caprea illa rete, et sicut avis de laqueo.* Desperandi enim est utriusque recuperatio. Christo grati, qui adeo graviter a nobis læsus, et adeo graviter pro nobis vulneratus, non rejicit amicitiam nostram, imo certa spes est tam futurum nobis pœnitentibus amicum, quam si non peccassemus.

Similis iisque insignis exstat apologus apud Damascenum, in *Histor. Barlaam*, cap. X, quem quia hunc Siracidis locum explicat, subtexam: Philomela, inquit, capta ab aucupe, ab eoque neci destinata, ut eam evaderet, hac arte et sermone ad eum usa est: « Quidnam, o homo, ex mea nece ad te utilitatis rediturum est? Neque enim per me ventrem tuum explere poteris. At, si me vinculis liberaveris, tria præcepta tibi tra- Apologus philomelæ.

dam, quibus si parueris, magnis per omnem vitam commodis afficieris. Ille autem ex ipsius sermone admiratione commotus, sese facturum recepit ut, si novum aliquid ab ea audiret, statim eam libertate donaret, ac missam faceret. Conversa itaque luscinia homini ait : Nunquam rem quam consequi nequeas, aggredere : Nunquam rei præteritæ te pœniteat : Rei incredibili nunquam fidem adhibe. Hæc tria mandata serva ; et præclare tecum agetur. Ille autem horum verborum sagacitatem ac prudentiam admiratus, eam vinculis solvit. Luscinia itaque periculum facere cupiens an ille verborum illorum, quæ audierat, vim intellexisset, atque aliquam ex ipsis utilitatem percepisset, per aerem volitans ad eum dixit : Proh quam nihil est in te consilii, o homo ! qualem thesaurum hodie amisisti ! Est siquidem in meis visceribus unio, struthionis ovum magnitudine excedens. Quæ ut ille audivit, mœrore conturbatus est, eumque pœnituit quod luscinia ex ipsius manibus effugisset. Atque eam rursus arripere tentans, dixit : Veni, quæso, in ædes meas, atque ubi præclare et humaniter a me accepta fueris, honorifice te dimittam. Luscinia autem ipsi dixit : Nunc plane te stolidum ac vecordem esse scio. Nam posteaquam ea quæ ad te dicta sunt prompto animo excepisti, ac libenter audisti, nihil ex eis emolumenti consecutus es. Admonui enim te ne ob rem præteritam pœnitentia ducereris, et ecce mœrore conturbatus es, propterea quod e manibus tuis fuga me subduxerim, pœnitentia videlicet ob rem præteritam affectus. Præcepi tibi ne ea quæ assequi non posses, aggredereris, et tamen arripere me conaris, cum iter meum assequi nequeas. Adhæc id quoque tibi dixi, ne incredibili sermoni fidem arrogares ; et tamen in visceribus meis unionem staturæ meæ modum excedentem, inesse credidisti, neque tantillum tibi prudentiæ fuit, ut intelligeres me totam ad ovi struthionis magnitudinem minime accedere ; quonam itaque pacto tantum unionem corpusculum istud caperet? » Quæ deinde ipse infidelibus idololatris adaptat, nos perfidis amicis secreta revelantibus accommodare possumus. Hi enim rem, quam per revelationem secreti assequi cupiunt, puta amicitiam tertii, cui ea revelant, reipsa non consequuntur, qui ab eo æstimantur et fugiuntur quasi perfidi, unde eos præteritæ revelationis pœnitet ; eumque ad priorem amicum redire, eique se reconciliare cogitant et tentant, credunt et tentant rem incredibilem et impossibilem. Ipse enim semel ab amico infido deceptus, amplius ei non credet, nec secundo ab eo decipi se patietur : unde huic deceptionis periculo amplius se non exponet ; ideoque secreta sua illi non patefaciet.

23. QUONIAM VULNERATA EST ANIMA EJUS, ULTRA EUM NON POTERIS COLLIGARE. — Alludit ad dorcadem, sive capream laqueo et venabulo captam telisque confixam, *q. d.* Sicut caprea, telis confixa et vulnerata a venatoribus, longissime ab iis aufugit in rupes : sic et amicus, ab amico revelante ejus secreta perfide proditus, longissime ab eo aufugiet ; quia anima ejus hoc perfidiæ telo intime vulnerata, adeo dolore est saucia, ut hoc ejus vulnus non possis colligare, sed illud plane sit incurabile et immedicabile, quia intima animæ et cordis pervadit. Græca concisa hunc versum cum sequenti conjungunt, uti mox patebit. Vers. 23.

24. ET MALEDICTI EST CONCORDATIO (ita Romana et Græca ; perperam ergo aliqui legunt, *recordatio*), DENUDARE AUTEM AMICI MYSTERIA (arcana, secreta) DESPERATIO EST ANIMÆ INFELICIS, — *q. d.* Si maledictum, id est convicium, in aliquem conjeceris, locus est et modus, quo injuriam hanc sarcire, eique reconciliare possis ; sed si quis secreta sibi bona fide ab amico concredita revelet, hujus anima est infelix, ac plane desperare debet concordationem, id est reconciliationem cum amico perfide a se læso. Quocirca sapienter Solon apud Ausonium : « Clam, inquit, coarguas propinquum, sed publice laudaveris. » Et P. Syrus : « Secreto admone amicos, palam lauda. » Græca hunc versum cum præcedenti jungunt, sicque habent, *nam vulnus obligari licet, et de convicio est reconciliatio, sed qui arcana detexit, desperat.* Ita Romana, quæ legunt ἀπήλπισεν, id est desperavit, hoc est desperat reconciliationem, pro quo Complutensia legunt ἀπώλεσε πίστιν, id est perdidit fidem ; quia nemo amplius ei quasi perfido fidem habebit, ut se suaque secreta ei credat. Romanis consentit Tigurina, *nam vulnus quidem alligari potest, et a conviciis locus est reconciliationi, sed arcani proditor (infelicis animæ) spem amisit ;* et Syrus, *quia vulneribus est medela, et jurgio est reconciliatio, revelationi autem secreti desperatio.* Vers. 24.

Hinc patet in amicitia gravissimum esse crimen prodere amicorum arcana (præsertim si magni momenti, et amico cordi sint) ; facit enim animam infelicem, violat amicitiam lethaliter, amittit amicum (qui est dimidium animæ) irreconciliabiliter. Ita Palacius, qui et eum, cui revelavit, in suspicionem fraudis et periculum adducit. Unde Hieronymus, ait Maximus, *serm.* 20, dicebat arcana enuntiantes injuriam facere eis etiam quibus enuntiarent. Odimus enim non solum eos qui effutierint, verum etiam eos qui, quæ nolumus, audierint. Quocirca S. Ambrosius ita erat tenax secreti amicorum, ut ne quidem Satyro fratri suo sibi intimo illud revelaret, uti ipse refert in *Obitu* ejusdem.

QUARTA PARS CAPITIS.

DE DOLO ET DOLOSIS, QUODQUE DOLI IN DOLOSOS RECIDANT.

Vers. 25. 25. ANNUENS OCULO FABRICAT INIQUA, ET NEMO EUM ABJICIET. — Perperam in *Speculo* S. Augustini Parisiis impresso, legitur, *adjiciet*. Transit ab amico perfido ad fictum et hypocritam, qui amicum se simulat, cum sit inimicus, et occulte machinetur ei malum et perniciem, *q. d.* Amicus fictus, sive adulator et hypocrita amico annuit oculo, quasi blandiens, et secretam cum eo amicitiam simulans, cum corde foveat odium : « Et nemo eum abjiciet; » quia videns ejus nutus benevolos, censebit esse verum amicum, eo quod non videat ejus subdolum cor. Interpres legit, οὐδείς, id est *nemo*; jam legunt, εἰδώς, id est *sciens*, unde vertunt : *Qui novit eum* (ejus hypocrisin) *discedet ab eo*. Ita Complutensia; Romana vero, *nemo ipsum removebit ab ipso, q. d.* Nemo hominum faciet illum desciscere a sua hypocrisi, ut exuat suam improbitatem et odium quod corde gerit. Tigurina, *mala molitur nictans oculis; qui noverit eum, missum faciet*; Syrus vero, *qui elatus est supercilio* (unius tamen litteræ exigua denotatione significat, *qui annuit oculo suo*), *fiet sibi contritio*. Nota : In Scriptura annuere oculo, est fingere vel machinari dolum; quia hic gestus est ficti, callidi et fraudulenti. Unde *Prov.* VI, 13, perversus ita pingitur : « Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. » Similia sunt cap. X et *Psalm.* XXXIV, 13.

Vers. 26. 26. IN CONSPECTU OCULORUM TUORUM CONDULCABIT OS SUUM (Græca Romana legunt, *os tuum, q. d.* Dulcia et mellea verba ingeret in tuum os et aures), ET SUPER SERMONES TUOS ADMIRABITUR; NOVISSIME AUTEM PERVERTET OS SUUM, ET IN VERBIS TUIS DABIT SCANDALUM. — Hi sunt gestus et actus amici ficti et fraudulenti, *q. d.* In tua præsentia tuisque oculis componet os vultumque ad blanditias, et verba dulcia concinnabit, quibus te inescet et in sui amorem rapiat, ideoque et finget se tuos sermones, quasi doctos et prudentes, suspicere et admirari : at tandem, in tua absentia, « pervertet, » id est mutabit, « os suum, » ut ex dulci asperum, pravum et perversum id efficiat, te vituperando, taxando et calumniando, adeo ut in verbis tuis det scandalum, *q. d.* Ex verbis tuis struet tibi perniciem; ea enim immutando et sinistre interpretando, faciet ut ridearis, odio habearis, ac periculum bonorum, famæ vel vitæ incurras. Tigurina, *in conspectu tuo loquetur suavia, dictaque tua mirabitur; postea vero pervertet os suum, dictaque tua vocabit in invidiam*. De tali dicitur *Psalm.* XL, 7 : « Ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi. » In quæ verba S. Ambrosius : « Aptus, inquit, versiculus adversum eos qui secretum produnt, » datque exemplum Judam : « Ingrediebatur, inquit, Judas, quærens prodere Servatorem, ut videret quid ageret, quidve loqueretur, ut eum caperet in sermone, et Judæis annuntiaret. » Et inferius : « Egrediebatur de convivio Christi ad latrocinium diaboli, egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueum mortis. » Similes videre est in aulis principum, ubi aulici ambitiosi suos æmulos fallere et supplantare adulando satagunt, ac principem decipiunt, et sæpe in ruinam sui et reipublicæ agunt. Videtur igitur Siracides in aula Ptolemæi vel similis regis aut principis versatus, ubi princeps adulatorum causa erat reipublicæ pestis, ait Palacius. Quam vero hoc sit detestabile subjicit dicens :

Vers. 27. 27. MULTA ODIVI (ita Romana et Græca; perperam ergo aliqui, cum *Speculo* S. Augustini, legunt, *audivi*) ET NON COÆQUAVI EI, ET DOMINUS ODIET ILLUM, — *q. d.* Multa scelera odivi, sed nihil ita abominatus sum ac perfidiam amicitiæ, et proditionem amici; quare talem Deus odio prosequetur, et acriter puniet. Unde Tigurina, *odio permulta prosequor, sed nihil æque atque talem, oditque adeo eum etiam Dominus;* Syrus, *multa odio habui, et non sicut hominem hujusmodi, et etiam Deus odio habebit eum, et maledicet ei.*

Vers. 28. 28. QUI IN ALTUM MITTIT LAPIDEM, SUPER CAPUT EJUS CADET, ET PLAGA DOLOSA DOLOSI (ita lege cum Romanis Græca tamen habent, *dolosa*) DIVIDET VULNERA. — Ostendit hucusque quanta sit perversitas perfidi et dolosi amici; nunc congruam ejus pœnam assignat, scilicet quod doli, quos aliis machinatus est, justo Dei judicio in ipsum recident. Id ostendit quatuor similitudinibus proverbialibus. *Prima* est hæc, *q. d.* Sicut lapis jactus in altum, sæpe supra jacientis, utpote vicini, imo suppositi, caput recidit; ita plaga dolosa ipsum dolosum dividet et vulnerabit, hoc est, malum quod alteri machinaris, in te revolvetur. Græca significantius sic habent, *qui in altum mittit lapidem, super caput suum mittit, et* (id est *sic*) *plaga dolosa dividet vulnera*; Syrus, *qui projicit petram, contra eum convertetur; et qui percutit in occulto, perditioni tradetur*; Tigurina, *qui lapidem in altum mittit, in caput suum miserit; et ictus clandestinus vulnus infligit*. Qui enim clandestine alium ferire satagit, ut manum ictumque abscondat gladium, vel telum apud se stringat oportet; quo fit ut facile seipsum improvide in brachio, femore, aliave parte lædat. Porro S. Augustinus, vel auctor libri *De Amicitia*, cap. XIII : « Plaga dolosa, ait, est occulta detractio, plaga serpentis et aspidis est mor-

tifera, de qua Salomon, *Eccles.* cap. X : Si mordeat serpens in silentio, nihil illo minus habet qui occulte detrahit. » Huc facit illud Plutarchi, in *Moral.*: « Jaculum si in solidum aliquid inciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur; ita convicium in fortem et constantem virum tortum recidit in convicium facientem.

Vers. 29. Malum recidit in auctorem.

29. Sequitur *secunda* similitudo, sive parœmia, idem significans : ET QUI FOVEAM FODIT, INCIDET IN EAM. (*Tertia*) : ET QUI STATUIT LAPIDEM PROXIMO, OFFENDET IN EO. (*Quarta*) : ET QUI LAQUEUM ALII PONIT, PERIBIT IN ILLO. — Ratio physica est, quia fodiens foveam, ea effossa circa ejus oram obambulat et laborat, ut eam concinnet vel tegat : quo fit ut pede fallente, vel terra ruente, ex ora sive ex imo margine, ubi consistit, facile ex improviso in profundum fossæ prolabatur. Idem est de lapide et laqueo. Alludit ad venatores, qui in semitis ferarum foveas et scrobes effodiunt, quas deinde affabre contegunt, ut feræ gradientes incaute in illas decidant et capiantur, *q. d.* Qui instar venatorum alteri foveam dolumque struit, ipse in similem, imo in eumdem incidet; ipso suo dolo capietur, ipse malum, quod aliis paravit, sibi consciscit.

Ratio theologica.

Ratio theologica est, quod Deus dolosos perniciem aliis machinantes oderit et abominetur, quasi suæ veritatis, sinceritatis, fidei, justitiæ et bonitatis hostes. Quare contra eos indignans exsurgit, illaqueat et perdit, uti crebro in Psalmis canit David. Rursum, quod Deus reum in reatu suo, puta dolosum in dolo, capiat et plectat, ut in quo peccavit, in eodem et puniatur. Quare dolosis se quasi dolosum exhibet Deus, juxta illud : « Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris; » hoc est non candide et benigne, sed prave et perverse, id est severe et vafre ages; quia ipse ab eo qui esse deberet, candidus scilicet et fidelis, inversus et perversus est, *Psal.* XVII, 27.

Ethica.

Ratio ethica et politica est, quod dolosus mereatur dolo suo capi. Lex enim talionis est : « Dolum fecit, dolum patiatur. » Et : « Frangenti fidem fides frangatur eidem. » Quocirca solent homines cum dolosis dolo certare, eosque tanquam simplicitatis et conversationis humanæ jura violantes ad exitium persequi, ut ex proverbiis et exemplis mox citandis patebit. Huc facit apologus cancri et serpentis apud Æsopum : « Serpens, inquit, una cum cancro vivebat, inita cum eo societate. Itaque cancer simplex moribus, ut et ille mutaret astutiam, admonebat. Hic autem minime obediebat. Cum observasset igitur cancer ipsum dormientem, et pro viribus compressisset, occidit. At serpente post mortem extenso, ille ait : Sic oportebat antehac justum et simplicem esse, neque enim hanc pœnam dedisses. Fabula significat, qui cum dolo amicos adeunt, ipsos offendi potius. »

Porro significat hæc gnome non quid semper, sed quid sæpe fiat, uti initio in Canonibus monui. Subinde enim dolosis doli feliciter succedunt, et impii prosperantur in hac vita, piisque dominantur et insultant; sed prosperitatem hanc et dolos eo acrius luent in purgatorio vel gehenna, quo in hac vita fuerint in dolis suis feliciores, verius infeliciores. Adde quod, etsi dolus maneat subinde in hac vita ad tempus impunitus, tandem tamen meritas det pœnas, præsertim in morte, uti patet in Jeroboam, Sellum, Phacee, Zambri, Osee cæterisque regibus Israel, qui vi vel fraude regnum invaserunt, ac vicissim sibi invicem fuere carnifices, uti patet ex lib. IV *Regum*, præsertim cap. XV et seq.

Denique nota : Fovea cum labore foditur, sed sine labore fodiens in illam labitur; et jaciens lapidem in altum, cum violentia jacit; at lapis, jactus suo pondere, in caput jacientis relabitur : sic pariter injuriæ et fraudes cum difficultate inferuntur, sed sine difficultate in caput inferentis recidunt et revolvuntur.

Strictius aliqui per *foveam* accipiunt sepulcrum, *q. d.* Qui alteri parat necem et sepulcrum, sibi ipsi parat. Græca, omissa secunda parœmia lapidis, tantum habent primam foveæ et tertiam laquei, hoc modo : « Qui foveam effodit, in eamdem incidet; et qui ponit laqueum, eodem capietur. » Deinde eas applicant doloso, dum subdunt : *Qui mala molitur, ea in ipsum devolventur; neque sciet unde veniant sibi;* Syrus vero, *qui fodit foveam, statura sua* (stans in fovea, dum eam effodit) *implebit eam; et qui tendit laqueos, iis capietur; et qui machinatur malum, cadet in illud, et nesciet unde veniat super eum malum.* Quare quod Noster subdit : « Facienti nequissimum consilium super ipsum devolvetur, et non agnoscet unde adveniat illi, » non est nova et disparata sententia; sed est apodosis sive redditio parœmiarum jam dictarum, earumque ad dolosum et perversum applicatio, *q. d.* Sicut qui fodit foveam in eam cadit, et tendens laqueum eo capitur; sic « facienti » (id est in damnum, noxam et cladem facientis : est enim dativus damni, ut vocant syntaxistæ) « nequissimum consilium » (græce, *mala*, scilicet ei consulta, quæ scilicet ipse sibi, vel alii ipsi consuluerunt) « super ipsum devolvetur, » scilicet, « nequissimum consilium, » puta dolus et pernicies, quam aliis machinatus est. Unde clare Tigurina, *qui molitur mala, malis involvetur* (legit cum Romanis κυλισθήσεται, pro quo Complutensia legunt αὐλισθήσεται, id est *morabuntur super ipsum*), *nec sciet unde sibi ingruant.* Quocirca *facere nequissimum consilium*, hoc loco non est dare vel suggerere alteri consilium nequam; sed est pravum consilium contra aliquem inire, machinari alteri malum, illudque exsequi : talis enim sæpe malum, quod alteri parat, sibi accersit præter expectationem; uti Aman in patibulo; quod Mardochæo struxerat, suspensus est.

Alludit, imo citat *Proverb.* XXVI, 27 : « Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui volvit lapidem, re-

vertetur ad eum; » ubi Chaldæus : *Qui volvit,* ait, *lapidem, super seipsum volvit.* Et *Psal.* IX : « In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum; cognoscitur Dominus judicia faciens.» Ergo cum doloso et mala alteri machinanti malum obvenit ex insperato, ea ex parte qua non putabat, sciat causam esse Deum, qui ut justus judex judicia facit, et ex insidiis insidiantem congrua sibi pœna afficit et prosternit. Et *Eccles.* X, 8 : « Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Qui transfert lapides, affligetur in eis; et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. » Et *Psal.* VII, 16 : « Lacum aperuit, et effodit eum; et incidit in foveam quam fecit. Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet. » Et *Job,* cap. XVIII, 7 : « Præcipitabit eum consilium suum.» Et vers. 9 : « Tenebitur planta illius laqueo, etc. Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam. » Exemplum est in Herode qui, volens decipere tres Magos inquirentes Christum, ab iis deceptus est. Idem volens interficere Christum, interfecit omnes infantes, ac inter eos proprium filium; Christo ergo illæso, læsit se in filio. Quod audiens Augustus Cæsar, dixit, teste Macrobio in *Saturnal.* : « Mallem Herodis porcus esse quam filius; » quia Judæi porcos non mactabant, quod porcinæ esus eis lege esset vetitus. Unde B. Petrus Chrysologus, *serm.* 152 : « Fremit, inquit, dolositas se deceptam, et in se fraus reversa colliditur. Herodes stridet, cadens ipse in laqueum quem tetendit. » Et post nonnulla : « In altum tendens, cadit ab alto; cœlum pulsans, intrat profundum; in se vadit, qui vadit in Deum. »

Antistrophæ hisce parœmiis sunt illæ similes Hebræorum : « Sagittarius ea ipsa sagitta occisus est, quam ipse manu sua confecit. Faber in cippo sedet, quem sua manu fabricatus est. In cochleari, quod artifex exsculpsit, urit sinapi os ipsius. Ex ipsa et in ipsam silvam intrat securis. » Et illæ Græcorum : « Hanc technam in teipsum struxisti; hoc commentum in tuum ipsius exitium reperisti.» Quod Lucianus usurpat de hæredipeta, qui, cum divitem ex asse scripsisset hæredem, ac testamentum protulisset, quo divitem ad idem faciendum provocaret, tecti ruina subito oppressus est, ac sua reliquit illi cujus facultatibus dolose inhiarat. Item : « Turdus ipse sibi malum creat; » quia egerit viscum, quo non tantum aliæ aves, sed et ipse capitur. Nam viscus, teste Plinio, non provenit nisi maturatum in ventre ac redditum per alvum avium maxime palumbium ac turdorum. Item : « Tela a nobis sumpta adversus nos jacularis. » Tradit Plutarchus Brasidam ducem, educto e corpore telo, confodisse eum qui miserat. Item : « Ipse sibi mali fontem reperit; » quod usurpat Æschylus in *Persis.* Sunt enim permulti fontes, quorum aqua gustata mortem aut insaniam affert, quos præstiterat non reperisse. Et illæ Latinorum : « Suo sibi hunc jugulo gladio, suo telo. » Quod ita versu reddidit Ovidius in epist. *Heroidum* :

Gnomæ Hebræorum.

Græcorum.

Latinorum.

> Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires :
> Heu! patior telis vulnera facta meis.

Et Cicero : « In tuum, inquit, ipse mucronem incurras necesse est. » Et Livius, lib. II *Belli Punici* : « Sentiebat Annibal suis se artibus peti. » Trebellius Pollio narrat Marium, unum e triginta tyrannis, gladio confossum a milite dicente : « Hic est gladius quem ipse fecisti. » Nam Marius ante imperium faber ferrarius fuerat, et ejus militis opera in fabrili officina usus. Item : « Ovis cultrum præbet, capra gladium reperit, » quo scilicet juguletur. Olim enim cum Corinthii Junoni Acrææ capram immolare vellent, obliti cultri, capra ipsa defossum sub terra cultrum pedibus exscalpens eum eruit, eoque jugulata est. Item : « Cornix scorpium, » supple, rapuit; cornix enim, correpto scorpio, ab arcuata illius cauda lethale vulnus accepit, periitque. Item : « Noli irritare crabrones. Malum conditum ne moveris. Noli ignem suscitare sopitum. Noli octipedem (scorpium; hic enim octo habet pedes) excitare. Ne agites Camarinam. » Item : « Capra contra seipsam cornua. » Apologus enim habet capram jaculo vulneratam, circumspectantem undenam id sibi mali evenisset, arcum contemplantem caprinis cornibus compactum, dixisse : « In meam ipsius perniciem produxi cornua. » Item : «Leonem immittis : Leonem stimulas. » Narrat Aristophanes in *Ranis*, et Valerius Maximus, lib. VII, cap. *De sapienter dictis,* Megarenses, cum caperentur a Caleno, caveis effractis leones in hostes immisisse, putantes se obicem lascivienti jam in civium capita mucroni objecturos; sed misere ab iisdem tristi, et vel ipsis hostibus miserabili spectaculo sunt lacerati et devorati. Ita sane insidiæ revolvuntur in caput auctoris; et, ut ait Attalus : « Malitia maximam sui partem bibit; » et, ut ait S. Augustinus, serm. 13 *De Verbis Domini secundum Matthæum* : « Unicuique sua cupiditas, tempestas est. »

Exemplum est Busiris tyrannus, qui, ut ait idem S. Augustinus, lib. XVIII *De Civitate Dei,* cap. XII, suis diis suos hospites immolabat; cumque et Herculem vellet immolare, ab eodem occisus et immolatus est. Item Phalaris, cujus meminit idem S. Augustinus, epist. 52 *ad Macedonium* ; Phalaris enim, Agrigentinorum in Sicilia tyrannus, tauro æneo, quo alios cremare solebat, a suis inclusus et crematus est. Porro tauri et tormenti hujus inventor fuit Perillus, ut Phalaridem crudelissimum oblectaret reorum tauro inclusorum vocibus, dum pro hominum voce tauri mugitum ederent; sed ille ipse a tyranno, tormentum et mugitum hunc in ipso auctore experiri volente, eidem tauro inclusus et exustus, mugitu suo Phalaridem oblectavit, de quo Ovidius, *De Arte amandi* :

Exempla.

> Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
> Torruit : infelix imbuit auctor opus.

Divinitus exemplum est in Eugenio tyranno, cujus contra Theodosium pium Imperatorem pugnantis sagittas et tela Deus per ventum repulit, et retorsit in ipsum jacientem ejusque milites, de quo Claudianus in *Panegyr. Theodosii* :

> O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
> Æolus armatas hiemes, revolutaque tela
> Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas?

Simili modo sagitta si in petram chalybemve mittatur, repercussa in mittentem resilit, et vulnerat vulnerantem. Ita non raro detractio, calumnia, falsa accusatio in detractorem, calumniatorem et accusatorem resilit, ipsumque infamat, et subinde interimit.

Tropologice S. Chrysostomus, *De Incomprehensibili Dei natura*, homil. 3, hæc adaptat blasphemiæ et blasphemis : « Qui blasphemant, inquit, et pro nihilo ducunt, ipsi lædunt salutem et perimunt. Verissimaque illius sententia est, qui blasphemis ait hominibus : Lapidem qui sursum jaciunt in excelsum, in ipsorum caput jaciunt. Sicut enim qui lapidem illo jaculatur, corpus cœleste non attingere, nedum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cum lapis eodem unde jaculatus, redeat : ita qui beatam illam blasphemat substantiam, ut nunquam offendere eam potest, cum longe potior et excelsior sit, quam ut affici aliquo possit detrimento; sic ferrum adversus animam suam jacit et parat, cum se ingratum Domino bene merenti exhibet. » S. Hieronymus vero, in *Sophoniam*, sub finem, hanc parœmiam adaptat iis qui rident et subsannant viros religiosos, et mundi contemptores; hi enim ridebuntur a Deo, imo ridebunt seipsos in die judicii, *Sapient.* v, 4. S. Augustinus vero, epist. 68 *ad Januarium*, eamdem adaptat Circumcellionibus hæreticis, qui, volentes imperatorem concitare contra Catholicos, eumdem contra se concitarunt.

Vers. 31. 31. ILLUSIO, ET IMPROPERIUM SUPERBORUM, ET VINDICTA SICUT LEO INSIDIABITUR ILLI. — Ita Romana. Jam *primo* Jansenius sic explicat : Quoniam inquit, constanter libri habent singulariter pronomen *illi*, quomodo et habet græcum exemplar germanicum; ideo hæc sententia referenda est ad eum de quo agit superior sententia, ut tres illi nominativi, *illusio*, et *improperium*, et *vindicta* referantur ad verbum *insidiabitur*, et sit sensus : Illusio et improperium superborum, hoc est quod a superbis irrogatur humilibus, et vindicta, quam aliis inferre conatur talis; ea ipsa, inquam, mala insidiabuntur illi, sicut leo, hoc est inexspectato, subito, atque potenter eum invadent opportunitate oblata, nec illa effugere aut superare poterit; quomodo leonis insidiantis vim feræ, quas captat, vincere non possunt.

Secundo et genuine, *q. d.* Illusio et improperium est conditio et vitium proprium superborum; superbi enim, quia alios despiciunt et deprimunt, ut se exaltent; hinc eos illudunt, risui exponunt, eisque detrectant, et multa improperant : quocirca dabitur eis talio et vindicta, sicut leo insidiabitur illi; id est cuique illorum, ut eum ex insidiis repente et violenter occupet et perdat. Solent enim Hebræi uti enallage numeri, et a plurali transire ad singularem per syllepsin, ut significent quod pluribus comminantur vel promittunt, id se singulis comminari vel promittere : unde Græca Complutensia et cætera pleraque pro *illi* habent *illis* in plurali. Ex quibus sic vertas : *Illusio et contumelia superborum est, et ultio tanquam leo insidiatur eis.* Ita Palacius : Solent, inquit, superbi illusione et improperio alios afficere; sed ei illusioni et improperio parata vindicta est, ut leo in insidiis paratur venationi, et ut leo prodit unde fera, quam venatur, nesciebat : ita et vindicta a Deo prodibit, unde illusor ignorabat. Exemplo sit illusio et improperium Judæorum contra Christum, quibus ex insidiis prodiit Titus et Vespasianus, omnes ut leo comminuens. Ubi notanda est mira Dei in Judæos vindictæ portio et proportio : nam iisdem prorsus illusionibus et probris, quibus ipsi illuserunt Christum, paulo post affectus est eorum rex Agrippa ab Alexandrinis, uti fuse narrat Philo in *Flacco*, et ex eo Baronius, anno Christi 40, cap. II et III.

Nota, τὸ *sicut leo*. Alludere enim videtur ad apologum Æsopi de leone, asino et vulpe, illo ævo vulgatum : Æsopus enim ducentis et amplius annis Siracidem antecessit; floruit enim sub Cyro et Crœso, cum Siracides floruerit sub Ptolemæo Lagi et Philadelpho, qui Alexandro Magno successerunt. Apologus sic sese habet : « Asinus et vulpes, inita inter se societate, exiverunt ad venationem. Leo vero cum occurrisset ipsis, vulpes imminens periculum videns, profecta ad leonem, tradituram ei asinum pollicita est, si sibi impunitatem promiserit. Qui, cum dimissurum eam dixisset, illa adducto asino in casses quosdam ut incideret, fecit. Sed leo videns illum fugere minime posse, primam vulpem comprehendit, deinde sic ad asinum versus est. » Affabulatio : « Fabula significat eos qui sociis insidiantur, sæpe et seipsos nescios perdere. » Similis est apologus leonis, lupi et vulpis, quem mox recitabo. Apologus leonis, asini et vulpis.

Vis exempla? accipe. Simili modo Babylonii principes superbi insidiantes et illudentes Danieli, eique Dei unius cultum improperantes, ac subdole cogentes Darium ut eum in lacum leonum injiceret; eo illæso, ipsimet in eumdem jussu Darii injecti, illico a leonibus devorati sunt, *Daniel.* cap. VI, 24. Sic fratres Joseph affligentes, vicissim ab eo, licet incognito, afflicti sunt; unde memores injuriæ illi ante 22 annos irrogatæ, illico dixerunt : « Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. » Sic et senes impudici insidiantes pudicitiæ et vitæ Susannæ, populi lapidationem, quam ipsi adornarant, ipsimet, Dei Exempla.

vindicta eos perurgente, subierunt, *Daniel.* XIII.

Rarum S. Elisabethæ exemplum.

Recentius et mirabilius est exemplum in Vita S. Elisabethæ, reginæ Portugalliæ, quam hoc anno 1625 jubilæo Urbanus VIII in Sanctorum catalogum retulit. Cum enim illa ab aulico quodam invidente alteri gratiam reginæ, apud maritum Dionysium regem accusata esset adulterii; rex excandescens illico jussit alterum de adulterio cum regina commisso accusatum occidi. Dedit enim in mandatis furnariis succendentibus fornacem, ut in eam conjicerent illum, quem ipse postridie primum summo mane ad eos esset missurus. Misit ergo alterum de adulterio suspectum. Ille missus in itinere audiit pulsari ad Sacrum : more ergo suo illud audit, et aliquot sequentia. Interim rex, putans eum jam in fornacem injectum et crematum, submisit accusatorem ad furnarios, interrogatum an mandata explessent. Illi igitur eum quasi primum a rege ad se missum in fornacem conjiciunt et concremant, uti jusserat rex. Ita illusor illusus est.

Tertio, sic quoque exponere licet, *q. d.* Illusio et improperium sunt hominum superborum, hoc est eis jure debentur, eosque comitantur, ut, sicut ipsi alios arroganter præ se despiciunt, eosque illudunt et probris afficiunt; sic quoque alii vicissim ipsos despiciant, illudant et probris afficiant. Hæc enim est justa Dei vindicta, quæ eis insidiatur, uti leo insidiatur prædæ suæ, puta onagris aliisque feris. Huic sensui favet Tigurina: *Illusio*, inquit, *probrumque comitantur superbos, et ultio eis more leonis insidiabitur.*

Mystice.

Mystice Lyranus : « Illusio, inquit, et improperium superborum, » id est quæ a superbis humilibus et pauperibus inferuntur in verbis, « et vindicta » in factis, « sicut leo insidiabitur illi, » ad pœnam gehennæ, ut occulte quasi ex insidiis illum in eam pertrahat.

Apologus lupi et vulpis.

Huc facit apologus lupi et vulpis : Leo, inquiunt, æger decumbebat; officii causa inviserunt eum cætera animalia, excepta vulpe. Lupus ergo apud leonem accusavit. Cui vulpes : Ego, inquit, o leo, pro te circumcirca cursitavi sola, ut malo tuo a medicis remedium quærerem, illudque reperi. Cumque leo protinus edixisset ut remedium aperiret : Si vivum, inquit, lupum excories, et illius pellem induas. Leo credulus continuo lupum invasit et interemit. Quo extincto, risit astuta vulpes calumniatoris calumniam in ipsius recidisse caput. Unde carmen Plutarchi :

Damna parans aliis proprio parat hepati damna.

Vers. 32.

32. LAQUEO PERIBUNT, QUI OBLECTANTUR CASU JUSTORUM : DOLOR AUTEM CONSUMET ILLOS, ANTEQUAM MORIANTUR. — Per *laqueum* synecdochice intellige subitum et inopinatum casum et ruinam in quam ruunt impii, qui eam justis fabricarunt. Græce, *laqueo capientur, qui delectantur casu piorum, et dolor conficiet eos ante mortem*; Tigurina, *ante mortem dolore conficientur, q. d.* Longo dolore contabescent ante mortem, ita ut vita sit eis dura et longa mors, cui deinde succedet mors præsens et æterna in gehenna. Syrus, *laquei et retia ipsa scientibus ea, et ipsa comitabuntur eos usque ad diem mortis eorum.*

Vexant justos male pereunt. Exempla.

Exemplum est in Antiocho, qui, cum vexasset populum fidelem, puta Judæos, a Deo percussus diro dolore viscerum ac fœtore gravi, ita ut de corpore ejus vermes scaturirent, nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, suis æque ac sibi invisus, longo cruciatu enecatus, infelicem animam exhalavit, II *Machab.* IX; et in Herode, qui infantes occidit ut Christum perderet, qui, quinto die post patratum infanticidium febri, tussi, dysenteria, podagra, phthiriasi sive morbo pediculari, putredine verendorum, asthmate et fœtore diu cruciatus, adeo ut seipsum occidere conatus fuerit, scelestam animam efflavit, uti narrat Josephus, XVII *Antiq.* cap. X, et lib. I *Belli*, cap. XXI; et in Adriano Imperatore, qui Trajano succedens, Christi et Christianorum nomen abolere satagens, in Calvariæ monte, ubi Christus crucifixus est, Jovis simulacrum consecravit; et Bethlehem, ubi natus Adonidis Veneris amasii fano profanavit; tandem a Deo percussus, fluxu sanguinis, phthisi et hydrope, vivendi tædio affectus, conatus seipsum occidere, subtracto pugione, sævior factus petiit et venenum a medico; qui se ipse, ne daret, occidit. Tandem cibo et potu abstinens, inedia se confecit, anno Christi 140, imperii sui 24, ut narrant Dio et Spartianus in *Adriano.*

Apologus pantheræ.

Huc facit apologus pantheræ, quem recitat Phædrus, libertus Augusti Cæsaris, lib. III *Fabularum*, cap. XLI. Pantheræ enim in fossam lapsæ insultabant pastores, hi lapidando, illi sordes injiciendo, isti sagittando : at alii cautiores compatiendo escam illi subministrabant. Redeuntibus domum cunctis quasi fera jam perdita et sepulta, panthera e fossa exsiliit, secumque socias adducens invasit eos qui sibi insultarant. Ego, inquit, novi et notavi eos qui me læserunt, pariter illos qui me juverunt, et aluerunt: illos ergo laceravit, his, quasi gratias agens, applausit. Ita justi in hac vita, velut fossa, humiliantur, imo humiliant se : affligunt et calcant eos impii; pii vero eis compatiuntur. Quare, dum in die judicii justi ex hac fossa educentur et exaltabuntur ad thronos, ut judicent cum Christo orbem terrarum, condemnabunt impios, qui in suo casu exsultarunt; glorificabunt vero pios qui sibi compassi sunt, juxta illud : « Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris, » *Psalm.* LVII, 11.

Vers. 33.

33. IRA ET FUROR, UTRAQUE EXSECRABILIA SUNT, ET VIR PECCATOR CONTINENS ERIT ILLORUM. — Transit a perfidia, illusione et superbia, ad vicinam ei iram et furorem; itaque sternit viam ad ea quæ dicit capite sequenti de injuria et vindicta condonanda, *q. d.* Sicut exsecrabilem esse dixi per-

fidiam et superbiam ; sic pariter exsecrabilis est ira et furor. « Ira » differt a furore sicut genus a specie, et sicut imperfectum a perfecto. « Ira » enim est communis excandescentia et cupido vindictæ ; « furor » vero est vehemens ardensque ira, qua homo, velut furia agitatus, rapitur in gravissimas strages. Nam, ut ait S. Basilius, apud Antonium, in *Melissa*, part. II, cap. LIII : « Ira excitat rixam, rixa parit convicia, convicia ictus, ictus vulnera, et sæpe vulnera mors consequitur. »

Porro, τὸ *et vir peccator continens erit illorum*, tripliciter exponi potest : *primo*, *q. d.* Erit « continens ; » græce ἐγκρατής, id est compos, particeps, obnoxius illorum, scilicet iræ et furoris, hoc est, peccator proclivis erit in iram et furorem, ut ob levem voluptatem sibi negatam fiat iracundus et furiosus. Peccatum enim est velut furia quæ aliam furiam, scilicet iram et furorem, quasi sororem allicit et advocat. Unde Tigurina vertit, *et ira et furor exsecrabilia sunt, et vir scelerosus his est obnoxius* ; alii, *iracundia et ira, ipsa sunt exsecrabilia, et vir peccator continebit ea*. Vere Seneca, in *Proverbiis* : « Fulmen est ubi cum potestate habitat iracundia. Iracundiam qui vicit, hostem vicit maximum. Iratus etiam facinus consilium putat. » Excipe vitia ; vitiis enim irascendum est. « Non irasci in quibus oportet, insipientis est, » ait Aristoteles IV *Ethic.* Vitiis ergo irasci, sancti et sapientis est.

Secundo, Rabanus, *q. d.* Vir peccator « continens, » id est tenax, erit iræ et furoris, ut scilicet ea mente et memoria diu firmiterque retineat, ad se suo tempore vindicandum, cum ex adverso justus, dum iræ motum sentit, eum reprimat per timorem et amorem Dei ; aut, si quid iratus dixit, « illico ad cor redit et compungitur, » *Psal.* IV, vers. 5.

Tertio, Syrus hæc accipit de ira et furore Dei, *q. d.* Peccator aliis irascens, in eosque furens, pari ratione erit « continens, » id est reus et obnoxius iræ et furori divino, ut Deus iratus in eum quasi furens sæviat, et iram ira, furorem furore puniat. Sic enim vertit : *Odium et ira inquinamenta sunt, et vir fraudulentus perdet viam suam, et retributionem a Domino inveniet ; quia omnia peccata illius observando observata sunt illi*, ut suo tempore pro meritis vindicentur et puniantur. Huic sensui favet quod subjungit Siracides : « Qui vindicare vult, a Domino inveniet vindictam. » Estque hic sensus plenior, et priores duos complectitur.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur sermonem cœptum in fine capitis præcedentis de ira et vindicta. Unde septem rationibus docet injuriam non esse ulciscendam, sed condonandam, ac plane oblivioni tradendam, usque ad vers. 15. *Inde usque ad finem capitis multis ostendit quam lingua prava detractorum et susurronum sit pestifera : unde eam confert et in noxa præfert octo rebus nocentissimis, scilicet flagello, gladio, jugo ferreo, morti, inferno, flammæ, leoni et pardo.*

Porro rationes, quibus injuriæ condonationem suadet et persuadet, sunt hæ : prima, vers. 1 *usque ad vers.* 5 ; *quia si tuam injuriam vindices, Deus pariter suam injuriam sibi a te per peccata illatam vindicabit : sin eam remittas injurianti, Deus tuam quoque tibi remittet ; secunda, vers.* 5, *quia indignum est ut caro, id est, homo carneus, vilis et fragilis, homini carneo iram servet ob carneas et leves offensas, atque interim a Deo gravissimarum offensarum veniam postulet, aut ut alius pro earum condonatione obsecret ; tertia, vers.* 6 : Memento, *ait*, novissimorum, et desine inimicari ; *quarta, vers.* 8 : Memorare, *ait*, timorem Dei, et non irascaris proximo ; *timor enim Dei cohibet iram, utpote Deo ingratam et invisam ; quinta, vers.* 9, *quia lex Dei naturalis, divina et humana vetat vindictam ; sexta, vers.* 10, *quia injuriæ vindicta multa accumulat peccata, quæ omnia per patientiam et taciturnitatem evitantur ; septima, vers.* 11 *usque ad* 15, *quia ira turbat iratum, totamque domum, imo totam viciniam, civitatem, et sæpe totam rempublicam ; iræ vero remissio et patientia pacem tam inter amicos quam inimicos conciliat et redintegrat.*

1. Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. 2. Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. 3. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam ? 4. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur ? 5. Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo ? quis exorabit pro delictis illius ? 6. Memento novissimorum, et desine

inimicari : 7. tabitudo enim et mors imminent in mandatis ejus. 8. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. 9. Memorare testamentum Altissimi, et despice ignorantiam proximi. 10. Abstine te a lite, et minues peccata : 11. homo enim iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam. 12. Secundum enim ligna silvæ, sic ignis exardescit : et secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, et secundum substantiam suam exaltabit iram suam. 13. Certamen festinatum incendit ignem : et lis festinans effundit sanguinem : et lingua testificans adducit mortem. 14. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit : et si expueris super illam, exstinguetur : utraque ex ore proficiscuntur. 15. Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes. 16. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem. 17. Civitates muratas divitum dextruxit, et domos magnatorum effodit. 18. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. 19. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis. 20. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. 21. Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. 22. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. 23. Beatus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus : 24. jugum enim illius, jugum ferreum est : et vinculum illius, vinculum æreum est. 25. Mors illius, mors nequissima : et utilis potius infernus quam illa. 26. Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias injustorum : et in flamma sua non comburet justos. 27. Qui relinquunt Deum, incident in illam, et exardebit in illis, et non exstinguetur, et immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. 28. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia et seras. 29. Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos : 30. et attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. QUI VINDICARI VULT, A DOMINO INVENIET VINDICTAM, ET PECCATA ILLIUS SERVANS SERVABIT, — scilicet Dominus. Aliqui sic exponunt, *q. d.* Qui vindicari vult, non se ipse vindicet, sed Domino vindictam relinquat, qui dixit : « Mihi vindicta, et ego retribuam, » *Hebr.* X. Et : « Mea est ultio, et ego retribuam, » *Deut.* XXXII. Non quasi vindictam a Deo postulare liceat, sed quod ipse Deo ea committenda sit, omni cura deposita. Verum huic sensui repugnant Græca quæ habent : *Qui vindicat, a Deo inveniet vindictam,* qui, ut sequitur, *peccata* vindicantis *servans servabit.* Igitur « vindicari, » id est vindicare : sic enim Siracides subinde verba terminatione passiva usurpat pro deponentibus, quæ significatione activa sunt, ut patet ex dictis in procemio. Unde Græca habent : *Qui vindicat, a Domino inveniet vindictam.* Pro *servans servabit* græce est διατηρῶν διατηρήσει, id est observans observabit, vel asservans asservabit, id est studiose et constanter ea tum oculis mentis suæ observabit et annotabit, tum asservabit in memoria ut puniat. Aliqui legunt : διασηρίζων διασηρίζει, id est *confirmans confirmabit;* Tigurina, *cupidum ultionis ultio manet a Domino, qui peccata ejus sedulo conservabit;* Syrus, *retributionem a Domino inveniet* (odium et ira), *quia omnia peccata illius observando observata sunt illi.* Ratio est, talio. Lex enim talionis habet : « Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, » *Matth.* VII, 2. Si ergo proximo in te peccanti non exhibes condonando clementiam, sed indignando paras vindictam ; par est et justum, ut et Deus tibi peccanti offensas gravissimas in se admissas non condonet per clementiam, sed acerrime puniat per vindictam. Quare cum Deus immensa sua clementia pœnitenti peccata remittat, eorumque obliviscatur; vindicanti tamen, ideoque impœnitenti, peccata omnia servans servabit, id est diligentissime ea observabit, et constantissime in mente asservabit, ut acerrime castiget et vindicet. Hoc est quod Christus fuse docet in parabola talentorum, in qua servo nolenti dimittere conservo supplici centum denarios, revocavit debitum centum millium talentorum jam remissum et condonatum, omnia ab eo rigide exigens usque ad novissimum quadrantem, *Matth.* XVIII, 32. Idcirco jussit nos quotidie orare : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » *Matth.* VI, 12. ut volentes petentes-

que nobis condonari nostra, condonemus et ipsi aliena; hanc enim conditionem statuit, et a nobis exegit Deus. Et merito, quia hominis in hominem, qui non nisi vanitas est, offensa levis est; tum quia in parem, parvum et abjectum; tum quia parvi omnia sunt parva; quare quidquid ei per injuriam aufers vel infers, parvum est. Hominis vero in Deum offensa infinita est; quia contra Deum infinitum: peccato enim offenditur infinita majestas, eaque divina, imo tota sancta Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Ergo si, quantus est offensus, tanta est ejus offensio, cum Deus sit immensus, ejus quoque offensio erit immensa; homo vero cum sit pusillus et quasi nihil, ejus quoque offensa erit pusilla et quasi nihil. Igitur quis non stupeat, ait Palacius, si videat Deum donantem nobis in Christo omnia delicta gravissima, et delentem quod contra nos erat chirographum condemnationis? quis audeat injurias suas pusillas servare vel vindicare, sciens se hac ratione Dei in se vindictam gravissimam, utpote gravissimorum peccatorum, provocare? quis non omnia ultro condonet, ut a Deo tantorum condonationem recipiat? si quis ita in ira sit pertinax, ut nolit homini offendenti in ejus gratiam condonare injuriam, condonet eam saltem in gratiam sui, imo in gratiam Dei et Christi, adeoque condonet Deo et Christo. Ipse enim sibi eam præstitam æstimat, qui dicit: « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, » *Matth.* XXV.

Hæc omnia intellige de vindicta privata: nam publica quæ fit a magistratu ad puniendos sontes, qui pacem reipublicæ turbant, est sancta et præcepta a Deo, *Rom.* XIII et alibi; est enim actus justitiæ. Justitia enim alia est commutativa, alia distributiva, alia vindicativa.

Præclare S. Augustinus, serm. 4 *De S. Stephano*: « Judex dicit, inquit, occide; et tortor occidit, et tu quando dicis: Occide inimicum meum, te facis judicem, et Deum quæris esse tortorem. Respondet tibi Deus: Non ero prorsus, non ero peccatoris tortor, sed liberator; quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: nam si voluntatem tuam haberem, te prius occiderem, antequam invitatus venires: nonne me blasphemasti? nonne me in tuis malis operibus irritasti? nonne nomen meum de terra delere voluisti? nonne me in præceptis vel in servis meis contempsisti? Si tunc te occidissem inimicum, quem modo facerem amicum? quid ergo male orando doces me, quod non feci in te? imo ergo dicit tibi Deus: Doceam te, ut imiteris me; in cruce pendens dixi: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; docui hoc milites meos, docui martyres: prius esto et tu martyr meus, tiro meus adversus diabolum; aliter invicte nullo modo pugnabis, nisi pro tuis inimicis oraveris. » Et *serm.* 5: « Per amorem hominis inimici efficeris amicus Dei, imo filius. » Idem in *Psalm.* XXX, sub finem: « Vindicari, inquit, vis, Christiane, nondum vindicatus est Christus. » Idem, tract. 7 *in epist.* I *S. Joan.*: « Quis quis, inquit, violat charitatem (per cupidinem vindictæ), vita ipsius negat Christum in carne venisse, et iste est Antichristus. »

Celebre est exemplum S. Nicephori, qui injuriam condonans palmam martyrii obtinuit, a qua excidit Sapricius, qui eam jam in manibus habebat, eo quod injuriam condonare nollet. Exstat rei gestæ historia in *Vita S. Nicephori*, apud Surium, die 9 februarii. Quare præclare S. Gregorius Nazianzenus, in *Tetrastichis*:

> Pœnæ, ait, si nihil vindici debes Deo,
> Nec debitori lenis ipse sis tuo.
> Debere sin te non negas, ignoscito:
> Veniam rependit nam Deus clementiæ.
> Deum æmularis proximos juvans tuos.
> Et concedamus quippiam, ut quod majus est
> Recipiamus, nimirum concordia. Cedamus,
> Ut vincamus: ignoscamus, ut ignoscatur nobis:
> Remittamus, ut remitti nobis postulemus:
> Dimitte tu cui dimissum est. Misericordia
> Benignitatem, dum licet, tibi compara.

Hæc et plura citat Damascenus, lib. I *Paralipomenon*, cap. I.

Huc facit apologus Gabriæ, qui Platonem et Siracidem antecessit, de equo et apro. Equus, inquit, pugnabat cum ferocissimo apro. Impetum vero feræ equus cum penitus non sustineret, advocavit venatorem jugulandæ feræ peritum. At ille: Sine, inquit, in dorsum tuum inscendam, ut celeriter a te invectus in improbum hostem tuum, eum hasta conficiam. Suscepit equus virum, atque ex illo tempore sessorem et servitutem patitur. Affabulatio: Nonnulli ob inimicitias in servitutem sese dedunt, ac dum suas injurias ulcisci volunt, novas et majores sibi accersunt. Ita multi principes et populi christiani, dum acrius inimicitias mutuas persecuti sunt, ideoque Turcam in auxilium vocarunt, ejus jugum subiere, sub quo nunc misere gemunt, sero suam vesaniam incusantes. Sic qui injuriam suam ulciscitur, dæmonem tacite vocat in auxilium, ideoque ei se subdit et mancipat. Unde Sophronius, vel potius Joannes Moschus, in *Prato spirit.* cap. CLXI: Isaac Abbati, inquit, apparuit dæmon in figura adolescentis, dicens: « Ego sum qui præsum iræ et memoriæ injuriarum, ideoque tu meus es. » Roganti, « quare? » respondit Dæmon: « Quia tres dies dominicos communicans egisti, et inimicus es vicini tui; nam propter lenticulam iratus es illi. » Antonius in *Melissa*, part. II, cap. LIV, citat illud Martini anachoretæ: « Qui memor est injuriæ dæmonum, non meminit injuriæ hominum; et pacem cum dæmonibus agit, qui fratri irascitur. Crœsus filii sui interfectori, qui se ad supplicium offerebat, dedisse veniam dicitur: hinc pariter huic ipsi Crœso magnus ille Cyrus (qui eum bello vicit et cepit) post victoriam amicus factus esse fertur. » Quare prudenter Sapiens: « Injuria, inquit, oblivione ulciscenda; » oblivio enim delet

Apologus equi.

et abolet injuriam : summa ergo ejus est ultio, utpote quæ eam perimat.

Vers. 2. 2. RELINQUE PROXIMO TUO NOCENTI TE (*tibi* ; simili syntaxi dicitur : « Nihil illum (pro *illi*) nocuit, » *Luc.* IV, 35), ET TUNC DEPRECANTI TIBI PECCATA SOLVENTUR. — « Relinque ; » græce ἄφες, id est remitte injuriam proximo, qui tibi nocuit; Syrus, *dimitte id quod in corde tuo est, et pro te ora, et omnia peccata tua dimittentur tibi.* Hoc est quod ait et promittit Christus : « Dimitte, et dimittemini. » Et : « Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum ; dimittet et vobis Pater cœlestis delicta vestra, » *Matth.* VI, 14. Nota : Τὸ *solventur* significat peccata esse funes quosdam spiritales, qui animam ream colligant et constringunt, juxta illud : « Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur, » *Proverb.* V, 22. Funes hi sunt reatus culpæ, et reatus pœnæ, sive obligatio qua anima, quæ peccavit, obstringitur Deo ad satisfaciendum ei pro injuria per peccatum illata, indeque nascens obligatio ad pœnam tum præsentem, tum æternam in gehenna.

Denique τὸ *proximo* dat stimulum ad condonandam ei injuriam. Proximus enim est amicus nobis vicinissimus et conjunctissimus : amicis autem ob amicitiam multa condonanda sunt. « Charitas enim operit multitudinem peccatorum, » I *Petri* IV. Si quis ergo te offendit, cogita quod proximus, id est tibi intimus est, et in Christo frater, particeps ejusdem fidei, gratiæ et gloriæ. Illi ergo leviculas offensas condona : omnes enim leviculæ sunt, si cum Dei filiatione ac fraternitate gratiæ et gloriæ comparentur. Mensuram igitur remissionis nobis statuit Deus nos ipsos. Sicut enim nos gerimus cum proximo, sic se Deus gerit nobiscum : si proximo remittamus debita sua, Deus remittet nobis nostra. Imo quisque sibi hanc mensuram statuit, dum quotidie orans dicit : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Quare si nolit proximo dimittere, hisce verbis implicite significat et dicit : Domine, oro te ut mihi mea peccata non dimittas, sicut ego nolo proximo sua dimittere.

Convicians beneficium præstat.

Accedit quod inimicus, convicium in nos jaciens, sæpe verum jacit : occultum enim vitium pandit; quo fit ut illud (quod prius philautia excæcati non videbamus) advertamus et emendemus. Quod sane reipsa beneficium est potius quam maleficium. Simile est quod scribit Plinius, lib. VII, cap. L, *De Phalæreo,* qui ab hoste apostema secante sanitati restitutus est : « Phalæreus, inquit, deploratus a medicis vomicæ morbo, cum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste. » Sic multi vitii remedium accipiunt ab æmuli convicio. Exemplum est in S. Monica, quæ ab ancilla irata convicio meribibulæ icta, vinolentiam prorsus abdicavit. « Nonne, ait S. Augustinus, lib. IX *Confess.* cap. VIII, Deum alloquens, protulisti durum et acutum de altera anima convicium, tanquam medicinale ferrum ex occultis provisionibus tuis, et uno ictu putredinem illam præcidisti? » Vide Plutarchum, lib. *De Utilit. ab inimicis capienda.*

Vindicare est pusillanimis, parcere magnanimi.

Porro, vindictæ cupido oritur ex animi pusillanimitate, quæ non potest unum verbum durius aut verber decoquere. Hinc animalia magnanima injurias dissimulant, ut leo prosternenti se ignoscit et parcit. Sic luna non movetur latratu canum, sic nimbos excedit Olympus. Vide Senecam, in *Sapiente,* lib. *De Ira,* et lib. *De Clementia.* Quare ut quis vincat iram et vindictam, magnanimus sit oportet. Talis fuit Julius Cæsar, qui audiens Catonem sibi mortem conscivisse, ne in Cæsaris manus veniret : « Invidit, inquit, gloriæ meæ, quam illi parcendo peperissem. » Nam, ut ait S. Ambrosius, lib. IV, epist. 29 *ad Florianum* : « Magna gloria est, si, cui potuisti nocere, parcas. » Et M. Antonius Imperator, lib. VI *De Vita sua* : « Ulciscendi, inquit, optima ratio est, ne similis fias ei qui injuriam fecit. » Et lib. I sic orditur : « Ab avo meo vero didici placidis esse moribus, et iræ abstinens. »

Vers. 3. 3. HOMO HOMINI RESERVAT (græce συντηρεῖ, id est conservat) IRAM, ET A DEO QUÆRIT MEDELAM? — Græce, ἴασιν, id est *sanitatem, q. d.* Homo homini sibi æquali injuriam reservat ad vindictam : qua fronte ergo, qua impudentia injuriæ a se Deo illatæ quærit medelam et veniam? Rursum τὸ *homini* alium dat stimulum ad condonandum illi, *q. d.* Qui te offendit, homo est, non angelus. Quid vero ab homine, qui fragilis est et mendax, nisi lapsus, errata et mendacia speres? Mirandum est si homo bene agat; condonandum ejus fragilitati, si peccet. Tigurina, *anne homo iram alat adversus hominem, et a Domino salutem postulet?* Syrus, *homo homini servat iram, a Domino cur quærit sanitatem* animæ, puta sanctitatem? Hinc e contrario colligas viam ad magnam gratiam et sanctitatem esse injuriarum condonationem.

Hoc sciebat S. Alexander, Patriarcha Alexandriæ, qui, cum notarius suus furatus esset aurum, ac metu fugiens incidisset in latrones, injuriam novo beneficio pensans, eum redemit 85 nummis. Alias a diacono injuria affectus, prostratus humi veniam ab eo petiit, dicens : « Ignosce mihi, domine frater, » uti refert Joannes Moschus in *Prato spirit.* cap. XXXIV. S. Antonius, audiens monachum quemdam laudari quasi sanctum, rogavit num esset patiens injuriarum; cumque illi negarent, dixit ei : « Similis est domui, quæ exterius quidem ornata est, interius vero a latronibus despoliata. » Ita Rufinus, lib. III in *Vitis Patrum,* LXXXVIII. Igitur verus est monachus et perfectus, qui injurias tolerat, et injurianti bene precatur, estque instar idoli, puta statuæ lapideæ, quæ injuriis et verberibus lacessita non irascitur, imo non sentit. Simili enim modo vir perfectus nec laude, nec injuria movetur, ut habetur in *Vitis Patrum,* lib. III, num. 199.

Vers. 4. 4. IN HOMINEM SIMILEM SIBI NON HABET MISERICORDIAM, ET DE PECCATIS SUIS DEPRECATUR? — Indignitatem iræ et vindictæ exaggerat, aliosque ad condonandum adhibet stimulos : *Primo, q. d.* Cogita quod ille qui te offendit, tibi similis est, ac vicissim tu illi similis es, non tantum quoad naturam, sed etiam quoad fragilitatem et lapsus humanos; quare si ille peccator est, tu quoque peccator es : si ille te offendit, tu quoque eumdem vel alios sæpe offendisti et offendis. Ignosce ergo illi, sicut tibi cupis ignosci. *Secundo,* alium stimulum dat τὸ *non habet misericordiam, q. d.* Qua audacia, qua præsumptione homo immisericors, et in similem sibi crudelis, poscet a Deo misericordiam, eamque non de uno, sed de multis eisque gravissimis peccatis? Quod si Filium Dei, ait Palacius, ea causa movit ad hominum peccata condonanda, quod homo erat eis similis, ac ideo sibi ipsi videbatur fecisse, quod hominibus faciebat, cur non et tu, o homo, homini tibi simili noxam condones? Nam dum odis congenerem et similem tibi, teipsum odisse videris. Quare ut Deum, ut Christum imiteris, oportet ut omnimode et ex intimo corde injuriam condones. « Sunt enim aliqui, » ait S. Bernardus, serm. *De septem panibus,* qui donantes injuriam, ut non ulciscantur, sæpius tamen improperent. Sunt et alii, qui sileant licet, manet tamen alta mente reposta, et rancorem tenent in animo. Quorum utique neutra plena indulgentia est. Longe his hominibus benignissima est divinitatis natura : libenter agit, ignoscit plenarie; ita ut propter fiduciam peccatorum (sed pœnitentium) ubi abundavit delictum soleat et gratia abundare. Testis est Paulus, Gentium doctor, qui plus omnibus cum divina gratia laboravit. Testis est Matthæus, de telonio electus in Apostolum, cui etiam novi Testamenti primum scriptorem esse donatum est. Testis est Petrus, cui, post trinam negationem, totius Ecclesiæ pastoralis cura commissa est. Testis denique etiam famosissima illa peccatrix, cui in ipso conversionis initio tanta multitudo dilectionis concessa est, tanta postmodum indulta gratia familiaritatis. Quis accusavit Mariam, et pro se eam oportuit respondere? si Pharisæus murmurat, si Martha conqueritur, si scandalizantur Apostoli, Maria tacet, Christus excusat, etiam et laudat tacentem, » etc. Mirum hac in re exemplum dedit S. Leo III Pontifex, qui Adriano I successit anno Domini 799, ac Carolum Magnum Imperatorem Augustum in basilica S. Petri declaratum coronavit. Huic enim Leoni ab invidis oculi eruti sunt, et lingua radicitus præcisa : quin et eumdem in ecclesia raptatum, juxtaque confessionem semivivum relictum, in suo sanguine volutatum, in arctissimam compegere custodiam. Verum noctu S. Petrus per visum illi oculorum lumen et linguam restituit. Cumque Carolus Magnus, paulo post Romam adveniens, carnifices hos pœna capitis damnasset, S. Leo pro ipsis intercessit, vitamque iis qui suæ insidiabantur, impetravit. Ita Platina, Baronius et alii. Præclare Sidonius Apollinaris, lib. IX, epist. 4 *ad Græcum Papam,* id est Episcopum : « Velis, nolis, inquit, quisquis contempti Mediatoris consequitur regnum, sequitur exemplum. Quantaslibet nobis anxietatum pateras vitæ præsentis propinet afflictio, parva toleramus, si recordamur, quid biberit ad patibulum qui invitat ad regnum. »

Rarum Leonis III exemplum.

Vers. 5. 5. IPSE CUM CARO SIT, RESERVAT IRAM, ET PROPITIATIONEM PETIT A DEO, QUIS EXORABIT PRO PECCATIS ILLIUS? — *q. d.* Indignum et intolerabile est ut homo carneus, id est vilis, fragilis, mortalis, homini carneo, qui per carnis fragilitatem sæpe labitur, ideoque miseratione dignus est, non ira, reservet iram; et interim suorum criminum contra Deum admissorum ab eo petat propitiationem. Quis ergo audebit pro peccatis illius deprecari? Tigurina, *quod si mortalis ipse fovet iram, et veniam petit a Deo, quis peccata ejus expiet?* Syrus, *qui homo est, non vult parcere ei, quis dimittet peccata sua?* Syrus enim et Græca jam non habent τὸ *et propitiationem petit a Deo?*

Præclare Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist.* 211, ait : « Inimicitiam in aqua scribere oportet, ut quamprimum oblitteretur; amicitiam autem in æs incidere, ut perpetuo firma et immota conservetur. » Et Beda in *Proverbiis* : « Tantum quisque proximum portat, quantum amat. » Abbas Pimenius, apud Rufinum, lib. III in *Vitis SS. Patrum,* num. 201, rogatus quomodo quis possit animam pro fratribus ponere, uti jussit Christus, *Joan.* XV, respondit : « Si quis audit verbum malum a proximo suo, et cum possit similia respondere, pugnat tamen in corde suo portare laborem, et vim facit ne respondeat malum, ut contristet illum. Talis animam suam ponit pro amico suo. » Abbas Agathon dixit : « Si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea; quæ si injuriatur, non irascitur : si glorificatur, non extollitur. » Ita *Vitæ SS. Patrum,* lib. VII, cap. XLII, num. 2.

Gentilium error de vindicta laudat.

Vide hic ut fides transcendat naturam corruptam, et lumen fidei corrigat lumen rationis. Gentiles enim philosophi, lumine naturæ ducti, censuerunt amicis et beneficis esse benefaciendum, inimicis vero et maleficis malefaciendum. Rursum, tolerare injuriam esse pusillanimis, vindicare vero magnanimi : quod et hodie inter Catholicos multi perperam censent, ideoque duella capessunt, injuriam sibi illatam ulciscuntur, ignominiam non solum talione, sed et gladio vindicant. Quæ sane omnia gentilitia sunt, ac corruptæ et superbæ naturæ dictamina, quæ proinde confutat et corrigit hic Siracides, ac Christus, *Matth.* V, 44, et Paulus, *Rom.* XII, 20. Audi inter cæteros Senecam in *Proverbiis,* cujus hæ gentiles, nec christianæ, sed antichristianæ de vindicta sunt sententiæ : « Contumeliam nec facere fortis potest, nec ingenuus pati. Inimicum ulcisci, vitam accipere est alteram. Vires tuas amici beneficiis, inimici injuriis sentiant. » Sapientius et christia-

nius idem : « Magni animi est proprium esse tranquillum, injurias atque offensiones semper despicere. Quam magnarum virium est negligere lædentem ! qui enim vindicat, sentit. Quam inimicum est nocuisse, vel quia oderis, lædere ! Optimum est semper ignoscere, tanquam si ipse pecces quotidie. Si quis irascitur, pœnas ab alio expetit, a se exigit : severissime enim nos adversum peccantes gerimus, et ipsi eadem committimus. Sicut formosa pictura est, cujus nulla pars errat : sic formosus homo, in quo nulla peccati macula est. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc omni vitæ genere teneamus, ut nobis inexorabiles simus, exorabiles illis qui non nisi sibi dare veniam nesciunt. » Pientius et divinius S. Basilius, epist. *ad Canonicam* : « Debet, ait, quisque adniti ut, si aliquem sibi infensum habeat, ejus animum mitiget quantum possit. » Et S. Chrysostomus, lib. I *De Compunctione*, docet non sufficere nihil mali facere inimicis et iis qui nos læserunt, si intra nos retineamus insanabile vulnus offensæ. Nam « Christus, inquit, non solum vult nos ignoscere delinquentibus, sed ut etiam amemus eos, et oremus pro ipsis. Nam si duntaxat non lædas eum qui te læsit ; avertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, et dolor augescit in corde. Quod si ita est, nondum utique quod Christus mandavit, impletur. Numquid tu ita vis tibi propitium fieri Deum, ut non quidem te lædat, avertat se tamen abs te, et peccatorum tuorum memoriam gerat, et te videre nolit ? Igitur qualem vis erga te esse Deum, cum delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te, sicut et quidam sapientum scribit dicens : Homo homini tenet iram, et a Deo quærit sanitatem. Et si erga hominem similem sibi non habet misericordiam, quomodo pro peccatis suis exorat Deum, cum ipse caro sit, et teneat iracundiam ? Quis propitiabitur peccatis ejus ? » Vide eumdem S. Chrysostomum, hom. 27 *in Epist. ad Romanos*.

Vers 6 et 7.

6 et 7. MEMENTO NOVISSIMORUM, ET DESINE INIMICARI : TABITUDO ENIM ET MORS IMMINENT IN MANDATIS EJUS. — Perperam pro *tabitudo* aliqui legunt « beatitudo ; » græce enim est καταφθορά, id est corruptio, tabes, interitus. Dat tertium stimulum, eoque pungit offensum, ut deponat iram et inimicitiam, *q. d.* Cum irasceris, memento novissimorum, puta mortis, judicii et gehennæ : ex horum enim memoria et consideratione facile depones iram et inimicitiam, quia « tabitudo, » id est corruptio, mors et interitus imminent, id est insunt et proponuntur in mandatis ejus, scilicet Dei, universalis legislatoris : hæc enim Dei mandata prævaricantibus, quales sunt iracundi, qui odia fovent, mortem præsentem et æternam comminantur. Ut ergo hanc Dei ultionem effugias, iram depone, et ultionem privatam condona. Unde S. Ambrosius, lib. IV, epistola 29 *ad Florianum* : « Peccanti in te, inquit, non retribuas secundum culpam, sciens quod in te venturum est judicium. Nam non habebis indulgentiam, nisi alteri donaveris. Odium enim hominem separat a regno, a cœlo subtrahit, a paradiso dejicit. » Græca Complutensia habent, *memento novissimorum, et desine inimicari, et ne mineris proximo perniciem et mortem, et acquiesce præceptis* ; Græca vero Romana sic, *memento novissimorum, et desine inimicari ; tabitudinis et mortis* (repete τὸ *memento*), *et permane in mandatis* ; Tigurina, *memento extremorum, et depone inimicitias ; exsilium aut mortem alteri ne molire per iram, sed persiste in mandatis* ; Syrus, *memento mortis, et transire fac inimicitiam, et infernum, et perditionem, et contine te a peccatis*. Nomine ergo « novissimorum » intelliguntur maxime judicium et gehenna, quæ Deus in novissimo mundi die omnibus impiis, quales sunt vindictæ cupidi, intentabit : possunt tamen quælibet accipi, etiam mors et cœlestis gloria. Nimirum qui cogitat se per vindictam amissurum æternam felicitatem, per condonationem eam adepturum, facile eamdem condonabit, et, ut vulgo dicitur, obolo emet talentum. Plane deponet furorem, qui furorem Dei in morte, judicio et inferno novit explicandum, et in non remittentem effundendum. Plane mors attentius considerata mortem affert affectionibus nostris, quantumvis vivæ et vigentes fuerint. Qui intelligit sibi præscindi vitam, non velut leo irascitur, sed sicut pullus hirundinis clamat, meditatur ut columba, uti fecit Ezechias rex moribundus, *Isaiæ*, XXXVIII. Porro id quod sequitur : « Tabitudo enim et mors imminent in mandatis ejus, » hoc est, inquit Palacius, putredo corporis et mors animæ impendent et imminent violationi mandatorum Dei. Ille jubet ita : « Mihi vindicta, » cave ne hoc mandatum violes. Ita enim cogita, divina mandata esse velut nubes jamjam in pluviam impendentes, ut pluant super bonos innumera bona, super malos vero corruptionem corporis et mortem animæ. Siquidem in inferno corpus damnati putre erit, scilicet pascentur illud vermes, et anima mortem secundam (quæ vera mors est) patietur.

Porta cœli injuriæ perpessio.

Hoc sciebant sancti ascetæ, quorum hoc erat axioma, mundo paradoxum : « Porta cœli est injuriarum perpessio. » Qua de causa injurias mercede emebant, ut patet lib. VI *Vit. SS. Patr.* ; lib. IV, num. 12. Alter petens a seniore : « Da mihi, pater, viam per quam salver ; » ab eo audivit : « Si potueris injuriari, et affici conviciis, et portare, ac tacere. » *Ibidem*, lib. III, num. 85 : « Angelorum est nulli irasci, sed esse in pace perpetua ; dæmonum autem, irrevocabiles per omnem vitam exercere inimicitias : » hominum vero sapientum, breviter quidem fortasse irasci, cito autem reconciliari, ait quidam sanctorum. S. Bernardus de Quinta-Valle, primus S. Francisci socius, moriens hoc solo gloriabatur, quod inimi-

Gnomæ S. Bernardi.

cos post offensam magis dilexisset quam ante. Hæc enim fuit ultima morientis vox et oratio : « Fratres charissimi, considerate quod statum, quem ego habui, et vos habetis, et quem ego nunc habeo, vos habituri estis ; invenio autem in anima mea, quod pro mille mundis isti æqualibus nollem non servisse Domino Jesu Christo. » Et mox in terram provolutus : « De omnibus, inquit, offensis, quas feci Salvatori meo Domino Jesu Christo et vobis, me accuso, et dico gravissimam culpam meam, quoniam non fui verus frater Minor, nisi in tentationibus, in quibus semper me tenuit Dominus. Et in uno alio solo exstitisse fratrem Minorem me reperio, videlicet quod plus dilexi fratrem post offensam, quam ante. Rogo autem ut pro me devote oretis, sed magis hoc oro ut vos invicem diligatis, quemadmodum exemplum dedi vobis. » Ita habent *Annales Minorum* P. Lucæ Waddingi, anno Christi 1241, num. 9.

Mystice. Mystice noster Alvarez de Paz, lib. I *De Exstinct. vitior.* parte II, cap. XIII : « Tabitudo et mors, inquit, imminent in mandatis ejus. » Quoniam mandata neglecta hanc acediæ mortem et tabem afferunt, ut homo ad universa bona se non solum tardum, sed quasi impotentem inveniat. Hæc vero secunda est velut somnus, non jam sensus corporis, sed animæ vires illigans, ne valeant actiones virtutum præstare. Unde Paulus, *Rom.* cap. III, 11, ait : « Hora est jam nos de somno surgere, » id est, ut interpretatur S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. XXII, « de statu teporis. » Et Salomon, *Proverb.* cap. XIX, 15 : « Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet. » Ac S. David, *Psalm.* CXIX, 28 : « Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Proprie satis, » ait Cassianus, lib. X, cap. IV, « non corpus dixit, sed animam dormitasse. Vere enim ab omni contemplatione virtutum et intuitu spiritualium sensuum dormitat anima, quæ perturbationis hujus telo fuerit sauciata. »

Vers 8. 8. MEMORARE TIMOREM DEI, ET NON IRASCARIS PROXIMO. — Græca pro *timorem* jam habent ἐντολὰς, id est *mandata*, quia mandata Dei incutiunt nobis reverentiam et timorem, dum sui prævaricationibus mortem pœnasque graves intentant. Unde Tigurina vertit : *Perpende mandata, nec irascaris alteri*, quanquam Noster pro ἐντολῶν videatur legisse φόβου, id est *timorem*. Hic ergo Dei timor refrenat iram : nam qui timet Deum, expellit peccatum, ac ideo etiam iram. Qui timet Deum, continens est justitiæ, ac ideo etiam mansuetudinis. Demum qui timet Deum, cavet iram contra proximum, ne forte hac ira Deum provocet ad iram, et talem inveniat Deum, qualis invenitur a proximo : Deo enim fit, quod minimo fit : ita Palacius ; per timorem enim hic, quemlibet, etiam servilem, sed maxime filialem intelligo. Filialis autem includit amorem Dei, imo ipse est amor Dei. Atque hic quartus est stimulus, isque nobilissimus et efficacissimus, ad frenandam iram, et condonandam injuriam, nimirum si cogites Deo gratum et carum esse ut condones : Deum id velle, et a te poscere ut sui amore eam remittas. Hic stimulus jam longe efficacior est, quando Christi habemus exemplum, documentum et præceptum, æque ac gratiam ad condonandum : Christus enim in cruce suis crucifixoribus condonavit, pro eisque Patrem oravit, dicens : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » Hoc exemplum omnes Christianos imitari voluit.

Exemplum S. Joannis Gualberti. Quocirca S. Joannes Gualbertus, fundator Ordinis Vallis-Umbrosæ, cum armatus in propinqui sui interfectorem incidisset, isque humi prostratus veniam Christi crucifixi amore flagitaret, eidem cædem condonavit. Ingressus deinde Florentiam in ecclesiam S. Miniati, coram crucifixo orans, vidit Christi e cruce pendentis caput ad se inclinari, tanquam ipsi gratias agentis, quod pro ejus amore hosti capitali pepercisset. Hodieque, hoc est post quingentos annos, pia illi Christi crucifixi caput adhuc e cruce exerentis effigies visitur et colitur. B. Juniperus, socius S. Francisci, magnus sui contemptor, tamque avidus vituperii quam cæteri sunt honoris et laudis, cum a quopiam afficeretur opprobriis, fimbrias pauperis lacernæ expandens : « Amice, inquit, projicias hue liberaliter, imple gremium istud lapidibus istis pretiosis (probra enim vocabat pretia et lapides pretiosos), imple, ne timeas. » Unde S. Franciscus de eo dicebat : « Utinam de hujusmodi Juniperis integram silvam haberemus ! » Ita Annales jam citati anno Christi 1210, num. 35. B. Juniperi. Elisabeth, Hungariæ regis filia, quadam vice orans Deum, ut singulos, qui eam injuria affecissent, singulari quopiam beneficio afficeret, ut injuriæ beneficium responderet, Dei responsum audivit, nunquam orationibus suis Deo sic placuisse ac tunc, pro eaque oratione universorum peccatorum remissionem ei concedi. Id inter alios refert Avila, *epist.* 6. S. Elisabethæ.

Remedium iræ est memoria Dei. Moraliter, disce hic efficacem stimulum ad cohibendam iram, et quamlibet concupiscentiam esse vivam memoriam Dei, qui omne vitium vetuit sub interminatione mortis et gehennæ, ac omni virtuti statuit bravium coronæ cœlestis. Ipse enim quasi agonotheta nos in palæstra hac luctantes intuetur, ut vincentes coronet, victos plectat. Quocirca Basilius, imperator Constantinopolitanus, *Exhort. ad Leonem filium*, tom. V *Biblioth. SS. Patrum*, ita eamdem filio commendat, cap. XIII : « Conscientiam tuam si pro lege habueris, et quæ pati ipse nolis, nunquam alios pati permiseris ; nullius unquam peccati reprehensionem sustinebis, et, si Deum in omni actione inspectorem et cognitorem sicut est, esse tibi persuaseris, nunquam neque palam, neque clam peccabis. Nam etsi alios latere videberis quæ secreto facies, at conscientiam certe tuam, et Deum,

ipsum, qui usque in abditos animi sinus ac recessus intuetur, revereberis : homines enim ea quæ corporis sunt vident ; at ea quæ in fundo animi latent, solus Dei oculus, quem nihil latet, penetrat. Sicut enim cum sol lucet, sub dio nihil occultum esse potest, ita inspiciente Deo, nullæ actiones occultæ et secretæ esse possunt. » Adde quod Dei clementissimi, patientissimi, imperturbabilis et tranquillissimi consideratio, ingens est stimulus ut iram refrenemus ; nihil enim nos Deo ita similes facit ac patientia. Unde B. Ælredus, in *Speculo charitatis*, cap. VII : « Quid, ait, divinæ tranquillitati tam proximum, quam illatis contumeliis non nocere, nullo supplicio, nullave persecutione terreri, unam mentis et in prosperis et in adversis habere constantiam, inimicum et amicum eodem oculo intueri ? »

Vers. 9. 9. MEMORARE TESTAMENTUM ALTISSIMI, ET DESPICE IGNORANTIAM PROXIMI. — « Despice, » id est parvipende, dissimula, parce, remitte « ignorantiam, » id est peccatum et offensam, quam contra te admisit proximus. Omne enim peccatum mixtam habet ignorantiam, id est imprudentiam et inconsiderationem quampiam. Si enim peccans prudenter consideraret quantum malum sit quod facit, utique illud non faceret. Peccatum vocat « ignorantiam » per miosin, ut offensæ gravitatem per ignorantiam extenuet, ideoque venia dignam ostendat, ac despiciendam potius esse quam æstimandam et vindicandam. Per *testamentum primo*, accipe legem Dei naturalem et divinam ; hæc enim sæpe in Scriptura vocatur hebraice ברית *berit*, græce διαθήκη, latine *testamentum*, id est fœdus et pactum ; quia conditio pacti, quod nobiscum pepigit Deus, ut simus ejus populus, et ipse sit nobis Deus, est hæc : ut servemus ejus legem. Sensus ergo est, *q. d.* Memorare legis Dei, quæ vetat vindictam, et præcipit injuriæ condonationem inimicique dilectionem, illamque menti tuæ incorpora ; ita fiet ut legis metu, reverentia et amore despicias et parvipendas omnem offensam, quam proximus ignoranter in te commisit. Lex enim Dei inter alia ita sancit : « Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, » *Levit.* cap. XIX, 18. Unde Syrus vertit : *Recordare præcepti, et ne odio habueris proximum tuum coram Deo, et da illi id quo indiget.* Severiorem contra iram et vindictam Christus sancit legem, *Matth.* V, 22 : « Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo : raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit : fatue, reus erit gehennæ ignis. » Cujus sane timor et memoria, omnes ab ira et vindicta revocare deberet.

Secundo, per *testamentum* proprie accipe pactum quo Deus omnes homines, præsertim fideles, in unam Ecclesiam vocavit et cooptavit, ut omnes essent sui filii, invicemque fratres per gratiam, ac hæredes per gloriam. Hoc enim pacto sanxit Deus amorem fraternum, ut omnes invicem diligant quasi fratres : quare vetuit eis irasci, eos lædere et vindicare : ex adverso præcepit ut, si quis a quopiam sit offensus, ei quasi fratri fragili et ignoranti condonet.

Rursum pactum hoc accipi potest, quo Deus pepigit et promisit nobis petentibus peccata condonaturum, hac conditione et lege, si peccata in nos admissa proximis condonemus, uti dixi vers. 1, *q. d.* Memento pacti Dei, scilicet quod Deus tibi offensas remittet, si tu remiseris proximo ; retinebit vero et acriter vindicabit, si tu eas retineas et conserves. Quare ut tuorum veniam mereris, veniam da proximo ignoranti. Unde Palacius : Testamentum, inquit, seu fœdus iniit tunc Deus cum Judæis, nunc vero cum Christianis, quod ipse esset illis et his Deus, sors, hæreditas : hi vero essent Deo gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis. Ergo si inimicitias cum fratribus alis, intellige te eas cum regibus, sacerdotibus, genteque sancta nutrire. Demum, si cum fratre bellum gerere placet, cum Deo intelligas te bellum gerere. Sapienter S. Basilius, *Admon. ad filium spiritalem* : « Qualem, ait, cupis erga te esse Dominum, talis esto ipse erga conservum tuum. » Regaliter vero Agapetus diaconus, *Admonit. ad Justinianum Imperat.* num. 23, ita eum instruit : « Talem te præsta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum esse. Prout enim audimus, audiemur ; et ut respicimus, respiciemur a divino cunctaque obtuente aspectu. Priores igitur nos misericordiam conferamus, ut pari par recipiamus. » Causam subdit : « Sicut exquisita specula tales monstrant vultuum apparentias, qualia ipsa sunt archetypa nitidas videlicet nitentium, tristes autem tristantium : eodem pacto justum Dei judicium nostris actionibus assimilatur. Qualia enim sunt quæ a nobis præstantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet. »

Vers. 10 et 11. 10 et 11. ABSTINE TE A LITE, ET MINUES PECCATA : HOMO ENIM IRACUNDUS INCENDIT LITEM, ET VIR PECCATOR TURBABIT AMICOS, ET IN MEDIO PACEM HABENTIUM IMMITTET INIMICITIAM. — Per *litem* aliqui accipiunt forensem, qua actor litigat cum reo coram judice in tribunali. Hæ enim lites forenses multarum fraudium, odiorum, detractionum, aliorumque peccatorum sunt causa. Melius tamen per *litem* accipias litigium et jurgium cum proximo ; græce enim est μάχη, id est lis, jurgium, contentio, rixa, pugna. Hæc enim multarum contumeliarum, minarum, maledicentiarum, verberum et cædium est causa : quæ omnia vitat, qui abstinet a lite. Litem jungit vindictæ quasi sororem sorori, quia utraque ex eadem matre, scilicet ira et odio, nascitur ; aut quasi filiam matri : vindicta enim quasi mater parit lites et jurgia, ac multi, ut injurias suas ulciscantur, litigant et jurgantur cum eo qui illas intulit. Probat quod dixit a contrario, dum subdit : « Homo enim iracundus incendit litem, » etc., *q. d.* Abstine a lite, et contine te in mansuetudine, ut minuas peccata. Nam si

Lis intelligenda.

ræ frena laxes, incendes ingentem litium pyram, imo multas pyras et ignes, ac consequenter multa earum peccata. Lis enim una serit aliam, sicut fragum unum serit multa: gliscit enim lis a duobus ad multos utriusque partis cognatos, amicos, vicinos: adeoque subinde totam urbem et provinciam in factiones et rixas discindit et accendit, uti patuit in Italia, in factione Alborum et Nigrorum; item Guelphorum et Gibellinorum, quæ totam Italiam turbarunt, rixisque et cædibus impleverunt. Est vero diaboli munus pacem urbium et reipublicæ turbare, sicut Dei, turbatam sedare, ait Palacius. Unde Tigurina vertit, *dbstine rixis* (alii, *a jurgio*), *peccataque minues; nam iracundus homo pugnam accendet. Vir sceleratus committit amicos, pacemque habentibus calumniam injicit*; Syrus, *elongare a rixa et elongabuntur a te peccata. Homo enim iniquus, qui amat litem, inimicitiam facit inter fratres.* Igitur sicut cos virtutis est pati, juxta illud: « In silentio et in spe erit fortitudo vestra, » *Isaiæ* XXX, 15; ita ex adverso cos vitii est nolle pati, ideoque litigare et rixari. Idipsum probat Siracides per appositam similitudinem ignis silvam accendentis, dicens: « Secundum ligna silvæ, » etc.

Exemplum caprarum.

Memorabile est quod scribit Plinius, lib. VIII, cap. L, de capris: « Solertiam, inquit, ejus animalis Mutianus sibi visam prodidit in ponte prætenui, duabus obviis e diverso: cum circumactum angustiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate cæca, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatæ supergressam; » ita decumbens et suæ et alterius obviæ saluti consuluit. Disce, o homo, a capra, in lite nonnihil de jure tuo decedere; ita tibi et proximo consules, litem vitabis, pace frueris. Quocirca S. Ignatius, fundator Societatis Jesu, suis hoc dogma reliquit:

Nulli vel minimo quavis ratione repugnes,
Cedere te potius quam superare juvet.

Subdit Plinius capras « auribus spirare, non naribus, nec unquam febri carere, Archelaus auctor est: ideoque fortassis, quod anima his quam ovibus ardentior. » Disce, o homo, a capra, spiritus iracundos ab ore et naribus relegare ad aures et dorsum, ut iratus os claudas, aures aperias, ut mollia aliorum monita, quæ iram litemque sedent, excipias. Denique « tradunt, ait Plinius, capras noctu non minus cernere quam interdiu: ideo si caprinum jecur vescantur, restitui vespertinam aciem his quos nyctalopos (luciosos) vocant. » Disce, o homo, a capra, acuere aciem mentis, ut videas quam lites sint molestæ et noxiæ, itaque sapientiam sedandi lites nyctalopos, id est præavaritia et ira cæcutientes, ideoque litigantes doceas.

Est hic septimus stimulus ad remittendam iram et vindictam, quod scilicet per hanc remissionem innumera peccata ex ira et rixa nasci solita vitentur. Nam, ut præclare scribit Laurentius Justinianus, lib. *De Disciplina et Con. mon.* cap. XIII: « Contentio est ignita diaboli sagitta ad perdendas animas. O quanta jurgia, quanta odia ex contentiosis oriuntur sermonibus! O quoties veritas occultatur, et falsum pro vero defenditur timore confusionis! Pessimum namque malum est contentioni vacare, per quam amicitiarum compago dissolvitur, et animorum dulce vinculum dissipatur. Qui contentiosus existit, antiqui hostis in se immissiones admittit, diaboli ministerium operatur, dirumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honestatem, sapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, et ipsam cœlestem in se occidit charitatem. »

S. Gregorius Nazianzenus.

Quocirca S. Gregorius Nazianzenus, epist. 62 (alias 56) *ad Eustachium*, sophistam, seipsum temeritatis incusat, quod eum redarguens, ejus in se convicia conscivisset: « Quale illud est, inquit, quod ignoravi? quam stultum et ineptum! Virum sophistam castigare instituI. O singularem audaciam, ac ne a vulgari quidem proverbio eruditus sum, ut, cum calvus essem, cum ariete adversa fronte ne congrederer, nec crabronem lacesserem et irritarem, hoc est, linguam ad maledicendum paratiorem. »

Solus sciebat David, qui proinde exemplar fuit clementiæ in condonandis injuriis tum Absalomo regnum invadenti, tum toti regno rebellanti, tum Semei sibi maledicenti: « Dimitte, inquit, eum ut maledicat juxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam; et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna, II *Reg.* XVI. Nimirum « expetebat maledici sibi, quia maledicto illo divinam exquirebat misericordiam, » ait S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XLVIII. Et hac tam admirabili patientia meruit procul dubio, ut facile proditoris exercitum profligaret, et in suum regni solium cum triumpho reduceretur. Colligit ergo id patientiæ documentum idem S. Ambrosius: « Docuit injuriarum et periculorum tempora, tentationum certamina, examina probationum esse: et ideo non sine divino ea irrogari solere judicio. Exercetur bonus athleta convicIis, exercetur laboribus et periculis, ut dignus sit cui conferatur corona justitiæ. » Ita ille, *Apolog.* 1, cap. VI. Admirandus certe ut in cæteris, ita in hac patientia maxime David exstitit. Beneque proinde idem Ambrosius exclamat: « O altitudo prudentiæ! o insigne patientiæ! o devorandæ contumeliæ grande inventum! Dominus, inquit, præcepit ut maledicat. Non accusat Dominum quasi auctorem injuriæ, sed magis laudat, quod patiatur nos minora perpeti, ut majorum peccatorum veniam adipiscamur. »

Vers. 12.

12. SECUNDUM ENIM LIGNA SILVÆ, SIC IGNIS EXARDESCIT: ET SECUNDUM VIRTUTEM HOMINIS, SIC IRACUNDIA ILLIUS ERIT, ET SECUNDUM SUBSTANTIAM SUAM EXAL-

HABET IRAM SUAM. — Vox « enim, » licet non sit in Græco, apposite tamen additur, dat enim causam ejus quod dixit : « Homo enim iracundus incendit litem. » Ubi pro *iracundus* græce est θυμώδης, id est animosus, audax, iracundus ; animositas enim et audacia, quam suggerunt vires et opes, facit iracundos, *q. d.* Sicut secundum quantitatem et qualitatem lignorum ignis magis vel minus exardescit (si enim multa sint ligna, eaque arida, ingens excitabitur ignis : sin pauca et humida, exiguus) ; sic pariter « secundum virtutem, » id est secundum vires, robur et potentiam, exardescit θύμος, id est animositas et iracundia, indeque lis et rixa. Debiles enim et infirmi, quia invalidi, ideoque timidi, leviter irascuntur (nam vana est sine viribus ira) ; robusti vero et potentes, quia validi et audaces, graves concipiunt iras : robur enim addit animos et audaciam, indeque iram. Ergo homo robustus et θυμώδης, id est animosus, indeque iracundus, incendit litem ; præsertim si robori et potentiæ accedat substantia, id est opes et divitiæ : hæ enim adduntanimos, indeque acuunt iras. Vires ergo et opes sunt iræ et litis fomites, sicut ligna sunt fomites ignis. Unde Tigurina clare vertit : *Proportione silvæ inflammatur ignis, id est pro viribus homines invalescit furor ejus, proque divitiis ejus ira intumescit, et ardor augescit pro rixæ vehementia* ; Complutensia vero sic, *secundum materiam ignis sic incendetur ; secundum firmamentum rixæ, ignis augebitur ; secundum robur hominis ira ejus erit, et secundum divitias exaltat iram suam.* Hoc est quod ait Salomon, *Proverb.* cap. XIX, 12 : « Sicut fremitus leonis, ita et ira regis. » Ubi Chaldæus, *fremit*, inquit, *sicut leo ira regis.* Tales sunt vires, opes et iræ hominum, at non Dei : Deus enim, licet sit robustissimus, potentissimus et opulentissimus ; idem tamen est iræ facillimæ, et maxime placabilis. Deo gratias ergo, ait Palacius, quem opes et potentia non reddidere iracundum et turbulentum, sed mansuetissimum et tranquillissimum. Deum igitur, non bilem suam sequantur viri potentes et principes. Hæc enim est vera magnanimitas, veraque animi magni celsitudo, iræ dominari, offensam remittere, parcere : pusilli enim animi est parvis rebus offendi, offensam servare, ab ira vinci, vindictæ se subdere, odii se facere servum, imo mancipium. Unde Poeta :

Excelsus est iræ dominus.

Quo quisque est major, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.

Et Manilius :

Diis proximus ille est
Quem ratio, non ira, regit.
Servat inoffensam divina modestia vocem,
Et placidus delicta domat.

Et Ovidius, de Augusto Cæsare, lib. V *Trist.* eleg. 2 :

Cæsare nil ingens mitius orbis habet.

Et alibi :

Qui vincit semper, victis ut parcere possit.

13. GERTAMEN FESTINATUM INCENDIT IGNEM : ET LIS FESTINANS EFFUNDIT SANGUINEM ; ET LINGUA TESTIFICANS ADDUCIT MORTEM. — Omnia hæc probant et persuadent id quod monuit vers. 10 : « Abstine te a lite, et minues peccata. » Pro *certamen* græce est ἔρις, id est contentio, lis, rixa. Pro *lis* est μάχη, id est pugna, quæ ex rixa sequi solet : rixantes enim post acria verba veniunt ad pugnas et verbera. Sensus ergo est, *q. d.* Contentio et rixa, præcipitanter ab iracundis concitata, accendit ignem bilis et choleræ : indeque pugnarum et verberum, quæ effundunt sanguinem, vulnerumque et cædis multorum sunt causa. Unde Tigurina vertit, *rixa concitata ignem accendit, acrisque pugna effundit sanguinem* ; alii, *lis acceleratasuccendit ignem, et pugna festinata, effundit cruorem* ; Syrus, *terebinthus et granum cupressinum accendunt ignem, et lites multæ effundunt sanguinem.* Tertia enim pars, de lingua testificante, jam non est in Græco. Jansenius per *linguam testificantem* intelligit linguam denuntiantem et comminantem alicui interitum, quæ cædium solet esse causa. Sic enim *testificari* in Scriptura subinde idem est quod denuntiare et profiteri, ut : « Testificor omni homini circumcidenti se, » *Galat.* v. Simplicius, Lyranus et Dionysius « linguam testificantem » accipiunt linguam testis, qui duobus inter se litigantibus alteri eorum temere vel procaciter testimonio suo contra alterum suffragatur. Hic enim alterum tam contra socium, cum quo litigat, quam contra se magis irritat, itaque rixam accendit, ex qua sequuntur pugnæ et cædes. Paulo aliter Palacius hæc tria explicat et conternat, *q. d.* Si verbis concitatus contra proximum certaveris, inde ignis iræ accendetur ; et, si cum eo concitatus pugnaveris, ejus sanguinem fundes : et adducentur testes, qui eum a te fusum testificentur, inducesque tibi mortem, quam scilicet judex tibi quasi homicidæ juste irrogabit. Vers. 13.

14. SI SUFFLAVERIS IN SCINTILLAM (ita Romana et Græca : perperam ergo Jansenius et alii omittunt τὸ *in scintillam*), QUASI IGNIS EXARDEBIT : ET SI EXSPUERIS SUPER ILLAM, EXSTINGUETUR : UTRAQUE EX ORE PROFICISCUNTUR. — Tigurina, *scintilla, si afflaveris, exardescet : sin exspueris in eam, exstinguetur ; attamen utrumque ex ore proficiscitur* ; Syrus, *si exsufflaveris in ignem, accendetur ; et si asperseris eum aqua, exstinguetur : et utraque a te sunt.* Comparat litem scintillæ, rixam et pugnam igni quorum utraque eodem ore accenduntur et exstinguuntur. Sicut enim si ore sufflas in scintillam, accendis ignem ; sin vero in eam eodem ore exspuas, eumdem exstinguis ; sic pariter et lis ore accenditur, si eodem litigare, contendere, rixari, aut aliorum lites et rixas tua incitatione vel testimonio irritare pergas : eodem vero ore exstinguitur, si mansuete et humiliter respondeas, aut ta- Vers. 14. Lis similis scintillæ : cur?

ceas et cedas, aut causam rixæ extenues et mitiges, juxta illud : « Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem, » *Proverb.* xv, 1. « Hæc sunt arma justi, ut cedendo vincat, sicut periti jaculandi cedentes solent vincere, et fugientes gravioribus sequentem vulnerare ictibus, » ait S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. v. Quare « utraque, » scilicet tam accensio quam exstinctio ignis et litis, ex eodem « ore proficiscuntur, » *q. d.* Ex eodem ore prodit lis et pax, discordia et concordia, adeoque mors et vita : nam, ut ait S. Jacobus, cap. III, 10 : « Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. » Vide quæ ibidem annotavi.

Alludit Siracides ad *Prov.* xxvi, 21 : « Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas ; » Septuaginta, *craticula carbonibus, et ligna igni : vir autem maledictus ad tumultum rixæ.* Vulgatam fortasse respexit S. Chrysostomus, in hom. 3 *De non adeund. Spectac.* « Quemadmodum, inquit, si infles in scintillam ignis, excitas incendium : contra vero si inspuas, exstinguis ; et utrumque tibi in manu est : sic si inflatos et vecordes ingeras sermones, excitas ignem iracundi hominis ; sin mites ac moderatos admoveas, prius quam excandescat, iram omnem exstinxeris. » Sic ira igni comparatur a Chrysostomo, hom. 30 ad *Popul.* : « Ignis est, ait, vehemens ira, omnia devorans ! nam et corpus perdit, et animam corrumpit. » Quare Aristoteles, lib. I *De Anima*, iram dixit esse accensionem sanguinis circa cor. Huc facit illud vulgo tritum : « Ignem gladio ne fodito, » id est ne iratum lacessas vel concites : quo utitur S. Basilius, epist. *ad Nepot.* Et Plato, lib. *De Legibus* : « Ignem, ait, igni ne addas. » Narrat enim Diogenianus, quod, cum carbonarius in fornace ignem igni aggereret, suo igne concrematum moriendo exclamasse : « Ignem igni ne addas. »

Ira est ignis.

Gnomæ.

Porro incensa ira parit furorem et insaniam. Unde istud : « Ira furor brevis est. » Et Seneca, *epist.* 18 : « Immodica ira, ait, gignit insaniam. » Quin et David, *Psal.* xxxvi, 8 : « Desine, ait, ab ira, et derelinque furorem. » Quis ergo cum irato, id est furioso et insano tricari et rixari velit ? utique non alius quam pari modo insipiens et vesanus. « Ira, ait Aristoteles apud Stobæum, *serm.* 20, est perturbatio ferina, dura et violenta potentia, cædium causa, calamitatis socia, jacturæ dedecorisque concitatrix, pecuniarum pernicies, et perditionis origo. » Audi S. Ambrosium in *Psal.* xxxvi : « Ira, inquit, gravis passio est ; plerumque accendit invitum, et volentem mitius vindicare, in furorem rapit, ut perimat, quem putaverat coercendum. Commotus gladio sæpe transverberat innocentem, amicos et fratres ; per indignationem plurimi perierunt. Ideo Sapiens dicit : Ira perdit etiam sapientem. » Adstipulatur S. Basilius, hom. 10 *De Ira* : « Ob iram, inquit, ensis acuitur, mors homini ex homine venit. Non eis senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non parentes : quin et maximum sæpius in malum conjiciunt, et studio vindicandi se ipsos negligunt ; nam et in omni fera venenata impudentius ruunt, nec prius desistunt, quam magno et intolerabili malo animum exsaturarint. » Denique dæmonis ab ore, quippe qui iræ audaciæque parens, ignis procedit, *Job*, xli, 10 : « De ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ ; » Hebraice, *lampades ibunt, scintillæ ignis egredientur, de naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis* ; Septuaginta, *de naribus ejus egredietur fumus camini accensi igne carbonum.* Iracundus igitur et audax, non secus ac dæmon, igne ardens furensque, in cædes et damna ruit. Plura hic afferri possent de rixæ noxis, sed illa ad alios spectant, qui centones locorum communium consarcinant. Interpretem ago, non rhapsodum.

SECUNDA PARS CAPITIS.

QUAM PESTIFERA SIT LINGUA DETRACTORIS ET SUSURRONIS.

Vers. 15. 15. SUSURRO ET BILINGUIS MALEDICTUS : MULTOS ENIM TURBABIT PACEM HABENTES. — Græce, *susurronem et bilinguem maledicite : multos enim pacem habentes perdiderunt.* Ita Complutensia. Sed Græca Romæ correcta pro *maledicite* legunt *maledicere*, scilicet oportet ; Tigurina et alii, *delatorem exsecreris et bilinguem ! multos enim pacem colentes perdiderunt* ; Syrus nervosius, *lingua triplex* (id est detractrix, uti mox explicabo) *maledicta erit, quia homicidia multa inficit.* « Susurro » est qui secreto detrahit alteri ; itaque illi amicum offensum reddit, ac ex amicis efficit inimicos. Idem est « bilinguis, » quia præsens alterum adulando laudat ; absens invidendo vituperat et calumniatur. Vide dicta cap. v, vers. 16. Transit Siracides ab ira et lite, ad vicinum si vitium susurrationis et detractionis, *q. d.* Susurro, qui clanculum proximi famam rodit, de eoque mala insusurrat auribus alterius ; item bilinguis, qui duplici quasi lingua contraria loquitur (coram enim laudat, sed a tergo vituperat) ; uterque, inquam, imo sæpe unus idemque, est maledictus, id est dignus maledictione, quem scilicet Deus, angeli et homines abominentur et exsecrentur ; quia « multos pacem habentes » turbat seminando discordias, aversiones et odia. Ideoque amicitias dissociat, ac pro eis inducit inimicitias, rixas, bella, cædes et strages hominum, populorum, urbium et regnorum.

Porro bilinguis ingenium et scopum graphice apologo aquilæ, felis et apri depingit Phædrus, Apologus aprt

libertus Augusti imperatoris, in suis *Mythis* quos edidit Pithœus : Aquila, inquit, in arbore nidificans pullos exclusérat : ad radices arboris aper suos in antro fovebat catulos : inter utrumque felis suos alebat fœtus. Illa sibi suisque tam ab aquila quam ab apro metuens, aquilam adit, indicat hostem subesse aprum, ab eo sibi suisque caveat. Adit deinde aprum, idem illa de aquila intentans : Cave, inquit, ne aquila antro tuo superne incubans catulos tuos rapiat. Ita aquila timens aprum, et aper timens aquilam, uterque nido se continuit : quo factum ut uterque cum fœtibus fame conficeretur. Fell ergo uterque in pabulum cessit. Ita bilingues duos inter se committunt, ut se mutuo conficiant, interim ipsi amborum exitio se locupletant.

Vers 16. 16. LINGUA TERTIA MULTOS COMMOVIT, ET DISPERSIT ILLOS DE GENTE IN GENTEM. — Arabicus, *homo oris eduxit multos homines in captivitatem, et dispersit eos de gente in gentem.* Est Arabismus : Syrus enim et Arabes hominem oris vocant loquacem, dicacem, detractorem, etc.

Hanc gnomen insigni columbæ et luti apologo explicat Cyrillus, lib. II *Apolog. morat.* cap. ult., cui titulus : *Contra infamatores* : « Columba, inquit, pennali bysso, seu rutilantia Veneris operta per totum, sparsis sursum pennis, gemmantibus oculis, incessu gravi, pede simplici, alisque collectis adæquatum ibat. Sed cum cœnosum lutum intus latitans aridæ faciem mentiretur, in ipsum impegit. Cujus spurcitia mox respersa, nitidum corpusculum fœdavit. Tunc lutum hujus rei eventu risum extollens, quippe gaudens quod male fecisset : Quomodo, inquit, fœdata est pulchritudo tanta? at illa respondit : Nimirum quia in te impegi. Quidnam es tu? Cui illud : Cœnum et lutum. Mox columba subjunxit : Certe verum est; quia si cœnum non fuisses, nequaquam a te maculam contraxissem. Attamen nitor meus in substantia mea existens a me non recessit; fœtor autem tuus in te manet. Quod enim fœdum quidem nunc apparet in colore meo, id substantialiter est in tuo. Quamobrem derisisti teipsum, ac contaminatu tuo me fœdando, me clarissimam ostendisti. » Deinde aliis parabolis canis, aspidis, spinæ et piscis idipsum confirmat : « Canis namque, lacerans, noxius est ex dentibus; et os aspidis inficit ipsum prius venenositate infectum; spina pungit, quoniam habet aculeum; et piscis denigrans mare, suum in se evomit nigrum. Sic omnis nocentia prius in suo auctore existit. Quid plura? Ego certe pergens ad lavacrum emundabor; tu vero semper maculatum eris, quia lutum esse dignosceris; nam fœda detractio est, quæ ab innocentia traditur; sed ejus infectio nunquam ab infamia detractionis purgatur. Quibus dictis, ad lavacrum perrexit. »

Apologus detractoris.

Similis.

Vers 17. et 18. 17 et 18. CIVITATES MURATAS DIVITUM DESTRUXIT, ET DOMOS MAGNATORUM EFFODIT. VIRTUTES POPULORUM CONCIDIT, ET GENTES FORTES DISSOLVIT. — Hic tertius versus deest in Græco. « Lingua tertia, » est lingua susurronis et detractoris. Dicitur « tertia, » quia inter duos tertia intervenit, eosque dissociat, dum inter eos seminat discordias, et utrique apud alterum calumniam detrahit et obloquitur. Unde Chaldæus, in *Proverbiis*, pro *detractore et susurrone* solet vertere, *linguam tertiam*. Unde docet Lexicum Chaldæum Eliæ Germani in voce נתן *telat*. Græca quoque Romana hic legunt γλῶσσα τρίτη, id est *lingua tertia*. Complutensia tamen et alii legunt διπλῆ, id est *lingua duplex* : quod eodem redit. Dicitur enim *duplex*, quia aliud ore profert, aliud corde cogitat. Rursum aliud coram, aliud a tergo effutit. Unde in margine codicis Vaticani, *lingua tertia* vocatur lingua perforata. Eadem est ergo « lingua tertia, » quæ « duplex, » puta lingua bilinguis et susurronis : hæc multos commovit et turbavit, dum eis non tantum pacem, sed et patriam eripuit, eosque coegit exsulare, ac de gente in gentem vagari : nec tantum homines privatos singulosque, sed et integras civitates easque muratas et firmas destruxit : adeoque domos et familias magnatorum, regum et principum suffodit et evertit, concitando duella, rixas et bella internecina inter reges et populos amplos et potentes. Quin et « virtutes, » id est vires populorum « magnorum » concidit, « et gentes fortes dissolvit. » Quare lingua nequam est « universitas iniquitatis, » quæ totum orbem inflammat, *Jacob.* III. Vide ibi dicta. Tigurina vertit, *lingua duplex* (Vatablus, *triplex*, quia tripliciter, id est multipliciter, et valde contrarie loquitur. Unde triplices, id est multiplices, noxas et damna infert) *exagitavit multos, et eos ex alia in aliam gentem transtulit, urbes diruit validas, potentumque domos evertit. Confecit vires populorum, gentesque potentes dissipavit;* Syrus, *lingua triplex multos in captivitatem exire fecit, et dispersit eos de populo in populum, et viros graves de domibus eorum ejecit, et domos regum vastando vastavit.*

Symbolice, lingua detractoris est τρίτη, id est *triplex*, quia uno ictu tres vulnerat et conficit, scilicet eum cui detrahit, ei famam adimendo; et eum apud quem detrahit, ejus mentem calumnia et odio proximi imbuendo; et seipsum, in lethali livoris et detractionis peccato sauciando. Ita S. Bernardus, serm. *De Triplici custodia*, manus, linguæ et cordis? « Lingua maledica, inquit, quod in se est, et illius percutiens conscientiam, et istius vulnerans charitatem, secum pariter utrumque perimit. Numquid non vipera est lingua ista? Ferocissima plane; nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? profecto, et acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua, inquit, *Psal.* LVI, eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imo triceps, est lingua detractoris. » Illius enim lingua est serpentina; serpentibus autem lingua est trisulca, teste Plinio, lib. XI, cap. XXXVII.

Lingua triplex detractoris : cur?

S. Chrysostomus vero non tres duntaxat, sed perplures uno linguæ ictu confici censet; sic enim scribit, homilia 3 *ad Populum* : « Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum, improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis et teipsum et alios plures, etc. Insuper communis Ecclesiæ statum læsisti, etc.; ad hæc Dei gloriam blasphemari fecisti; sicut enim nomen Dei nobis laudabiliter viventibus glorificatur, sic peccantibus blasphematur. Quartum malum : audientem confudisti, et sic impudentiorem reddidisti, inimicum eum reddens. Quintum, teipsum pœnæ reum fecisti, negotia ad te nihil attinentia texens. » Et S. Gregorius Nazianzenus, *De Jejunii silentio* : « Lingua, inquit, in propinquo est, sagittarii sagitta in arcu est, nervi ipsi quam maxime intensi : protinus ut mens tela emiserit, statim provolant, omniaque feriunt, cœlicos, terrestres, viventes, posteros; non minus eos qui ab hujusmodi sagittis sibi cavent, easque sedulo observant, quam qui nihil mali suspicantur; non minus bonos quam malos; non minus amicos quam hostes; non minus exteros longeque dissitos quam propinquos. » Huc facit symbolum Pythagoræ : « Hominis vestigia ne ferro configas, » hoc est, hominis memoriam famamque lingua maledica ne lacera.

Vers. 19. 19. LINGUA TERTIA MULIERES VIRATAS EJECIT, ET PRIVAVIT ILLAS LABORIBUS SUIS. — Quod dixit de viris, nunc dicit de mulieribus. Græcizat Interpres; sicut enim Græci ab ἀνὴρ vocant ἀνδρείας, ita Interpres a viro vocat « viratas, » vel, ut manuscripti codices habent, « viritas, » id est viriles sive viragines. Unde ex adverso eviratæ et evirati vocantur effeminati, puta eunuchi, quibus adempta est virilitas; evirare enim, apud Varronem, Senecam et alios, est virilitatem auferre et effeminare. « Lacessere virtutem, bonæ spei eviratio est, » ait Seneca, *De Vita beata*. Sensus ergo est, *q. d.* Lingua detractoris mulieres viriles et strenuas domo, connubio et thalamo suo « ejecit, » dum eas exosas fecit maritis, ut eas domo expellerent: ac consequenter « privavit eas laboribus, » id est opibus et rebus, quas suo labore et industria pepererant; Tigurina, *lingua duplex* (Vatablus, *triplex*) *profligavit strenuas mulieres, suisque defraudavit laboribus.*

Sic lingua nequam accusans matrem septem Machabæorum judaismi apud Antiochum, eam cum septem filiis, bonis, patria et vita privavit, II *Machab.* cap. VII. Idem fecit S. Symphorosæ et S. Felicitati cum totidem filiis, quos proinde Ecclesia velut fidei athletas et heroinas, ut martyres colit et veneratur.

Hinc patet perperam Lyranum pro *viratas* legere *veritas*, id est honestas, verecundas; dicitur enim *veritus, a, um*, a *vereor, vereris*, quasi timens verecundiam. Alii libri, inquit, legunt « viratas, » id est habentes viros, quasi dicat. Lingua tertia, puta lingua vetulæ mediatricis adulterorum, ejecit mulieres conjugatas et honestas, ac separavit eas a conjugibus suis, dum eas adulteris conjunxit, aut in adulterii suspicionem adduxit. Hæc Lyranus, sed perperam, ut dixi.

Vers. 20. 20. QUI RESPICIT ILLAM, NON HABEBIT REQUIEM, NEC HABEBIT AMICUM, IN QUO REQUIESCAT. — Ita Romana. Græce est, *qui attendit ei, non habebit requiem, nec habitabit cum quiete.* Syrus hunc versum, ut et alios plures omittit; Tigurina, *qui deditus est illi, non consequetur tranquillitatem, nec habitabit quietus, q. d.* Qui aures patulas præbet linguæ detractoris, ejusque susurris fidem adhibet, implebitur suspicionibus, timoribus, diffidentia, odio cæterisque passionibus, quæ animi ejus, ac consequenter domus, quietem et pacem perturbabunt : quare nullus eum amicum, familiarem aut domesticum volet, nec ipse ulli amicorum se suaque confidet, ut cum eo et in eo requiescat.

Vers. 21. Plaga linguæ commi-nuit ossa, quæ ?

21. FLAGELLI PLAGA LIVOREM FACIT : PLAGA AUTEM LINGUÆ COMMINUET OSSA. — « Plaga, » græce πληγὴ, proprie non vulnus, sed percussionem et verber significat, a πλήττω, id est percutio, verbero : consequenter tamen significat vulnus, livorem et dolorem, a verbere inflicta. Componit, imo opponit et anteponit, verber linguæ verberi flagelli, *q. d.* Flagelli verber leve est, tantumque cutem perstringit, eamque lividam efficit : at vero verber linguæ est quasi verber baculi, quod ipsa contundit et comminuit ossa; hoc est, longe fortius et intimius lædit, hominique vires, vigorem et animum eripit, juxta illud *Proverb.* XVII : « Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad interiora ventris; » tum quia verber linguæ homini adimit bonum nomen et famam, quæ opibus est præstantior, eumque aspergit infamia, quæ turpissima est nota; tum quia clades gravissimas affert, hominesque opibus, libertate et vita spoliat. Unde Tigurina, *ictus flagelli vibices excitat, ictus vero linguæ comminuit* (alii, *frangit*) *ossa*; Syrus, *percussio baculi facit vulnus, et plaga linguæ confringit ossa.* Est catachresis : per comminutionem enim ossium significat intimum dolorem et cruciatum, qui robur (hujus enim sedes et symbolum sunt ossa) homini adimat. Similis catachresis est, *Proverb.* III, 8 : « Time, inquit, Deum, etc. Sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum. » Et *Eccli.* XXX, 10 : « Non corrideas illi (filio), ne doleas, et in novissimo obstupescent dentes tui. » Et sæpe alibi. Quocirca Abbas Hyperichius, apud Rufinum, lib. III *Vit. SS. Patrum* num. 154 : « Melius est, inquit, comedere carnes et vinum bibere, quam comedere in vituperatione carnes fratrum. Sicut enim susurrans serpens Evam de paradiso excussit, ita qui de fratre suo detrahit, non suam solum, sed et audientis animam perdit. »

Mystice et tropologice « ossa » significant vir- Mystice. tutes, ait S. Gregorius, in *Psalm.* I *Pœnit.*, quas

lingua maledici non tantum in proximo elevat, sed et in semetipso consumit : sicut enim corpus ossibus firmatur et consistit, sic anima virtutibus. Unde B. Petrus Damianus, serm. *De Vitio linguæ* : « Ecce lingua, ait, ossa non habet, et ossa comminuit : quia, cum per ipsa ventosa verba leviter effluit, fortia atque robusta virtutis nostræ facta corrumpit. » Unde suos monachos adhortans : « Portatis vobiscum, ait, clavem cellulæ, portate clavem linguæ : oppositis ostio pessulum, adhibete retinacula ori vestro. »

Vers. 22. 22. MULTI CECIDERUNT IN ORE GLADII, SED NON SIC QUASI QUI INTERIERUNT PER LINGUAM SUAM. — Ita Romana. « Ore, » id est acie : quod enim homini est os, hoc gladio est acies. Sicut enim homo ore devorat cibum, sic gladius acie occidit et consumit homines. Unde Tigurina, *acie gladii multi occubuere ; non tamen prout qui per linguam interierunt ;* Syrus, *multi occisi sunt gladio, sed non quot occisi sunt a lingua* : plures enim occidit lingua quam gladius ; sicut plures occidit crapula (quæ est vitium ejusdem linguæ) quam gladius. Occidit, inquam, morte tum corporali, tum spiritali, uti patet in iis qui disseminant hæreses, quique alios incitant ad libidines, usuras, cædes aliaque scelera. Ita Rabanus. Nam τὸ *quasi* innuit interitum hic quemlibet accipi, tum naturalem per mortem, tum civilem per servitutem, infamiam, pauperiem ; tum mysticum per peccatum.

Noster addit τὸ *suam*, quod deest in Græco, Latinis manuscriptis, Rabano et Syro. Additum tamen sensu jam dicto accipi potest, *q. d.* Per gladium pauciores perierunt, plures per linguam suam : « suam, » inquam, id est se impetentem, sibi detrahentem, sibi insidiantem et machinantem necem, sui æmulam et antagonistam, puta invidam, maledicam et maleficam. Proprie tamen τὸ *suam*, significat plures periisse incauta, garrula, præcipiti, superba, iracunda loquela sua, quam gladio. Quod licet paradoxum videatur, reipsa tamen verum esse constat tum ratione, tum experientia. Nam, ut ait S. Jacobus, cap. III, 8 : « Linguam nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero. » Vide ibi dicta. Et Ecclesiasticus, cap. XIV, 1 : « Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo. » Siracidi consentit Arabicus in *Proverbiis*, Centur. 1, num. 75 : « Cave, inquit, ut lingua tua feriat collum tuum, » *q. d.* Cave ne propter intemperantiam linguæ vita mulcteris, et capite plectaris ; id enim multis contigit, et etiamnum contingit. Latinæ versioni adaptes Græca, si τὸ *suam* dicas ex eis excidisse, vel in iis subintelligi ; « suam » enim hic intelligi colligitur ex sequentibus : Siracides enim hic generatim perstringit clades et calamitates, quas affert lingua prava, tum propria, tum aliena : unde iis recensitis concludit alienam esse vitandam, dicens, vers. 28 : « Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire : » propriam vero esse frenandam, dicens : « Et ori tuo facito ostia et seras, etc., et frenos ori tuo rectos, et attende ne forte labaris in lingua. »

Lingua sibi inimica.

Sapienter S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. IV : « Laqueus, inquit, adversarii est sermo noster ; sed etiam ipse non minus adversarius est nobis ; loquimur plerumque quod excipiat inimicus, et quasi nostro gladio nos vulnerat. » Idem, cap. II : « Verberamur, inquit, tacito cogitationis nostræ opprobrio et judicio conscientiæ ; verberamur vocis nostræ verbere, cum loquimur ea quorum sono animus noster et mens sauciatur. » Hoc est quod ait Salomon, *Proverb.* cap. XIV, 3 : « In ore stulti virga superbiæ : labia autem sapientium custodiunt eos. » Ubi plura de hac re dicam.

Vers. 23. 23. BEATUS QUI TECTUS EST A LINGUA NEQUAM, QUI IN IRACUNDIAM ILLIUS NON TRANSIVIT. — Multi hæc referunt ad « linguam suam, » quæ præcessit, *q. d.* Beatus cujus lingua a Deo protegitur ut sit « tectus, » id est Deo protegente tutus, liber et immunis a nequitia, scilicet ne loquatur prava et iracunda, quæ suggerit interna ira vel concupiscentia. Verum Græca, quæ omittunt τὸ *suam*, videntur notare hic linguam alienam detractoris, de qua sermo præcessit, *q. d.* Beatus est vir, quem Deus protegit a lingua mala detractoris vel calumniatoris, quique in ejus iracundiam, id est indignationem et violentiam, puta maledicentiam et maleficentiam, non incidit, ut vel eam non sentiat, vel, si sentiat, defendendo se excutiat, ab eaque se liberet. Unde Siracides ab ea se per Deum liberatum gloriatur, cap. LI, vers. 3 ; et David ab ea liberari obsecrat, dicens : « Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa. » Ita Jansenius. Unde Tigurina vertit, *beatus qui tutus fuit ab ea, nec in furorem* (alii, *excandescentiam*) *ejus incurrit ;* Syrus, *beatus vir, qui evasit ab ea, et ab ira ejus particeps non fuit.*

Vers. 24. 24. ET QUI NON ATTRAXIT (Syrus, *traxit*) JUGUM ILLIUS, ET IN VINCULIS ILLIUS NON EST LIGATUS : JUGUM ENIM ILLIUS, JUGUM FERREUM EST : ET VINCULUM ILLIUS, VINCULUM ÆREUM (Syrus, *ferreum*) EST. — Multi hæc rursum referunt ad « linguam suam, » *q. d.* Beatus est qui vitio et nequitiæ linguæ suæ, quasi tyranni jugo, non subjacuit, nec permisit eam sibi dominari, eaque se constringi ; quia jugum ejus ferreum, et vinculum æreum, id est durissimum et indomabile est, ut ait S. Jacobus, cap. III, vers. 8. Unde Palacius : Qui videt, inquit, se linguam nequam habere, intelligat quod diabolus ei ferreum jugum imposuit, et æreis vinculis colligavit. *Jugum* notat servitutem ; *vincula ærea* eam fore perpetuam, quod scilicet nunquam ab illa eripietur, nisi gratia Dei singularis et eximia eam eripiat. Verum, quia Græca, vers. 22, omittunt τὸ *suam*, et sermo de lingua aliena detractoris præcessit, eique sequentia melius conveniunt ; hinc de eadem hæc accipe, *q. d.* Beatus est qui non incidit in linguam

maledicam, nec ejus jugo et dominio subjacuit, nec ab ea victus et superatus est : quia jugum ejus et dominium ferreum et æneum est, hoc est, tyrannicum, acerbissimum, fortissimum est, ut frangi, excuti aut superari nequeat. Unde Tigurina vertit, *beatus qui jugum ipsius non subiit, nec vinculis ejus fuit constrictus : jugum enim illius jugum est ferreum, et vincula ejus ærea vincula.* « Jugum ferreum » significat jugum, *primo*, forte; *secundo*, durum et crucians; *tertio*, infrangibile et insuperabile; *quarto*, tyrannicum; *quinto*, lethiferum. Jugum enim solet esse ligneum, et non raro lana aut pelle suffultum, vel oleo inunctum, ut sit levius, et minus boves afficiat et affligat : at, cum ferreum est, cito boves vulnerat et decervicat. Ita S. Hieronymus, vel quisquis est Auctor *Commentarii in S. Marcum*, cap. IV, notat id dici « ferreum, quod durum et forte desideramus intelligi; aut quod vehementem angustiam vel afflictionem affert. » Et S. Augustinus, lib. V *Locutionum* : « Ferreum, ait, significat duram tribulationem; » ut *Psalm.* CIV : « Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus. » Et *Jerem.* XXVIII, 14 : « Jugum ferreum posui super collum gentium cunctarum. »

Vers. 25. Lingua mala pejor morte.

25. MORS ILLIUS (linguæ nequam) MORS NEQUISSIMA. — Tigurina, *mors dira mors ejus est, q. d.* Mors, quam affert lingua perversa detractoris, calumniatoris et maledici, pejor est morte quavis naturali : *primo*, quia hæc naturalis et communis est, illa propria et violenta; *secundo*, hæc naturæ debetur, illa crimini, eique falso, et per criminationem impacto per summam injuriam irrogatur; *tertio*, hæc mors, alias etiam violenta, quæ ab hoste infertur, brevis est; at quæ per criminationem, lenta est et longa : crimen enim falso impactum cuipiam, facit eum per omnem vitam longo mœrore et angustia contabescere; *quarto*, quia sæpe infamis est et acerba, ut cum per falsam accusationem quis innocens equuleo torquetur, suspendio necatur, igne comburitur; *quinto*, quia sæpe non tantum corpus, sed et animam necat, ut cum quis a lingua hæretici, impuri, impii docetur et imbibit hæresin, libidinem, impietatem, quæ animam necant, eamque trahunt ad æterna et acerbissima gehennæ incendia. Simili schemate ait Salomon, *Ecclesiast.* VII, 27 : « Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. »

Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

ET UTILIS POTIUS INFERNUS, QUAM ILLA. — Non mors, nam græce feminini est αὐτῆς, θάνατος autem, id est *mors*, est masculini generis; sed γλῶσσα, id est *lingua* nequam. Tigurina, *et orcus quam illa conducibilior*; Syrus, *requies est apud inferos potius quam apud illam.* Dices : Nonne satius est pati calumnias a lingua nequam, quam æternum ardere in inferno? Respondeo, utique satius est. Igitur Jansenius per *infernum* accipit mortem, Palacius sepulturam; sed quia præcessit mentio et comparatio mortis, ac ultra mortem per gradationem comparat linguam nequam inferno; hinc melius et simplicius proprie accipias *infernum* pro statu et loco mortuorum. Verum quia in eo variæ sunt partes, sinus et receptacula, puta limbus puerorum, limbus patrum, gehenna damnatorum; hinc apte hic per *infernum* accipias limbum patrum, *q. d.* Satius est mori et descendere ad inferos, puta ad locum defunctorum limbumque patrum, quam vivere et pati calumniam, infamiam et vexationes linguæ perversæ. Sic Jacob ait : « Descendam ad filium meum lugens in infernum, » *Genes.* XXXVII, 35.

Et inferno.

Denique Palacius accipiens hæc de vitio linguæ propriæ, non alienæ, sic explicat, *q. d.* Melior est pœna, etiam tartarea, quam culpa, præsertim linguæ nequam, quæ tantorum malorum est causa : culpa enim altioris est ordinis, ideoque gravior et deterior omni pœna, etiam gehennæ. Sic et Rabanus : « Melius est, inquit, corporalem perdere vitam, quam cum lingua nequam (puta cum hæresi et hæreticis, de his enim ipse hæc accipit) societatem in gehenna habere perpetuam. » Sic et noster Delrio hæc explicans de lingua detractorum, *adagio* 197, disgress. 2, loco 81, quem audi : Sensus, inquit, est, *q. d.* Lingua nequam deteriora vulnera infligit cruciatibus inferorum, et sibi ipsi insuper est exitio majori. Ratio est, *primo*, quia linguæ vulnera conjuncta sunt peccato, quo nihil deterius, nihil exitialius : cruciatus autem inferorum ipsi vacant culpa, et sunt ministeria justitiæ divinæ. Sic fere Lyranus. *Secundo*, quia cruciatus inferni solum lædit patientem; lingua mala necat tres, audientem, dicentem, et sæpe eum cui maledicit. Item lingua necat animam; flamma inferni tantum cruciat. *Tertio*, ut scribit Carensis, infernus non nocet nisi malis et meritis; lingua nequam etiam immeritos et justos sauciat. *Quarto*, sicut in republica carceres et supplicia utilia sunt ad coercendum improbos, et ad defendendos probos, prosunt etiam exemplo : sic in hominum universali hoc mundo ad idem conducit gehenna; quare utilior est quam lingua nequam, quæ ad summam patientiæ occasionem, et ut se alii cautius gerant, præstat. Hæc Delrio. Ex quibus disce quam perversa sit lingua nequam, cum sit deterior ipsa gehenna sulphurea damnatorum. Ideoque, *primo*, vers. 21, comparavit eam flagello et fusti comminuenti ossa; *secundo*, vers. 22, gladio acutissimo; *tertio*, vers. 24, jugo ferreo et vinculo æneo; *quarto*, hoc vers., morti; *quinto*, inferno; *sexto*, vers. 27, flammæ et incendio omnia populanti; *septimo*, ibidem leoni et pardo.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Vers. 26.

26. PERSEVERANTIA ILLIUS NON PERMANEBIT (apud justos) : SED OBTINEBIT VIAS INJUSTORUM, ET FLAMMA SUA NON COMBURET JUSTOS, — *q. d.* Lingua perversa etiamsi pios calumnietur et vexet, non tamen in vexatione hac perseverabit vel durabit; quia Deus eorum innocentiæ tandem testis, tutor et ultor erit; facietque ut illa palam fiat toti mundo, ipsi-

que celebrentur; confundantur vero eorum accusatores et calumniatores : « sed obtinebit vias, » id est actus et mores, « injustorum : » hi enim, Deo vindice, juste ob sua scelera hanc linguæ pœnam et virulentiam patientur. Hos ergo comburet, id est lædet, et subinde occidet consumetque flamma, id est noxa instar flammæ grassans linguæ maledicæ, quæ livore et odio ardet : justos vero, licet tangat et leviter afflet, non tamen comburet, sed potius velut aurum igne tribulationis et calumniæ probatum et purgatum, clariores et splendidiores efficiet : perinde ac tres pueri per calumniam missi in fornacem et flammam Babyloniam, ex ea illæsi et gloriosi evaserunt, eadem vero exusti sunt eorum accusatores et tortores, *Daniel*, III. Ad eos enim alludit hic Siracides. Græca de more concisa et bimembria sic habent, *non tenebit, occupabit, dominabitur* (hæc enim omnia significat κρατήσει) : *pios, nec flamma ejus exurentur*; Tigurina, *nulla diuturnitate perdurabit, sed tenebit vias injustorum. Pios nequaquam occupaverit, nec flamma ipsius conflagrabit.* Idem de muliere prava, cujus noxa maxime fit per linguam maledicam, ait Ecclesiastes, cap. VII, vers. 27 : « Qui placet Deo, inquit, effugiet illam : qui autem peccator est, capietur ab illa. »

Lingua similis flammæ.

Apposite linguam comparat flammæ, tum quia lingua rubicunda speciem et formam habet flammæ; tum quia proserpit omniaque corripit, incendit et vastat instar flammæ : « Inflammat enim rotam nativitatis nostræ inflammata a gehenna, » ut ait S. Jacobus, cap. III. Vide quæ ibidem dixi. Exitium ergo, quod affert lingua, simile est incendio causato a flamma; quocirca justi calumniam patientes, similes sunt rubo, quem vidit Moses ardere et non comburi, sed viridem et illæsum perseverare, *Exodi* III. Deus enim a justis linguæ noxam relegat ad injustos, ut quæ nocebat justis, noceat injustis, præsertim calumniatoribus. Sic infamiam et lapidationem paratam Susannæ castæ et insonti a senibus impudicis, Deus in ipsosmet senes retorsit, imo eos flammis Chaldæorum tradidit, si credimus Hebræis, uti dixi *Jerem.* XXIX, 22. Sic multo magis probrum et necem Christo Domino paratam a Judæis, Deus in ipsosmet revolvit, quando Christum tertio die a morte gloriosum suscitavit, eosque perdidit per Titum et Vespasianum, ac miseros, infames et vagos per totum orbem effecit. Si quando aliter accidat, ac permittat Deus pios aliquos tota vita calumniam pati, certe in die judicii eorum innocentiam confusis eorum calumniatoribus toti mundo ostendet, eorumque patientiam coronabit gloria æterna.

Vers. 27. 27. QUI RELINQUUNT DEUM (Syrus, *timorem Dei*) INCIDENT IN ILLAM, ET EXARDEBIT IN ILLIS, ET NON EXSTINGUETUR : ET IMMITTETUR IN ILLOS QUASI LEO, ET QUASI PARDUS LÆDET (græce λυμανεῖται, id est devastabit) ILLOS. — Tigurina, *calamitatem eis affert*; Syrus, *et dominabitur eis sicut leo; et sicut pardus lacerabit eos. Primo*, multi hæc, uti et præcedentia accipiunt de vitio linguæ propriæ, *q. d.* Deus justo judicio permittit impios in pœnam peccatorum præcedentium incidere in maledicentiam, ut ea lingua eorum ardeat, eaque tam se quam alios comburant, quæ proinde in ipsosmet maledicos grassabitur quasi leo et pardus : nam et præsentibus et æternis in gehenna ignium suppliciis eos afficiet, tradetque dæmonibus, qui quasi leones et pardi eos laniabunt; justos vero a tanto linguæ malo servabit intactos. Unde discas neminem posse maledicentiam vitare, et linguam domare, nisi Deum et Dei gratiam, quam ipse dat justis, negat vero injustis, quia deserentes se deserit.

Secundo et potius, hæc accipias de lingua alieni detractoris. Sicut enim illam anterius comparavit flagello, gladio, jugo, morti et inferno : sic hic eam comparat igni, leoni et pardo, ut ostendat quanta sit ejus noxa et clades, *q. d.* Deus impios permittet, imo tradet linguis maledicis, ut eos vexent, infament, affligant, lædant. Itaque in impiis hæc noxa linguæ maledicæ exardebit, et excrescet instar ignis inexstinguibilis : quare ipsa eosdem cruciabit et laniabit, sicut leo et pardus solet cruciare et laniare feras et homines, quos prædatur ut devoret. Porro variis modis Deus impios tradit linguis maledicis, ut recte notat Jansenius : *Primo* enim qui Deum relinquunt, sine timore viventes, in grandia peccata incidunt, ob quæ obnoxii fiunt linguæ calumniatrici, a qua et perpetua inuruntur infamia, et suppliciis justis subjiciuntur. Deinde etiam Deus sinit contra impios exsurgere linguas mendaces et perversas, per quas in pœnam derelictionis Dei graviter hic torquentur; et nec per mortem liberantur, cum detrudantur ad tartara in æternum puniendi.

Postremo, verum illud maxime est in impiis, qui justo Dei judicio a lingua prava sinuntur pertrahi in errores et hæreses, per quas æternam damnationem tandem sunt consecuturi. De quibus dicit Paulus : « Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, » II *Thessal.* II, 10.

Lingua maledica similis leoni et pardo. Primo. Secundo.

Denique apte noxam maledicæ linguæ comparat noxæ leonis et pardi, quia utraque sævissima est et crudelissima, teste Plinio, lib. X, cap. LXXIII. Rursum leones et pardi dentes habent serratos, ait Aristoteles, lib. II *Histor. animal.* cap. I, causamque addit : « Sunt enim, inquit, dentibus serratis, quorum series acutorum dentium mutua insertione pectinatim se constipat. » Ita pariter linguæ maledicæ dentes habent quasi serras acutissimas, quibus pectinatim serrant secantque hominem usque ad intima. *Tertio*, leones et pardi pedes habent multifidos. Audi Aristotelem ibidem : « Sunt, inquit, quæ multiplici pedum fissura digitentur, ut canis, leo, panthera. » Ita bisulca, trisulca, imo multifida est lingua detractoris, quibus calcat feritque æmulum. *Quarto*, leo-

Tertio.

Quarto.

nes et pardi sunt carnivori. « Nam animalia serratorum dentium carnivora sunt omnia, » ait Plinius, lib. X, cap. LXXIII. Ita lingua maledica hominis carnes, imo medullas et ossa depascitur.

Quinto. *Quinto*, pardi sunt celerrimi, et ex alto in homines insiliunt, imo devolant. Ita Plinius, loco citato : « Insidunt, ait, in eadem Africa pardi condensa arborum, occultatique earum ramis, in prætereuntia desiliunt, atque e volucrum sede grassantur, » Idem in Brasilia facere pardos, Patres Societatis nostræ oculati, testes inde reduces mihi Romæ narrarunt. Quid celerius, quid volucrius lingua maledica? volat enim irrevocabile verbum, et totam urbem, imo orbem sæpe per-

Sexto. volat, idque illico instar fulguris. *Sexto*, « Leonibus ac pardis, ait Plinius, lib. XI, cap. XXXVII, lingua est imbricatæ asperitatis, ac limæ similis, attenuansque lambendo cutem hominis. Quæ causa, etiam mansuefacta, ubi ad vicinum sanguinem pervenit saliva, invitat ad rabiem. » Ita lingua detractoris est asperrima lima, totum hominem extenuans, agensque non raro in furorem

Septimo. et rabiem. *Septimo*, pardi et pantheræ capiuntur aconito faucium et linguæ : sic et maledicus capitur maledicentia linguæ suæ. Audi Plinium, lib. VIII, cap. XXVII : « Pantheras perfricata carne aconito (venenum id est) barbari venantur. Occupat illico fauces earum angor : quare pardalianches id venenum appellavere. At fera contra hæc

Octavo. excrementis hominis medetur. » Denique pardus adeo ferus est, ut nulla arte cicuretur. Sic et leo nunquam vel ægerrime et rarissime mansuescit. Unde Aristoteles, lib. I *De Histor. Animal.* cap. I, dividit animantes aitque « Alias esse cicures, alias feras ; et alias perpetuo cicures, ut hominem, ut mulum ; alias perpetuo feras, ut pantheram, ut lupum ; nonnullas etiam facile posse mansuescere, ut elephantos. » Ita « linguam *maledicam* nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero, » ait S. Jacobus, cap. III, vers. 8.

Vers. 28. 28. SEPI AURES TUAS SPINIS, ET LINGUAM NEQUAM NOLI AUDIRE, ET ORI TUO FACITO OSTIA ET SERAS. — Jansenius et alii addunt, « auribus tuis ; » sed id delent Romana, Græca et Rabanus. Post invectivam in linguam maledicam concludit Siracides hortando, ut eam omnimode caveamus, scilicet ut eam nec audiamus, nec annuamus, illique colloquendo nos commisceamus, et commaculemur. Pro *aures* Græca habent τὸ κτῆμα, id est *possessionem*, et ita legit S. Ambrosius, lib. I *Officior.* cap. III, et S. Hilarius, in *Psalm.* CXL. Utraque lectio apposita est : posterior continet metaphoram, prior explicationem metaphoræ, ideoque aptior est et clarior, eamque sequitur S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 3, et S. Ambrosius, in *Psalm.* CXVIII, serm. 22. Atque facilis et ex affinitate characterum vicina est declinatio, ut pro τὰ ὠτία, id est aures aliquis scripserit τὸ κτῆμα, id est possessionem. Græca igitur sic habent, *vide, sepi possessionem tuam spinis, et ori tuo fac fores et pessulos* ; Tigurina, *spinis circumseptus possessionem tuam, id est ori tuo valvas opponas et obices* : hæc versio sepem non auribus, sed ori apponi jubet. Sic et Syrus : *Sicut*, inquit, *sepis vineam tuam, et ori tuo fac fores et seras* ; S. Hilarius, in *Psalm.* CXL, legit : « Ecce circumvalla (hoc enim significat Græcum περίφραξον) possessionem tuam spinis. »

S. Clemens, *epist.* 1, alludens ad alias sanctæ Scripturæ sententias, easque cum hac commiscens, sic legit : « Impone, homo, tuæ linguæ ostium et seram : cessa cornu in altitudinem extollens, et loquens adversus Deum iniquitatem, et proximum tuum. » Igitur τὸ *sepi aures tuas spinis*, est parabola, et parabolice dictum (nec enim proprie vult spinis aures sepiri ; hoc enim incongruum et impossibile est), quam explicat dum subdit : « Et linguam nequam noli audire. » Sensus est, *q. d.* Ut virus et noxam linguæ maledicæ evites, primo, occlude aures ne illam audias, et os ne cum eo colloquaris. Nimirum sicut possessionem tuam, v. g. agrum, hortum aut vineam, soles spinis sepire, ne boves et feræ illam ingrediantur, fruges que et segetes depascantur : ita multo magis sepi, id est occlude, aures et animam tuam, ne audias detractiones linguamque maledicam, quæ charitatem puritatemque, et cæteras virtutes tuas infiriat et consumat. Sepes ergo, qua auris contra detractiones et detractores est sepienda, est timor Dei, qui animum obfirmet, ab iis aures avertat et occludat, vultumque tristem et severum ostendat, imo detractorem increpet et a se ableget. Nam, ut ait Salomon : « Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem, » *Proverb.* XXV, 23. Hæc enim tristitia et morositas vultus, est quasi spina urgens detractorem ut a detractione cesset. Sepis ergo aures spinis, quando eas claudis et avertis, quando ostendis faciem gravem et tetricam, quæ indicet te invitum ægreque audire, ac detractorem tibi esse tædio, et molestiam creare. Si ita sepivisset aures Eva ne audiret serpentem, et Adam ne audiret Evam, a quantis se omnesque posteros malis liberassent! Sepivit Christus aures cum dæmoni dixit : « Vade, Satana, » *Matth.* cap. IV.

Ex dictis collige aures nostras hic comparari vineæ eleganti, verba vero prava bestiis, silentium et discretionem sepi. Idque apposite : nam ex auribus in torcular cordis nostri quasi mustum sanctorum eloquiorum exprimitur, quod meditatione coctum et digestum animam roborat et lætificat : sermones vero pravi in hac vinea aurium nostrarum sancta eloquia depascunt, nosque vino sapientiæ vacuos relinquunt. Circumsepiamus ergo aures spinis sollicitæ circumspectionis et gravis severitatis, quæ bestias pravorum sermonum intrare non sinant : sicut Ulysses obstruxit aures ne audiret cantus Sirenum, quos qui audiebant, iis inescati capiebantur, et a Sirenibus laniabantur. Audi S. Augustinum, tract. *De Bono*

disciplinæ, cap. I, tom. IX : « O qui accipis verbum sanum in domo disciplinæ, sepi aures tuas spinis, ut ille qui importune intrare ausus fuerit, non solum repellatur, sed etiam compungatur. Repelle illum a te, dic : Christianus es, Christianus sum ; non hoc accepimus in domo disciplinæ, non hoc didicimus sub illo magistro, cujus cathedra in cœlo est ; noli mihi ista dicere, aut noli ad me accedere. » S. Paulinus, epist. 27 *ad Aprum*, in medio : « Aures spinis sepiamus, id est, inquit, verbo Dei et fide verbi, quæ vitæ nostræ segetem firmissima innocentiæ atque patientiæ sepe defendunt, et diabolo dolis suis aditus in præcordia nostra captanti, quasi furibus spinæ, resistunt. »

Remedia detractionis. Primum.

Porro variæ sunt spinæ, praxes et modi, quibus aures sepiantur detractioni, illaque succidatur. *Primus*, si aperte ei resistatur, et detractor increpetur, ut cum audiens usurpat illud Christi : « Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, » *Matth.* VII, 1. Aut illud Pauli, I *Corinth.* IV : « Nolite ante tempus judicare. » *Secundus*, si somnum ineat aut simulet. Ita Machetes si quis verbum detractionis protulisset, illico in somnum incidebat, ait Cassianus, lib. V *De Instit. renunt.* cap. XXIX. *Tertius*, si alium sermonem inducat. Ita faciebat Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, vir sapientia et virtute celebris, qui audiens detractionem, sumpta aliunde occasione, alio colloquium divertebat. Exempli gratia inquiebat : Dicat quisque quod volet, ego dicam domum illam pulcherrime exstructam, eumque qui illam fabricavit excellentem in sua arte esse architectum. Ita Stapleton in ejus *Vita*. Hinc gentiles Jovem in Creta pingebant sine auribus, ut hac effigie omnes, præsertim principes, admonerentur, non oportere eos aures præbere delatoribus. Midas vero rex asininis auribus deformabatur, quia et delatores circum se, et consultores, quos hodie auditores vocant, habebat parum ab asinis differentes. *Quartus*, si Superior subditos detrahentes compescat et castiget. Ita S. Franciscus, ait S. Bonaventura in ejus *Vita*, cap. VIII, § 1, suos castigabat, quin et habitu monastico spoliandos censebat : « Detractionis enim vitium inimicum fonti pietatis et gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum, et atrocissimam pestem, et piissimo Deo abominabile esse affirmabat, pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguæ necat. » Et inferius : « Tanto major est, inquiebat, detractorum impietas quam latronum, quanto lex Christi, quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum quam corporum nos optat amare salutem. » *Quintus*, si detractori velut cani, os proprium, quod rodat, puta vitium publicum quo laborat, auditor objiciat. Ita fecit Christus accusatoribus adulteræ : « Qui, inquit, sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, *Joan.* VIII, 7. Sciebat enim illos ipsos esse adulteros. Sæpe enim fit, ut qui alios de vitio quopiam culpant, eodem laborent magis quam illi quos culpant, aut certe justo Dei judicio in illud ipsum incidant. Cujus rei exemplum memorabile Machetis Abbatis recenset Cassianus, lib. V *De Instit. renunt.* cap. XXX. Dicat ergo auditor detractori cum Christo : « Quid vides festucam in oculo fratris tui : et trabem in oculo tuo non vides ? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui, » *Matth.* VII, 3. *Sextus*, detractor inquirat et succidat radicem detractionis. Origo enim, fons et radix judicii temerarii et detractionis est amor proprius, quo ut tegamus vel minuamus vitia propria, judicamus et accusamus aliena. Quocirca omnis detractor propria mala non videns, arguit aliena. Ex adverso qui sui est inspector, proximi est laudator.

Sextum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum.

Exempla.

Ita Pimenius Abbas, apud Rufinum, libro III *Vit. SS. Patrum*, num. 133, rogatus : « Quomodo potest vitare homo ne loquatur malum de proximo suo ? » Respondit : « Ego et proximus meus duæ imagines sumus ; cum ergo meam perspexero et reprehendero, invenitur imago fratris mei apud me venerabilis : quando autem meam laudavero, tunc fratris mei imaginem pravam respicio. Tunc ergo de alio non detracto, si semper meipsum reprehendo. » Et Joannes Abbas : « Parvam, inquit, sarcinam dimisimus, id est nos ipsos reprehendere : et gravem portare eligimus, id est ut nos justificemus, et alios condemnemus. » Prior Abbas quoque audiens detrahentes, tacens egressus saccum implevit arena, eumque dorso gestavit, in altero vero panno exiguo misit parum arenæ, illudque ante se tulit. Rogatus quid per hoc significare vellet, respondit : « Saccus habens multam arenam significat me meaque peccata plurima, quæ rejeci in dorsum, nolens illa videre ut pro illis doleam et plangam. Et ecce pauca hæc delicta fratris mei posui ante oculos meos, et crucior in ipsis condemnans fratrem. Sed non oportet sic judicare ; quin potius ea ante me adducere, et de ipsis cogitare, et rogare Deum ut mihi indulgeat. Quod audientes Patres dixerunt : In veritate hæc est via salutis. » Ita Rufinus, lib. III, num. 136. Quocirca S. Hieronymus (vel potius Paulinus) Celantiam matronam contra detractores ita aures sepire docet, *epist.* 14 : « Nec obtrectatoribus de consensu auctoritatem tribuas, nec eorum vitium nutrias annuendo. Noli, inquit Scriptura, consentaneus esse cum derogantibus adversus proximum tuum, et non accipies super illum peccatum. » Et Ecclesiasticus cap. XXVIII, 28 : « Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam. » Et paucis interjectis : « Est sane tale hoc vitium, quod vel in primis exstingui debeat, et ab eis qui se sancte instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem et levem faciat, quam facile totum credere, et obtrectatorem verba temerario mentis assensu sequi : beatusque est, qui ita se

contra hoc vitium armavit, ut apud eum nemo detrahere audeat. »

Præclare vero S. Hieronymus, epist. 2 *ad Rusticum*, eorum excusationes excludit, qui se negant obtrectatoribus aures claudere posse : « Neque vero, inquit, illa justa excusatio est : Referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invito auditori libenter refert : sagitta in lapidem nunquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, non miscearis; quia repente veniet perditio eorum, et ruinam utriusque quis novit? tam videlicet ejus qui detrahit, quam illius qui aurem accommodat detrahenti. » Denique S. Ambrosius, lib. IV, *epist.* 29, Floriano normam vitæ præscribens : « De malo alieno, inquit, non coinquines os tuum; nunquam detrahe peccanti, sed condole : quod in aliis detrahis, in te potius pertimesce. Nunquam profecto detrahes, si teipsum bene despexeris. Tantum cura corrigere vitam tuam, quantum perspicis alienam. »

Secundo, ut virus linguæ nequam caveas, claude os tuum, ne cum illa sermonem misceas, illique blandiaris, consentias, corrideas, applaudas, itaque ipse detrahas et maledicas. Quare « ori tuo facito » non unum, sed multa « ostia et seras. » Sicut enim civitas, domus, hortus et vinea non tantum sepitur muro vel sepe contra incursus bestiarum et hostium, sed etiam multis ostiis et seris obseratur, tum ut bestiæ et hostes excludantur, tum ut domestici egredi nequeant, nisi ad nutum heri vel custodis, qui claves tenet : ita pariter ut animam intactam a maledica lingua serves, non tantum aures occludendæ sunt, sed et os obturandum est clausura labiorum et dentium, puta obfirmatione animi ad silendum, ne interim tui sensus et cogitationes prurientes ad colloquendum, et proximi vitia narrandum, per os erumpant, hostemque, puta maledica verba, intromittant. Ita observavit os suum David dicens : « Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, et humiliatus sum, et silui, » *Psal.* XXXVIII, 2. Verum quia hæc custodia a nobis et viribus naturæ præstari nequit, sed est opus gratiæ Dei, hinc eamdem instanter invocat, dicens, *Psal.* CXL, 3 : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, » puta ostium circumstans, claudens, custodiens labia mea. Hebraice, *Pone custodiam super ostium labiorum meorum*; S. Augustinus legit : « Pone ostium continentiæ labiis meis; » Theodoretus, Aquila, « super labia mea : » nimirum hi omnes Hebræum דֶּלֶת *dal*, per apocopen poeticam accipiunt quasi positum pro דָּלַת *delet*, id est ostium, janua. S. Hieronymus tamen *dal* proprie accipiens vertit : « Serva paupertatem vel tenuitatem labiorum meorum. » Sensus ergo est, *q. d.* Sicut civitas, arx, vel domus custoditur validis portis et seris, quin et præsidio militari : ita, Domine, effice ut os meum custodiatur, tum per dentes et labia, ut explicat Theodoretus; tum potius per constantiam animi, fortemque resolutionem tacendi; tum maxime per robur gratiæ tuæ, ne quid effutiam per iram, odium, impatientiam, levitatem, quo te vel proximos offendam. Sicut ergo domus custoditur ostio circumstante, ut nihil obfuturum aut exeat aut introeat : sic tu, Domine, gratia tua custodi os et labia mea, ne per ea quid exeat maledicum, mendax, detractorium, aliterve impurum et vitiosum.

Notat S. Augustinus, in *Psal.* CXL, dici, « pone ostium, non claustrum : » quia os, inquit, quasi ostium non semper obserandum est, sed et quandoque reserandum : aperiri enim debet ad confessionem peccati, ad Dei laudem, ad proximi instructionem, consolationem et opem : sed claudi debet ad peccati excusationem et operationem, ut non loquatur iracunda, infamia, calumnias, mendacia, etc. Quocirca antequam loquaris, invoca Dei auxilium, ut dirigat linguam tuam ad congrue loquendum. Idem notat S. Gregorius, VII *Moral.* cap. XVII : « Ostium, inquit, aperitur et clauditur. Qui ergo ori suo nequaquam poni obstaculum, sed ostium petiit, aperte docuit, quod et per disciplinam retineri lingua debeat, et ex necessitate laxari : quatenus os discretum et congruo tempore vox aperiat, et rursum congruo taciturnitas claudat. Sic et S. Chrysostomus, in *Psal.* CXL, ubi duos oris custodes ponit, scilicet Dei invocationem et gratiam, ac loquentis rationem et curam rite tacendi vel loquendi : « Os ergo nostrum, inquit, perpetuo custodiamus, ei orationem tanquam clavem adhibentes, non ut perpetuo claudatur, sed ut convenienti tempore reseretur. Nonnunquam enim silentium est loquela utilius, sicut loquela quoque silentio. Et ideo dicebat ille sapientissimus : Tempus tacendi, et tempus loquendi, *Eccles.* III. Si enim oporteret ora perpetuo patere, non factæ essent portæ : si autem perpetuo clausa esset, non esset opus custodia. Quod enim clausum est, cur quis custodierit? sed propterea sunt portæ et custodia, ut faciamus singula tempore convenienti. » Et paulo superius : « Sicut non juvat domus, non urbs, non mœnia, non portæ, non ostia, nisi sint qui ea custodiant, et sciant quando oportet ea quidem claudere, quando vero aperire : ita etiam oris et linguæ nulla est utilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accurate ac circumspecte ea claudere et aperire permissum sit, et sciat quæ sint efferenda, quæ vero retinenda. »

Ut occludas os claudas aures.

Nota : Apposite sepem aurium jungit et præmittit seris oris, quia, ut occludas os, ne quid perperam loquatur, prius occludendæ sunt aures ne quid perperam audiant. Prurit enim mens, cum quid novi audit, ut illud proloquatur et in sinum amicorum effundat. Quocirca sapienter Abbas Joannes Cyzicus : « Qui continere, inquit, vult linguam, aures obstruat ne multa

audiat : qui sine distractione esse cupit, solitarius maneat. » Ita refert Joannes Moschus in *Prato spirit.* cap. CLXXXVII.

Vers. 29. 29. AURUM TUUM ET ARGENTUM TUUM CONFLA, ET VERBIS TUIS FACITO STATERAM, ET FRENOS ORI TUO RECTOS. — Est parabola, *q. d.* Aurum et argentum tuum confla, ut ex eis facias stateram, qua libres et expendas verba tua, utque ex eis facias frenos ori, quibus illud frenes ; hoc est, omnes tuas opes omniaque studia impende ad hoc, ut compares sapientiam et prudentiam (horum enim symbolum est aurum et argentum), quæ te doceant componere os tuum ad recte loquendum vel tacendum. Pro *confla* græce est καττάδησον, id est colliga, ut ex eis fabrices stateram ; aut obliga, devinci et impende, ut emas et compares stateram jam dictam. Eodem ergo redit sensus. Græca igitur sic vertas, *argentum tuum et aurum tuum devincito, et verbis tuis fac libram trutinamque, et ori tuo fac januam et pessulum* ; Tigurina, *obliga argentum et aurum tuum, hoc est, sermonibus tuis adhibe superliminare et limen,* græce, ζυγὸν καὶ ςαθμὸν : quod Vatablus rectius vertit, *jugum et staturam,* Complutensia et alii unica voce legunt ζυγόςαθμον, id est *jugi stateram*, id est æqualis jugi, puta æquilibrem stateram, quæ scilicet in æquilibrio consistat, nec in alteram partem pendula devergat vel inclinet. Nam ζυγοςατεῖν est librare et exæquare, et ζυγοςάται sunt libripendes ponderibus præfecti : unde zygostatica fides, id est plena et examinata æquitas; zygostatica enim libra est publice temperata et constituta. Vide Budæum in *Comment.* Syrus vertit, *argento tuo et auro facis obsignaculum, et verbo tuo facis* (facias) *firmamentum* (alia lectio habet, *fac stateram*), *q. d.* Uti obsignas et obseras tuum aurum et argentum, sic et obsigna firmaque tuam linguam, ne hostium prædæ pateat : verba enim sunt thesauri mentis, auro pretiosiores. Rursum, sicut aurum in moneta obsignatur effigies regis, qui illud cudit : sic et tu verba tua obsigna effigie Dei, qui os et linguam tibi dedit, ad hoc ut ea quæ sunt Dei loquaris, juxta illud *Cantic.* VIII, 6 : « Pone me ut signaculum super cor tuum, » et consequenter super os tuum.

Verbum statera et oris frenum est oratio.

Ex S. Gregorio. S. Gregorius, in *Psalm.* IV *Pœnitent.*, ad illa : *Domine labia mea aperies*, legit : « Ori tuo fac ostium et vectem, et in verbis tuis jugum et stateram ; ut omne quod loquimur, inquit, et humilitate condiatur, et mensura ponderetur. Nec prius os loquendo aperiamus, quam expediat ; sed examinemus verba nostra, si tacendum hoc, si dicendum adversus hunc, si tempus sit sermonis hujus, postremo si a virtute modestiæ non dissentiat. Nihil invidum sonans erumpat. »

Ex S. Hilario. S. Hilarius in *Psalm.* CXL, legit : « Argentum et aurum tuum constitue, et ori tuo fac ostium et seram, et verbis tuis jugum et mensuram. Ostium, inquit, et seram ori jussit apponi, ne verbis esset facilis egressus : iisdem autem verbis jugum mensuramque constituit, ut rationis jugo subdita, librata per mensuram moderatione penderent. » Græci enim, et ex iis S. Hilarius, nil habent de frenis, quos Latinus vult ori fieri « rectos, » quia multi frenos ori adhibent, sed non rectos : nam frenant oris petulantiam nimio silentio ; silent enim, cum peccatores arguendi, rudes instruendi, afflicti consolandi essent. Frenos ergo rectos ori adhibet, qui illud ad loquendum laxat, vel ad tacendum frenat, cum recta ratio loquendum vel tacendum esse dictat. S. Hieronymus, lib. XIV *in Ezech.*, sub initium, legit : « Sermonibus tuis facies stateram et appendiculum : ut et in verbis, inquit, et in opere, et in cogitationibus omnia pondere et ratione faciamus. »

Ex S. Chrysostomo. S. Chrysostomus, in *Psalm.* CXL : « Lancem (bilancem) et stateram fac linguæ tuæ, » illudque sic explicat : « Majorem, inquit, exigit diligentiam, ut non solum verba quæ oportet, efferamus, sed etiam cum ea, qua par est, cautione, et accurata consideratione, ipsa velut ponderantes diligenter expendamus. Si enim hoc facimus in auro et materia quæ interit, hoc multo magis faciendum est in verbis, ut nihil desit nec redundet. Quocirca dicit Ecclesiasticus IV : Verbum ne prohibueris in tempore salutis. Et Paulus : Sermo vester sit semper in gratia sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos in unoquoque respondere, *Coloss.* IV. Cogita apud te hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur. Hoc est membrum, per quod in primis reverendum summa veneratione dignum sacrificium (Eucharistiam) suscipimus. Et ideo oportet liberum esse ab omni accusatione, calumnia, verbo obsceno, maledicto. » Igitur valeat hic ac teneatur consilium S. Augustini : « Omne verbum prius ad limam, quam ad linguam veniat. » Amplius, imo duplum exigit S. Bernardus in *Speculo monachorum* : « Antequam, ait, verba proferas, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam. » Ita fecit sponsa, de qua dicitur *Cant.* IV : « Sicut vitta coccinea labia tua, » *q. d.* Labia tua silentio et discretione quasi vitta speciosa constricta et decorata sunt. Unde Rupertus ibidem ea attribuens B. Virgini : « In labiis Mariæ, ait, confessio et pulchritudo ; in labiis Mariæ sanctitas et magnificentia. Eva Deo muta fuit, Maria vero Deum suavissima voce magnificavit, se autem humiliavit. »

Ex S. Ambrosio. Audi hanc Siracidis sententiam præ cæteris egregie et luculenter pertractantem S. Ambrosium, lib. I *Officior.* cap. III : « Sepi possessionem tuam spinis, et aurum et argentum tuum alliga, et ori tuo fac ostium et vectem, et verbis tuis jugum et stateram. Possessio tua, mens tua est ; aurum tuum, cor tuum est ; argentum tuum, eloquium tuum est. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Bona etiam possessio mens bona. Denique possessio pretiosa homo mundus. Sepi ergo hanc possessionem et circumvallato co-

citationibus, munito piis sollicitudinibus, ne in eam irruant et captivam ducant irrationabiles corporis passiones, ne incursent motus graves, ne diripiant vindemiam ejus transeuntes viam. Custodi interiorem hominem tuum, noli eum quasi vilem negligere ac fastidire, quia pretiosa possessio est. Et merito pretiosa, cujus fructus non caducus et temporalis, sed stabilis atque æternæ salutis est. Cole ergo possessionem tuam, ut sint tibi agni. Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat et multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, et ripis suis coerceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. Alliga sensum tuum; non sit remissus ac defluus, ne dicatur de te : Non est malagma apponere, neque oleum, neque alligaturam. Habet suas habenas mentis sobrietas, quibus regitur et gubernatur. Sit ori tuo ostium, ut claudatur ubi oportet; et obseretur diligentius, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, et contumeliam rependas contumeliæ. Audisti hodie lectum : Irascimini, et nolite peccare. Ergo et si irascimur quia affectus naturæ est, non potestatis; malum sermonem non proferamus de ore nostro, ne in culpam ruamus. Sed jugum sit verbis tuis et statera, hoc est humilitas atque mensura, ut lingua tua menti subdita sit; restringatur habenæ vinculis, frenos habeat suos quibus revocari possit. Ad mensuram sermones proferat libra examinatos justitiæ, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. »

Idem S. Ambrosius, in *Psalm.* CXVIII, octonario 22, ad illa verba : *Loquetur lingua mea verbum tuum* : « Sepi, inquit, aures tuas spinis. Utinam et linguam obsepias, ne loquaris quæ sæculi sunt, audias quæ sæculi sunt. Sed quod pejus est, circumdata est lingua tua spinis, quæ compungunt et vulnerant loquentem quæ mundi sunt. Ideo adversarius etiam orantibus frequenter sæculares offundit cogitationes. Si ergo non debemus audire aliena vel superflua, quanto magis non debemus obloqui, cum dicat unicuique nostrum Scriptura venerabilis : Argentum et aurum tuum alliga, et ori tuo fac jugum et pondus. Alliga sensum tuum fide, taciturnitate alliga sermones tuos, impone jugum ori tuo, ne indomita cervice verborum se jactet; impone pondus, ut cauto omnia quæ loquimur, trutinemus examine. Quibus tamen spinis sepias aures tuas, ut Scriptura tibi dicit, nisi contrito corde et timore judicii? Salubriter ista compungunt, stimulant ista, non vulnerant, licet et vulnera utilia sint amici.

Mystice. Mystice Rabanus : « Aurum, inquit, suum atque argentum conflat, qui sensum tractatumque cordis sui, et locutionem oris igne Spiritus Sancti examinando purgat, ut veritati catholicæ fidei, et regulæ sacrarum Scripturarum per omnia concors fiat. Qui autem sermonum suorum cautelam habere non curat, consequens est, ut in conspectu inimicorum suorum, hoc est malignorum spirituum sibi insidiantium corruat; etiam ejus casus in morte perpetua insanabilis est. » Mysticus quoque est ille Palacii sensus : Jubet, inquit, auctor conflari aurum et argentum, ut inde nummi fiant, qui in pios usus erogentur; qua re Deus inclinatus freno cohibeat linguam nostram, et faciat ne quid sine rationis libra loquamur. Aurea porro statera est, quando quidquid loquitur lingua, in Dei gloriam refertur; argentea erit, quando quod loquitur, in utilitatem proximorum loquitur. Cadimus autem in conspectu inimicorum, cum in judicio particulari, quo quivis in morte examinatur, dæmones victores exsiliunt. Non cadimus, si non confundimur, quando dæmonibus in porta (scilicet mortis) loquemur, id est quando ab illis in hora mortis accusati, et a Christo judice liberati, dæmonibus insultabimus. Quocirca sapienter monet Apostolus, *Coloss.* cap. IV, dicens : « Omnis sermo vester semper in gratia sale sit conditus, » lenitate, scilicet, suavitate, candore, veritate, sapientia, delectu, lepore, venustate, quin, et ubi opus fuerit, mordacitate atque acerbitate. Hæc enim omnia præ se fert sal.

Apologus de frenanda lingua. Hanc parabolam vel apologum insigni corvi et ranæ apologo exornat Cyrillus, lib. I *Apolog. moral.* cap. XV, cujus titulus : *Doctus loqui, et avarus sis verbi* : « Cum corvus, inquit, post multum laborem ac studium vix tandem eloqui didicisset, audiretque ranam multa fantem, descendit, et dixit : Quis, soror, te loqui docuit? At illa respondit : Nemo certe, sed pro subtracta cauda loquelam mihi dedit natura liberalis. Tunc corvus : Felicem profecto commutationem, pro bestialitatis cauda rationis loquelam accepisti. Cui rana subjunxit : Tibi autem quod loqui scias, unde contigit, frater? Tum ille : Longis sane laboribus studiisque loquelam emi, et didici. His auditis inflata rana subjecit : Ecce tu loqui doctus es, et ego non docta; si placet ergo loquacitatibus concertemus, ut appareat quis nostrum abundantius loquatur. Ad hoc corvus ruminata sententia dixit : Ego duntaxat pauca illa loqui scio, quæ didici; te autem loqui minime didicisse, neque loquelam emisse satis inde patet, quia si illam emisses et erudita fuisses, non sic eloquia profunderes, sed ea aut prudentia venderes, aut beneficentia donares. At illa garrula : Modo, inquit, tu loqueris, et cui sermonem vendis? Mox ille respondit : Sapienti. Quippe cui nihil inordinate actum, est perditum, et quidquid apte dicitur, charum est. Nonne audisti, *Prov.* X, 20, quod argentum electum lingua sit justi, eo quod charissima sit? » Rationem a priori affert, eamque physica ratione ex linguæ situ confirmat dicens : « Nam clausura quæ raro aperitur est fortior, et lingua minus frequentata solidior. Nam quod diu rectum tenetur, difficilius obliquatur. Dum autem lingua non loquitur, rectum tenet. Divinæ veritatis tuba breviloqua fuit in monte Sina, et tantum Decalogum est prolocuta.

Ratio a priori. Priv.

Ad minus loquendum os clauditur; janua labiorum, et arteria aspera propter hoc ostiolo circumdatur. » Aliam deinde rationem ex natura verbi petitam assignans, subjicit : « Etenim si vox quidem verbum est, et non sonus, oportet ut meditatione concipiatur, formetur consilio, digeratur judicio, et hoc suo loco et tempore digestum, apertis in auribus pangatur. Quinque vocales datæ sunt homini, ut parce loqueremur ad sensum. Atque ob hoc lingua unum est locutionis instrumentum et gustus, ut nimirum pauca, et prius ratione prægustata dicamus. Nam loquax indigestis verbis conturbat alios, aut conturbatur. »

Secunda.

Vers. 30. 30. ET ATTENDE NE FORTE LABARIS IN LINGUA (per præcipitationem choleræ et verborum), ET CADAS IN CONSPECTU INIMICORUM INSIDIANTIUM TIBI, ET SIT CASUS TUUS INSANABILIS IN MORTEM. — Multi enim per verba temere prolata incurrunt mortem præsentem et æternam. Præclare S. Gregorius, lib. VII *Moral.* cap. XVII : « Sciendum quoque est, quod ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more et circumclusa ad superiora colligitur; quia illud repetit, unde descendit; et relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ considerationis amittit. Totam igitur sese insidiantis hostis vulneribus detegit, quia nulla se munitione custodiæ circumcludit. Unde scriptum est : Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis, et cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto et hæc eadem quæ vincitur, contra semetipsum per multiloquium pugnat. » Et S. Bernardus, *De Interiori domo*, cap. V : « Lingua, inquit, dicitur, quia lingit. Lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo. Ligat, et ligari non potest; labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallitur; labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta; tollit amicos, multiplicat inimicos; movet rixas, seminat discordias. Uno ictu multos percutit et interficit. Blanda est et subdola, lata et parata ad exhaurienda bona, et miscenda mala. »

Quocirca Deus maledicos sæpe morte præsenti, semper æterna punit. Paulinus, in *Vita S. Ambrosii*, memorat Donatum presbyterum S. Ambrosio jam vita functo detrahentem, subito percussum vulnere gravi, delatum ad lectulum, ibi maledicam animam exhalasse. Ac subdit idem contigisse Maurano episcopo eidem detrahenti. Et S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. LI, narrat sanctimonialem procacis linguæ post mortem apparuisse semiustam, et dimidia ex parte crematam. Quin et Deus Mariam, sororem Mosis, Mosi detrahentem lepra percussit, *Num.* XII. Denique in detractores sæpe dæmones immisit, ut qui dæmonem in lingua maledica gerebant, eumdem toto corpore quasi sui possessorem et herum circumferrent. Siracidem imitatus Cato ita de lingua frenanda sancit :

Virtutem primam esse puta, compescere linguam :
Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.
Rumores fuge, ne incipias novus auctor haberi :
Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit a lingua ad manum, puta a loquela ad largitionem et beneficentiam, cujus quatuor species assignat, scilicet mutuationem, eleemosynam, fidejussionem, et peregrinorum susceptionem, easque sigillatim ordine prosequitur. Primo ergo, vers. 1 *usque ad* 11, *agit de mutuando, dandoque mutuum proximo, ac nonnullorum post acceptum mutuum in reddendo difficultatem, incivilitatem et ingratitudinem taxat. Inde, vers.* 11, *usque ad* 19, *septem dat stimulos ad mutuandum, æque ac ad dandum eleemosynam, quam proinde vocat sacculum, scutum et lanceam contra hostes, ac propitiationem omnis mali. Secundo, vers.* 19 *usque ad* 28, *agit de fidejubendo pro proximo, ejusque periculo et cautela. Tertio, vers.* 28 *usque ad finem, agit de non vagando, eo quod magna sit miseria peregrinorum et hospitum, qui alieno tecto recipi, et herorum improperia pati coguntur.*

1. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo : et qui prævalet manu, mandata servat. 2. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, et iterum redde proximo in tempore suo. 3. Confirma verbum, et fideliter age cum illo : et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est. 4. Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, et præstiterunt moles-

tiam his qui se adjuverunt. 5. Donec accipiant, osculantur manus dantis, et in promissionibus humiliant vocem suam : 6. et in tempore redditionis postulabit tempus, et loquetur verba tædii et murmurationum, et tempus causabitur : 7. si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium, et computabit illud quasi inventionem : 8. sin autem, fraudabit illum pecunia sua, et possidebit illum inimicum gratis : 9. et convicia et maledicta reddet illi, et pro honore et beneficio reddet illi contumeliam. 10. Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. 11. Verumtamen super humilem animo fortior esto, et pro eleemosyna non trahas illum. 12. Propter mandatum assume pauperem : et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. 13. Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum : et non abscondas illam sub lapide in perditionem. 14. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et proderit tibi magis quam aurum. 15. Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. 16. 17. 18. Super scutum potentis, et super lanceam, adversus inimicum tuum pugnabit. 19. Vir bonus fidem facit pro proximo suo ; et qui perdiderit confusionem, derelinquet sibi. 20. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris ; dedit enim pro te animam suam. 21. Repromissorem fugit peccator et immundus. 22. Bona repromissoris sibi ascribit peccator : et ingratus sensu derelinquet liberantem se. 23. Vir repromittit de proximo suo : et cum perdiderit reverentiam, derelinquetur ab eo. 24. Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, et commovit illos quasi fluctus maris. 25. Viros potentes gyrans migrare fecit, et vagati sunt in gentibus alienis. 26. Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam : et qui conatur multa agere, incidet in judicium. 27. Recupera proximum secundum virtutem tuam, et attende tibi ne incidas. 28. Initium vitæ hominis, aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem. 29. Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam epulæ splendidæ in peregre sine domicilio. 30. Minimum pro magno placeat tibi, et improperium peregrinationis non audies. 31. Vita nequam hospitandi de domo in domum : et ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os. 32. Hospitabitur, et pascet, et potabit ingratos, et ad hæc amara audiet. 33. Transi hospes, et orna mensam : et quæ in manu habes, ciba cæteros. 34. Exi a facie honoris amicorum meorum : necessitudine domus meæ hospitio mihi factus est frater. 35. Gravia hæc homini habenti sensum : Correptio domus, et improperium fœneratoris.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. QUI FACIT MISERICORDIAM, FOENERATUR PROXIMO SUO. — *Primo*, Judæi cæterique fœneratores hoc loco tuentur vel obtegunt suas usuras, sensumque dant, *q. d.* Usurarius qui dat ad usuram proximo egenti, facit illi misericordiam, quia subvenit ejus inopiæ, nec usuram ultra sortem exigendo illi injurius aut onerosus videtur, quia ille volens hoc onus subit, imo petit, cum a nemine possit obtinere mutuum gratis. Verum hæc expositio erronea est, constat enim usuras esse iniquas vetitasque jure naturæ, divino et humano. Usura enim est versuta versura, imo rasura et rosura pauperum, ac fœnus, eorum est funus, quia sensim radendo et rodendo opes pauperum, eos occulte evertit, consumit et fame enecat. « Usuram, inquit S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. XIII, ab *usu* dictam arbitror, quod ut vestes usu, ita usuris patrimonia scindantur. » Et cap. XIV, ex Catone : « Quid est fœnerare ? Est hominem occidere. »

Secundo, ergo Jansenius proprie accipiendo τὸ *fœneratur*, pro *dat ad usuram*, sic explicat, *q. d.* Qui facit misericordiam subveniendo alterius necessitati, fœneratur illi, qui quod ei impendit beneficii, hoc a Deo remuneratore omnis virtutis et beneficentiæ magno recepturus est cum fœnore. Unde Syrus vertit : *Fœneratur fœnora magna, qui mutuum dat proximo*. Alludit ad illud *Proverb.* XIX, 17 : « Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. » Et ad illud : « Si vis fœnerari, fœnerare Deo. » Deus enim se beneficentia vinci non patitur, sed in beneficos longe beneficentior est. Hoc sanctissimum est fœnus ; hæc divina est usura, ideoque longe major illa, quam exigunt usurarii : Deus enim non centuplum, sed immensum retribuit, puta opes cœlestes et æternas, ait S. Chrysostomus, homil. 5 *De Pœnitent.*

Tertio et genuine, *q. d.* Vir misericors non tantum dat eleemosynam, sed et « fœneratur, » id est Mutuum dare

Actus misericordiæ. mutuum dat proximo eo indigenti, *q. d.* Facilis et promptus est ad mutuandum. Agitur enim hic de mutuo, et *fœnerari* hoc libro et alibi sumitur pro *mutuare*. Hebræum enim נשה *nasa*, et Græcum δανείζειν, significat *mutuare*, sive id fiat cum usura, sive sine ea et gratis. Tigurina vertit, *qui studet benignitati, mutuum det* (vel *dat*) *alteri* : pars enim et species secunda eleemosynæ et beneficentiæ est mutuare, sicut prima est largiri et donare; neque enim minor est mutui quam dati gratia; et sæpe quod datum recusamus, mutuum accipimus, inquit Palacius. Rursum si pauperi mutuas, Christo mutuas, cui multa debemus, non quidem pecunias, sed peccata. Mutuemus itaque pecunias, ut veniam accipiamus peccatorum; ipse enim est qui judicat, ait S. Chrysostomus, homil. 24 *in S. Joan.* cap. III.

Prævalens manu servat legem. Primo. ET QUI PRÆVALET MANU, MANDATA SERVAT. — *Primo*, generatim sic explices, *q. d.* Qui prævalet manu, id est operatione, hic servat mandata; hæc enim servantur et implentur non otiando, sed operando ea quæ jubent; quare qui valide operatur juxta mandata, hic ea servat. Vide S. Augustinum, lib. *De Fide et operibus*, ubi contra hæreticos docet fidem non sufficere ad justitiam et salutem, sed ad eam requiri opera. Sic David, qui hebraice idem sonat quod *manu validus*, ut volunt nonnulli (nam David proprie idem est quod *dilectus*), valida manu et funda torquendo lapidem in frontem Goliath, eum prostravit, itaque legem de tuenda et servanda republica et patria implevit. Idem fecit Judith valida manu obtruncando Holofernem tyrannum.

Secundo. *Secundo*, proprie *manum*, referas ad eleemosynam, de qua hic agitur; illius enim instrumentum et symbolum est manus, ut patet *Matth.* VI, 3, *q. d.* « Qui prævalet manu, » hoc est qui liberaliter dat et erogat quasi forti ac firma manu, qui valide manum extendit ad dandum sua egenis, hic servat mandata, tum ea quæ jubent dari eleemosynam, tum cætera; qui enim dat eleemosynam copiosam, magnam habet charitatem tam erga proximum quam erga Deum, magnamque a Deo meretur et accipit gratiam, qua totam legem Dei impleat. Ita Jansenius. Prævalet manu, inquit, qui ad largiendum promptus est et facilis. Nam qui tenax manu est, non videtur fortis et prævalidus, sed infirmus et impotens, ut qui manu ad dandum non utatur, aut tenuiter et remisse utatur, *q. d.* Qui haberi vult vir fortis manu, is sollicitus est ut faciat illa quæ mandata sunt ei de subveniendo suis proximis. Antistropha huic sententiæ est illa Ben-Siræ, alphabeto 1, littera *He* : « Esto bonus, et manum tuam a bono ne prohibeas. Vir bonus, inquit Cicero, est qui prodest quibus potest, nocet autem nemini. Hunc oportet virtuti operam dare. » Et littera *Zain* : « Sparge panem tuum in superficie aquarum et in arida; et in fine dierum invenies eum. » Quod desumpsit ex Salomone, *Eccles.* XI, 1 : « Mitte panem tuum super transeuntes aquas (id est in pauperes, qui in hac vita vivunt et præterfluunt ut aquæ) : quia post tempora multa invenies illum, » *q. d.* Licet pauperes sint, aut videantur fore ingrati, ut quasi in aquis jactum beneficium et periturum videatur, iis tamen benefac, quia vel ab eisdem, vel a Deo tibi reddetur. Ita Olympiodorus et Gregorius Neocæsariensis, *Eccles.* XI.

Nota : Pro *qui prævalet manu sua*, græce est ὁ ἐπισχύων τῇ χειρὶ αὐτοῦ, quod Tigurina vertit, *cui multum in manu est;* Vatablus, *qui manui suæ imperat;* alii, *qui corroborat* vel *validam facit manum suam;* aut, *qui vires et robur addit manui suæ;* Noster et alii, « qui prævalet manu sua, » scilicet ad operandum opera bona, magna et valida, præsertim eleemosynæ et beneficentiæ; horum enim organum et index est manus, ait S. Hieronymus, *in Matth.* cap. XV, vers. 2, quia eleemosynæ ministerio manus erogantur. Quo significatur magnas validasque eleemosynas magnam validamque eleemosynarii requirere manum, idque *primo* et proprie, quia valida eleemosyna est actus proprius magnæ validæque liberalitatis et beneficentiæ; hæc enim validam magnamque extendit manum ad succurrendum multis magnisque pauperibus, juxta illud quod de muliere forti dicitur, *Proverb.* XXXI, 20 : « Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. » Quare sic clare exponas, « qui prævalet manu, » id est qui prævalet beneficentia, qui valide manum extendit ad benefaciendum cuilibet.

Validus manu est liberalis, cur? Respond. primo.

Secundo, quia valida magnaque beneficentia validum et heroicum dantis requirit animum ad superandum amorem proprium, tenacitatem et avaritiam, qua quisque naturaliter propendet, ut sua sibi retineat, nec iis se spoliet dando ea aliis. Unde monuit Siracides, cap. IV, vers. ult. : « Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. » Hinc et Artaxerxes, cognomento Longimanus, Persarum rex, scite dixit naturam et Deum sibi quasi regi futuro dedisse manum dextram longiorem sinistra, eo quod regem deceat dare potius quam accipere beneficia: dantur autem dextra, accipiuntur sinistra. Secundo.

Proprie autem Siracides loquitur hic de mutuo, quod, quia sæpe magnum est, validum magnumque requirit mutuantis animum. Qui enim gravi ære alieno gravantur, non audent ejus condonationem vel donationem petere, sed petunt mutuum ad illud solvendum, promittentes se illud stato tempore redditurus; qua in re sæpe vel ob inopiam, vel ob perfidiam mutuantes fallunt; quare magno liberalique animo sit mutuans oportet, ut hoc periculum devoret, ideoque manum suam ad mutuandum corroboret et confirmet.

Tertio, quia magnæ eleemosynæ validam requirunt manum dantis, qua sibi procuret et comparet ea quæ daturus est; unde de muliere forti et strenua dicitur *Proverb.* cap. XXXI, vers. 13 : « Quæsivit lanam et linum, et operata est consi- Tertio.

lio manuum suarum. » Et vers. 17 : « Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum, » etc. Denique Palacius : Christus, inquit, duplex mandatum reliquit eleemosynæ : *primum*, « omni petenti te, tribue, » *Luc.* VI, 30; *secundum*, « volenti mutuari a te, ne avertaris, » *Matth.* V, 42. Si ergo das, non vero mutuas, altera manu vales, non utraque; unum, non duo mandata servas. Quare avarus, qui non dat nec mutuat, utramque manum paralyticam habet; qui vero dat, sed non mutuat, manum unam sanam habet, alteram paralyticam; qui vero dat et mutuat, utramque habet sanam et validam.

Eleemosyna facit fortes.

Moraliter, hic disce beneficentiam esse fortitudinem et potentiam, adeoque beneficos esse fortes, validos et potentes, imo tales evadere per suam beneficentiam, tum ob rationes jam dictas,

Primo.

tum *primo*, quia eleemosyna non depauperat, sed ditat. Vide S. Chrysostomum, hom. 33 *ad Popul.* : « Quod eleemosyna est ars omnium quæstuosissima. » Unde S. Joannes Eleemosynarius, quo plura erogabat in pauperes, eo plura sibi a Deo

Secundo.

suggeri experiebatur. *Secundo*, quia eleemosyna Dei, angelorum et hominum benevolentiam conciliat eleemosynario, ut omnes eum ament, juvent, protegant, propugnent, evehant; uti S. Gregorius, ob eleemosynam tertio datam angelo eam petenti in specie naufragi, meruit Pontificatum, uti habet ejus Vita. *Tertio*, quia clementia et beneficentia sunt dotes, quæ proprie decent potentes et principes. Unde Deus, quia ditissimus et potentissimus est, hinc est et clementissimus summeque beneficus. Sic et reges, juxta illud Christi, *Luc.* XXII, 25 : « Reges gentium dominantur eorum : et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. » Et illud citatum a Paulo, *Act.* XX, 35 : « Beatius est magis dare, quam ac-

Tertio.

Quarto.

cipere. » Vide ibi dicta. *Quarto*, quia eleemosyna exstinguit peccata, fugat dæmones, imo ligat quasi ipsum Deum omnipotentem. Qua de re memorabile exstat exemplum apud Joannem Moschum, in *Prato spirit.* cap. CLXXV, de Zenone imperatore, « qui mulierem quamdam in filia ipsius injuriose tractaverat. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, orans et deprecans, et cum lacrymis dicens : Vindica me de Zenone imperatore. Cum ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei S. Dei Genitrix dicens : Crede mihi, mulier, ultionem tuam sæpe facere volui; sed manus ejus prohibent me. Erat enim valde misericors et eleemosynarius. » Vide 21 vires et virtutes eleemosynæ, quas recensui *Deuter.* XXVI, 12.

Summa dictorum esto : Manus valida est manus benefica, larga et liberalis, quæ nunquam est infirma, remissa, contracta ad dandum, sed robusta, strenua, exporrecta; quæ nulla pauperum multitudine, importunitate, rusticitate, ingratitudine se vinci sinit; quæ nulla donorum magnitudine arctari se permittit; quæ nullo labore fatigatur, sed semper multa et magna largitur, adeoque omnibus omnia sua large impertit; quæ semper dare studet; quæ infatigabiliter laborat ut corroget quod det. Talis imitatur manum Dei, quæ liberalissima est, tum in condonandis peccatis et injuriis plurimis et gravissimis, tum in donandis beneficiis innumeris et maximis. Talem manum habebat S. Joannes Eleemosynarius, et S. Franciscus Xaverius ad baptizandum et succurrendum Indis.

Vers. 2.

2. FOENERARE PROXIMO TUO IN TEMPORE NECESSITATIS ILLIUS, ET ITERUM REDDE PROXIMO IN TEMPORE SUO. — Est quasi dialogismus : Siracides enim priore parte alloquitur eos qui dant mutuum; posteriore vertit se ad eos qui illud petunt et accipiunt. « Fœnerare ergo, » id est, ut vertit Syrus, *mutua proximo in necessitate constituto*, dum scilicet a creditoribus premitur vel opprimitur, tu qui potes, et habes quod mutues; tu vero qui mutuum petis et accipis, illud fideliter redde mutuanti tempore condicto, et ab eo tibi præstituto. Hoc enim exigit fidelitas, justitia, æquitas et gratitudo. Unde Tigurina vertit : *Proximo tempore necessitatis suæ dato mutuum* (alii, *commodato*), *rursumque suo tempore proximo restitue.* Sicut enim mortale peccatum est in necessitate eleemosynam non dare, sic et mortale est mutuum in necessitate negare, ait Palacius. Mutuum enim vocat *fœnus* non tantum respectu Dei, qui mutuanti retribuet cum fœnore, sed etiam respectu accipientis sive mutuatarii; hic enim mutuanti obstringitur et obligatur titulo gratitudinis, ut simile vel majus illi beneficium rependat; hoc est fœnus non exactum, sed debitum; jure non justitiæ, sed gratitudinis. Unde Salomon, *Proverb.* cap. XXII, 7 : « Dives pauperibus imperat : et qui accipit mutuum, servus est fœnerantis, » id est mutuantis. Hinc mutuans et creditor hebraice vocatur נושא *nose*, a radice נשא *nasa*, id est elevavit, extulit; quia qui ab eo mutuum petit et accipit, cogitur ob beneficium acceptum ei quasi elevato se humiliare, fieri supplex, venerari et colere. Idem chaldaice vocatur רשיא *raschia*, a radice רשא *rascha*, id est potuit; mutuans enim et creditor jus, potestatem, et quasi imperium habet in eum cui mutuum dedit, hicque illi plane obnoxius, et quasi servus existit. Hinc vidua illa ait ad Eliseum : « Ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi, » IV *Regum* IV, 1. Hoc enim creditori facere olim licitum erat.

Mutuandantium exempla.

Hac de causa S. Joannes Eleemosynarius non tantum ad dandum, sed et ad mutuandum promptissimus erat; quam proinde promptitudinem Deus centupli redditione rependit, uti per visionem cuidam Duci revelatum narrat Leontius in ejus Vita, cap. XXIX. In *Vitis Patrum*, lib. V, libello VI, num. 7, laudatur Joannes Persa Abbas, qui cuilibet mutuum petenti dabat, dicens : « Vade, tolle tu ipse, quod opus habes. » Cumque ille referebat quod mutuo acceperat, dicebat ei : Re-

pone illud iterum, unde tulisti; si autem non referebat, senex nihil dicebat ei. » De eodem celebratur Joannes Abbas in *Prato spirit.* Joannis Moschi, cap. CLXXXIV. Hic enim rogatus mutuum, cum non haberet, postulabat ab alio, cumque qui illud acceperat, solvendo non esset, ipse miro modo illud persolvit. Et cap. seq. narrat exemplum mulieris fidelis, quæ marito infideli volenti dare pecuniam fœneratori ad lucrum usuræ, suasit, dixitque : « Si placet fœnerari, demus illam sub fœnore Deo christianorum. » Erogavit ergo in pauperes nummos quinquaginta, ac paulo post mira Dei providentia eos sextuplicatos recepit, nimirum pro 50 restituit ei Deus trecentos.

Vers. 3. 3. CONFIRMA VERBUM, ET FIDELITER AGE CUM ILLO : ET IN OMNI TEMPORE INVENIES QUOD TIBI NECESSARIUM EST, — *q. d.* Fac dicta tua opera firmes, ac fideliter stes promissis, ut scilicet condicto tempore mutuanti mutuum restituas. Sic enim fiet, ut ipse et cæteri alio quovis tempore, cum indigueris, tibi libenter mutuo daturi, omnique ope et opera opitulaturi sint. Unde Tigurina vertit : *Fac dicta tua firmes, fidumque te præstes ipsi, ut omni tempore necessaria tibi reperias;* alii : *Ratum habe sermonem tuum, fidemque cum eo cole, et omni tempore invenies ea, quibus indiges;* hoc enim significat græcum τὴν χρείαν σου, id est, necessitatem tuam vel indigentiam tuam, scilicet ea quæ tibi necessaria sunt, quibusque ad victum et vitam indiges. Syrus vertit : *Confirma verbum tuum, et confirmabitur tecum proximus tuus, et in omni tempore invenies voluntatem tuam ab eo, q. d.* Faciet quidquid voles, quia tibi obnoxius et ob mutuum obstrictus.

Vers. 4. 4. MULTI QUASI INVENTIONEM ÆSTIMAVERUNT FŒNUS, ET PRÆSTITERUNT MOLESTIAM HIS QUI SE ADJUVERUNT. — *Inventionem* vocat rem inventam; *fœnus*, vocat mutuum, *q. d.* Multi mutuum æstimant, non ut mutuum, quod tempore condicto reddendum est, sed quasi rem inventam, quam vulgus rude et avarum censet cadere in jus invenientis, nec requirendum esse ejus dominum, qui perdidit, ut ei restituatur (imo Dom. Soto, lib. V *De Justitia*, Quæst. III, art. 3, ad 2, putat inventa, si post diligentem inquisitionem dominus non reperiatur, quasi adespota ab inventore licite posse retineri. Sed communis doctorum sententia est ea pauperibus vel aliis piis operibus esse impendenda. Vide P. Lessium, lib. II *De Justitia*, cap. XIV, dub. 7). Quocirca molestiam exhibent mutuantibus, qui in egestate dando mutuum eos adjuverunt, dum illud tarde, ægre, nec nisi a judice coacti solvere in animum inducunt, uti fusius explicat in sequentibus. Unde Tigurina: *Multi quod mutuo acceperant pro reperto* (alii, *pro lucro reperto*) *habuerunt, molestiasque exhibuerunt suis adjutoribus.*

Inventa pauperibus danda.

Hæc ingens est indignitas et ingratitudo. Si enim mutuator, ait Palacius, juvit te, cur tu ita mutuum retines, ac si non suum, sed tuum esset? Mutuator fuit tibi in angustia deus, cur tu huic deo tuo molestus es, imo barbarus et magis efferus quam fera? Sapienter Symmachus, lib. III, *epist.* 64 : « Ab alio, inquit, officia poscens, promittit sua. » A talibus ergo tam infidis et ingratis cavendum esse tacite monet hic Siracides, æque ac Ben-Sira, alphab. 1, littera *Ain* : « Merces, inquit, si communes habueris cum aliquo, a bono centies frustra repetes, a malo millesies. » Et littera *Sade* : « Si necesse est ut contrahas accipiendo et dando, esto sors tua cum viro bono, » *q. d.* Contrahe et mutua viro probo, qui fideliter id quod promisit præstabit, mutuumque restituet. Hoc est, quod ait Psaltes, *Psal.* XXXVI, 21 : « Mutuabitur peccator, et non solvet : justus autem miseretur et tribuet. » Anonymus apud Suidam miserrimos homines esse dixit, qui modo rubros, modo pallidos habeant dentes. Notabat autem eos, qui mutuo accipiunt ab aliis, qui dum mutuum repetitur, erubescunt; dum vero creditorem viderint, pallescunt, ne cogantur ad solvendum.

Vers. 5 et 6. 5 et 6. DONEC ACCIPIANT, OSCULANTUR MANUS DANTIS, ET IN PROMISSIONIBUS HUMILIANT VOCEM SUAM : ET IN TEMPORE REDDITIONIS POSTULABIT TEMPUS, ET LOQUETUR VERBA TÆDII ET MURMURATIONUM, ET TEMPUS CAUSABITUR. — Nonnulli vertunt : *Est qui dum accipiat manum osculatur suam* (pro αὐτοῦ enim, id est *ipsius*, scilicet dantis, legunt spiritu aspero αὑτοῦ, id est *suam*), hoc est : est qui adoret eum, a quo accipit mutuum : osculatio enim manus proprie olim erat signum adorationis, ut patet *Job.* cap. XXXI, 27, de quo ritu plura dixi *Ezech.* cap. VIII, 17. Sed retinenda est Vulgata versio : nam et Græci codices Complutens. Romani et cæteri legunt αὐτοῦ, non αὑτοῦ. Unde sic habent : *Donec accipiat, osculabitur manum ejus, et in pecuniis proximi humiliabit vocem, et in tempore redditionis protrahet tempus, et reddet verba acediæ* (vel pigritiæ), *et tempus causabitur.* Clare Tigurina : *Sunt qui dum accipiant, manum cujuspiam exosculentur, et propter pecunias alterius utantur voce supplici; qui rursum tempore restitutionis rem extrahant, contemptimque verba dant* (alii, *reddant verba mœsta*) *tempusque causentur;* Syrus : *In tempore, quo mutuum accipit, osculatur manum commodantis, et super opes proximi extollit vocem suam* (illas deprædicando), *et in tempore quo reddet* (reddere debet) *mutuum, dilatabit seipsum, et ad tempus multum differt illud.*

Mimesis. Est mimesis : graphice enim imitatur et depingit mores infidorum et tardorum ad reddendum mutuum; posteriore autem versu per enallagen in S. Scriptura usitatam mutat numerum pluralem in singularem, dicens : « Postulabit, loquetur, causabitur, » ut significet quemlibet eorum idipsum facere. Unde in Græcis idem est numerus singularis tam in primo quam in secundo versu. Sensus est, *q. d.* Multi, cum mutuum petunt a proximo, ei summe se humiliant fiuntque

supplices ac eximia veneratione manus ejus arripiunt et exosculantur; utque pecunias ab eo mutuo accipiant et impetrent, humillime promittunt se mutuum tempore mutuante condicto certo reddituros, memoresque et gratos in omnem vitam futuros. At cum tempus reddendi et solvendi advenit, moras nectunt, petuntque prorogari tempus; ac pro humilibus verbis, quæ prius loquebantur, reponunt verba tædii et murmurationum, amaris sermonibus, mœstis et tristibus obmurmurantes mutuatori mutuum suum repetenti, quasi nimis præcisus et rigidus sit sui debiti exactor, ac culpam rejicientes in tempus, scilicet quod fuerit sterile, pluvium, bellis aliisque incommodis impeditum, ideoque se non esse solvendo.

Hæc explicatione non egent, quia in dies ea fieri conspicimus. Unde ea sic prosequitur Siracides :

Vers. 7. 7. SI AUTEM POTUERIT REDDERE, ADVERSABITUR (perperam Jansenius et alii legunt, *adversatur*), SOLIDI VIX REDDET DIMIDIUM, ET COMPUTABIT Vers. 8. ILLUD QUASI INVENTIONEM : — 8. SIN AUTEM, FRAUDABIT ILLUM PECUNIA SUA, ET POSSIDEBIT ILLUM INIVers. 9. MICUM GRATIS : — 9. ET CONVICIA ET MALEDICTA REDDET ILLI, ET PRO HONORE ET BENEFICIO REDDET ILLI CONTUMELIAM. — Τὸ *solidi* non est in Græco, sed subintelligitur. *Solidus* enim hic per synecdochen significat integrum pretium totumque debitum, quod Romani vocabant *assem*. Perperam ergo Palacius legit, *adversabitur solidæ*, illudque sic explicat, *quasi dicat* : Adversabitur solidæ ac integræ redditioni, dicens se integrum solvere non posse, sed tantum dimidium. Unde gaudebit alterum dimidium sibi manere, perinde ac si illud invenisset.

Rursum *gratis*, id est sine causa, sine culpa, immerito, ut vertit Tigurina; quia contra meritum mutuantis hanc ei rependit fraudem, imo maledicta, ut sequitur. Unde aliqui codices legunt contrarie, οὐ δωρεάν, id est *non gratis*; quia scilicet beneficium rependit et solvit per maleficium. Unde Vatablus vertit : *Quod etiamsi solvendo fuerint, tergiversantur sedulo* (vel *perdifficiles se exhibent*), *dimidium vix afferunt, debitumque pro repertitio ducunt* (alii, *idque reputat pro lucro repertitio*); *sin minus, quem sua defraudarunt pecunia, cum eo inimicitias suscipiunt, ultro* (vel *cum immerito*) *exsecrationes ei rependunt, conviciaque et pro honore beneficioque reddunt contumeliam.*

Sensus est facilis, *q. d.* Si solvendo sit, *primo* « adversabitur, » id est idipsum negabit et tergiversabitur; deinde cum se superatum viderit, « solidi, » id est integri mutui, totiusque debiti tantum solvet dimidium, illudque creditori computabit non quasi debitum, sed quasi rem inventam, et donum fortuitum, velut si creditor illud casu reperisset dicens, aut ita se gerens, inquit Jansenius, quasi creditor felicem se reputare debeat, aut gratium habere suo debitori, quod vel dimidium ab eo obtinuerit; si autem solvendo non sit, ut sæpe hominum socordia et prodigalitate fit, primum quidem fraudabit illum pecunia quæ illi debetur, sicque « gratis, » id est præter meritum et culpam sui creditoris, efficiet et possidebit illum sibi inimicum, quem prius expertus erat amicum. Deinde vero ad indigniora prorumpens, reddensque malum pro bono, convicia et maledicta reddet ei, ut hæc sint loco restitutionis et gratiarum actionis. Quid vero hinc mali consequatur in moribus hominum, aperit, cum subjicit : « Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, » etc. Ita hunc locum explicat S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. XXI, additque : « Quam deforme est, ut pro beneficio ei, qui te adjuvit, rependas molestiam! cum istum fraudaveris cui debes, postea in tempore necessitatis tuæ non invenies creditorem. » Unde tandem concludit, hocque consilium dat : « Ergo dum liber es, a vinculis ipse te revoca, a jugo et onere servitutis. Dives es? non sumas mutuum. Pauper? non sumas mutuum. Dives es? nullam pateris petendi necessitatem. Pauper es? considera solvendi difficultatem. Opulentia usuris minuitur, paupertas usuris non levatur. Nunquam enim malum malo corrigitur, nec vulnus curatur vulnere, sed exasperatur. » Nesumas mutuum, cur?

Vers. 10. 10. MULTI NON CAUSA NEQUITIÆ NON FOENERATI SUNT, SED FRAUDARI GRATIS TIMUERUNT. — Nonnulli delent prius *non*; alii, posterius. Unde Rabanus legit : *Multi non causa nequitiæ fœneraverunt* : sensumque dat, quasi dicat : Multi noluerunt dare mutuum propter avaritiam. Verum legendum est cum Romanis utrumque *non*; sensus enim est, *q. d.* Multi non sunt fœnerati, id est noluerunt dare mutuum, non causa nequitiæ, hoc est avaritiæ, odii, alteriusve malitiæ; sed quia aliquando ab accipientibus mutuum « gratis, » i. e. immerito, decepti et fraudati, rursum decipi similiter et « fraudari timuerunt. » Unde Græca habent : *Multi igitur propter nequitiam aversati sunt hominem* (tergiversantem et fraudantem mutuum) *metuentes defraudari sine causa* : metuentes, scilicet, se mutuum non recuperaturos, et pro gratia convicia reportaturos.

Sed pro οὖν, id est *igitur*; legendum est cum Nostro οὐ, id est *non*. Unde Tigurina vertit : *Multi non per malitiam avertunt se ab homine, sed immerito* (id est præter suum meritum) *defraudari metuunt*; S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. III, legit : « Multi dispendii metu non fœnerant, dum fraudem verentur. » Vide eum totum hunc locum citantem, et increpantem avaros, qui mutuare nolunt nisi cum usura et lucro. Syrus vertit : *Multi sunt, qui omnino non retardantur a malitia, quin mutuum dent, sed quia timent litem vanam*, ne scilicet per litem mutuum repetere cogantur. Huc pertinet factum Persei, qui cum noto cuipiam daret pecuniam, cautionem fecit in foro apud mensarium. Hanc diligentiam cum amicus admi-

ransdiceret: «Adeone legaliter, Persee?» «Scilicet, inquit, ut amanter recipiam, nec legaliter reposcam.» Lepos est in Græcis νομικῶς et φιλικῶς. Hoc imitentur qui sibi cavere volunt, ne in lites incidant, et pecuniam mutuo datam cum lite perdant.

Vers. 11. 11. VERUMTAMEN SUPER HUMILEM ANIMO FORTIOR ESTO, ET PRO ELEEMOSYNA NON TRAHAS ILLUM. — Est correctio, *q. d.* Hæc de fraude et infidelitate eorum, qui mutuum petunt et accipiunt, non eo fine dixi, ut velim omnes absterrere a mutuando; imo vero suadeo ut *humilis*, id est pauperis et supplicis, misereantur. Quare erga tales «animo fortior esto,» id est fortiter et liberaliter age (ad liberalitatem enim opus est fortitudine, uti dixi vers. 1), græce μακροθύμησον, id est *longanimis*, ut vertit Syrus, hoc est magnanimus, puta magnificus et munificus esto: «Et pro» id est pro *eleemosyna facienda* sive per mutuationem, sive per donationem, «non trahas,» græce μὴ παρελκύσῃς, id est *non protrahas*, uti legit Rabanus, non differas de die in diem, non moreris, non ludifices illum. Unde Complutenses vertunt leguntque: *Verumtamen in humilitate magno animo esto, et in eleemosyna ne trahas illum*; Tigurina: *Verumtamen erga supplicem clementia utitor, nec eum exspectatione benignitatis extrahas.* Ubi recte notat Jansenius: Ex Græcis, inquit, constat dictionem «animo» jungendam, non cum «humilem,» sed cum «fortior.» Habent enim ἐπὶ ταπεινῷ μακροθύμησον, hoc est, *super humilem longanimis esto.*

Monet ergo ne erga eum qui vere pauper est, aut ex animo humiliter ac demisse loquitur, si non possit, quod mutuo accepit, præscripto tempore reddere, creditor impatienter se gerat, objurgando eum et rigide debitum exigendo; sed animo suo imperet et superet, vel condonando ei debitum, vel tempus solutioni concedendo. Item ut, propter multorum injurias et fraudes, qui se beneficio reddunt indignos, quis impatienti animo non neget vere pauperibus humiliter opem petentibus subvenire, sive per mutuum, sive per donationem. Hoc enim significatur verbo μακροθυμεῖν, scilicet in maxima hominum perfidia et injuria summam patientiam et humanitatem erga inopes beneficio non indignos præstare. Sic enim apud Matthæum, cap. XVIII, 26, servus, qui domino suo rationem reddere non poterat, nec solvendo erat, oravit, usus hoc verbo: Κύριε, μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί: *Domine, patientiam habe in me.* Nam hæc affectio, quæ Græcis dicitur μακροθυμία, hoc est patientia vel lenitas animi, acerbitati opponitur, qua plerique in beneficio aut exigendo aut negando uti solent.

Ad mutuandum stimuli. Primus

Nota: Siracides varios hic dat stimulos ad mutuandum, etiam cum periculo mutuum non recipiendi, sed perdendi. *Primus* est hoc versu, quod id requirat virtus misericordiæ et magnanimitatis, quæ pluris facienda est quam opes et pecuniæ; magnanimitas enim fidelium tanta sit oportet, ut spernant aurum præ virtute misericordiæ.

Vers. 12. 12. PROPTER MANDATUM ASSUME (id est adjuva, eumque in tuam curam et opem suscipe, tuaque beneficentia complectere) PAUPEREM: ET PROPTER INOPIAM EJUS NE DIMITTAS EUM VACUUM. — Græce, *gratia*, vel *in gratiam mandati subleva egenum, et in egestate ne dimittas ipsum vacuum*; Tigurina, *propter præceptum subvenias pauperi, nec quia inops est, remittas abs te vacuum*; Syrus, *veluti ad observandum præceptum succurre egenti; et si fuerit egestas, ne opponas cor tuum, q. d.* Ne cures an sit publica fames vel inopia pecuniæ, ut idcirco mutuare nolis, sed liberaliter da mutuum. *Secundus* est hic stimulus ad mutuandum, *q. d.* Præceptum est jure naturæ et divino, ut subvenias in necessitate pauperi per mutuum; ergo omnino tibi mutuandum est. Si ergo nolis mutuare pauperi, quia pauper est, mutua saltem ei quia lex id jubet, mutua in gratiam legis divinæ, legi et Deo hanc gratiam fac, si eam nolis facere homini. Porro præceptum hoc expressit Christus, dicens *Luc.* VI, 30: «Omni petenti te, tribue.» Et *Matth.* cap. V, 42: «Qui petit a te, da ei; et volenti mutuari a te, ne avertaris.» Et Moses, *Deut.* XV, 18, ac *Exodi* XXII, 14. Secundus.

Tertius stimulus est egentis inopia: illa enim poscit ut non dimittas eum vacuum: miseria enim proximi efflagitat tuam misericordiam: ejus ergo miserere, ut et tui misereantur Deus et homines. Tertius.

Vers. 13. 13. PERDE PECUNIAM PROPTER FRATREM ET AMICUM TUUM: ET NON ABSCONDAS ILLAM SUB LAPIDE IN PERDITIONEM. — Syrus, *ne ponas illam sub petra* aut *pariete*. Sic quoque legunt Complutenses: μὴ κατακρύπτε, id est *ne abscondas*, et S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. III. Verum Græci Romæ emendati aliique legunt, μὴ ἰωθήτω, id est *ne contrahat rubiginem*. Unde vertunt, *perde argentum propter fratrem et amicum, et ne id sub saxo rubigine obducatur in perniciem.* Nam, ut ait S. Augustinus, lib. *De Amicitia*, cap. XXV: «Cum tibi cum amico tuo esse debeat cor unum et anima una, injuriosum est si non sit et pecunia una.» Propter amicum ergo perde aurum, quia perdendo lucraberis. Hic enim locum habet paradoxum S. Ægidii socii S. Francisci: «Ut lucreris, perde.» Nam, ut ait Hugo, perdes temporaliter, ut invenias in æternum, juxta illud *Eccles.* XI: «Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora invenies illum.» Igitur perde pecuniam, sicut agricola perdit semen quod seminat, ut centuplicatum recipiat. De qua perditione ait Christus: «Qui amat animam suam, perdet eam,» etc. *Joan.* XII. Quocirca parum æqua est illa Senecæ vox: «Amico mutuam roganti me pecuniam, si dedero, et amicum, et pecuniam perdo.» Hanc corrigit hic Siracides, dicendo: «Perde pecuniam propter fratrem et amicum.» Amicus Ut lucreris, perde.

enim verus reddet pecuniam, si potest : si non potest, hoc dandum est amicitiæ. Præstat enim perdere pecuniam, quam charitatem et amicitiam.

Quartus. *Quartus* est hic stimulus ad mutuum, *q. d.* Frater tuus est et amicus, qui poscit mutuum : ergo id ei tribue. Quid enim neges amico et fratri? Cognatio enim hæc tanta tamque arcta est, ut propter illam non tantum mutuandum, sed et dandum perdendumque sit aurum. Frater, inquam, est, tum quoad communem naturam, quia filius Adæ et Evæ æque ac tu; tum quoad religionem et fidem communem, quia filius Dei et Ecclesiæ æque ac tu; tum quoad viciniam, officium aliosque unionis respectus. Igitur esto frater mutuum non sit redditurus, mutua illi tamen, et, si reddere nequeat, dona et condona : sic duplicem præstabis beneficentiam. Dum ergo mutuas, æstima te dedisse fratri, si is non reddat. Ita S. Ambrosius, lib. *De Tobia,* cap. II : « Da, inquit, pecuniam, si habes : prosit alii, quæ tibi otiosa est; da quasi non recepturus, ut lucro cedat, si reddita fuerit. Qui non reddit pecuniam, reddet gratiam; si fraudaris pecunia, acquires justitiam. Justus enim est, qui miseretur et commodat, » *Psalm.* CXI : « Si amittitur pecunia, comparatur misericordia. » Scriptum est enim : « Qui facit misericordiam, fœneratur proximo. » Vide eumdem, lib. II *De Officiis,* cap. XVIII : « Plurimum, ait, juvat benevolentia, quæ omnes studet beneficiis amplecti, devincire officiis, oppignerare gratia. »

Quintus. *Quintus* stimulus est, quia præstat illud dare amicitiæ et fraternitati, quam ærugini et rubigini, imo illud abscondendo sub lapide corrumpere et perdere, tum quia sub lapide æruginem contrahit, tum quia ibi absconditum oblivioni traditur, et moriente hero qui abscondit; nullus sæpe est qui ibi absconditum sciat; tum denique quia nullus ibi est ejus usus. Unde perinde est ac si perditum, imo annihilatum esset. Addit S. Ambrosius, lib. *De Nabuthe,* cap. V et sequent., opes perdere animas avarorum, qui illas abscondunt et corrumpi sinunt, nec erogant in pauperes.

Pro quo nota : Græce est εἰς ἀπώλειαν, quod *primo,* proprie Noster vertit, « in perditionem, » *q. d.* Pecunia absconsa sub lapide, ibi perditur et perit sine fructu; *secundo,* Tigurina et alii vertunt, *in perniciem; tertio,* alii vertunt, *in mortem, q. d.* Opes absconsæ mortem spiritalem animæ, et perniciem æternam in gehenna avaro, qui eas abscondit, afferunt : eo quod eas in aliorum usum, ad quem a Deo datæ et conditæ sunt, non impendat. Verum primus sensus magis genuinus est. Unde nonnulli, ut dixi, pro *non abscondas,* in Græco legunt, *ne ærugine obduci sinas.* Ut huc allusisse videatur Christus dicens *Matth.* VI, 19 : « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur. » Et S. Jacobus, cap. V, 2 : « Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt : aurum et argentum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis, » *q. d.* Opes absconsæ tam seipsas quam abscondentes consumunt et perdunt. Vide ibi dicta. Perit ergo pecunia absconsa : *primo,* sibi ipsi, quia seipsam rubigine consumit; *secundo,* proximis, quorum necessitatibus (licet iis levandis a Deo sit destinata) non succurrit; *tertio,* hero suo, tum quia ipse ex ea nullum emolumentum capit; tum quia ipse propter avaram eorum custodiam et immisericordiam in pauperes, quibus eam non erogavit, morte æterna damnabitur.

Nota τὸ *non abscondas sub lapide* : in his enim verbis insinuatur olim Judæos sub certis lapidibus thesauros suos defodere solitos, ne latronum furumque paterent insidiis, utque ipsi defodientes loci defossionis non oblivisceretur, sed ex lapide certo a se designato scirent sub eo se defodisse, inibique eos requirerent, cum vellent. Ita Palacius. Sic posteriori ævo Tiberius imperator, qui Justino II successit anno Domini 578, obambulans in palatio vidit in pavimento lapidem marmoreum, cui insculpta erat crux; quam pedibus ambulantium calcari indigne ferens, inde jussit eum eximi, et honorifico loco collocari. Quo ablato, sub eo defossum reperit ingentem thesaurum, quem more suo in pauperes expendit. Ita refert Paulus Diaconus, *Histor. Longobardorum,* lib. III, cap. VI, et Gregorius Turonensis, lib. V *Histor. Franc.* cap. XIX.

Hanc gnomen festivo terræ et aeris apologo illustrat Cyrillus, lib. III *Apolog. moral.* cap. XIX, cui titulus : *Quod liberalis det gratis* : « Cum post effusionem pluviæ, inquit, quam dederat aridæ sitienti calefactus aer, ex eadem vaporales humiditates exhauriret; mox ei locuta est terra, dicens : Ut quid tam cito humidum subtrahis, quod sitibundæ mihi paulo ante dedisti? At ille respondit : Cum tum antiqua sis, hæc ignoras? nisi enim hoc resumerem, illud nullatenus tribuissem. Idcirco enim dono laticem, ut sumam vaporem. Tunc terra dixit : Lethalius certe cupiditatis virus est, quod liberalitatis specie tegitur. Tanto enim magis noxium est vitium, quanto magis apparentiæ pallio se virtutum mentitur. Dico igitur, ne turberis, quod non sis effusor liberalis, sed mercator rapidus; non donator, sed venditor nequaquam liberalis. Liberalis enim est qui sua bona liberaliter dispergens, non communicat, sed donat. Donare autem est gratis virtutem impendere. Unde ratio liberalis donationis, possessæ bonitas est virtutis. » Deinde idipsum firmat exemplo cœli, solis et naturæ : « Attende, quæso, ad virtuosissimas naturæ donationes, quam liberaliter effundantur. Quid enim ab inferioribus suscipit cœlum, quibus omnium suorum vivificum præstat continuum beneficium? Quid Titan luminis emissione, aut quid terra ab homine, stillando

illi vitis liquorem suavissimum? aut quid apis dulcissimum favum mellificando? Nihil certe. Liberalis natura, amando tribuit virtutis bonum, quando dat donum. Nulla enim verior aut major donationis merces est, quam ipsius donativæ virtutis, quæ est res grandissima. Quibus auditis ille de questu illiberalitatis erubuit. »

Vers. 14. 14. PONE THESAURUM TUUM IN PRÆCEPTIS ALTISSIMI, ET PRODERIT TIBI MAGIS QUAM AURUM. — *Primo*, sensus esse potest, *q. d.* Thesaurus tuus non sit in ære, sed in æthere; non in ære, sed in lege Dei : legis enim Dei amor et observatio magis te ditabit et juvabit, quam omne aurum. Unde Syrus vertit, *pone tibi thesaurum in justitia et charitate, et ille melior erit tibi omni eo quod habes.* Huc facit illud Nazianzeni in *Distichis* : « In sempiternum ævum thesauriza. Nam hujus vitæ thesauri plerumque etiam ante mortem nos deserunt. Perpetuam sempiternæ gloriæ curam habe : nam hæc præsens quotidie hominem fallit. » *Secundo* et magis genuine, *q. d.* Opes tuas ne avare recondas sub lapide, sed potius eas expende juxta legem Dei in Ecclesiæ et pauperum subsidia. Hoc enim tibi magis proderit quam aurum : conciliabit enim tibi Dei gratiam, hominumque favorem et amorem, quæ magis tibi proderunt quam omne pretium. Rursum pecuniam, ut tuta sit, arcæ commendas : commenda eam præceptis Altissimi, et tutior utiliorque tibi erit. Ita Palacius. Unde Græca habent, *colloca thesaurum tuum juxta præcepta Altissimi, et proderit tibi magis quam aurum.* Unde et idipsum explicans subdit : « Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit. » Hoc est, quod ait Christus, *Matth.* VI, 19 : « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur; et ubi fures effodiunt et furantur : thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. »

Sextus. *Sextus* est hic stimulus ad mutuum, quod scilicet illud datum juxta legem et voluntatem Dei perire nequeat, sed in ea quasi arca tutissime conservetur, ut magno cum fœnore ad mutuantem redeat, magisque prosit quam omne aurum quod mutuo dedit. Unde S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. XVI : « Cæterum Dominus, inquit, in Evangelio talibus magis existimat fœnerandum, a quibus redhibitio non speretur. Sic enim ait : Et si mutuum dederitis, a quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? Nam peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant. Verumtamen amate inimicos vestros, et benefacite eis, et mutuum date nihil sperantes, et erit merces vestra multa in cœlo, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus super ingratos et malos. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. » Et mox : « Date mutuum iis, a quibus non speratis vos, quod datum fuerit, recepturos. Nullum hic damnum est, sed compendium. Minimum datis, multum recipietis : in terra datis, et id vobis solvetur in cœlo. Fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis. Fœneratores esse desinitis, filii eritis Altissimi. Eritis misericordes, qui vos Patris æterni probetis hæredes. » Et inferius : « Docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis usuras. Dicit Salomon : Fœnerat Domino, qui miseretur pauperi : secundum datum autem ejus retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce usura laudabilis. Nolite ergo jam invidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quod hominem subtraham vobis debitorem? Deum provideo, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringitur et tenetur : ille scribit quidquid egenus acceperit. Evangelium ejus cautio est : ille promittit pro omnibus indigentibus : ille addicit fidem, quid dubitatis dare? si quis vobis dives hujus sæculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. Pauper est vobis Dominus cœli, et conditor mundi hujus? et adhuc deliberatis, quem ditiorem quæratis fidejussorem? »

Vers. 15. 15. CONCLUDE ELEEMOSYNAM IN CORDE PAUPERIS, ET HÆC PRO TE EXORABIT AB OMNI MALO. — Optatus Milevitanus, lib. III *Contra Donatist.*, legit : « Absconde panem in corde pauperis, et ipse pro te rogabit. » Hic explicuit quomodo ponatur et recondatur thesaurus « in præceptis, » vel, ut græce est, *juxta præcepta Altissimi*, nimirum concludendo eum « in corde pauperis. » « In corde, » id est, *primo*, *in sinu*, ut legit Jansenius et alii plures : sinus enim exterius respondet cordi, quod interius est. *Secundo*, « in corde, » id est in ventre et stomacho : hunc enim sæpe per catachresin significat « cor : » os enim stomachi antiqui tam Græci quam Latini *cor* appellabant, ideoque quod stomacho, hoc cordi gratum esse dicebant, uti etiamnum dicunt multi. Sensus ergo est, *q. d.* Vis tuto abscondere thesaurum tuum? noli eum recondere sub lapide, sed conclude eum in ventre pauperis : ibi enim tibi manebit secure reconditus. Esto enim pauper tibi reddere non possit aut nolit, ipsa tamen eleemosyna a te data vi sua et merito pro te apud Deum exorabit, ut libereris ab omni malo, et doneris omni bono. Unde Græca pro *in corde pauperis*, habent ἐν τοῖς ταμείοις σοῦ, id est *in cellis tuis*, in penetralibus tuis. Noster pro σοῦ, id est *tuis*, videtur legisse πένητος, id est *pauperis* : nam, ut ait S. Basilius : « Horrea divitum sunt ventres pauperum; et ventres manusque pauperum sunt gazophylacium Christi. » Quocirca Syrus vertit : *Include eleemosynam, et pone in thesauro tuo, et ipsa liberabit te ab omni eo quod malum est*; et Tigurina : *In cellas tuas conclude benignitatem, nam ea te ex omni afflictione liberabit*; alii : *Conclusam eleemosynam in cellis*

Cor quintuplex.

Primo.

Secundo.

tuis eroga, et ipsa te eripiet ex omni vexatione. Unde nonnulli sic exponunt, *q. d.* Quæ reponis in cellis tuis, idcirco reponas, ut ad eleemosynam faciendam conferantur. Tertio. *Tertio,* τὸ *in corde,* vel *in sinu* significat eleemosynam debere fieri non palam, ad vanam ostentationem hominum, sed occulte, ut uni Deo placeat et serviat, uti jubet Christus, *Matth.* VI, 3, juxta illud *Prov.* XXI, 14 : « Munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu (*q. d.* Clanculum in sinum immissum) indignationem maximam. » Unde Noster Delrio, *adagio* 125, sic exponit : Τὸ, inquit, *pauperis* jungendum est non cum *corde,* sed cum τῷ *eleemosynam, q. d.* Pauperis eleemosynam, id est quam confers in pauperem, illam conclude in corde tuo, hoc est adeo occulte confer, ut ex te nemo id resciscat, maneat secreta in cordis tui intimo. Id liquet ex Græco : *Conclude eleemosynam* ἐν ταῖς ταμείοις σου, id est *in absconditis,* vel *in penetralibus tuis.* Hæc ille. Sed paulo obscurior et frigidior videtur hæc Quarto. expositio. *Quarto,* τὸ *in corde,* significat ita faciendam esse eleemosynam, ut cordi pauperis grata sit, ut ejus cor, id est intimum desiderium, famem et necessitatem exsatiet, utque ipsum afflictum et desolatum plane reficiat et consoletur. Ita Lyranus. Quæ enim optatissima, dilectissima, penitissima et pretiosissima habemus, ea in sinu Quinto. vel corde abscondimus. *Quinto,* τὸ *in corde* significat quam eleemosynæ cordi et curæ sint pauperes, utpote quorum ventres sint quasi cor eleemosynæ; ut, sicut homo summe amat cor suum, sic et eleemosyna summe amet concludi in ventre pauperum, quasi in loco et thalamo sibi optatissimo et proprio. Sicut igitur cibus, si loqui posset, optaret diceretque se cupere collocari in stomacho famelici, utpote a quo avidissime exciperetur optimeque concluderetur, concoqueretur, et distribueretur per totum corpus : sic et eleemosyna, si rogaretur, diceret se non nisi in ventre pauperum velle concludi : ibi enim esse cor, animam et vitam suam. Sicut ergo smaragdus optat concludi in pala annuli aurei, sic eleemosyna optat concludi in ventre pauperis. Est prosopopœia significans eleemosynarios, qui studeant eleemosynæ, pauperes debere impense amare, juvare et fovere quasi cor suum et viscera sua. Unde S. Paulus Philemoni commendans Onesimum servum fugitivum et pauperem, vers. 12 : « Tu autem illum, inquit, ut mea viscera suscipe. » Et vers. 20 : « Refice viscera mea in Domino. »

Septimus. *Septimus* est hic stimulus ad mutuum et eleemosynam, quod scilicet ipsa in domo et ventre pauperum, quasi in arca aurea, firmissime et securissime conservetur, ibique tum per ora pauperum, tum per se, oret et exoret pro eleemosynario. Ubi nota : Pro *exorabit* Noster in Græco legit ἐξιλάσεται; jam legunt ἐξελεῖται, id est liberabit, eripiet te : sed eodem redit sensus, *q. d.* Eleemosyna in ventre pauperis abscondita et conclusa « exorabit » Deum, ut te liberet « ab omni malo » corporis et animæ, temporali et spiritali, præsenti et æterno. Est prosopopœia significans efficaciam eleemosynæ, scilicet quod ipsa quasi aulica Deo gratissima et familiarissima coram Deo consistat (uti ipsa apparens per somnium S. Joanni Eleemosynario revelavit); et cum videt eum, qui illam dedit, aliquo malo premi, statim accurrat et genibus Dei quasi provoluta oret, ut illum ab illo malo eruat. Oret, inquam, et exoret, roget et impetret, inquit Palacius.

Ubi nota Dei nostri indolem et affectum erga eleemosynam propensissimum, et eleemosynæ vim valoremque contra omne malum potentissimam : nullum est ergo malum sive culpæ, sive pœnæ, ad quod amovendum non valeat eleemosyna. Vide *Tobiæ* cap. IV, vers. 7 et seq. Ipsa ergo eleemosyna, etiam paupere, qui eam recepit, tacente, imo obmurmurante et ingrato, muta, sed reali voce Deo loquitur, ac danti precatur a bonorum omnium largitore parem, imo multo copiosiorem gratiam, eoque magis quo pauper obliviosior, impotentior aut ingratior fuerit. Tunc enim videtur totum onus retribuendi in Deum, qui se pro paupere vadem præstitit, refundi, uti docet Christus, *Lucæ* XIV, 13 : « Cum facis, inquit, convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos : et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. » Et illud *Psal.* XL : « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. » Hinc S. Gaudentius, *tract.* 13, qui exstat tom. VII *Bibliothecæ SS. Patrum,* sic explicat : « Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa pro te exorabit, » *q. d.* Vende patrimonium, et eme patrocinium, cujus interventu certus de impetrata venia, venturum judicem liber merearis aspicere. » Quocirca S. Augustinus, *homil.* 29 inter 50 : « Sacrificium christiani, ait, est eleemosyna in pauperem; hinc enim fit Deus peccatis propitius. Nisi enim peccatis propitius fiat Deus, quis remanebit nisi reus? » Sinus ergo pauperis est quasi altare, in quo eleemosyna quasi victima pro peccato offertur. Et sicut animæ Martyrum sub altari orant vindictam, *Apoc.* cap. VI, 10 : sic eleemosyna in corde pauperis, quasi sub altari abscondita, orat veniam et misericordiam danti.

Hanc ob causam S. Chrysostomus, homil. 7 *De Pœnitentia* : « Eleemosyna, ait, pennata est et levis, aureas habens alas, ipsos supra modum delectans angelos; apud ipsum regalem thronum persistit cum judicamur, imminet, tormentisque nos eripit, suis complectens et protegens alis. » Idem, homil. 9 *De Pœnitentia* : « Mercatura, ait, negotiatioque tua cœlum est; da panem et accipe paradisum parva da, et magna suscipe; da mortalia, et recipe immortalia. » Et Chrysologus, serm. 8 *De Jejunio et Eleemosyna* : « Manus pauperis, ait, sinus est Abrahæ; ubi quidquid pau- Da pane, accipe paradisum.

per decepit, mox reponit. Thesaurus cœli est manus pauperis, quod suscipit, ne pereat in terra, reponit in cœlum. Da igitur, o homo, pauperi terram, ut accipias cœlum; da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum. » Et S. Hieronymus *ad Nepotianum* : « Nunquam, ait, memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit; habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non exaudiri. »

Mystice. Mystice, Rabanus per *eleemosynam in corde* accipit eleemosynam spiritalem, qualis est docere rudes, consolari mœstos, consulere dubiis, etc.: per hanc enim eor docetur, ac consilium et consolationem accipit; quare hæc uti melior et nobilior est eleemosyna corporali, ita eadem validior est, magisque liberat ab omni malo. Denique S. Cyprianus, lib. *De Opere et Eleemosyna*, ex hoc loco docet « operationibus justis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari. » Nam apud Salomonem legimus, inquit : «Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. Et iterum, *Prov.* XXI : Qui obturat aures ne audiat imbecillum, et ipse invocabit Deum, et non erit qui exaudiat eum. Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. » Et inferius : « Dum gratiarum actio ad Deum pro eleemosynis atque operationibus nostris pauperum oratione dirigitur, census operantis Dei retributione cumulatur. »

ELEEMOSYNA VIRI QUASI SACCULUS CUM IPSO, ET GRATIAM HOMINIS QUASI PUPILLAM CONSERVABIT. Et POSTEA RESURGET, ET RETRIBUET ILLIS RETRIBUTIONEM, UNICUIQUE IN CAPUT ILLORUM. — Hos duos versus multi codices hic legunt, sed delent eos Latini, Romani et Græci omnes, æque ac S. Augustinus in *Speculo*. Translati enim huc sunt ex capite XVII, vers. 18, ubi eos explicui. Intercidunt enim hoc loco sensum et connexionem versus sequentis cum eo quod præcessit : « Hæc pro te exorabit ab omni malo. »

16 et 17. SUPER SCUTUM POTENTIS, ET SUPER LANCEAM, ADVERSUS INIMICUM TUUM PUGNABIT. — Tigurina : *Magis quam scutum validum robustaque lancea* (alii, *hasta*) *adversus hostem* (tum visibilem, tum invisibilem, qualis est dæmon) *pro te decertabit*; Complutenses : *Super scutum fortitudinis, et super lanceam* ἀλκῆς, id est *potentiæ* vel *roboris* (aliqui legunt ὀλκῆς, id est *ponderis, virium*) *contra inimicum pugnabit pro te.* Sic habent Græci codices Romæ emendati. Syrus : *Scutum roboris et lancea et murus ad bellum, et contra multos ipsa requiem dabit tibi.* Explicat quomodo eleemosyna liberet ab omni malo, nimirum, quia ipsa est quasi scutum omnia malorum tela excipiens et repercutiens, ipsa etiam est quasi lancea inimicum prosternens, quasi dicat : Eleemosyna valet et vincit in bello tam defensivo quam offensivo : in defensivo est scutum impenetrabile, in offensivo est lancea fortissima hostem feriens et sternens : ipsa enim apud Deum pugnat, et Omnipotenti propemodum vim infert, eumque quasi cogit ut pugnet pro eleemosynario. Ipsa enim in pauperibus pascit Deum, pascit Christum : « Quare in eleemosyna Deum habes debitorem, » ait S. Chrysostomus, hom. 36 *ad Populum;* et S. Gregorius Nyssenus, tract. *De Beatitudine* : « Beati misericordes : si misericordis appellatio, inquit, Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias, tanquam insignitus propria nota divinitatis ? » Ita legimus nonnullos, qui liberales exstiterunt in animas defunctorum, ut eas e Purgatorii pœnis liberarent, cum ab hostibus undique impeterentur, ab animabus, quas liberarant, visibiliter apparentibus armatisque, quasi ab exercitu cinctos et defensos, illæsos abiisse.

Vers. 16 et 17.

Eleemosyna est lancea et scutum contra hostes.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE FIDEJUSSIONE, EJUSQUE PERICULO ET CAUTELA.

Vers. 18 et 19. 18 et 19. VIR BONUS FIDEM FACIT PRO PROXIMO SUO. — Post mutuum et eleemosynam transit ad tertiam misericordiæ et beneficentiæ speciem, quæ est fidejubere vel spondere pro proximo ejusque debito, quæ proinde æquipollet, imo sæpe præpollet mutuo, sive utilitatem et necessitatem proximi pro quo fidejubetur; sive periculum, cui se exponit fidejussor, ne, deficiente debitore, ipse quasi ejus sponsor debitum solvere cogatur, consideres. Dicit ergo : « Vir bonus fidem facit; » græce ἐγγυήσεται, id est fidejubebit, spondebit, « pro proximo suo, » *q. d.* Viri boni officium est, ad eumque spectat, fidejubere pro proximo. Ita S. Joannes Eleemosynarius sua omnia pro pauperum subsidio oppignoravit Mauritio imperatori qui, cum moriens parum reliquisset, Mauritius ejus lectulum ligneum pauperemque, et vestem laneam vice debiti accepit, eaque rebus omnibus prætulit; adeo ut jejuniorum diebus in eodem lectulo cubaret, dictitans se ex eo divinam quamdam gratiam consequi. Ita Nicephorus, lib. XVIII, cap. XXXIV. Quare pro aliorum debitis fidejubere, est animi liberalis, excelsi, et de Deo bene sperantis. Porro formula fidejussionis veterum erat hæc, quam tradit Ulpianus in leg. *Ubi autem, De Verborum obligatione :*

« Quantam pecuniam Titio credidero, fide tua esse jubes? » id est, spondes pro Titio, omneque periculum in te suscipis? Respondebat fidejussor : « Fide mea jubeo. » Idem in leg. *Quæro*, ff. *locati* : « In quantum illum condemnari ex bona fide oportebit, tantum fide tua esse jubes? » Ubi adverte : Sicut duplex est debitum, scilicet pecuniæ et personæ, quæ rea agitur carceris aut mortis : sic et duplex est fidejussor, scilicet præs et vas. Præs vocatur, qui pro debito pecuniæ fidem suam obligat et sponsorem se præstat; vas qui pro reo aliquo in judicio fidejubet, quasi pro reo ad tribunal vadens. Ita Varro, lib. V *De Lingua latina*. Et Ausonius :

Quis subit in pœnam capitali judicio? Vas.
Quis, cum lex fuerit nummaria, quis dabitur? Præs.

ET QUI PERDIDERIT CONFUSIONEM, DERELINQUET SIBI. — *Primo*, Rabanus ex versu sequenti adjungit τὸ *gratiam*, hunc que dat sensum : Qui perdiderit verecundiam rusticam, ita ut non pudeat eum infirmorum deservire moribus, is derelinquet sibi gratiam, et condignam sui laboris mercedem recipiet. *Secundo*, Dionysius repetens ex versu præcedenti τὸ *fidem*, sic dispungit et explicat : Qui perdiderit fidem, confusionem derelinquet sibi. *Tertio*, Palacius hæc refert ad proximum, pro quo vir bonus spopondit *q. d.* Vir bonus spondet pro proximo suo; at sæpe fit ut proximus ille, quia inverecundus est, nec pudet eum fallere fidem fidejussori suo datam, derelinquat illum sibi, scilicet non liberans illum, sed sinens illum debitum exsolvere, pro quo fidejussit. Huic sensui favet monitio sequens : « Gratiam fidejussoris ne obliviscaris; » et Syrus dum vertit : *Vir bonus ille, qui fidejubet pro proximo suo, et ille quia perdit verecundiam, fugit a fidejussore suo.* Hæc expositio valde est probabilis. *Quarto*, plane et genuine, posterior hæc pars per antithesin opponitur priori, *q. d.* Vir bonus, quia verecundatur proximum in necessitate constitutum deserere, hinc pro eo fidejubet; at vir audax et impudens, qui perdidit verecundiam, hic proximum egentem fidejubendo non adjuvat, sed eum sibi suæque necessitati derelinquit. Unde Græca habent : *Vir bonus spondet pro proximo, et qui pudorem amisit, derelinquet ipsum*, scilicet, ut Tigurina, *deseret amicum*. Plane enim, cum rogor ut fidejubeam pro amico, si nolim, amitto verecundiam coram amico. Ut mihi bona mea servem, exuo pudorem, induo impudentiam.

Porro, quibus casibus quis obligetur spondere pro alio, præsertim amico, dijudicandum est regulis eleemosynæ (hujus enim pars et species est sponsio) et amicitiæ. Igitur sicut proximo non tantum in extrema, sed et in gravi necessitate constituto (ut habet communior Theologorum sententia) obligor dare eleemosynam; sic et pro eo spondere; multo magis, si is mihi amicus sit. Cæterum quia sponsioni multi intercidunt casus et pericula, quæ in sequentibus exponit Siracides, hinc in ea magna prudentia et cautela est opus, nimirum *primo*, ut quis non spondeat nisi pro quantitate facultatum suarum. Imprudens enim est, qui, ut alterum necessitate eximat, in eamdem vel majorem se conjicit, ut se, filios et familiam honeste alere non possit. *Secundo*, ut non spondeat nisi pro sincero et fideli, quem scit et potentem et volentem, ut eum sponsione liberet, securumque et indemnem præstet. *Tertio*, ut, cum dubium vel periculum perdendæ sortis subest, pignus vel hypothecam exigat, ex qua onus, quod spondendo suscipit, compenset : alias cogitet se quod spondet, ex suo soluturum, idque eleemosynæ loco proximo donaturum vel condonaturum. Hæc enim præstans est eleemosyna.

Sponsor triplici

cautela sibi caveat.

20. GRATIAM (græce χάριτας, id est gratias, multas enim exhibet) FIDEJUSSORIS NE OBLIVISCARIS : DEDIT ENIM PRO TE ANIMAM SUAM.—Tigurina : *Nam animam suam pro te deposuit*. S. Ambrosius ex vers. sequent. addit *bonam*, quæ vox ibi est in Græco. Unde lib. *De Tobia*, cap. XXIII, sic legit : « Gratiam repromissoris ne obliviscaris : dedit enim pro te animam bonam, » *q. d.* Beneficii, quod tibi præstitit fidejussor, pro te spondendo, memor esto, ut illum sponsione sua liberes, illique gratus existas. Ipse enim pro te suas opes et fortunas periculo exposuit, quod perinde est ac si vitam exposuisset; imo subinde vitam ipsam exponit, ut, cum pro captivo vel mortis reo spondet, fitque obses : tum enim captivitatis vel mortis onus et periculum in se suscipit, ita ut si captivus, vel mortis reus fugiat, ipse pro eo carcere mulctetur vel capite plectatur, juxta illud III *Reg.* XX, 39 : « Custodi virum istum, qui, si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. » Et illud Ruben spondentis pro Benjamin, *Genes.* XLIII, 9 : « Ego suscipio puerum, de manu mea require illum. Nisi reduxero, et reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. »

Vers. 20.

Verissimum hoc est in Pastoribus et Prælatis, qui damnationis periculum subeunt, dum subeundo pastoratum se obligant ad curandam virili pro parte salutem subditorum, juxta illud S. Pauli : « Obedite præpositis vestris, et obedite eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, » *Hebr.* XIII, 17. Ubi S. Chrysostomus, *homil.* 34 : « Miror, inquit, si aliquis Rectorum salvetur. » Horum dux fuit Christus Dominus, qui quasi novi « Testamenti sponsor, » ut ait Paulus, *Hebr.* VII, 22, pro omnibus peccatorum nostrorum debitis apud Patrem fidejussit; cumque nos solvendo non essemus, omne debitum in se transcripsit, illudque dependit et luit, non in ære, sed in pelle, subeundo atrocem et infamem mortem crucis. Hujus ergo gratiæ Christi fidejussoris tui ne obliviscaris, o Christiane; sed sicut ipse animam suam pro te posuit, ita et tu pro eodem ejusque ovibus animam vitamque omnem pone et impende. Ita Rabanus, ac noster

Franciscus Suarez, III part. *Quæst.* I, art. 2, disp. 4, sect. II. Gratiam, inquit, fidejussoris ne obliviscaris in æternum, præsertim gratiam Christi, qui pro nobis quasi fidejussor se Deo Patri ad mortem usque obligavit; et quia fidejussor factus est, hinc debuit satisfacere ex justitia ad æqualitatem.

Fidejussionis ratio exemplum.

Exemplum memorabile refert Strabo, lib. V, et ex eo noster Causinus, lib. VII *Parabol. Histor.* cap. LXXV : Ferunt, inquit, hominem, eo nomine quod libenter sponderet, celebrem, et ideo dicteriis hominum obnoxium, incidisse in venatores, qui in cassibus habebant lupum; qui cum per jocum dicerent se lupum missum facturos, si ipse fidejuberet se ejus damna pensaturum, hominem id in se recepisse; lupum ita dimissum armentum equarum nulla nota inustarum, satis magnum abegisse, atque ad sponsoris istius stabulum adduxisse, sponsorem recepta beneficii mercede equas inusto lupi signo notasse, et lupiferas appellasse. Sic gratia nonnunquam refertur ab iis a quibus minime sperabatur. Jam si lupus ita gratus exstitit sponsori suo, quam gratus eidem oportet sit homo! Sic S. Franciscus pro lupo spopondit Eugubiensibus, illum ipsis non nociturum, si ipsi eum alerent; quo facto, lupus sponsionem Sancti præstitit, uti habent ejus *Acta*, in *Annal. Waddingi*, anno Dom. 1222, num. 18. Qui et anno Dom. 1217, num. 13, narrat simili modo S. Franciscum pro lupis spopondisse Græciensibus, si ipsi pœnitentia Deum placarent; quo facto, lupos fidem datam a Sancto plene præstitisse. Tanti est fides Sanctorum etiam apud lupos, et minoris erit fides Christi apud fideles, pro quibus spopondit, ut eum sponsione sua non liberent?

Vers. 21 et 22.

21 et 22. REPROMISSOREM FUGIT PECCATOR ET IMMUNDUS. BONA REPROMISSORIS SIBI ASCRIBIT PECCATOR; ET INGRATUS SENSU DERELINQUET LIBERANTEM SE. — Jansenius pro *repromissionem* legit *repromisssonem*, sicque explicat : Taxat, inquit, duas notas animi pravi et improbi; alteram animi plane illiberalis, ejus scilicet qui suæ fidei interpositione et sponsione neminem vult juvare, etiam cum opus est, et ratio postulat; alteram animi ingrati, ejus scilicet qui alterius sponsione adjutus sponsorem suum frustratur, seque sic gerit quasi illius bona sua essent. Dicit ergo primum, quod homo peccator et immundus, hoc est profanus, qui nulla pietate commovetur, refugit omnem repromissionem, qua se pro alio obliget. Deinde vero addit quod peccator etiam alio vitio laboret, nempe quod bona repromissoris, hoc est ejus qui pro ipso fidejussit, sibi ascribat; qui dum sollicitus non est, ut eum a sua obligatione liberet, sic se gerit, ac si illius bona sua reputaret; et talis, cum sit mente et animo ingratus, derelinquet eum obligatum, qui ipsum liberaverat sua sponsione. Huic expositioni favent Complutenses, qui legunt ἀγαθὴν ἐγγύην, id est *bonam fidejussionem fugit peccator*; et Tigurina : *Scelerosus*, inquit, *fidejubere nolet*. Verum Romana Biblia cæteraque pene omnia, item Rabanus, Lyranus et alii legunt non *repromissionem*, sed *repromissorem*. Igitur unum duntaxat, posterius scilicet, quod tetigit Jansenius, hic culpat Siracides, nimirum peccatoris infidi et ingrati nequitiam, qui fidejussorem suum derelinquit, imo decipit et fraudat. Hoc enim vitium versu præcedenti æque ac sequenti insectatur. Sensus ergo est, *q. d.* Peccator et immundus, id est profanus, ingratus et infidelis, cum repromissorem, id est fidejussorem suum venire videt, fugit ejus aspectum, alioque declinat, ne ab eo cogatur eum fidejussione sua liberare, et debitum pro quo ille fidejussit exsolvere. Indignitatem hujus rei et fugæ exaggerat, subdens :

Vers. 22.

22. BONA REPROMISSORIS SIBI ASCRIBIT PECCATOR, — *q. d.* Bona fidejussoris sibi usurpat peccator, cum eum sua infidelitate cogit exsolvere suum debitum, pro quo ille fidejussit : quare reipsa bona ejus sibi ascribit, dum ex eis debita sua solvit; unde Græca habent, *bona fidejussoris* ἀναῤῥέψει, id est *evertet peccator*; Tigurina, *beneficium fidejussori prave compensat peccator*; Syrus, *gratiam fidejussoris derelinquet iniquus; et qui relinquit Creatorem suum, relinquet liberatorem suum, q. d.* Ingratus injurius est tam Deo quam homini; ac sicut hominem, sic et Deum spernit.

ET INGRATUS SENSU (græce διανοίᾳ, id est mente, animo) DERELINQUET (fidejussorem) LIBERANTEM SE, — ut si, cum esses in carcere, pro te fidejussi, tu vero jam liber me derelinquas. Legit ἀχάριστος, id est *ingratus*. Sic etiam legunt codices Græci Romæ emendati; et Tigurina : *Et ingratus animo*, inquit, *liberatorem suum deserit*; alii : *Et ingrata mente liberantem se deserit*. Complutenses legunt ἄχρηστος, id est *inutilis*; unde vertunt : *Inutilis in cogitatione* vel *mente*, id est, qui non est frugi, sed inutilis, imo noxius aliis æque ac sibi) *relinquet illum qui liberavit se.*

Tropologice Rabanus : « Fugit, inquit, facinorosus repromissorem, id est doctorem suum, qui sibi promittit a Domino pro bonis operibus vitam æternam, non mutando locum, sed spernendo ac deserendo præceptum; et ideo cœleste non consequitur præmium, quod solis benefacientibus, et Dei mandata servantibus repromittitur. » Allegorice idem : « Bona repromissoris sibi ascribit peccator, et ingratus sensu derelinquit liberantem se. Hoc testimonio, inquit, percutitur Pelagius, qui liberum arbitrium præponit gratiæ, cum per solam Christi gratiam ab omni scandalo (offensa, peccato et ruina) liberentur electi. » Unde Apostolus ait : « Gratia salvati sumus, » *Ephes.* II.

Vers. 23.

23. VIR REPROMITTIT DE PROXIMO SUO, ET CUM PERDIDERIT REVERENTIAM, DERELINQUETUR AB EO. — Idem repetit et inculcat, *q. d.* Vir bonus fidejubet pro proximo; at proximus, cum pudorem perdiderit, ingrate derelinquet eum obligatum pro se, ut sua debita, pro quibus spopondit, exsolvat. Hic versus jam deest in Græco. Unde Jansenius cen-

set eum irrepsisse ex versu 19 in Latino. Quod non est verisimile; nam codices Romani cæterique constanter eum legunt.

Vers. 24. 24. REPROMISSIO NEQUISSIMA MULTOS PERDIDIT DIRIGENTES, ET COMMOVIT ILLOS QUASI FLUCTUS MARIS. — Τὸ *nequissima* non est in Græco, significatque non culpam, scilicet nequitiam et scelus, sed pœnam, puta molestiam et afflictionem. « Nequissima » ergo, id est imprudens et molestissima, quæ mille tricas affert, mille molestias et afflictiones. Talis autem est illa qua quis fidejubet pro aliquo nequam, id est improbo et infideli fraudatore, ait Palacius. Pro *dirigentes* passim legunt *diligentes*, id est amantes, et amicos fidejubentes pro suis amicis, quos diligebant; alii legunt *delinquentes*. Sed utrique perperam, Romani enim legunt *dirigentes*. Sic et Rabanus. Nam Græcum κατευθύνοντας significat *dirigentes*, hoc est recte incedentes, prospere et feliciter agentes, *q. d.* Sponsio « nequissima, » id est imprudens et temeraria infido facta. Ideoque implexa et noxia, « multos perdidit dirigentes, » id est, qui in suis negotiis feliciter dirigebantur, quique suas merces, opificia, officinas, domos, contractus prospere dirigebant. « Et commovit illos quasi fluctus maris, » quia illos foro cedere, exsulare, et in exteras terras migrare, vagosque et profugos esse coegit, ne scilicet, dum solvendo non erant, in carcerem conjicerentur, ibique vitam infelicem agerent. Unde Tigurina vertit : *Fidejussio multos perdidit feliciter agentes, et eos in modum marini fluctus exagitavit;* Syrus : *Fidejussio multos perdidit, et relinquunt* (ut relinquant et perdant) *divitias suas sicut fluctus maris,* qui inter se collisi in spumam abeunt et evanescunt. Sic *dirigere* pro prosperare sumitur *Genes.* XXIV, 40, 42, 56 : « Dominus direxit, » id est prosperavit, « viam meam. » Ibidem cap. XXXIX, vers. 3 et 23; *Josue* I, 8; II *Paral.* XXVI, 5; *Tobiæ* IV, 20; *Psal.* LXXXIX, 16 et 17 : « Opus manuum nostrarum dirige; » *Sapient.* XI, 1; *Isaiæ,* XLV, 13, et sæpe alibi.

Vers. 25. 25. VIROS POTENTES GYRANS MIGRARE FECIT, ET VAGARI FECIT IN GENTIBUS ALIENIS. — Idem repetit et inculcat, *q. d.* Sicut fluctus maris paleas et conchylia in gyrum circumvolvunt, donec eas sorbeant vel dissipent; sic et incauta sponsio sponsores tot litibus et molestiis circumvolvit, ut eos cogat migrare, vagarique per orbem. Tigurina, *viros potentes versans domo pepulit, et vagos effecit inter gentes peregrinas;* Syrus, *etiam divites exhausit, et abierunt ad populum exterum.*

Vers. 26. 26. PECCATOR TRANSGREDIENS MANDATUM DOMINI, INCIDET IN PROMISSIONEM NEQUAM; ET QUI CONATUR MULTA AGERE, INCIDET IN JUDICIUM, — Græce εἰς κρίσεις, id est *in judicia,* scilicet forensia et lites. Ostendit originem et causam sponsionis temerariæ, quæ hominem mille malis implectit, esse peccata, ob quæ Deus juste permittit peccatorem in sponsionem implexam incidere, ut ea castiget et vindicet, sicut ob eadem justo suo judicio facit, ut peccator incidat in calumniam, uti dixit cap. præcedent., vers. 27, et in perversam uxorem, uti dicit Ecclesiastes, cap. VII, vers. 27. Peccator enim, dum suæ cupiditati et avaritiæ nimis inhiat, omnes lucri illecebras et occasiones sectatur; quare incaute in contractum et sponsionem aliquam incidit, quia ei litium et malorum omnium sit causa : sicut pisces et aves, dum escæ inhiant, unco et laqueo se induunt et capiuntur. Porro Tigurina vertit : *Scelerosus præceptorum Domini violator recidit ad fidejussiones* (Vatablus, *eo deveniet, ut sit ei opus fidejussore*), *et qui præstanda consectatur aliena negotia, litibus implicabitur.*

Ubi nota : Pro *qui conatur multa agere,* græce est δυώκων ἐργολαβείας; quod Complutenses vertunt, *qui prosequitur mercedes, incidet in judicia;* Romana, *sectans redemptiones* (conducendo scilicet, et suscipiendo in se opera facienda, vectigalia, etc., uti faciunt redemptores et publicani) *incidet in judicia.* Alii proprie : *qui multa opera sectatur, in lites incidet;* nam ἐργολαβέω idem est quod opus faciendum conduco, operam loco, ut redemptores solent (quos Cicero « sequestres » vocat), exstruendum recipio, quæstum facio; ἐργολάβεια est merces ex labore, manualis operatio, redemptio operis et conductio; ἐργολάβος est operarius, manceps, operarum conductor, sequester, redemptor. Noster apposite vertit : « Qui multa conatur agere. » Notat enim avaros et temerarios πολυπράγμονας, qui omnibus negotiis, contractibus, sponsionibus, teloniis, etc., se implicant, itaque se litibus intricant, ut extricare nequeant. Novi nonnullos, qui omnes scabrosas et desperatas causas litesque forenses redimebant, sibique vili pretio coemebant, ut inde ditescerent, aliis molesti, sibi molestiores; unde in eas angustias se conjecerunt, ut capitis periculum declinare per infamem fugam sint coacti. Denique Syrus vertit : *Peccator transgrediens præcepta Dei in fidejussionem incidet, et qui prosequitur excipere super se peccata, incidet in judicia ejus. Peccata multa inducit fidejussio.*

Vers. 27. 27. RECUPERA PROXIMUM SECUNDUM VIRTUTEM TUAM, ET ATTENDE TIBI NE INCIDAS. — Est conclusio, qua ex dictis de periculis fidejussionis, concludit hoc charitatis officium moderate et caute esse suscipiendum, *q. d.* Recupera, id est restaura, adjuva, subleva proximum labentem; at non supra vires tuas te gravando, sed secundum virtutem, græce δύναμιν, id est potentiam, vires, opes et facultates tuas; ac simul attende caveque ne, dum inopem e fovea eripere satagis, ipse in eam incidas, videlicet in lites, damna, carcerem, etc. Unde Syrus vertit : *Fidejube pro proximo tuo quantum potes, et libera animam tuam;* Tigurina : *Succurre proximo pro virili parte tua; verumtamen cave tibi, ne qua irretiaris;* alii : *Subleva proximum pro viribus tuis, et attende tibi ipsi ne corruas.* S. Ambrosius, lib. *De Tobia,* cap. XXIII : « Recipe proximum tuum secundum virtutem tuam, et attende tibi ne ca-

das : id est, inquit, ne majore te obliges numismatis quantitate, quam ferre possunt et exsolvere tuarum copiæ facultatum. Si enim quod habes tradas, amisisti opes, non amisisti fidem. Famæ tuæ damna non sentis, redemisti amicum sine tui fraude. » Et paulo anterius : « Ita interveni, ut, si debitor solvendo non fuerit, de tuo noveris esse solvendum. In hæc paratus accede. Legisti enim *Eccli.* VIII, 16 : Non spondeas super virtutem tuam; si enim spoponderis, quasi restituens cogita. »

Idem sæpe in *Proverbiis* monet et inculcat Salomon, ut cap. VI, 1 : « Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera : quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum : ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, et quasi avis de manu aucupis. » Quæ verba egregie de Pastoribus et Prælatis, qui, dum pastoratum vel prælaturam suscipiunt, spondent pro subditis, se scilicet curam animarum ipsarum suscepturos, explicat S. Gregorius, part. III *Pastor.* cap. V. Et cap. XXII, 26 : « Noli esse cum his qui defigunt manus suas, et qui vades se offerunt pro debitis. Si enim non habes unde restituas, quid causæ est ut tollat operimentum de cubili tuo? » Et cap. XI, vers. 15 : « Affligetur malo (Hebraice, *contritione conteretur*), qui fidem facit pro extraneo; qui autem cavet laqueos, securus erit. » Quocirca Diogenes Laertius inter tria Apollinis oracula tertium ponit hoc : « Sponde, noxa in proximo est, » vel præsto est. Plinius vero tria hæc Chiloni attribuens recenset lib. VII, cap. XXXII : « Rursum, inquit, mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta ejus Delphis consecrando aureis litteris, quæ sunt hæc : Nosse se quemque; et : Nihil nimium cupere : Comitemque æris alieni atque litis esse miseriam. » Explicuit Plinius quid sit fidejubere, nimirum, *q. d.* Fidejubere, est æs alienum et litem, hoc est miseriam, sibi ultro accersere. Denique fidejussor quamdiu fidem suam obstrictam habet, mancipio est similis. Sicut enim mancipia nihil suum vindicant, sed omnia bona eorum dominis cedunt : sic etiam fidejussor bonorum suorum non videtur esse dominus, quia ea creditori obstrinxit.

Sponde, noxa præsto est.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE NON VAGANDO, DEQUE MISERIA PEREGRINORUM.

Vers. 28. 28. INITIUM VITÆ HOMINIS AQUA, ET PANIS, ET VESTIMENTUM, ET DOMUS PROTEGENS TURPITUDINEM. — Sic habet et Syrus. *Primo* Rabanus, « initium » proprie accipiens, sic explicat, *q. d.* « In initio mundi non erat in hominibus tanta luxuria cibi et potus, quanta nunc est, nec talis ambitio in ornatu vestium, et in constructione turrium atque palatiorum; sed unicuique in eo sufficiebat, quod terra simplici fructu ministrabat, et natura loci in habitaculis præbebat. Unde legitur quod pomis arborum et germinibus olerum vescerentur antiqui; et quod propter peccatum Adæ fecerit ei Dominus et uxori suæ tunicas pelliceas, et induerit eos. At nunc quo majus est studium in varietate præbenda ciborum et poculorum, et in cultu vestium atque domorum, eo minor est diligentia in observantia bonarum disciplinarum, et major iniquitas in transgressione divinorum mandatorum, juxta illud *Ezech.* XVI : Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium. » Hæc Rabanus. Monet ergo Siracides homines, ut frugales sint exemplo primorum patrum, qui partim ex instinctu naturæ, partim ductu humilitatis et pœnitentiæ, ob perditam innocentiam, pane et aqua vixerunt. Nam, ut ait S. Chrysostomus, *De Compunctione cordis* : « Sicut impossibile est ut ignis inflammetur aqua, ita impossibile est compunctionem cordis vigere in deliciis. Contraria enim hæc sunt sibi invicem, et peremptoria. Illa enim mater est fletus, hæc mater est risus : illa cor constringit, ista dissolvit. »

Secundo, magis apposite et genuine, « initium, » græce ἀρχὴ, id est præcipuum, caput, summa, *q. d.* Caput et summa requisitorum ad vitam est, scilicet natura paucis hisce contenta est, duobus ad victum, nimirum pane et aqua, totidem ad vestitum et tegumen, nimirum veste et domo, iisque non lautis et elegantibus, sed simplicibus et frugalibus. Unde Tigurina vertit : *Summa vitæ humanæ est aqua, cibus* (hebraice enim לחם *lechem*, id est panis, quemlibet cibum significat, sicut aqua quemlibet potum), *et vestitus, atque domus velamento turpitudinis.* Hinc « panis » a Græco πᾶν, id est *omne*, vel potius, ut Nonius, a *pascendo* dicitur. Unde Varro, *De Vita populi Romani*, lib. I : « Pastillos et panes hæc vocabula pastus, quod esse, pascere dicebant. » Hinc et cibum uti maxime facilem et obvium, ita et maxime salubrem et connaturalem nonnulli censent esse panem aqua decoctum, vulgo *panatellam* vocant, idque his verbis significare Siracidem censet noster Lessius, lib. *De Diæta*. Hinc et prisci Romani pulte vivebant; puls autem est farina aquæ incocta. Eadem vivunt multis in locis agricolæ vegeti et validi ad agriculturæ labores. Hi

Panis a *pascendo* dicitur.

ergo sunt pultiphagi et artophagi. Celebre est illud in Scriptura decantatum : « Et panis cor hominis confirmet. »

Mystice Hugo : Initium, inquit, vitæ spiritalis est aqua Baptismi, et panis Eucharistiæ, et vestimentum virtutis, et domus protegens turpitudinem in conversatione sancta. Per *turpitudinem* non solum actum conjugalem, ut vult Lyranus, sed quamlibet intellige. Corpus enim hominis peccato corruptum plenum est sordibus, vermibus omnique turpitudine, ad quam tegendam, sicut et ad defendendum se ab æstu, frigore cæterisque aeris injuriis, opus habet domo ; perinde ac ad tegendam nuditatem suam, arcendumque frigus, opus habet veste. Quare, sicut vestis nuditatis, sic et domus turpitudinis est tegumentum ; utrumque vero est nota et stigma peccati, utpote ex quo pudor nuditatis omnisque turpitudo processit. Ergo ridiculi sunt homines, qui aureas vestes et magnifica palatia sibi comparant, in eisque superbiunt ; superbiunt enim in stigmate peccati. Perinde ac ridiculus foret fur, qui laqueo byssino suspendi vellet, non laneo ; et nobilis reus, qui catena aurea vinciri vellet, non ferrea. Vide dicta *Genes.* III, 21.

Docet ergo, ut recte notat Jansenius, hac sententia frugalitatem et αὐτάρκειαν, id est sibi sufficientiam, qua quisque suis contentus acquiescat in præsenti fortuna, etiam mediocri vel tenui, eo quod vita hominis paucissimis et parabilibus facile sit contenta, juxta illud Pauli : « Habentes victum et amictum, his contenti simus, » I *Timoth.* VI. Hanc autem doctrinam recte ex præcedentibus subinfert, tum quia paulo ante reprehendit ἐργολάβειαν, et studium multa agendi ob lucrum ; tum ad significandum qua ratione fieri possit ut non egeamus multum aliorum subsidiis per mutuum aut fidejussionem, si scilicet contenti simus paucis illis quæ naturæ sustinendæ sufficiunt ; tum ut viam sternat ad ea quæ dicturus est de miseria peregrinandi, *q. d.* Cum quisque domi inveniat panem et aquam, quæ ad victum sufficiunt, domi se quiete contineat, nec foras ad merces et opes peregrinas captandas cum tanto vitæ suæ dispendio vagando oberret.

Tertio, « initium, » græce ἀρχὴ, potest verti, *principatus*, *primas tenens*, juxta illud cap. XI, vers. 3 : « Initium, » id est primas, « dulcoris habet fructus illius, » puta mel apis, *q. d.* In vita hominis sustentanda principatum occupant primasque tenent aqua, panis, vestis et domus. Nam aquæ potus, æque ac panis esus, maxime est homini commodus, salutaris et sanus, uti docent medici, ac Cælius Rhodiginus, lib. III *Antiq. lection.* cap. XXIV. Unde Adam, Seth, Enos cæterique patres usque ad Noe, qui vinum invenit, *Genes.* IX, 20, non nisi aquam biberunt, vixeruntque nongentos annos sani et validi. Quin et animalia cætera aquam duntaxat potant, ideoque catharris, inflammationibus, febribus aliisque morbis, quibus subjacet homo non tentantur, sed sana et fortia vivunt.

Quocirca Galenus, lib. I *De Simplicit. medicam.* cap. IV, in principio : « Aqua, inquit, est convenientissima omnibus hominibus, tum sanis, tum ægrotis, et ad vitam maxime necessaria. » Et lib. *De Affect. rerum* : « Id, inquit, est mundanorum et simplicium medicamentorum unum, ex quibus universis tota nostri corporis constitutio conflata est. » Lucianus quoque in suis *Macrobiis* asserit « per aquam vitam produci, ac propterea Syrios tercentum annos vixisse. » Brachmanas item longissime vivere, cum nihil præter aquam bibant, testatur Suidas verbo *Brachmani*. Aqua insuper vivaces facit sensus, serenam mentem, limpidum ingenium. Qua de causa solos abstemios aptos esse ad studia rerumque inventionem censuit Eubulus, nostramque sapientiam vino hebescere scripsit Athenæus, lib. II *Dipnosoph.* cap. II. Hinc et Plinius, lib. XXIII, cap. I, heroes virosque præclaros recenset, qui nihil præter aquam biberunt. Demosthenem vero aliquid compositurum in hæc verba jocari solitum legimus, « alios dicere in aqua, Demosthenem vero scribere in aqua, eumque plus olei quam vini consumere. » Philostratus narrat Apollonium Tyaneum non nisi aquam potasse, ac dictitasse bibentes aquam nunquam vertiginis morbo laborare, somnique esse perlevis. Denique Vitruvius, lib. VIII, cap. IV : « Nulla, inquit, ex omnibus rebus tantas habere videtur ad usum rerum necessitates, quantas aqua, ideoque omnium animalium natura, si frumenti fructu privata fuerit, arbustisve vel carne, aut piscando, aut etiam qualibet ex aliis escarum rebus utendo, poterit tueri vitam ; sine aqua vero nec corpus animalium, nec ulla cibi virtus potest nasci, nec tueri, nec parari. » Idcirco Pindarus, ode 1 *Olymp.*, et ex eo Aristoteles, lib. III *Rhetor.* : Ἄριστον μὲν ὕδωρ, inquit, id est *optima est aqua*, quia omnibus tam plantis quam animalibus et hominibus ἀρίστευει, id est benefica est et benefacit, ut idem ait ode 3 *Olymp.* Quin et aerem cœlosque omnes ex aqua formatos esse multorum graviumque Patrum et Doctorum est sententia, uti ostendi initio *Genesis*. Quocirca Thales aquam rerum principium esse asseruit. Hæc et plura M. Antonius Marsilius, in *Hydragiologia*, sect. I, cap. III. Igitur « initium vitæ hominis aqua. »

Aqua potus salubris.

Exempla.

Ratio est, quod aqua, utpote summe humida, simplex, limpida, subtilis, facillime per venas totum corpus pervadat, illudque humectet, calorem temperet, sitim sedet, cibum diluendo ad singula membra deferat, cibique sit vehiculum. Sicut enim cibo quidquid siccioris substantiæ e corpore effluit, restituimus : sic potione aquæ quidquid humidioris periit resarcimus, teste Galeno, lib. I *De Sanitate tuenda*. Atque hæc potionis aquæ præcipua est utilitas, siccitatis nimirum ablatio, et humidæ in nobis substantiæ pereuntis et collabentis instauratio, velut renovatio quæ-

Ratio a priori.

dam. Etsi autem gravis est famis affectio, tamen gravius affligit et cruciat sitis; ipsa enim siccat, et ignea corpus quasi arefacit et urit : quocirca humido et frigido aquæ reprimatur oportet. Hinc videmus animalia siti laborantia vehementius importuniusque urgeri, æstuare, anhelare, ac ad eam restinguendam procurrere. Quo facit illud Davidis, *Psal.* XLI, vers. 2 : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te, Deus. » *Secundo*, bibitur ut cibi facilius commisceantur, concoquantur, eliquentur, atque ex ventre in totum corpus deducantur : hæc autem optime præstat aqua, ob rationes jam dictas : ubi monent medici potum maxime congruere circa refectionis finem, tum quia tunc ob calidi siccique cibi æstuationem vera sitis maxime nos urget; tum quia tunc potus totum cibum perluit, diluit et vehit ad singulas partes. Igitur medici docent aquam ad tres usus bibi, ut sitim sedet, ut calorem exstinguat, ut alimenta elixet et diducat. Unde Athenæus asserit aquam magis juvare concoctionem quam vinum. Eadem corpora reddit mollia. Aqua potui aptissima est simplex et qualitatis omnis expers, nec dulcis, nec salsa, nec acida, nec acris. Hujus quinque sunt species : levissima est pluvialis, deinde fontana, tum puteana, mox fluvialis, denique palustris.

An aqua nutriat?

Porro etsi Galenus, lib. III *De Ratione victus*, comm. 39, et alibi, neget aquam nutrire, si nimirum plane pura sit et simplex, tamen alii passim contrarium docent, præsertim cum mixta est, uti fere est. Ita docet Aristoteles, *Problem.* XIII, sect. I. Probat id Athenæus, *primo*, ex eo quod animalia quædam aqua sola nutriantur, ut cicadæ et pisces; quod et Rondeletius se expertum testatur. *Secundo*, quod in famelicis, si bibant, potu non tantum sitim, sed et famem levari experiamur. *Tertio*, quod animalia si bibant aquam, serius ex fame pereant, quam si omnino nihil bibant. *Quarto*, quod herbas, arbores, omnesque plantas pluviis cæterisque aquis irrigatas crescere, frondere, florere, fructificare videamus; iis vero deficientibus, decrescere, contrahi, flaccescere, siccari et emori. Quocirca Cardanus, lib. *De Aqua* : « Mirum est, inquit, quod Galenus concesserit aerem nutrire, et neget illud de aqua, quæ longe corpulentior est. Solida igitur membra ex terreis nutriri videntur, et liquida ex potibus, vino et aqua; spiritus ex aere. » Porro veteres in conviviis bibisse aquam calidam, ut etiamnum faciunt Sinæ, docet Athenæus, lib. III, et Seneca, lib. III *Natur. Quæst.* cap. XXIV. Unde Varro, lib. IV : « Calix, inquit, a calido, quod in eo calida puls apponebatur, et calidam eo bibebant. »

Denique plurimæ aliæ sunt utilitates aquæ ad medendum, lavandum, purgandum, coquendum, incendia restinguendum, agros hortosque irrigandum, navigandum, etc., ut merito Pindarus ita ordiatur : « Optima quidem est aqua. » Vide aquarum encomium apud Plinium, lib. XXXI, cap. I, ubi concludens ait, « omnes terræ vires aquarum esse beneficii. »

Vers. 29.

29. MELIOR EST VICTUS PAUPERIS SUB TEGMINE ASSERUM, QUAM EPULÆ SPLENDIDÆ (in) PEREGRE (apud exteros) SINE DOMICILIO. — Græce : *Potior est vita pauperis sub tecto trabium, quam epulæ splendidæ in alienis*, scilicet domibus; Tigurina, *victus pauperis sub tecto laquearium præstat, quam apparatus ciborum in alienis;* Syrus, *melior est vita pauperis sub umbra trabium suarum, quam divitiæ multæ in peregrinatione, q. d.* Satius est domi tenuiter vivere, quam foris splendide. Ratio est *prima* : quia domi homo est liber et sui juris, edit, bibit, facit quod libet; hanc vero libertatem perdit, cum apud alios prandet et diversatur. Libertas autem præstat omnibus deliciis et opibus; qua de causa S. Chrysostomus ad nulla convivia, licet invitatus, accedebat. Idem fecit et suasit S. Augustinus.

Domus propria et cella commoda.

Primum.

Secunda : quod homo domi est dominus, foris quasi servus aliis subesse et se accommodare cogitur; si in domo tua comedas, tibi obligaris; si in domo mea, mihi. Si domi meæ epuleris, palato meo servis; si in tua, tuo.

Secundum.

Tertia : domus mea mihi propria est, aliorum vero aliena; quare quantum præstat proprium alieno, tantum præstat manere domi, quam foris versari : unde tritum est illud Belgarum : Doet Best t'huys Best.

Tertium.

Quarta : domi cellam habes, in qua separatus ab hominum fabulis moribusque operam des sapientiæ, tibique vaces et Deo. Quocirca cella S. Bernardo visa est esse cœlum, talisque omnibus cellicolis, imo cœlicolis videtur.

Quartum.

Quinta : foris in conviviis facile exceditur in cibis delicatis, garrulitate, detractione, ira, invidia, tristitia, etc.; quæ omnia vitat qui domi manet.

Quintum.

Sexta : peregrini peregre multa pati, multaque improperia et convicia (quæ explicat in sequentibus) sustinere coguntur, a quibus immunis est domus suæ custos. Sane Seneca in *Proverbiis* non dubitabat dicere : « Cui nusquam domus est, sine sepulcro est mortuus. » Et : « Exsilium patitur qui se patriæ denegat. »

Sextum.

Hinc vetus fuit unius e septuaginta Interpretibus, num. 42, gnome, uti refert Aristæas in eorum historia : « Patriæ cultor fugiet peregrinationem. » Hæc enim multam in itineribus fatigationem, in hospitiis verecundiam et pavorem, in periculis sollicitudinem et angorem affert. Quin et Diogenes Cynicus invitatus a Cratero, Alexandri Magni præfecto : « Malo, inquit, Athenis salem lingere, quam apud Craterum opipara frui mensa. » Plutarchus, in *Lacon.*, narrat Laconibus peregrinari concessum non fuisse, ne morum peregrinorum vitæque compositæ contagium contraherent. Quin et peregrinos urbe exegisse, ne paulatim inundantes, mali cujuspiam civibus existerent magistri. Quemlibet autem civem, qui filios non

Gnomæ veterum.

juxta patrios ritus instituisset, jure civium privasse. Idem faciunt etiamnum Sinæ. Denique

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Vers. 30. 30. MINIMUM PRO MAGNO PLACEAT TIBI; ET IMPROPERIUM PEREGRINATIONIS NON AUDIES. — Ita Romana. Quare minus recte Jansenius et alii legunt : *Super minimum et magnum placeat tibi.* Hæc enim lectio est obscurior, etsi eodem redeat; sensus enim est, *q. d.* Sive parva, sive magna domi habeas; sive parva, sive magna sit domus, ea contentus sis, ea delecteris. Complutenses : *Super parva et magna* (id est super parvas res æque ac super magnas) *complacentiam habe, et improperium domus tuæ non audies;* Tigurina : *Parvis æque ac magnis contentus sis, ut ne tibi domicilium exprobrari audias;* quod scilicet alienum aucuperis, relicto proprio; ut herus domus tibi exprobret, se tibi gratiam facere, quod te sua domo, tecto et mensa suscipiat. Huc facit illud :

Serviet æternum, qui parvo nesciet uti.

Idem significat nostra Latina Vulgata, *q. d.* « Minimum pro magno placeat tibi, » id est minimo domi tuæ contentus esto præ magno, quod peregrinans foris haberes, sed cum improperio. Indigenæ enim sæpe hospitibus improperant, quod sint peregrini, barbari, inculti, inciviles, rudes, extorres, pauperes, mendici, etc. Unde idipsum explicans subdit : *Vita nequam hospitandi,* etc. Aliter Syrus : *Cum multo, et cum pauco, nemo scit* (nemo scit an inquilinus multum, an parum domi habeat); *et quid facit intra domum suam, nemo videt.*

Vers. 31. 31. VITA NEQUAM HOSPITANDI DE DOMO IN DOMUM; ET UBI HOSPITABITUR, NON FIDUCIALITER AGET, NEC APERIET OS. — Est hyperbaton, quod sic ordina et explica, *q. d.* « Vita hospitandi » nunc in hac, nunc in alia domo, ac de domo in domum migrandi, est « nequam, » id est misera et calamitosa; quia in ea peregrinus, ubicumque hospitetur, « non » audet libere et « fiducialiter » agere et loqui, ne ab indigenis rideatur, vexetur, spolietur, verberetur, incarceretur. Ergo, si « non bene pro toto libertas venditur auro, » nec vendi debet pro epulis quantumlibet splendidis. Hæc maxime vera erant apud Judæos, qui, cum mercium aut negotiorum causa alias provincias peragrarent, sæpe apud suæ gentis et religionis homines, puta Judæos, diversari non poterant (esto id cuperent et satagerent, ut patet *Actor.* x, 6); quare apud Gentiles Judæis infensos divertere cogebantur, a quibus multas sannas et scommata audire et perpeti necesse erat; hi enim Judæos vocabant verpos, recutitos, apellas, etc. Unde Tigurina vertit : *Vita misera est* ex alia in aliam domum migratio; nam ubi eris inquilinus, non audebis hiscere; Syrus : *Vita mala de domo in domum, et adversus judicia magna non poterit aperire os suum.*

Peregre Hinc illæ veterum gnomæ : « Domi manere oportet bene fortunatum. Domi habet; domi nascitur. Domi conjecturam facere. Domi judicium. Domi inspicere. Domi leones; foris cervi aut vulpeculæ. Domi nobilis. Domi pugnans more galli. Domus amica, domus optima. Domi manendum est, cui fata sunt prospera. » Nusquam enim commodius, nusquam liberius, nusquam securius, nusquam lætius homini vivere contingit quam domi; perinde ac testudo ubi collecta est intra suum tegmen, tuta est ad omnes ictus; ubi vero exerit partes aliquas, quodcumque nudavit, infirmum et plagæ obnoxium est. Quocirca Caius jurisconsultus, *Pandect.* lib. IV, tit. *De in jus vocando :* « Plerique, inquit, putaverunt nullum de domo sua in jus vocari licere; quia domus tutissimum cuique refugium ac receptaculum est; eumque, qui inde in jus vocaret, vim inferre videri. » Qui ergo sibi sufficit, domi maneat; qui vero eget, peregrinando rem quærat, ac fortunæ experiatur aleam : uti Romam multos egentes peregrinari cernimus, sed ex centum vix unum qui rem suam faciat; de cæteris illud vulgo tritum fieri quotidie intuemur : « Magister in artibus in Romana curia cocus, et ex gratia speciali morietur in hospitali. » Quocirca Seneca, in *Medea,* act. I, ex ejus persona, hoc velut summum malorum imprecatur : quàm incommodum. Gnomæ.

Vivat, per urbes erret ignotas, egens,
Exsul, pavens, invisus, incerti laris.

Et Ovidius in *Ibin :*

Exsul, inops erres, alienaque limina lustres.

Et Euripides in *Phœnissis :*

Et quid? carere patria magnum est malum?
Vel maximum; et re gravius est quam dicitur.

Unde hæc fuit pœna scelerato Caino a Deo inflicta, *Genes.* IV, 12 : « Vagus et profugus eris super terram; » et Judæis Christicidis, *Psal.* CVIII, 10 : « Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent : et ejiciantur de habitationibus suis. » Hinc *hospes,* ait S. Isidorus, lib. X *Origin.,* dicitur quasi *ostiis pedes* inferens, alienis scilicet, velut egens et peregrinus. Significanter et nervose Menander :

Domi, *inquit,* manere oportet, ac manere liberum;
Aut non amplius vivere illum, qui vere beatus est.

Et Sophocles in *Tereo* : « Domi manebit vir vere beatus. » Divinius Salomon, *Proverb.* XXVII, 8 : « Sicut avis, inquit, transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. » Ubi rursus hac de re dicam. Tritum est illud :

Si qua sede sedes, hæc sit tibi commoda sedes :
Illa sede sede, nec ab illa sede recede.

Intellige hæc de iis qui, ob paupertatem aliamve miseriam vel necessitatem, coguntur mutare hospitia, et hospitari de domo in domum. Nam qui id faciunt voluntarie ex electione paupertatis, vel

apostolatus, et prædicationis Evangelicæ, ac studio perfectionis, ut mentem avellant a terra, eamque defigant in cœlo, non sunt miseri, sed sancti, excelsi et felices. Hi enim quasi cosmopolitæ dicunt cum Apostolo : « Nostra conversatio in cœlis est. » Et : « Fratres, jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei, » *Ephes.* II, 19. Hi enim sunt hospites terræ, sed cives cœli. Ita Apostoli ibant de domo in domum, de urbe in urbem, de provincia in provinciam, ut spargerent toto orbe Evangelium, et fidem cultumque Christi. Ita S. Hilarion migrabat de loco in locum, ut fugeret hominum visitationes et laudes, teste S. Hieronymo, in ejus Vita. Nimirum :

Omne solum forti patria est, ceu piscibus æquor.

Et : « Fideli totus mundus diversorium est. » Quocirca cum primi Franciscani e suis monasteriis pellerentur a Frederico II imperatore, persecutore Ecclesiæ, atque hac de re quererentur apud B. Ægidium, unum e primis S. Francisci sociis, ille leniter eos redarguit, aut potius consolatus est, dicens minus recte eos de Frederico queri, neque enim e sua terra eos potuisse ejici a Frederico, qui terram nullam habent in terra. « Veri, inquit, fratres Minores extra sæculum facti, ubi vivant in sæculo, non curant, neque locum ullum suum possunt appellare; ubique fratri Minori patria est, qui propriam nullam habet in mundo. Peccastis itaque, fratres, in magnum peccatorem Fredericum mentiendo; plus enim vobis contulit quam abstulit; meriti causam addidit, patriam non subtraxit. » Ita habent *Acta* ejus et *Annales Minorum*, auctore Luca Waddingo, anno Domini 1238. Vide homiliam S. Bernardi, *De peregrino mortuo et crucifixo*, quisquis perfectionis hujus es avidus. Dux et choragus horum fuit S. Alexius, qui amore Dei et cœli, relicta sponsa, matre, patre, domo, nobilitate, opibus, peregrinatus est per septemdecim annos mendicando; totidem in paterna domo quasi peregrinus et pauper, soli Deo notus delituit, ac mundo illudens, de eo miro virtutis exemplo triumphavit.

Moraliter, de vago studio.

Symbolice, Hugo hæc applicat iis qui nulli certæ scientiæ se addicunt, sed per omnes vagantur, ex singulis aliquid delibantes. Hi enim ubique peregrini sunt, nusquam domi, quia in nulla scientia versati, et ex partibus singulis aliquid assequuntur, sed ex toto nihil; semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, ut ait Apostolus : « Vita nequam, ait, hospitandi de domo in domum, id est de facultate in facultatem, de libro in librum; quælibet enim facultas una domus est : quilibet etiam liber theologiæ una domus est. Unde suggillat hic auctor multos, qui imperfecte, insufficienter et malo modo addiscunt, modo ad domum Aristotelis, modo ad domum Hippocratis, modo ad domum Justiniani, modo ad domum Gratiani, modo ad domum Moysis, modo ad domum Pauli et Petri, vel Christi currunt, et in nulla habitant. » Idem a pari applices iis qui nulli certæ occupationi, statui, virtuti se addicunt, sed per omnia vagantur.

Vers. 32, 33 et 34.

32, 33, 34. HOSPITABITUR, ET PASCET, ET POTABIT INGRATOS, ET AD HÆC AMARA AUDIET : TRANSI, HOSPES, ET ORNA MENSAM : ET QUÆ IN MANU HABES, CIBA CÆTEROS. EXI A FACIE HONORIS AMICORUM MEORUM : NECESSITUDINE DOMUS MEÆ HOSPITIO MIHI FACTUS EST FRATER. — Est mimesis. Imitatur enim et exprimit mores, sensa et improperia, quæ hospes et peregrinus foris ab incola et hero domus audire, sustinere et devorare cogitur, *q. d.* Peregrinus hospitabitur et hospitio excipietur ab indigena et hero domus; sed pro antidoto cogetur eum ejusque uxorem pascere quasi ex debito; ideoque ingratos eos sentiet, ab eisque « amara, » græce πικρά, id est acerba et dura audiet. Dicent enim ei quasi famulo : « Transi, hospes, » id est surge, o hospes, e sede vel lecto, in quo ex itinere fatigatus conquiescis : surge, inquam, ut nobis non tantum famuleris, sed et mensam instruas : ex iis « quæ in manu habes, » id est ex iis quæ pro viatico in pera vel mantica tecum defers, « cibA cæteros » indigenas domus meæ, ut hospitio hanc non gratiam, sed mercedem, imo pretium rependas. Atque ubi omnia, quæ pro viatico deferebat, in domesticos distribuerit, nihilque amplius quod det habuerit; ablegabit, imo domo sua impudenter extrudet eum herus, eique dicet : « Exi a facie honoris amicorum meorum, » *q. d.* Honorati amici mihi supervenere hospites, qui amplum ad digne hospitandum locum requirunt; eorum ergo faciem et personam reveritus, cede eis hospitium, et exi, alioque commigra. Unde Tigurina vertit : *Cede præsenti magnificentiæ*, idque « necessitudine, » id est ex necessitate « domus meæ, » *q. d.* Necessitas excipiendi amicos supervenientes cogit me tibi dicere : Exi, quia domus mea tantis amicis ad hospitandum est necessaria. Hoc enim significat Græcum χρεία τῆς οἰκίας, id est *opus est mihi domo*. Nam « hospitio mihi factus est frater, » *q. d.* Frater, quem amice et splendide ut fratrem excipere debeo, hospes mihi factus, hospitio toto indiget : duxit enim secum multos asseclas, amicos et famulos. Unde ex Græco sic clare vertas : *Hospitio excipies, et potum præbebis* εἰς ἀχάριςα, id est *ad nullam gratiam*, vel *ad ingrata* (Noster vertit, *ingratis*); *et præter hæc acerba audies : Ades, peregrine, instrue mensam, et si quid in manu habes, ciba me : exito, peregrine, a persona* (πρόσωπον enim personam et faciem significat) *gloriosa : opus est domo : hospes mihi frater est.*

Ubi nota : Pro passivo *hospitabitur*, græce est activum ξενίσεις, id est *hospitio excipies*. Unde Rabanus legit, *hospitabit*; Tigurina : *Hospitio, cibo atque potu excipies ingratos*. Verum melius Noster vertit, « hospitabitur : » agitur enim de peregrino qui foris hospitatur, non autem alios hospitio excipit. Unde et Rabanus, etsi legat *hos-*

pitabit, passive tamen explicat per *hospitabitur*. Ait enim, « hospitabit, videlicet in aliena domo ingrate susceptus, edit et bibit, et semper adversa pertimescit, sæpe ab alterius lingua irritatus improperium audit. » Huc facit adagium Theopompi : « Veniat, qui proderit hospes. » Et illud Ovidii :

> Ipse licet Musis venias comitatus, Homere,
> Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.

Porro Syrus ita vertit : *Peregrinus es, et bibis opprobrium, et post hæc audies amara : Peregrinus es, transi, præpara mensam, et comede id quod est coram te ; exi ab honore : viator enim supervenit mihi.*

Symbolice, peregrini sumus terræ, et cives cœli.

Symbolice, hic vivum datur symbolum et schema mundanorum et mundi : omnes enim peregrini et advenæ sumus in mundo, et mundus ut infidus et fallax domus suæ, puta terræ, herus nos excipit primo blande, deinde sensim rebus omnibus spoliat, ac plane in morte depeculatur, nudosque extrudit in aliam regionem ubi domus æterna nos manet, vel in cœlo, vel in gehenna. Quare mundus in vita nobis dicit : « Transi, hospes; orna mensam; » quia consumit omnes nostras opes, facultates et vires. In morte vero dicit : « Exi a facie honoris amicorum meorum; » quia nos e mundo expellit, omniaque nostra transfert ad alios qui subnascuntur, eisdem in vita æque ac in morte similiter facturus. Quæ omnia duabus insignibus parabolis repræsentat Josaphat regi Barlaam Anachoreta, apud Damascenum in *Histor.* cap. XIII et XIV. Quocirca vere Nazianzenus, in *Monostichis* : « Omnem, inquit, exhibe hospiti honorem, cum hospes ipse sis. »

Tropologice.

Tropologice S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* cap. X, hæc applicat hypocritis, qui sanctitatem simulant, ut sanctitatis favore vallentur : *Transi, hospes, et orna mensam.* « Transeundo namque hospes, inquit, ornare mensam dicitur; quia si ad altare Dei quis positus per bona opera propriam gloriam quærit, et de ostentatione sanctitatis ejus laus altaris extenditur, et ipse tamen apud Deum in numero civium non habetur. Aliis ejus opinio proficit, et tamen a Deo extraneus ipse pertransit. Mensam itaque transeundo decoravit, quia stare ad sacra noluit, qui per omne, quod agere studuit, ad humanas laudes mente decurrit. »

Rursum tropologice, hæc omnia iis qui ob collocutionem aut occupationem non necessariam, orationem, psalmodiam aut lectionem ab hora sibi destinata dimovent cum ejus damno et injuria, recte adaptat noster Alvarez de Paz, *De Vita spirit.* lib. V, part. III. Tales enim Deum quasi hospitio mentis suæ dimittunt vel ejiciunt, ut mundum, et non raro diabolum intromittant.

Vers. 35. 35. GRAVIA HÆC HOMINI HABENTI SENSUM : CORREPTIO DOMUS, ET IMPROPERIUM FOENERATORIS, — *q. d.* Hæc improperia, quæ dixi, gravia et acerba sunt « homini habenti sensum, » id est sensato et prudenti; nimirum, *primo*, gravis ei est « correptio domus, » dum scilicet hospes ab hero domus, apud quem hospitatur, audit dura : « Transi, hospes, et orna mensam, etc. : exi a facie honoris amicorum. » *Secundo*, grave est « improperium fœneratoris, » quo scilicet *fœnerator*, id est mutuans illi cui dat mutuum, exprobrat paupertatem, ingratitudinem, negligentiam, etc., ob mutuatam illi a se pecuniam. Minus recte Lyranus *fœneratorem* hic interpretatur herum domus. Herum enim dici fœneratorem, eo quod vendat hospitibus res suas secundum cursum communem hospitum ultra justum pretium. *Fœneratorem* enim priori parte capitis non alium intellexit Siracides, quam eum qui sua dat mutuo. Unde clare Tigurina vertit : *Gravia sunt hæc homini mentem habenti, objectatio domus, et creditoris sollicitatio*; Syrus : *Gravia hæc viro sapienti, objurgatio, et usura et fœnus fœnerantium.* Addit Syrus sententiam pulchram et piam, quæ sic habet : *Valde valde da pauperi, et de eo quod est in manu tua, ciba illum. Si nudus est, vesti eum : quia caro tua est pauper, et Deo ipsi fœneraris, et ipse reddet tibi septuplum.* Hinc magnus ille S. Euthymius moriturus discipulis suis ait : « Hoc ultimum vobis adjicio mandatum : Nunquam iis qui adveniunt occludatur janua; sed sit semper aperta cuivis viatori, et ad excipiendum paratissima. Quin etiam ipsum tectum sit vobis commune hospitibus et transeuntibus, et ea quæ habetis egenis proponantur communia. Sic enim copiosam suppeditationem a superis consequemini. » Hæc ejus cycnea fuit vox; nam paulo post, post longos agones, placide obdormivit in Domino anno Christi 472, ætatis 99, Leonis imperatoris 16, die 20 januarii. Ita Cyrillus in ejus Vita, et ex eo Baronius. Plura de hospitibus et hospitalitate dixi *Hebr.* cap. XIII, vers. 2 et alibi.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Agit primo, de recta filiorum institutione et castigatione, ejusque fructu, ac, si omittatur, damno, usque ad vers. 14. Inde secundo, agit de bono sanitatis usque ad vers. 22; tertio, usque ad finem capitis, agit de bono lætitiæ et malo tristitiæ. Unde nonnulli Græci codices primæ parti hunc præfigunt titulum, περὶ τέκνων, *id est de liberis: secundæ* περὶ ὑγιείας, *id est de sanitate.*

1. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. 2. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriabitur. 3. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, et in medio amicorum gloriabitur in illo. 4. Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. 5. In vita sua vidit, et lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. 6. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, et amicis reddentem gratiam. 7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, et super omnem vocem turbabuntur viscera ejus. 8. Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet præceps. 9. Lacta filium, et paventem te faciet: lude cum eo, et contristabit te. 10. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescent dentes tui. 11. Non des illi potestatem in juventute; et ne despicias cogitatus illius. 12. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus dum infans est, ne forte induret, et non credat tibi: et erit tibi dolor animæ. 13. Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. 14. Melior est pauper sanus, et fortis viribus, quam dives imbecillis et flagellatus malitia. 15. Salus animæ in sanctitate justitiæ, melior est omni auro et argento; et corpus validum, quam census immensus. 16. Non est census super censum salutis corporis: et non est oblectamentum super cordis gaudium. 17. Melior est mors quam vita amara; et requies æterna quam languor perseverans. 18. Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro. 19. Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit: 20. sic qui effugatur a Domino, portans mercedes iniquitatis: 21. videns oculis, et ingemiscens, sicut spado complectens virginem, et suspirans.

Transit a sanitate ad lætitiam congruo ordine: quia lætitia maxime tuetur et fovet sanitatem tum corporis, tum animæ, sicut eamdem destruit tristitia. Ita Lyranus.

22. Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo. 23. Jucunditas cordis hæc est vita hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis: et exsultatio viri est longævitas. 24. Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine: congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longe repelle a te. 25. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. 26. Zelus et iracundia minuunt dies, et ante tempus senectam adducet cogitatus. 27. Splendidum cor et bonum in epulis est: epulæ enim illius diligenter fiunt.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. QUI DILIGIT FILIUM SUUM, ASSIDUAT ILLI FLAGELLA, UT LÆTETUR IN NOVISSIMO SUO, ET NON PALPET PROXIMORUM OSTIA. — Græca omittunt ultimam partem, sicque concise habent: *Qui filium suum amat, assidue ipsum castigat, ut lætetur extremo ejus;* Tigurina: *Qui filium suum amat, cre-*

bris flagellis eum appetit, ut ad extremum sibi sit lætitiæ; Syrus : *Qui diligit filium, iterabit flagella ejus, ut lætetur in novissimo ejus.* Parentes qui carnaliter et stulte amant proles, non audent eas peccantes castigare, sed omnia eis condonant et indulgent : quo fit, ut filii fiant audaces, immorigeri, luxuriosi, rixosi, ac tandem in gravia mala, adeoque in mortem infamem et probrosam incidant, quæ parentibus summum dolorem æque ac ignominiam afferant : quos proinde serio, sed sero, pœnitet hujus suæ nimiæ in filios indulgentiæ, eamque vident reipsa non amorem et beneficium, sed odium et maleficium filiis exstitisse. Quare parentes, qui sapiunt, quique vero et prudenti amore filios diligunt, hi eos assidue castigant, non tantum verbis objurgando, sed et verberibus virgisque flagellando. Ratio est, quod « stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam, » *Proverb.* XXII, 15. Pueri enim, ob defectum rationis et judicii, obque vivaces spiritus et ebullientem sanguinem, pleni sunt concupiscentiis et desideriis noxiis, suntque sicut animalia, v. g. sicut petulci hædi, lascivientes, cornupetentes, omniaque miscentes et confundentes. Quare sicut animalia, ut boves et equi, non aguntur verbo, sed calcari punguntur et stimulo, ut recta incedant ad nutum sessoris vel aurigæ : ita pariter pueri lascivientes non tam verbo quam virga et flagello castigandi sunt, ut innatam petulantiam et concupiscentiam refrenare discant. Fructum subdit duplicem : *Primum*, « ut lætetur, » tum parens, tum potius ipse filius, « in novissimo suo, » *q. d.* Filius flagellatus dolebit initio et flebit; at in fine videns flagellationis fructum, scilicet se per eam dedidicisse pueriles pravosque mores, ac induisse viriles et sanctos, mirifice gaudebit et lætabitur, agetque gratias parentibus, qui eum castigarunt, itaque ad frugem et virtutem perduxerunt. *Secundum*, securitatem a mendicitate; unde ait : « Et non palpet proximorum ostia, » *q. d.* Si eum non castiges, fiet otiosus et deses, indeque pauper effectus cogetur mendicare : ac, quia id eum facere pudebit per diem, mendicabit sub vesperam et noctem in tenebris, ne agnoscatur : quare tunc per caliginem palpando quæret proximorum ostia, ut ea pulsans mendicet stipem. Ut ergo « non palpet » ea, nec mendicet, castiga filium, ac doce eum non otiari, sed laborare, ut labore manuum sibi victum comparet. Ubi nota (ait Palacius) legem Domini fuisse, *Deut.* XV, 4, ne quis inter Judæos esset mendicus: at nihilominus multi egestate compulsi mendicabant : mendicabant autem more nostro, non canendo, ut Germani, sed ostia palpando et pulsando, uti nos Hispani. Hæc Palacius leviuscule.

Moralitas, de puerorum institutione.

Quocirca sapientes omnium gentium et temporum censuerunt, non tantum ad domus, sed et ad totius reipublicæ incolumitatem necessum esse, ut parentes bene filios educent, corrigant et castigent, ne evadant fures, adulteri, homicidæ, itaque rempublicam turbent et evertant. Ita Salomon in *Proverbiis* idipsum crebro inculcat, ut cap. XXIII, vers. 13 : « Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. » Vide eum toto cap. III, IV et V. Pater ergo imitetur Deum Patrem, qui suos fideles et filios multis tribulationibus castigat et perficit : « Quem enim diligit Dominus, corripit; et quasi pater in filio complacet sibi, » *Proverb.* III, 12. S. Paulus, *Ephes.* VI, 4 : « Et vos, patres, inquit, nolite ad iracundiam provocare filios vestros : sed educate illos in disciplina et correptione Domini. »

S. Chrysostomus, homil. 9 *in* I *Timoth.* II, docet parentibus nullam majorem curam esse debere, quam ut filios recte educent, et bonis pædagogis assignent, qui eorum mores ad omnem honestatem efforment. Causamque dat, dicens : « Nulla nobis possessio, nullus fundus æque nobis gratus et charus esse debet; quippe hæc omnia filiis quæruntur. » Idem docet S. Hieronymus, epist. *ad Gaudentium.*

Plato bonam filiorum educationem ponit bonæ reipublicæ fundamentum, imo seminarium. Unde lib. II *De Republ.* : « Puerilis institutio, ait, est maximi momenti ad universam vitam recte instituendam. » Et lib. VII : « Ejus reipublicæ quæ felix esse volet, magistratus in veri Dei et veri boni cognitione edocentur prima statim ab infantia, artesque omnes ad eam primariam scientiam ediscendam necessariæ, eidem adhuc adolescenti traduntur. Idem, lib. VI *De Legibus* : « Adolescentiæ, inquit, recta institutio est publicorum negotiorum omnium maxime serium. » Rursum, lib. IV *De Republ.* : « Magistratus etiam summi est, prospicere ut pueri et juvenes honeste et sancte a prima ætate et infantia instituantur. » Idem in Alcibiade primo narrat filios regum Persarum, cum ad decimum quartum ætatis annum pervenissent, commendatos fuisse curæ regiorum pædagogorum, qui ex omnibus Persis seligebantur, ac quatuor erant : unus sapientissimus, alter justissimus, tertius temperatissimus, quartus fortissimus. *Primus* docebat regis filium ea quæ erant cultus divini; *secundus* instillabat ut per omnem vitam esset verax; *tertius*, ne ulla cupiditate vinci se sineret, sed disceret rex esse sui, gulæque ac cæteris animi affectibus imperare; *quartus*, impavidum illum ac intrepidum reddebat, nequando quippiam metuens servus fieret.

Pædagogi regum in Persis de quatuor.

Aristoteles, lib. VI *Polit.* cap. I : In civitate, inquit, primam et maximam curam esse oportet in erudienda juventute; qua sublata, pereat respublica necesse est. Hac de causa Aristoteles ipse datus est magister Alexandro Magno a Philippo patre, qui sibi hoc nomine mire congratulatus est, teste Gellio, lib. IX, cap. III.

Plutarchus, Trajani imperatoris præceptor, aureum scripsit librum *De Educatione liberorum*, in

quo inter cætera ait : « Sicut infantium membra simul ac nati sunt, formari componique debent, ut recta minimeque obliqua fiant : ita puerorum mores principio apte concinneque fingere convenit. Illa enim novella ætas ad fingendum facilis et tenera est, et illorum animis, dum molles adhuc existunt, disciplinæ melius instillantur; difficilius autem, quæ dura sunt, molliuntur : sicut enim sigilla mollibus imprimuntur ceris, ita et doctrinæ, dum puerilis animus est, insculpuntur. » Juxta illud Horatii :

> Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
> Testa diu.

Et illud Phocylidis :

> Dum tener est gnatus, generosos instrue mores.

Cicero, lib. II *De Officiis*, docet : « Nullum munus reipublicæ afferri majus meliusve posse, quam si doceamus et erudiamus juventutem iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnibus opibus refrenanda et coercenda sit. » Idem docet Xenophon in *Pædia Cyri*.

Exempla. Exempla illustria sunt. Heli, quia Ophni et Phinees filios non castigavit, vita et pontificatu excidit, I *Reg.* II. Constantinus Magnus, dispertito inter filios imperio, eos pietate probisque moribus tum per se, tum per magistros optime instituit, uti narrat Eusebius, lib. IV *De Vita Constant.* cap. LI et LII. Carolus Magnus maxima cura educavit suos filios et filias, uti refert Æmilius, lib. II, cap. X. Idem fecit Theodosius, qui Arcadio et Honorio filiis magistrum dedit Arsenium, qui ob vitæ sublimitatem ab Ecclesia inter Sanctos relatus est. Ita Nicephorus, lib. XXII, cap. XXXIII, et lib. XIV, cap. II. S. Blancha mater S. Ludovicum filium sua institutione sanctum effecit, uti et S. Monica S. Augustinum.

Ex adverso prava institutio pueri Juliani, postea imperatoris, eum apostatam reddidit. Sic et Justina Valentinianum filium imperatorem impietate Ariana imbuit. Andronicus Junior ob non castigatos ejus in pueritia mores, ad tantam licentiam evasit, ut Andronicum avum imperio deturbarit, teste Gregorio, lib. VIII. Formidabile est exemplum pueri quinquennis, qui cum blasphemare consuesset, nec a patre castigaretur, e sinu patris a dæmone abreptus est ad tartara, uti narrat S. Gregorius, IV *Dialog.* XVIII. Verum nullum illustrius est exemplum, quantum possit mala vel bona educatio parentum, quam S. Wenceslai, quem avia Ludmilla religiosa mulier educans a puero, regem sanctum, imo martyrem effecit; et fratris ejus Boleslai, qui a Drahomira matre impia impie educatus, sacrilegus et parricida evasit. Nam fratrem Wenceslaum occidit, ejusque regnum, Bohemiam, inquam, occupavit et tyrannice administravit, uti habet Vita S. Wenceslai, Dubravius et alii.

Idipsum Lycurgus repræsentavit Lacedæmoniis per duos catulos eadem matre progenitos, quorum alterum domi delicate nutriverat, alterum foras eductum venatione exercuerat. Eis enim coram populo proposuit delicias, simulque emisit leporem; mox, cum uterque raperetur ad assueta, alter ad escas, alter in leporem involavit. Ita Plutarchus in *Lacon.* Sapientius S. Hieronymus *ad Demetriadem* : « Optime fit, inquit, ad institutionem morum : pueri quippe apti sunt : habent enim in se lentum quoddam et molle, quo formari queant, atque ad arbitrium volentis trahi, et in cunctis fere rebus, citius assuescit quod tenerum est; novellas adhuc et vix firmæ radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flecti facile est; ipsa quoque litterarum studia teneris melius inseruntur ingeniis. Hoc etiam plurimum in vivendi rationem valet : dum adhuc mollis est ætas, et animus duci facilis, exercenda boni consuetudine, et jugi meditatione firmanda est. » Huc facit quod scribit S. Gregorius Nazianzenus, epist. 57 *ad Eudoxiam* : « Athenis, inquit, vetus lex erat, eaque meo quidem judicio præclarissime constituta, ut adolescentes, cum pubertatis annos attigissent, ad artes ducerentur; ducerentur autem ad hunc modum. Cujuslibet artis instrumenta publice proponebantur, atque adolescentes ad ea adducebantur : quocumque autem delectari quemque contigisset, ad idque accurreret, hujus quoque artem edocebatur; quod videlicet ea ut plurimum recte succedant, quæ natura duce aggredimur; ac contra ea quæ invita natura suscipiuntur, spem frustrari soleant. »

A puero institutio inchoanda.

2. QUI DOCET FILIUM SUUM, LAUDABITUR IN ILLO, ET IN MEDIO DOMESTICORUM IN ILLO GLORIABITUR. — *Tertius* est hic fructus bonæ educationis et castigationis filiorum, quod nimirum parenti pariat apud vicinos et exteros laudem, lætitiam et gloriam. « Qui docet, » scilicet tam verberibus quam verbis; græce enim est ὁ παιδεύων, id est qui erudit, castigat, disciplinat. Pro *laudabitur* Interpres in Græco legit αἰνήσεται; jam codices Romæ emendati legunt ὀνήσεται, id est *juvabitur*, vel *lucrabitur*, id est magnum ex illo lucrum percipiet; Complutenses et alii legunt εὐφρανθήσεται, id est *lætabitur*. Unde sic ex Græco vertas : *Qui castigat filium, lætabitur eo, et inter notos de eo gloriabitur*; Syrus : *Qui erudit filium suum, lætabitur in eo, et inter socios suos laudabitur in eo*; Tigurina : *Qui filium suum castigat, fructur* (fructum et voluptatem capiet) *filio, et inter nobiles eo gloriabitur*: legit ὀνήσεται, quod tam vertas *fruetur*, quam *juvabitur* aut *lucrabitur*. Qui docet ergo et castigat filium, hic in eo « laudabitur, » id est eo cum laude lætabitur et fruetur, ut de eo apud alios glorietur, ut sequitur. Hoc enim sensu sumitur sæpe in Scriptura τὸ *laudari*, ut : « In Domino laudabitur anima mea, » *Psalm.* XXXIII, 3. « Laudamini in nomine sancto ejus; » *Psalm.* CIV, 3. « In Deo laudabimur tota die, » *Psalm.* XLIII,

Vers. 2.

vers. 9. « In Deo laudabo sermones meos, » *Psalm.* LV, 5 et 11.

Huc facit proverbium Arabicum, *Cent.* II, num. 22 : « Scientia diadema est puero, et intellectus torques aureus. » Sapienter Seneca lib. II *De Ira* : « Plurimum, inquit, proderit pueros statim salubriter institui; difficile autem est regimen, quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. » Et post nonnulla : « Sic itaque inter utrumque regendus est, ut modo frenis utamur, modo stimulis. »

Vers. 3. 3. QUI DOCET FILIUM SUUM, IN ZELUM MITTIT INIMICUM. — Græce παραζηλώσει, id est ad æmulationem provocabit, in rivalitate opponet ei æmulum et rivalem, invidia ac dolore irritabit, invidentia quadam et zelotypia exstimulabit. Unde Syrus vertit : *Zelum quærit inimico suo.* Sic de Judæis idola pro Deo colentibus queritur, imo indignatur Deus, quasi honoris et divinitatis suæ zelotes per Mosen, *Deut.* XXXII, 16, dicens : « Provocaverunt (græce παρεζηλώσαν, id est *irritarunt,* ad zelum et zelotypiam provocarunt) eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. » Et Paulus, I *Corinth.* X, 22 : « An æmulamur Dominum? » inquit, græce ἢ παραζηλοῦμεν τὸν Κύριον, id est, *an Domino æmulum rivalemque opponimus ?* dum scilicet mensæ Domini jungimus mensam dæmoniorum, puta esum idolothytorum; sic enim Deo opponimus idolum, imo diabolum, quasi æmulum et rivalem. Unde Tigurina vertit : *Qui docet filium suum, quod urat inimicum suum, facit.* Uritur enim inimicus livore et invidia, dum videt et invidet æmulo suo tantum bonum, puta filium tam sapientem, tamque bonis moribus instructum et ornatum; simulque dolet et timet, ne filius injurias patri a se illatas capessat et ulciscatur. Ex adverso IN MEDIO AMICORUM GLORIABITUR IN ILLO, — Græce ἀγαλλιάσεται, id est *exsultabit in illo. Quartus* est hic fructus bonæ educationis filiorum, quod scilicet per eam confundantur inimici, gaudeant vero et exsultent pater et amici. Quare credibile est, ait Palacius, Christum inter angelos cum voluptate gloriari, dum sua doctrina aliquem ex nobis vere sanctum efficit. Nam S. Paulus passim de christianis a se eruditis gloriatur, dicens : « Vos estis gloria nostra et gaudium, » I *Thessal.* II, 20; et : « Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea : sic state in Domino, charissimi, » *Philip.* IV, 1.

Mira parentum ex filiis excelsis gloria.

Porro quanta parentibus laus et gloria accedat ex bona institutione, probitate, doctrina et virtute filiorum, graphice depingit Seneca, lib. III *De Beneficiis,* cap. XXXI, ubi filium qui virtutibus sese excoluerat, patremque aluerat ad compensandum generationis beneficium, sic eumdem alloquentem inducit : « Non est bonum vivere, sed bene vivere. At bene vivo, sed potui et male. Ita hoc tantum est tuum, quod vivo. Si vitam imputas mihi per se nudam, egentem consilii, et id ut magnum bonum jactas, cogita te mihi imputare muscarum ac vermium bonum. Deinde, ut nihil aliud dicam, quam bonis artibus me studuisse, ut cursum ad rectum iter vitæ dirigerem; si bene vivo, in ipso beneficio majus quam quod dederas recepisti. Tu enim me mihi rudem et imperitum dedisti, ego tibi filium, qualem genuisse gauderes. Aluit me pater : si idem præsto, plus reddo, quia non tantum aluisse, sed a filio ali gaudet, et majorem ex animo meo, quam ex ipsa re percipit voluptatem. Illius alimenta ad corpus tantum meum pervenerunt. » Deinde idipsum clare evincit ex gloria, quam parentibus et familiæ conciliant filii, cum virtute sua evadunt excelsi et celebres, vel in sapientia, vel in virtute, vel in principatu et regno : « Quid, si quis, inquit, per se in tantum processit, ut aut eloquentia per gentes innotesceret, aut justitia, aut bellicis rebus, et patri quoque ingentem circumfunderet famam, tenebrasque natalium suorum clara luce discuteret, non inæstimabile in parentes suos beneficium contulit? An quisquam Aristonem et Gryllum, nisi propter Xenophontem ac Platonem filios nosset? Sophroniscum Socrates exspirare non patitur. Cæteros enumerare longum est, qui vivunt ob nullam causam aliam quam quod illos liberorum eximia virtus tradidit posteris. Utrum majus beneficium dedit M. Agrippæ pater, nec post Agrippam quidem notus, an patri dedit Agrippa, navali corona insignis, unicum adeptus inter dona militaria decus, qui tot in urbe maxima opera excitavit, quæ et priorem magnificentiam vincerent, et nulla postea vincerentur? Utrum Octavius majus ullum beneficium dedit filio, an patri divus Augustus, quamvis illum umbra adoptivi patris abscondit? quantam cepisset voluptatem, si illum post debellata arma civilia vidisset securæ paci præsidentem, non agnoscens bonum suum, nec satis credens, quoties respexisset ad se, potuisse illum virum in domo sua nasci? »

Vers. 4. 4. MORTUUS EST PATER EJUS, ET QUASI NON EST MORTUUS (Syrus, *et idem est ac si non esset mortuus*) : SIMILEM ENIM RELIQUIT SIBI POST SE. — *Quintus* est hic fructus bonæ educationis, *q. d.* Homo ex instinctu naturæ appetit immortalitatem et æternitatem, nimirum, semper esse et vivere. At, cum hoc sit impossibile in se suaque persona, utpote quæ mortalis sit morique debeat, optat saltem, ut post mortem in alia persona sibi simili et conjunctissima, puta in filio, sit superstes, vivat et propaget se, suisque nomen et memoriam. Quocirca generatio et bona educatio filiorum est remedium, imo species et imago resurrectionis et beatæ æternitatis; pater enim moriens videtur resurgere in filio. Quocirca parentes optant ante filios, imo pro filiis mori, ut eos relinquant superstites, in iisque conserventur, vivant et propagentur; filius enim bene a parente institutus parentis vitam, sapientiam et virtutem conservat, eumque facit quasi immortalem.

Generatio est imago resurrectionis.

Nota est historia patris, qui cum filio ob crimen adjudicatus erat morti : dumque princeps sententiam molliret, unumque tantum plecti juberet, ac daret eis optionem eligendi, vel jaciendi sortem, uter plectendus esset; mira inter utrumque fuit contentio, dum filius pro patre, pater pro filio mori percuperet. Sed vicit tandem pater, dictitans se, licet plecteretur, in filio tamen fore superstitem : at, si filius plecteretur, nullam sui, utpote senis brevique morituri, nec filii fore propaginem et memoriam : expedire ergo malleque se mori, ut filius sibi in vita maneret superstes. Motus princeps pietate amborum, vitam utrique condonavit.

Dicit ergo Siracides patrem ex bona educatione filii hunc fructum capere, quod, etsi moriatur ipse, videatur tamen non mori, eo quod relinquit filium quasi alterum se, sibi similem in virtute, utpote cui probos suos mores per bonam institutionem communicarit et impresserit. Secus est de improbis parentibus, vel probis, sed improbe aut negligenter filios educantibus. Hi enim, cum moriuntur, relinquunt filios; sed vel degeneres, vel sibi similes, improbos, qui ipsis probro erunt et infamiæ. Unde in iis eorum non virtus et fama, sed vitium et infamia, ad eorum perpetuam ignominiam, vivet et perennabit.

Idem tropologice verius est in bonis magistris, pastoribus, prædicatoribus, superioribus. Hi enim post se relinquunt discipulos, quos Christo genuerunt, quasi viva suæ virtutis testimonia et simulacra; uti S. Petrus reliquit Linum, Cletum, Clementem; S. Paulus Titum, Timotheum, Onesimum, Lucam; S. Joannes Prochorum, Ignatium, Polycarpum, etc. « Successio enim filiorum sanctorum, ait Rabanus, qui post patres suos ex hac vita decedentes, bonum eorum studium in sancta religione et bona conversatione imitantur, mortuos parentes quasi redivivos exhibent, cum eorum doctrinam et disciplinam in suis dictis et factis omnibus servando manifeste declarant. » Hinc filius masculus hebraice vocatur זכר *zachar*, a *zacher*, id est *memoria*; quod in filio patris post mortem perstet nomen et memoria. Vice versa feminæ hebraice נשים vocantur a נשה *nasca*, id est *oblitus est*, quod in iis, præsertim si molliter et effeminate vivunt, patris nomen pereat, et memoria oblivioni tradatur. Hinc rursum filius ab Euripide vocatur « vitæ oculus : » suntque viri eruditi, qui filium dictum volunt quasi φίλιον, ob ingentem erga eum patris amorem, aut a Græco ϝός per Æolicum digamma. Vide Tiraquellum, Præfat. in leg. *Si unquam*, num. 11.

Parentes plus amant filios quam seipsos.

Quocirca docent Ethici et Jurisconsulti, quin et ipsa experientia, quod pater plus diligat filium quam seipsum. Unde Pacatus, in *Panegyrico* Theodosii imperatoris : « Instituente, inquit, natura plus fere filios quam nosmetipsos diligimus. » Virginius apud Livium, lib. III, constanter asserit sibi vitam filiæ suæ Virginiæ sua chariorem fuisse, si libere ac pudice ei vivere licitum fuisset. Aristoteles, lib. VIII *Ethic.* cap. XII : « Æque, inquit, parentibus vita liberorum chara est atque sua. » Quocirca apud Quintilianum, *Declam.* VI, pater ille proclamat : « O quam grave est mori! quanto gravius, quod ego vivo superstes filii mei! » Idem, *Declam.* XI : « Cum filii, inquit, pauperis ad supplicium peterentur, pater sese obtulit illos vicaria morte servaturus. Simile est quod narrat Tiraquellus, loco cit., num. 8 : « Accusabantur, inquit, pater et filius homicidii : certum enim erat alterum eorum id perpetrasse; sed uter id fecisset, incertum. Carolus II, imperator jussit filium suspendi : quod intelligens pater, ut filium a morte vindicaret, ac in se pœnam converteret, sponte crimen confessus, ideoque suspensus est, liberato filio. » Quid mirum? David rex sanctus audiens mortem Absalomi filii sui, licet persecutoris et parricidæ, inconsolabiliter ejulans exclamabat : « Fili mi Absalom, Absalom fili mi : quis mihi tribuat ut moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom? » lib. II *Reg.* cap. XVIII, 33, nimirum, ut canit Poeta :

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Quin et bestiæ.

Hoc ita verum est in homine, ut idem pariter natura inseverit animalibus cunctis. Nam, ut ait S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* cap. IV : « Natura hoc bestiis infundit, ut catulos proprios ament, fetus suos diligant. » Et mox : « Quæ fera pro catulis non ipsa potissimum se offerat morti? Quæ fera suos, innumeris licet obsessa cuneis armatorum, non suis visceribus tegat? ingruat licet telorum seges, illa tamen parvulos suos muro sui corporis septos immunes præstat periculi. » Idipsum inductione et exemplis singularum ferarum demonstrat Philostratus, lib. II, cap. VII *Vitæ Apollonii Tyanei* : « Nam elephantes flumen Indum transeuntes, suos pullos deferunt, vinculis, ne forte cadant, eos complexi. Ursi, licet feritate cæteras belluas superent, pro catulis tamen omnia faciunt. Itidem quoque faciunt lupi, rapinis tamen intenti; femina enim partus custodit, masculus autem pro catulorum salute cibos ad ipsam defert. Idem etiam pantheræ faciunt, quæ propter caliditatem matres fieri gaudent, et tunc maribus dominari volunt ac domui præsidere : mares vero patienter omnia sustinent propter catulorum amorem. » Et mox : « Tigris quoque insigni crudelitate animal, ad naves usque procedit, catulorum repetundorum gratia, illisque receptis cum gaudio abit : quod si, catulis ablatis, abeuntem navem aspiciat, mœsta in littore ululat, quandoque etiam ob doloris magnitudinem moritur. Aves quoque videmus pullorum causa multa facientes, velut aquilas et ciconias, quæ nunquam nidos exstruunt quin lapides illis imponant. Hæc quidem a se aquilinum vocatum, illa vero lychniten appellatum, propterea quod facem adhibent, ut ova fœtum producant, et serpentes nidis

Probatur exemplis.

non appropinquent. Quod si maritimas etiam belluas consideremus, nemo admirabitur delphines suapte natura benignos, amare suos fœtus. Balænas autem et phocas et cætera, quæ fœtus viventes edunt, nemo contra non admirabitur. Cum ego, inquit, in Ægis insula viderim phocam a piscatoribus comprehensam, mortuum filium, quem in carcere (ut sic dicam) pepererat, ita deplorare, ut triduo a cibis abstinuerit, quamvis omnium belluarum voracissima sit. Balæna autem faucibus filios abscondit, si quando majorem belluam fugere eos contigerit. Vipera etiam visa est serpentes, quos peperit, lingua lambere et quasi expolire. » Cumque Damis, cui Apollonius hæc recitarat, ex his laudare se diceret illud Euripidis : « Omnibus profecto hominibus filii sunt anima, » confestim subjunxit Apollonius, id sibi scite et sapienter dictum videri, sed verius multo et sapientius Euripidem dixisse, si de omnibus animalibus eamdem protulisset sententiam in hunc modum. « Cunctis animalibus filii sunt anima. » Hæc Philostratus.

Cur? Ratio est, quod filius sit portio corporis patris, ut ait Aristoteles lib. V *Ethic.* cap. v. Pater ergo filium quasi sui partem, eamque meliorem, ideoque sibi superstitem plus seipso diligit. Imo pater et filius sunt tanquam unum corpus, unaque persona : hinc quod unus possidet, alter possidere censetur, ut aiunt Jurisconsulti, et inter eos Tiraquellus loco citato, num. 15. Unde apud Saxonem, in *Histor. Danica,* lib. VII, dicit Sinaldus, suos ipsius liberos a se non esse diversos, sequeac filios unius hominis loco esse censendos, quibus velut unum corpus a natura tributum videatur. Et Paulus Castrensis, cons. 264, incip. *In præsenti causa,* col. 3, lib. II, carnem filii ait esse velut carnem patris auctam : ita quidem ut, licet efficiatur novus homo propter novam animam, non tamen dicatur primus homo omnino exstinctus post mortem ipsius. Nam, ut ait Siracides, « similem reliquit sibi post se. » Hinc et S. Paulus Onesimum, quem in vinculis Christo genuerat, vocat « viscera sua, » epist. *ad Philemon.* vers. 12 : « Tu, inquit, illum ut mea viscera suscipe. » Ubi S. Hieronymus : « Liberos, inquit, appellat viscera parentum. »

Agni concolores arieti generanti. Huc facit quod scribit Aristoteles, lib. VI *Histor. animal.* cap. XIX, agnos esse similes et concolores venæ, quæ est sub lingua arietis, a quo generantur. « Candidi, inquit, nigrive efficiuntur fœtus, si sub lingua arietis venæ nigræ aut candidæ habentur; cujus enim coloris sunt venæ, ejusdem et vellus est; varium etiam, si plures venarum colores sunt. » Idem, Aristotelem de more secutus, tradit Plinius, lib. VIII, cap. XLVII. Quo symbolo significavit natura vel potius Deus, naturæ auctor, bonum malumque colorem moralem (hoc est, virtutem et vitium) filiorum pendere ex institutione patris, quæ lingua sit. Hinc et ursi informem partum lingua formant, ait Plinius, lib. VIII, cap. XXVI; unde S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* cap. IV : « Ursa, inquit, partus suos ad sui effingit similitudinem : tu filios tuos instituere similes tui non potes! » Hac de causa Elisæus ursos immisit in pueros male educatos, sibique illudentes : « Ascende, calve; » ut parentes, qui ursos in filiorum efformatione imitari neglexerunt, eorumdem filiorum per ursos, velut lictores, laniatione puniret.

Mystice S. Augustinus, tract. 9 *Contra Judæos, Paganos et Arian.*, hæc verba accipit de Christo, eaque torquet contra Arianos dicentes : « Major est Pater, minor est Filius. » « Has contumelias, inquit, nec homo quilibet sapiens libenter accipiat, qui filium meliorem seipso, aut parem habere contendit. Unde illud dictum propheticum : Lætatus est pater in filio sapiente : in vita sua vidit, et in obitu non est contristatus : mortuus enim est pater, et tanquam non sit mortuus. Quare non est mortuus? similem enim reliquit pro se. Ecce Propheta dicit sapientem filium hominis esse similem patri; et tu, hæretice, audes dicere ipsam Sapientiam, Dei Filium, Patri esse dissimilem! Propheta dicit mortuum hominem patrem, in eo quod filium similem reliquit, vivere in filio : et tu audes ipsam sempiternam vitam, quæ est Dei Filius, separare ab illo qui nunquam moritur Patre! »

Vers. 5 et 6. 5 et 6. IN VITA SUA VIDIT, ET LÆTATUS EST IN ILLO : IN OBITU SUO NON EST CONTRISTATUS, NEC CONFUSUS EST CORAM INIMICIS. RELIQUIT ENIM DEFENSOREM DOMUS CONTRA INIMICOS, ET AMICIS REDDENTEM GRATIAM. — Idem inculcat et exaggerat, scilicet perenne tum in vita, tum post mortem patri fore decus et gaudium ex filio bene instituto : eo quod ille domum sit defensurus contra inimicos, et amicis gratiam repensurus : quæ duo morituri maxime solent desiderare. Unde de talibus filiis canit Psaltes, *Psalm.* CXXVI : « Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta, » id est in judicio : hoc enim olim peragebatur in portis urbium, ut libere exteri ad illud accedere possent. Tigurina vertit : *Vivus eum vidit, eoque lætatus est, et in morte sua non contristatus, nec pudore affectus coram inimicis. Adversus inimicos reliquit vindicem, et redditurum gratiam amicis.* Hæc veriora sunt in patribus et filiis spiritalibus tanto, quanto parentes animarum præstant parentibus corporum; hi in hora mortis et die judicii non confundentur coram inimicis : scilicet dæmonibus, de neglecta filiorum educatione et salute; sed Christo, B. Virgini et Sanctis gratias agendo, exsultabunt de eorum cura æque ac probitate. Ergo, inquit Palacius, si nulla ratio ad pietatem nos provocare posset, hæc una deberet, ut scilicet, Christus olim mortuus vivat in nobis, et qui nos viderit, se Christum videre putet, juxta illud Pauli : « Glorificate et portate Deum in corpore vestro, » I *Corinth.* cap. VI, 20. Porro Syrus vertit : *In vita sua vidit eum, et lætatus est : et*

in morte ejus (vel potius *sua*) *non tædet eum. Amicis ejus reddit gratiam, et de hostibus sumit vindictam.*

Gloria patris similis lucernæ, cur?

Hac de causa, gloria filiorum in Scripturis comparatur lucernæ, quia sicut lucerna una ex alia accenditur, sic gloria filii resplendet ex gloria patris. Rursum, sicut lucerna continuo per partes sibi invicem jugiter succedentes ardet, ut eadem semper videatur esse lux : sic gloria familiæ per filios sibi succedentes perdurat, ut videatur idem esse homo œconomicus. Sic Salomon fuit lucerna Davidis, lib. III *Reg.* cap. XI, 36. Porro sicut lucernæ lux alitur oleo, quod tunditur ex oleis immaturis, teste Plinio, lib. XV, cap. III, sic gloria filii manat ex educatione et disciplina, quæ illi adhibetur a puero, antequam ad maturam perveniat ætatem, cum flecti nequit. Hoc est, quod ait Psaltes, *Psalm.* CXXVII : « Filii tui sicut novellæ olivarum (teneræ et immaturæ, tumque tundendæ et disciplina premendæ), in circuitu mensæ tuæ. » De symbolo lucernæ plura dicam *Proverb.* XX, 20. Interim vide nostrum Martinum de Roa, lib. II *Singular.* cap. XVI et seq.

Vers. 7. 7. PRO ANIMABUS FILIORUM COLLIGABIT VULNERA SUA, ET SUPER OMNEM VOCEM TURBABUNTUR VISCERA EJUS. — Triplex hic in Græcis est lectio : Complutenses enim legunt περιψήκων υἱόν, id est *abstergens* vel *abradens filium*; Romani vero legunt περιψύχων υἱόν, per υ, id est *refrigerans filium*; Noster vero et alii per diæresin, vel potius dialysin, legunt περὶ ψυχῶν υἱῶν, id est *pro animabus filiorum*. Juxta primam lectionem sic vertas : *Qui filium suum abstergit* vel *abradit*, sicut lixivio defricantur et abraduntur maculæ e panno, ac lima abraditur ærugo ab auro, aut sicut pectine abraduntur furfures e capite, vel paleæ et stipites e lino dum pectine carminatur, *q. d.* Qui pectinat vel carminat filium, hoc est, qui eum corripit et castigat, « hic colligabit » et curabit « vulnera sua, » vel « illius, » hoc est, medebitur morbis animi filii, æque ac suis angoribus et doloribus; quos alioqui conciperet ex pravis moribus actibusque filii. Unde Tigurina vertit : *Qui mansuefacit filium, vulnera ipsius alligat et facit, ut ad vocem omnem expavescat medullitus*, ut, sicut equi fremunt flectuntque se ad vocem aurigæ, sic filius ad omnem patris vel monitorum vocem tremat, seque inflectat.

Juxta secundam lectionem sic vertas : *Refocillans filium obligabit vulnera ipsius, et ad omnem clamorem turbantur viscera ejus, q. d.* Qui nimis lenis est et indulgens erga filium, ut non audeat eum castigare, hic postea cogitur vulnera ipsius in rixa vel aliunde contracta obligare, atque in perpetua cura et anxietate, ne quid triste et funestum filio obveniat, versari; adeo ut ad omnem clamorem turbetur, timens, ne clamor ille contra filium, vel de filio ejus vulnerato vel occiso sit excitatus. Huic expositioni favet Syrus : *Qui*, inquit, *voluptuarium facit filium suum, multiplicabuntur vulnera ejus, et ad omnem ululatum levabit cor suum.*

Juxta tertiam lectionem, quæ nostræ Vulgatæ est, sic, *primo*, exponit Rabanus, et ex eo Glossa ac Lyranus, *q. d.* Pater sinet se vulnerari, « suaque vulnera colligabit pro anima, » id est vita et salute filiorum. Sic Paulus scribit Corinthiis suis in Christo filiis, II *Corinth.* XII, 15 : « Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris : licet plus vos diligens, minus diligar. »

Secundo, melius Palacius, *q. d.* Pater nihil verebitur filios vulnerare, eorumque vulnera colligare, cum id necesse erit ut eorum animas salvet, ac ita eos erudire, ut ad patris vocem eorum viscera tremant. Pro *sua* enim græce est αὐτοῦ, quod tam *sua* quam *ipsius* significat; Noster legit αὐτῶν in plurali, id est *ipsorum*, scilicet filiorum.

Tertio, idem Palacius, *q. d.* Pater non sit trux et sævus in filium : sed si contingat eum flagellare et vulnerare pro ejus anima et vita, mox ejus vulnera colligabit et curabit, et ad omnem vocem planctus filii patris viscera turbabuntur. Ergo pater admonetur ut vulneret filium, sed benigne et clementer.

Quarto, Jansenius, *q. d.* Bonus pater « vulnera, » quæ et ipse in se frequenter suscipit et sentit, « pro animabus filiorum suorum, » dum scilicet in animo suo sæpe dolet, pro eis sollicitus est : hæc, inquam, vulnera sua ipse studebit colligare et curare, per disciplinam sollicite eis adhibitam; et cum indebito modo eos quid dicere vel clamare contigerit, ad « omnem » eorum « vocem (græce βοή, id est clamorem) turbabuntur viscera ejus, » hoc est, non dissimulabit, nec negligens erit, sed toto animo commovebitur sollicitus de correctione.

Quinto, plane et facile sic exponas, *q. d.* Bonus pater « pro animabus, » id est, ut salvet animas filiorum, « colligabit vulnera sua, » id est « illorum, » scilicet filiorum, hoc est vulnera animæ, puta peccata et vitia filiorum curare et sanare conabitur; « et super omnem vocem, » id est rumorem de filiorum scelere vel improbitate sparsum, commovebuntur et « turbabuntur viscera ejus, » ideoque malo mederi totis viribus sataget.

Symbolice noster Pineda, lib. I *De Rebus Salomon.* cap. XV, hanc Siracidis sententiam explicat de cura quæ infanti impenditur a parentibus. Quid enim, inquit, est frequens illa involvendi, evolvendi, ligandi, solvendi puerum cura et quotidiana repetitio, quam colligatio quædam et quasi curatio naturæ vulnerum, id est incredibilis cujusdam infirmitatis et imbecillitatis? Quid aliud illa conturbatio viscerum ad omnem vocem pueri, quam ad omnem vagitum et lacrymulam parvuli parentum commotio, perturbatio, dolor, confusio? Quod si primam etiam hujus sententiæ partem ex Græco legas : *Refrigerans filium*, sive

molliter tractans, sive abstergens; in infantiles sordes, et curam molliter tractandi infantilia membra recte convenit : ut opportune, æque ac verissime dictum sit Salomonem nutritum curis magnis.

Vers. 8. 8. EQUUS INDOMITUS EVADIT DURUS, ET FILIUS REMISSUS (græce ἀνειμένος, id est *sibi relictus*, carens freno disciplinæ, dissolutus) EVADET PRÆCEPS. — Græce προαλής, id est προπετής, hoc est prosiliens, procax, effrenatus, citus, præproperus, temerarius, præceps, effusus, protervus, projectus, petulans, insolens, audax, impudens, contumax, improbus. Unde Tigurina vertit : *Equus indomitus evadet intractabilis, et filius dissolutus pervicaciam induet;* alii : *Equus, qui non domatur, evadit sævus* (uti videmus Romæ equos, quos vocant barbaros, antequam domentur, adeo freni et sessoris impatientes, ut eum excutiant, vel in fossas præcipitent, et obvios quosque proterant) : *et filius sibi relictus fit protervus;* Syrus : *Sicut pullus equinus effrenis, ita filius protervus, qui non obedit patri suo.* Nam, ut explicat Rabanus : « Sicut superbia equi indomiti in præcipitium prona est, ita lascivia filii indisciplinati in peccati ruinam proxima est. » Palacius : Si juvenci, inquit, petulantiam freno non domueris, durum et intractabilem eum invenies : ita si filium voluntati suæ dimiseris, in omnia vitia se præcipitabit. Optime Jansenius : Sicut, inquit, equus qui frenis et calcaribus in juventute non domatur, a sua naturali ferocia et petulantia evadit durus et intractabilis : ita filius, qui in juventute solutus est a disciplina et castigatione, et dimittitur suæ naturali petulantiæ, evadit præceps, temerarius et audax ad omnia vitia, ita ut ab eis non facile postea revocari possit. Significat ergo, quod, quemadmodum equi frenis calcaribusque domantur, et tractabiles efficiuntur; ita pueri atque adolescentes optimis gravissimisque institutis, moribus, studiis, atque etiam verberibus ad modestiam et obedientiam sunt conformandi, juxta dogma Aristotelis, lib. III *Ethic.* cap. XII : « Quod turpia appetit, inquit, incrementumque magnum accipit, castigandum est ac temperandum : hujusmodi autem maxime est cupiditas et puer. » Hinc mystice S. Thomas, II II, *Quæst.* CXLII, art. 2 : « Concupiscentia, inquit, assimilatur puero quoad tria. *Primo* quidem, quantum ad id quod uterque appetit; sicut enim puer, ita et concupiscentia appetit aliquid turpe : cujus ratio est, quia pulchrum in rebus humanis attenditur prout aliquid est ordinatum secundum rationem. Unde Tullius, *De Offic.* lib. I, cap. *De Temperantia*, aliquantulum a principio : Pulchrum est, quod consentaneum est hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differt. Puer autem non attendit ad ordinem rationis, et similiter concupiscentia non audit rationem, ut dicitur lib. VII *Ethic.* cap. VI, circa principio. *Secundo*, conveniunt quantum ad eventum. Puer enim, si suæ voluntati dimittatur, crescit in propria voluntate. Unde *Eccli.* XXX dicitur : Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet præceps : ita etiam et concupiscentia, si ei satisfiat, majus robur accipit. Unde Augustinus dicit in VII *Confess.* : Dum servitur libidini, facta est consuetudo; et, dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. *Tertio*, quantum ad remedium, quod utrique præbetur. Puer enim emendatur per hoc quod coercetur; unde dicitur *Proverb.* cap. XXIII : Noli subtrahere a puero disciplinam, tu virga percuties eum, et animam ejus ab inferno liberabis. Et similiter dum concupiscentiæ resistitur, reducitur ad debitum honestatis modum. Et hoc est quod Augustinus dicit in lib. VII *Musicæ*, cap. XI : Quod mente ad spiritualia suspensa, atque ibi infixa et manente, consuetudinis, scilicet carnalis concupiscentiæ, impetus frangitur, et paulatim repressus exstinguitur. Major enim erat cum sequeremur; non omnino nullus, sed certe minor, cum refrenamus. Et ideo Philosophus dicit in III *Ethic.* cap. ult. in fin., quod, quemadmodum puerum oportet secundum præceptum pædagogi vivere, sic et concupiscibile consonare rationi. »

Concupiscentia similis puero quoad tria. Primo, Secundo. Tertio.

Hinc hieroglyphicum juvenis et juventutis, ejusque effrenis concupiscentiæ et temeritatis est hoc : pingitur adolescens equo indomito insidens, a quo in omnes partes raptatur et jactatur. Huic occurrit quidam, quærens quo tam præceps abeat? respondet eques, equum demonstrans : « Quo isti lubet. » Nimirum equus effrenis est concupiscentia, eques est juvenis concupiscens, qui a concupiscentia sua in varia tum scelera, tum pericula abripitur. Si roges eum : Quo pergis? respondebit : « Quo concupiscentia me rapit. » Hæc est enim equus indomitus, vel onager ferus, juxta illud *Jerem.* II, 24 : « Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui (Septuaginta, *in desideriis animæ suæ spiritu portabatur*, quasi impos sui), nullus avertet eum. »

Hieroglyphicum juventutis.

Præclare S. Chrysostomus in *Psal.* VI, sub finem : « Furentem, inquit, equum nisi quis cito represserit, cito peribit. Medici venenum serpens et dimanans, maxima celeritate, ne ulterius progrediatur, sistunt, ejus vitium incidentes. Hoc autem nos quoque faciamus, et quod in nobis est, vitium maxima celeritate reprimamus, ne ulterius progrediens morbum augeat. » Et post nonnulla : « Judas si pecuniæ amorem coercuisset, non venisset ad sacrilegium; si illud compressisset, non ad colophonem malorum prosiluisset. Et ideo Christus non solum fornicationem et adulterium, sed impudicum etiam obtutum reprimit, radicem ab imo evellens, ut facilius possit superari vitium. » Plura de puerorum disciplina dicam tomo proximo *Proverb.* cap. XXII, vers. 15, et cap. XXIII, vers. 13.

Exemplum est in Themistocle, qui quoniam adolescens feroci mutabilique ingenio videbatur, mirantibus mutatos mores dicere solebat : « As-

peros et indomitos pullos in optimos equos evadere, si quis aliis adhibeat disciplinam, rectamque institutionem. » Ita Plutarchus in *Lacon.*

Vers. 9. 9. LACTA FILIUM, ET PAVENTEM TE FACIET : LUDE CUM EO, ET CONTRISTABIT TE. — Pro *lacta* græce est τιθήνησον, id est *nutricare*, lacta, ciba, mammam præbe instar nutricis : τιτθοί enim sunt mammæ, et τιθηνός est nutrix. Rursum pro *paventem te faciet*, græce est, ἐκβαμβήσει σε, id est *stuperfaciet te*, obstupescere faciet te. Unde Tigurina vertit : *Lactes filium, territabit te; ludas cum eo, te contristabit;* Syrus : *Erudi filium tuum, ne illudaris : et si corriseris ei, vexabit te;* alii germanius et nervosius : *Nutricare filium, et stupore attonito percellet te : collude cum eo, et dolore afficiet te.* Est ironia, quasi dicat : O pater, o mater, quæ filium jam ablactatum et grandescentem nimis tenere amas, pascis et tractas quasi adhuc infans esset, pergito, si lubet, illum quasi infantem molliter lactare, et indulgere omnia quæ petit : sed scito, quod mox timore tui excusso, teipsum faciet timentem, imo sua audacia et contumacia obstupescere faciet te, reddetque attonitum, ut et tibi et illi magnum aliquod malum obventurum jure metuas. Collude illi, blandire illi, et dissuaviare cum illo, uti prius, cum infans esset : sed scito, quod impudens effectus, spernet te, ridebit te, affliget et contristabit te. Sicut enim infantia tenera et innocens, dolique et mali expers eget lactatione blandaque educatione : sic vicissim pueritia succedens infantiæ, jam doli, superbiæ et proterviæ capax, imo obnoxia, gravem seriamque poscit educationem, et lasciviæ puerili scastigationem : quare necesse est parentes graviter et severe cum eis agere, ut sui reverentiam et metum eis incutiant.

Vers. 10. 10. NON CORRIDEAS ILLI, NE DOLEAS (Complutenses, *ne condoleas*), ET IN NOVISSIMO OBSTUPESCENT DENTES TUI, — *q. d.* Filio ridenti non corride, sed gravem exhibe vultum, ne risus tuus et illius in dolorem vertatur, dum videbis eum ex tuo risu et indulgentia te negligere, et agere quidquid lubet, tibique et sibi gravis mali periculum creare : quare in fine « obstupescent dentes tui, » ut, sicut dentes stupidi ex cibo non voluptatem, sed dolorem sentiunt, sic pariter tu ex filio insolente et rebelli dolorem ingentem concipias, adeo ut præ dolore obmutescas, et fias quasi stupidus; itaque risus tuus vertatur in stridorem et dolorem. Græce est, γομφιάσεις τοῦς ὀδόντας σοῦ : quod *secundo*, sic vertas cum Tigurina : *Tandemque dentibus tuis infrendeas, q. d.* Ne indigneris et fremas ob improbitatem filii, obque nimiam tuam in eum indulgentiam.

Noster melius vertit, « obstupescent; » alludit enim ad stuporem dentium ex esu rei delectabilis, *q. d.* Sicut qui avide comedit rem acidam, quæ acore suo palatum proritat et acuit, tunc quidem gaudet, postea vero sentit dentium stuporem : ita si filio corrideas, tunc quidem ridebis, sed risum postea lues dolore : obstupesces enim ad tantam filii proterviam et pervicaciam : ac sicuti ei, cui stupent dentes, nihil est sapidum; sic tibi, o pater, nihil in vita sapidum, nihil dulce, nihil jucundum et lætum continget, sed infinitæ occurrent molestiæ, dolores et mœrores, si filium nimia enutriveris indulgentia. Sic et Syrus vertit : *Ne incedas cum eo secundum voluntatem ejus, ne ad iram concitet te, et in novissimo obstupescere faciat dentes tuos.* Ita Palacius. Similis est gnome Salomonis : « Liberis ne arrideas, ut in posterum non fleas. »

Huc facit proverbium Arabicum, *Cent.* II, num. 4 : « Collusio sive jocus aufert reverentiam. » Quod Itali dicunt : *Baldezza di padrone, capello di matto.* Et num. 5 : « Ne lude cum optimate, ne irascatur tibi; neque cum infimate, ne abutatur te, *vel* audeat super te. »

Pater misceat gravitatem lenitati.

Exemplum gravitatis paternæ sit S. Job, qui tam serio graviterque cum liberis suis agebat, ut etiam cum rideret interdum, ridere non crederetur : « Si quando, inquit cap. XXIX, ridebam ad eos, non credebant. » Ubi S. Gregorius, lib. XX *Moral.* cap. III : « Qui præest, ait, debet et arridens timeri, et iratus amari; ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. » Et cap. VIII : « Miscenda est ergo severitas cum lenitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul ac manna est, quia cum Scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sic et manna dulcedinis. Hinc etiam David ait : Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim percutimur, et baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit et consolatio baculi quæ sustentet : sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, non immoderate sæviens; sit pietas, sed non plusquam expediat parcens. »

Vers. 11. 11. NON DES ILLI POTESTATEM IN JUVENTUTE, ET NE DESPICIAS COGITATUS ILLIUS. — Pro *potestatem* græce est ἐξουσίαν, id est libertatem, licentiam, potestatem agendi et dicendi quæ velit, quæque libent. Pro *cogitatus* Noster legit ἐννοίας, id est cogitationes, notiones, intentiones, sensa, conceptus, quæ scilicet animo voluit, cogitat, intendit, destinat, optat, vult, molitur. Jam legunt vicina voce ἀγνοίας, id est ignorantias, id est errores, vitia et peccata, quibus scatet pueritia. Unde Tigurina vertit : *Ne indulgeas ei juveni licentiam, nec ad imperite facta ejus conniveas;* Syrus : *Ne condones ei omnia vitia ejus.* Sensus est, *q. d.* Ne permittas juveni potestatem agendi quod lubet, ut suo jure vivat, suo marte agat, quasi herus et dominus a nullo dependens, nulli subjectus, nullius directioni et correctioni obnoxius : « et ne despicias, » id est, ne negligas corrigere et dirigere « cogitatus

illius,» *q. d.* Scrutare et explora diligenter quid cogitet, ut inde ejus indolem animique sensa et propensiones perspicias, easque, si pravæ sint, reseces et corrigas; sin bonæ, secundes et dirigas. Nisi enim in juventute eas flexeris, adolescent, indurescent, fientque inflexibiles et incorrigibiles : perinde ac arbor, dum tenera est, flectenda et dirigenda est : si enim adoleverit, flecti dirigique se non sinet.

Vers. 12. 12. CURVA CERVICEM EJUS IN JUVENTUTE, ET TUNDE (græce θλάσον, id est *frange* : ita Complutenses, *collide, tunde*) LATERA EJUS DUM INFANS (græce νήπιος, id est *infans* vel *puer*, qui necdum sapit : unde Complutenses vertunt, *dum est parvus*) EST, NE FORTE INDURET, ET NON CREDAT TIBI, ET ERIT TIBI DOLOR ANIMÆ. — Tigurina : *Inflecte cervicem* (alii, *collum*) *adhuc juveni, et dum puer est, tunde latera ipsius, ne forte obdurescens nolit parere tibi, animæque tuæ dolorem afferat.* Nam pro *non credat tibi*, græce est ἀπειθήσῃ, quod *secundo*, vertas *diffidat tibi; tertio*, vertas, *inobediens tibi*, vel *contumax fiat in te*; Syrus : *Curva collum ejus, quamdiu est adolescens; et scinde lumbos ejus, quamdiu est parvus, ne robustus fiat, et proterviat contra te.*

Monet (ut recte Jansenius) curvare cervicem, et tundere latera, quod in his duabus partibus corporis superbia et petulantia magis vigeat : in cervice, scilicet superbia, in lateribus petulantia. Nec vult caput fustibus aut percussionibus gravari, ne ingenium lædatur; sed eas partes vult premi, quarum repressio non obsit ingenio. Et cervicem quidem vult curvari velut oneribus impositis : latera vero tundi et percuti, velut virgis et flagellis, quibus latera puerorum peti solent : significans et superbiam castigationibus atque increpationibus esse reprimendam, et petulantiam atque stultitiam virga disciplinæ expellendam, juxta illud : « Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam. »

IN JUVENTUTE, — ætate scilicet tenera et adhuc flexibili, vult curvari cervicem; quia postea cervix jam indurata potius frangenda esset, quam curvari posset : sicut ramus tener flexilis est, sed grandævus inflexilis, ut, si eum flectere velis, frangas. Quod Belgæ hoc proverbio significanter exprimunt : « Filii, dum pueri sunt, parentibus afferunt capitis dolorem; dum adoleverint, cordis dolorem. » Paulo aliter Palacius : refert enim hæc *ad* fugam otii, et amplexum laboris, *q. d.* Qui otio indulget, recta cervice incedit : tu ergo filium operi et labori addicito, ut cervicem in opus curvam habeat. Tum vero nares ejus ab infantia (id est a secundo et tertio ætatis anno) percute, ne forte ab ea ætate durus tibi fiat, et dolorem animæ inferat. Hæc Palacius. Siracidi concinit Ben-Sira, *alphabet.*, littera *daleth* : « Aurum, » inquit, tundi debet, et puer verberari; vel, « Aurum indiget percussionis, et puer verberationis, » *q. d.* Si ferulæ parcas, puer fit nequam et inutilis, perinde ut aurum minus utile existit, nisi malleatione formam sibi congruam accipiat. Scholiastes sic explicat : « Sicut aurum, si illud tundas, magis fulget : sic puer, si eum verberes, fit melior. » Nam ut argilla, ita tenera ætas in quamcumque partem ducas, sequitur : at ubi obduruit ingenium, haud facile in aliam reflngitur formam. Hæc ergo castigatio amoris est, non odii. Unde Salomon, *Proverb.* XIII, 24 : « Qui parcit virgæ, inquit, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit; » Hebraice, *diluculo quærit ei castigationem*; Scholiastes, *adhibet ei disciplinam.*

Castigandajuventus.

Porro castigationis effectus *primus* est sapientia. Audi Salomonem, *Proverb.* XXIX, 15 : « Virga atque correptio tribuit sapientiam : puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem. » *Secundus* est, gaudium. Audi eumdem ibidem vers. 17 : « Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ. » *Tertius* est liberatio a gehenna, et salus æterna. Audi eumdem cap. XXIII, 14 : « Tu virga percuties eum : et animam ejus de inferno liberabis. »

Castigationis effectus.

Vers. 13. 13. DOCE (græce παίδευσον, id est *corripe, institue, erudi, castiga*) FILIUM TUUM, ET OPERARE IN ILLO, NE IN TURPITUDINEM ILLIUS OFFENDAS, — *q. d.* Operam omnem illi recte instituendo nava, ne « offendas, » impingas, confundaris et tristeris « in ejus turpitudine, » id est dedecore, quod alioqui sibi permissus committet, indeque infamia et contumelia, quam incurret tum ipse, tum tu, o pater. Syrus : *Contritionem animæ doce filium tuum, et aggravaillum, ne forte in insipientiis suis offendere faciat te*; Tigurina : *Erudi filium tuum, et elabora in hoc, ut ne ignominia ejus tibi sit offensioni*; alii : *Castiga filium tuum, eumque in opere faciendo exerce, ne in turpitudinem ejus impingas*, Codices Græci Romæ emendati legunt, *ne in turpitudinem tuam*, id est ad ignominiam tuam, *offendat*, vel impingat in aliquod dedecus, vitium aut scelus. Audi Palacium : Ut qui in agro aut vinea sua diligentem operam collocat, evadit pauperiem : ita, si in filio tuo operam navaris strenuam, filium a turpitudine liberas, et te, ne ab ea offendaris, eripies.

Lector, intellige hæc esse præcepta moralia, quæ ut plurimum vera sunt. Sunt enim filii, ut plurimum natura petulantiore, ac ita quæ disciplinam requirat asperiorem : non negamus tamen filios quosdam nasci, qui tantam exactionem minime requirant.

Pater filios instruat exemplo magis quam verbo.

Porro pater filium doceat tum verbo, tum verbere, tum maxime exemplo. Verum enim est illud Hebræorum proverbium : « Ovis ovem sequitur, et filius patrem imitando consectatur. » Nota : Τὸ *operare* significat ingentem curam, studium et laborem a patre adhibendum in educatione filiorum : hoc enim opus est summi momenti, utpote a quo salus familiæ et subinde reipublicæ dependet. Quocirca Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti Septuaginta Interpretibus singulis singulas proponens quæstiones ethicas vel politicas, hanc

quadragesimo primo proposuit: «Quæ sit maxima negligentia? » Cui ille : « Si quis filiorum, inquit, negligens fuerit, eosque nulla in re erudiat. Deo enim semper vota non pro nobis tantum concipimus, quantum precamur ut et liberis nostris bona cuncta adsint, eruditionem et prudentiam impartiatur. Nam id Dei virtute evenit.» Ita refert Aristæas in *Histor.* Septuaginta Interpretum (quæ exstat tom. VII *Biblioth. SS. Patrum*), quibus coævus fuit noster Siracides, imo unus ex illis, si credimus Jansenio.

Filii heroum degeneres, cur?

Hac de causa videmus filios magnorum virorum sæpe ab indole et virtute parentum degenerare, juxta illud : « Heroum filii noxæ; » quia scilicet viri magni rebus magnis rempublicam concernentibus occupati, educationem filiorum negligunt, eamque aliis committunt; ac filii parentum virtute et gloria superbi, disciplinam et castigationem non admittunt. Unde Carneades dictitabat : « Divitum ac regum filios nihil recte discere, præterquam equitare, » teste Laertio, lib. IV, cap. IX. Audi Spartianum in *Vita Severi Imperaris* : « Constat neminem prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse : » citatque exempla Ciceronis, Augusti, Scipionis, Catonis, Trajani et aliorum; quin et vulgo dicitur : « Ex sapientissimis parentibus stultissimos propagari liberos, ex stultis vero sapientes. » Cujus rei aliam quoque causam physicam dat Alexander Aphrodisæus, lib. I *Problem.* cap. XXVI, et ex eo Tiraquellus, leg. XV *Connub.* num. 154, nimirum quod stulti toti incumbant generationi, ideoque optimos et perfectissimos spiritus in prolem effundant : sapientes vero sapientibus cogitationibus occupati et distracti, dimidios tantum se dent generationi, ideoque terrestrem tantum spirituum partem proli communicent.

Exempla.

Appositum, sed horrendum, est exemplum, quod refert Auctor serm. *ad Fratres in Eremo*, qui exstat tom. X. S. Augustinus, serm. 33 *De Cyrillo cive Hipponensi* : « Cyrillus, inquit, filium, ut scitis, habebat, et eum unicum possidebat : et quia unicus erat, eum superflue diligebat et supra Deum. Ideo superfluo amore inebriatus, filium corrigere negligebat, dans etiam potestatem faciendi omnia quæ placita essent illi. » Et mox : « Filius luxuriose vivendo, consumpsit partem bonorum suorum : sed ecce hodie ebrietatem perpessus, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, et duas sorores vulneravit ad mortem. »

Quid decendi filii?

Huc facit illud anonymi, qui accusatus quod patrem pulsasset, hoc modo impium facinus defendit : « Et ille, inquit, patrem suum verberavit, et hic (ostenso filio) me verberabit, postquam adoleverit : adeo nobis hoc gentilitium est. » Sic videmus male educatos a parentibus male educare liberos, ac proinde impios esse in parentes, ideoque impios in se experiri filios. Ælianus, lib. XII *Variæ Histor.*, narrat Diogenem inertiam Megarensium culpasse ac dixisse : « Malim esse Megarensis alicujus aries quam filius; » innuens Megarenses pecoris majorem curam gerere, meliusque illud educare quam filios.

Porro quæ et qualia parentes docere debeant filios et filias, sapienter et pie docet S. Hieronymus, epist. 7 *ad Lætam, de Instit. filiæ* : « Sic, ait, erudienda est anima, quæ futura est templum Dei : nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet : turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur; procul sit ætas lasciva puerorum : ipsæ puellæ et pedissequæ a sæcularibus consortiis arceantur; ne, quod male didicerunt, pejus doceant. » Et paulo post : « Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Græca narrat historia Alexandrum, potentissimum regem orbisque domitorem, et in moribus et in incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuerat infectus. »

Denique severæ educationis filiorum exempla animalium proponit S. Ambrosius. *Primo*, accipitres, qui pullos cum volare incipiunt, inquit lib. V *Hexam.* cap. XVIII, « nidis ejiciunt, ac si morentur, propulsant pennis atque præcipitant, verberant alis, cogunt audere quod trepidant, nec ullum postea deferunt his munus alimoniæ. » Rationem subdit : « A tenero pullos suos instituere videntur ad prædam; » quia prædando vivere debent. « Cavent, ne in tenera ætate pigrescant, ne solvantur deliciis, ne marcescant otio, ne discant cibum magis exspectare quam quærere : intermittunt nutriendi officia, ut in usus rapiendi audere compellant. » *Secundo*, cap. XVII, assignat hirundines, quæ pullos exercentes sua norunt oculare chelidonia, ut ait Tertullianus. *Tertio*, lib. IV, cap. VI, assignat ursas, quæ fœtus informes tamdiu lambunt, et lambendo radunt, donec eos ad sui similitudinem efforment : « Non miraris, ait, in fera tam pii oris officia, cujus naturam pietas exprimit? Ursa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem : tu filios tuos instituere similes tui non potes? » *Quarto*, aquila plumescentes pullos alis verberat, exemploque suo eos ad volandum provocat : sic parentes filios doceant probos mores exemplo magis quam verbo. Ita facit Deus, quem proinde aquilæ comparans Moses, *Deuter.* XXXII, 11 : « Sicut aquila, inquit, provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. » *Quinto*, cervæ « editos partus exercent cursu, et fugam meditari docent, ad prærupta ducunt, saltum demonstrant, » ait Plinius, lib. VIII, cap. XXXII. *Sexto*, philomelæ, teste Aristotele, lib. IV *Histor. animal.* cap. IX, præcinunt pullis, eosque docent modulos quos imitentur : audiunt pulli attente. In docente apparet quædam reprehensio, et in pullo discipulo erroris correctio.

Severe pullos educat accipiter:

Et hirundo:

Et ursa:

Et aquila:

Et cer

Et luscinia.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE BONO SANITATIS : UNDE GRÆCE INSCRIBITUR περὶ ὑγιείας, ID EST DE SANITATE.

Vers. 14. 14. MELIOR EST PAUPER SANUS, ET FORTIS VIRIBUS, QUAM DIVES IMBECILLIS ET FLAGELLATUS MALITIA. — « Melior, » id est potior, optabilior, præstantior, « est pauper sanus et fortis viribus, » græce ἰσχύων τῇ ἕξει, id est *valens habitudine*, puta robore corporis, quo possit laborando sibi parare victum, « quam dives imbecillis et flagellatus malitia, » id est percussus a Deo miseria, malaque habitudine sive infirmitate corporis. Hic enim in doloribus tristem agit vitam, nec suis opibus deliciari aut frui potest, cum pauperi omnia, licet vulgaria et vilia, sint sapidissima. Unde Græca habent : *Præstantior est pauper sanus et firma habitudine, divite qui corpus habet plagis affectum;* Tigurina : *Potior est pauper sanus et bene valens, quam dives affecto corpore;* Syrus : *Melior est pauper vivus et validus corpore suo, quam dives percussus in carne sua.* Dicit hoc Siracides, ut doceat felicitatem hominis non esse sitam in opibus, nec divites iis superbire posse, eo quod iis male sanis et delicatis (uti sæpe fit) præstantior et felicior sit pauper pollens sanitate et viribus. Quod thema multis deinceps prosequitur. Unde Palacius : Comparat, inquit, salutem corporis, quæ adeo a multis vili æstimatur, divitiis, quas tantopere mundus miratur et quærit. Dicit igitur multo magis præstare salutem cum pauperie, quam divitias cum languore, maxime si languor ut flagellum a Deo propter malitiam infligatur. Alioqui melior erat Job sine sua malitia flagellatus, quam pauperes alii, quantumvis valentibus viribus essent : sed Auctor ad regularia respexit; nec enim divites sine aliqua malitia esse solent. « Malitia » igitur hic proprie miseriam, afflictionem, infirmitatem significat : sed quia illa sæpe infligitur in pœnam culpæ et malitiæ proprie dictæ, hinc utraque hic accipi potest : ut « dives flagellatus malitia » sit dives, qui ob malitiam flagellatur morbis aliisque miseriis. Sic Christus ait : « Sufficit diei malitia, » id est afflictio, « sua, » *Matth.* VI.

Vers. 15. 15. SALUS ANIMÆ IN SANCTITATE JUSTITIÆ, MELIOR EST OMNI AURO ET ARGENTO; ET CORPUS VALIDUM, QUAM CENSUS IMMENSUS, — *q. d.* Sicut « salus animæ (quæ in sanctitate justitiæ consistit) melior est omni auro : » ita « corpus validum » melius est opibus immensis, *q. d.* Sanitas alia est animæ, alia corporis : utraque præstat opibus maximis, quia sanitas est bonum intrinsecum, itaque altioris ordinis quam sint opes, quæ extrinsecus tantum homini bonæ sunt, eique adjacent. Vocat *sanctitatem justitiæ*; quia est et sanctitas corporis, puta castitas et carnis, puta caro pura ab omni irregularitate et immunditia legali, *Hebr.* cap. IX, 13. Est et sanctitas rerum, puta victimarum, decimarum, primitiarum, aliarumque rerum Deo dicatarum. Hisce omnibus opponitur sanctitas justitiæ, quæ scilicet in justitia et observatione mandatorum Dei consistit. Τὸ *justitia* jam non est in Græco; sic enim habet : *Sanitas et bona habitudo* (Tigurina, *incolumitas*) *præstat omni auro; et valens corpus, opibus immensis;* Syrus : *Vita valida amabilior est auro; et spiritus bonus* (id est, lætus, hilaris, jucundus) *præ margaritis.*

Nota : Tria ingentia hominis bona sunt, sanitas, sanctitas et sapientia; sed difficile hæc tria coacervantur, ut in uno eodemque tria hæc eximia reperiantur. Multi enim sanitatem lædunt ob sanctitatem, quam quærunt per macerationem carnis; alii eam lædunt ob sapientiam, dum scilicet, nimio studio spiritus consumunt, ac stomachum caputque debilitant. Quare licet primum bonum sit sanctitas, secundum sapientia, tertium sanitas; tamen quoad usum et opem aliorum, præstat habere mediocrem sapientiam cum firma sanitate, quam magnam sapientiam cum infirma. Hic enim ea uti, eamque alios docere nequit. Sanctitas autem cum sanitate retineri potest, et a prudentibus discretisque retinetur : hi enim moderantur jejunia, aliasque corporis castigationes, magisque vacant internæ virtuti; puta charitati, humilitati, orationi, quieti, patientiæ, in quibus anima sanctitatis consistit. Hinc Thales rogatus : « Quis esset felix? » respondit : « Qui corpore sanus est, animo autem eruditus. » Ita Laertius, lib. I, cap. I. Talis fuit Moyses, de quo disserens S. Chrysostomus : « Corpori, inquit, frenum intendit, ut nec immodice stringendo equum sibi ad ministerium redderet inutilem, neque supra modum factus obesus, rursum erigeret sese adversus rationum habenas; sed simul et sanitatis illius, et malæ rationis curam habuit. » Maximus, *serm.* 27, citat Democritum dicentem : « Homines precantur a Deo valetudinem, cujus tamen vim in semetipsis nesciunt. Dum enim inordinate vivunt, suæ ipsi valetudinis sunt proditores. » Sic et Diogenes stomachabatur in eos qui pro bona valetudine sacrificarent, et in ipso sacro epulis immodicis semet ingurgitantes, facerent bonæ valetudini contraria. Ita Laertius lib. VI.

Quantum bonum sanitas.

Denique Pythagoras dicebat tria a diis petenda, formam, divitias et bonam valetudinem. Valetudo enim homini est intima, ac basis et subjectum cæterorum bonorum et gaudiorum; ipsam enim essentiam hominis proxime tangit et afficit. Misera enim est vita, quæ valetudine destituitur, et morbis premitur, adeoque non tam vita, quam

lenta mors dicenda est, ait S. Gregorius. Ægri enim nullam in vino, deliciis, opibus, honoribus, etc., sentiunt voluptatem; quia hanc intercipit dolor et ægritudo, quæ mentem ad se rapit, ac mœrore conficit, ut ad alia bona et gaudia attendere, iisque pasci et oblectari nequeat.

Gnomæ. Unde Plato, lib. I *De Legibus* : « Primum, inquit, locum obtinet bona valetudo, secundum forma, tertium robur, quartum opes, haud cæcæ, sed acutum cernentes. » Stobæus vero, ex Selerio : « Bona valetudine esse, inquit, optimum est homini mortali; proximum, specie honesta præditum esse; tertium, opes habere citra fraudem; quartum, ætate vigere cum amicis. » Tritum illud : « Quam bene valere, melius in vita nihil. » Et illud : « Recte valere et sapere, duo vitæ bona, » nimirum, « ut sit mens sana in corpore sano. » Aristoteles Sicyonius pæana scripsit in laudem sanitatis, uti refert Athenæus, lib. XV : « Sanitas, inquit, antiquissima dearum, tecum vivam quod reliquum est vitæ : tu vero propria mihi convictrix esto. » Et mox : « Tecum, diva sanitas, florent omnia, ac renidet gratiarum ver : absque te vero nemo felix. » Aristoteles, lib. II *Rhetoric.* : « Homini, inquit, bene valere optimum est. » Idem, lib. I *Moral.* ad Eudemum, narrat aliquem in vestibulo templi, quod est in Delo Apollinis, hanc scripsisse sententiam : « Eidem non adesse omnia, honestatem, bonitatem, ac jucunditatem : honestissimum est, quod justissimum; optimum, bene valere; jucundissimum, potiri eo quod quis amat. »

Intellige hæc de bonis naturæ; nam his omnibus potior est virtus, gratia et charitas; unde pro ea tot milliones Martyrum sanitatem, sanguinem et vitam profuderunt, ac quilibet christianus, cum opus est, profundat oportet. Gratia enim est altioris ordinis, scilicet supernaturalis et divini, cui omnia naturalia cedant necesse est. Et virtus est sanitas animæ, quæ longe præstat sanitati corporis. Addit S. Augustinus, in *Psal.* XXXVII, sanitatem hujus vitæ potius esse morbum, si cum sanitate immortalitatis conferatur : « Nam unde, inquit, dicebat : Non est sanitas in carne mea, nisi quia ista quæ hujus vitæ dicitur sanitas bene intelligentibus, et sabbatum (æternæ quietis) recordantibus, non est utique sanitas. Si enim non manducaveris, inquietat fames. Ista fames, naturalis quidam morbus est. » Et inferius : « Detrahe ista medicamenta (cibi et potus), vide si non interficiunt illa quæ existunt. Si sepositis istis non sunt morbi, est sanitas. Si autem habes aliquid quod te possit interficere, nisi manducaveris; noli gloriari de sanitate, sed gemens exspecta redemptionem corporis tui. » Unde verba Psalmi : « Non est sanitas in carne mea, » sic exponit, quasi dicat : « Quando comparo istam sanitatem illi sanitati, quam habebo in requie sempiterna, ubi corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem; video quia in illius sanitatis comparatione, ista sanitas morbus est. » Perfecta ergo sanitas est immortalitas.

Porro Lævinus Lemnius medicus, *Exhortat. ad vitam optime instit.* cap. XXIX : « Tria, » inquit, feruntur vulgo « saluberrima, » quæ quemque observare par est : « Vesci citra saturitatem : Non refugere laborem : Naturæ semen conservare. » Quibus opposita sunt « totidem insaluberrima, » quæ præter morbos, præmaturam senectam accelerant, morteque properata homines conficiunt : « Crapula distendi : Ignavia torpescere : Immodica venere enervari. » Cum enim frugalitas profligata ingluvie salubre corpus constituat; exercitatio excusso otio atque ignavia, idipsum agile reddit et expeditum; tum si ab equino genere documenta sumere liceat : Tria saluberrima.

> Sed non ulla magis vires industria firmat,
> Quam Venerem et cæci stimulos avertere amoris,

ait Virgilius, lib. III *Georg.* Siquidem intemperans ac libidinosa adolescentia effœtum corpus senectuti tradit. Hujus rei symbolo Gentiles dixere, deæ Veneri, quæ vitam abbreviat, tres deas contrarias esse, quæ vitam prolongant : nimirum Minervam, quæ dea est sapientiæ et temperantiæ; Dianam, quæ dea est exercitii; Vestam, quæ dea est castitatis et virginitatis.

Galenum medicorum principem tradunt nonnulli, inquit Cælius Rhodiginus, lib. XXX, cap. XII, centum et quadraginta annos vixisse, tantaque in cibo et potu abstinentia usum, ut ad satietatem nunquam comederit aut biberit, nec crudum quidquam unquam gustarit; unde sit factum, ut odorificum semper anhelitum spiraret et citra ullam affectionem, sola defecerit senectute. Hinc proverbium : « Galeni valetudo, » pro ea quæ ultra humanum captum nimis sit prospera, nimisque inoffensa. Hæc ille, penes quem sit fides; nam Suidas Galeno dat annos duntaxat 70. Certe ipse Galenus in libro ad Thrasybulum, *De Arte sanitatis tuendæ*, scribit se expertum, seipsum multis athletis, qui præstantissimi esse videbantur, quique multis in certaminibus coronas meruerant, valentiorem esse.

Hanc gnomen illustri apologo adolescentis et gryphorum illustrat Cyrillus, lib. III *Apolog. moral.* cap. XIX, cui titulus : *Quæ sint veræ divitiæ.* Adolescens quidam cupidus, inquit, profectus est in Indiam ad aurifodinas : cum ad eas accederet, monitus est ab incolis ut recederet, quod ea loca incolerent terribiles rapacesque gryphi. Indoluit ille, quod tantum iter frustra confecisset; sed accedens vir sapiens : Ostendam tibi, inquit, aurum, at non fucatum, quod concupiscis, sed verum et merum, quod non est aliud quam Deus ipse, ejusque amor, charitas et sanctitas : « Hinc et Brachmanes, inquit, ut libera tranquillitate potirentur, aurum totaliter a suis finibus abdicarunt, ne usu ejus polluti avaritia corrumperent æquitatem, et salutarem pacem proderent. Natura

Apologus veræ rum opum.

quoque in terræ visceribus genus hoc metalli recondit, unde magis malum quam bonum rebus humanis aurum esse, virtutis zelatores senserunt. Enimvero si summum hominis bonum corporales opes existerent, cur circumspecta providentia ipsas feris magis quam hominibus concessisset? Smaragdinas namque gemmas, murenulasque aureas aureosque montes gryphi possident, et metallorum venis ditissimis, multisque lapidibus pretiosis nobis abditis terra gaudet. Nonne hinc apparet, quod natura sagacitatem avaritiæ confutaverit, cum desiderabilium quidem opum majores longe copias aut brutis possidendas dederit, aut in ipsis absconderit elementis? » Unde veras opes docens esse, non cupiditatem, sed cupiditatis resecationem : « Fuge aurum, inquit, sperne divitias, cupiditatis flammas exstingue; non enim ditant animum, sed depauperant, dum vitiositate captivant. Tantum dilige et quære bonum virtutis, quia quod quæris, intus habes. Thesaurus namque summæ bonitatis non alibi, quam in suis amatoribus consistit. Quibus diligenter auditis, mox fugata cupiditate, divitem virtutis venam in se lætatus est invenisse. »

Vers. 16. 16. NON EST CENSUS SUPER CENSUM SALUTIS CORPORIS : ET NON EST OBLECTAMENTUM SUPER CORDIS GAUDIUM. — Græce : *Non sunt divitiæ meliores quam sanitas corporis, neque est lætitia melior quam voluptas animi;* Tigurina : *Nec ulla voluptas major lætitia animi,* quæ scilicet a sanitate corporis procedit, et in immensum lætitiam a divitiis, aut ab honoribus ortam, exsuperat; Syrus : *Non est opulentia sicut valetudo corporis, et non est lætitia sicut cor bonum,* id est jucundum. Probat id quod dixit versu præcedenti sanitatem tam animæ quam corporis præstare omni auro, ex eo quod sanitas corporis in se sit « census » et thesaurus maximus, qui longe transcendit et superat omnes auri thesauros; sanitas vero animæ pariat quietem conscientiæ et lætitiam mentis, quæ superat omne aliud oblectamentum, quod in deliciis, divitiis cæterisque rebus terrenis habent mundani, quia lætitia sanctæ mentis est in Deo, cum Deo, et de Deo; quare divina est, cœlestis, purissima, nobilissima et æterna, cum carnalis lætitia sit terrena, impura, vilis, momentanea. Porro Græci, cum versu præcedenti nil habeant de sanctitate justitiæ, sed tantum de sanitate corporis, de eadem sola hunc versum accipiunt, *q. d.* Non est census præstantior censu sanitatis; quia sanus licet sit pauper, habet verum cordis gaudium, ideoque superat omne oblectamentum, quod divites malesani habent in suo auro, uxore, filiis, familia, honore, etc. Ita Palacius : Salus corporis, inquit, majores opes sunt, quam reliquæ opes. Quod inde monstratur, siquidem prolixior infirmitas omnes opes absumit, quas valens corpus quæsivit. Tum quia licet aurum, argentum, familia et reliqua gaudium homini afferant, non tamen tale afferunt, quale corporis valetudo; hæc enim cor lætum facit; illa vero, si homo langueat, lætum efficere nequeunt. Ergo pauper sua est salute dives, ut dives sua est infirmitate miser. Rursum, pauper sua salute in corde lætatur, dives suo languore prosternitur. Plus igitur salus etiam in paupere potest, quam in divite divitiæ. Nam, ut sapienter ait Quintilianus, *Declam.* 1, pro cæco : « Temeritas omnis animorum calamitate corporum frangitur; et frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum. » Quomodocumque accipias, generalis est hæc sententia : « Non est oblectamentum super cordis gaudium, » quæ ubique et in omni re locum habet.

Porro verum cordis gaudium esse de sola virtute, docet Seneca, *epist.* 23 : « Bonæ mentis, inquit, fundamentum est, ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc esse dixi, etiam culmen est : ad summa pervenit, qui scit quo gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit. Sollicitus est, et incertus sui, quem spes aliqua proritat; licet ad manum sit, licet non ex difficili petatur, licet illum nunquam sperata deceperint. Hoc ante omnia fac, mi Lucili, disce gaudere. Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoveo, qui spes, dulcissima oblectamenta, devitandas existimo. Imo contra. Nolo tibi unquam deesse lætitiam; volo illam tibi domi nasci; nascitur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt; nisi forte tu judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer et fidens, et super omnia erectus. Mihi crede, res severa est verum gaudium. » Et plura deinceps. Alibi vero : « Sola, inquit, virtus præstat gaudium perpetuum, securum; etiamsi quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt. » Ita ipse, *epist.* 27.

Divinius S. Paulus docet verum gaudium esse gaudere in Domino, dum ait : « Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete, » *Philip.* IV, 4. Quid sit autem *gaudere in Domino,* pulchre explicat S. Basilius in *Regulis brevior.* Reg. 194 : « In his, inquit, quæ secundum mandatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quandocumque mandata Dei exsequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere et gratulari inter nos debemus. » Est autem, ut idem Basilius ait, homil. 4 *De gratiarum actione* : « Gaudium, exsultatio quædam veluti subsilientis animæ et se diffundentis, quod ex sententia aliquid obvenerit. Quamobrem Paulus, *Philipp.* IV, 4, in Domino gaudendum monuit. » Quo loco Anselmus : « Gaudete, inquit, non in sæculo, sed in Domino; sicut enim nemo potest duobus dominis servire, sic nemo potest et in Domino et in sæculo gaudere. » Et S. Chrysostomus, hom. 18 *ad Popul.* : « Non simpliciter dixit: Gaudete semper; sed addit, continuæ voluptatis

causam subdens : Gaudete in Domino semper. » Qua vero ratione possit quis in Domino semper gaudere, explicat illico subjiciens : « In Domino gaudens ex accidente nullo hac voluptate excidere potest; alia nempe cuncta in quibus gaudemus, mutabilia sunt, nec tantam nobis afferunt voluptatem, ut ex aliis nascentem tristitiam expellant et obumbrent. Dei vero timor hæc habet utraque; stabilis enim est, et immotus, atque tantam emittit lætitiam, ut nullus nos aliorum malorum sensus capiat. Deum enim sicut oportet timens, et in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, et omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in immensum mare decidens scintilla, brevi facile exstinguitur; sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia exstinguuntur atque perduntur. Et revera hoc est maxime mirabile, quod, cum adsint, quæ contristare solent, permanet ipse gaudens. » Quod deinceps longa oratione persequitur, singula propemodum malorum genera percurrens, ostenditque ea hoc verum gaudium non modo non exstinguere, sed no leviter quidem afficere aut imminuere.

Quod etiam luculenter ostendit S. Basilius, hom. 4 *De gratiarum act.* : « Anima, inquit, quæ semel se modis omnibus desiderio astrinxerit sui conditoris, jamque insuevit oblectare se tanta illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui jucundissimam diffusionem intercipi aut immutari per multiplicem et succedaneam carnalium affectionum mutationem; quin ea potius, quæ aliis mœrorem afferunt, in cumulum sibi vertet et accessionem lætitiæ. Cujusmodi erat Apostolus, dum sibi prope admodum complaceret in infirmitatibus, in tribulationibus, in persecutionibus, in necessitatibus, egestatem suam in gloriam et exsultationem permutans. » Unde Rabanus hæc omnia accipit de sanitate animæ : « Quia, inquit, qui sanus est mente, non nocet ei vexari in corporali tribulatione. Unde Paulus de seipso ait, II *Corinth.* XI : Quando infirmor, tunc potens sum. Libenter ergo gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Igitur tunc corpus bene sanum est, quando valide laborat in divino opere : cui valetudini non coæquatur census ingens divitiarum, et non est oblectamentum sicut cordis gaudium; quia delectationi veræ sapientiæ, quæ in vera charitate consistit, et contemplationi ipsius veritatis, quæ est certa agnitio Dei, nullum gaudium terrenum comparari potest. »

Porro ad lætitiam mire facit invocatio SS. Angelorum : illi enim cum sint beati, ideoque lætissimi, hinc suam lætitiam suis aspirant. Unde Angelus bonus a malo secernitur, quod ille lætitiam, hic mœrorem menti aspiret. Ita Raphael curando Tobiam a cæcitate, ejusque filium deducendo et reducendo cum opima uxore et dote, toti familiæ gaudium peperit. Sic Angelus nuntians Saræ et Abrahæ Isaaci ortum, sterilitatis mœrorem depulit, *Gen.* XVIII, 10. Idem fecere cæteri angeli qui Patriarchis et Prophetis in Scriptura apparuerunt. Ita S. Magno, Anagniæ Episcopo, et martyri sub Decio, dolenti apparens angelus : « Cur, inquit, Magne, tristaris? mœstitiam depone; sum enim missus ad te ad depellendum omnem abs te mœrorem, » uti habent ejus *Acta*.

17. MELIOR EST MORS QUAM VITA AMARA; ET REQUIES ÆTERNA QUAM LANGUOR PERSEVERANS. — Græce : *Potior est mors quam vita acerba, aut morbus diu permanens;* Syrus : *Præstat mori quam vita prava, et descendere in infernum potius quam dolor perseverans.* Præcise hic comparat præfertque mortem vitæ amaræ, qualis est divitis morbis afflicti; eo quod mors quietem afferat, liberetque a morbis et malis hujus vitæ; vita vero amara in morbis non tam vita sit, quam perpetua longaque mors. Nam, ut ait Poeta : « Non est vivere, sed valere vita. » Et Plinius Junior, lib. IV, *epist.* 23 : « Si, ait, computes annos, exiguum tempus; si vices rerum, ævum putes. » Et Ovidius, lib. I *De Ponto*, eleg. 1 : Vers. 17.

> Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
> Crede mihi, Pylio Nestore major ero.

Abstrahit ergo a statu gratiæ, et tantum naturam naturæque dona vel mala spectat, eaque inter se confert. Nam si statum gratiæ spectes, vita amara, quam Apostoli omnesque Sancti egerunt et agunt in mortificatione, laboribus, persecutionibus, longe præstantior est morte, juxta illud Christi : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, » *Matth.* V. Rursum impiis divitibus satius est hic vivere fruique suis opibus, esto cum languore et ægritudine, quam mori; nam post mortem ibunt ad æterna gehennæ tormenta. Simili modo a statu gratiæ abstrahens Job, solumque suos dolores juxta naturam considerans, optat mortem, ut iis liberetur. Unde ait, cap. III, vers. 3 : « Pereat dies, in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. » Sic et Jeremias, cap. XX, vers. 14 : « Maledicta, inquit, dies, in qua natus sum : dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. » Vide ibi dicta.

Quare per *requiem æternam* (quod tamen non est in Græco) accipe non illam quam Beati possident in cœlo, quamque fidelibus defunctis apprecamur dicentes : « Requiem æternam dona eis, Domine; » sed qualem homo in puris naturæ viribus constitutus optat et exspectat post hanc vitam; ut scilicet liber ab omni ærumna hujus vitæ, in statu animarum degens silensque, conquiescat, de quo Job, cap. III, 13 : « Nunc enim dormiens, inquit, silerem, et somno meo requiescerem. » Hinc Gentiles censebant animas post mortem silere, quiescere, et quasi dormire, sicut corpora dormiunt in sepulcro. Hinc et locus mortuorum, puta infernus vel limbus, hebraice vo- Infernus vocatur silentium: unde?

catur דומה *duma*, id est silentium. Ita Virgilius, lib. VI *Æneid.* de inferis canit :

Di, quibus imperium est animarum, umbræque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late.

Et Seneca in *Hippol.*:

Adiit silentem nocte perpetua domum.

Et Ovidius, IV *Metamorph.*, ita inferos animasque eo descendentes describit :

Est via declivis, funesta nubila taxo :
Ducit ad infernas per muta silentia sedes.
Styx nebulas exhalat iners; umbræque recentes
Descendunt illac, simulacraque functa sepulcris.
Pallor hiemsque tenent late loca senta.

Tropologice, Rabanus : « Melior est, inquit, mors; de qua scriptum est *Psal.* CXV : Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, quam vita amara, quam degunt peccatores iniquis operibus vacantes. Et requies æterna, quam tenent justi in conspectu Domini, melior est quam languor perseverans, quo in peccatis versantes quotidie tabescunt, quorum finis est interitus, et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt, » *Philip.* III.

Vers. 18. 18. BONA ABSCONDITA IN ORE CLAUSO, QUASI APPOSITIONES EPULARUM CIRCUMPOSITÆ SEPULCRO. — Pergit ostendere quam divitibus morbo afflictis inutiles sint divitiæ et deliciæ, per tres similitudines. Prima est, sepulcri, *q. d.* Opes et escæ in arcis et cellis a divite, sed infirmo, repositæ et reconditæ, qui ob ægritudinem et nauseam stomachi eis frui non potest, ideoque quasi os suum ad eas clausum habet, inutiles sunt, perinde ac inutiles sunt epulæ ad sepulcrum mortui appositæ; cum mortuus eas comedere et gustare nequeat. Quo indicatur divitem ægrum esse quasi mortuum; utpote qui non magis quam mortuus suis deliciis refici et recreari possit. Etsi enim multa bona habeat in cellariis abscondita, si tamen ejus languor ipsi os claudat, ut eas comedere nequeat, aut non nisi cum dolore et nausea; utique illa similia erunt epulis, quæ mortuis solebant apponi.

Nota : Pro *abscondita* Noster legit κεκρυμμένα, Complutensia legunt κεκλεισμένα, id est *clausa*. Unde vertunt : *Bona clausa ad os clausum*, etc. Sed clausa idem est quod abscondita. Codices Romæ emendati legunt ἐκκεχυμένα, unde vertunt : *Bona effusa ori clauso*, vel *effusa ad os clausum, sunt fercula ciborum apposita in sepulcro*, Syrus : *Bona, quæ abscondita sunt in ore abscondentis, sicut cibi, qui positi sunt super sepulcra.*

Mystice Lyranus : « Bona abscondita in ore clauso, » hoc est, inquit, scientia recondita in mente hominis pigri ad docendum, inutilis est; sicut inutiles sunt escæ appositæ mortuis. Sic et Rabanus : « Hoc testimonium, ait, contra eos valet, qui talentum verbi Dei, quod ipsi intellectu perceperunt, aliis prædicare negligunt; quorum scientia ita viventibus inutilis est, sicut epulæ circumpositæ mortuorum sepulcris, qui non manducant, neque bibunt, neque aliquem fructum ex eis percipiunt. »

Epulæ ad sepulcra Gentilium : cur?

Nota : Gentiles olim post mortem suorum Manibus, id est animabus eorum, parentabant apponendo cibum et potum (præsertim fabas, eo quod hebetent sensus, et insomnia faciant) eorum sepulcris; quasi animæ eo pasci et refici gauderent, uti diserte docet Plinius, lib. XVIII, cap. XII : « Quoniam, inquit, mortuorum animæ sint in ea (scilicet faba), qua de causa parentando utique assumitur. » Et Lucretius, lib. III :

Parentant,
Et nigras mactant pecudes, quas Manibus atris
Inferias mittunt.

Censebant enim animas esse corporeas, vel certe tenuia et aerea habere corpora, quæ cibo restauranda forent. Irrepsit hic mos a Gentilibus ad Christianos, quem proinde taxans S. Augustinus, serm. 15 *De Sanctis* : « Miror, inquit, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error irrepserit, ut super tumulos defunctorum cibos et vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. » Idem, *De Moribus Eccles.* XXXIV : « Novi multos esse sepulcrorum adoratores, qui, cum luxuriosissime super mortuos bibunt, et epulas cadaveribus exhibent, super sepultos se sepeliunt. » Eumdem morem recenset et taxat S. Ambrosius, *De Elia et Jejunio*, cap. XVII, ac S. Cyprianus, tract. *De Duplici martyrio*. Et S. Paulinus, natali 95 S. Felicis, excusat suos rusticos in Italia, quod per simplicitatem veteri Gentilium more epulas deferrent ad sepulcrum ipsum S. Felicis :

Quia mentibus error, *inquit*,
Insedit rudibus; nec tantæ conscia culpæ
Simplicitas pietate caret, male credula Sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulcris.

Judæorum :

Gentiles hosce secuti sunt, vel potius præcessere Judæi, sed altiori et sanctiori fine et fide. Hi enim juxta sepulcra mortuorum instruebant epulum funebre amicis et pauperibus, ut eorum oratione, æque ac sua hac eleemosyna, animas suorum e pœnis purgatorii liberarent. Hoc est enim quod filium monet Tobias, cap. IV, 18 : « Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus. »

Christianorum.

Judæos secuti Christiani, præsertim Romæ et in Africa, epulas deferebant ad sepulcra vel memorias martyrum, quas per martyres hoc quasi contactu sanctificatas prælibabant ipsi et amici ipsorum; deinde eas erogabant in pauperes, qui in ecclesiam ad agapen in Natalitiis Martyrum convocabantur, idque faciebant ad honorem martyrum. Idem faciebant in sepultura defunctorum suorum, quorum dubia erat salus vel gloria, scilicet, eleemosynas, aut convivium seu agapen hanc instruebant in cœmeteriis aut templis, ut

animam defuncti, si pœnis purgatorii detineretur, tum precibus pauperum, tum eleemosyna hac expiarent et liberarent. Unde S. Augustinus, lib. IX *De Civit.* cap. ult. : « Quicumque, inquit, epulas eo (ad sepulcra Martyrum) deferunt; quod quidem a Christianis melioribus non fit, et plerisque terrarum nulla talis est consuetudo; tamen quicumque id faciunt, quas cum apposuerint, orant et auferunt, ut vescantur, vel etiam ex eis indigentibus largiuntur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. » Idem, lib. VI *Confess.* cap. II, de matre sua : « Cum ad memorias, ait, sanctorum, sicut in Africa solet, pultes et panem et merum attulisset. »

Verum quia ritus hic referebat parentalia Gentilium, et quia multi eo abutebantur ad comessationes et compotationes; hinc eum a templis sustulit S. Ambrosius, uti narrat S. Augustinus, lib. VI *Confess.* cap. II, cujus exemplum, docente postea S. Augustino, secuta est Africana Ecclesia; quare ejus loco eleemosynæ pro defunctis domi distribui passim cœperunt, uti etiamnum fit. Hæc omnia liquent ex S. Augustino, *epist.* 64, et ex S. Paulino, epist. *ad Alethium*, et ex S. Chrysostomo, homil. 32 *in Matthæum*.

Vers. 19 et 20. 19 et 20. QUID PRODERIT LIBATIO IDOLO? NEC ENIM MANDUCABIT, NEC ODORABIT : SIC QUI EFFUGATUR A DOMINO, PORTANS MERCEDES INIQUITATIS. — Est hæc secunda similitudo petita ab idolis eorumque victimis, ostendens miseriam divitis, sed ægri. Olim enim sacrificium institutum fuit quasi convivium epulum Dei, vel idoli, dignantis cum hominibus conversari et quasi convivari, ut dixi *Levitic.* I. Hinc in omni sacrificio erat victima quasi cibus et caro comedenda a Deo, ac simul libabatur, id est effundebatur, vinum quasi potus bibendus a Deo vel idolo.

Sensus ergo est, *q. d.* Sicut frustra offertur victima, et cum ea libatur vinum idolo, cum illud saxum vel aureum sit, nullum habens cibi potusve gustum, odoratum et sensum : sic pariter dives, « qui effugatur, » græce ὁ ἐκδιωκόμενος ὑπὸ Κυρίου, id est, qui persecutionem patitur « a Domino, » quem scilicet Deus ob scelera et fastum persequitur, morbisque et calamitatibus infestat, ut tanquam alter Cain a Domino proscriptus et profligatus videatur, ac portare ægritudinem quasi « mercedem iniquitatis » suæ : hic, inquam, dives, sed æger, frustra habebit opes, quibus instruat splendida convivia, cum ea gustare iisque frui nequeat. Unde ex Græco clarius sic vertas : *Quid prodest oblatio idolo? nam neque comedit, neque odoratur : talis est quem persequitur Dominus*; Tigurina : *Quorsum simulacro libamenta? neque enim edet inde, neque odorem percipiet : ita se habet, qui profligatus est a Domino, et mercedem perfert iniquitatis*; Syrus : *Quæ utilitas est idolis populorum, quæ non comedunt et non odorantur? ita qui habet divitias, et non utitur illis.*

Ubi nota divites hic recte comparari idolis. *Primo*, quia ipsi divitias habent et colunt quasi sua idola. Unde avaritia ab Apostolo vocatur « idolorum servitus, » *Ephes.* V. Divites ergo divitiis suis ornati sunt quasi idola auro gemmisque ornata. *Secundo*, quia divites a mundo coluntur quasi idola et numina quædam. *Tertio*, quia sicut idolis pretiosissima vina et armenta libantur et mactantur : ita divitibus opiparæ mensæ instruuntur omni deliciarum genere abundantes. *Quarto*, sicut idolum ex καρπώσει, id est oblatione sibi facta, nullum capit καρπὸν, id est fructum, quia nec gustat nec sentit : sic et dives, si æger sit, ex omnibus opibus et deliciis exiguum vel nullum fructum et voluptatem percipit. Dives simile idolo quadruplici ter.

Vers. 21 21. VIDENS OCULIS ET INGEMISCENS, SICUT SPADO COMPLECTENS VIRGINEM, ET SUSPIRANS. — Est hæc tertia similitudo spadonis, *q. d.* Dives, sed æger jam dictus, videt epulas et ingemiscit, quod eas vorare iisque frui nequeat : perinde ut eunuchus videns virginem speciosam ingemiscit et suspirat, quod ea ob frigiditatem et impotentiam frui nequeat. Quare divitiæ et deliciæ ei non solatium et gaudium, sed mœrorem et tormentum afferunt. Talis ergo est instar Tantali, qui in inferno in mediis licet aquis, enecatur tamen siti. De quo Poeta :

> Poma fugacia captat
> Tantalus : hoc illi garrula lingua dedit.

Et Horatius :

> Tantalus a labris sitiens fugientia captat
> Flumina..... mutato nomine, de te
> Fabula narratur, congestis undique saccis
> Indormis inhians, et tanquam parcere sacris
> Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Tantalus ergo flumini immersus, sed usque ad labra, nec ex eis bibere permissus, ideoque semper sitiens, symbolum et schema est divitis avari vel ægri, qui opibus immersus iis frui non audet, vel non potest.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE BONO LÆTITIÆ, ET MALO TRISTITIÆ.

Vers. 22. 22. TRISTITIAM NON DES ANIMÆ TUÆ, ET NON AFFLIGAS TEMETIPSUM IN CONSILIO TUO. — Græce : *Ne des in tristitiam animam tuam*; Tigurina : *Ne demergas animum tuum in mœstitiam, nec affligas teipsum tuis consiliis*; alii : *Ne dederis animam tuam mœrori, et ne afflixeris teipsum propter consilium*

tuum; Syrus : *Ne des tristitiæ animam tuam, et ne offendas in consilio animæ tuæ.* Ubi recte notat Jansenius : Non dicit, inquit : Ne unquam habeas tristitiam in anima tua (id enim humanæ infirmitati est impossibile), sed: « Tristitiam non des animæ tuæ, » vel, ut est in Græcis : *Non des in tristitiam animam tuam* : hoc est ne sinas tristitiam animo tuo dominari, aut ne ultro eam tibi accersas, et tristandi causam præbeas. Dum enim triste aliquid accidit, bonorum quæ adsunt cogitatione et expensione, tristitiæ materia superanda est, ut non permittatur animo nostro dominari. Et maxime cavendum est ne, cum multam gaudendi occasionem habemus, ipsi nobis tristitiæ materiam suggeramus, levia quædam mala apud nos exaggerando. Hoc ergo significatur, cum dicitur : « Tristitiam non des animæ tuæ. » Et est sermo de tristitia, quam Paulus vocat « tristitiam sæculi, » quam mortem operari dicit, quæ scilicet est de rebus hujus sæculi. Nam « quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : » ideoque ea ultro assumenda est, et danda animæ nostræ. Ita Palacius.

Fugienda est igitur tristitia illa, quæ non parit lætitiam : uti fugitur potio, quæ non parit salutem. Ea vero tristitia procuranda est, quæ lætitiam generat, quæque salutem stabilem ac beatitudinem operetur. De noxa et damnis tristitiæ vide disserentem S. Ambrosium, orat. 2 *De Satyro*; S. Gregorium, XXXI *Moral.* cap. CCXVII, S. Augustinum, lib. XII *De Genesi ad litt.* cap. XXXIII; Cassianum, *Collat.* IX, cap. III; S. Bernardum, *De Inter. domo*, cap. LII.

Remedium tristitiæ est malum extenuare.

Porro tristitiæ remedium est, malum quod nos contristat, vel amovere, vel, si amoveri nequeat, præmeditando extenuare, et magno animo sustinere; nam causa tristitiæ non est tam malum ipsum quod urget, quam opinio nostra, apprehensio et æstimatio illius, quod scilicet illud durum et grave æstimemus. Quæ æstimatio, cum sita sit in nostra potestate, mitigari, imo deponi potest : itaque tristitia pariter mitigabitur, aut in totum deponetur. Vere enim Epictetus, *Enchirid.* cap. I : « In nostra, ait, potestate est opinio, appetitio, desiderium, aversatio et quælibet nostræ actiones. » Quod autem opinio illa mali potius quam malum ipsum sit causa tristitiæ, idem sapienter affirmat cap. X : « Homines, inquit, perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus. » Et Plutarchus, lib. *De Exsilio* : « Exsilium, ait, ignominia, bonorum amissio, ut contra coronæ, magistratus, primique consessus, non sua natura, sed nostro ipsorum judicio, affligendi vel delectandi modum habent. » Et Cicero, *Tusc.* III : « Cogitatio, ait, diuturna, nihil esse in re mali, dolori medetur, non ipsa diuturnitas. » Vide S. Chrysostomum, homil. *Quod nemo læditur nisi a seipso.* Vide et nostrum Gregorium de Valentia, I II, disp. 3, Quæst. VI, punct. III, ubi octo tristitiæ remedia assignat, eaque fuse prosequitur.

ET NON AFFLIGAS TEMETIPSUM IN CONSILIO TUO. — *Primo*, Palacius censet hic idem, vel pene idem dici, quod priori hemistichio, quasi consilium hoc sit tristitiæ, vel ipsa tristitia, *q. d.* Noli te affligere tristitia : quare nec consilia illa tractes, quæ tristia sunt, aut tristitiam tibi conciliant vel augent. Solent enim tristes, melancholici et scrupulosi esse cogitabundi, mille volvere cogitationes, mille agitare consilia, æstusque animi, quibus proinde dicendum est cum Psalte : « Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? » *Psal.* XII, 2. Sic et Lyranus qui et exemplum dat : « Sicut faciunt, inquit, desperantes, qui interimunt seipsos. »

Secundo, *q. d.* Ne te affligas, eo quod consilia tua felicem successum non habeant aut negligantur, vel ab aliis, præsertim æmulis tuis, evertantur; sed cogita quot sunt hominum capita, tot pariter esse sensus et consilia. Quare pacifice idipsum tolerato, dicitoque cum Apostolo : « Unusquisque in suo sensu » et consilio « abundet, » *Rom.* XIV.

Tertio, Jansenius, *q. d.* Ne nimis anxie et scrupulose deliberes et consultes; noli variis consiliis et deliberationibus te affligere et excruciare, dum scilicet anxie nimis apud te excogitas, quomodo te a quibusdam malis eximas, aut quomodo bonum aliquod assequaris, quod cupis; ac præsertim noli anxie cogitare et deliberare de futuris eventibus, officiis, laboribus, tribulationibus, cæterisque rebus, quæ tibi obvenire possunt : quia reipsa forte nunquam tibi obvenient. Quare cogita illud Christi : « Sufficit diei malitia sua, » *Matth.* VI. Itaque sicut priori membro monuit deponere tristitiam, sic hoc monet deponere anxias curas et sollicitudines, quæ non minus quam tristitia affligunt, tristitiamque animi partim sequuntur, partim antecedunt et causant. Sicut ergo priori monuit pro tristitia tristibusque cogitationibus accersendas esse lætas, quibus mens ad lætitiam excitetur, sic hoc monet anxias curas et sollicitudines convertendas esse in libertatem hilaritatemque animi, easque resignandas esse divinæ providentiæ, dicendumque cum Psalte : « Dominus sollicitus est mei, » *Psal.* XXXIX, 18. Et *Psal.* XXII, 1 : « Dominus regit me (S. Hieronymus, *Dominus pastor meus*; Hebræum et Septuaginta, *Dominus pascit me*, ut pastor oves), et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit. » Ac cum S. Paulo : « Nihil solliciti sitis : sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum, » *Philip.* IV, 6. Et cum S. Petro, *epist.* I, cap. V, vers. 7 : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. » Vide utrobique dicta.

Remedium tristitiæ est bona conscientia.

Porro remedium tristitiæ est bona conscientia, fisa fixaque in Deo. Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 25 *ad Popul.* : « Nihil aliud est triste nisi Deum offendere. Quod cum aberit, non tribulationes,

non insidiæ, non quidquam aliud sapientem animam poterit contristare; sed quemadmodum, si exiguam scintillam in locum dejeceris profundum, statim exstinxeris : itidem et omnis tristitiæ superabundantia in bonam missa conscientiam exstinguitur. Propterea quidem et Paulus semper gaudebat, quoniam interius secundum Deum confidebat, neque tot malorum capiebat sensum, sed dolebat quidem ut homo, non tamen cadebat. Sic et Abraham patriarcha erat in delectatione multa passus tristia : verum nihil horum eum prostravit. » B. Cæsarius Arelatensis, *homil.* 2 : « Verum gaudium, ait, non possidetur, nisi pax et justitia teneatur. Prima est enim et quasi radix justitia, secunda pax, tertia gaudium. De justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Justitia et pax quasi bona opera esse videntur : gaudium vero fructus esse bonorum operum intelligitur. » Et S. Bernardus, in libris *De Consideratione* : « Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius est et securius bona conscientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ et ipsa morte magis erigitur quam deprimitur. » Consentiunt nostris Scriptores Ethnici. Cicero *ad Torquatum*, epistola familiari : « Conscientia, ait, rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum. » Et Seneca *ad Lucilium* : « Nolo tibi unquam deesse lætitiam : volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si modo intra teipsum sit. » Et paulo post : « Veri boni aviditas tuta est. Quid sit istud interrogas, aut unde subeat, dicam : Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ et continuo tenore unam prementis viam. » Huc facit symbolum Pythagoræ : « Annulum arctum ne gestato, hoc est noli facere ea quæ te coarctent et affligant. » Et : « Cor ne edito, id est ne te crucia curis et anxietatibus; » quas maxime parere solet conscientia sceleris sibi conscia. Ita Plutarchus, tract. *De liber. Educ.*

Rursum S. Bernardus, tract. *De Inter. domo*, cap. XLV, ait : « Vis nunquam esse tristis? Bene vive. Bona vita semper gaudium habet : conscientia rei semper in pœna est. » Et cap. XX et XXII : « Munda est conscientia, cum nec de præterito juste accusatur, nec de præsenti injuste delectatur. Conscientia bona titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber signatus et clausus, et in die judicii aperiendus. Nihil est jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscientia : premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, et illa erit secura. Bona conscientia secura erit, cum corpus morietur; secura, cum anima coram Deo præsentabitur; secura, cum utrumque in die judicii ante tribunal terrificum justi judicis statuetur. »

Denique S. Basilius, homil. 4 *De gratiarum actione* : « Ita, inquit, assequeris, ut semper gaudeas : nempe, si vitæ tuæ institutum ratioque omnis Deum collimet ac spectet, et spes retributionis, quæ in hac vita tristia sunt, leviora efficiat. Affecit te aliquis ignominia? quin tu ad eam suspice gloriam, quæ reposita in cœlis est tibi paranda merito patientiæ. Jacturam rerum tuarum adiisti? oculos imprime fixius cœlestibus divitiis et thesauro incomparabili, quem tibi bonorum operum pretio seposuisti. Patrione solo exclusus es? at patriam habes cœlestem illam Jerusalem. Ad eum modum si iis, quæ molestiam tibi nunc pariunt, opposueris quæ sperantur bona, animam tuam ab omni anxietate servabis. Ad quod nos invitat sanctio legis Apostolicæ : Semper gaudete, » *Philip.* IV. Hoc est quod omnibus inclamat rex sapientissimus, *Eccles.* III, 12 : « Et cognovi, inquit, quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua, » *q. d.* Hæc duo connexa sunt, lætari et bene agere : ut ergo semper læteris, semper bene agito.

Vers. 23. 23. JUCUNDITAS CORDIS HÆC EST VITA HOMINIS, ET THESAURUS SINE DEFECTIONE SANCTITATIS; ET EXSULTATIO VIRI EST LONGÆVITAS. — Græcus de more bimembris mediam sententiam omittit, sicque habet : *Lætitia cordis est vita hominis, et exsultatio viri longævitas*; Tigurina : *Lætitia animi demum homini vita est, thesaurusque sanctitatis inexhaustus, et gaudium cujusque ætatis longinquitas*; Syrus : *Lætitia cordis ipsa est vita hominis, et conscientia* (pura ideoque læta) *hominis ipsa auget vitam ejus.* Tres fructus et effectus jucunditatis et lætitiæ assignat.

Tres fructus lætitiæ.

Primus est, quod ipsa sit quasi vita hominis, tum quia homo semper indiget aliqua delectatione quasi quadam recreatione, ob multos labores et molestias, quæ ei occurrunt in hac vita, uti docet Aristoteles, lib. VII *Ethic.*; tum quia vita in tristitia non tam est vita quam mors, uti dixit vers. 17; tum quia lætitia facit florere omnes actiones vitales : eas enim obit cum gaudio, ideoque alacriter, exsultanter, plene et perfecte, juxta illud *Proverb.* XVII, 12 : « Animus gaudens ætatem floridam facit : spiritus tristis exsiccat ossa. »

Primus.

Secundus lætitiæ fructus est, quod sit « thesaurus sine defectione, » id est indeficiens, « sanctitatis, » *q. d.* Lætitia cordis pura et vera non tantum est vita hominis, sed et est thesaurus sanctitatis indeficiens; quia, scilicet, sanctitatem fovet et conservat. Quo significat, *primo*, lætitiam sanctitate destitutam, quæ concipitur ex affluentia opum, honorum et deliciarum, non esse puram et veram, sed mixtam multis doloribus et tristitiis, ideoque defecturam, nec diu duraturam; *secundo*, lætitiam puram, veram et meram consistere in sanctitate : bona enim et sancta conscientia semper est læta, quia scit se esse in gratia Dei, imo esse filium Dei, a quo proinde hæreditatem et gloriam æternam fidenter exspectat; *tertio*, læ-

Secundus.

titiam fovere et augere sanctitatem : facit enim ut homo læte et alacriter obeat opera sancta orationis, jejunii, eleemosynæ, religionis, etc. ideoque in iis constanter perseveret; quæ enim cum tristitia fiunt, remisse fiunt et cum tædio, ideoque homo in iis perdurare nequit. Magna est hæc laus lætitiæ, quod scilicet ipsa sit thesaurus inexhaustus sanctitatis : quia ipsa excitat hominem continue, ut plura et majora opera sancta peragat et coacervet, et quia ipsa alacriter et animose superat omnes difficultates et tentationes, quas dæmon, mundus et caro suggerunt, ut hominem ab exercitiis sanctis avocent.

Exempla. Quocirca S. Antonius suis religiosis ardue et austere viventibus unice commendabat lætitiam spiritalem, quasi singulare scutum et remedium ad vincendum omnes tentationes : « Una est, inquit, ratio vincendi inimicum : lætitia spiritalis, et animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens persequetur adversarios potius quam timebit. » Ita S. Athanasius, in *Vita S. Antonii*. Unde Palladius, in *Lausiaca*, cap. LII, loquens de sanctis Anachoretis sociisque S. Apollo Abbatis : « Licebat, inquit, eos videre exsultantes in solitudine, adeo ut nullam ejusmodi aliam exsultationem in terra videre liceret, nec lætitiam corpoream : neque enim erat inter eos aliquis mœstus aut tristis. Sed, si quis videbatur præ se ferre tristitiam, statim Abbas Apollo ex eo rogabat causam, et quæ erant in occulto uniuscujusque cordis, renuntiabat; dicebat autem : Non oportet esse tristes propter salutem, cum futuri simus hæredes regni cœlorum : tristes autem erunt Gentiles, flebunt Judæi, lugebunt peccatores; justi autem lætabuntur : et qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis; nos autem, qui tanta spe digni sumus habiti, quemadmodum non lætamur perpetuo, cum nobis Apostolus suadeat, I *Thess.* V, ut semper lætemur, et oremus sine intermissione? »

Ex adverso nihil ita obnoxium tentationibus dæmonis, ac animus tristis. Tristitia enim fugat Spiritum Sanctum, utpote spiritum lætitiæ, et accersit spiritum atrum, puta dæmonem, qui est spiritus acediæ et tristitiæ. Audi S. Chrysostomum, lib. III *De Providentia* : « Omni, ait, diabolica operatione perniciosior est immodica mœroris et acediæ magnitudo : nam quos dæmon superat, per mœrorem superat. Quod si mœrorem sustuleris, nihil omnino mali et incommodi tibi ab eo continget. » Et inferius : « Tum demum tristari debemus, non cum malo afficimur, sed cum ipsi malum aliquod perpetramus. » Vide Cassianum, lib. X *De Instit. renunt.* cap. II et seq., ubi graphice spiritum acediæ et mœroris depingit, ejusque suggestiones, effectus et damna recenset. Quocirca Hermas, discipulus S. Pauli, in libro qui inscribitur *Pastor* (exstat tom. V *Biblioth. SS. Patrum*), quem veteres passim citant et celebrant : « Sicut vinum, inquit lib. II, cap. X, aceto mixtum, eamdem suavitatem non habet : sic et tristitia, Spiritui Sancto nexa, eamdem orationem mundam non habet; » imo tristitia fugat Spiritum Sanctum. Nam « fructus Spiritus Sancti est charitas, gaudium, pax, » etc. *Galat.* V, 22. Sed audi rursum Hermam, lib. II, mandato 10, ex persona Dei : « Tristitia omnium spirituum nequissimus est, et pessima servis Dei, et omnium spiritus exterminat, et cruciat Spiritum Sanctum. » Et inferius : « Indue ergo hilaritatem, quæ semper habet gratiam apud Dominum, et lætaberis in ea. Omnis enim hilaris vir bene operatur, et bona sapit, et contemnit injustitiam. Vir autem tristis male facit; quia tristem facit Spiritum Sanctum, qui datus est homini hilari. » Et iterum : « Male facit, quod tristis orat Dominum, et non ante facit exomologesin, et non impetrat a Deo quod petit. Semper enim oratio tristis hominis non habet virtutem, ut ascendat ad altare Domini. » Huc facit illud Aaronis, *Levitic.* X : « Quomodo potui placere Domino in cæremoniis, mente lugubri? » obruta enim mens et mœrore oppressa nequit sese in Deum attollere. Accedit, quod « hilarem datorem diligit Deus, » II *Corinth.* IX.

Tertius. *Tertius* lætitiæ fructus est : « Et exsultatio viri est longævitas, » non formaliter, sed causaliter, *q. d.* Lætitia et exsultatio facit hominem longævum, tristitia vero facit eum brevis ævi. Lætitia enim exhilarat, vivificat, dilatat, multiplicat, corroborat spiritus vitales, qui cor et vitam hominis conservant et augent; contrarium facit tristitia. Audi S. Gregorium Nazianzenum in *Distichis* : « Mœrores præcocem senectutem mortalibus pariunt. Neque enim ea unquam tempus instaurabit, quæ mœroribus diruta fuerint ac prostrata. Mens sollicita tineæ instar ossa corrodit : corpus autem curas omnes valere jubens eximie floret. » Idem docet Hippocrates, Galenus cæterique medici. Unde Schola Salernitana hæc sanæ vitæ dat pharmaca :

Si tibi defuerint medici, medici tibi fiant
Hæc tria : mens hilaris, requies facilis, moderata diæta.

Quare homini fideli, ut semper sit hilaris, lætæ et hilares accersendæ sunt cogitationes de cœlo, de Christo, de Dei beneficiis, ejusque in nobis præsentia, inhabitatione et inoperatione; de B. Virgine, de Sanctis, et aliæ similes : quas fuse recenset noster Alvarez de Paz, *De Adeptione virtutum*, lib. III, part. II, cap. IV. Unde Rabanus : « Vera, inquit, jucunditas cordis non alibi quam in vera charitate consistit, ubi et vita hominis cum virtutum thesauro sine defectione sanctitatis permanet : eo quod nulla virtus sine ejus ope subsistere valet. Hæc enim est excellentior via, quam Apostolus universis linguis, martyrio, atque eleemosynis antestatuit, dicens : Nunc autem manent fides, spes, charitas : tria hæc, major autem horum est charitas, » I *Corinth.* XIII.

Anagogice idem Rabanus : « Exsultatio viri est longævitas, » id est beata Sanctorum æternitas : quia ibi vera est exsultatio, ubi vera est beatitudo : nam præsens vita plena est miseriis, et luctibus assiduis infelix.

Vers. 24. 24. MISERERE ANIMÆ TUÆ PLACENS DEO, ET CONTINE : CONGREGA COR TUUM IN SANCTITATE EJUS, ET TRISTITIAM LONGE EXPELLE A TE. — Ita legunt et dispungunt Romana, licet aliter legat et dispungat Jansenius et alii. Græca brevius sic habent : *Dilige teipsum, et alloquere*, vel : *Consolare cor tuum, et mœrorem procul amove a te;* Syrus : *Blandire animæ tuæ, et refrigera cor tuum, et tristitiam longe fac a te.* Ubi nota, *primo* : Qui diligit animam suam, is ejus miseretur : qui vero eam non diligit, sed odit, is in eam immisericors, imo crudelis existit : qualis est qui amat iniquitatem, ideoque tristitiam et dolorem præsentem ac æternum ei accersit.

Secundo, τὸ *placens Deo* dupliciter accipi potest, scilicet, *primo*, ut significet causam et finem miserendi animæ; *secundo*, ut significet ejus effectum, aut potius modum. Juxta priorem acceptionem sensus erit, *q. d.* « Miserere animæ tuæ, » hoc fine et fructu, ut scilicet per misericordiam hanc placeas Deo, qui tibi eamdem præcepit, dum tibi animæ tuæ curam et salutem commisit, et præ rebus omnibus commendavit. Juxta secundam sensus erit, *q. d.* « Miserere animæ tuæ, » satagendo ut placeas Deo : quod fiet, si contineas te in sanctitate. Misericordia enim animæ in hoc consistit, ut qui ejus vult misereri, studeat eam Deo placitam efficere : quod faciet, si eam sanctam efficiat. Præclare Origenes, homil. 4 in cap. VI *Lucæ* : « Deus, inquit, animæ tuæ suam imaginem et similitudinem commendavit : istud ergo depositum tam insigne tibi restituendum est, tam integre, quam a te constat esse susceptum. »

Aliter Jansenius, qui τὸ *placens Deo* accipit antecedenter quasi suppositum verbi *miserere*, quasi dicat : Tu qui places Deo, ac bonam habes in Deo conscientiam, ita ut nullius magni mali tibi sis conscius, merito debes misereri animæ tuæ, ut scilicet eam in tristibus consoleris per bonum conscientiæ tuæ testimonium, quo confidis te placere Deo.

Tertio, τὸ *et contine* significat modum, quo animæ misereri Deoque placere debeas, *q. d.* Si vis misereri animæ tuæ Deoque placere, esto continens, continentiam exerce, contine te ab omnibus carnis et concupiscentiæ desideriis. Continentia enim est virtus, quæ refrenat omnes ebullientes concupiscentiæ motus. Unde explicans subdit : « Congrega cor tuum in sanotitate. »

Quarto, pro *congrega cor tuum in sanctitate*, græce est : *consolare cor tuum.* Unde Jansenius, volens Latinam Vulgatam Græcis adaptare, hæc omnia explicat de tristitia, *q. d.* « Contine, » hoc est cohibe, « cor tuum » ab immoderata tristitia, « et congrega » illud, non sinens, scilicet, id effundi in mœrorem, sed tua consolatione illud comprimens et collectum servans apud te : Congrega, inquam, illud « in sanctitate » Dei, hoc est, consolare illud dum tristatur, hoc nomine quod sanctus es coram Deo, quodque Deo ex dono ejus placeas. Vel « congrega » illud « in sanctitate » ipsius cordis, id est hoc nomine consolare cor tuum, quod sanctum sit per veram Dei cognitionem et amorem. Verum, cum Latina Vulgata a Concilio Tridentino, *sess.* IV, probata et prælata sit Græcis, cumque hic et alibi Græcis sit uberior et plenior; potius Græca Latinæ, quam Latinam Græcis adaptare debemus. Quare τὸ *congrega cor tuum in sanctitate*, explicat τὸ *contine*, *q. d.* Continebis erisque continens, si « cor tuum » congreges « in sanctitate. » Suggestiones enim concupiscentiæ, quæ sunt plurimæ, cor distrahunt, et ad varias carnis illecebras sollicitant et dissipant : quare ut eas fugias et elidas, ab iis cor tuum avoca, totumque convoca et congrega, ut adhæreat sanctitati, hoc est, Deo ejusque voluntati et legi : in hoc enim omnis sanctitas consistit. Quod si feceris, omnem tristitiam dispelles. Hoc est enim, quod subdit : « Et tristitiam longe expelle a te. » Quod est finis et scopus totius sententiæ. Hortatur enim ad expellendum tristitiam, ejusque modum suggerit et præscribit. Notat Palacius cor pravum ut cinerem dispergi, et ut arenam dissipari : at cor sanctum, inquit, congregatur fitque unum; quia Deo unitur, qui maxime unus est : ergo « Mihi adhærere Deo bonum est, » *Psalm.* LXXII. Quia « qui adhæret Domino, unus spiritus est. » I *Corinth.* VI, 17.

Sensus ergo est, *q. d.* Vis tristitiam expellere a te, tibique jugem accersere lætitiam? miserere animæ tuæ, curando ut illa placeat Deo, ideoque contine ab omnibus pravis ejus concupiscentiis. Quod facies, si ab eis cor tuum avoces, illudque colligas et unias sanctitati : si enim id feceris, omnem tristitiam expelles a te; sanctitas enim est mater lætitiæ, et expultrix tristitiæ. Ut ergo hanc miseriam, puta tristitiam, ab anima expellas, miserere animæ tuæ, majoremque ejus miseriam, puta concupiscentiam et iniquitatem cura : ex illa enim oritur tristitia, *q. d.* Immisericors est et crudelis, ac quasi tortor et carnifex animæ suæ, qui eam tradit concupiscentiis, ut iis lancinetur, ac in mille desideria quasi dissecetur, eisque fœde et misere quasi mancipium ad omnem nutum serviat; indeque mille angores et mœrores conscientiæ sustineat, iisque excrucietur et lanietur. Qui ergo sapit et hæc effugere cupit, hic miseretur animæ suæ, studetque placere Deo, ideoque a concupiscentiis se continet et abstinet, ac congregat traditque cor suum integrum Deo ejusque sanctitati; atque hac ratione omnem tristitiam expellit omnemque lætitiam accersit. Nam, ut ait Beda in *Proverbiis* : « Tristantur facile, quorum spes exstat in imis. » Sic ex adverso : « Lætantur facile, quorum spes exstat in altis. » Ita explicant

Sanctitas est causa lætitiæ.

Rabanus, Lyranus et Palacius, imo S. Augustinus, *Enchirid.* cap. LXXVI, et habetur *De Pœnit.* dist. 3, cap. *Qui vult* : « Qui, inquit, vult eleemosynam ordinate dare, a seipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est : Miserere animæ tuæ placens Deo. Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus, cui merito displicet quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna, quam nobis dedimus : quoniam nosipsos miseros per miserantis Dei misericordiam requisivimus, justum judicium ejus confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus *Rom.* v : Judicium quidem ex uno in condemnationem. Et magnæ ejus charitati gratias agentes, de qua idem ipse dicit gratiæ prædicator : Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est : ut et nos veraciter de nostra miseria judicantes, et Dei charitatem quam donavit ipse diligentes, pie recteque vivamus. » Huc usque S. Augustinus. Idem, serm. 102 *De Temp.*:« Modo, inquit, pro ineffabili pietate sua non solum nos admonet (Deus), sed etiam rogat, ut nos a peccatis mortiferis revocemus. Audiamus illum dum rogat, ne nos postea non audiat ille dum judicat. Audiamus eum per Prophetam dicentem : Fili, inquit, miserere animæ tuæ placens Deo. Quid ad hæc respondebit humana fragilitas? Deus te rogat ut tui miserearis, et non vis! Causam tuam apud te agit, et a te non potest impetrare! Et quomodo te audiet ille in die judicii supplicantem, cum tu eum pro teipso nolueris audire rogantem. »

Sic et S. Bernardus in *Sententiis* : « Spiritus sapientiæ, inquit, ubique præsens novit quid in cœlo et quid agatur in inferno. Cumque mentem humanam repleverit, et de pœnis inferni incutit timorem, et cœlestium amorem infundit, sicque facit hominem amare seipsum, et dicit ei : Miserere animæ tuæ placens Deo. » Idem, serm. 8 *ad Milites templi* : « Magna revera malitia, inquit, tui te non misereri, et solum post peccatum remedium confessionis a teipso repellere, ignemque in sinu tuo involvere potius quam excutere, nec præbere aurem consilio Sapientis, qui ait : Miserere animæ tuæ placens Deo. Proinde qui sibi nequam, cui bonus? » Idem, epist. 8 *ad Brunonem* : « Primus, ait, pietatis gradus est de quo scriptum est : Miserere animæ tuæ placens Deo. Ex hoc autem ad miserandum proximum recto jam tramite charitas ordinata procedit, quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur. » Vide eumdem pathetice his verbis urgentem Eustachium, occupatorem Valentinæ Sedis, ad pœnitentiam, *epist.* 185. Iisdem urgeas quemlibet peccatorem, dicendo : Miserere animæ tuæ, o miser, ut cum corpus tuum brevi perire morique debeat ac dari vermibus, saltem animæ tuæ consulas, ut illa, cum sit immortalis et æterna, immortalem et æternam, sed beatam vitam in cœlo, non vero miseram in inferno nanciscatur. Ita Stephanus V Pontifex, ut habetur 33, Quæst. II, cap. VIII *Admonere*, § *Idcirco*. Monet Aistulphum, qui uxorem interfecerat : « Miserere, inquit, animæ tuæ, ut non sis tibimetipsi homicida. Quapropter relinque, te rogamus, hoc malum sæculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus, ingrediare monasterium, humiliare sub manu Abbatis, et meliorum fratrum precibus adjutus observa cuncta simplici animo quæ tibi fuerint imperata, si forte ignoscat infinita Dei misericordia peccatis tuis, et refrigeret animam tuam, priusquam crucieris perpetuis flammis. »

25. MULTOS ENIM OCCIDIT (Græci nonnulli legunt : *Perdidit et occidit*; sic et Syrus : *Multos enim occidit mœstitia, et perdidit eos*) TRISTITIA, ET NON EST UTILITAS IN EA, — quia licet tristeris de malo, non idcirco illud tolles, sed potius augebis et duplicabis. Porro melancholia, tristitia et acedia multos enecavit et in dies enecat, tum quoad corpus, tum quoad animam, eosque perimit morte et præsenti et æterna. Tristitia ergo est carnificina. Si horres esse carnifex aliorum, cur non horres per tristitiam carnifex esse tui? Causam et modum dant medici, ac inter eos Franciscus Valesius, *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXII. Magna tristitia, inquit, semper nocet, et potest aliquando occidere, non quidem repente, ut timor et gaudium (auctor est Galenus), sed paulatim et multo tempore. Quia per gaudium affatim et sine ullo freno effunditur totum calidum : quare in pusillanimis totum exhalat : in timore magno affatim accurrens ad cor, suffocatur. Motus similis est tristitia timori, non tamen vehemens ut ille, sed natura sua lentus, ac proinde paulatim facit vitalem calorem marcescere, et nutritionem partium minui, atque ita deducit ad tabem. Quod aperte significant illa verba *Proverb.* XVII : « Spiritus tristis exsiccat ossa. » Itaque tristitia repente nullum fortasse occidit, ut timor et gaudium, lente vero ac paulatim quamplurimos.

Vers. 25. Tristitia occidit : quomodo?

Illa verba : « Et non est utilitas in ea, » duplicem ferunt sensum, naturalem et moralem. Naturali quidem significant tristitiam nihil conferre : nam neque ad pellendos morbos, neque ad tuendam valetudinem (id vero constat ex dictis intelligi debere de magna tristitia, et quæ omnem excludit hilaritatem). Morali vero, continent exhortationem quamdam ad pellendam ex animo tristitiam. Quasi dicatur : Vita tristitiam, quia multos occidit, et nihil confert ad recuperandum id cujus gratia doles : neque enim lacrymis defunctum vita maritum suscitabis, neque filium, neque amissam invenies pecuniam, neque incendio consumptam reficies domum.

Gnoma.

Quocirca B. Antiochus, *homil.* 25 : « Tristitia, inquit, vermis est cordis, suammet exedens matrem instar viperæ. » Et S. Athanasius citatus a S. Bernardo, *De Modo bene vivendi*, cap. XI : « Homo

tristis, inquit, semper malitiatur, et contristat Spiritum Sanctum sibi a Deo donatum.» S. Chrysostomus, homil. 7 *ad Popul.*: «Tristitiam, inquit, Deus non ob aliud nobis indidit, nisi propter solum peccatum, et hoc per ipsam rerum experientiam manifestavit. In pecuniarum enim multa, et morte, et ægritudine, et aliis nobis ingruentibus molestiis dolentes et mœrentes, non tantum nullam consolationem capimus, verum et molestias augemus. In peccatis vero si doleamus et tristemur, peccati magnitudinem minuimus, et quod erat magnum, reddimus parvum, sæpe vero et funditus ipsum totum delemus.» Idem, epist. 8 *ad Olympiad.*: «Tristitia, inquit, animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, et judicium omni judicio vindictaque deterius. Nam et vermi est similis venenato, non solummodo carnem, sed et animam ipsam perimens; animam dilacerans, sed vires animæ consumens; et jugis nox, ac tenebræ profundæ, et tempestas, et turbo; febris non apparens, omni igni validius incendens, et pugna requiem non habens.» Cassianus, lib. IX *De Instit. renunt.* cap. II et III, citans explicansque illud *Proverb.* XXV : *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* «Vestimentum namque, inquit, tinearum esu attactum nullius pretii vel honesti usus poterit ulterius habere commercium : itidemque lignum vermibus exaratum, non jam ad ornatum vel mediocris ædificii, sed ad combustionem ignis merebitur deputari. Ita anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus devoratur, inutilis erit vestimento illi pontificali, quod unguentum Spiritus Sancti de cœlo descendens, prius in barbam Aaron, deinde in oram suam, solere suscipere, S. David vaticinio perhibetur : Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus,» *Psal.* CXXXII. Tristitiæ remedium naturale, sed efficax, est magna et vehemens occupatio, præsertim in re honesta et jucunda : hæc enim imaginationem a tristibus ad se avocat, occupat et exhilarat. Experire, et senties ita se rem habere.

Porro octo remedia ad fugandam tristitiam suggerit noster Alvarez de Paz, *De Exterminatione mali*, lib. II, part. V, XII, ante finem. Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti, proponens, septuaginta Interpretibus singulis singulas quæstiones ethicas, vigesimo nono hanc proposuit : «Quomodo sine tristitia viveret?» Cui ille : «Si neminem, inquit, læseris, omnesque juves, justitia quosvis prosequens; ab ea hujusmodi fructus jucunditatis colligitur. Sed implorandus est Deus, ne ea nos lædant quæ præter opinionem nostram accidunt, ut sunt mortes, morbi, ægritudines,» etc. At quinquagesimo sexto hanc proposuit : «In quibus est tristandum?» Cui ille : «In amicorum adversitate, quandoquidem diuturna ea et inevitabilia cernimus, quæque calamitatibus opertos interimunt. Nam in his mœstitiam nulla ratio levat. Sed de iis, in quibus desperamus, neque quidquam in his utile invenimus, mortales omnes contristantur, malum vero omnino effugere divinæ potentiæ est.» Ita ille coævus et forte socius Siracidis, uti refert Aristæas, in Historia septuaginta Interpretum, quæ exstat tomo VII *Biblioth. SS. Patrum.*

Clarius et præclarius Psaltes, *Psalm.* XLI, tristitiæ remedium assignat orationem et spem in Deum : «Quare, inquit, tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.» Et S. Jacobus, cap. V, vers. 13 : «Tristatur, inquit, aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallat.» Huc facit proverbium Hebræorum in *More nebuchim*, lib. II, cap. XXXVII : «Prophetia non requiescit super tristem, neque super pigrum.» Quocirca Elisæus, ut se ad prophetiam disponeret, quæsivit Psaltem, qui ejus mentem sua psalmodia exhilararet, et ad divina sustolleret, IV *Reg.* III, 15. Denique tristitia in multis oritur ob tristes casus præteritos qui eis obvenerunt, quibus pro antidoto suggerendum est illud Senecæ, *De Regim. princip.*: «Noli pœnitere de re præterita, quia illud est proprium debilium.» Res enim præterita revocatu est impossibilis. Nemo autem sapiens pœnitet, dolet aut se affligit ob rem impossibilem.

Antonius in *Melissa*, lib. I, cap. LXXII *De tristitia*, alia illius suggerit remedia. *Primum* ex S. Gregorio Nazianzeno, qui ait : «Communio et societas luctus, solatio est dolenti.» Et ex S. Chrysostomo, qui ait : «Tristitia in multos divisa, minus cruciat patientem.» Et ex Photio, qui ait : «Sola similes affectus expertorum colloquia, mœrentibus sunt solatia.» *Secundum* ex Plutarcho dicente; «Via quidem eligenda planissima, vita vero tranquillissima, Thoraci tunicam, tristitiæ vero mentem et rationem inducere oportet.» *Tertium* ex Theopempto dicente : «Insipientem tempus, sapientes autem ratio mœrore liberat. Sapit qui non tristatur propter absentia, sed gaudet præsentibus.» *Quartum* ex Photio dicente : «Fuge tentationem patientia et oratione : sin, absque his præsidiis te opponas, vehementius invadit.» Tristitiæ remedia quatuor.

26. ZELUS ET IRACUNDIA MINUUNT DIES, ET ANTE TEMPUS SENECTAM ADDUCET COGITATUS. — Tristitiæ subjungit tres partim proles, partim affines et socias, scilicet invidiam, iram et sollicitudinem, quæ, æque ut tristitia, sensim hominem conficiunt et occidunt. «Zelus» enim est invidia, cujus comes et socia est ira. Unde Jansenius per *zelum* accipit iram; alii, quemvis zelum; Palacius, zelotypiam, qua vir zelat uxorem, aut contra. Pro *cogitatus* græce est μέριμνα, id est cura et sollicitudo, *q. d.* Invidia et ira corrodunt et consumunt dies vitæ hominis, eorumque sunt quasi ærugo et tinea : similiter cura et sollicitudo citam et ante tempus homini adducit senectam. Unde Tigurina vertit : *Invidia et iracundia dies minuunt, sollicitu-* Vers. 26.

doque præmaturam inducit senectutem. Sic et Bias apud Laertium, lib. I, cap. VI: « Ut ferrum, inquit, rubigine absumitur, ita invidus suo ipsius vitio contabescit, » *q. d.* Sicut ferrum ex seipso gignit rubiginem, quæ ipsum exedit : sic invidus concipit invidiam, quæ ipsummet exedit et consumit. Et Periander : « Sicut ærugo ferrum, sic invidia animum illius in quo inest, conterit. » Et S. Basilius, hom. *in aliquot Script. locos* : « Hic est alius morbus vitæ hominum peculiaris, et animis nostris a natura insitus, et corda magis consumere aptus, quam rubigo ferrum. » Alii vertunt : *Zelus et excandescentia minuunt dies, et ante tempus senectam affert sollicitudo*; Syrus : *Zelus et ira consumunt dies, et ante tempus prodire facit canitiem cura.* Idem docent medici; unde Schola Salernitana sic orditur :

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas tolle graves, irasci crede profanum.

Exemplum iræ illustre est in Alexandro Magno, qui omnem rerum gestarum gloriam obscuravit iracundia, a qua ipse omnium victor victus est, dum per eam amicis necem intulit, et sibi vitam accidit. « Alexandrum enim, inquit Valerius Maximus, lib. IX, cap. III, iracundia sua propemodum cœlo diripuit; nam quid obstitit, quominus illuc assurgeret, nisi Lysimachus leoni objectus, Clitus hasta confossus, et Callisthenes mori jussus? Ac Callisthenis quidem deflens mortem, in Alexandri iram iratus Seneca eloquentissime ait, lib. VI *Nat. Quæst.* cap. XXIII : « Hoc est, inquit, Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla rerum felicitas redimet. Nam quoties quis dixerit : Occidit Persarum millia multa; opponetur : Et Callisthenem. Quoties dictum erit : Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat; opponetur : Et Callisthenem. Quoties dictum erit : Omnia Oceano tenus vicit, ipsum quoque tentavit novis classibus, et imperium ex angulo Thraciæ usque Orientis terminos protulit; dicetur : Sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla transierit, ex his quæ fecit nihil tam magnum erit, quam scelus Callisthenis. » Vere igitur dixit Heraclitus : « Durum est pugnare contra iram, quæ vitam adimit. »

Bile carentia sunt longæva.

Celebre est illud Physicorum, τὰ ἄχολα μακρόβια, id est *animalia bile carentia*, uti cervus, sunt longæva. Porro longævitatem hominis et animalium ita gradatim describit, sive vere, sive potius fabulose Ausonius, *Idyll.* 18 :

Ter binos deciesque novem superexit in annos
Justa senescentum quos implet vita virorum :
Hos novies superat vivendo garrula corvix;
Et quater egreditur cornicis sæcula cervus;
Alipedem cervum ter vincit corvus.....

Causam dat Franciscus Valesius, *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXII : Videntur, inquit, mihi hæc tria, scilicet zelus, iracundia et cogitatus, unico sollicitudinis nomine significari. Sollicitos enim esse dicimus eos qui plus satis curant quid agatur, quid futurum sit. Tales enim sunt zelatores, ac proinde iracundi et cogitabundi : quæ omnia excludunt ab animo hilaritatem. Quare si vere dictum est cap. XVII *Proverb.* : « Animus gaudens ætatem floridam facit; » merito evenit ut quæ gaudium excludit sollicitudo, afferat intempestivam senectutem. Verum autem illud esse constat, siquidem indicatum antea est, spiritum tristem exsiccare ossa : exsiccat ergo et ea passio, cujus tristitia comes est, puta sollicitudo et nimia cura. Ut vero exsiccat, ita refrigerat : quia (ut nuper diximus) siccat imminuta nutritione per vitalis caloris et spirituum consumptionem. Refrigeratio vero naturalis cum siccitate, ipsum est senium. Unde efficitur, ut sollicitum esse, ac proinde iracundum et cogitabundum, adducat ante tempus senectutem. Neque res ulla experimento magis cognita est. Neque quidquam iis qui privatam agunt vitam consultius, quam nulla de re esse sollicitos : iis vero qui reipublicæ tenent gubernacula, qui id non possunt, tamen interponere gaudia curis, et animum tantis solutum curis crebro laxare, ac locum dare cibis et exercitationi, ne semper animo ad cogitationem translato, corpus tabescat. Huc facit illud S. Gregorii Nazianzeni in *Distichis* : « Mœrores præcocem mortalibus senectutem pariunt. Mens sollicita tineæ instar ossa corrodit; corpus autem curas valere jubens, eximie floret. » Unde subdit Siracides : « Splendidum cor bonum in epulis est. »

Ratio physica.

Memorabile est quod ex ore Dei scribit Hermas, S. Pauli discipulus, lib. II *Pastoral.* mandato 3; nimirum, quod ira et impatientia obscuret, exstinguat in nobis Spiritum Sanctum, eumdem vero exsuscitet atque exhilaret æquanimitas et patientia. « Æquanimis, inquit, esto et patiens, et omnium operum nequissimorum dominaberis, et operaberis omnem justitiam. Quod si patiens fueris, Spiritus Sanctus, qui habitat in te, mundus erit, et non obscurabitur ab aliquo nequissimo spiritu, sed gaudens dilatabitur et epulabitur in vase, in quo habitat, et apparebit Domino hilaris in pace magna. Quod si iracundia aliqua supervenerit, continuo Spiritus Sanctus, qui in te est, angustiabitur, et quæret discedere. Suffocatur enim aspectu nequissimo, et non habet locum apparendi Domino sicut vult; tribulatur enim ab iracundia. Utrique ergo spiritus cum pariter inhabitant, perniciosum est homini. » Probat a simili : « Si quis enim assumat absinthii pusillum, et immittat in amphoram mellis, nonne totum mel exterminabitur? Et tantum mellis a modico absinthio disperit, et perdit dulcedinem mellis, et jam non habet gratiam apud dominum suum; quoniam totum mel amarum factum est, et usum suum perdidit. Sed si in mel non mittatur absinthium, dulce erit et in usu domino suo. Vide enim quam sit æquanimitas dulcior melle,

Tristitia contristat Spiritum Sanctum.

et utilis erit domino, qui in ipsa commoratur; nam iracundia inutilis est. Si ergo mixta fuerit iracundia æquanimitate, contribulatur animus, et non est utilis Deo oratio illius.»

Tropologice Rabanus : «Zelus, inquit, et iracundia minuent dies hominis; cum eum vita æterna indignum efficient : et ante tempus senectutem adducent; quia viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos,» *Psal.* LIV. Hoc est, prosperitatem sine vindicta, quam sibi promittunt, perpetualiter habere non possunt.»

Vers. 27. 27. SPLENDIDUM COR ET BONUM IN EPULIS EST : EPULÆ ENIM ILLIUS DILIGENTER FIUNT.— Cogitatui et curæ, quæ citam adducit senectam, quasi remedium et antidotum opponit cor splendidum exhilarans se epulis, itaque curas discutiens et vitam prolongans. «Cor splendidum» vocat hilare et liberale, non triste vel avarum. Tristitia enim et avaritia cor contrahunt, offuscant et obnubilant; quod hilaritas et liberalitas dilatant, exhilarant, magnificum et quasi splendidum efficiunt. Hinc lux et splendor sunt symbolum lætitiæ et beneficentiæ; caligo vero et tenebræ, tristitiæ et avaritiæ. Unde crebro orat Psaltes : «Illumina faciem tuam super servum tuum, Domine,» *q. d.* Lucidam, id est hilarem, benevolam et benefícam mihi faciem tuam ostende. Sensus ergo est, *q. d.* Cor hilare, et liberale, et «bonum,» id est lætum et jucundum, est in epulis suis, ac honeste et læte iis fruitur, easque sibi et aliis diligenter apparat : quocirca et lætius, et diutius, et honoratius vivit. Unde Tigurina vertit : *Cor splendidum et benignum cibos sibi procurabit ad edendum;* non autem multa avare congeret, quibus frui non audeat, inquit Vatablus; alii : *Cor splendidum et bonum de eduliis ciborum suorum curam gerit.* Lætus et splendidus, nec per tristitiam ciborum curam negligit, nec per parcimoniam sordide mensam instruit, sed læte et liberaliter, moderate tamen et temperanter cum suis epulatur. Syrus : *Cor bonum* (lætum) *multi sunt cibi ejus, et omne quod comedit, ostendit super corpus ejus, q. d.* Omne quod comedit homo lætus, digerit convertitque in suam substantiam, corpus suum impinguat; itaque ostendit se bene comedisse, et comesta digessisse : contrarium facit tristis et mœstus. Huc facit illud B. Nazianzeni in *Distichis* : «Temperantis animi est nonnihil hilaritatis præ se ferre.» Advertit solerter Palacius, hæc esse dogmata ethices naturalis. Ecclesiasticus, inquit, fuit ex Judæis, quibus propter probos mores temporalia bona promittebantur, scilicet vita longior, anni felices, epulæ largiores, videlicet sæculum hoc felix. Multo est altior vita christiana, quæ cupit dissolvi et esse cum Christo; quæ abstinet ab omnibus, ut incorruptam coronam accipiat; quæ est in fame, siti, frigore, nuditate et quotidiana sollicitudine Ecclesiarum, exspectans beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, etc.

Mystice, «splendidum cor,» id est lætum, ac gaudio et exsultatione perfusum, non est aliud nisi cor viri justi, quod nullæ tristitiæ e morsibus conscientiæ dimanantes inquietant. Epulæ illius non sunt aliæ quam bona opera, sibi impositæ legi conformia. Cum autem hæc diligenter parantur, et ardenter assumuntur, «bonum» est «cor» et jucundum, non infirmitate marcet, sed sanctitate pinguescit. Scito ergo, o homo, quia cibos corporis nimis ardenter sumere, vitium est; cibos vero animæ ardentissime accipere, perfectio est. Nam qui avide quasi famem patientes, hunc cibum virtutis comedunt, Deo pascente saturantur, juxta illud : «Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur,» *Matth.* V. Unde Rabanus : Utique, ait, «voluntas electorum jucundatur in epulis virtutum, quæ epulæ indefectivas habent opes spiritalium divitiarum.»

Nota : Græca hic valde variant : Complutenses enim hunc versum hoc loco ponunt cum Nostro : Græca Romana vero et alii eum transferunt in finem cap. XXXIII. Sed magis videtur convenire huic loco. Deinde Romana huic versui et capiti attexunt ea, quæ Noster et Complutenses ponunt cap. XXXVI, vers. 13 et seq. Similis transpositio est in capite sequenti, uti dicam in synopsi ejusdem.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, a vers. 1 *usque ad vers.* 12, *avocat a nimio amore et studio divitiarum. Inde, secundo, usque ad vers.* 30, *est institutio mensæ; quanta, scilicet, honestate, temperantia et discretione in ea convivæ se gerere debeant. Tertio, a vers.* 30 *ad finem, agit de sobrietate in potu vini.*

1. Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum. 2. Cogitatus præscientiæ avertit sensum, et infirmitas gravis sobriam facit animam. 3. Laboravit dives in congregatione substantiæ, et in requie sua replebitur bonis suis. 4. Laboravit pauper in diminutione victus, et in fine inops fit. 5. Qui aurum diligit, non justificabitur : et qui

insequitur consumptionem, replebitur ex ea. 6. Multi dati sunt in auri casus, et facta est in specie ipsius perditio illorum. 7. Lignum offensionis est aurum sacrificantium : væ illis qui sectantur illud, et omnis imprudens deperiet in illo. 8. Beatus dives, qui inventus est sine macula : et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. 9. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. 10. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna : qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit : 11. ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum. 12. Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior. 13. Non dicas sic : Multa sunt, quæ super illam sunt : 14. memento quoniam malus est oculus nequam. 15. Nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie sua lacrymabitur, cum viderit, 16. ne extendas manum tuam prior, et invidia contaminatus erubescas. 17. Ne comprimaris in convivio. 18. Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso : 19. utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur : ne, cum manducas multum, odio habearis. 20. Cessa prior causa disciplinæ : et noli nimius esse, ne forte offendas. 21. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. 22. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem. 23. Vigilia, cholera, et tortura viro infrunito : 24. somnus sanitatis in homine parco; dormiet usque mane, et anima illius cum ipso delectabitur. 25. Et si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome : et refrigerabit te, et non adduces corpori tuo infirmitatem. 26. Audi me, fili, et ne spernas me : et in novissimo invenies verba mea. 27. In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi. 28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele. 29. Nequissimo in pane murmurabit civitas, et testimonium nequitiæ illius verum est. 30. Diligentes in vino noli provocare : multos enim exterminavit vinum. 31. Ignis probat ferrum durum : sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. 32. Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate : si bibas illud moderate, eris sobrius. 33. Quæ vita est ei, qui minuitur vino? 34. Quid defraudat vitam? Mors. 35. Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem, ab initio. 36. Exsultatio animæ et cordis, vinum moderate potatum. 37. Sanitas est animæ et corpori sobrius potus. 38. Vinum multum potatum, irritationem, et iram, et ruinas multas facit. 39. Amaritudo animæ vinum multum potatum. 40. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera. 41. In convivio vini non arguas proximum : et non despicias eum in jucunditate illius : 42. Verba improperii non dicas illi : et non premas illum in repetendo.

PRIMA PARS CAPITIS.

(Nota in Græcis Romanis omnia ab hoc capite usque ad XXXVII alio ordine recenseri : nam quæ Vulgata habet hoc capite, Græca Romana habent cap. XXXIV. Quæ Vulgata habet cap. XXXV, Romana habent cap. XXXII. Quæ Vulgata habet cap. XXXVI, Romana habent cap. XXXIII. Quæ Vulgata habet cap. XXXII, Romana habent cap. XXXV. Quæ Vulgata habet cap. XXXIII, Romana habent cap. XXXVI. Vulgatæ tamen per omnia consentiunt Græca Complutensia; quare eorum ordo et dispositio magis apta est et authentica. Hinc collige has Siracidis sententias a variis varie fuisse compaginatas et distributas. Idem accidit in *Proverbiis* Salomonis, ubi quæ Vulgata habet cap. XXX, Græca Romana attexunt capiti XXIV. Quæ Vulgata habet cap. XXXI de muliere forti, Græca Romana attexunt capiti XXIX, ac multa alia simili modo commutant et transponunt.)

1. VIGILIA HONESTATIS TABEFACIET CARNES, ET COGITATUS ILLIUS AUFERET SOMNUM. — Pro *honestatis* græce est πλούτου, id est *divitiarum* : et sic sæpe hoc libro Siracides per *honestatem* intelligit divitias : hæ enim faciunt possidentes honestos, imo honoratos in domo, victu, vestitu, magistratu, etc. Rursum pro *cogitatus* græce est μέριμνα, id est *cura, anxietas, sollicitudo,* de qua dixit capite præcedenti, vers. penult., quod ante tempus, id est citam et immaturam senectam adducat. Vers. 1.

Idipsum ergo hic prosequitur docetque, inquit Jansenius, quam noxia sit homini ea præcipue cura, quæ est in avaris pecuniarum studiosis : utpote quæ carni suum vigorem aufert et necessarium somnum. Itaque sensus est : Nimia vigilantia, quæ pro comparandis divitiis assumitur, et vigilia nocturna, quæ sæpe propter opes suscipitur, tabefacit carnes hominis, corpusque marcidum facit ac exhaustum, et cura pro divitiis acquirendis aufert sæpe homini somnum ad vitam necessarium. Proinde indicando nocumentum avaræ sollicitudinis, monet tacite moderandum studium divitiarum, anxiamque sollicitudinem deponendam esse, et præsentibus contentos nos esse debere, Deoque res nostras committendas.

Secundo, Palacius « honestatem » moralem hic accipit, puta bonum honestum, probitatem scilicet et castitatem. Littera hæc, inquit, ut jacet, multa et pulchra documenta præbet. *Primum* est, cura probitatis, maxime vero castitatis, consumit carnes, nec eas pinguescere sinit : si enim vehemens probæ uxoris cura, quomodo placeat viro, exedit ejus carnes, quomodo non magis exedet cura quomodo placeas Deo? *Secundum* est : Cogitatio probitatis aufert somnum : nam intenta cogitatio cor mundum dormire vetat, et illa dixit : « Ego dormio, et cor meum vigilat; » et alius media nocte surgit ad confitendum Domino. Verum Græcum πλούτου significat honestatem, non moralem, sed physicam, puta substantiam et opes. Prior ergo sensus litteralis est. Unde Tigurina vertit : *Studium divitiarum corpus tabe conficit, et somnum abigit sollicitudo earum*; alii : *Invigilare divitiis tabefacit carnes, et sollicitudo earum aufert soporem*; Syrus : *Vigilia tabefacit carnem; divitis, et cura aufert somnum ejus.*

Est metaphora ab igne liquante ceram, *q. d.* Sicut igniś liquat et consumit ceram, sic vigil semper sollicitudo opum acquirendarum, asservandarum et augendarum tabefacit (græce ἐκτήκει, id est *liquat* et consumit) carnes, tum ob vigiliam, tum ob sollicitudinem. Nam, ut ait Aristoteles, *Ethic.* cap. 1 : « Animal vigilans semper laborat, » vel sentiendo, vel movendo, vel cogitando, attendendo et intendendo rei alicui; vigilia ergo est labor; labor autem consumit hominem, et quodvis animal.

Mystice Rabanus : « Vigilia honestatis est cauta vigilantia animi cum studio virtutum, quæ tabefacit carnes; quia in electis Dei carnales mortificat voluptates. Cogitatus enim illius aufert somnum; quia intenta sollicitudo eorum, quam quotidie in servitio Dei habent, pigritiæ ab eis repellit tædium. Unde Propheta, qui se sentiebat in servitio Dei proficere, et in amore illius crescere, ait : Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea est. In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui, » *Psalm.* CXVIII.

2. COGITATUS PRÆSCIENTIÆ AVERTIT SENSUM, ET INFIRMITAS GRAVIS SOBRIAM FACIT ANIMAM. — *Primo*, Palacius et Lyranus censent hic duo proponi, quæ hominem avocant a peccato, scilicet, Dei præscientiam, et infirmitatem, *q. d.* Cogitare quod Deus videat, imo præsciat, et antequam fiant, prævideat omnes nostras actiones, avertit sensum a rebus sæcularibus et voluptatibus illecebrosis hujus vitæ; pari modo « infirmitas gravis animam » luxuriantem et luxu diffluentem efficit temperatam et « sobriam, » quam vinum humanæ prosperitatis effecerat ebriam. Vers. 2.

Secundo, Jansenius, *q. d.* « Cogitatus præscientiæ, » id est cura et sollicitudo divitum, ut prævideant et provideant sibi de opibus rebusque omnibus in futurum per omnem suam et filiorum vitam, « avertit » mentem hominis a recto, Deo et cogitatione salutis, eamque opibus quasi inebriat et immergit; ex adverso « infirmitas gravis facit animam sobriam, » *q. d.* Sollicitudo ergo est infirmitate gravi deterior, ideoque ipsa est maxima infirmitas; quia facit animam plane intemperantem et ebriam, quam infirmitas facit temperantem et sobriam.

Tertio et genuine, *q. d.* « Cogitatus præscientiæ, » id est cogitationes anxiæ, quibus divites avari cogitant assidue de futuris mercium rerumque suarum eventis, ut opes suas semper augeant, nunquam contenti præsentibus, sed jugiter inhiantes futuris; hæ, inquam, cogitationes avertunt sensum, scilicet a quiete et somno, de quo sermo præcessit; quia non sinunt hominem quiescere et dormire, « et, » id est sic vel pari modo, « infirmitas gravis sobriam facit animam; » « sobriam, » id est vigilem somnique expertem. Est metalepsis et catachresis; sobrietas enim et abstinentia causant vigiliam, et ægrum faciunt insomnem. Comparat enim anxias cogitationes, puta sollicitudinem congerendi opes, cum gravi infirmitate, quod sicut hæc, sic et illa excutiat somnum, privetque hominem debita quiete, *q. d.* Sollicitudo avarorum est gravissimus animi morbus; quia sicut morbus hominem affligit et exedit, redditque insomnem; sic pariter cruciat, arrodit et vigilem semper facit sollicitudo.

Hunc esse sensum patet *primo* ex antecedentibus et sequentibus, quæ omnia taxant sollicitudinem ditandi se et congerendi opes; *secundo*, ex Græco, qui clare sic habet : *Sollicitudo vigiliæ* (id est vigil) *interpellabit dormitationem, et infirmitas gravis* ἐκνίψει ὕπνον, id est *eluet* vel digeret, id est auferet *somnum*; Tigurina : *Sollicitudo vigil prohibet* (Vatablus, *renuit*) *soporem, et gravis ægritudo somnum adimit.*

Pro ἐκνίψει alii legunt ἐκνήψει, id est sobrium et vigilantem faciet somnum; quia mordax cura facit hominem, licet dormiturientem, vigilem, ut millies e somno excitetur et evigilet. Porro Complutensia et Romana pro ὕπνον legunt ὕπνος. Sic enim habent : Καὶ ἀῤῥώστημα βαρὺ ἐκνήψει ὕπνος. Unde

sic vertunt : *Et infirmitatem gravem digeret*, vel *moderatam faciet somnus*. Quo significatur sollicitudinem divitum pejorem esse animi morbum, quam sit gravis infirmitas corporis; quia hanc minuit et alleviat somnus, quo carent solliciti : sollicitudo enim somnum excutit a sollicito, itaque ei non dat requiem, sed jugiter pungit, affligit, cruciat, exedit, consumit. Igitur duorum horum versuum, primi scilicet et secundi, hic est sensus : Vigil cura acquirendarum opum consumit carnes, et de iis intentius nimisque anxie cogitare, aufert somnum; simili modo somnum aufert « cogitatus præscientiæ, » quo scilicet cogitant futuros eventus, ut eos præsciant et avertant, si mali sunt; vel accersant, si boni; perinde ac infirmitas gravis somnum excitat.

Mystice Rabanus : « Cogitatus, inquit, hominis, quem in timore Dei habet, præsciendo quod vera sunt omnia quæ Scriptura sacra prænuntiat de futuro præmio bonorum, et de ventura pœna malorum, avertit sensum hominis ab omni concupiscentia mala, ne ea concupiscat in possessione habere, vel in desiderio nequam adimplere, quæ novit Conditori suo displicere. Similiter et infirmitas gravis corporis sobriam facit a delictis animam. Unde alibi scriptum est : Livor vulneris absterget mala, et plagæ in secretioribus ventris. Mala enim livor vulneris absterget, quia flagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas nequitias diluit. Solet vero ventris appellatione mens accipi; quia sicut venter consumit escas, ita mens pertractando excoquit iras. Quia enim venter mens dicitur, ea sententia docetur, qua scriptum est : Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris. Ac si diceret : Divini afflatus illuminatio, cum in mentem hominis venerit, eam sibimetipsi illuminans ostendit, quæ ante Spiritus Sancti adventum cogitationes pravas et portare poterat, et pensare nesciebat. Livor ergo vulneris absterget mala, et plagæ in secretioribus ventris; quia exterius percutimur, cum ad peccatorum nostrorum memoriam taciti afflictique revocamur, atque ante oculos nostros cuncta quæ a nobis sunt male gesta, reducimus; et per hoc, quod foris patimur, magis intus, quod fecimus, dolemus. Unde fit ut inter aperta vulnera corporis amplius nos abluat plaga secreta ventris; quia sanat nequitias pravi operis, occultum vulnus doloris. Hinc et Paulus ait : Quando infirmor, tunc potens sum. Quando enim sustinuit forinsecus flagella persecutionum, intrinsecus crevit dono spiritualium gratiarum. » Quæ Rabanus ad verbum transcripsit ex S. Gregorio, III part. *Pastor.* admonit. 13, sub finem.

Vers 3. 3. LABORAVIT DIVES IN CONGREGATIONE SUBSTANTIÆ, ET IN REQUIE SUA REPLEBITUR BONIS (græce τρυφημάτων, id est *deliciis*) SUIS. LABORAVIT PAUPER IN DIMINUTIONE VICTUS, ET IN FINE INOPS FIT. — Docuit disparem valde esse conditionem divitis et pauperis, ac laboris, quem uterque impendit ad congregandas opes; nam « laboravit, » id est labo rare solet, « dives in, » id est ad « congregationem substantiæ; » ut scilicet congreget substantiam et opes : « pauper » vero laborat « in, » id est ob, « diminutionem victus, » puta ob paupertatem, qua victu minuitur et destituitur, *q. d.* Pauper laborat non tam ut ditescat, quam ut victitet, et vitam laborando trahat et proroget; at dives non laborat ut victum comparet, quia eo abundat, sed ut opibus collectis majores adjiciat, locuples fiat et splendidus.

Vers 4. Rursum : « Dives in requie sua replebitur bonis suis, » id est dives, cum cessat laborare et congerere opes, ac requiescit contentus quæsitis, « replebitur bonis, » id est est laute et splendide vivet, deliciabitur, frueturque suis divitiis. At pauper, cum volet quiescere, aut cogetur ob senium morbumve cessare a labore, fiet inops cogeturque mendicare. Unde Græca habent : *Laboravit dives congerendis pecuniis, et in requie sua expletur deliciis suis. Laboravit pauper in penuria victus, et in requie sua fit indigens.* Ita Lyranus, Jansenius et alii. Secundo, Tigurina vertit : *Laborat dives in congestis opibus, et in quiete occupatur suis divitiis; laborat pauper in vita tenui, et fit egenus in quiete.* Quod sic explicat Vatablus, *q. d.* « Nimia sollicitudine tam dives quam pauper miser est. Hic enim tempore quietis et somni de sua pauperie cogitando pauperior fit : ille cura partorum discruciatur. » Omnia enim spectant eo, ut significetur miseria sollicitudinis, quæ esse solet in congerendis opibus.

Denique Palacius censet hic significari quod divites parvo labore multum ditescant; pauperes vero magno labore vix comparent necessaria ad vitam. Admonetur, inquit, pauper ne nimis ditari velit, quia dives facili labore bonis repletur : at pauper, qui (etiam sibi minuens victum) ditescere vult, tandem inops evadit. Dives quidam, interrogatus quomodo dives evaserat, respondit egregie : Cum pauper eram, magno labore conquisivi divitias; cum dives fui, magna eas facilitate paravi. Una enim ad Indos profectione parat sibi plus opum dives, quam per totam vitam miser agricola. Huc facit illud : « Facilius est ex asse decussem (id est decem asses) quam ex semisse (dimidio asse) assem efficere. » Idem locum habet in mercatura spirituali, ut patet in S. Paulo, Apostolis virisque Apostolicis, qui heroico actu uno plus effecere quam nos permultis. Unde « pauper, » ait Varro, « dicitur a paulula re, » vel « a paulo lare (vel a pauco ære) : dives, a divo, qui, ut Deus, nihil indigere videtur. »

Mystice, divites sunt Sancti ferventes et strenui ad accumulanda bona opera et merita : hi parvo labore multum ditescunt virtutibus et meritis; pauperes vero, id est remissi et tepidi, magno labore, quem subeunt, quemque sæpe parit ipsorum acedia et torpor, parum in sanctitate proficiunt. Unde Rabanus : « Laborat, inquit, justus

in congregatione spiritalis substantiæ, in meditando videlicet S. Scripturarum scientiam, et colligendo bonarum fructus virtutum; pro quibus omnibus post finem præsentis vitæ requiem æternam percipiet. E contrario vero pauper scientia et inops virtute, laborat quotidie in terrenis cupiditatibus, pro quibus in fine non abundantiam cœlestis habebit gaudii, sed pœnas ac dolores sustinebit inferni. » Quocirca sapienter S. Bernardus, serm. 4 *De Adventu* : « Veræ divitiæ, ait, non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. » Et S. Gregorius, homil. 15 *in Evang.* : « Fallaces, ait, divitiæ sunt, quæ nobiscum diu permanere non possunt; fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt; solæ autem divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus efficiunt. Si ergo, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate. »

Vers. 5. 5. QUI AURUM DILIGIT, NON JUSTIFICABITUR : ET QUI INSEQUITUR CONSUMPTIONEM, REPLEBITUR EX EA. — Est miosis, parum enim dicitur et plus significatur : « Non justificabitur, » id est adeo non erit justus, ut evadat injustus et sceleratus; auri enim cupido impellit avarum ad usuras, fraudes, illicitos contractus. Unde illud vulgo tritum : « Dives aut injustus, aut injusti hæres. »

Secundo, τὸ *non justificabitur* non tantum culpam injustitiæ, sed et ejus pœnam significat. *Justificari* enim Hebræis, *primo*, significat justum esse vel fieri; *secundo*, justum pronuntiari, declarari, judicari, absolvi. Qui ergo aurum diligit, « non justificabitur, » id est non declarabitur justus; sed injustus judicabitur, condemnabitur et punietur. Unde Tigurina vertit : *Amator auri non habebitur pro insonte*, id est innocente, et consequenter impunito, sed ut nocens acriter punietur. Nam ut explicans subdit : « Et qui insequitur consumptionem, » græce διαφθοραν, id est *corruptionem*, puta aurum et opes caducas et corruptibiles), *replebitur ex ea*. Qui sectatur opes corruptibiles replebitur rebus cito corrumpendis, ac cum eis, imo per eas et ante eas, brevi corrumpetur et interibit, ut corruptione et re corruptibili, quam tanto ardore adamavit, plene et usque ad collum impleatur. Innuit opes multis esse exitio, tum quia propter eas multi a furibus, aliisque qui opibus inhiant, occiduntur; tum quia labor et sollicitudo parandi, augendi et conservandi opes hominem exedit et consumit; tum quia opes pariunt delicias, luxum, gulam et crapulam, quæ plures occidit quam gladius. Unde Tigurina vertit : *Et qui consectatur exitium, eodem satiabitur*. Ita Palacius : Qui omnino, inquit, diligit aurum, velut idolum præferens ipsum omnibus aliis, is justus esse nequit, dum ita diligit. Duos enim deos nemo potest habere, nemoque potest Deo servire et mammonæ. Et qui hæc corruptibilia et consumptibilia sectatur, corruptione et putredine replebitur. Nam igni anima, caro vermibus erit in æternum obnoxia. Ut contra anima, quæ justitiam diligit, justa fit et saturatur ex ea; et quæ divinæ immortalitati adhæret, unus spiritus cum ea fit, ac ideo efficitur immortalis omnino. Ait enim : « Qui credit in me (ut debet) non morietur in æternum, » *Joan.* XI, 26.

Vers. 6. 6. MULTI DATI SUNT IN AURI CASUS, ET FACTA EST IN SPECIE IPSIUS PERDITIO ILLORUM. — *Primo*, Palacius per *auri casus* accipit auri præcipitia, in quæ ruit qui illud ambit. Est enim aurum, inquit, velut mons quidam difficillimus multa habens præcipitia, in quæ solet proruere qui aurum vult manibus arripere; e longe aspicitur cacumen montis, ubi aurum pulchra fulget specie; at, dum curris ut consequaris, cadit in præcipitia corpus, ubi peris. Ergo pulchram habet aurum speciem, sed multa occultat præcipitia, in quæ cadis prius quam auro fruaris. Pulchrum erat specie pomum, quod comedit Adam; sed in casum mortis, antequam comederet, cecidit. Sic Parthi cæso M. Crasso Romanorum duci insultarunt : « Aurum sitiisti, aurum bibe. » Hinc avarus dicitur quasi *auri avidus*, eo quod illo nunquam expleatur, ait S. Isidorus, lib. X *Origin.* littera A.

Secundo et planius : « Multi dati sunt in auri casus, » id est in casus et ruinas propter aurum, ut habent Græca, *q. d.* Multi in gravia damna corporis et animæ prolapsi sunt propter aurum. Vide dicta I *Timoth.* VI, 10. Est hypallage. Porro Græca jam sic habent : *Multi dati sunt in casum auri gratia, et facta est perditio eorum coram facie eorum, q. d.* Videntes et viventes, ideoque gementes et frementes perditi sunt; minus enim sentitur perditio et noxa, cum quis perit dormiens, vel occulte et nesciens, nec advertens, ut cum ex insidiis vel veneno interimitur; magis vero illa sentitur, cum quis perit vigilans, videns et sciens tum ipsam perditionem, tum ejus causam, quod scilicet ipse sibi per auri cupidinem hoc malum crearit. Unde Tigurina vertit : *Multi propter aurum ad casum dati sunt, et paratum habuerunt ante oculos suos exitium*; alii : *Multi pessumdati sunt auri gratia, et interitus ipsorum accidit coram facie ipsorum.*

Divitiæ faciunt miseros. Gnomæ.

Quocirca sapienter Nazianzenus, in *Distichis* : « Opes, inquit, illas ne ama, quas tempus delet; nam quidquid tempus exstruxit, idem etiam evertet. » Amplius addit S. Bernardus : « Divitiarum, ait, amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo; utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio vero timoris, amissio plena doloris invenitur. » Aristoteles, lib. X *Ethic.*, asserit obesse nimias divitias contemplationi, ac proinde summæ felicitati. Certe quietem ab iis non leviter turbari omnes experiuntur. Anacreon duobus a Polycrate Samio talentis acceptis, cum duas noctes somnum non cepisset, cura custodiendi vel collocandi; ea donatori remisit, addens « non tanti a se illa fieri, quantum sibi ab iis molestiæ provenisset. » Pulchre Horatius, *Satyr.* 1 :

> An vigilare metu exanimem : noctesque diesque
> Formidare malos fures, incendia, servos,

Ne te compilent fugientes; hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Eleganter Plutarchus, tract. *De Cupiditate divitiarum*, ait divitiis a nullo malo hominem liberari : quandoquidem ne hoc ipsum adimunt malum, sui cupiditatem. Aristippus eos qui divitiis non explentur, monebat laborare animo gravissime, ac medico et ejectione egere; perinde ac eos, qui quo plus bibunt vel comedunt, plus sitiunt esuriuntve. Sapienter Philo, lib. *De Temulent.*, asserit externa bona esse quasi stipatores et satellites bonorum corporis; hæc vero esse custodes et ministros bonorum animi.

Hanc gnomen et hoc enigma insigni vulpis, simiæ, elephanti, hyænæ, galli, castoris, etc., apologo, oculis subjicit Cyrillus, lib. III *Apolog. moral.* cap. v: «Simia, inquit, et vulpes proficiscentes, cum edentatum (id est dentibus carentem; ex dentibus enim elephantis fit ebur pretiosum) elephantem obvium habuissent, de casu cum peteretur, respondit: Ob dentis desiderabilis aviditatem bellum mihi avaritia suscitante, ut hostilia dentibus meis, insidiantium arma non captus effugerem, elegi potius arma naturæ abjicere; siquidem belligeris divitiis eligibilius est carere, quam ad hujusmodi tuendas caram vitæ suavitatem amittere. Deinde cum hyænam luminibus privatam obviam habuissent, diræ passionis causam inquirentes, lamentabiliter audiverunt : Effrenata humanæ cupiditatis rapacitas non tam vi quam arte doli munita, ob perditas gemmarum divitias, oculos quos concupivit, destruxit. A bonis enim bona perduntur, cum præter necessitatem superfluunt.» Subjicit deinde vulpem et simiam occurrisse gallo, cui cranium erat diffractum ob gemmam, quæ in eo gigni perhibetur, pergitque ad castoris occursum : « Cum castor, inquit, eis perditis genitalibus occurreret, petiverunt ut quid salutare generi seminarium defecisset? qui ait : Cum ob genitalia a perniciosis venatoribus infestarer, ne totum pars perderet, et genitalia genitorem concupita vastarent; ea certe malui mihi vorare hostilia, quam amatricis divitiarum et divitum hostilis avaritiæ voracitati me impendere. Melius enim est opes, quam salutis opem perdere. Quo quidem relicto, cum pavonem decaudatum vidissent : Quomodo, inquiebant, caudæ gloriam perdidisti? cui ille : Nimirum aurea penna placuit, et idcirco auri cupiditate servus avaritiæ hanc ademit. Mundiales namque divitiæ quem exornant, velut signum figunt cupiditatis ad durissimas sagittas. »

Opum damna et epitheta.

Ex quibus omnibus hanc conclusionem colligit : « Quid sunt carnales divitiæ, nisi blandimenta libidinis, fomenta cupiditatis, et onera mortis? Beatus certe qui caruit eis. » Quocirca simia, rogata a vulpe quid de divitiis sentiret, sapienter respondit : « Quod non nisi pœnalitates sint naturæ. Nam cum sic possessores suos illudant, et ad hujusmodi calamitates adducant, quid nisi virus putandæ sunt? Hunc siquidem edentant, illum exoculant, huic cerebrum vastant, illi vitalia perforant, isti genitalia vorant, alterum excoriant, alterum decaudant. Nonne sic avaritiæ ingeniosa vi a viris imprudentibus collectæ divitiæ, possessores suos plurimis vitiis lacerant, amatores depravant, dum os lingua magniloqua, contuitum invidentia, caput ignavia, ventrem gula, libidine genitalia, corpus infamia, et virtutum inopia totum vastant? O malum bonum, tam odiosum! O beata paupertas! O stulte dilectum malum! O infelix opulentia! De cætero paupercula pellis ditissima mihi est, et vilis magis placet quam pretiosa. Malo certe jam esse simia sine cauda, quam pavo cum cauda. »

7. LIGNUM OFFENSIONIS EST AURUM SACRIFICANTIUM : VÆ ILLIS QUI SECTANTUR ILLUD, ET OMNIS IMPRUDENS DEPERIET IN ILLO, — *q. d.* Aurum, quod avari quasi suum idolum numenque colunt, et cui omni suo labore, cogitatione, affectu et curis sacrificant, est lignum, in quod ipsi offendunt, impingunt et corruunt in mille mala ipsamque mortem. Unde Tigurina vertit : *Lignum offendiculi est ei sacrificantibus; væ consectantibus illud, omnis insipiens eo capietur*; alii : *Lignum offensionis vel scandali est sacrificantibus in illo, et omnis amens eo capietur.* Τὸ enim *væ illis qui sectantur illud*, jam non est in Græco. Vers. 7.

Quæres, quodnam sit « lignum offensionis? » *Primo*, Rabanus « lignum offensionis » refert ad arborem scientiæ boni et mali, quæ fuit offensio et occasio ruinæ primis parentibus, *Genes.* III, *q. d.* Sicut illa arbor perdidit Adamum et Evam, sic aurum perdit avaros. Lignum offensionis, quod? Resp. primo.

Secundo, Palacius censet alludi ad serpentem æneum, *Num.* XXI, *q. d.* Uti hic serpens aspicientibus erat occasio et causa sanitatis, ita ex adverso aurum avaris est occasio mortis. Verum hic serpens æneus erat, non ligneus, nec lignum offensionis, uti hic dicitur. Secundo.

Tertio, planius Jansenius per *lignum offensionis* accipit lignum, quod æque ac lapis in via ponitur, ut viam muniat, indicet, disterminet, aliisve de causis sæpe fortuitis, ad quod æque ac ad lapides itinerantes facile impingunt, ni sint oculati et providi. Igitur sicut est lapis offensionis et petra scandali, sic ejusdem est et lignum; quale inprimis est lignum intermedium sustinens muscipulam apertam, quam dum mus ingreditur, illud super se evertit, ac muscipula claditur, comprimitur et enecatur. Unde multi *scandali* nomen deductum censent; hoc enim lignum muribus est scandalo, ruinæ et exitio. Tertio.

Quarto, Palacius rursum sublimius censet alludi ad idola, quæ olim idololatræ præsertim pauperes faciebant ex ligno, æque ac ex ære, vel auro, ut patet *Isaiæ* XLIV, 13, *Sapient.* XIII, 11, *q. d.* Sicut idola lignea idololatris fuerunt scandalo, offensioni et ruinæ; sic est et aurum avaro; avaro, inquam, qui imprudenter cæca cupiditate illi in-

hiat, ideoque cæcus in latentia itinerum, latronum, furum, etc., pericula se injicit, imo ultro irruit, ideoque perit et corruit. Nam dives moderatus, qui caute et prudenter aurum consectatur, adeo non deperiet in illo, ut per illud perditionem et mortem sæpe evadat, imo auro mortem malumque omne redimat. Unde sequitur :

vers. 8. 8. BEATUS DIVES, QUI INVENTUS EST SINE MACULA : ET QUI POST AURUM NON ABIIT, NEC SPERAVIT IN PECUNIA ET THESAURIS. — Docuit quam noxia sit auri opumque cupido, qua laborant avari; unde nunc ex adverso docet quam fructuosus et gloriosus sit opum contemptus, adeo ut divitem efficiat felicem et beatum, *q. d.* Beatus est dives, non qui divitiis inhiat, nec qui divitiis abundat, nec qui in iis spes suas reponit, iisque se jactat et superbit; sed qui in divitiis vivit « sine macula » et inculpate, quique aurum non sectatur, nec in eo, sed in Deo sperat et recumbit. Hic, inquam, felix et beatus est : *primo*, quia integer et inculpatus; bona enim conscientia, integritas et justitia est beatitudo hujus vitæ. *Secundo*, quia magnum et rarum bonum, Deique donum est, divitem divitiis suis cor non apponere; sed ab iis intactum, liberum, excelsumque servare, ut iis dominetur quasi herus, non famuletur ut servus. *Tertio*, quia talis, licet sit dives censu, tamen est pauper spiritu : paupertas autem spiritus est perfectio et beatitudo prima evangelica, juxta illud Christi : « Beati pauperes spiritu, » id est mente et affectu, « quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* v. « Felicitas magna Christianorum, ait S. Augustinus, serm. 28 *De Verbis Apostoli*, quibus datum est ut paupertatem faciant pretium regni cœlorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inveniri. Vis nosse quam locuples sit? cœlum emit. » Spiritu ergo et electione pauperes inopiam quam adamarunt, vertunt in copiam, ut ait S. Salvianus. *Quarto*, quia talis recta tendit ad beatitudinem æternam in cœlis, juxta promissionem Christi jam recitatam. « Beatus enim, ait S. Isidorus, lib. X *Origin.* littera B, dicitur quasi *bene auctus*, scilicet ab habendo quod velit, et nihil patiendo quod nolit. Ille autem vere beatus est, qui et habet omnia quæ vult bona, et nihil vult mali : ex his enim duobus homo beatus efficitur. »

Dives non sperans in auro, beatus: cur? Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Nota : Pelagianorum fuit hæresis, divitem non posse Dei præcepta servare, et salvari; quare ut salvetur, requiri ut divitias abdicet, fiatque pauper, ut refert S. Augustinus, epist. 106 *ad Paulinum*, et lib. II *De Pecc. orig.* cap. XI. Quin et articulus sextus Pelagii, damnatus in Concilio Diospolitano, sic habet : « Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei. » Idem patet ex libello *De Divitiis*, Sixto III Pontifici falso adscriptus, qui exstat tom. V *Biblioth. SS. Patrum*. Hunc enim esse pelagiani alicujus liquet ex toto ejus argumento, quod est probare divites omnes, licet numerosam prolem habeant, si salvi esse velint, teneri divitias abdicare fierique pauperes. Qui fuit error Pelagii, uti recte adverterunt doctores Parisienses et Lovanienses. Contrarium ergo hic docet Siracides, scilicet divitem in divitiis posse esse beatum et salvari, si tres habeat conditiones.

Dives salvatur tripliciter.

Prima est, si vivat « sine macula, » id est sine peccato graviori et mortifero; Tigurina, *sine crimine*, ut scilicet leges Dei observet, uti fecerunt Abraham, Isaac, Jacob, Job et similes.

Prima.

Secunda, « qui post aurum non abiit; » Tigurina, *qui aurum secutus non est*, sed Deum Deique regnum, juxta illud Christi : « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis, » *Matth.* VI, 33. Unde Palacius : Si aurum, inquit, ad te jure venit, tu post illud non abis; sed si aurum injuste quæris, tu post illud abis. Si gratioso dono, si hæreditario jure, si justa arte aurum comparo, aurum ad me venit; sin per fas et nefas illud conquiro, si propter illud sacrum et res divinas violo, aut Ecclesiæ leges transgredior, post aurum vado; quia aurum mihi quasi viæ vitæque ducem præpono, ac post illud toto amore, affectu et conatu quasi mancipium sequor et feror. Sic Judæi dicebantur ire post deos alienos, cum relicto Deo illos colebant; simili modo avarus, cum aurum quasi idolum colit, post illud abit. Si licite veniens aurum amplector, non pecco; sed, si illicita ratione aurum perquiro, plane fugiens aurum consector; ac ideo miser fio, qui felix quærendo esse volebam, inquit Palacius.

Secunda.

Tertia : « Nec speravit in pecunia et thesauris. » Hæc sequitur e secunda; nam qui divitiis abundans eis cor non apponit, sed aversos ab eis mentis oculos in Deum conjicit, is non sperat in eis; sperat vero qui Dei fere oblitus, cor, et consequenter spes, in auro ponit. Hic enim sperat se per aurum omnia hujus vitæ incommoda superaturum et omnia commoda adepturum, scilicet honores, amplam familiam, splendidam mensam, amicitiam principum, victoriam de inimicis, etc. Hinc *secundo* per metalepsin sic exponas : « Nec speravit, » id est nec superbivit, non se extulit, non se jactavit et ostentavit, « in pecunia et thesauris. » Spes enim magnorum animum inflat ut superbiat, seque jactet et ostentet. Atque, ut ait S. Augustinus, serm. 5 *De Verbis Domini* : « Vermis divitiarum superbia est; » sicut enim pomo vermis, sic auro superbia innascitur. Hinc Christus divitibus « Væ, » id est æternam damnationem, intentat, *Lucæ* VI, 24. Et Abraham causam cur dives epulo sit in inferno, dat dicens : « Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, » *Lucæ* XVI, 25. Christus denique, *Matth.* XIX, 24 : « Facilius, ait, est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. » Quo circa S. Paulus divites monet ne sperent « in incerto divitiarum » suarum, I *Timoth.* VI. Et S. Pe-

Tertio.

nardus, *epist.* 103 : « Beatus, inquit, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. » Ubi paucis tria opum mala perstringit.

Notat Origenes, lib. I *in Job*, dici : « Qui post aurum non abiit, » non vero post oves, post pecora, post agros, *q. d.* Dives, qui post aurum non abit, est ille qui in pecoribus et terræ frugibus, non in auri argentique acervis divitias suas constituit; quamvis non neget etiam illum post aurum non abire, qui, cum illud habeat, illi avare non incumbit, sed liberaliter in pauperes erogat. Olim enim simplex et innocens veterum opulentia consistebat in ovibus, bobus, agris, quos labore suo excolendo justum sibi suisque parabant cibum; uti fecit Job, I, 3, Abraham et Lot, *Genes.* XIII, 5. Innocentia ergo peperit agriculturam, avaritia vero thesauros auri et argenti; quanquam et in agris ac pecoribus possit esse excessus, et nimia cupido ea augendi, quam proinde a se resecat dives qui sanctus et beatus esse cupit; uti resecavit Job, Abraham cæterique Patriarchæ. Quare sub auro, oves, boves, agros et quidquid auro est æstimabile intellige.

Mystice, beatus est dives, id est vir sanctus, qui (ut ait S. Ambrosius) dives est Deo, qui virtutem et sanctitatem colit, qui quasi mercator virtutibus comparandis insudat, qui opes nunquam perituras ambit, qui non sperat in suis, sed in Christi meritis. Hic dives tunc beatus est, cum sine macula est, cum scilicet leves etiam venialium peccatorum maculas diluit, et quantum potest declinat. Sed idem est vir beatus atque tranquillus; quare maculæ leves, quæ beatitudinem luxant, etiam tranquillitatem turbabunt. Eas ergo pro utili declinabit sanctus, ut beatus et tranquillus consistat et persistat.

Vers. 9. 9. QUIS EST HIC, ET LAUDABIMUS (græce μακαριοῦμεν, id est *beatificabimus*, beatum dicemus, beatum prædicabimus) EUM? FECIT ENIM MIRABILIA IN VITA SUA; — græce, *in populo suo* : quia raro dives caret macula injustitiæ, superbiæ, gulæ, etc.; rarius invenitur, qui sit auro veniente contentus; rarissime, qui in eo non speret, mentemque ab eo avertat; idcirco tanquam de re rara, mira et eximia ait : « Quis est hic, et laudabimus eum? » *q. d.* Tales pauci et rari, sed magni, eximii et admirabiles sunt. « Fecit enim mirabilia in vita sua. » *Primum* enim mirabile et quasi miraculum est, quod præter communem hominum sensum et morem divitias inordinate non amet; sed in iis quærendis, augendis, conservandis conscientiam sine macula intactam integramque conservet : divitiæ enim sunt illecebræ ambitionis, superbiæ, gulæ, iræ, aliorumque scelerum : unde divites multi sunt superbi, lauti, iracundi, imperiosi; cum pauperes sint humiles, parci, mansueti, subditi. « Quidni, inquit S. Bernardus, *De Convers. ad Cleric.* cap. XXX : periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam? » Idem lib. II *De Consider.* cap. XII : « Magnus est qui, incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia : nec minor, cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit. Quanquam facilius inveneris, qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. »

Hic facit quasi miracula. Primo.

Secundum miraculum est, quod post aurum non abiit, sed aurum post ipsum. Sicut enim umbra sequitur corpus, sic honor sequitur fugientem, et opes contemnentem. Aurum ergo, dum illud habes, parvipendere magni et mirabilis est animi. Hic ditior est quovis divite qui natat in auro, nec tamen eo satiatur.

Gnoma. Præclare Seneca, lib. II *De Paupertate* : « Nemo, ait, Deo dignus est, nisi qui opes contemnit; hoc efficiunt divitiæ, inflant animos, superbiam et arrogantiam pariunt, invidiam contrahunt, eousque mentem alienant, ut fama pecuniæ nos, etiam nocitura, delectet. » Et *epist.* 88, adversus Peripateticos loquens, divitias esse malas ostendit. Idcirco, *epist.* 20, inquit : « Magnus ille, qui in divitiis pauper est; sed securior, qui caret divitiis : nam divitiæ nedum non faciunt hominem bonum, verum neque divitem; quia avaritiam non exstinguunt. Veræ autem divitiæ sunt composita paupertas in lege naturæ, quæ sola avaritiam exstinguit : non enim qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est; tantum enim unicuique deest, quantum cupit : propterea brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est. » Et Epicurus dicere consuevit : « Si ad naturam vivas, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam eris dives : exiguum enim natura desiderat, opinio immensum. » Insuper divitias non esse bonas ostendebat Boetius, lib. II *De Consolat.*, ex eo, quia tunc solum nitent, dum eas effundimus; non autem, dum accumulamus. Præterea, quicumque divitias coacervant ac magnificiunt, multiplici ratione contra naturam operantur : primo, quia natura ea quæ terrena sunt, et ex terra prodeunt, nostris pedibus subjecit : nos autem ea tanquam idola veneramur, et supra caput collocamus. Insuper, quia veræ divitiæ per naturam factæ sunt communes; nos autem eas congerendo, nitimur reddere nobis proprias, et commune omnibus egentibus, præter naturam ab eis auferimus. Præterea, quicumque in divitiis accumulandis versantur, frequenter desiderio ducti possessoribus earum vim inferunt. Demum violentia utuntur : quia tunc dicimur vim alicui inferre, dum illud detinemus ne suum finem attingat : veluti tunc gravibus vim inferimus, dum eis impedimento sumus ne tendant ad centrum : finis autem divitiarum et pecuniæ est usus et effusio; dum ergo eas coacervamus, detinemus ne suum assequantur finem, et propterea vim eis inferimus. Hac de causa Aristoteles in I *Moral. Nicomach.* III, dixit summum bonum non esse collocatum in divitiis, quia vita pecuniis incumbens

βίαιός τίς ἐστι, id est modo quodam vim infert, sive violenta est : dicitur autem violenta varia ratione, ut patefeci, et præsertim postrema. Denique Pindari vox est : « Beatus, qui simul opes et mentem possidet. »

Divine S. Gregorius Nazianzenus docet veras opes, delicias et honores non consistere in earum ambitu, sed contemptu. Paradoxum hoc videtur, at revera ita se res habet. Unde dilaudans monachos : Horum, inquit, « opes sunt in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fecunditas in cœlibatu (siquidem præstantiores fœtus illi sunt, qui secundum Deum existunt, quam qui a carne ortum ducunt) : qui deliciis minime studere pro deliciis habent, qui regni cœlestis causa humiles sunt, qui in mundo nihil habent, et supra mundum exsistunt, qui etiam in carne extra carnem vivunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum inopia laborant, et propter inopiam regnant. » Veræ ergo opes sunt inopia, vera gloria ingloria.

Veri monachi, qui?

Tertium miraculum est, quod non speret in pecunia sua, uti facit mundus, sed in Deo vivo et vero : ideoque Dei causa et amore, auro ad ejus gloriam utatur, alendo pauperes, Religiosos, Dei ministros, loca sacra, etc.

Tertio.

Sequuntur duo alia mirabilia, de quibus ait : « Qui probatus est, » etc. « Tales divitias (ait Origenes, lib. I *in Job*) habuit laudabilis ille Job, castas, mundas, incoinquinatas, incontaminatas. De hoc namque dictum est, atque de similibus illius usque in æternum : Beatus, qui inventus fuerit dives justus, qui post aurum non ambulaverit, nec speraverit in argenti repositione. Vere enim inæstimabilis atque æterna beatitudo est, ut, cum quis dives effectus fuerit, non confidat in auro, neque intendat in argenti repositione, sed recondat hæc in mandato Altissimi, et det in eleemosynam pauperibus, sed seminet et læte spargat ea per animas miserorum, et per ora esurientium, vel per ora debilium, per destitutos et miseros, juxta hoc quod dictum est : Seminate vobis ad justitiam, ut metatis fructum vitæ, » *Osee* x, 12. Id fecisse S. Job ostendit Origenes, ex cap. ejus XXXI.

Scripsit in hanc Ecclesiastici sententiam S. Augustinus homiliam nonam inter 50, eamque initio sic explicat : « Beatus vir, qui post aurum non abiit, etc. : Fratres, interrogemus conscientias nostras, et videamus si ita cupiditatem contemnimus, ut istius beatitudinis participes esse possimus. Forte aliquis intra se cogitat et dicit : Nec furtum, nec violentiam facio, nec rapinas exerceo, nec res alienas aliquando negavi. Forte ideo non negasti, quia tibi nemo commendare voluit; aut, si commendavit, sub testibus commendavit. Dic mihi si reddidisti, quando a solo solus, ubi Deus inter vos fuerat, accepisti? si tunc reddidisti, si mortuo eo qui commendavit, nescienti filio reddidisti; tunc te laudabo : quia post aurum non ivisti; quia potuisti transgredi, et non es transgressus; quia potuisti facere malum, et non fecisti. Aut si forte sacculum alienum solidorum, ubi te nemo vidit, in via invenisti, et sine ulla mora, cujus fuerat, reddidisti. » Subdit exemplum pauperis, qui cum invenisset sacculum plenum ducentis solidis, integrum ei qui perdiderat, restituit, nihilque præmii ab eo accipere voluit, ut ille stomachans projiceret sacculum, dicens : « Si non vis a me aliquid accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei? Theatrum mundus, spectator Deus. Victus ille, quod offerebatur, accepit, et continuo totum pauperibus erogavit. Unum solidum in domum suam non misit. Considerate, fratres, tam gloriosum exemplum et tam admirabile factum. » Vide et S. Ambrosium hanc sententiam pertractantem, lib. *De Naboth*, cap. XIII.

Denique præclare S. Bernardus, serm. 1 *in festo omnium Sanctorum* : « Verumtamen, inquit, quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus et Martyribus, nisi quia veri martyrii genus paupertas voluntaria est? Beatus vir, ait Propheta, qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ. Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? An non merito coronabitur qui sic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et (quod gloriosius est) de semetipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem. Denique propterea pauperibus pariter et Martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur. »

10. QUI PROBATUS EST IN ILLO (auro), ET PERFECTUS EST, ERIT ILLI GLORIA ÆTERNA. — Aliqui nervosius legunt, *erit illi in gloriam æternam*. Vide Franciscum Lucam hic *annot.* 274. Græca habent ἔςω vel, ut alii, ἔςαι εἰς καύχημα, id est *erit*, vel *sit in gloriationem*, ut de eo gloriari possit Deus, Angeli, et ipse dives justus. « Perfectus est, » quia tentatio et probatio constantem in ea facit perfectum. Ita Romana Latina et Græca. Multi addunt, *perfectus inventus est*; Tigurina, *compertus integer*; quia verba Hebræorum realia sæpe per verbalia vel mentalia exponenda sunt, ut res dicatur esse talis vel talis, cum talis deprehenditur, vel pronuntiatur, uti ostendi *Jerem.* I, 10. Sic hic *perfectus* dicitur, qui per probationem auri perfectus invenitur.

Vers. 10.

QUI POTUIT TRANSGREDI, ET NON EST TRANSGRESSUS; FACERE MALA, ET NON FECIT. — Nervosius (licet eodem redeat sensus) codices manuscripti hæc æque ac versum præcedentem legunt per interrogatio-

Quarto.

nem, ac proinde pro *qui*, legunt *quis*. Græca enim tribus hisce versibus habent τίς, id est *quis*; unde sic vertunt : *Quis probatus est eo, et perfectus exstitit, et sit ei hoc laudi? Quis potuit transgredi, et non est transgressus? et facere mala, et non fecit?* Tigurina : *Quis eo probatus est, et compertus integer? is esto specimen gloriæ. Quis potuit peccare, qui non peccarit? Quis male agere, qui male non egerit? q. d.* Rarus est dives, cujus virtus auro probata integra et perfecta inventa sit : quare quisquis ille est, gloria æterna apud Deum et homines dignus est. Rarus est, qui non tantum per liberum arbitrium, sed multo magis per divitias habens illecebras omnis peccati, potensque impune leges omnes transgredi; nullam tamen transgressus est. Hinc enim opes græce vocantur δυνάμεις, id est vires, potentiæ; ac latine *facultates*, eo quod facultatem, potestatem et vires præstent tum ad virtutes, tum ad vitia quælibet, prout diviti ad alterutrum eis uti libuerit. Nam ut vulgo dicitur : « Magnes humani cordis est aurum. »

Quartum ergo mirabile et quasi miraculum est quod dives, auro probatus, perfectus inventus est. Probatus ac tentatus est Abraham, an potius filium quam Deum amaret : probatus et tentatus Job calamitatibus, an earum causa Deo malediceret; ita dives idcirco impletur divitiis, ut probetur an earum fiducia et amore capiatur. Mirabile est juvenem inter virgines pulchras versari, et earum decore non demulceri. Mirabile item inter fulgentes pecunias morari, et earum fulgore non capi. Divitiæ vocantur « mendacium, » vocantur « fallacia divitiarum, » vocantur « inanitates falsæ, » vocantur « fascinatio nugacitatis. » Quam igitur mirabile diu inter mendacia distineri, et ab eis non falli! picem tangere et non inquinari! Alterum miraculum est potuisse transgredi, et non fuisse transgressum. Potest enim pauper sæpe velle peccare : at non ita ei adest posse. Dives vero, qui ut vult potest, et cui semper ad manum est peccandi facultas, si nunquam crimen admittat, an non id mirabile est?

Nota *primo*, divitias esse tentationem et probationem, ut est etiam mulier pulchra. Qui igitur cupit ditari, cupit se periculo objicere; utinam non pereat in illo!

Nota *secundo* divitem esse perfectum, si inculpate vivat; quomodo enim imperfectus in tanta peccandi licentia non peccet?

Nota *tertio* divitias esse potentiam, vires et facultatem ad peccandum : sunt etiam ad benefaciendum; sed nostra miserja fit, ut eis potius ad malum abutamur. Hæc Palacius.

Eleganter ex Rabano et S. Bernardo Hugo : « Vere martyrii, inquit, genus est voluntaria paupertas. Quid enim mirabilius, aut quod martyrium gravius, quam inter epulas esurire, inter vestes algere, paupertate premi inter divitias, quas ostendit mundus, quas offert malignus, quas desiderat noster appetitus? Mirabile est ignem tangere, et non uri : spinas colligere, et non pungi : lapides portare, et non lædi. Et divitiæ ignis sunt, et spinæ, et lapides. » Quare vere Philosophus : « Quod ignis est auro, inquit, hoc aurum est homini; » quia sicut ignis probat auri puritatem, sic aurum probat puritatem cordis. Apud Maximum monachum exstant hæ sapientum gnomæ, *Serm.* 12 : Xenophontis : « Paupertas per se est docta philosophia; quæ enim hæc verbo suadet, illa opere cogit. Multorum malorum tegumentum est opulentia; » Menandri : « Beatus est ille qui opes et mentem habet. Is enim honeste, et, ut decet, iis utitur; » Democriti : « Divites multi sunt procuratores, non autem pecuniarum domini; » Isocratis : « Præsentibus contentus esto, et futura quærito; » Demonactis : « Sunt quidam qui non in hac vita præsenti vivunt, sed magno studio præparant, quasi alteram vitam sint acturi, non hanc præsentem; » Philisthionis : « Etiamsi fueris terræ decem millium cubitorum dominus, mortuus tamen eris trium duntaxat vel quatuor. »

Paupertas est martyrium.

Gnomæ.

ERIT ILLI GLORIA ÆTERNA : — quia ad hanc suspexit, et ob hanc temporales opes et gloriam despexit. At quanta est hæc merces? quis eam non ambiat, et ob eam omnia terrena et caduca contemnat? Quid enim et quanta est æternitas et æterna gloria? « Æternitas, ait Richardus Victor, lib. *De Æternitate*, est diuturnitas sine initio, et sine fine, carens omni mutabilitate. » Et Gilbertus Porretanus : « Æternitas est una singularis et individua, simplex et solitaria mora, in qua neque collatio, neque collectio est. » Unde Boetius, lib. V *De Consolat.* prosa VI ; « Nunc (momentum sive punctum durationis) stans, non movens, sese facit æternitatem. Æternitas igitur est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. » Et S. Anselmus : « Æternitas ejus rei est, quæ nihil aliud est quam ipsa, immutabile ens et sine partibus, » *q. d.* Æternitas est duratio Dei, sicut ævum est duratio Angelorum, qui habent principium, sed carent fine, cum Deus tam careat principio quam fine. Hinc Albertus Magnus in *Summa*, part. I, tract. V, Quæst. XXIII : « Æternitas, inquit, dicitur ab *ex*, vel *extra*, et *terminus*; quia scilicet extra terminationem est posita, » *q. d.* Exterminitas vel interminitas. Æternitas enim est ætas interminа, carens omni fine et termino.

Æternitatis definitio et etyma.

Alii æternitatis nomen derivant a Græco ἀεί, id est ut *semper*, æternitas sit idem quod sempiternitas. Alii illud derivant ab *æthere;* in æthere enim et cœlo omnia sunt æterna, cum sub eo omnia sint temporanea. Melius grammatici : Æternitas, inquiunt, dicitur quasi *æviternitas;* ævum enim dicitur a Græco αἰών, quasi ἀεὶ ὤν, id est semper existens; talis autem est æternitas. Unde Varro, lib. V : « Ævum, ait, dicitur ab ætate omnium annorum; hinc æviternum, quod factum est æternum : id ait Chrysippus esse αἰῶνα. » Isidorus vero, lib. VII *Origin.* cap. I : « Æternus est (Deus), quia

sine tempore est. Non enim habet initium neque finem. Hinc et sempiternus, eo quod sit semper æternus. A quibusdam autem æternus ab æthere dictus creditur, quoniam cœlum sedes ejus habetur. Unde est illud : Cœlum cœli Domino. Et hæc quatuor unum significant; nam una eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis. » Ratione tamen prius est esse immutabilem; quia enim Deus est immutabilis, hinc est immortalis et æternus.

Denique pie et erudite S. Augustinus, lib. XI *Confessionum*, cap. XI, æternitatem describit, et cum tempore comparat : « O sapientia, inquit, Dei, lux mentium, nondum intelligunt quomodo fiant, quæ per te atque in te fiunt, et conantur æterna sapere; sed adhuc in præteritis et futuris rerum motibus cor eorum volitat, et adhuc vanum est. Quis tenebit illud, et affiget illud, ut paululum stet, et paululum rapiat splendorem semper stantis æternitatis, et comparet cum temporibus nunquam stantibus, et videat esse incomparabilem; et videat longum tempus, nisi ex multis prætereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum non fieri; non autem præterire quidquam in æterno, sed totum esse præsens? et videat omne præteritum propelli ex futuro, et omne futurum ex præterito consequi; et omne præteritum ac futurum ab eo quod semper est præsens, creari et excurrere? Quis tenebit cor hominis, ut stet et videat quomodo stans dictet futura et præterita tempora, nec futura, nec præterita æternitas? » Et iterum, cap. XIII : « Anni tui nec eunt, nec veniunt; isti autem nostri et eunt et veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant; nec euntes a venientibus excluduntur, quia non transeunt; isti autem nostri omnes erunt, cum omnes non erunt. Anni tui dies unus, et dies tuus non quotidie, sed hodie; quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas; ideo coæternum genuisti, cui dixisti : Ego hodie genui te. »

Vers. 11. 11. IDEO STABILITA SUNT BONA ILLIUS IN DOMINO, ET ELEEMOSYNAS ILLIUS ENARRABIT OMNIS ECCLESIA SANCTORUM, — *q. d.* Ideo a Deo stabilem æternamque gloriam, et ab hominibus, præsertim fidelibus et sanctis, laudem perennem consequetur. Opponit enim Ecclesiam, id est cœtum Sanctorum, cœtui impiorum, qui laudant divites, non justos, sobrios et timoratos; sed injustos, rapaces, gulosos, prodigos, ut eorum opibus fruantur. Τὸ *in Domino* idem est quod a Domino, apud Dominum, per Dominum, in mente, memoria, remuneratione, destinatione et decreto Domini. Nervosius tamen dicit « in Domino » quam a Domino, *q. d.* In ipsis Domini thesauris, in ipsis ejus arcis, adeoque in ipsis Dei visceribus, tuto, stabiliter et fideliter hæc bona divitis eleemosynarii asservantur. Græca concise sic habent : *Stabilientur bona ejus, et eleemosynas illius enarrabit Ecclesia.* Eleemosynam Hebræi vocant חסד *chesed*, id est *pietatem*, puta opus pium, quo opes et operæ conferuntur in pauperes religiosos, templa aliasque res pias : sicut S. Gregorius omnes opes Ecclesiæ in pauperes Italiæ, imo totius orbis distribuit. Sic et S. Bernardus, *epist.* 95, citans hanc Siracidis sententiam, enarrat et celebrat eleemosynas Archiepiscopi Eboracensis.

Nota : Τὸ *stabilita sunt*, vel, ut græce est, *stabilientur*, dupliciter accipi potest : *primo*, de stabilitate, id est æternitate gloriæ paratæ illi a Deo in cœlo, *q. d.* Bona opera ejus apud Deum stabiliter conservantur, ut ea post Christi mortem stabili, imo æterna gloria remuneret. Unde Tigurina vertit : *Hujus enim virtutes* (videtur legisse ἀρεταὶ pro ἀγαθά) *constabilientur; et cœtus Sanctorum prædicabunt benefacta ejus;* alii : *Firma erunt benefacta ejus, et misericordias ejus enarrabit Ecclesia.*

Secundo, de stabilitate bonorum, id est opum, *q. d.* Divitis bona, id est opes, per ejus sanctitatem et eleemosynam stabilientur, id est Deus illa ipsi firma et stabilia efficiet : sicut ex adverso ab injustis et impiis opes aufert, juxta illud :

De male quæsitis non gaudet tertius hæres.

Unde moraliter hic disce eleemosynas et justitiam stabilire divitibus suas opes; eas vero luxare, infirmare et auferre tenacitatem et injustitiam. Hoc norunt sapientes mercatores, qui merces, naves et lucra sua assecurant per eleemosynas et opera pia. Idipsum docet S. Paulus, II *Corinth.* IX : « Potens est, inquit, Deus omnem gratiam abundare facere in vobis : ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. » Et mox : « Qui autem administrat semen seminanti : et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen (opum et eleemosynæ) vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. »

Tertio, Palacius quælibet bona hic accipit; sic enim prius membrum explicat, *q. d.* Si dives non transgrediatur, bona ejus stabilita erunt, scilicet bona temporalia et spiritualia. Uti enim Abraham tentatus in filio, illum non amisit, sed stabilius accepit : ita dives probatus in divitiis, et inculpatus in eis, eas non amittit, sed stabilit. Nam eleemosyna exorat ab omni malo : ergo exorabit, ut bona tua spiritualia et temporalia non tibi elabantur, sed stabiliantur.

In secunda parte multa nos Auctor docet : *primo*, proprium divitis sancti munus esse eleemosynas facere, ut id mirabile sit, quod dives divitias faciat a se continuo fluere; Deus autem eas stabiles faciat, ac velut aquas Jordanis in suum alveum reducat; *secundo*, docemur non in unum aut alterum eleemosynam pii divitis pervenire; sed in omnem Ecclesiam, quæ laudat beneficia sibi præstita : ergo, si fieri potest, ad omnes per- Eleemosynæ conditiones.

veniat divitis eleemosyna, uti Deus pluit super omnes; *tertio*, docet Auctor potissime eleemosynam tribuendam esse sanctis : « Laudet, inquit, Ecclesia sanctorum, » sicut Deus sua beneficia piis maxime confert; *quarto*, docet quod sit officium ejus qui beneficium recipit, scilicet, laudare et enarrare beneficium acceptum. Ita Palacius.

Exempla. Exemplum illustre exstat in S. Gregorio Nazianzeno, qui in *orat.* 19, de funere patris sui, quam habuit coram tota Ecclesia, illius æque ac matris suæ largas celebrat eleemosynas : « Quis, inquit, pauperibus, hoc est naturæ pari honore præditæ, vel animo condolentior, vel manu liberalior? sic enim haud dubio quasi alienorum bonorum procurator, de bonis suis existimans, pauperum inopiam quantum poterat sublevabat; ne superflua tantum, sed necessaria quoque in eam rem insumens, id quod hominis amicissime erga pauperes affecti clarissimum est argumentum. » Consonant quæ de matre Nonna subjicit : « Ad bene, inquiens, de omnibus merendum sic erat prompta et alacris, ut nulla hujus rei satietate affici posset, quæ denique non opes solum omnes, quas vel primum habuit, vel postea consecuta est, cupiditate sua minores existimabat, sed se quoque ipsam, si fieri potuisset, et liberos, ut ex ipsa sæpe audivi, prompte et lubenter vendidisset, ut in pauperum usus insumerentur. » Multa hujusmodi exstant exempla, ut de S. Martino, apud Sulpitium, de Paula Romana apud S. Hieronymum, *epist.* 27, de S. Paulino apud S. Gregorium, libro III *Dialog.*, de S. Benedicto, Joanne Alexandrino aliisque.

Præclare S. Ambrosius, lib. II *Officiorum*, cap. XXVIII : « Hoc maximum, inquit, incentivum misericordiæ, ut compatiamur alienis calamitatibus, necessitatem aliorum quantum possumus juvemus, et plus interdum quam possumus; melius est enim pro misericordia causas præstare, vel invidiam perpeti, quam prætendere inclementiam. » Hæc Ambrosius dixit, et fecit; nam omnia sua et sacra Ecclesiæ vasa conflari, et in egenos erogari præcepit.

OMNIS ECCLESIA, — id est omnes fideles Ecclesiæ, imo omnes partes Ecclesiæ, *q. d.* Omnibus liberaliter dat eleemosynam; idcirco ab omnibus ut liberalis celebrabitur. Quæ ergo hæc est « Ecclesia, » nisi templa quæ ædificant et exornant? monasteria et hospitalia, quæ fundant? Religiosi, quos alunt? viduæ, orphani et pupilli, quibus prospiciunt? infirmi, quos visitant et quibus tenere indulgent? nudi, quos vestiunt? esurientes, quos satiant? et omnes egeni, quibus subveniunt? domus enim et fortunæ eorum est quasi sinus Abrahæ in terra, ubi omnes pauperes suam inveniunt requiem.

SECUNDA PARS CAPITIS

TRADENS PRÆCEPTA MENSALIA.

Vers. 12. 12. SUPRA MENSAM MAGNAM SEDISTI? NON APERIAS SUPER ILLAM FAUCEM TUAM PRIOR. — Transit a divitiis ad delicias, quasi affines et vicinas; ex divitiis enim itur ad delicias. Sicut ergo hucusque docuit moderandum esse appetitum divitiarum : sic nunc docet deliciarum orexin esse cohibendam per temperantiam; intemperantia enim no-

Primum. cet valetudini, decori, famæ et conscientiæ. Primum ergo dat hoc honestatis et temperantiæ in mensa servandæ præceptum, dicens : « Supra (id est *ad*, *juxta*) mensam magnam, » id est magnificam et splendidam, « sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior, » ut aperto gutture pandas tuam gulam, qua ex impotenti ciborum et deliciarum orexi illico ante cæteros, etiam seniores et digniores, præceps patinas invadas, escas arripias, discindas, laceres et in fauces hiantes injicias : hoc enim tum indecens est, immodestum, incivile et rusticum; tum intemperantis animi gulæque indicium; sed exspecta donec is qui mensæ præest, aut digniores te, mappas explicent, cibos dividant, tibique tuam partem distribuant.

Hoc enim honestatis ordo, reverentia seniorum, et ciborum temperantia exigit ut ostendas te gulæ tuæ dominari, seniores revereri, et ordinem decoremque servare. Intellige hæc, nisi tu ipse sis præses vel dignior in mensa : τὸ ergo *aperias faucem*, notat ingluviem; τὸ vero *prior*, superbiam convivæ. Jam τὸ *prior* non est in Græco; sic enim habent Complutensia : *In mensa magna cum sederis, ne aperias guttur tuum super illam.* Igitur ita comedas, ut tamen aviditatem comprimas, serenitatem non perdas, famem cohibeas; ita comedas, ut ipsa celeritate et præcipitatione vescendi animus non distrahatur, nec totus sit in patinis, sed partem attentionis suæ det lectioni, aut cogitationi piæ; ita comedas, ut adstantes nihil in te immoderatum notent, nihil abjectum videant, nihil sordidum animadvertant; ita comedas, ut pædagogum, scilicet Angelum custodem, assistentem, et Deum præsentem advertas.

Mystice Rabanus : « Docet nos, inquit, ut in meditatione legis Dei simus providi et cauti. Mensa magna est copia Scripturarum divinarum, super quam sedentes non debemus esse procaces, ut aliquid indigne sine doctore et sine prævio rapiamus; sed magis tritam vitam Sanctorum sequentes, eorum disciplinis instructi regulam veritatis teneamus. » Rursum S. Augustinus, serm. 45 *De Sanctis*, sic legit : « Ad mensam magnam sedisti?

scito quoniam talia oportet te præparare.» Idque exponit de Martyribus : «Quæ est, inquit, mensa magna, nisi unde accipimus corpus et sanguinem Christi? Quid est, scito, quoniam talia oportet te præparare, nisi quod B. Joannes exponit, *epist.* I, cap. III : Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus pro fratribus animas ponere.» Pari modo cætera, quæ subdit mensæ præcepta, mystice adaptes mensæ spirituali Eucharistiæ, doctrinæ et S. Scripturæ : quanquam verius est S. Augustinum loco citato citare potius cap. XXIII *Proverb.* vers. 1 et 2, juxta Septuaginta : ibi enim habetur τὸ *scito quoniam talia oportet te præparare;* cujus nulla hic fit mentio.

Vers. 13 et 14. Secundum.

13 et 14. NON DICAS SIC : MULTA SUNT, QUÆ SUPER ILLAM SUNT : MEMENTO QUONIAM MALUS EST OCULUS NEQUAM. — Ita legendum cum Romanis et Græcis. Perperam ergo Rabanus et Dionysius pro *sic multa*, legunt *simulata*, sicque exponunt, *q. d.* Non dicas detrahendo hospiti et convivio : Simulata et ficta sunt, quæ in mensa hic apponuntur; non vera et pretiosa uti præ se ferunt, v. g. phasiani et cygni, qui hic ostentantur, non sunt veri, sed ementiti : artocreata, quæ jactantur esse ex carne aprugna vel cervina, sunt ex porcina vel bovina, etc. Mystice, ne dicas in S. Scriptura aliqua esse ficta, falsa vel dubia.

Rursum Lyranus et alii passim pro *sic* perperam legunt *si;* quod *primo* Lyranus sic exponit, *q. d.* Si multa edulia in mensa apponuntur, cave ne obmurmures culpesque herum de luxu et fastu, quod nimis magnificam mensam instruxerit, sed grato et modesto animo accipe quæ apposita sunt.

Secundo, Palacius, legens per interrogationem : «Si multa sunt quæ super illam sunt?» sic exponit, *q. d.* Cum sedes ad mensam, ne interroges an sint multa cibaria in mensa ponenda? Memento quod oculus hospitis tui irritabilis etiam in convivio malus erit, et irritabitur contra te ut illiberalem qui parvo nescias uti; nec enim creatum est quidquam tenerius, aut irritabilius, aut impatientius oculo, et propterea «lacrymabitur a facie sua,» id est ab aspectu suo, cum scilicet viderit te interrogantem an sint cibi multi, cum fortasse ille paucos habeat. Ne igitur interroges sintne cibi multi, ne irrites oculum adeo ex se irritabilem; et lacrymari cogas eum quem exhilarare debueras. Hæc Palacius.

Tertio, melius Jansenius τὸ *si* exponit per *siquidem*, ut sit vocula confirmantis respondens enclitico γε, quod est in Græco, *q. d.* Ne dicas : Siquidem multa sunt super illam, ideo oportet me multa comedere. Verum pro *si* legendum cum Romanis *sic*. Adstipulantur Græca, quæ sic habent : *Ne dicas : Multa quidem sunt, quæ super illam sunt;* subaudi : Ergo multum vorabo, meque iis opplebo. Ad gulam enim et ingluviem spectant præcedentia et sequentia. Unde Tigurina, hunc versum priori connectens, ita clare vertit, *si accubuisti mensæ magnificæ, ne faucibus tuis inhies in illam, quod dicas multa esse apposita* (*q. d.* Ideo multis me ingurgitabo, ait Vatablus); *sed quantum malum sit oculus nequam memineris, q. d.* Si multitudo ferculorum te allicit ad voracitatem, eam reprime per memoriam infamiæ et invidiæ. «Oculus enim nequam» est oculus avari et invidi, juxta illud cap. XIV, vers. 8 : «Nequam est oculus lividi.» Avarus enim dolet, dum videt et invidet convivæ multa ex suis eduliis edere et consumere, vel dissecare et dividere, quæ ipse integra et intacta servari vellet, ut ex iis alia convivia novis convivis instruat. Avari enim sæpe eadem variis hospitibus apponunt, ut suam magnificentiam ostentent, ideoque eadem intacta relinquunt, ut integra ad alia convivia conservent. Vide dicta cap. XIV, vers. 8. Hunc avari livorem et invidiam exaggerans subdit : «Nequius oculo,» etc. Aliter Lyranus, qui hæc accipit de oculo gulosi; hic enim malus est et nequam : «Nam major est, inquit, quam venter; quia frequenter plus cupit quam venter recipere possit.» Sic puerorum oculus major est ventre; quia omnia quæ vident habere volunt.

Vers. 15.

15. NEQUIUS OCULO (malo et invido) QUID CREATUM EST? IDEO AB OMNI FACIE SUA LACRYMABITUR, CUM VIDERIT. — Aliqui rursum cum Lyrano de gula sic exponunt, *q. d.* Gulæ non est indulgendum, eo quod oculus, id est animi cupiditas, quæ objectu aspectuque rerum jucundarum et delectabilium excitatur (unde dicimus cupiditatis oculos ad rem aliquam adjicere) prava sit, et incitata semel non facile rursus coerceri ac reprimi possit. «Ab omni facie lacrymabitur,» id est ægre feret, si minus parata sint fercula delicate, quam cupiat appetitus : coerce ergo oculum, ut coerceas gulam. Huc accedit noster Pineda, *Eccles.* cap. II, vers. 10, num. 4, qui sic exponit : «Nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie sua lacrymabitur, cum viderit,» *q. d.* Quidquid in faciem et in oculos incurrit, postulat statim cor, et depereunt oculi; nisi statim concedas, dolent graviter et assidue illacrymantur. Cum vero fieri non possit in humanis, ut tam facile sit quæ videris consequi, quam aspicere; necessum est (ut eleganter dicebat Diogenes apud Dionem Chrysostomum, orat. 4 *De Regn.*), «eum, qui variis cupiditatibus agitatur, crebrius continentiusque gaudere et affici ægritudinibus, quam venatores capta et deperdita præda.» Alii melius hic accipiunt de livore et avaritia. Unde Jansenius pro *sua* legens *tua*, sic exponit, *q. d.* Inter creata nihil pejus est oculo malo et invido; ideoque ob magnam suam malitiam etiam lacrymas profundet, graviterque discruciabitur ab omni tua, quam ei exhibes, facie. Verum *sua* non *tua* legunt cæteri codices omnes, etiam Romæ emendati. Porro Græca neutram vocem habent; ac pro *facie* legunt προσώπου, quod tam personam quam faciem significat. Unde Hugo sic exponit, *q. d.* «Ab omni

facie, » id est coram omnibus hominibus et Angelis, « lacrymabitur » in die judicii. Alii germanius, *q. d.* Oculus avari videntis et invidentis multa e suis a convivis consumi, lacrymatur et cruciatur a quavis persona etiam dilectissima, et ab omni facie sui convivæ. Si enim eum abstinentem videat et tristem; tristitia hac affligitur; sin videat eum liberaliter comedentem et hilarem, avaritia et invidia cruciatur. Unde Tigurina vertit, *nam quid nequius oculo creatum est? quippe quacumque de causa* (Vatablus, *super re quavis oblata*; alii, *omnibus modis*) *lacrymetur.*

Hic sensus facile aptari potest nostræ Latinæ Vulgatæ. *Facies* enim hic uti et alibi sæpe non active capitur, ut sit heri avari, qui aspicit; sed passive, ut sit convivarum, quæ ab hero aspicitur. Ac consequenter pronomen quoque *sua* non active, sed passive sumitur: *sua* ergo, id est sibi objecta, suam faciem suosque lividos oculos feriente, suam avaritiam cruciante, *q. d.* Avarus, invidus cruciatur ab omni facie convivarum sibi objecta; quævis enim rerum species ferit cruciatque ejus avaritiam et livorem. Sic *Levit.* XIII, 55, et *Num.* XI, 6, dicitur: « Si lepra mutaverit עין *eno*, id est « oculum, vel faciem suam; » hoc est, ut Noster vertit, « colorem suum. » Est metonymia; sumitur enim potentia pro objecto, puta oculus pro colore, qui oculo aspicitur. Exemplum festivum suggerit S. Ambrosius, lib. *De Naboth*, cap. IV: « Comperi, inquit, viri fidem, si quando ovum ei esset appositum, queri quod pullus esset occisus [illegible] enim excludi posset pullus.

Secundo, *facies* proprie et active accipi potest, ut sit ipsius avari aspicientis, *q. d.* Avarus invidia et dolore, dum videt multa a suis consumi, adeo cruciatur et dolet, ut copiosas fundat lacrymas, quæ omnem, id est totam ejus faciem irrigent. Avarus effuse totus tristatur, cum viderit convivas suos lætari et suaviter vesci. Aut « ab omni facie sua, » id est ab omni conversione faciei suæ, hoc est quocumque converterit faciem suam, cruciatur et lacrymatur, cum viderit res suas sibique dilectas consumi. Qui sensus fere eodem cum priore redit. Atque hunc ultimum esse sensum genuinum significant Græca etiam Romæ correcta, quæ pro eo quod sequitur: « Cum viderit, ne extendas manum tuam, » sic legunt: *Quocumque respexerit* (licet Complutensia legant, *respexeris*), *ne extendas manum tuam*, *q. d.* Ad quodcumque ferculum faciem converterit, quodque intentius inspexerit, cave ut illud tangas, discindas, dividas; quia aspectus hic signum est illud præ cæteris ab eo amari; ubi enim est oculus, ibi est pariter cor et amor: quare illud comedi sibique eripi dolebit, ideoque cruciabitur et lacrymabitur.

Ubi nota: Τὸ *cum viderit*, pleraque Biblia cum Rabano, Lyrano, Hugone et Dionysio jungunt cum « ab omni facie sua lacrymabitur; » Græca vero et nonnulla manuscripta, quæ citat Franciscus Lucas in Notis ad hunc locum, cum Jansenio referunt ad id quod sequitur: « Ne extendas manum tuam. » Biblia vero Romæ correcta ad utrumlibet referri posse indicant; sic enim legunt et dispungunt duos hosce versus: *Nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie sua lacrymabitur, cum viderit, ne extendas manum tuam prior.* Unde liquet τὸ *cum viderit* tam ad « lacrymabitur » quam ad « ne extendas » referri posse, juxta sensus jam datos.

Moraliter, disce hic quam oculus avari sit nequam, id est malignus, invidus et lividus. Idipsum graphice depingit S. Chrysostomus, homilia 10 *in I ad Corinthios*: « Et quid, ait, oculis illis impudentius? quid magis inverecundum? ne ejus vultum et oculos intuearis, quod sunt hominis; non enim sic aspiciunt humani oculi. Non aspicit avarus homines tanquam homines, non aspicit cælum tanquam cœlum, neque sursum respicit ad Dominum; sed omnia putat esse pecunias. Hominum oculi solent intueri homines afflictos, et dolere ac misereri; isti autem raptores vident pauperes, et efferantur. Hominum oculi non tanquam propria vident aliena, sed etiam propria tanquam aliena, et non desiderant quæ data sunt aliis, sed in alios quoque sua effundunt: isti autem non ferunt nisi res omnium acceperint; non enim humanum, sed belluinum habent visum. Hominum oculi nudum videre suum corpus non ferunt; suum enim est, etiamsi aliorum, quod attinet ad personam; isti autem nisi omnia denudaverint, et omnia domi recondant, nunquam satiantur: imo vero nunquam implentur. » Idem, hom. 64 *in Joan.*: « Gravis, ait, morbus est avaritia; oculos cæcat et aures obstruit, et quavis bellua sæviores reddit. » Porro quod avaritia sit invida, et invidia avara, ostendam proxime *Prov.* XXVIII, 22. Avaritiæ comes invidia.

Denique ad τὸ *nequius oculo quid creatum est?* spectat problema de optimo et pessimo, propositum a R. Joanne quinque suis discipulis. Quæsivit enim: « Quænam res vobis videtur optima? » Respondit *primo*, R. Eleazer, filius Hyrcani: « Oculus rectus; » *secundo*, R. Josue dixit: « Socius bonus; » *tertio*, R. Joseph ait: « Vicinus fidelis; » *quarto*, R. Simeon nihil magis homini expedire judicavit, quam « exitum rei considerare; » *quinto*, R. Eleazer, filius Arach: « Mihi vero, inquit, videtur optima res animus optimus; » atque huic palmam dedit magister R. Joannes. Idem deinde quæsivit: « Quænam res vobis videtur pessima, et summe cavenda? » Respondit *primo*, R. Eleazer, filius Hyrcani: « Oculus nequam res est nequissima, aut certe nequissimæ rei nuntia; » *secundo*, R. Josue: « Ego vero, inquit, quod oculo nequam est tributum, socio perfido censeo tribuendum; » *tertio*, R. Joseph « vicinum infidelem rem nequissimam » pronuntiavit; *quarto*, R. Simeon asseruit: « Nequissimum est mutuum non

reddere, cum illud acceperis, » juxta illud *Psal.* «Mutuabitur peccator, et non solvet; justus autem misereтur, et tribuet; » *quinto*, R. Eleezer, filius Arach : « Nequissimum, inquit, est cor nequam et pravum. » Cui assentiens magister R. Joannes: « Eleezer, inquit, rem acu tetigit; quæcumque enim a cæteris dicta sunt, ille tam breviter quam sapienter complexus est. » Ita refertur in *Pirke avoth*, » id est in *Apophthegm. Patrum Hebr.* cap. II. Ibidem R. Josue : « Oculus nequam, inquit, et cogitatio perversa, et odium in alios conceptum, ad interitum hominem ducunt. » Est hoc secundum convivale præceptum sive monitum; sequitur tertium :

Vers 16. Tertium. 16. NE EXTENDAS MANUM TUAM PRIOR, ET (id est *ut*) INVIDIA CONTAMINATUS ERUBESCAS. — Jussit ne quis prior instar lupi aperiat fauces super fercula; hic consequenter jubet ne quis prior in ea manum extendat : hoc enim ex illo consequi solet, sicut ex gula interna (cujus indicium est guttur hians) sequitur externa. Causam subdit : Ne hospitis avari et invidi contra te avaritiam et invidiam suscites et irrites, qua fiat ut te ignominia aliqua notet et contaminet; dum scilicet te oculo verberet, aut verbis suggillet quasi gulosum, inverecundum, audacem, minus liberum, etc., ideoque coram convivis pudefias et erubescas. Huc facit illud Comici : « Modestum esse decet eum qui alienis vescitur. »

Moraliter disce hic quantum malum sit invidia, ut nequius illa nihil sit. Vide S. Basilium, homil. *De Ira et Invidia*, et orat. 10 *De Invidia et Odio*, ubi apte et eleganter invidos, *primo*, comparat vulturibus et muscis : « Ac sane, inquit, quemadmodum vultures ad ea quæ male olent majori cum impetu feruntur, multa prata, multosque jucundos et odoratos locos prætervolantes; et ut muscæ, sanis corporis partibus neglectis, ad ulcera contendunt : sic etiam invidi, vitæ splendorem, rectique factorum magnitudinem ne aspiciunt quidem, ad marcida vero mirum in modum feruntur. » *Secundo*, eosdem comparat ærugini, dæmoni et viperæ : « Sicut enim ærugo, inquit, proprius est frumenti morbus, ita invidia amicitiæ. Et ut boni est nemini invidere, sic dæmonis peculiaris est invidentia; et perinde ac rubigo ferrum, sic invidia animam, quæ ex ea laborat, consumit; imo vero magis. Nam ut viperam aiunt, exeso materno utero in lucem edi, ita quoque malevolentia animam, quæ ipsam parturit, conficere solet. Invidus unicam mali exspectat recreationem, nempe sicubi conspexerit aliquem ex his, quorum bonis mœret, ruentem. Hic est odii scopus, infelicem ex felici, miserabilem ex beato aliquem conspicere. » *Tertio*, eosdem comparat pantheræ feræ sævissimæ : « Pantheræ, inquit, naturalem quamdam habent adversus hominem iram, et solent vel maxime in oculos insilire. Hinc qui insanæ illi bestiæ illudunt, ex charta imaginem quasi hominem ipsi ostentant; illa vero, nimio impetu ac nulla consideratione facta, esse hominem autumat, chartam veluti hominem concerpit, atque hinc quanto sit in homine odio ostendit : sic et dæmon in imagine quo sit in Deum odio ostendit, cum ipsum Deum attingere nequeat. »

Invidi similes vulturibus et muscis.

Et ærugini, dæmoni ac viperæ.

Et pantheræ.

Porro modos invidiam superandi alibi indicavi, nunc unius S. Mechtildis exemplo eos disce : « Mechtildis, omni major invidia, invidas charitate superavit, virtute confudit, auctoritate obruit, humilitate prostravit, ut sibimet fecisset, si qua moliretur aliquid contra illam, » ait Engelhardus in ejus *Vita*, cap. V.

Vers. 17. Quartum. 17. NE COMPRIMARIS IN CONVIVIO. — Complutensia et Lyranus addunt, *vino*; alii, *vini*, *q. d.* Ne premas et graves stomachum nimio vino; sed utrumque delent codices Romani et Græci. Nam de vini excessu aget vers. 30 et seq. Unde Jansenius censet hic agi de excessu cibi, *q. d.* Ne te nimio cibo ingurgites, ut stomachum opprimas. Verum Græca habent eleganti paranomasia, μὴ συνθλίβου αὐτῷ ἐν τρυβλίῳ, id est, *ne comprimaris cum eo in catino*; alii, *ne colliditor cum eo in catino*; Tigurina, *ne extendas manum quocumque respexerit, nec eam una cum ipso in catinum inferas*; τρυβλίον enim est catinus, patella, ollula, acetabulum. Ratio est, quia honestas et commoditas comedendi in convivio exigit ut unus conviva alium, præsertim herum, in patina arctiore, dum ex ea cibum sumit, non comprimat, sed suas vices exspectet, ut cum ille suam ex ea portionem acceperit, cæteri deinde suam sumant ordine quisque suo. Qui secus faciunt, imitantur porcos, qui gulosi in eodem trunco vorantes et sorbentes se invicem comprimunt, ut escas aliis præripiant; unde fit ut non raro truncum evertant, et tam se quam socios escis privent. Denique generatim « ne comprimaris in convivio, » ut scilicet loco aliquo honoratiori aut commodiori sedere velis, ubi et alios comprimas, et vicissim ab ipsis comprimaris. Hoc enim tibi æque ac aliis indecorum et molestum est, ac suavitatem et delectationem, quæ ex convivio hauriri poterat, omnibus adimit vel impedit. Verum enim est illud vulgo tritum :

Dimidium pastus, qui bene sedet, habet.

Quocirca præceptum convivale est : « Det operam convivator ne convivæ nimis arcte et anguste sedeant, ac proinde non plures invitet quam locus convivalis capere possit. » Ratio est, tum quia arcta sessio convivis est valde molesta; tum quia ex ea teter odor nascitur, qui convivas affligit, juxta illud Horatii, epist. 5 *ad Torquatum* :

Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ,

id est (ut interpretatur Lambinus) licet ut plures tecum comites adducas; sed hoc est metuendum, ne e multitudine convivarum arcte sedentium exsistat gravis et teter odor, præsertim ubi bene pasti graves vini et ciborum odores singuli ex-

halabunt. Teter enim odor nomine *capræ* intelligitur : capræ enim et hirci turmatim ad pascua euntes sese comprimunt, indeque olidæ tetrum et hircinum odorem exspirant. Est hoc quartum convivale præceptum; sequitur quintum :

Vers. 18. Quintum.

18. INTELLIGE QUÆ SUNT PROXIMI TUI EX TEIPSO, — *q. d.* Cognosce et metire sensa animi, et volita proximi ex sensis et volitis tuis : quare sicut doles et cruciaris, si quis in mensa tua sit insolens et audax, ut omnia fercula discindat; ut omnes carpere, omnibus, etiam ipsi hero, dominari velit : ita pariter scito dolere et cruciari proximum, si idem vel simile in mensa ejus facias tu vel alii. Igitur sicut velles alios in tua mensa esse honestos, temperantes et verecundos : sic pariter talis esto tu in mensa aliena. Græca idipsum pluribus inculcant; sic enim habent : *Considera quæ alterius sunt, ex teipso, et de omni re cogita;* Tigurina: *Affectum alterius e tuo judica, et rem omnem perpende.*

Secretum ad explorandum affectum alterius.

Posset, *secundo*, hæc sententia remotius referri ad invidiam et oculum nequam, de quo egit vers. 15, *q. d.* Vis scire an proximus, v. g. qui te invitavit ad convivium, interius contra te foveat invidiam et odium, an vero amorem et benevolentiam? explora animum tuum, an scilicet tu erga eum habeas animum benevolum, vel aversum et malevolum : si deprehendas animum tuum erga eum esse benevolum, eique bene velle; scito quod et ipse vicissim animo erga te sit benevolo, tibique bene velit : sin vero sentias te esse animo averso ab eo, illumque odisse, scito quod et ipse aversus sit a te, teque oderit. Sicut enim magnes amoris est amor, et amor amorem conciliat : sic vicissim magnes odii est odium, atque odium parit odium; fieri enim nequit ut hi amoris et odii affectus ita animo tegantur, quin aliquando per signa externa se prodant, itaque alteri innotescant : quo fit ut similem in eo affectum reciprocum excitent. Sapientis ergo consilium est : « Vis amari ab omnibus? tu prior omnes ama. Vis ut nemo te aversetur, et odio prosequatur? tu prior neminem averseris vel oderis. » Audi Poetam :

> Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.
> Hoc non fit verbis : Marce, ut ameris, ama.

Verum prior sensus magis est appositus, ideoque genuinus, eumque indicat id quod sequitur :

Vers. 19.

19. UTERE QUASI HOMO FRUGI HIS, QUÆ TIBI APPONUNTUR : NE, CUM MANDUCAS MULTUM, ODIO HABEARIS. — Τὸ *frugi* jam non est in Græco, qui sic habet, *utere quasi homo iis quæ tibi apposita sunt, et non devores, ne odio habearis, q. d.* Comede ut homo, honeste, modeste et sobrie; non vero inhoneste, immodeste et intemperanter vora ut lupus vel bestia. Tigurina, *apposita* (Vatablus, *proposita*) *tibi ut homo comedas, nec ingurgites, ne venias in odium* tum hospitis, tum convivarum cæterorum.

Sextum.

Est hoc sextum convivale præceptum, jubens frugalitatem, ut scilicet frugaliter quis utatur ferculis, nec omnia discindat, distribuat et voret, sed pauca tantum, quæ sobriæ refectioni sufficiunt; cæteris parcat, ut hospes iis ad alios usus uti possit.

Nota τὸ *quæ tibi apponuntur* : eo enim monet *primo*, ne in omnia quæ apposita sunt manibus nostris involemus, eaque aliis quasi præripere conemur : deinde ne quæ ante alium posita sunt, sed quæ ante nos, accipiamus; insuper ne quoquo versus in catinum manus inferamus, ut delicatiora nobis seligamus. Huc facit illud civilitatis mensæ præceptum : « Ne ex toto eligas disco, quod solent liguritores, sed quod forte ante te situm est, accipe. » Et illud Homeri : « Id quoque si fuerit insigniter elegans, alteri cedat, et quod proximum est accipiat. » Ut igitur intemperantis est in omnes patinæ plagas manum immittere; ita parum decorum est patinam invertere, quo veniant ad te lautiora. Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem, præfatus excusatiunculam recipias, sed resecta tibi portiuncula reliquum offeras ei qui porrexerat, aut proxime assidenti communica. Omnino ergo decenter et quadam quasi cum religione cibi apprehendi et attrectari debent. Sic comedes ut homo : vorare enim belluinum est, alienumque a natura hominis, qui ex omnibus animantibus, uti rationis, sic et ordinis, honestatis, pudoris, modestiæ, benevolentiæ temperantiæque particeps est.

Præclare Musonius apud *Stobæum* : « Cum, inquit, ἀμετρία, id est excessus nulla non in re sit vitiosus, tum in victu maxime suam naturam prodit, dum liguritores et helluones ex hominibus in sues aut canes, quoad ingluviem, transformat, omnis honestatis in manibus, visu esuque oblitos, tantam ipsis insaniam cupediarum amor gignit. Quid autem turpius, quam ita se præstare circa victum, ut bruti potius animalis, quam prudentis hominis imago sit? »

Nota.

Hujus frugalitatis sectator et præco eximius inter philosophos fuit Socrates, cujus de illa hæc exstant axiomata apud Laertium, lib. II, cap. V : « Qui frugaliter vivunt, longe plus habent voluptatis, ac minus cruciatuum, quam qui indulgent genio. Diis simillimus est, qui quam paucissimis eget : cum dii nullius egeant rei. Optimum cibi condimentum est fames, utpote quæ optime edulia edulcet, et nullius sit impendii. » Quocirca ipse convivis frugale apparans prandium, uxore sollicita de meliori : « Esto, inquit, bono animo; nam convivæ si frugi temperantesque sunt, boni consulent : sin minus, nulla nobis horum cura esse debet. Alii vivunt ut edant, ego edo ut vivam. »

Vers. 20. Septimum.

20. CESSA PRIOR CAUSA DISCIPLINÆ : ET NOLI NIMIUS ESSE, NE FORTE OFFENDAS. — Est hoc septimum monitum, scilicet ut conviva caveat ne ultimus sit in comedendo, sed potius prior comedere cesset, idque « causa disciplinæ, » id est honestatis, mo-

destiæ et verecundiæ, quam docet disciplina; ut scilicet ostendat se bene esse institutum, recteque educatum et moratum. In conviviis enim maxime ostenditur bona vel mala educatio per continentiam vel ingluviem, perque civiles vel inciviles mores et gestus. Ratio præcepti est : quia si nimius nimisque prolixus sit in comedendo, offendet hospitem et convivas, quin et subinde Deum et angelos. Græce, μὴ ἀπλήσθου, id est *ne sis insatiabilis*. Unde Tigurina, *modestiæ causa desiste primus, nec te præbeas insatiabilem, ut ne quid offendas.*

Continentiæ aurea præcepta

Huc spectant aurea continentiæ præcepta, quæ S. Martinus, Dumiensis episcopus, in libello ad Mironem Galliciæ regem conscripsit : « Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem. Nec præsentibus deliciis inhærebis, nec desiderabis absentes. Victus tibi ex facili sit : nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapores. Desideria tua parvo redime, qui hoc tantum curare debes, ut desinant; atque quasi ad exemplar compositus divinum a corpore ad spiritum, quantum potes, te festina reducere. » Huc facit illud Ovidii :

Neve diu præsume dapes, sed desine citra,
Et capias paulo, quam cupis esse, minus.

Ita « B. Posthumius nunquam pleno ventre a mensa recessit, nec sitim suam unquam sedavit, dicens non esse dignum, si carnis voluntas esset impleta, » ait auctor Vitæ ejus, quæ exstat in *Vitis Patrum*, lib. I. Huc facit proverbium Arabicum : « Ede vice post vicem (id est parum sed sæpe), et pinguesces. » Quod Galli dicunt :

Souvent et peu manger, fait l'homme engraisser.

S. Hieronymus Eustochio (epist. *De Custod. Virg.*) hoc dat præceptum : « Sit tibi moderatus cibus, et nunquam venter expletus. Plures quippe sunt, quæ cum vino sint sobriæ, ciborum largitate sunt ebriæ. » Et mox : « Sint tibi quotidiana jejunia, et refectio satietatem fugiens. Nihilo prodest, biduo triduoque transmisso, vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium : illico mens repleta torpescit, et irrigata humus spinas libidinum germinat. »

Vers. 21. 21. ET SI IN MEDIO MULTORUM SEDISTI, PRIOR ILLIS NE EXTENDAS MANUM TUAM, NEC PRIOR POSCAS BIBERE. — Jussit ut prior cesset comedere, hic jubet ut prior non incipiat, *q. d.* In convivio incipe post alios comedere, et cessa ante alios, ut in incipiendo sis posterior, in finiendo prior, ac paucis refectionem absolvas. Igitur nec in comedendo, nec in bibendo sis primus; solet enim in mensa præire comestio, deinde sequi potus : hic enim assumitur ut vehiculum cibi, ut scilicet cibum per venas et membra singula vehat et deferat. Quocirca medici docent sanitati conducere, ut quis initio refectionis non bibat, sed comedat bene; ut in stomacho solidum jaciat fundamentum ciborum, quod deinde bibendo potu irriget : perinde ac in navi substernitur saburra quasi navis fundamentum et libramentum. Idem tamen ad facilem cibi permeationem, et ad ventris laxationem suadent a cibis liquidioribus ordiendum esse prandium. Quocirca antiquitus cœnam (quæ priscis erat loco prandii : nec enim bis, sed semel in die sumebant cibum, scilicet vespere cœnabant; ergo non prandebant, ut patet ex Athenæo, in *Cœnis sapientum*) ab ovis auspicabantur, malis finiebant. Unde proverbium : « Ab ovo usque ad mala, » *q. d.* Toto convivio, toto colloquio, toto opere. Hac de causa in conviviis honestorum initio convivator discindit et distribuit cuique escas; illis comestis prior ipse poscit potum ac convivis præbibit, quibus deinde singulis ex ordine potus per famulos defertur : hoc enim honestas, modestia, decensque ordo postulant. Vide Clementem Alexandrinum, lib. II *Pædag.* cap. I, ubi plurimis præcepit quomodo in alimentis versari oporteat, ac non solum voracitatem et ingluviem, velut ab omni ratione divina et humana alienissimam, sed etiam omnes inciviles, indecoros, illiberales, agrestes et belluinos membrorum corporis motus gestusque in cibo sumendo vitandos esse docet.

Vers. 22. 22. QUAM SUFFICIENS EST HOMINI ERUDITO VINUM EXIGUUM, ET IN DORMIENDO NON LABORABIS AB ILLO, ET NON SENTIES DOLOREM. — Græca jam non habent τὸ *vinum*, nec τὸ *dolorem*; sic enim legunt, *quam sufficiens est homini erudito exiguum, et in lecto suo* οὐκ ἀσθμαίνει, id est ut Complutensia, *non anhelat*; Romana, *non laborat asthmate*; Tigurina, *modicum enim homini temperanti sufficit, quo fit ut non anhelet in cubili suo, nec dolorem sentiat. Eruditum* enim, græce πεπαιδευμένον, vocat bene institutum, bene moratum, sobrium et temperantem. Commendat sobrietatem tum in cibo, tum magis in potu (quia in potu, præsertim sapido et delicato, facilius exceditur quam in cibo) ex effectu, puta sanitate, quam tuetur et auget, *q. d.* Modicum cibi et potus homini sufficit, imo expedit ad sanam et jucundam vitam : nam is parit facilem commodumque somnum, qui omnes corporis vires et spiritus restaurat. Ex adverso largior et nimius cibus potusque, præsertim vespere (olim enim cœnabant tantum, uti paulo ante dixi) noctu non sinit hominem dormire et quiescere; sed is « laborat, » id est torquetur, cruciatur et dolet stomacho et capite, ut nimium onus cibi utrumque prægravans, ex eoque, sed magis ex potu, vapores et fumos in cerebrum ascendentes, alleviet, digerat et consumat. Ita Rabanus : « Manifestum est, inquit, quod parcus et tenuis victus tam corpori quam animæ utilis sit, et e contrario superfluus cibus vel potus ægritudinem generet, et sensum animæ minuat. » Sobrietas ergo mater est sanitatis æque ac sanctitatis, castitatis æque ac sapientiæ : sicut ex adverso crapula et ebrietas mater est morborum et vitiorum, libidinis et

vesaniæ. « Felicior *ergo* semper parca temperantia, quam profusa luxuria, » ait S. Leo, serm. 8 *De Jejunio septimi mensis*. Quocirca idem sapienter ex dictis alibi concludit : « Subtrahendum est voluptati, quod futurum est oneri, » de quo subdit Siracides : « Vigilia, cholera et tortura viro infrunito. » Pulchre Horatius, lib. II *Carm.* ode 16 :

> Vivitur parvo bene, cui paternum
> Splendet in mensa tenui salinum :
> Nec leves somnos timor, aut cupido
> Sordidus aufert.

Mystice, homini ad vitam istam transigendam « vinum exiguum, » id est pauca temporalia sufficiunt. Quæ moderate sumpta, et sine animi adhæsione ad usum accepta, tempore dormitionis vel mortis mentem non turbant, nec spina conscientiæ pravæ aut peccati dolore molestant. Hoc igitur faciunt perfecti in vita, seipsos, inquam, ad somnum capiendum exercent et præparant, in quo quidquid est mortale, pereat : quidquid est infirmum et noxium, deficiat, ut robustum et pulchrum gloriæ resurgat. Hoc faciunt, ut se ad iter comparent, et omnia quæ possunt in æternam civitatem præmittunt, ut ibi divitias et delicias nunquam perituras inveniant.

Vers. 23. 23. VIGILIA, CHOLERA ET TORTURA VIRO INFRUNITO. — Græce ἀπλήστου, id est inexplebili, insatiabili, helluoni, qui se ingurgitat plusque ingerit quam possit concoquere. Robertus Holcot, in *Sapient.* cap. XVIII, lect. 203, sub finem : Hæc omnia, ait, facit gula infrunito. Dicitur autem *infrunitus* quasi *sine frumine*, id est sine sapore : est enim frumen illa pars gutturis, quæ saporem sentit. Gulosus autem morcellos deglutit sine sapore, in modum lupi devorando : vel dicitur *infrunitus* quasi *sine fruno*, quod est confectio, qua coria fruniuntur : vel dicitur a *frenesi*, vel a *fronte*, vel a *freno*. Unde versus :

> Frons, frenesis, frumen, frumia, frena dabis.

Verum de etymo infruniti dixi cap. XXIII, 6. Huic gnomæ antistropha est ista :

> Parvo fames constat, magno fastidium.
> Nam tibi quanta ferent pingues fastidia mensæ?
> Prolixam tollunt fercula parva famem.

Vide S. Chrysostomum, hom. 13 *in* I *ad Timoth.*, ad illa : « Quæ in deliciis est, vivens mortua est, » ubi graphice intemperantiæ damna depingit.

Hanc gnomen apposito vulpis et porci apologo illustrat Cyrillus, lib. IV *Apolog. moral.* cap. IV. Macilenta vulpes, inquit, replendæ cutis curam agens, magistram quærebat. Occurrit porco pingui et crasso, sed in posterioribus vili cutis apertura fœdato; eique dixit : « Quid est, frater, quod te non tantum sorditie fœdum, verum etiam in posterioribus video tam corrosum? satis certe miranda est cutis de plenitudine, sed non minus de sorde aut ulcere. At ille rubore vultu confuso respondit : Nempe, carissima, facilius est hoc pestilentissimi muris, ad cujus minimi morsus acumen nil passus est sensus; quia moles pinguedinis nec sensum pati, nec motum subvenire permisit. Nonne crassities venatorum insensibiliter lethiferum patitur ictum? Ad hæc vulpes antiquæ eruditionis sententiam adjunxit : Maledicta sit talis pinguedo, quæ est stupefactiva sensus, dissolutiva motus, sorde referta, doloroso onere gravata, generationis orbata gaudio, et vitæ est privata tripudio. Plurima enim sunt quæ pinguedine suffocantur, et prolifica virtute orbantur. Gaudeo certe amodo, conscia tui, et chara mihi est admodum experientia mei. » Unde epimythium abstinentiæ colligens subjicit : « Naturæ de cætero juxta sapientis dictum moderantia serviam, quæ pluribus ingens salutis mater, et modicis contenta est. Nec obediam intemperantiæ gulæ, quæ infirmitatis est fons, pœna libidinis, desipientiæ semita, mortis janua, et nunquam est ullis epulis contenta. Cum enim ad salutem et vitam naturali lege ordinatus sit cibus, eo in perditionem et mortem suam immoderate utitur fatuus. Magistrum igitur hisce eruditum, discipula vale dicto reliquit. »

Apologus gulæ.

Gulæ damna.

Vers. 24. 24. SOMNUS SANITATIS IN HOMINE PARCO : DORMIET USQUE MANE, ET ANIMA ILLIUS CUM IPSO DELECTABITUR. —Græca hæc transponunt, priorem enim versum postponunt posteriori, hoc modo, *somnus sanitatis in intestino moderato; surrexit prior* (Complutensia, *mane*, græce enim est πρωί) *et anima ipsius cum ipso; labor, vigiliæ et choleræ, et torturæ cum viro insatiabili;* alii, *labor pervigil et cholera et tormina comitantur hominem inexplebilem;* Tigurina clare ; *somno salubri fruuntur viscera temperantis, mane surgit idem et compos est animi : labor autem vigil et cholera torsionesque exercent hominem insatiabilem;* Arabicus, *vigilia, et labor, et tormentum viscerum commotio* (perturbatio) *cum eo qui deditus est ventri : dormitio sanitatis cum homine continente.*

Opponit commoda temperantiæ et temperantis damnis intemperantiæ et intemperantis : quod hæc *primo*, pariat vigilias; tum quia onus cibi, quo prægravatur intemperans, non sinit eum dormire et quiescere; tum quia vapores et fumi indigesti ex eo continuo ascendentes ferientesque cerebrum, impediunt ejus soporationem. *Secundo*, quod pariat choleram; tum quia dulces cibi in bilem vertuntur, ut docent medici; tum quia copia ciborum et vinorum accendit calorem et sanguinem, qui accensus cibum accendit et in choleram vertit; cholera enim est inflammatio sanguinis et chyli. Cholera autem, utpote acris et ardens, vehementer corpus pungit, cruciat, accendit, ac febres ardentes creat, atque lites in rixis pugnasque et cædes concitat. *Tertio*, quod pariat torturam, id est tormina, puta ventris distensionem, flatus et phlegmata : in hæc enim vertitur cibus indigestus, eo quod calor naturalis non sufficiat ad tantam ciborum copiam rite conficien-

Intemperantiæ damna tria.

dam et concoquendam. Qua in re gulosi advertant jam in se impleri exsecutionem judicii illius, quod *Apoc.* XVIII, de Babylone illa ipsorum matre definitum legimus : « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit : tantum date illi tormentum et luctum. » Cibos enim quos guttur cum voluptate glutivit per diem, stomachus noctu digerere non valet, ut eos in chylum et sanguinem convertat; quare illos in flatus et phlegmata commutat, quæ eructationes, distensiones, asthmata, colicas, catarrhos aliosque morbos creant. Vesperi ergo, dum cœnas, sobrius esto; memor, si secus facias, te brevem modicamque gulæ voluptatem luiturum longa duraque totius noctis tortura et equuleo. S. Ambrosius, lib. *De Elia et Jejunio*, cap. VIII, accipit torturam gehennæ, quam subiit dives epulo post mortem sepultus in inferno, ubi lingua ejus gulosa cruciabatur in flamma; item de tortura sollicitudinum, quas subeunt instruentes convivia, easque ipse graphice depingit. Huc facit Hebræorum proverbium in *Gemarra* : « Plenus venter, omne genus mali. » Nam ii quorum ars sagina est, nec vivere possunt diu, nec sani esse, animusque eorum nimio sanguine et adipibus quasi luto involutus, ut vigilans nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de ventris cogitat ingluvie : ita cum sommo sopitus est, immoderato pastu potuque obstupefactus absurdis jactatur insomniis, ut merito mentis humanæ sit expers; cum e contra hominis parce, continenter, severe sobrieque viventis somnia jucunda esse soleant, ut, cum experrectus, illorum meminerit, et inter dormiendum etiam, quod dicit Sapiens : « Anima illius cum ipso delectetur. »

Apolo-gus. Elegans apud Æsopum exstat apologus muscarum de gulæ noxa : « In cella quadam, inquit, melle effuso, muscæ advolantes comedebant; implicitis autem earum pedibus avolare non poterant. Cum vero suffocarentur, dicebant : Miserè nos, quia ob modicum cibum perimus. Fabula significat multis gulam multorum malorum esse causam. » Præceptum est Scholæ medicorum Salernitanæ :

Ex longa cœna stomacho fit maxima pœna :
Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

Horatius, lib. II *Sermon.* satyra 2 :

Alter (*tenuiter vivens*) ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.

Epictetus : « Hoc, inquit, inter epulandum considera, duos tibi excipiendos convivas, corpus et animam. Tum quod omne in corpus collatum, repente effluxurum sit : quod vero in animam, perpetuo servandum. » Clemens Alexandrinus : « Hominibus, inquit, sæpe damnum et molestiam procreavit voluptas : graves autem affectiones, et oblivionem, et insipientiam in animo parit nimia alimenti copia. » Musonius, lib. I *De Alimentis* : « Fundamentum, inquit, sapientiæ est continentia circa cibum et potum. » E contrario, ut ait Horatius, loco supra citato,

Corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affigit (*Lambinus legit*, affligit) humo divinæ par
[ticulam auræ.]

Præclare Climachus apud Antonium in *Melissa*, part. I, cap. XIV : « Qui ventri deditus, inquit, spiritum scortationis superare conatur, similis est restinguenti incendium cum oleo. » Idem, *ibid.* cap. XXXIX : « Onerato ventre deprimitur cor; si autem ejus ratio habeatur, exsultat mens. » Et S. Chrysostomus, *ibid.* : « Venter crassus, inquit, mentem subtilem non parit. Multa vorare, ad pardalim, ursum et leonem pertinet : pedum dolores, et capitis gravitates, et oculorum hebetudines, et manuum ægritudines, et tremores, et resolutiones, et aurigo, et febres longæ ac horrentes ex voracitate et repletione produci solent. Nam cibo non saturari, sanitatem esse medicorum filii pronuntiant. Obsonii loco tibi sit inopia et fames. Condimentorum sensus ad palatum terminatur, deinceps vero indifferens est quod ingeritur, omnia ad fœtorem usque alterante natura. » Ibidem Philo : « Continentiam, inquit, sanitas et robur sequitur; incontinentiam vero infirmitas et ægritudo morti vicina. » *Ibidem*, cap. XXXVIII, S. Basilius : « Contumelia dæmonum, inquit, nihil audet adversus jejunantem, et vitæ nostræ custodes angeli alacrius manent apud illos qui per jejunium purgati sunt. » Denique Comicus : « Virtutis conclave, inquit, temperantia est. » Plura hac de re dicam proximo opere *in Prov.* XXIII, 3, sub finem.

Igitur cœna sobria et parca conciliat, *primo*, somnum facilem et suavem, carentem insomniis tetris, horridis et funestis, quæ parit nimia ciborum copia; Sobriæ cœnæ commoda. Primum.

Secundo, temperiem humorum, ut nec cholera, nec melancholia, nec phlegma, nec sanguis exsuperet; sed singuli hi quatuor humores inter se debitam habeant proportionem et libramentum, in quo corporis sanitas et recta valetudo consistit; Secundum.

Tertio, stomachi et intestinorum quietem (ac consequenter animæ quietem et delectationem), quia hæc recte modicum cibum digerunt et distribuunt, ac proinde flatibus et torminibus non exagitantur. Hoc est quod ait : « Somnus sanitatis (id est sanus, sanitatem conservans et augens) erit in homine parco, » id est frugali et sobrio. Quocirca talis « dormiet usque in mane, » quia cibi eum non gravabunt, nec excitabunt, ut cogatur surgere ante tempus : ac cum stato tempore excitatus fuerit, « anima illius cum ipso delectabitur, » *q. d.* Secum ipse gaudebit, quod in convivio et cœna hesterna sua sobrietate conservarit sanitatem tum corporis, tum mentis et judicii, quam perdunt ebrii; tum conscientiæ, quod eam non læserit per gulam et intemperantiam. Quare illico bene dispositus, lætus et alacer surget, ut suas preces, studia et negotia solita sui Tertium.

compos, vegetus lætusque peragat. Vigiliis ergo opponit somnum, choleræ sanitatem, torturæ delectationem. Pulchre dicit : « Anima illius cum ipso delectabitur : » quia, sicut citharœdus delectatur videns pulsansque citharam harmonice compositam, illa enim concinnam harmoniam edit; dolet vero et tristatur, si eam distemperatam videat, illa enim raucum et absonum edit sonum : ita pariter anima, dum corpus habet temperatum, gaudet et delectatur; quia per illud rite canere, legere, orare, studere, etc., valet : dolet vero et affligitur, si corpus vino et crapula sit distemperatum, ideoque ad officia mentis ineptum. Corpus enim est quasi cithara, anima est quasi citharœdus.

Somnum colebant ut deum, cur?

Porro somni tanta est utilitas ad hoc ut digerantur cibi, vires instaurentur, minuantur curæ, leniatur ægritudo, ut non dubitaverint ei divinitatem assignare Gentiles, qui quotquot ex rebus commodum capiebant, eas venerabantur ut numina, e quibus unus ita cecinit Ovidius lib. II *Metamorph.* :

> Somne, quies rerum, placidissime somne deorum,
> Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
> Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.

Sed et Orpheus somnum vocat regem felicium deorum, et omnium mortalium, hominum atque animantium. Sic vero cantat Seneca in *Hercule furente* :

> Tuque, o domitor somne malorum,
> Requies animi, pars humanæ melior vitæ.

Scribit Tertullianus lib. *De Anima*, cap. XLIII, somnum esse recreationem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem facit, auferendo rerum etiam colorem. « Perfugium videtur, inquit Cicero, omnium laborum et sollicitudinum esse somnus, » lib. II *De Divin.*

Audi Franciscum Valesium lib. *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXIII : « Viro, » inquit, infrunito accidet « vigilia, cholera et tortura; somnus autem sanitatis in homine parco. » Nihil magis experimento cognitum, quam eum qui se cibis implevit usque ad satietatem, non posse dormire, sed aut totam noctem vigilare huc et illuc se jactantem, neque posse loco consistere : aut dormire somnum gravem cum multis horrendisque insomniis; neque eum longum, sed crebro interruptum, ac cum cholera nonnunquam et tortura, hoc est, cum anxietate ventriculi et vomitibus cibi corrupti, aut nauseis et ructibus nidorosis (hic affectus vocatur ab Hippocrate cholera sicca) et cum torminibus intestinorum : illud quidem ob cibos corruptos, qui adhuc in ventriculo hærent; hoc ob eos qui in intestina descenderunt. Eum vero, qui parce aut citra saturitatem cœnavit, dormire usque in mane, et animam ejus cum ipso delectari, hoc est magnam ex somno voluptatem capere, et expergisci alacrem et expeditum; quod quidem signum optime peractæ concoctionis, atque adeo bonæ valetudinis est. Ob hæc igitur jubet parcum esse, et præterea in omnibus operibus esse velocem. Idem paulo superius ex Hippocrate docet præcipuam sanitatis tuendæ rationem consistere in diæta, sive in moderatione cibi et potus. Nullus enim error in victu committitur, qui non æque utramque partem hominis lædat. Ebrietas enim ut caput gravat, ita mentem lædit : cibi et potus ingestio nimia, ut replet siccis corpus, ita facit hominem libidinosum : otium facit corpus excrementosum, et animum mollem ac desidem : cibi abstinentia nimia extenuat ac debilitat corpora, animum vero facit meticulosum : vini potus (cui aqua erat ex re) fluxiones multas ciet, et iracundiam affert : potus aquæ (cui vino erat opus) cruditates parit et tristitiam.

Si igitur, ut ad tuendam corporis valetudinem humores oportet esse compositos, ita ad valetudinem animi, affectus; et utrosque modo aliquo turbat quicumque error in victu; constat idoneam victus institutionem ad totius hominis valetudinem, corporis, inquam, et animi, esse necessariam. Cum præcipue non solum talis error utrosque per se turbet, sed et alterutros per alteros. Utcumque enim turbentur succi, evenit turbari affectus; et utcumque turbentur affectus, humores quoque. Quapropter verissime dictum est a Galeno medicinæ partem esse philosophiam morum, non solum quæ ad reipublicæ pertinet constitutionem, sed quæ singulorum moribus componendis se accommodat. Hæc enim affectus temperat, quæ una quidem pars est (neque ea maxima) totius victus : cum hic, ut medicis omnibus convenit, sex constet rebus, cibo et potu, motu et quiete, somno et vigilia, aere, animi affectibus, et excretione aut retentione quorumdam. Hæc Valesius.

Sanum vesci citra satietatem.

Denique inculcandus est aphorismus Hippocratis, lib. I, cap. XVII : « Ubi cibus præter naturam, » hoc est plus æquo, « ingestus est, morbum facit. » Nunquam enim ad satietatem, sæpe infra illam cibum sumpsisse profuit : sic enim melior fit concoctio, et minus excrementorum gignitur. Idem, lib. VI *Epidem.* part. V, *aphorism.* 20 : « Sanitatis studium est, inquit, non satiari cibis, et ad labores impigrum esse. » Idem asserit ἔνδειαν μήτερα ὑγιείης, hoc est *indigentiam esse matrem sanitatis.* Hinc in *Decret.* dist. ult. *De consecr.*, legimus quosdam morbo articulari et podagra laborantes, ad simplicem mensam et pauperes cibos redactos, convaluisse. Constat eos, qui escis vilissimis utuntur, esse robustiores, saniores et vegetiores, uti sunt agricolæ, opifices, famuli. S. Hieronymus : « Epularum largitas, inquit, et corpus frangit et animum. » Democritus aiebat « animam siccam, » id est sobriam, « esse sapientissimam. » Idem dicebat « satius esse mori, quam per intemperantiam animum obnubilare. »

Moraliter. de damnis gulæ.

Moraliter disce hic, quanta sit gulæ intemperantia et noxa. Præclare S. Basilius, homil. 1 *De Jejunio* : « Venter, inquit, helluo est, poscendi finem nunquam faciens. Cum cibis refertus est, de temperantia disserit : cum autem inflationem discussit, dogmatum suorum oblivione capitur.» Idem, *De legendis Gentilium libris* : « Gulones, ait, non leviores pœnas pendunt quam ii qui in inferno excruciantur, ut qui aperte ignem verberent, ac cribro aquam ferant, atque in pertusum dolium infundant, nec laborum ullum finem faciant. » Hinc et S. Gregorius Nazianzenus, in carm. *De Diversis vitæ gener.*, ventrem escis saturatum vocat sepulcrum. Nam vivum sepulcrum circumfert, qui corpus cibo meroque distentum atque obrutum gestat. Idem in *Tetrastichis* :

> Vinum, libido, livor et dæmon pares :
> Hos mente privant, quos tenent.
> His tu prece medere, fusis lacrymis, jejunio.

Idem, in *Distichis* : « Contumeliæ atque insolentiæ, ait, parens est satietas. » Quocirco sapienter S. Hieronymus monet S. Paulinum, *epist.* 13 : « Convivia, inquit, velut quasdam catenas fugias voluptatum.» Plura vide apud Damascenum, lib. I *Parallelorum*, cap. LXXVII. Rursum S. Bernardus, *De Interiori domo*, cap. XLVI : « Nullus tam improbus exactor est quam venter.» Idem, epist. *ad Robert. nepot.* : « Vinum mulsum et pinguia corpori militant, non spiritui. Piper, zinziber, ciminum, salvia et mille species salsamentorum palatum quidem delectant, sed libidinem accendunt. Prudenter sobrieque conversanti satis ad omne condimentum, sal cum fame. » Idem, *De Persecut. sustin.* cap. XII : « Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum; et ejus tam modicæ partis tam exigua delectatio, quanta paratur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit! » Idem, serm. 1 *De Adventu* : « Plenitudo, ait, et abundantia temporalium oblivionem et inopiam facit æternorum. »

Vers. 25. 25. ET SI COACTUS (gravatus) FUERIS IN EDENDO MULTUM, SURGE E MEDIO, EVOME : ET REFRIGERABIT TE, ET NON ADDUCES CORPORI TUO INFIRMITATEM. — Ita Romana et Complutensia, licet Græca Romæ correcta deleant τὸ ἔμεσον, id est *evome* : quasi solum suadeat surgere et obambulare ad digerendum cibum. Pro *surge e medio*, græce est ἀνάςα μεσοπορῶν, quod Complutensia vertunt, *surge per medium* (mensarum et convivarum, *transiens*, Romana vero legentia per ω, et accentu in penultima μεσοπώρων, vertunt, *surge in medio pomorum*, scilicet in fine mensæ, dum apponuntur poma et bellaria, *q. d.* Surge non exspectato fine secundæ mensæ; alii, *surge quasi e media cœna abiens*; Tigurina : *Quod si te cibi angant, exsurge, obambula, vome ut conquiescas, nec morbum corpori tuo contrahas.* Non suadet vomitum quasi bonum absolute, sed conditionate; si, scilicet, nimis te cibo oppleveris, ad vitandum majus plethoræ et repletionis malum. Unde recte Jansenius : Non consulit sane, inquit, ut ad provocandum vomitum quis se multum ingurgitet, quemadmodum quidam parum pie consulunt, sed ut, si aliquorum improbitate et violentia quis multum se gravarit, tempestive surgat e mensa, ne quid indecorum in mensa patiatur, aut nimia repletio diu corpus affligat et noceat; et sic in secreto loco sine aliorum offensione crapulam evomat potius, quam diu stomachus affligatur cum periculo secuturi morbi. Quo consilio satis indicat quantopere a crapula sit cavendum, ut pro qua curanda tam fœdo et indigno homine, planeque canino, remedio sit utendum. Turpius enim est causam hujus turpitudinis præbere, quam turpitudinem hanc, ob magni mali evitationem, in se admittere. Proinde et satis subindicatur, quam graviter peccent, qui postquam se gravatos sentiunt, surgentes e mensa crapulam evomunt, ut mox rursum mensam accedentes novo se cibo potuque ingurgitare valeant.

Idem suadent Hippocrates, Galenus cæterique medici. Audi Franciscum Valesium, *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXIII, in fine : Si quando, inquit, coactus sis, ut fit in conviviis (tametsi id vir temperans et fortis, quique rustico pudore non laboret, pati non debet) in edendo multum, consultissimum est multitudinem cibi primum deponere, deinde dormitum ire, ut concoquatur reliquum : postea exerere, ut extrudantur excrementa. Optima autem ratio ventriculi vacuandi in vomitione est; secunda ab hac, in dejectione. Vomitio enim ejicit ex ipso ventriculi ore, antequam descenderint cibi, succurritque citissime et maxime, sine aliarum partium noxa : dejectio ex intestinis, quæ jam descenderunt. Utendum ergo, si modo facere id homo possit, vomitione statim : si autem quispiam eorum sit qui vomunt difficillime, utendum aliquanto post alvi subductione, tunc scilicet, cum tormina aut distensionem inferioris ventris cœperit sentire. Optime igitur, ac secundum Hippocratis et Galeni præcepta (ut lib. VII *Methodi medendi* licet videre) præcepit Ecclesiasticus : « Si coactus fueris in edendo multum, surge e medio (his verbis significat statim id esse faciendum, antequam cibi copia noxæ aliquid afferat), et vome, et refrigerabit te (hoc est, sublevabit te), et non adduces corpori tuo infirmitatem. »

Quatuor repletionis remedia.

Quatuor ergo remedia nimiæ repletionis Siracides suggerit : *primum*, surgere; *secundum*, ambulare; *tertium*, vomere; *quartum*, corpus exercere. Videre enim licet quosdam ita mensæ et cyathis affixos, ut movere se loco et surgere nequeant : vel, ubi surrexerint, statim recidant, huc illuc ruant et impingant, ita ut omnibus sint ludibrio. Alii plene saginati quasi sacci pleni, aut trunci et stipites, a mensa auferantur et asportentur. De quibus Cicero, lib. II *De Finibus* : « Asoti, inquit, qui in mensam vomunt, et qui de conviviis aufe-

runtur, crudique postridie se rursus ingurgitant, qui solem, ut aiunt, nec occidentem unquam vident, nec orientem, qui consumptis patrimoniis egent. » Igitur quando vomitus sit honestus, quando indecens et inhonestus, vide disserentem Plutarchium, lib. *De Sanitate*. Idem in *Sympos.*, dicens in convivio philosophandum, suadet vomitum ei qui perite vult dicere, siquidem vinum caput tentarit : sicque Agurem a Salomone vocarii « filium vomentis, » *Proverb.* XXX, 1, eo quod ex vomitu levato serenoque capite ad dicendum prosilierit; censet ibidem noster Salazar.

Porro Celsus, lib. I, cap. III, *ex Asclepiade* : Vomitus, inquit, utilior est hieme quam æstate : nam tum et pituitæ plus, et capitis gravitas major subest. Inutilis est gracilibus et imbecillibus stomacho : utilis est plenis et biliosis omnibus, si vel nimium se repleverunt, vel parum concoxerunt. Itaque ubi amari ructus cum dolore et gravitate præcordiorum sunt, ad hoc remedium confugiendum est.

Tropologice Rabanus : Si multa, ait, peccata commisisti, eaque in stomacho mentis congessisti, evome ea per confessionem, itaque conscientiam alleviabis et sanabis. Sic et Origenes hom. 2 *in Psal.* XXXVII : « Vide, ait, quid nos edocet Scriptura divina : quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim, sicut hi qui habent intus inclusam escam indigestam, aut phlegmatis humorem, stomacho graviter et moleste innitentem, si vomuerint, relevantur; ita etiam hi qui peccaverunt, siquidem et occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate aut humore peccati : si autem peccator ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum, et suum peccatum confitetur, simul evomit delictum et omnem morbi causam digerit. »

Secundo, Palacius mystice hæc refert ad divites, quibus insigne datur hic consilium, ut, si multum divitiarum devoraverint, illud in pauperes evomant : ita et divitis anima, inquit, a scrupulis quiescet, et pœnas avaris irrogandas evadet.

Vers. 26. 26. AUDI ME, FILI, ET NE SPERNAS ME : ET IN NOVISSIMO INVENIES VERBA MEA. — Hoc est, ut Tigurina, *etenim quæ dico, tandem experieris*. Attentionem conciliat ad præceptum, quod ad sanitatem tuendam magnum habet momentum, quodque subdit, dicens :

Vers. 27. 27. IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS ESTO VELOX, ET OMNIS INFIRMITAS NON OCCURRET TIBI. — « Omnis non » Hebræis idem est quod *nulla*. Pro *velox* græce est ἐνεργής, id est *diligens*, strenuus, acer, velox, currens (τρέχω enim est curro), item dexter, solers, circumspectus, industrius et acutus.

Velocitas salutaris, quæ? Resp. prima. *Primo*, Palacius hoc monitum refert ad vers. 25, *q. d.* In omni opere esto velox, id est facilis, diligens, strenuus, ut scias facile surgere, ambulare, vomere, ac ita ab infirmitate liberari, quæ tibi, nisi vomas, occurret. Verum, ut idem fatetur, præceptum hoc, esto occasione conviviorum dicatur, in se tamen generale est, ac ad quævis opera pertinet. Unde

Secunda. *Secundo*, Franciscus Valesius, lib. *Sacræ Philosoph.* cap. LXXIII, per *velocitatem* accipit exercitationem corporis, quæ plurimum juvat ad sanitatem tuendam : « Et omnis, inquit, infirmitas non occurret tibi. » Quod non ita accipiendum est, ac si nullo possit morbo penitus corripi, sed quod nullis morbis esse poterit valde obnoxius; sed raro ac leviter iis tentabitur, nisi casu lædatur a causis, quas medici vocant « non necessarias, » ut ense, aut igne, aut lapidis jactu, aut domus ruina, aut contagio. Sensus ergo est, *q. d.* Si velox sis, corpusque exerceas, raro graviter ægrotabis. Siracidi consentit Hippocrates, lib. VI *Epid.* sect. IV, dicens : « Exercitatio sanitatis est citra satietatem cibum capere, et impigrum esse ad labores. » Parcum enim esse, quod ait Siracides, quid aliud interpreteris, quam citra saturitatem uti cibis? esse velocem in suscipiendis laboribus, quid aliud quam esse impigrum ad labores? exercitium intellige non nimium, sed moderatum et commensuratum cujusque complexioni et viribus, æque ac comestioni. Nam; ut habet aphorismus : « Neque satietas, neque fames, neque aliud quiddam, quod naturæ modum excedat, bonum est. » Quare sicut in cibo, sic et in motu exercitioque a multis exceditur.

Porro, uti otium nocet corpori, sic et defatigatio; quam interdicens Hippocrates scripsit : « Ubi lassari cœperit corpus, quiescere statim remedium est. » Velox ergo hic vocatur non qui præcipitatus, sed qui expeditus est, impiger et alacer. Hæc enim alacritas, et consequens ex ea velocitas, tum animum, tum corpus exacuit, vegetat et vivificat; nam spiritus vitales excitat, eosque per totum corpus celeriter diffundit, qui singula membra vegetant et roborant; itaque ab eis omnem debilitatem et infirmitatem excludunt, ut non tam moveri et progredi, quam instar avium vel Angelorum volare videantur, uti videre est in juvenibus Italis.

Subjungit Valesius. Nam alioqui Hippocratis aphorismus habet : « Ubi fames, laborandum non est. » Unde eum ita convertenti licet dicere : Ubi laborandum, fames sustinenda non est, sed capiendus cibus. Atque eadem ratione colliges : Ub. otium, cibus capiendus non est, nisi parcissime; et ubi multum accipiendum est cibi, non utcumque, sed multum exercendus est homo; quia, ut idem dicit lib. *De Diæta*, homo, comedens et non laborans, non potest esse sanus. Apposuit vero ibidem causam omnium eorum quæ diximus, his verbis : Contrarias enim inter se vires habent cibi et labores. Verum inter se mixti conferunt ad sanitatem; labores enim ea quæ insunt, consumere solent; cibus autem et potus ea quæ evacuata sunt, explent. Itaque modus est ut uterque ad alterum accommodetur; quia contrarias cum ha-

bent facultates, neutrum oportet alterum superare, neque cibum unquam, neque laborem; mutuo enim sese corrigunt : alterum, cum repleat; alterum, cum inaniat. Igitur si cui laborandum necessario, plus solito est adjiciendus cibus; si vescendum pluribus, exercendus etiam plus. Quare ne nimio indigeas motu, consultius sit parce uti cibo. Neque tamen semper, ubi solitam cibi copiam auxeris, satis sit augere exercitationem, neque ubi satietas magna fuerit; quia, etsi cibus et labor contraria sunt, non tamen uterque post alterum commode adhibetur; sed (ut Hippocrates inquit) labor cibum præcedere debet, non subsequi. Neque quidquam periculosius, quam pleno ventre, aut toto etiam corpore pleno vel impuro, vehementer exerceri, antequam magna pars copiæ aut cacochymiæ manifesta evacuatione sit deposita; quia exercitatio distrahit per corporis habitum, quæ intra ventres ac cavitates recondita sunt. E pleno igitur ventre cruda distrahit in partes alias omnes; quare et capitis, et pulmonis, et hepatis, et viscerum omnium facit obstructiones atque fluxiones multas in eas ipsas partes, et in vesicam, et in articulos, et totum corpus; unde innumeri nascuntur morbi. Igitur maxime ac primum curandum est ne unquam cibum capias nisi parce, ut ab illo placide ac longum dormias, et a somno alacriter experrectus, impigre exercearis, ut omnem effugias infirmitatem. Hucusque ex Hippocrate Valesius.

Exercitii corporalis utilitas.

Eadem de labore et exercitio est omnium sapientum sententia. Hinc Plutarchus, lib. *De Sanitate* : « Non otio, inquit, et inertia venalis est sanitas, quæ duo maxima sunt malorum morbos comitantium; et si quis bonam valetudinem quiete et actionum abstinentia putat se paraturum, perinde facit, ac si quis nihil despiciendo oculos, aut vocem non loquendo conservare constituit. » Et paulo post : « Sic Cyrus, apud Xenophontem, ait se ἐκπονεῖν, id est elaborare cibum sumptum; ita enim et sanitatem conservari, et robur corporis augeri. » Galenus, lib. II *De Valetud. tuenda* : « Sanitatis tutela, inquit, a labore est auspicanda. Exercitationibus enim firmitas membris accedit, et naturalis calor accenditur, et ex partium attritu duritia quædam comparatur, ut ait Hippocrates, articuli firmantur, et sanguis per totum corpus defertur. » Plato, in *Theæteto* : « Corporum habitus, ait, quiete et otio corrumpitur, exercitiis et motibus magna parte conservatur. » Aristoteles in *Problemat.* sect. I, problem. 17, quærit cur salubre sit cibum minuere et laborem augere; ac respondet : Quia causam ægrotandi affert excrementorum copia, quæ tum existit, cum aut cibus superest, aut labor deest.

Alia.

Tertio, Lyranus et Jansenius : « In omnibus operibus tuis esto velox, » inquiunt; græce ἐντρεχής, hoc est, *strenuus et diligens;* quomodo *velox* etiam accipitur in *Proverb.* cum dicitur cap. XXII, 29 : « Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. » Monet ergo ut in omnibus quæ agenda incumbunt, homo non sit torpidus, piger et negligens, sed diligens et strenuus; sicque futurum promittit, ut non facile accidat ei quævis infirmitas, significans plerosque morbos ex desidia oriri ac nutriri. Ea enim melancholiam nutrit, viresque corporis enervat; cum contra diligentia in agendo, quæ conjuncta est promptitudini et alacritati animi, pellat mœrorem, valetudinemque conservet. Sensus ergo est, *q. d.* « Esto velox, » id est diligens et alacris in operibus tuis, et nulla infirmitas occurret tibi; quia diligentia, labor et exercitium valetudinem tuentur; torpor vero, otium et desidia generant morbos.

Quarto, pro *velox* græce est ἐντρεχής, quod alii vertunt, *solers, cautus, providus, circumspectus, vigil.* Hæc enim providentia et circumspectio cavet, ne quis nimis se cibo, potu, exercitio gravet, neve in ea quæ sunt noxia valetudini incurrat, per quæ infirmitatem contrahat. Hanc providentiam habebat Adam in paradiso : per eamque omnes morbos evasisset, vitamque egisset sanam, jucundam et longævam.

Idem præceptum tradidere philosophi, quorum hoc est axioma : « Mature delibera, exsequere velociter. » Sane celeritate res maximæ, ac præsertim bella gravissima facillime conficiuntur. Celebre est illud Julii Cæsaris, cum Pharnacem primo congressu vicisset : « Veni, vidi, vici; » quod usurpans Carolus V, per celeritatem confecto periculoso bello Germanico, devictisque hæreticis, ita immutavit : « Veni, vidi, vicit Christus. » Idem Julius dictitabat ea facinora, quæ periculo obnoxia sunt et magna, illico esse gerenda; ac de his non esse consultandum, eo quod ad hæc perficienda plurimum valeat celeritas. Ita Plutarchus in *Apophth. Roman.* Huc facit illud Aristotelis præceptum, lib. III *Ethic.* : « Consiliari debemus morose, sed exsequi velociter consiliata. Nam nocuit differre paratis. » Multa enim superveniunt quæ exsecutionem boni consilii impediunt, si illa differatur. Vulgo dicitur « diligentiam esse matrem bonæ fortunæ. » In cæteris vero, ubi periculum mora declinari potest, cunctatione utendum, juxta illud : « Festina lente. » Sic Q. Fabius Maximus exsultantem victoriis Annibalem tardando compescuit, et cunctando restituit rem. Zeuxis tardus erat in pingendo. Rogatus cur : « Diu pingo, inquit, quia pingo æternitati. » Nam ea quæ subito fiunt, subito pereunt; contra, quæ paulatim exacta cura absolvuntur, ætatem ferunt. Cito nata, cito occidunt, diu elaborata ferunt ætatem. Beta cito nascitur, buxus paulatim.

Tropologice, hoc verius est in operibus virtutum et profectu spiritus, *q. d.* Esto velox, alacris et strenuus ad opera virtutum, et nulla acedia, nullus torpor, nullus languor, nulla infirmitas spiritalis ad te accedet. Unde Arabicus vertit : *Esto facilis et humilis, et non accedet ad te quidquam*

mali. Hinc de sponso Christo Domino dicitur, *Cant.* II, 8 : « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles; similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. » In quo proinde exsultans Habacuc, cap. III, vers. 18 : « Ego, inquit, in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem. » Vide quæ ibidem annotavi. Ita B. Virgo, accepto per Angelum incarnationis Verbi nuntio, exsiliens « abiit in montana cum festinatione, et salutavit Elisabeth, » *Luc.* cap. I, vers. 39. Ubi S. Ambrosius : « Nescit, inquit, tarda molimina Spiritus Sancti gratia. » S. Bernardus, epist. 253 *ad Guarinum* : « Vincit annos, inquit, animus, et frigente jam corpore fervet sanctum in corpore desiderium, artubusque fatiscentibus durat tamen incolumis propositi vigor, nec sentit rugosæ carnis infirma spiritus promptus. Utquid enim metuat veterani domicilii ruinas, qui fabricam spiritalem videt in dies in sublime consurgere, proficere in æternitatem? » Qui ergo vult valere spiritu, ejusque defectus et morbos effugere, sit ἐντρεχής, id est velox cursor, ut instar cervi procurrat ad omne bonum, dicatque cum sponsa, *Cant.* I, 4 : « Post te curremus in odorem unguentorum tuorum. » Christus enim « exsultavit ut gigas ad currendam viam, » *Psal.* XVIII, 6. Unde de Apostolis et Evangelii præconibus Christi asseclis ait Isaias, cap. LX, vers. 8 : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant? » Et Paulus : « Ego, inquit, sic curro non quasi in incertum. » Et : « Sic currite ut comprehendatis, » I *Corinth.* cap. IX, vers. 25 et 26.

Vocanti Deo illico obediendum.

Hæc velocitas tum in aliis, tum præsertim in vocatione Dei ad vitam perfectam, v. g. ad statum Religionis, requiritur, ut scilicet is qui vocatur, velociter Deo vocanti obediat; quia si differat, diabolus, parentes, socii, aliique illum ab hac mente deducere satagent. Unde S. Ambrosius, lib. I *De Pœnitentia*, cap. XVI : « Omne, inquit, studium torpescit dilatione, et ideo Dominus ut præsentium fructu cumularetur devotio discipulorum, dixit : Quoniam qui dimisisset omnia sua, et Deum secutus esset, centies tantum reciperet, et hic et in futurum. Prius hic promisit, ut fastidia dilationis auferret. » Acrius vero ad hanc velocitatem stimulat S. Bernardus in *Declamat.* : « Quantos, inquit, mundi sapientia maledicta supplantat! Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera, diligentius intuere. Magnum est quod proponis, et opus habes multa deliberatione. Experire quid possis; amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Hæc sapientia mundi terrena, maledicta, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum provocare. Cum a Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Ab ore putei gehennæ eripior, et inducias petam? Abscondi ignem in sinu meo, et exusto jam latere, diu mihi deliberandum est an expergiscar, an excutiam, an abjiciam illum? » Plura vide apud Hieronymum Platum, *De Bono status religiosi*. Huc pertinet illud Tertulliani, lib. *De Pœnitentia*, cap. IV : « Audaciam, inquit, existimo, de bono divini præcepti disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus; sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis; prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. »

Rumina et expende illud *Isaiæ*, cap. XL, 31 : « Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. » Vide ibi dicta. Vetus est dictum : « In virtute esto delphinus, » ut sicut hic nando est celerrimus, suaque celeritate cæteros pisces præcurrit; sic pariter tu sis celerrimus in exsequendo virtutis proposito, ut data occasione illico illam opere compleas.

28. SPLENDIDUM IN PANIBUS BENEDICENT LABIA MULTORUM, ET TESTIMONIUM VERITATIS ILLIUS FIDELE. (Alludit, imo citat *Proverb.* cap. XXII, 9 : « Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur; de panibus enim suis dedit pauperi; » ubi proximo tomo, Deo dante, plura hac de re dicam.) 29. NEQUISSIMO IN PANE MURMURABIT CIVITAS, ET TESTIMONIUM NEQUITIÆ ILLIUS VERUM EST. — Ita Romana et Græca; perperam ergo Jansenius et alii legunt, *in nequissimo pane*. Post præcepta convivalia subjicit has duas gnomas in laudem beneficentiæ, quod scilicet beneficus, qui suos panes et res liberaliter aliis, præsertim pauperibus, dispertit, ab omnibus benedicatur et laudetur : avarus vero et sordidus ab omnibus vituperetur, ut hac ratione omnes ab beneficentiam alliciat, et a sordida avaritia avertat. Igitur « splendidum in panibus » vocat beneficum et liberalem, qui suos *panes*, id est escas, liberaliter et hilariter aliis communicat, quem proinde ut talem benedicunt et celebrant labia multorum : « Et testimonium veritatis illius fidele, » id est, « testimonium, » quod *veritati*, id est veræ virtuti, probitati, honestati et liberalitati (græce καλλονῇ, id est *pulchritudini*, hoc est pulchræ munificentiæ, quæ eum facit pulchrum et splendidum. S. Ambrosius, libro *De Nabuthe*, cap. IV, legit *bonitati*, id est beneficentiæ) ejus perhibent cives, est « fidele, » id est verum, certum, stabile, permanens et diuturnum, ut non nisi per contrarios avaritiæ actus multo tempore continuatos deleri et aboleri possit. Huic opponit « nequissimum in pane, » id est avarum in dando pane, qui parce et sordide sua communicat, tum convivis, tum pauperibus; cui proinde « obmurmurabit tota civitas, et testimonium, » quod « nequitiæ, » id est avaritiæ et sordidæ tenacitati, « illius » perhibent cives, præsertim pauperes, Vers. 28. Vers. 29.

« est verum; » græce ἀκριβής, id est *diligens*, exactum, certum, stabile et permanens, ut non nisi per multos liberalitatis actus diu iteratos deleri et exstingui possit. Unde Tigurina vertit : *Panes erogantem labia prædicabunt, testificatioque decoris ejus certa est; super maligno pane fremet civitas, quod certum est malignitatis ejus testimonium*; alii : *Qui victu splendidus est, et labia hominum benedicunt, et testimonium honestatis, ipsius fidele est; qui in victu nequam est, ei obmurmurat civitas, et testimonium nequitiæ ejus exquisitum est.* Exemplum prioris illustre est in *Vita S. Joannis Eleemosynarii*, cui ob liberalitatem benedixit Deus, Angeli et homines. Posterioris exemplum ibidem exstat in Petro Telonario, cui ob avaritiam omnes pauperes detrahebant, donec per visionem a Deo correptus mores mutavit, et ex avaro liberalis evasit.

Porro Palacius sic explicat : Octavum præceptum est ut, si aliquem convivio exceperis, splendide excipias et laute : ita fiet, ut te labia laudent multorum; et hæc laus tuæ veritatis fidelis et firma est. Contra vero, si convivas sordide excipis et parce, murmurabit contra te civitas, et vituperium hoc vere vituperium est. *Panis*, Hebræis significat totum convivium, ut illud docet de fratribus Joseph, qui audierant quod ibi comesturi essent panem, *Genes.* XLIII, 25. Unde *splendidus in panibus*, est, qui large et splendide convivium parat : intellige pro dignitate convivæ; contra vero *nequissimus in pane* est parcissimus et sordidus.

Nota diligentissime verbum « testimonium veritatis illius. » Plane omnia virtutum officia laude sunt digna; sed officium charitatis est officium « veritatis, » et ejus « testimonium » fidele est, non fallax, non deceptorium. Est enim charitas vera virtus, sine qua nulla est integra virtus. Ergo qui splendide convivium pio parat amico, charitatem ostendit; est enim sermo de conviviis piorum, qualia amicis Tobias apparabat. Hæc in conviviis charitas, veritas est, vere hominem pium esse demonstrans. Intelligis nunc ex contrario sensu, quam vituperandum sit ex sordida parcimonia pios maligne ad convivium excipere. Quam magna ergo charitas est, quæ etiam inter epulas radios suæ benignitatis effundit! Hæc Palacius. Hinc S. Thomas, II II, *Quæst.* CXVII, art. 4, docet liberalis et splendidi esse multa dare, sed pauca accipere; ac ad 3 citat illud Poetæ :

> Si quis in hoc mundo multis vult gratus haberi,
> Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Porro hic splendor magnificentiæ maxime decet regem et principem, qui in terris est quasi sol quidam beneficentiæ. Unde Agapetus Diaconus, *Admon. ad Justinianum Imper.*, num. 51 : « Solis profecto partes sunt, inquit, illustrare radiis orbem; principis vero virtus est egenorum misereri. Jam vero iis clarior est imperator qui pius est. Ille namque (sol) cedit succedenti nocti, hic (imperator pius) autem rapacitati pravorum non concedit indulgetve quippiam, sed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit. » Et num. 53 : « Quantum potestate cæteris antecellis, tantum factis etiam emicare ante alios enitere. Persuasissimum enim habe eam abs te postulari honestorum operationem, quæ magnitudini virium proportione respondeat. Ut igitur a Deo quasi per præconem victor declareris, corona invicti imperii tuo capiti imposita, coronam etiam ex promerendis pauperibus acquirito. »

Mystice Rabanus : « Hæc sententia, inquit, videtur juxta historiam ad eleemosynarum largitatem nos exhortari; quoniam, juxta apostolum Paulum : Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam II *Cor.* IX; hilarem enim datorem diligit Deus. Spiritaliter autem, qui panem verbi Dei proximis suis fideliter expendit, et testimonium veritatis coram benevolis auditoribus non abscondit, a multis accipiet laudem benedictionis, et ab ipso Domino hauriet gratiam sempiternæ mercedis. Hinc et in Proverbiis scriptum est : De fructu oris viri replebitur venter ejus, et genimina labiorum ejus saturabunt eum, *Proverb.* XVIII. E contrario vero, quid de hæreticorum perversa doctrina subsequatur, audiamus : In nequissimo pane murmurabit civitas, et testimonium nequitiæ illius verum est. In nequissimo ergo dogmate hæreticorum, qui adulterantes verbum Dei, non pane vitæ, sed pane pascuntur mendacii, quidquid pestifer sermo eorum profert; quoniam verum est testimonium, quod de eis scriptum est : Testis falsus non erit impunitus; et qui loquitur mendacium, peribit. » Mystice.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE SOBRIETATE IN POTU VINI.

(Apposite et congruo ordine Siracides transit a conviviis ad vinum; quia vinum convivii et convivarum est decus vel dedecus, atque in conviviis frequens est compotatio; qua de causa convivium ab Hebræis vocatur משתה *miste*, a Græcis συμπόσιον, id est *compotatio*.)

30. DILIGENTES IN VINO NOLI PROVOCARE : MULTOS ENIM EXTERMINAVIT VINUM. — Τὸ *diligentes* dupliciter accipi potest : *primo*, ut participium a verbo *diligo*, ut sit idem quod amans. Unde Rabanus legit, *delectantes in vino*. Jam « diligentes in vino, » id est diligentes vinum : est Hebraismus, Vers.

Hebræi enim verba contactus, sive realis, sive mentalis, quale est *diligo* (diligens enim suo amore quasi tangit dilectum), construunt cum præpositione ב, id est *in*.

Secundo et potius, τὸ *diligentes* accipi potest ut nomen significans sedulos, assiduos, strenuos, *q. d.* Eos qui seduli et strenui sunt in vino potando, qui assidue student calicibus evacuandis, qui strenuam navant operam non libris, sed scyphis exhauriendis; noli provocare ad potandum, nec cum eis contende et cyathis certa, uter quis bibere valeat, uti faciunt potatores; sed potius a vino eos avoca, distrahe et impedi, ne oleum addas, sed potius subtrahas igni.

Huic sensui favent Græca, quæ habent, ἐν οἴνῳ μὴ ἀνδρίζου (manuscriptum legit, μὴ σοφίζου, id est *ne sis sapiens in vino*: id est, ne ostenta te peritum potandi et rei Bacchicæ, aut ne inter potandum ostentes te esse doctum et eruditum), id est, ut Complutensia: *In vino ne viriliter agas;* Romana: *In vino noli fortem agere;* Tigurina: *Ne probes te virum in vino.* Multi enim in vino sunt viri, in bello et opere feminæ, quibus væ intentat Isaias, cap. v, 11: « Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis! » Et vers. 22: « Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem! »

MULTOS ENIM EXTERMINAVIT VINUM, — id est: « Multos subvertit ebrietas, quæ sensum minuit; iram, rixam et cædes excitat, libidinem inflammat, animi secretum per furorem aut amorem denudat,» inquit Rabanus. Huc pertinet illud Hebræorum proverbium: « Vinum intrat, secretum exit. Nam vinum clave caret; et quod in animo est sobrii, id in lingua natat ebrii. » Et illud: בכיס בכוס בכעס *backis, backos, backaas*, id est, *in loculis, in poculis, in foculis;* puta in ira, supple, apparet animus et mens hominis. Si enim loculos auro turgidos alicui credas, explorabis ejus fidem; in poculis vero et vino est veritas. Nam, ut ait Euripides: « Æs formæ speculum est, vinum mentis. » Denique de iræ foculis ait Poeta:

Sæpe hominum mentem detexit et ira latentem.

Vers. 31. 31. IGNIS PROBAT (et probando flectit ignitque, est metalepsis) FERRUM DURUM: SIC VINUM CORDA SUPERBORUM ARGUET, IN EBRIETATE POTATUM.— S. Ambrosius, lib. *De Elia*, cap. XII, legit: « Sicut ignis emollit ferrum durum, ita et vini incendio etiam superborum hominum cor liquescit.» Sensus est, ait Rabanus: « Sicut ignis calore suo ferri duritiem emollit, illudque excandescere facit; sic vinum in ebrietate potatum corda superborum a sua constantia resolvit, ac ardore suo inflammans subito ad facinus perpetrandum provocat, et superbæ intentioni majorem audaciam ad mali commissionem tribuit,» *q. d.* Sicut nullum est ferrum tam durum, quod non igne dometur et inflammetur; ita nullum est cor adeo valens et superbum, quod vino immodico non suæ ebrietatis damna demonstret, ait Palacius. Exemplum clarum est in superbo Holoferne qui, vino resolutus et accensus, cæsus est a Judith.

Porro Græca addunt nonnulla, eaque nervosa; sic enim legunt: κάμινος δοκιμάζει σίδηρα ἐν βαφῇ, οὕτως οἶνος καρδίας ἐν μέθῃ (Complutensia et Tigurina legunt ἐν μέθῃ, id est *in ebrietate*, ὑπερηφάνων. Quod Complutensia vertunt: *Fornax probat* (et probando facit) *ferruminationem in tinctura, sic vinum in corde superborum in ebrietate;* id est, ait Palacius: Ferrum fit durius, si ignitum sæpius mergatur in aqua; sic cor superborum fit superbius, si sæpius madeat et natet in vino. Romana: *Fornax probat aciem ferri in tinctura, sic vinum corda in contentione superborum;* σίδηρα enim est ferrum acie (quod Galli vocant *acier*) sive chalybe temperatum et roboratum, puta acies, acumen et robur ferri; talis enim est chalybs. Vide Plinium, lib. XXXIV, cap. XIV. Itali vocant *la tempora*, id est temperaturam fortem ferri, ut cultri, gladii, securis, etc., *q. d.* Sicut ignis probat et facit ferri temperaturam; sic vinum probat et facit cordis temperaturam duram, ideoque contentiosam et pugnacem. Tigurina: *Ut fornax probat duritiem mucronis, dum mergitur; ita vinum corda in certamine superborum.* Quæ Jansenius sic explicat, et Latinæ Vulgatæ adaptat: Videtur, inquit, Sapiens ad hoc respexisse, quod, cum paranda est acies mucronis, aliquoties ferrum aut chalybs aquæ intingitur, sicque induratur, temperatur atque acuitur; et proinde per *tincturam ferri* in aquam ignis probat, ostendit et exhibet hominibus gladium acutum et ferrum durum: quod si non intingeretur in aquam, non tantam haberet duritiem; ita etiam vinum ostendit et exhibet hominibus corda superborum, dum illa per ebrietatem madefiunt, et veluti vino immerguntur. Nam illa vino accensa, et ebrietate madefacta, longe duriora fiunt, quam prius erant, et ad lædendum atque nocendum promptiora; sicut ferrum, etsi natura sua durum, durius fit, si ignitum aquæ immergatur; et acies gladii ignita, si aquæ intingatur, acutior fit et aptior ad lædendum.

Ex his ergo licet intelligere similitudinis convenientiam, quia igni inflammanti et accendenti comparatur vinum homines inflammans, et animos accendens. Ferro duro et acuto comparantur corda superborum, quæ dura sunt et acuta ad lædendum, quæque per vinum duriora fiunt, et ad iram atque lædendum magis aptantur. Aquæ, cui ferrum intingitur, comparatur ebrietas, per quam corda hominum madefiunt et obruuntur. In Græco pulchra est paronomasia: βαφὴ enim opponitur μέθῃ, id est *tinctura ebrietati*, vel, ut alii legunt μάχῃ, id est *contentioni*.

Vulgatus ergo interpres vel non legit τὸ ἐν βαφῇ, vel, si legit, accipit illud de immersione ferri

non in aquam, sed in ignem; in igne enim tingitur, rubescit et coloratur. Baptismus enim ferri fit igne (uti et mystice Christus et Spiritus Sanctus ferrea hominum corda baptizat igne, *Matth.* III, 11); unde vertit : « Ignis probat ferrum durum, » nulla facta mentione immersionis in aquam, juxta sensum initio datum.

Vers. 32. 32. ÆQUA VITA HOMINIBUS, VINUM IN SOBRIETATE; SI BIBAS ILLUD MODERATE, ERIS SOBRIUS. — Sensus est : Vinum, sobrie sumptum, æquabilem et commodam homini affert vitam; sobrie autem vinum sumes, si moderate. Aut : « Si bibas illud moderate, eris sobrius, » id est mentis compos, mente sanus, vegetus, acer et acutus. Vinum enim modice sumptum, acuit ingenium. Paulo aliter Palacius, *q. d.* Si vino careas, inquit, vita vives tristi; si vino immodico utaris, immodice læta erit vita tua. Ut ergo vitam æqualem, id est nec tristem, nec nimis lætam vivas, utere vino moderate. Hinc in symposiis modimperator, sive præfectus symposii, præfigebat certam bibendi mensuram, v. g. quatuor vel quinque cyathos, quam excedere non licebat. Summa mensura, quæ subinde bibacibus concedebatur, erat decem cyathorum, juxta Græcorum cantionem : « Quinque bibe, tres et semiquatuor. » Hæc enim simul juncta faciunt summam decem cyathorum. Ita Turnebus, IV *Advers.* cap. XXI, et alii. Græca de more brevius sic habent Ἔπισον ζωῆς οἶνος ἀνθρώπῳ, ἐὰν πίνῃς αὐτὸν ἐν μέτρῳ αὐτου. Quod Complutensia sic vertunt : *Additamentum vitæ vinum homini* (*q. d.* Vinum addit, adauget et producit vitam homini), *si biberis illud in mensura sua*; Romana : *Æquale vitæ vinum homini* (*q. d.* Vinum æquatur, æquivalet, æquipollet vitæ hominis, quia illam conservat), *si bibas illud in mensura sua*; Tigurina : *Vinum vitæ humanæ accommodatum est, cum temperate bibitur*; alii : *Vitæ par est vinum homini, si biberis illud in mensura*; quia vinum hominem vivificat et lætificat, æque ac facit ipsa vita. Aliter, imo contrarie, legit S. Ambrosius, lib. *De Elia*, cap. XII : « Æqualis, inquit, vita hominibus, vinum in ebrietate; bibas illud moderate, ut sis sobrius. » Sicque explicat : « Omnes, inquit, sibi in vino æquales videntur, nullus inferior. Non pauper diviti cedit, utpote qui pauperem se esse nescit. Non infirmus valido, cui omnis in bibendo est fortitudo. Non mendicus locupletiori, non ignobilis honorato; sed cum bibunt, illum regem habent qui bibendo superaverit cæteros. » Verum Vulgata lectio retinenda est, eique consentiunt Græca, ac ea quæ sequuntur.

Porro Hippocrates, Galenus, Dioscorides, cæterique physici et medici uno ore docent vinum mire conducere vitæ humanæ. Nam vinum, inquiunt, tum roborat, tum nutrit celerrime, eo quod ut assimiletur, mutationem requirit minimam; vinum humectat calefacitque solidas partes, vires corporis confirmat, succorum caloris-que bonitatem facit, concoctionem distributionemque ciborum adjuvat, urinam et sudores promovet, corporis habitum calefacit, et adversus senectutis duritiem et frigiditatem summum remedium est. Sicut enim igne ferrum, sic vino corpora senum molliuntur et temperantur. Unde vinum vocatur « lac senum. » Ad hæc somnum conciliat, spiritus et sanguinem fovet, bilis amaræ acrimoniam mitigat et frangit, nativum calorem accendit et conservat, membris robur addit, vomitionem sistit, putredini resistit, cicutæ et veneni optimum est antidotum. Quin et animum mentemque acuit, exhilarat erigitque; unde illud : « Vinum magnus est equus Poetæ. »

Ingenium potis irritat Musa Poetis :
Nec non et carmina vino
Ingenium faciente, canunt.

Et :

Fecundi calices quem non fecere disertum?

Vide Plutarchum, lib. VII *Sympos.* problem. 9 et 10. Exstat hoc vini ænigma, quod huc facit :

Do vires, adimoque, et origo nominis a vi :
Ingenium exacuo, pectora solvo metu.
Me genuit tellus : rutilo sol concoquit igne;
Mox ventrosa tegunt dolia, præla vomunt.

Vers. 33 et 34. 33 et 34. QUÆ EST VITA EI QUI MINUITUR VINO? QUID DEFRAUDAT VITAM? MORS. — Ita Romana. *Primo*, Lyranus et alii exponunt de intemperante et ebrioso, *q. d.* Quam misera est vita ebriosi, qui eam vino assidue potato decurtat et diminuit, adeoque et rationis usum sibi adimit, ut majori parte diei, qua vel dormit vel ebrius est, non sit mentis et sui compos? *q. d.* Talis vita non est humana, sed porcina et bestialis, adeoque potius est mors quam vita; quia mortem tum naturæ, tum gratiæ et gloriæ sibi accersit. « Nam mors naturæ defraudat vitam naturæ, mors culpæ vitam gratiæ, mors gehennæ vitam gloriæ, » ait Lyranus; unde Tigurina vertit : *Quænam vita est ejus qui vino victus est?*

Huc accedit expositio Rabani, qui notam secundæ interrogationis non præponit, sed postponit morti. Legit enim : « Quid defraudat vitam mors? » Sicque explicat, *q. d.* Cur committitur ebrietas nimiaque vini potatio, quæ quasi mors vitam defraudat, id est, imminuit et abbreviat? « Vinum, inquit, mortem, hoc est, ebrietatem vitæ interfectricem nuncupat, quia vivacitas sensus inde minuitur, et ægritudo corporis inde generatur. Quasi enim increpando ipsam mortem, cur vitam defraudet, interrogat; quia nimiam potationem quasi hominis deceptricem damnat. »

Secundo, simpliciter et genuine hæc accipias de abstemio, et eo qui caret vino vel ob inopiam, vel ob parcimoniam, aliamve causam, *q. d.* Quam miser est is qui caret et destituitur vino, ut sobrie eo uti non possit ad sanitatem et lætitiam, adeoque ad vitam prolongandam! quam misera est vita, quæ sine vino transigitur! Sane videtur hæc mors potius esse quam vita : est enim de-

fraudatio et diminutio vitæ et sanitatis, ac consequenter est lenta quædam mors; sicut enim morte eripitur vita, ita per vini defectum et carentiam fraudatur et eripitur vita sana et læta : quod morti æquale est. Hunc esse sensum patet ex eo quod præcessit : « Æqua vita hominibus vinum in sobrietate; » et ex eo quod sequitur : « Vinum in jucunditatem creatum est, exsultatio animæ et cordis, » etc. Unde Græca brevius hæc cum iis connectunt, sicque legunt : *Quænam vita esset, deficiente vino? idipsum creatum est hominibus ad lætitiam.* Ita Jansenius, Palacius, Emmanuel Sa et alii.

Omnia de vino. Præclare S. Chrysostomus, homil. 1 *ad Populum* : « Vinum, inquit, medicina optima est, quando commensurationem habet optimam. » Et in *homil.* 71 : « Vinum, ait, datum est ut delectemur, non ut dehonestemur; ut rideamus, non ut rideamur; ut valeamus, non ut ægrotemus; ut corrigamus corporis valetudinem, non ut animæ prosternamus virtutem. Cur teipsum per immoderantiam afficis contumelia? Audi Paulum dicentem : Vino modico utere, » etc. Pseudo-Augustinus in lib. *De Salut. documentis* : « Vinum, ait, Deus nobis ad lætitiam cordis, non ad ebrietatem donavit. Bibamus ergo non quantum gula exigit, sed quantum necessitas postulat, ne id quod ad medelam corporis nostri tributum est, ad perniciem ejus deputemus. » Sed absolutissime in homil. *De Castitate et Sobrietate* : « Vinum moderatum, ait, debilem stomachum reficit, vires deficientes reparat, algentem frigore calefacit, vulneribus inflictum medetur, antidotis etiam diversisque medicamentis adjunctum salutem operatur, tristitiam removet, languores animi delet, lætitiam infundit, convivas honesta miscere colloquia facit. Paulo amplius vero sumptum, quodam modo convertitur in venenum. » Et infra : « Rusticanum quidem, sed sanum dictum : Vini medicamentum, plus justo sumptum, venenum esse cognoscitur. » Hoc est quod ait Salomon, *Prov.* cap. XXXI, 6 : « Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius. » Ubi plura hac de re proximo opere dicam.

Mystice. Mystice, si hæc vera sunt in vino corporali, utique veriora sunt in vino spiritali et cœlesti, puta Eucharistiæ; qui enim eo caret, caret vita et lætitia spiritali, juxta illud Christi : « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die, » *Joan.* VI, 54. Unde de eo exsultans Zacharias, cap. IX, 17 : « Quid enim, inquit, bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? » Vide ibi dicta.

Vinum spirituale, quid? Item in vino doctrinæ, illustrationis, charitatis, fervoris et consolationis divinæ, quod sapientia, id est Christus, suis miscet, *Prov.* IX, 2, ad quod fideles invitans Isaias, cap. LV, vers. 1 : « Venite, inquit, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. » De quo et Psaltes, *Psal.* XXXV, 9 : « Inebriabantur, inquit, ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. »

Vers. 35. 35. VINUM IN JUCUNDITATEM CREATUM EST; ET NON AD EBRIETATEM, AB INITIO. — Tigurina : *Vinum exhilarandis hominibus creatum est, non inebriandis.* Docet duo : Prius est vinum esse creaturam Dei, ideoque esse rem bonam. Errarunt enim Manichæi, docentes vinum a diabolo esse productum. Sic et Encratitæ sive Severiani, quorum parens fuit Tatianus, discipulus S. Justini Martyris, docebant vino abstinendum esse, eo quod vitis e Satana et terra illud germinasset, teste S. Augustino, lib. *De Hæresibus*, hæresi 24; Catharistæ vero, id est purificatores, cum uvis vescerentur, vinum tamen non bibebant, dicentes « vinum esse fel diaboli, » teste Philastrio in eorum hæresi. Hos secutus Mahomet in *Alcorano* suis omnibus vini potum interdixit. Hos omnes redarguens S. Chrysostomus, homil. 1 *ad Populum* : « Vinum Dei, inquit, ebrietas autem diaboli opus est; non vinum ebrietatem facit, ne Dei creaturam accuses, sed conservi insaniam argue. »

Vinum esse fel diaboli censebant Catharistæ.

Posterius, quis sit vini usus et finis, nimirum ipsum creatum esse ad hoc, ut homines per peccatum in tot miserias et mœrores prolapsos exhilaret, non autem ut illo se homines ingurgitent et inebrient. Ex eo quod dicit ab initio creatum esse vinum, opinatur Jansenius vinum productum esse ante diluvium ab origine mundi. Sed verius est vini usum cœpisse a Noe post diluvium; ipse enim primus legitur vites in vineam coegisse, easque excoluisse, atque ex uvis vinum expressisse, ut suas et aliorum hominum post diluvium ærumnas, mœrores, labores et infirmitates (unde tunc vita hominum decrevit quingentis annis; homines enim ante diluvium vivebant nongentis annis, at post illud quadringentis duntaxat) leniret et roboraret, ac senescentis et deficientis naturæ vires restauraret, recrearet et exhilararet, uti dixi *Genes.* IX, 19. Unde viri eruditi censent Noe a Gentilibus vocatum Janum bifrontem; quia duo sæcula vidit et conjunxit : Janum, quia vinum invenit; *iain* enim et *ien*, unde Janus, hebraice est idem quod græce οἶνος, latine *vinum*. Unde hoc nomen in cæteras linguas transiit; Athenæus vero, lib. II, οἶνον dictum censet ab ὀνεῖν, id est *juvare*, esse utilem, quasi οἶνος sit ὄνησις, id est *vinum sit utilitas ingens;* aut, ut Eustathius, *Iliade* I, et Plato in *Cratylo*, οἶνος dictus est ab ὀΐω τὸν νοῦν, quod mentem afferat et impleat magnis opinionibus, rebus et spebus, juxta illud Comici : « Mens irrigatur vino, ut dextri quid seu opportuni proferat. » Unde et Plato, lib. II *De Legib.* : « Quo quis, inquit, copiosius illud hauserit, tanto majore spe imple-

Noe vinum invenit. Cur?

Vini etymon Græcum.

Vini commoda.

tur, tantoque animosius de se sentit, idemque præsentia quadam et liberalitate tanquam sapiens repletur, pellitur omnis metus, ut intrepide quidvis dicat et agat. » Quocirca Athenæus, lib. II, vinum optimum deorum donum esse dixit, si recte eo utantur : sin minus, maximum esse malum. Celebre est illud Anacreontis : « Quando vinum bibo, dormiunt curæ; » et illud Zenonis : « Sicut lupini amarissimi crebra aquarum aspergine macerati dulcescunt; ita animi tristes et amari vino irrigati molliuntur atque mitescunt. » Clemens vero Alexandrinus, lib. II *Pædagogi*, cap. II, senibus christianis liberaliorem vini potum permittens, addit vinum ab aliis medicinæ loco propter solam sanitatem adhiberi, ab aliis vero ut sese relaxent et exhilarent. Vinum enim nubila mentis denubilat, facitque nimirum eum qui bibit, sibi ipsi æquum et clementem, deinde convivis suavem, et famulis mitiorem, et amicis jucundiorem. Hæc Clemens; denique Poeta :

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor et curæ, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Unde Plato in *Alcibiade* veritatem appellat « vini filiam; » alii vinum vocant « speculum mentis, indolis et ingenii. » Hinc in cœna *primus* calix bibitur sanitatis, *secundus* hilaritatis, *tertius* somni. Denique Zorobabel sociis hoc problema proposuit, quidnam esset fortissimum? ac primus respondit : « Forte est vinum; » secundus : « Fortior est rex; » tertius : « Fortiores sunt mulieres; super omnia vincit veritas, » cui lauream dedit Darius rex, *Esdr.* lib. III, cap. III, vers. 11 et sequent. Quocirca Psaltes, *Psal.* CIII, 15 : « Ut educas, inquit, panem de terra, et vinum cor hominis lætificet. » Denique in apologo arborum, *Judic.* IX, 13, vitis, cum a cæteris arboribus in regem deligeretur, dixit : « Numquid possum deserere vinum meum, quod Deum et homines lætificat, et inter ligna cætera promoveri? » Ex quo Socrates quoque apud Xenophontem in *Symposio* asserit vinum mederi mœrori non aliter quam mandragoræ hominibus, lætitiamque haud secus excitare quam oleum inspersum igni flammam adauget. Vide Pierium, lib. LIII *Hieroglyphic.* cap. XVIII et XX. Epictetus apud Stobæum, serm. 5 *De Temperantia* : « Cicadæ, inquit, animal sunt musicum, cochleæ vero mutæ : et hæ quidem humectari gaudent; illæ vero calescere. Rursum has quidem ros elicit, ejusque gratia prodeunt; illas autem solis vigor excitat, et in ipso cantillant. Quamobrem si volueris vir esse musicus et concinnus, cum tibi vino irrorata fuerit anima, tunc eam non sines egressam inquinari, sed cum in consessionibus a ratione fuerit accensa, tum vaticinari eam, et canere justitiæ oracula jubebis. » Huc facit quod S. Chrysostomus, homil. 19 *in Epist. ad Ephes.*, ex corpore nostro citharam dulcisonam pangit, et quatuor qualitates seu humores quibus constat, cum quatuor unius citharæ fidibus componit. Additque hujus citharæ harmoniam efficere vinum; si enim modice ac sobrie sumatur, discordias humorum componere, animumque ad res divinas Deique laudes idoneum reddere.

Vers. 36 et 37.

36 et 37. EXSULTATIO ANIMÆ ET CORDIS, VINUM MODERATE POTATUM. SANITAS EST ANIMÆ ET CORPORI SOBRIUS POTUS.—« Exsultatio, » non formalis, sed causalis, *q. d.* Vinum exsultare facit animam et cor, indeque totum corpus, illud et per illud animam recreans, roborans, exhilarans. Addit : « Sanitas est animæ et corpori sobrius potus; » quia potus sobrius vini veri vel adumbrati sanitatem confert animæ et corpori. Nam multæ gentes, præsertim septentrionales, ob regionis frigiditatem, carent vino vero; sed hæ cerevisia similive potu, quasi vino adumbrato sibique domestico utuntur. Cerevisia enim est quasi vinum Cereris, tritici et hordei. Similiter Indi et Brasilii bibunt vinum e palma aliave arbore quam vite expressum; alii e pomis, cerasis aliisque fructibus potiones exprimunt, quarum fere eadem est suavitas et illecebra, quæ vini. Apud Orientales certe tam e dactylis palmæ, quam ex aliis fructibus suavissimi delicatissimique potus conficiuntur, quos Hebræi generali nomine vocant *siceram*, eo quod vim inebriandi habeant instar vini.

Græca habent : *Exsultatio cordis et lætitia animi est vinum tempestive potatum, quantum satis est;* Tigurina : *Lætitiam animi parit et hilaritatem vini potus justus et opportunus, animi simul et corporis sanitatem potus sobrius.* Græca enim addunt duas voces, quibus carent Latina, nimirum ἐν καιρῷ αὐτάρκης, id est vinum *in tempore sufficiens.* Quo significat ad sobrium vini potum requiri duo : *primum*, ut illud potetur suo tempore, id est opportune, puta in prandio et cœna, non intempestive, uti faciebant ii quos arguit Isaias, cap. V, 11 : « Væ, qui mane consurgitis ad ebrietatem sectandam! » *secundum*, ut potetur quantum sufficit corpori et sanitati, non vero ut illud impléat, ingurgitet et obruat. Quocirca S. Paulus Timotheo præcipit, *epist.* I, cap. V, 23 : « Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachu et frequentes tuas infirmitates. »

Porro ad sanitatem et ad sobrietatem multum confert, si vinum, præsertim forte et potens, bene aqua diluatur, uti habet communis Italorum et Hispanorum mos. Quocirca Melampus medicus primus apud Græcos vinum aqua diluere præcepit sub annum mundi 2847, quo tempore apud Hebræos judices erant Bebbora et Barac, 40 annis ante Gedeonem; nempe ab ultimis temporibus mero dediti Græci : hinc Græcari, inquit Genebrardus in *Chronol.*, licet Plinius, lib. VII, cap. LVI, hoc diluendi vini inventum tribuat Staphilo Sileni filio. Audi Plutarchum, lib. *De Sanit. tuenda*,

Est vinum et potuum utilissimus, et medicamentorum suavissimum, et de obsoniis omnibus gratissimum appetitionibus nostris, si occasione magis etiam quam aqua sit probe temperatum. Aqua et vino si misceatur, prodest; et quæ pura inter diluti usum bibitur, ipsum dilutum reddit minus noxium. Itaque in quotidiano victu assuefacere nos debemus, ut duo vel tria pocula aquæ bibamus. Hæc et usum vini emollient, et corpori familiarem reddent aquæ potum, ne cum ea pota opus sit, insolentiæ rei offendamur ac recusemus.» Subdit deinde casus, quibus aqua bibenda sit, non vinum, ut vulgus perperam æstimat et facit : « Non enim desunt qui, quo tempore maxime aqua erat bibenda, ad vinum ferantur; ut cum solis calore usti sunt, cum horruerunt, cum vehementius peroraverunt, cum majore animi contentione de aliqua re cogitaverunt. Denique a defatigatione et contentione vinum existimant bibi debere, quod ipsa videatur natura quamdam corpori bonam affectionem, et post labores mutationem exposcere. Atqui non voluptatem (siquidem hoc bona affectione intelligi velis) natura requirit, sed mutationem quæ medio inter voluptatem et dolorem loco constituat. Quapropter in his casibus et cibi aliquid detrahendum est, et vino aut abstinendum omnino, aut utendum diluto interim multa aquæ potatione. Cum enim natura sit vinum impetuosa et acri, conturbationes corporis intendit atque exasperat, et partes affectas irritat, demitigationem desiderantes ac lævigationem. Quam rem aqua præstare optime potest. Etenim si etiam non sitientes aquam bibamus tepidam a defatigatione, contentione virium et æstu; sentimus internas partes relaxari et leniri. Placida est enim aquæ humiditas, et quieta; cum vini humiditas impetum habeat multum, vimque recentibus affectionibus nequaquam amicam aut æquam. » Mox subdit : « Corpus autem ita validum est nullum, cui conturbato et inflammato vinum adhibitum non afferat aliquid damni. »

Vers. 38 et 39. 38 et 39. VINUM MULTUM POTATUM IRRITATIONEM, ET IRAM, ET RUINAS MULTAS FACIT. AMARITUDO ANIMÆ, VINUM MULTUM POTATUM. — « Amaritudo, » scilicet causalis, quia causat eam, dum nimirum caput et cerebrum, quod est officina et quasi figulina animæ, crassis, crudis et biliosis vaporibus gravat, pungit, affligit, cruciat, irritat, exacerbat; bilis enim est amara, id est acris et mordax. Quo fit ut ebrius vino æstuans, bileque irritatus et accensus, alios ad rixas et pugnas provocet, exacerbet et irritet. Unde Græca duntaxat habent : *Amaritudo animæ est vinum multum potatum in irritatione et contentione*, vel *ruina*; utrumque enim significat vox græca ἀντιπτώματι; Tigurina : *Vinum copiose potum creat acerbitatem animi cum rixis et contumacia*. Quocirca nonnulli vinum latine dictum volunt *a vi*, quod menti, indeque aliis vim inferat; sive quod magna sit ejus vis ad bonum et ad malum, pro diverso ejus usu. Varro : « Vitis, inquit, *a vino*, idque *a vi*; hinc vindemia, quod est vini demia aut vitis demia. » Licet alii forte melius vinum a græco οἶνος deducant, utrumque ab hebræo *iain* vel *ien*, uti dixi superius, et S. Isidorus, lib. XX *Origin.* cap. III : « Vinum inde dictum velit, quod ejus potus sanguine venas cito repleat. Hoc alii, quod curas solvat, Lyæum (λύειν enim est solvere) appellant. Veteres vinum venenum vocabant. Unde S. Hieronymus, *De Virginit. servand.*, adolescentulas dixit ita vinum debere fugere ut venenum, ne pro ætatis calore ferventi bibant et pereant. Inde est quod apud veteres Romanos feminæ non utebantur vino, nisi, sacrorum causa, certis diebus. »

Porro S. Ambrosius, lib. *De Elia*, XII, sic legit et nectit : « Exsultatio animæ et cordis est, si moderate bibas; immoderatio autem potus iracundiam concitat, et ruinas multas efficit. Nam (ut idem paulo ante), « sicut mater fidei continentia, ita perfidiæ mater ebrietas est. In quod facinus non ista præcipitat? sedentes in foribus tabernarum homines, tunicam non habentes, nec sumptum sequentis diei, de imperatoribus et potestatibus judicant, imo regnare sibi videntur, et exercitibus imperare. Fiunt ebrietate divites, qui sunt in veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecunias populis, civitates ædificant, qui non habent unde cauponi potus sui pretium solvant. Fervet enim vinum in his, et nesciunt quid loquantur. Divites sunt, dum inebriantur; mox, ubi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. no die bibunt multorum dierum labores. » Subdit deinde majora rixarum et pugnarum damna : « De ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succedunt. Pro vino sanguis effunditur, et ipsum sanguinem vina fuderunt. Quam fortes sibi homines videntur in vino, quam sapientes, quam diserti, quam etiam pulchri ac decori, cum stare non possint! Mens titubat, lingua balbutit, pallor exsanguis ora suffundit, fœtor ebrietatis horrori fit. Barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas; si quis eorum pugno fuerit percussus, videas ora sauciorum vini lacrymas fundere, miserabiles epilogos decantare. » Unde, cap. XIV, infert quod major sit vis vini quam veneni. Vide eumdem, cap. XVI, ubi inter cætera ait : « Ebrii vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excidunt. » Et mox : « Vigilantes somniant, dormientes litigant. Vita his somnium est, somnus his mors est. »

Damna vini ex S. Ambrosio.

S. Augustinus vero, vel quisquis est auctor (non enim esse S. Augustini liquet ex stylo), tractatu *De Sobrietate et virginitate*, qui exstat tom. IX, citat hanc sententiam eo modo quo habet nostra Vulgata editio, ac deinde ebrietatis damna recenset, atque inter alia cap. I : « Ebrietas, ait, flagitiorum omnium mater est, culparum materia, radix criminum, origo omnium vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas

Ex S. Augustino.

linguæ, procella corporis, naufragium castitatis. Ebrietas temporis amissio est, infamia voluntaria, ignominiosus languor, mentis sanæ debilitatio, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. » Ac tandem concludens, ait : « Vini medicamentum plus justo sumptum, venenum esse cognoscitur. »

Ex S. Chrysostomo. S. Chrysostomus, hom. 1 *ad Popul.* : « Ebrius, inquit, est mortuus animatus, est dæmon voluntarius; morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium, cœlum ebriis efficit invisum. »

Ex S. Basilio. S. Basilius, hom. *De Ebrietate* : « Ebrietas, ait, est dæmon voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica; fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam exstinguit. Sicut enim aqua igni est adversa, sic vinum immodicum rationem supprimit. » Et inferius : « Ebrietas est rationis interitus, fortitudinis pernicies, senectus immatura, mors momentanea. Quid, quæso, sunt ebrii nisi Gentium idola? Oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; manus paralysi affectas habent, pedes infirmos ac facile offendentes, etc. Quis, dic mihi, currus equorum indomitorum ita præceps fertur dominum suum excutiens? Quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum et concussum, ut non sit ebrio securius? »

Idem, *Admonit. ad filium spirit.* : « Non est aliud ebrietas quam manifestissimus dæmon. Ebriosus quid minus habeatur quam dæmonium? Cum se putat bibere, bibitur. Sicut enim piscis, cum avidis faucibus properat ut glutiat escam, repente inter fauces reperit hostem : ita ebriosus intra se vinum suscipit inimicum, quod eum impellit ad omne opus fœdissimum. » Juxta illud Poetæ :

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

Vinum enim est libidinis incendium. Vide eumdem in *Asceticis*, orat. 18, quæ est de ingluvie et ebrietate.

Vers. 40. 40. EBRIETATIS ANIMOSITAS, IMPRUDENTIS OFFENSIO, MINORANS VIRTUTEM, ET FACIENS VULNERA, — *q. d.* Animositas et audacia, quam parit ebrietas, facit ut ebrius imprudens offendat et impingat in multa offendicula, lapsus, pericula, rixas, etc. Eadem imminuit vires hominis, ac efficit vulnera et cædes. Unde Græca clarius habent : πληθύνει θυμὸν μέθη ἄφρονος εἰς προσκόμματα, ἐλαττῶν ἰσχὺν, καὶ προσποιῶν θραύματα, id est, *multiplicat ebrietas furorem imprudentis in offensionem, diminuens virtutem, et acquirens vulnera*; Tigurina : *Ebrietas exauget animum insipientis donec offendat, vires enervat, et parit vulnera.* Juxta illud Poetæ :

Spes facit esse ratas, in prælia trudit inermem

Et illud Græcorum, πίστις κόρος ἔδρυν, id est *satietas ferociam parit.* Et illud Anacharsis apud Laertium : « In vite tres racemi nascuntur, primus voluptatis, secundus ebrietatis, tertius insaniæ, furoris et violentiæ. »

Quinque damna ebrietatis. Nota hic quinque effectus et damna ebrietatis. *Primus* est, audacia et animositas, quia implet caput fumis, venas sanguine, hepar bile; *secundus* est, imprudentia, quia rationem, mentem et prudentiam homini eripit, ut homo sapiens et prudens fiat insipiens, imprudens, imo irrationalis, quasi bestia, adeoque pejor magisque brutus quam bestia, ait S. Basilius loco superius citato; *tertius* est, offensio : qui enim imprudens est, non circumspicit labendi pericula, ac proinde improvidus in ea impingit et corruit; *quartus* est, quod hominem debilitet, quia stomachum caputque et calorem naturalem gravat et obruit; *quintus*, quod pariat lites, verbera et vulnera, ac præsertim quod faciat ut ebrius animose alios ad pugnam lacessens, crapula gravatus viribusque destitutus ab iis quos provocarat, lædatur, vulneretur, occidatur. Ergo vinum modice sumptum facit fortem, prudentem, hilarem, facit ne offendat, vires addit, ac ideo vulnera declinat : contraria omnia efficit vinum immodice sumptum, ut idipsum sit homini in flagellum et tormentum, quod ei datum erat ad gaudium; atque (ut ait Rabanus) « cedat ei in sanitatis detrimentum, quod datum ei erat ad vitæ alimentum. »

Ubi moraliter nota justum esse Dei decretum et judicium, ut bona, quæ in nostrum commodum creavit, si eis abutamur, nobis vertantur in mala et flagella, ut fiant nostri tortores, quæ nobis statuimus quasi idola. Tale est vinum, opes, honores, uxor, filii, et demum quisque sibi ipsi, ait Palacius. Porro Plutarchus in *Sympos.* scribit panem melli admixtum imprimis valere ad ebrietatem sedandam; eo quod vapores qui e stomacho in caput ascendunt, illudque turbant, hac esca comprimantur.

Vers. 41. 41. IN CONVIVIO VINI NON ARGUAS PROXIMUM : ET NON DESPICIAS EUM IN JUCUNDITATE ILLIUS. — *q. d.* In convivio, in quo affatim bibitur vinum, ne carpas proximum, neque despicias, ut de eo vel cum eo contemptim loquaris vel agas, cum ipse est in jucunditate sua, puta lætus et hilaris; quia, si id feceris, hanc jucunditatem tali loco et tempore congruam illi auferes, ac eam convertes in amaritudinem et iram, ut tecum jurgetur, ac a verbis ad verbera descendat; præsertim quia vinum sanguinem iramque accendit, rationem vero et prudentiam imminuit. Quare nemo facile patitur in convivio se reprehendi, sed par pari reddit. Græce est : ἐν συμποσίῳ, id est, *in compotatione vini ne redarguas proximum, et ne despicias eum in lætitia illius.* Græci enim convivium vocant συμπόσιον, id est *compotationem*; eo quod in conviviis plerisque plus bibatur quam comedatur. Tigurina : *Ne reprehendas alterum in vinolenta compotatione,*

nec quemquam in lætitia sua vituperes. Tunc enim est tempus gaudii, honoris, laudis et exsultationis; a quo proinde abesse debet tristitia, reprehensio, contemptus, vituperium, injuria. Sic Cham despexit et derisit Noe patrem ebrium et nudatum, ideoque ab eo maledictus est; Sem vero et Japhet, quia nuditatem ejus velaverunt, ab eodem benedicti sunt, *Genes.* IX.

Vers. 12. 42. VERBA IMPROPERII NON DICAS ILLI : ET NON PREMAS ILLUM IN REPETENDO, — ut exigas repetasque debitum, quod tibi debet; est enim in tali loco et tempore importunum. Aut « non premas illum, » propinando illi sæpius ad æquales haustus, ut cogas eum repetere evacuationem cyathi, uti malus habet bibonum mos, qui sui et aliorum in bibendo acerbi sunt tortores. Legit Interpres, ἐν ἀπαιτήσει, id est *in repetitione*, et sic legunt Græca Romana. Unde aliqui vertunt : *Verbum convicii ne dixeris ei, et ne premas illum reposcendo.* Complutensia vero et Tigurina legunt εἰς ἀπαντήσεις, id est *in occursus.* Unde Complutensia vertunt : *Ne premas illum in occursu ejus*, id est in occurrendo et contradicendo ei; Tigurina : *Dicto probroso ne petas illum, nec premas obvium;* cum scilicet tibi occurrit et obviat, uti solent facere ebrii ex petulantia, quam parit vinum et ebrietas; ex illa enim obvios quosque invadunt, trudunt, premunt, vexant, etc., quasi vituli insolentes et tauri cornupetæ. Quocirca Chilon apud Plutarchum, in *Convivio* : « Ad cœnam invitatus non ante condixit, quam nosset convivarum nomina; dicebat enim, quibus cum necesse esset una navigare aut militare, eorum etiam molesto comitatu ac contubernio utendum esse. Ultro autem qualibuscumque se admiscere convivis, non esse sani hominis. » Quin et David, *Psalm.* c, 5 : « Superbo oculo, inquit, et insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum. » Et S. Augustinus, teste Posidonio, detractores mensa sua arcebat.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit docere quid in mensis et convivris deceat rectores et convivas, tum senes, tum juvenes, scilicet rectores decere humilitatem et sollicitudinem; senes, vers. 4, *ut sensate loquantur, sed ita ut non impediant musicam; juvenes, vers.* 10, *ut audiant et parce loquantur, ac tempestive a convivio domum redeant, Deoque gratias agant. Secundo, vers.* 18, *commendat legem et timorem Dei, ac consilium, ut sine eo nihil faciamus; sic enim post factum neminem pœnitebit.*

1. Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis. 2. Curam illorum habe, et sic conside, et omni cura tua explicita recumbe : 3. ut læteris propter illos, et ornamentum gratiæ accipias coronam, et dignationem consequaris corrogationis. 4. Loquere, major natu : decet enim te 5. primum verbum diligenti scientia, et non impedias musicam. 6. Ubi auditus non est, non effundas sermonem, et importune noli extolli in sapientia tua. 7. Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. 8. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in jucundo et moderato vino. 9. Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. 10. Adolescens, loquere in tua causa vix. 11. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. 12. In multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quærens. 13. In medio magnatorum non præsumas : et ubi sunt senes, non multum loquaris. 14. Ante grandinem præibit coruscatio : et ante verecundiam præibit gratia, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. 15. Et hora surgendi non te trices : præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, 16. et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo. 17. Et super his omnibus benedicito Dominum qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis. 18. Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus : et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. 19. Qui quærit legem, replebitur ab ea : et qui insidiose agit, scandalizabitur in ea. 20. Qui timent Dominum, invenient judicium justum, et justitias quasi lumen accendent. 21. Peccator homo vitabit correptionem, et secundum voluntatem suam inveniet comparationem. 22. Vir consilii non disperdet intelligentiam, alienus et superbus non pertimescet timorem:

23. etiam postquam fecit cum eo sine consilio, et suis insectationibus arguetur. 24. Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. 25. In via ruinæ non eas, et non offendes in lapides : nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum : 26. et a filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende. 27. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ : hoc est enim conservatio mandatorum. 28. Qui credit Deo, attendit mandatis : et qui confidit in illo, non minorabitur.

PRIMA PARS CAPITIS.

ers. 1. 1. RECTOREM TE POSUERUNT? NOLI EXTOLLI : ESTO IN ILLIS QUASI UNUS EX IPSIS. — S. Hieronymus in cap. XLV *Ezechielis*, sic legit : *Ducem* (alii, *regem*) *te constituerunt, ne eleveris, sed esto inter eos quasi unus es ipsis;* Tigurina : *Si rector constitutus es, ne efferaris, sed cæteris te præbeas æquabilem;* Arabicus : *Si ostensus es, ne te protrahas, neque recumbas in pectore super divites; esto quasi unus ex eis, q. d.* Si te alii ostentent et præponant, ut conspiciaris et honoreris, tu ne augeas ostentationem, nec elationem ostendas, ut sedeas in facie vel in capite mensæ.

Pro *rectorem* græce est ἡγούμενον, id est *præsidem*, ducem, ductorem, magistrum, principem, regem, imperatorem, scilicet convivii (de eo enim præcise hic agi patet ex antecedentibus et sequentibus), qui convivio præerat, illudque regebat et dirigebat. Unde vocabatur συμποσιάρχης, id est symposii princeps et magister convivii. Pro quo nota, priscos Orientales, præsertim Hebræos, Syros, Ægyptios et Græcos, olim magnifica celebrasse convivia, ut patet in convivio Abrahæ pro ablactatione Isaac, *Genes.* cap. XXI, et *Job.* cap. I; Assueri, *Esther* I; Josephi, *Genes.* XLIII, 42. Quare convivio præficiebant virum gnavum et industrium, tum ut omnia facerent ordine sine confusione, tum ne cuiquam quid deesset, tum ut is modestiæ et temperantiæ esset arbiter. Ipsius ergo officium erat modum cœnæ legesque bibendi præscribere. Unde a Varrone, lib. XX, et Macrobio lib. I *Saturn.* cap. I, vocatur *dominus convivii* et *modimperator*, quasi modum in omnibus statuens et imperans; a Cornelio Tacito *rex convivii*, cui aliquo modo respondet rex ille quem Germani in mensa creant in festo Trium Regum; a Plauto in Sticho, *dictator* et *strategus;* ab Horatio, lib. II, satyr. 8, *cœnæ arbiter, pater* et *parochus;* ab aliis *tricliniarcha.* In S. Scriptura a S. Joanne, cap. II, vocatur *architriclinus*, quasi princeps triclinii et mensæ; a Mose vocatur *princeps pincernarum, Genes.* cap. XL, 2; ab Apostolis *diaconus* : Apostoli enim septem diaconos elegerunt quasi præfectos, qui præessent mensis fidelium, *Actor.* VI; a Græcis vocatur ἡγούμενος, συμποσίαρχος, τραπεζοποιός, βασιλεύς, στρατηγός καὶ ἐξιάτωρ.

Modimperator cœnæ, quis?

Ait ergo Siracides : « Rectorem » convivii « te constituerunt, » scilicet reliqui convivæ. Hi enim, antequam mensæ accumberent, rectorem hunc deligebant vel sorte vel suffragiis, præsertim cum convivium non ab uno quopiam, sed ab ipsis convivis collatis symbolis, de quibus mox, instruebatur. Alioqui, si quis princeps vel alius quilibet epulum dabat, ille ipse erat rector, aut rectorem constituebat, eumque fere, qui honoratior erat inter invitatos, qui et *proclites* dicebatur, quod in accubitu primas occuparet. Similis fere mos hodie in Gallia et Germania obtinet in festo Epiphaniæ. Placenta enim, in qua inclusa est faba (similive sorte) in partes tot quot sunt convivæ, dividitur, eæque singulæ singulis distribuuntur; ac is cui portio illa obtingit cui faba inest, epuli futuri rex eligitur. Sors autem qua olim deligebatur hic rector, erat jactus talorum. Nam, ut docet Lipsius, lib. III *Antiq. lectionum*, cap. I, qui primus e convivis Venerem jecerat, is erat magister. Ita Horatius.

Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

Hunc que Plautus in *Curculione*, vocat « jactum basilicum, » id est regium; quia proprius erat regi convivii creando. Varii enim erant talorum jactus, puta Venus, Canis, Senio, Chius. Porro Lipsius supra dat exempla legum, quas magister præfigebat convivis, nimirum hæc :

Leges priscæ conviviorum.

Decem cyathi summa potio sunto,
Musis nonum, decimum Apollini libanto.
Dicta et jocos usurpanto :
Ast intra licentiam et convicia utraque sunto.
Rixæ, clamor, contentio ad Thracas ablegantor;
Eorum vice carmen, aliudve quid musicum proferunto.
Angeronæ sacra mensa habetor.
Dicta indicta, facta infecta, in vino inscribuntor.

Sic rex Assuerus convivio suo præfixit legem sane regiam, ne quis nolentes cogeret ad bibendum, sed sumeret quisque quod vellet, *Esther* I, 8.

Rectoris convivii officia. Primum.

Porro, rectoris hujus officium erat : *primo*, convivas omnes excipere, compellare, salutare, ac suo quemque loco collocare, disponere et regere. Unde Tacitus : « Rex convivii, inquit, regnum lusu sortitus imperabat huic, ut biberet; illi, ut vinum misceret; alii, ut abiret; alteri rursus, ut adesset. » Qui mos hodie in Regalibus observatur. Idem, instar musici, abstemiorum animos propinando contentiores, vinosorum abstinendo remissiores reddens, diversitate æqualitatem et consonantiam efficiat, ait Plutarchus, lib. I *Sympos.* cap. IV. Causam subdit, quod finis et scopus convivii sit : « Amicitiæ vel confirmationem vel initium voluptate quadam inter convivas efficere. Est enim convivium oblectatio inter pocula, ob

gratiam in amicitiam desinens. » Qua de causa Lamprias ibidem, *Quæst.* II : « Ita, inquit, convivas disponam, non ut divitem diviti, juveni juvenem, principem principi, amicum amico adjungam; quæ dispositio otiosa est, neque ad benevolentiam parandam augendamque quidquam conducit; sed id quod unicuique deest accommodans, hominem qui de rebus ad humanitatem pertinentibus libenter disserat, studioso discendi apponam, moroso mansuetum, loquaci seni adolescentem audiendi avidum, glorioso subsannatorem, iracundo tacitum, rixoso placidum, munifico pauperem, ut tanquam e pleno poculo in vacuum, aliquid ex illo in hunc defluat. Sophistam vero assidere sophistæ, aut poetam poetæ nolo. Urit enim cantor cantorem, et egenus egenum. » Quocirca idem Plutarchus, lib. IV, cap. I : « Polybium, inquit, Africano præcepisse novimus, ne e foro unquam digrederetur, inter negotia versans civium, nisi prius aliquem sibi amicum fecisset, etc. Sed vide an non id præceptum, præterquam quod foro accommodatum est, etiam ad convivia pertineat; ut non ante sit inde discedendum, quam una accumbentium alicujus benevolentiam et amicitiam fuerimus nacti. Nam qui sapiunt, in convivium veniunt non minus amicorum parandorum, quam præsentes delectandi causa. Amico auctum abire, jucundum et honestum est; contraque qui id facere negligit, ingratam sibi et inutilem facit consuetudinem, itaque discedit, ut qui ventre, non animo, conviva fuerit. »

Secundum. *Secundo,* providere ut epulæ et potus rite apparentur, et ordine suo in mensam inferrentur. Quocirca Aristoteles, lib. II *Politic.*, ait symposiarchas debere esse sobrios. Et Theophylactus, *in Joan.* cap. IV : « Architriclino, inquit, permittit degustationem vini sobrio. Nam in talibus festivitatibus, quibus ejusmodi munus commissum est, sobrietati maxime student, ut illorum jussu ac mandato omnia ordinate et decenter agantur. »

Tertium. *Tertio,* seria et jocos moderari, ac sermones convivales dirigere, ut essent convivis accommodi, eosque exhilararent; nec tamen turpe aut indecens quid saperent. Ille ergo musicos jubebat canere, oratores dicere, philosophos obscuram aliquam quæstionem solvere, poetas carmen pangere.

Quartum. *Quarto,* leges convivandi bibendique præscribere, quæ ab Horatio vocantur *vini regna*, a Cicerone *magisteria*; imo cuique illam vini qualitatem et quantitatem, ea mensura, aqua diluere et admetiri, quæ cujusque sanitati, stomacho et cerebro, æque ac palato saperet et congrueret. Atque hinc sumptæ illæ metaphoræ calicis in Scriptura, id est sortis, sive adversæ, sive prosperæ, quam Deus quasi symposiarches mundi cuique admetitur, ut *Psalm.* XV : « Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei.» *Psalm.* LXXIV, 9 : « Calix in manu Domini vini meri plenus mixto; *Isaiæ* LI, 17 : « Consurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus. » Symposiarcha enim suum cuique convivæ calicem temperabat et porrigebat. Et alibi sæpe.

Quare aberat a conviviis veterum insanus ille modernus mos propinandi et bibendi ad æquales haustus. Nam Horatius, lib. II, *satyra* 6, ait :

> Siccat inæquales calices conviva, solutus
> Legibus insanis

bibendi ad æquales cyathos. Esto ex legibus jocosis apud Græcos hæc una erat : ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι : *aut bibito, aut abito,* teste Cicerone *Tuscul.* V. Licentior erat illa symposiarchæ Empedocli, teste Laertio, præscribentis, ut aut biberet, aut vinum in caput ejus effunderetur; qua de causa Empedocles eum coacto concilio reum peregit, damnandumque curavit. Huc facit et illa convivalis lex apud Plutarchum, lib. III *Sympos.* Quæst. IX : « Concentus vini cum aqua sit diapente, diatrion, diatessaron; sic enim cantant : Quinque bibenda esse aut tria aut quatuor. Quinque enim sesquialteram rationem habent, tribus aquæ cyathis in duos vini admixtis; tria duplam, duobus ad unum; quatuor sesquitertiam, tribus aquæ cyathis uni vini affusis. » Denique Pollux; (Symposiarches sit splendidus, inquit, magnificus, hospitalis, hospitum amans, popularis, laute mensa excipiens, munditia gaudens, accuratus, bonæ diætæ, magnanimus, comitatis plenus, commodus, affabilis, lauti delicatique cibi, æque ac vitæ.)

Leges Siracidis datæ præfecto convivii. Prima, ut convivis se æquet.

Primum ergo rectori convivii præceptum hoc dat Siracides, ut se præ cæteris non efferat, sed singulis sese æquet, et æquabilem exhibeat. Siracidem imitatus Plutarchus, in *Symposiac.* lib. I, Quæst. IV, ita de eo sanxit : « Symposiarcha familiariter, amice et benevole erga omnes convivas sit affectus, nemini infensus et inimicus. Nam alias neque imperando tolerabilis, neque distribuendo æqualitatis observans, neque colludendo inculpabilis erit. » Et Epictetus : « Vide ne ira urgente in convivas sis injurius, sed potius cum mansuetudine et simplicitate illos exhilara. » Quocirca Plato sicut vult vigilum præfectum esse vigilantissimum, sic et symposiarcham esse moderate sobrium, qui non facile vino capiatur. Nam et vinosus contumeliosus erit et indecorus : omnino vero sobrius, injucundus. Addit Plutarchus : Sicut Pericles creatus prætor se compellans commonebat : Animum adverte, Pericles, liberis hominibus imperas, Græcis imperas, Atheniensibus imperas : ita convivii moderator secum reputabit, amicis se præesse, ut neque permittat eos turpiter agere, neque voluptatibus omnino prohibeat; sed ad utraque probe sit temperatus : sic tamen ut boni instar vini, nonnihil ad austeritatem propendeat; ita enim vino emollietur, et ad mediocritatem redigetur. Hæc Plutarchus.

Moraliter, idem faciat. Moraliter, hæc adaptes quibusvis rectoribus et superioribus. Si enim rector convivii convivis æquare se debet, pari jure quemvis alium recto-

Quæ supe-rior. rem decet æquare se subditis sibi commissis. Unde Syrus vertit : *Magistrum* (vel *magnum*) *te constituerunt, ne extollaris, et in capite divitum ne discumbas : esto tibi sicut unus ex illis.* Hugo : « Rectorem, inquit, te posuerunt, non dominatorem; pastorem, non mercenarium; non carnificem, sed tutorem; non tyrannum, sed dispensatorem; non dominum, sed ministrum; te, non tuas divitias, non tuam nobilitatem, non tuam progeniem, sed te, id est tuam personam. Hodie tamen uno facto Episcopo, episcopatur tota parentela. Unde et nomen suum amittit tota progenies, et qui prius dicebatur filius fabri vel Roberti, dicitur nepos Episcopi. *Isaiæ* LXVI : Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul? Verba sunt Christi vel Ecclesiæ admirantis de tot nepotulis uno partu natis. » Et S. Bernardinus, tom. III, serm. *De Rector.* : « Rectorem, ait, te posuerunt, non raptorem; rectorem, non destructorem; quasi ministrum, non tyrannum; quasi dispensatorem, non dissipatorem, vel usurpatorem; ut tutorem, non devoratorem. »

S. Hieronymus, lib. VI in cap. XVIII *Ezechiel.* : « Solent, ait, principes Ecclesiarum opprimere plebes per superbiam. De quibus scriptum est *Eccli.* XXXIII : Principem te constituerunt, ne eleveris : esto inter eos quasi unus ex ipsis. Et Salvator præcipit *Matth.* XX : Qui vult inter vos esse primus, sit omnium minimus. » Simili modo explicat, lib. XIII in cap. XLV *Ezech.*, ubi pro *principem* legit *ducem*. S. Ephrem, tract. *De Timore Dei* : « Ducem, ait, te constituerunt? ne extollaris animo; esto autem inter illos sicut unus ex ipsis, menteque revolve labores tuos priores, et illelige illos, qui tibi jam parent, in iisdem versari; eosque noli negligere, sed sedulo curam eorum gere. » S. Bernardus, epist. 9 *ad Archiep. Colonien.* : « Curemus, inquit, in alto positi non altum sapere, sed timere, sed humilibus consentire. Principem, inquit, te constituerunt, esto in illis tanquam unus ex illis. Et iterum : Quanto major es, tanto humilia te in omnibus. Sapiens est, qui hoc consulit; quippe haud secus sentiens ab ipsa Sapientia, quæ ait : Qui major est vestrum, fiat sicut minor, *Lucæ* XXII. Alioquin judicium durum his qui præsunt, timeat potestas, » *Sapient.* VI.

Caveat ergo princeps et Prælatus, ne subditi merito suspicentur eum typho potestatis inflatum alios præ se despicere vel aversari; sed potius ita agat, ut celsitudinis etiam regiæ fastigium lenitate agendi demittat; ut, scilicet, populi, quantum reverentur principis majestatem, tantum mores placidos et æquabiles suspiciant et exosculentur. Quare in iis gubernandis plus benevolentia quam severitate, plus cohortatione quam commotione, plus charitate quam potestate, quantum salva auctoritate fieri potest, utatur, juxta illud cap. III, 19 : « Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. » Vide quæ ibidem annotavi, ac præsertim dicta S. Ambrosii, lib. II *Offic.* cap. VII. Vide et S. Gregorium, part. II *Pastor.* cap. VI, cujus hic est titulus : « Ut sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus. » Causam dat, « quod omnes homines natura æquales genuit. Unde cuncti, qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis; nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui enim patres nostri non reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur. » Exempla dat S. Petrum, qui Cornelium volentem se adorare prohibuit, dicens : « Surge, ne feceris, et ego ipse homo sum, » *Act.* X. Et S. Paulus, inquit, « bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret : Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri, » II *Corinth.* I. Et : « Facti sumus parvuli in medio vestrum, » I *Thess.* II. Et : « Nos autem servos vestros per Jesum, » II *Corinth.* IV, 15.

Nota : Septuaginta duo fuere interpretes a Ptolemæo Philadelpho rege Ægypti evocati Alexandriam, ut S. Scripturæ libros ex Hebræo verterent in idioma Græcum, e quibus unum fuisse nostrum Siracidem censet Jansenius et alii : ego eorum discipulum et filium, vel nepotem fuisse censeo. Hosce Septuaginta Interpretes Ptolemæus convivio regali excepit, ac super mensam cuique quæstionem aliquam ethicam vel politicam resolvendam proposuit. Porro quia ipse erat rex et rector Ægypti, hinc plerasque proposuit politicas de rege et regno, modoque recte regendi. Eas selegi et hic scribendas duxi, quia huic loco congruunt eique sunt propriæ, ut a viris tam sapientibus rectores quilibet rite regere condiscant. Descripsi eas ex Aristææ tract. *De Septuaginta duo Interpretibus*. Ptolemæus igitur *primo* interpreti hanc quæstionem proposuit : « Quonam pacto regnum incolume in finem usque conservetur? Ille, parumper cunctatus, inquit : Hoc maxime modo regnum optime dispones, si Dei mansuetudinem in rebus omnibus imitatus, patientia ac longanimitate uteris; extollesque dignos, elatos autem affabilitate ex malo in pœnitudinem traduces. »

Quæstiones de modo regendi, propositæ a Philadelpho Septuaginta duo interpretibus. Prima.

Tertio proposuit hanc quæstionem : « Quomodo amicos sui similes habeat? Qui ait : Si intelligent te multa meditari in subjectorum populorum commodum : et tu id facias, considerans quemadmodum et Deus genus humanum bonis afficiat, valetudinem illis et vitæ alimenta, atque alia cuncta opportunis temporibus præbens. » Secunda.

Undecimo proposuit hanc : « Quibusnam modis divitias conservet? Ille dum petita revolvit, paululum moratus : Si nihil, inquit, indignum regno tuo, neque flagitiose ages, neque in vanis rebus et incommodis sumptus facies, et erga populum tuum te beneficum benignumque præbueris. Etenim Deus bonorum omnium, quem sequi oportet, largitor est. » Tertia.

Duodecimo proposuit hanc : « Quomodo verita- Quarta.

tem colat? Huic ille respondit : Si cognoveris, quam magnum dedecus mendacia mortalibus omnibus afferant, et multo majorem notam regibus inurant. Nam quando ea potentia sunt, ut quæ volunt, facile perficiant, cujus rei gratia mentientur? Oportet etiam te considerare, rex, ut Deus amator veritatis existat. »

Quinta. *Vigesimo primo* proposuit hanc : « Quid sit in regno difficillimum? Ille : Sibi ipsi dominari, respondit, neque appetitibus efferri : inest enim natura mortalibus, ut mente ad aliquid semper declinent, et plerique ad mensas, pocula voluptatesque trahantur, in quibus multitudo maxime effunditur. At reges subigendorum populorum cura sollicitat ob gloriæ magnitudinem. Sed pulchrum est se omni in re metiri, et quæ Deus dederit, studio continere. Inconcessa vero atque inexpetibilia ne concupiscas. »

Sexta. *Vigesimo quarto* proposuit hanc : « Quemadmodum gloriosus perduret? Cui ille : Si benignitate, inquit, et gratia excellens, erga alios magnificus exstiteris, gloria te nusquam deseret, quæ ut tibi adsit, Deus semper implorandus est. »

Septima. *Quinquagesimo primo* proposuit hanc : « Quonam modo quis in superbiam non extollatur? Respondit ille : Si æqualitatem servet, et singulis in rebus sui ipsius meminerit; revolvens animo, ut homo hominibus præsit, utque Deus deleat superbos, mansuetos et humiles extollat. »

Octava. *Quinquagesimo tertio* proposuit hanc : « Quid regi sit maxime necessarium? Subditorum, inquit, amor et dilectio : per hoc namque insolubile benevolentiæ vinculum texitur. Deus enim ea perficit, quæ recte eliguntur. »

Nona. *Quinquagesimo quinto* proposuit hanc « : Quomodo multis in regno populis se accommodet? Si decenter cuique distribueris, inquit, justitiamque (quemadmodum facis) ducem sequaris, præbente Deo tibi recta discernere. »

Decima. *Quinquagesimo nono* proposuit hanc : « Quid regnum conservet? Ille : Cura et meditatio, respondit, ne quid a rerum præpositis male agatur committaturque in plebem; quemadmodum facies, cum tibi Deus præstantem intellectum præbeat. »

Undecima. *Sexagesimo quarto* proposuit hanc : « Quid reges potissimum sequi oporteat? Respondit ille : Leges, ut justis operationibus mortalium vitam regant; quemadmodum et tu peragens perennem tui memoriam fecisti, divina præcepta secutus. »

Duodecima. *Sexagesimo quinto* proposuit hanc : « Qui magistratibus præficiendi sint? Ille : Quicumque, ait, iniqua odio habent, ac tuos imitantur affectus, laudumque dulcedine tracti, justa semper ad adipiscendam gloriam operantur. Quod et tu facis profecto (rex), quandoquidem Deus justitiæ coronam tribuit. »

Decima tertia. *Sexagesimo sexto* proposuit hanc : « Qui sint in duces eligendi? Qui fortitudine et justitia excellant, inquit, quique hominum salutem cruentæ victoriæ anteponant. Nam et Deus bona ad omnes operatur : quem tu secutus, bonis afficis subditos tuos. »

Decima quarta. *Sexagesimo octavo* proposuit hanc : « Quibus in rebus reges diutius versari debeant? Tum ille : In rerum gestarum cognitione, ait, in legendisque incumbentium operam libellis temporis plurimum assumere oportet, et quæcumque ad conservanda regna, emendandosque hominum mores scripta sunt, perquirere : quod tu cum studiose peragas, Deusque tua consilia secundet, ideo excellentem supra alios gloriam obtines. »

Decima quinta. *Sexagesimo nono* proposuit hanc : « Quid per otium agendum sit ne inertia torpeas? Ille adhuc : Considerandum est, ait, multa cum diligentia quæcumque in mentem veniunt, et ante oculos vitæ forma et imago quædam proponenda, tum qua quæque vi perfecta sint, considerandum : est enim et in his decus suum, et eruditio quædam. Nam et sæpe in minimis egregium quiddam elucet, quod eligas. Tu vero quando bonitatem tibi Deus sufficit, elegantiam omnem propter philosophandi studium amplecteris. »

In cœtu vitanda singularitas. Moraliter ergo disce hic, quam in cœtu et societate vitanda sit singularitas, ac sectanda vita communis, etiam Superiori : per illam enim sancitur charitas et humilitas. Memorabile est quod in Actis S. Francisci legimus : cum ipse Perusii concionaretur, Perusinum quemdam vitæ perfectioris avidum de mutando vitæ statu cogitasse. Cui apparens Christus dixit : « Vir desideriorum, si votis vis potiri et salvari, sequere me in habitu religioso Francisci Assisii. » Subinterrogavit ille : « Quam, Domine, in hoc Ordine normam servabo, ut tibi magis complaceam? Respondit Christus : Vitam communem Ordinis sectare, et intima fratrum consortia fuge, neque aliorum defectus scruteris aut judices. » Receptus ergo a S. Francisco, ab eoque ob insignem humilitatem F. Humilis appellatus, monita Christi secutus vitam sanctam egit, adeoque miraculis claruit. Ita *Annales Minorum*, auctore Luca Waddingo, anno Christi 1211, num. 6.

Memorabilis est epistola ejusdem S. Francisci (exstat inter opuscula ejus numero octava) ad Petrum Catanium, Ordinis sui Vicarium Generalem, conquerentem de nonnullorum fratrum dissolutione : « Dominus te custodiat, inquit, et in sancta sua charitate conservet. Patientiam in omnibus operibus tuis, mi frater, tibi commendo in tantum, quod, quicumque tibi impedimentum fecerit, sive fratres, sive alii, etiamsi te verberent, omnia debes habere pro gratia, et ita velis, et non aliud. Et dilige eos, qui ista faciunt tibi, et non velis aliud de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi, et in hoc dilige eos, ut velis, quod sint meliores christiani. In hoc volo cognoscere, si tu diligis Dominum et me servum suum, et tuum, si feceris illud : videlicet, quod non sit aliquis frater in mundo qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare; quod, postquam viderit oculos

tuos, nunquam recedat sine misericordia tua. Et si non quæreret, tu quæras ab eo, si vult misericordiam. Et si ille millies appareret postea coram oculis tuis, dilige eum plusquam me, ad hoc ut trahas eum ad bonum, et semper miserearis talibus. Et istud denunties Guardianis, quando poteris, quod per te sit firmus es facere : et omnes fratres, qui scirent eum peccasse, non faciant verecundiam ei, nec detractionem; sed magis misericordiam habeant circa ipsum, et teneant privatum peccatum fratris sui, quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus. » Hæc humili stylo, sed sublimi spiritu S. Franciscus.

Hoc est quod Christus acriter castigat in Scribis et Pharisæis, *Matth.* XXIII, 3 : « Dicunt, et non faciunt : alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere. » Et propterea Innocentius Papa dixit : « Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debet uti eo. » Idque etiam juxta sententiam Catonis dicentis : « Patere legem quam tu ipse tuleris, » quam cum feras ut omnes servent, tu primus serva. Ne pro tuo libitu tecum dispenses, nisi velis eodem modo cum aliis dispensare, aut ut illi absque dispensatione legem transgrediantur. Ostende justitiam legis tuæ in hoc, ut per eam teipsum dirigas; et ostende ejus suavitatem in hoc, quod tu ipse libenter illam serves : præcede tanquam bonus pastor exemplo tuo, ut subditi glorientur quod te sequantur. Quamobrem bonus Imperator Theodosius dicere solebat : « Quamvis non esset ipse propriis legibus subjectus, velle tamen se illis alligari, easque servare. » Et magnus ille sapiens scriptum reliquit : « Reipublicæ felicitatem in eo consistere, quod lex sit vere domina principum, principes vero servi et famuli legis : contra vero perniciem esse ejusdem reipublicæ, si lex ancilla esset regum et ipsi ejus domini; trahentes illam ad suam voluntatem. »

L. digna vox. C. de legibus.

Plato lib. IV *de Legibus.*

Quocirca S. Ephrem, tract. *De Timore Dei*, hanc gnomen sic partim legit, partim explicat : « Rectorem te posuerunt, noli extolli : esto unus ex illis, menteque revolve labores tuos priores, et intellige illos qui tibi jam parent, in iisdem versari, eosque noli negligere, sed sedulo eorum curam gere. » Rectores enim qui fuere subditi, et subditorum labores sunt experti, sciunt subditis compati, iisque modeste imperant : qui vero nunquam subditorum onera sunt experti, iis despotice velut servis præcipiunt, ac « dominantur in cleris, » ut ait S. Petrus. Addit S. Ephrem : « Somnolentia pastorum gaudium est luporum. »

Apud Gentiles celebris fuit Julius Cæsar, qui se militibus in fame, labore et periculis socium, imo antesignanum præbebat; ideoque eos sibi devinciebat, ut ad ardua quæque dicto audientes essent : atque hinc tantæ ejus victoriæ, felicitas et gloria. Similis fuit Cato, quem Lucanus, lib. IX *Pharsal.*, ita armis verbisque per invia Africæ deserta generose militibus præeuntem depingit :

Primus arenas
Ingrediar; primusque gradus in pulvere ponam.
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens; fatoque pericula vestra
Prætentate meo, nullo discrimine notum,
Dux, an miles eam.

« Par enim est, ut ait Paulus lib. IV *Sentent.* tit. VI, eum qui leges facit, pari majestate legibus obtemperare. » Et S. Ambrosius, *ad Valentinianum Imperat.* epist. 32 : « Quod præscripsisti aliis, præscripsisti et tibi. Leges enim Imperator fert, quas primum ipse custodiat. » Præclare Tacitus, lib. II *Annal.* cap. XX et XXX : « Dux, ait, aliis minora mandat, sibi sumit validissimum, » idque Germanicum fecisse asseverat, æque ac Constantinum Magnum asserit Nazarius, in *Panegyrico* ejusdem, cap. XXIX.

2. CURAM ILLORUM HABE, ET SIC CONSIDE (ita Græca. Perperam ergo Complutenses, Palacius, Jansenius et alii legunt, *considera*), ET OMNI CURA TUA EXPLICITA RECUMBE. — Secundum est hoc præceptum, quod Siracides dat rectori convivii, et consequenter cuivis alteri, ut scilicet curam habeat convivarum singulorum, ne quid cuipiam desit, ut se præteritum, vel neglectum, aut oblivioni traditum jure queri possit. Circumeat ergo mensam et circumlustret omnes, singulisque de rebus necessariis vel opportunis provideat : quo facto tum demum consideat, ut, postquam omnem suam curam in eos explicuerit, quasi perfunctus officio suo, tunc demum cum illis mensæ accumbat, ut se et convivas exhilaret. Unde Syrus vertit : *Curam illorum habe, et postea discumbe : in omni necessitate eorum provide et recumbe;* Tigurina, *habe curam eorum, et sic demum reside : fac omni tuo officio fungaris, et quiesce cum laude.* Nam Græca habent : καὶ πᾶσαν τὴν χρείαν σου ποίησον, καὶ εὐκοσμήσας ἀνάπαυσαι. Quod Complutensia vertunt : *Et omnem usum tui fac, et approbatus quiesce :* cum scilicet convivæ probarint tuam curam et diligentiam, dixerintque sibi esse satisfactum. Alii legunt, καὶ πᾶσαν τὴν χρείαν σου ποιήσας ἀνάπαυε, id est, *et cum feceris omnia quibus tibi opus est, accumbe.*

Vers. 1.

Secundum præfecti convivii officium.

Moraliter S. Bernardus, lib. IV *De Consider. ad Eugen. Pontif.* cap. II, agens de cura, quam debent pastores habere populi sibi commissi : « Noli differre, inquit, curam exigere, non curationem. Denique audisti : Curam illius habe, et non cura vel sana illum. Verum dixit quidam :

Non est in medico semper relevetur ut æger.

At melius propono de tuis tibi. Paulus loquitur : Plus omnibus laboravi. Non ait : Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi; verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum proventum. Et ob hoc in laboribus potius quam in profectibus gloriandum putavit, sicut alibi

quoque habes ipsum dicentem : in laboribus plurimis. Ita, quæso, fac, tu, quod tuum est; nam Deus, quod suum est, satis absque tua sollicitudine et anxietate curabit. Planta, riga, fer curam, et tuas explicuisti partes. Sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura : Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. » Similis debet esse cura regis et principis. Unde hoc ei elogium dat Seneca : « Omnium domos illius vigilia defendit; omnium otium illius occupatio, ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit. »

Impia Machiavelli principia.

Impia ergo, injusta et athea sunt hæc Machiavelli axiomata, imo regnandi non tam principia quam paradoxa : Principem plus sibi debere quam reipublicæ. Rempublicam principis gratia a natura institutam esse, non principem in gratiam reipublicæ. Quod reipublicæ perniciosum sit, id principi utile esse posse. Principem aut optimum, aut scelestissimum esse debere. Tyrannum crudelitate et scelere se conservare posse. Mortui non mordent. Oderint dum metuant. Divide et impera. Tyrannum, si sanus sanctusque esse cœperit, salvum esse non posse. Tyrannidem in ipso regis jure fundatam esse. Infelicem tyrannorum exitum non divino judicio, sed casui tribuendum esse. Moysem et Davidem multis cædibus sua imperia firmasse. Quæ omnia fuse confutat Bellarminus, lib. *De Principe christiano*, Ribadeneira, Thomas Fitsherbetus et alii scribentes contra Machiavellum.

Animarum onus quam magnum.

Porro animarum cura, quam suscipiunt Pontifices, Episcopi, Pastores, Rectores, onus ingens et angelicis humeris formidabile est, ut ait Concilium Tridentinum, cujus consideratione merito humiliari et expavescere debent, qui illud sustinent : pastoratus enim et rectoratus magnum est pondus, et magna servitus. Hinc S. Gregorius et eum secuti cæteri Pontifices hunc sibi dant titulum : « Servus servorum Dei. » Adriani IV Pontificis hæc fuere verba : « Romano Pontifice nemo est miserabilior, conditione ejus nulla miserior. Totius ejus vitæ lætitia et felicitas, amaritudo est. Cathedra Romani Pontificis est spinosa, iter undique consertum aculeis, pondus tantæ molis, ut robustissimos premat et confringat humeros. » Quæ verba relegens Marcellus II Pontifex, manu mensam pulsans, exclamavit : « Non video quomodo qui locum hunc altissimum tenent, salvari possint. » Ita Onuphrius, in ejus Vita. Adrianum IV secutus est Adrianus VI, cujus proinde sepulcro hoc elogium Romæ inscriptum legimus : « Adrianus Sextus hic situs est, qui nihil infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit. » Pius V, dum in Pontificem eligeretur, expalluit et intremuit. Rogatus causam, dixit : « Cum in monasterio viverem mihi et Deo, optime sperabam de mea salute : creatus Episcopus et Cardinalis, timere cœpi : nunc fere de ea despero. Quis enim totius Ecclesiæ molem, quis tot animarum onus sustineat sine evidenti salutis periculo? » Et tamen, si quis alius hic suo munere egregie perfunctus est, adeoque vere pius et religiosus fuit Pontifex. Hinc Episcopus græce idem est quod superintendens et invigilans plebi : pastor, qui pascit oves; unde « opilio dicitur quasi ovilio : præsul, qui præest sollicitudine : sollicitus, quasi solers et citus atque irrequietus, » ait S. Isidorus, lib. X *Origin.*

Vers. 3

3. UT LÆTERIS PROPTER ILLOS, ET ORNAMENTUM GRATIÆ ACCIPIAS CORONAM, ET DIGNATIONEM CONSEQUARIS CORROGATIONIS, — *q. d.* Si curam illorum habueris, eamque explicita et peracta cum convivis accubueris, lætaberis cum illis, et pariter lætificabis illos. Unde ab eis « accipies coronam, » quæ tibi erit « ornamentum gratiæ, » id est ornatus gratiosus, tibi gratiam, id est decus et decorem concilians : ac insuper « dignationem, » id est, ut nonnulli codices habent, *dignitatem* et honorem « consequaris corrogationis; » id est symboli, de quo mox. Græca breviter sic habent : *Ut lætitia per eos afficiaris, et ornatus causa coronam capias;* Tigurina : *Ut læteris nomine eorum, decorisque gratiam coronam accipias;* Syrus : *Propter hoc etiam in novissimo eorum lætaberis, et in mensa recipies honorem.*

Nota *primo* : Pro *ornamentum gratiæ*, græce est εὐκοσμίας χάριν; ubi, si χάριν accipias ut adverbium, vertes, *ornamenti gratia*, id est *causa* : sin, ut nomen, vertes *ornamenti gratiam;* et sic videtur accepisse Noster. Unde per hypallagen vertit, « ornamentum gratiæ; » ornamenti enim gratia est *ornamentum gratiæ;* puta ornamentum gratiosum et decorum. Porro hoc ornamentum est *corona;* unde nonnulli censent dictam coronam, eo quod cohonoret eos, quibus imponitur. Alludit enim ad coronas quibus insigniebantur et etiamnum insigniuntur magistri, sive Doctores. Unde caput hoc nonnulli inscribunt περὶ ἡγουμένων, id est *de magistris*. Aut potius alludit ad coronas convivales, quas præfecto convivii quasi regi et rectori suo, ob curam et regimen sibi præstitum, offerebant convivæ. Imo sola coronæ impositione creatos fuisse convivii magistros, sive dictatores, liquet ex Plauto, in *Persa* : « Do, inquit, hanc tibi florentem florenti : tu sic eris dictatrix nobis. » Et ex Plutarcho, lib. IV *Sympos.* Quæst. IV, qui mos etiamnum apud nonnullos in Germania servatur, præsertim cum in festo Trium Regum sibi regem creant, corona eum decorando.

Convivæ olim gestabant coronas : cur?

Quin et ipsi convivæ olim accumbebant coronati, uti etiamnum fit in Turingia : gestabant enim in capite coronas ex herbis, ut hedera, nardo, lauro, etc., aut e floribus, maxime rosis : tum ut iis ebrietatem prohiberent, tum ut caput pileo non gravarent, tum ut suavi et blando eorum colore et odore caput refrigerarent, mulcerent et recrearent. Nam et calidi flores molliter aperiendo mea-

tus capitis, faciunt ut vinum perspirare possit : et quæ leviter frigida sunt, mediocri contactu vapores repellunt, ut violacea imprimis et rosacea corona. Ita Athenæus, Plutarchus, Plinius, lib. XXI, cap. III, et alii. Hic enim mos fuit Hebræorum, Græcorum, Romanorum, Indorum. Hebræorum, ut patet ex hoc loco, et *Sapient.* II, 8 : « Coronemus nos rosis; » et Ezechiel, cap. XXIII, 42, significat amicas amatoribus coronas imposuisse. Græcorum, ut patet ex Athenæo, lib. XV; Plutarcho ; lib. III *Sympos.* Quæst. I. Quin et Aristoteles apud Cælium, lib. XXVII, cap. XXVI, ait veteres coronis in conviviis usos ad significandum obscure, augurandumque annonæ fertilitatem rerumque copiam. Romanorum, ut patet ex Ovidio, lib. V *Fastorum* :

Ebrius incinctis (*innexis*) philyra conviva capillis
Saltat, etc.
Nulla coronata peragantur seria fronte,
Nec liquidæ juncto flore bibuntur aquæ.
Bacchus amat flores; Baccho placuisse coronam.

Corona significabant plenum et integrum esse convivium, indeque plenum convivarum gaudium, eo quod nihil illi ad hilaritatem compositum deesset : corona enim perfectionis est symbolum, ob figuram rotundam et in se redeuntem. Unde Propertius, lib. IV, *eleg.* 3 :

Me juvat et multam mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa.

Et Anacreon, *ode* 4 :

Foliis rosam decoram
Capiti revincientes,
Inter calices jocemur.

Indorum, ut patet ex Philostrato, qui, lib. II *Vitæ Apollonii Tyanei*, asserit Indos quoties apud regem convivarentur, coronatos ad convivia accessisse.

Hinc Antiochus, ut legimus II *Machab.* cap. VI, 7, Judæos coegit ut, rejectis patriis legibus, Bacchum symposii deum colerent, eique bacchantium more hedera redimiti orgia celebrarent. Quod qui facere recusabant, morte mulctabantur : nam, ut ait Plinius, lib. XVI, 1, ferunt Liberum (Bacchum) patrem primo omnium coronam imposuisse capiti suo ex hedera : quam Festus sic ait esse dictam, vel quod hæreat, vel quod edita petat, vel quod id cui adhæserit, edat. Et Plutarchus, lib. III *Sympos.* Quæst. I : Bacchus, ait, hederam quoque facultate sua maxime vino (ebrietati) resistentem, in honore habendam docuit, eaque bacchantes coronavit, ut minus a vino læderentur, hedera suo frigore ebrietatem restinguente. Hinc et hedera signum est caponarum et vini vendibilis. Denique Ovidius loco jam citato :

Bacchantes coronati hedera :

Tempora futilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet injecta splendida mensa rosa.

Ita legimus Cleopatram in luxuriosō illo convivio in rosas expendisse talentum, cum per omnia discumbentium triclinia foliorum passim acervi, cubiti mensura pavimentis undequaque exstarent. Quin et pocula cyathosque coronabant, ut docet Tertullianus, lib. *De Corona militis*, et Virgilius, III *Æneid.* :

Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, implevitque mero.

Et lib. VII :

Crateras læti statuunt, et vina coronant.

Huc facit illud sponsæ vino amoris inebriatæ : « Introduxit me (rex) in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore (ebrietate amoris) langueo, » *Cantic.* II, 4.

Nota *secundo* : Per *dignationem*, sive dignitatem, *corrogationis* nonnulli accipiunt, imo cum Rabano legunt *dignitatem congregationis*, cui scilicet quasi præfectus corrogasti lætum epulum vel cibi, vel doctrinæ, vel prudentiæ et disciplinæ : ob hoc enim a congregatione convivarum dignitatem et honorem consequeris. Ita Rabanus, Lyranus, Palacius. Dignatio corrogationis, quæ? Resp. primo.

Secundo, Jansenius, *corrogatio*, inquit, est convocata et simul sua symbola conferens congregatio. Secundo.

Tertio, alii, *corrogatio*, inquiunt, vocatur convivium, quod instituitur ex corrogatione et collatione convivarum : olim enim mos erat corrogandi sumptus, aut etiam cibos ad instruenda convivia, quas corrogationes vocabant symbola convivalia, qualia fidelibus vetuit Concilium Laodicenum, cap. LV : « Non oportet, inquit, ministros altaris, vel quoslibet clericos, vel etiam laicos christianos ex symbolis, quæ vulgus comessalia appellat, convivia celebrare. » Sic sensus erit, *q. d.* Si hæc feceris, consequeris a convivis laudem, quod convivium rite instruxeris. Tertio.

Quarto, proprie et genuine, per *corrogationem*, accipe collectionem symbolorum, quam faciebant convivæ, ut eam quasi tributum suo regi et præfecto offerrent. Unde Syrus vertit, *et in mensa recipies honorem.* Solebant enim prisci convivæ officii causa corrogatis partibus (quæ symbola vocabant) ferculorum meliorum honestare symposiarcham, uti modo honestant sponsos, quibus etiam singuli solent propinare, adeoque cyathis vino plenis eos circumdare et coronare. Hac ergo corrogatione ferculorum et cyathorum, similiumque rerum convivalium significat honorandum convivii præfectum, si officium suum rite obeat. Quarto et genuine.

Addit noster Salazar in *Proverb.* cap. VIII, 21, convivas symposiarchæ corrogasse symbolum ex minusculis mysticis. Nam v. g. aliquis, ut symposiarchæ robur et lacertos commendaret, armum illi deferebat; alius vero, ut ejus facundiam notaret, linguam destinabat; alius, ut ejus Munera symbolica convivarum.

vigilantiam innueret, oculum mittebat; alius, ut amorem testaretur, cor vel pectus dabat; alii aliis ejusmodi symbolicis munusculis, prout cuique collibitum erat, convivii regem honestabant. Hoc autem non nisi in splendidissimis cœnis fieri solitum docet Fulvius in sua appendice ad Triclinium Ciacconi. Sensus ergo est : « Ut dignitatem consequaris corrogationis, » ut scilicet convivæ destinatis muneribus mysticis, laudes tuas celebrent, et eas, quibus polles, virtutes deprædicent. Sic Samuel Sauli regi misit armum, ut regi futuro fortitudinem (cujus symbolum est armus) commendaret : « Ecce comede, inquit, quia de industria servatum est tibi, » I *Reg.* IX, 23 et 24. Et Philo, in *Joseph.*, tradit a Joseph missum Benjamin fratri in mensa pectusculum, ut illum sibi in pectore et amoribus esse significaret. Eadem de causa ex victima sacerdoti cedebat armus et pectusculum, *Levit.* VII, 34. Hinc illa veterum dicta : « Cor ne edito, linguam seorsim inside, salem appone, » etc.

Mystice hæc omnia adaptes præfectis mensæ spiritalis, puta Episcopis, Pastoribus, Concionatoribus et Doctoribus. His enim cura incumbit instruendi mensam doctrinæ, exhortationis, Eucharistiæ, qua quemque erudiant et pascant ad vitam æternam. Quod si rite fecerint, cum illis in cœlo lætabuntur, ac coronam Doctoribus promissam accipient; ipsique fideles ab eis in cœlum traducti singuli eum ut parentem colent, eique suas dotes et gloriam arrogabunt, juxta illud S. Petri, *epist.* I, cap. V, 2 : « Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. » Hac de causa S. Paulus Thessalonicenses et Philippenses vocat suum « gaudium » et suam « coronam, » I *Thess.* II, 19, et *Philip.* IV, 1. Vide ibi dicta, ubi illustre hac de re exemplum S. Amandi recensui.

Ab Hebræis et Siracide idipsum didicere philosophi gentium. Unde Isocrates, orat. *ad Nicoclem* : « Ama, inquit, eos quibus imperas, et effice ut ab iis vicissim ameris. Amor populi diuturni imperii est fundamentum. » Plinius, in *Panegyr. Trajani* : « Bonus princeps, ait, cum civibus velut cum liberis suis versari debet. Affabilitas principis virtus maxima. Diligi princeps, nisi ipse diligat, non potest. »

Vers. 4 et 5. 4 et 5. LOQUERE, MAJOR NATU; DECET ENIM TE PRIMUM VERBUM (subaudi, loqui) DILIGENTI SCIENTIA, ET NON IMPEDIAS MUSICAM. — Ita Romana. Perperam ergo Jansenius, Palacius et alii passim legunt, *diligenti scientiam*, sicque explicant, *q. d.* Quandoquidem decet te, qui senior es, loqui ante alios, loquere tu primum verbum; verum loquere illud non amusis, sed philomusis, id est *diligentibus scientiam*, ne spargas margaritas ante porcos; ita tamen ut « non impedias musicam. » Aut aliter dispungendo : *Loquere, major natu; decet enim te loqui : primum verbum diligenti scientiam* subaudi; convenit, *q. d.* Convenit illum præ aliis loqui qui ostendit se esse philosophum et amatorem scientiæ, quales sunt senes.

Verum cum Romanis tam Latinis quam Græcis legendum : ἐν ἀκριβεῖ ἐπιστήμῃ, id est *in* exacta et *diligenti scientia*. A rectoribus convivii descendit ad convivas, tum senes, tum juvenes. Senibus hic dat præceptum, scilicet ut primi loquantur (hoc enim decet), sed exacta, sensata et sapientia; ita tamen ut gravitate nimia non impediant musicam, cui proprius est in conviviis locus. Unde Tigurina vertit : *Loquere, senex, quia decet te cum docto duntaxat studio, nec musicam prohibe;* Complutensia vero pro πρεσβύτερε, id est *major natu*, legunt, πρεσβυτέρῳ, id est *majori natu;* sic enim habent : Λάλησον πρεσβυτέρῳ; πρέπει γάρ σοι, ἐν ἀκριβείᾳ δὲ ἐπιστήμης, καὶ ἐμποδίεις μουσικά, id est : *Loquere seniori; decet enim te, in diligentia autem scientiæ, et impedies musica :* quæ lectio corrupta est; pugnat enim cum Latina Vulgata ac cum Græcis cæteris, etiam Romæ emendatis, imo cum seipsa; præsertim quia in sequentibus commendat musicam.

Tertium convivii præceptum, ut senes loquantur.

Itaque duo hic sancit Siracides : prius, ut initio convivii senes loquantur, sed sensata et sapientia : « Loquere, inquit, major natu; » græce, *presbyter*, « decet enim te loqui, » qui reliquis pro tua dignitate et ætate uti convivandi, ita etiam loquendi atque docendi magister creatus es. Nam « multitudo annorum scire facit, » uti habet vetus parœmia. Id olim in usu fuit apud Hebræos, Græcos et Latinos, tum fideles, tum infideles; Hebræos enim sua convivia non tantum ferculis, sed et problematibus ac quæstionibus propositis condire solitos docte ostendit noster Salazar, in *Isagoge Prov.* pag. 2. De Græcis et Romanis idem testantur Plutarchus, lib. I *Sympos.* Quæst. I, et Macrobius, lib. VII *Saturn.* cap. I; Quintilianus, lib. I *Instit.*; Cicero, *Tuscul.* I; Plato, in *Sermonibus convivalibus;* Athenæus, in *Dipnosophistis*, id est, *Cœnis Sapientum.* Decet enim ut in convivio non tantum corpus pascatur cibis, sed et mens eruditis bonisque sermonibus; quare in mensis proponebantur problemata, parabolæ, ænigmata, etc., ideoque sobrie bibebatur, ut iis sapienter responderi posset. Ita docent auctores citati. Horum loco apud Religiosos virosque graves in mensa solet legi S. Scriptura, Patres historiæ, etc., quam proinde lectionem commendat S. Augustinus, *epist.* 109, et S. Basilius, in *Regul. brevior.* reg. 130. Idem Cyrum et Persas factitasse scribit Xenophon, lib. IV. Idem præ omnibus fecere primi Christiani in Eucharistia et agape, id est convivio post sacram Synaxim, uti ostendi I *Corinth.* XIV, 26; idque exemplo Christi, qui in ultima cœna longum et ardentem de charitate

texuit sermonem, *Joan.* XIII et seq. Ac de Essæis idem testatur Philo, lib. *De Vita contempl.*, Josephus, Eusebius et alii. Convivium enim est congeries delectationum, utpote in quo guttur cibo, aures cantu, oculi spectaculis, nares unguentis et floribus pascuntur. Sed omnium optima et liberalissima est sermonis sensati et jucundi oblectatio, quo uno maxime animus delectatur et pascitur. Post sermonem autem musica videtur primas obtinere, quæ idcirco a Siracide cum sermone conjungitur. Porro inter Septuaginta Interpretes, ordine septuagesimus, a Ptolemæo Philadelpho, rege Ægypti, interrogatus in convivio regali quid loquendum esset, respondit narrandas esse Principum illustrium vitas; his namque suavius nihil, neque jucundius inveniri. Ita Aristæas in *Historia Septuaginta Interpretum.*

Quartum, ut musica condiatur: cur?

Posterius est, ut post senum doctrinam sequatur concentus musicus, ut seria jucundis temperentur, et convivæ exhilarentur, ac lites et rixæ, quæ inter convivas, dum vino æstuant, oriri solent, suavitate cantus sedentur et sopiantur; hanc enim vim habet cantus et musica : denique ut animus musicæ intentus non dicat nec audiat verba scurrilia, detractoria, lasciva, quæ in mensis dici solent. Aliqui, ut Emmanuel Sa, per musicam intelligunt concentum et ordinem in disserendo, ut scilicet senes ita composite et concinne loquantur et disserant, ut harmoniam edere videantur. Verum hæc mystica est musica; ad litteram enim musica significat concentum musicorum. Hunc enim veteres Hebræos mensis adhibuisse liquet ex hoc loco et vers. 7, ac *Psalm.* LXIX, 13; *Isaiæ* XXIV, 8; *Amos*, VI, 5; *Lucæ* XV, 25. Quin et Christus Dominus ultimam cœnam hymno et cantu conclusit; nam, « hymno dicto, » græce ὑμνήσαντες, id est cum hymnum cecinissent, ipse et Apostoli « exierunt in montem Olivarum, » *Marci* XIV, 6. Denique in cœlesti convivio Beati perenne Alleluia Deo et Agno decantant, *Apocal.* cap. IV, 8, et cap. V, 9 et 12, et cap. VII, 12.

De Græcis et Latinis patet ex Cicerone, *Tuscul.* I, et Quintiliano, lib. I : « Ille mos fuit, inquit, ut in conviviis post cœnam circumferretur lyra, quam ex ordine convivæ pulsarent; cujus cum se imperitum professus esset Themistocles, habitus est indoctior. » Unde Horatius, lib. II, *ode* 11 :

Divitum mensis et amica templis lyra.

Et Varro : « In conviviis, inquit, pueri modesti cantabant carmina antiqua, in quibus erant laudes majorum, et alta voce et cum tibicine. » Cicero, in *Bruto* : « Carmina, ait, in epulis a singulis conviviis esse cantata de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato. » Virgilius, I *Æneid.* :

Cithara crinitus Jopas
Personat aurata.

Hic autem erat ordo cantus : *Primo*, omnes convivæ communi voce pæana, sive hymnum aliquem in Bacchi et aliorum deorum honorem canebant, idque tum ab initio, tum in fine mensæ, quando libabant; deinde unusquisque, accepto myrti aut lauri ramo, propriam cantionem canere, atque etiam lyram, quæ circumferebatur, pulsare cogebatur; ita Plutarchus, lib. I *De Musica*, et *Sympos.* I, Quæst. I, et Clemens Alexandrinus, lib. *Pædag.* IV, ubi immoderatum et lascivum musices usum damnat, taleque convivium nuncupat « ebrietatis theatrum. » Sic et convivia olim musica condiri solita docet Athenæus, lib. I et XIV, Plato in *Protagora*, Suetonius in *Galba*, Livius, *decad.* 3, Valerius Maximus, lib. II, et alii.

Pari modo primi christiani concentum adhibebant in agape, id est convivio Eucharistico. Id patet ex S. Paulo, *Coloss.* III, 16 : « Verbum Christi, inquit, habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo; » et I *Corinth.* cap. XIV, 26 : « Unusquisque vestrum, inquit, psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsin habet. » In quorum locum successere lectio Epistolæ et Evangelii, ac cantus organaque in Missa, uti ibidem dixi.

Sed audi Tertullianum graphice agapen et prima christianorum convivia et cantus depingentem, *Apologet.* cap. XXXIX : « Cœna nostra, inquit, de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, id est *dilectio*. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum : siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi; sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate, quid sit de religionis officio : nihil scurrilitatis, nihil immodestiæ admittit; non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur; editur quantum esurientes capiunt : bibitur quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse : ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere : hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit : inde discceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ et pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. »

Hinc patet musicam et organa recte adhiberi in templis, etiam in Missa, tum ut Deus per illa laudetur, tum ut populus ad devotionem et lætitiam spiritalem excitetur. Sed cavendum est ne cantus sit levior, aut lascivior, qui potius petu-

lantiam quam devotionem provocat, ac potius aures titillet quam mentem ad Deum attollat. Denique Clemens Alexandrinus supra : « Sunt, inquit, admittendæ modestæ et pudicæ harmoniæ; a forti vero et nervosa nostra cogitatione molles et enervatæ harmoniæ amandandæ quam longissime, quæ improbo flexuum vocis artificio utentes, ad delicatam et ignavam vitæ agendæ rationem deducunt. Graves autem et quæ ad temperantiam pertinent modulationes, ebrietatis proterviæ valedicunt. Chromaticæ igitur harmoniæ, impudenti in vino protervia floribusque redimitæ, et meretriciæ musicæ sunt relinquendæ. »

Mira vis musicæ. Porro quanta sit vis musicæ in exhilarandis, sedandis et cicurandis, non tantum hominibus efferis et ebriis, sed et bestiis, ostendit Martianus Capella, lib. IX *De Musica* : « Cervi, inquit, fistulis capiuntur; pisces in stagno Alexandriæ crepitu detinentur : cycnos hyperboreos citharæ cantus adducit; elephantes Indicos organica permulsos detineri voce compertum : fistulis aves allici comprobatum, infantibus crepitacula vagitus abrumpere, fides delphinis amicitiam hominum persuadere, imo cantibus allici disrumpique serpentes. » Quin et paulo ante addit : « Febrem curabant vulneraque veteres cantione; Asclepiades item tuba surdissimis medebatur : ad affectiones animi tibias Theophrastus adhibebat. Ischiadas quis nesciat expelli aulica suavitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat; Thaletem Cretensem citharæ suavitate compertum est morbos ac pestilentiam fugasse; Hierophilus ægrorum venas rhythmorum collatione pensabat. » Hæc ille; sed ea vix credent physici et medici. Non minus mirum est, si verum quod Polyhistor, cap. XI, narrat in Halesina regione fontem alias quietum et tranquillum, cum siletur; si insonent tibiæ, exsultabundum ad cantum elevari, et quasi miretur dulcedinem vocis, ultra marginem intumescere.

Vers. 6. 6. UBI AUDITUS NON EST, NON EFFUNDAS SERMONEM, ET IMPORTUNE NOLI EXTOLLI IN SAPIENTIA TUA. — Monuit senes ut loquantur sensata in convivio : hic modum et conditionem adhibet, scilicet, si sit auditus, hoc est, audientia; puta, si adsint auditores audire parati : alioqui, ubi id non est, frustra et imprudenter effunditur sermo, uti fit a nonnullis polylogis et verbosis, qui ubique suam sapientiam ostentare satagunt, contra quos ait : « Et importune noli extolli in sapientia tua, » ut importuno tempore, cum scilicet non sunt auditores, qui audire velint, promas et jactes tuam sapientiam, eamque nolentibus et invitis ingeras.

Græci codices tollunt primam negationem *non*; unde sic habent : *Ubi est acroama ne locutionem effundas, neu intempestive sapiens esto. Acroama* Græcis est narratio aut fabula, quæ a vulgo libenter auditur. Proprie *acroama* est auditus, auscultatio, *q. d.* Ubi alii audiuntur, tu ne effunde sermonem. Unde Tigurina : *Ubi locus est auscultandi, verba ne fundites, nec sapientem agas intempestive.* Hinc Acroamatica vocantur Aristotelis commentationes, in quibus philosophia subtilior remotiorque agitatur, quæ proinde diligenti discipuli auscultatione et attentione indigent. Hic tamen *acroama* significat narrationes, historias, carmina, fabulas, quæ super mensam recitari solent, ut convivas recreent, ac ipse etiam musicorum cantus, qui avide a convivis auscultari solet. Ita *acroama* pro cantu accipit Macrobius : « Delectatus, inquit, Cæsar inter cœnam symphoniacis, eos frumento tantum donavit, cum in alia acroamata fuisset nummis liberalis. » Sic etiam hic accipi potest, ut explicet id quod præcessit : « Et non impedias musicam. » Unde addit : « Ubi est acroama ne loquaris, » hoc est, quando carmina canuntur, noli loquaciter obstrepere, et intempestive sapientem agere.

Verum melius Noster legit per negationem : « Ubi non est acroama, » id est auditus, « non effundas sermonem. » Favet Syrus, dum vertit : *In loco in quo bibitur vinum* (ubi viget compotatio), *ne misceas sermonem, nec semper sapientem agas.* Sensus est, quem initio assignavi, isque apte respondet lectioni quæ habet vers. 5 : « Decet enim te primum, verbum (loqui) diligenti scientiam; » nam « ubi non est auditus, » ubi scilicet non diligitur scientia, « non effundas sermonem. » Huic gnomæ similis est illa Syrorum : « Ne emittas canem ubi non est venatio, hoc est, ne quem corripias vel doceas, ubi non est spes profectus et fructus. »

7. GEMMULA CARBUNCULI IN ORNAMENTO AURI, ET COMPARATIO MUSICORUM IN CONVIVIO VINI. — Prosequitur quod dixit vers. 5 : « Et non impedias musicam. » Τὸ *et* est comparativum, ideoque idem est quod *sic*. « Comparatio » hic non est similitudo, sed compositio et concentus : græce enim est συγκρίμα, id est *compositio* et *coagmentatio*, scilicet vocum et sonorum musicorum. Ut enim ex parvis et magnis lapidibus coagmentatur insignis fabrica, ac ex variis plagulis acu pictis vel intextis opus Phrygium, atque ex diversis tessellis apte concinnatur opus tessellatum sive mosaicum vel musivum, cujus pulchritudo consistit in apta partium singularum ad invicem proportione et coagmentatione : ita pariter ex vocibus gracilibus, mediis et crassioribus apposite inter se compositis et commixtis, resultat musicus concentus, cujus elegantia consistit in harmonica vocum omnium inter se proportione et comparatione. Sensus ergo est, *q.* d. Uti gemma carbunculi, licet in se pretiosa et pulchra, pretiosior tamen apparet, et pulchrior resplendet in annulo aureo (auri enim fulgore ejus splendor reverberatur et acuitur) : ita pariter concentus musicus, licet in se elegans et delectans, magis tamen pulchrescit et delectat, si misceatur convivio : ibi enim proprius est musices locus, ubi hilares convivæ hilarius audiunt musicam, ideoque delectationem cibi et

Vers. 7.

potus acuunt, imo duplicant delectatione musices; quia « sicut cibus reficit corpus, ita melodia sensus, » ait Lyranus. Unde Græca habent : *Sigillum carbunculi in ornamento aureo* (in pala annuli aurei) *est concentus musicorum in convivio vini;* Tigurina : *Quasi insigne carbunculi in aureo ornatu est concentus musicorum ad vinum in convivio.* Est enim magna sympathia inter vinum et vocem cantumque, præsertim quia hæc omnia uno eodemque organo, puta ore et lingua sentiuntur et peraguntur. Unde videmus pueros alias taciturnos, mox ut vinum biberunt, garrire et cantilare, aut cantantes auscultare.

Huic sententiæ Siracidis antistropha est illa Salomonis, *Proverb.* XXV, 11 : « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. » Nam et ibi agi de lectis tricliniorum, in quibus discumbebant convivæ, ac de sermonibus mensalibus, quibus intermiscebatur musica, docet ibidem noster Salazar.

Mystice, musicus concentus est gratiarum actio, quæ mire decorat convivium, præsertim sacrum, ut Eucharistiæ et lectionis vel concionis sacræ. Unde Syrus vertit : *Sicut signaculum super marsupium auri, sic laus Dei in convivio vini.* Hoc est quod ait Apostolus, *Ephes.* V, 18 : « Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. » Id fiebat in agapis, uti ostendi I *Corinth.* XIV, 26.

Rursum sensus hujus versus mysticus est, *q. d.* Sicut carbunculus ornat annulum, et vicissim ornatur ab annulo aureo : ita musicus concentus, id est vita sancta (cujus actiones omnes inter se et cum lege Dei concordantes concinunt, et mysticam virtutum efficiunt harmoniam) ornat doctrinam sanam doctoris, et vicissim ab eo ornatur. Ita Glossa. Audi Rabanum : « Omnium ardentium gemmarum, inquit, principatum carbunculus habet; carbunculus autem dictus, quod sit ignitus ut carbo, cujus fulgor nec nocte vincitur : lucet enim in tenebris, adeo ut flammas ad oculos vibret. Carbunculum ergo comparat ad splendorem auri, et musicum melos ad convivium vini. Quia sicut gemma pretiosa, adjuncta auri metallo, duplicat splendoris decorem : ita dulcis melodia, ad convivium vini adaucta, multiplicat jucunditatem. Mystice autem aurum significat divinam sapientiam, carbunculus sacrarum virtutum gloriam, vinum gratiam spiritalem, et musica Evangelii prædicationem; sicut enim condecet divinam sapientiam virtutum fulgor, ita et spiritalis gratiæ condigna est vera prædicatio verbi. » Hugo vero : « Gemmula carbunculi, inquit, est humilitas charitatis. » Carbunculus, quasi carbo ignitus dicitur, omnes gemmas splendore præcellens; sic charitas suo ardore præcellit cæteras virtutes. « In ornamento auri, » aurum est sapientia, *q. d.* Sicut charitas et humilitas ornant sapientiam; sic consonantia cordis, oris et operis ornat et decorat prædicationem verbi Dei. Et sicut charitas præfertur sapientiæ, sic bona vita doctrinæ. Nam, ut ait S. Gregorius : « Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. » Idem Hugo per smaragdum, qui sequitur, estque viridis, accipit fidem per dilectionem operantem, quæ ornat sapientiam et doctrinam sicut charitas et humilitas. In smaragdo ergo significatur fides Confessorum, in carbunculo charitas Martyrum. Sed de smaragdo mox plura ex Rabano.

8. SICUT IN FABRICATIONE AURI SIGNUM (græce σφραγίς, id est *sigillum*) EST SMARAGDI : SIC NUMERUS MUSICORUM IN JUCUNDO ET MODERATO (Rabanus legit *odorato*) VINO. — Idem dicit de smaragdo, quod dixit de carbunculo. Quare « numerus » hic non arithmeticus, sed musicus intelligitur, puta numerus vocum sive numerosa harmonia : græce enim est μέλος, id est *harmonica melodia.* Sensus est, *q. d.* Sicut annulum aureum ornat pala ex smaragdo, vel sigillum smaragdinum : ita pariter convivium ornat concentus musicorum, imo convivii splendorem instar sigilli smaragdini obsignat et sigillat, id est perficit et consummat, ut tum demum censeatur perfectum esse convivium, cum musica conditur et condecoratur. Unde Græca habent : *Sigillum smaragdi in opere ex auro constructo est carmen musicum ad vinum suave, dulce et jucundum;* Tigurina : *Modulatio cantorum in jucunda compotatione, est sigillum smaragdi in apparatu aureo;* Syrus : *Sicut monile aureum annuli et smaragdi, ita verba bona* (decantata) *in convivio vini.* Igitur sicut vix est gemma carbunculo et smaragdo pretiosior, et in auro pulchrior; ita nihil est in convivio aptius et jucundius quam musica harmonia. Arabicus : *Sicut annulus super sacculo auri, sic gloria Dei super potu vini;* si quis scilicet in symposio Deum bonis sermonibus et hymnis glorificet. Audi Rabanum : « Smaragdus lapis est nimiæ viriditatis, adeo ut herbas virentes frondesque ac gemmas superet omnes, inficiens circa se viriditate repercussum aerem, qui mero et viridi proficit oleo, quamvis natura imbuatur. Cujus genera plurima, sed nobiliores Scythici : secundum locum tenent Bactriani; tertium Ægyptii. Significat autem animas fide semper virentes, quæ quo magis adversitate sæculi (quam figura Scythiæ designat) attentantur, eo amplius hæreditatem immarcescibilem et æternam conservatam in cœlis, et mente concipere sperando, et in proximos satagunt spargere prædicando. Quæ etiam calice Dominicæ passionis, et internæ pinguedine charitatis, quæ per Spiritum Sanctum datur, ad contemptum mundi proficiunt. Sicut enim in fabricatione auri adauget decorem splendor smaragdi : sic eruditionem viri amplificat charitas rectæ fidei, quæ per dilectionem opera- Vers. 8

tur; et mysteria passionis Dominicæ condigno venerantur sacramento. »

Denique mystica musica Deo et hominibus gratissima, est concordia conjugum, domesticorum, Religiosorum, civium, etc., juxta illud cap. XL, vers. 20 : « Vinum et musica lætificant cor, et super utraque dilectio sapientiæ, » id est charitatis et concordiæ, de quo plura ibidem. Sequitur enim : « Tibia et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis, » qualis est charitatis et concordiæ.

Vers. 9. 9. AUDI TACENS (tum musicam et musicos : hi enim audiri volunt in silentio; tum sermones senum jam dictos), ET PRO REVERENTIA ACCEDET TIBI GRATIA BONA, — *q. d.* Tacendo et auscultando deferes honorem et reverentiam tum musicæ et musicis, tum senibus et sapientiæ quam eloquuntur, tum cæteris convivis, qui eos avide auscultant : quare eorum omnium gratiam tibi conciliabis, ut te velut modestum, reverentem, philomusum venerentur et deprædicent, tibique pro favore auscultationis gratias agant : si secus facias, et loquacitate tua eis obstrepas, omnes offendes, audiesque immodestus, irreverens, audax et loquax. Si hæc reverentia silentii deferenda est musicæ profanæ in conviviis, multo magis deferenda est cantui sacro in templis, puta in Missa et Vesperis : hoc enim exigit honor et majestas Dei, cui laudes hæ decantantur, quique in iis invocatur et adoratur. Quocirca Christus ejecit ementes et vendentes ex templo, pari ratione ejecturus garrulos et fabulones, si eos ibi invenisset, dicens : « Domus mea domus orationis est, » non fabulationis, « vos autem fecistis illam speluncam latronum, » *Luc.* XIX, 46.

Hic versus jam deest in Græcis et Syro.

Vers. 10. 10. ADOLESCENS, LOQUERE IN CAUSA TUA VIX, — id est raro, parce, tarde, ægre. Unde Jansenius et alii addunt : *cum necesse fuerit,* ut scilicet non loquaris, nisi cum loqui necesse est; sed id delent codices Romani.

Vers. 11. 11. SI BIS INTERROGATUS FUERIS, HABEAT CAPUT RESPONSUM TUUM. — A senibus transit ad adolescentes, eisque præscribit silentium et pauciloquium : sicut enim senes decet loqui, sic juvenes decet silere et auscultare. Primum est hoc adolescentum monitum et præceptum, nimirum ut in mensa sint taciturni et pauciloqui. Igitur non loquantur, nisi cum causa eorum id exigit, puta cum necesse est loqui, idque *vix,* id est ægre et parce, quod explicat subdens : « Si bis interrogatus fueris, » *q. d.* Ne responde, nec loquitor nisi bis interrogatus fueris : tunc enim honeste silere nequis : verumtamen tunc curato ut « habeat caput responsum tuum, » græce κεφαλαίωσον, id est *redige sermonem tuum in brevia capita,* ut paucis multa complectaris. Unde Græca Romæ emendata habent : *Adolescens, loquere, cum necessitas tibi fuerit, vix; si bis interrogatus fueris, in summam redige sermonem, in paucis multa;* Tigurina : *Loquere, adolescens, si veniat usus tui, vix; tamen etiam bis invitatus, summatim, verbis paucis multa complectere;* alii : *Confer sermonem in capita, paucis multa explicans.* Hoc enim exigit humilitas, verecundia, modestia et reverentia, quam juvenes debent senioribus : si enim secus faciant, videbuntur esse scioli et superbi, atque arrogare sibi auctoritatem loquendi, suamque velle ostentare sapientiam. Eodem spectat quod sequitur :

Primum præceptum adolescentum in convivio.

Vers. 12. Secundum. 12. IN MULTIS ESTO QUASI INSCIUS, ET AUDI TACENS SIMUL ET QUÆRENS. — Græce, γίνου ὡς γινώσκων καὶ ἅμα σιωπῶν, quod *primo,* Tigurina præcedentibus connectens vertit : *Fac intelligas* quod interrogaris, quodque respondere debes, *interimque taceas, q. d.* Interrogatus tace, donec prudenter cogitaris quid respondere debeas. *Secundo,* Romani et Complutenses vertunt : *Esto quasi sciens et simul tacens, q. d.* Fac ut intelligas, scias et cognoscas quæ in mensa a senibus dicuntur; sed ita ut simul taceas, nec te ea scire ostentes. Noster pro εἰς, id est *quasi,* legit οὐ, id est *non,* atque alio nonnulla adjicit. Unde vertit, *in multis esto* quasi non sciens, id est *inscius, q. d.* Esto multa intelligas et scias, tacendo tamen dissimula te ea scire, teque gere quasi ea nescires; sic enim humilitate celabis tuam scientiam, ac provocabis senes ut pergant dicere et docere : quare audi eos, tacens simul et quærens, tanquam audiendi et discendi avidus; modeste tamen et opportune id facias : sicut Christus duodenis inter doctores celabat suam scientiam, nec docebat, sed interrogabat, *Lucæ* II, 46. Denique, ut ait S. Bernardus, tractatu *De Ordine vitæ* : « Silentium est maximus actus verecundiæ; » hæc autem est prima dos juvenum. Vide S. Bonaventuram, *De Institut. Novitiorum,* I part. cap. XX. Est hoc secundum adolescentum monitum; sequitur tertium :

Vers. 13. Tertium. 13. IN MEDIO MAGNATORUM (loqui) NON PRÆSUMAS : ET UBI SUNT SENES, NON MULTUM LOQUARIS. — Ita legit Jansenius et alii passim : sed delendum est cum Romanis et Græcis τὸ *loqui;* Græca enim Complutensia sic habent : *In medio magnatorum* μὴ ἐξισάζου, id est, *ne te facias æqualem; et ubi senes, ne multa garruleris;* Romana, *et alio dicente, ne multa garrias;* Tigurina : *Ne te adæques proceribus inter quos fueris; et ubi senes adsunt, ne multa garrias.* Nam Romana legunt, ἑτέρου λέγοντος, id est *alio dicente,* pro quo Complutensia et Tigurina legunt, ὅπου γέροντες, id est, *ubi sunt senes;* Syrus : *Inter principes ne exalteris, et eos qui sunt seniores ne velis contumelia afficere,* contradicendo, et multum loquendo in eorum præsentia; hoc enim senibus contumeliosum est. Ut ergo Latina cum Græcis et Syris concilies, sic explica : In medio magnatum *non te æques* (uti legunt nonnulli codices manuscripti) illis, ut præsumas æquali libertate cum illis uti, ut audeas cum eis agere quasi par cum pari, ut velis libere agere et dicere eadem quæ ipsi agunt et dicunt; hoc enim signum est arrogantiæ, audaciæ et impudentiæ : quare eo offensi

magnates, et indignantes quod te illis æquare velis, cum sis inferioris sortis, in te insurgent, teque verbis et factis, quoad poterunt, depriment; ut qui volueras esse æqualis summis, fias par, imo inferior infimis. Eadem de causa non præsumas inter senes multum loqui : quia per hoc videris te eis æquare, eorumque gravitatem, auctoritatem et prudentiam tibi arrogare. Quare illos offendes, ipsique tuam arrogantiam carpent et obtundent. Huic affine est S. Bonaventuræ monitum : « Inter multos ne multum loquaris, » tum ut multitudinem revereareris; tum ut vites confusionem, tumultum, contradictionem et reprehensionem cujuslibet e multis.

Senibus deferendum

Exempla.

Hinc omnium gentium ritu juventus honorat senes, eisque defert honorem sedendi et loquendi. Unde Macrobius, lib. III *Saturnalium* : « Senectus nobis, inquit, si sapimus, adoranda est. » Et Valerius Maximus, lib. II, cap. I, scribit juvenes olim ita honorasse majores natu, ac si ipsi communes omnium forent parentes; unde et senatores vocati sunt Patres Conscripti, et a senibus dictus est Senatus; quia in eum nemo nisi senex adlegebatur, ut dixi cap. XXV, vers. 7. Hac de causa γέροντες, id est senes, apud Spartanos erant senatores et optimates, num. 28, qui amplissimum magistratum gerebant, teste Aristotele, in *Politica*. Porro Plutarchus, lib. VII *Sympos.* γέροντας non tam ἀπὸ τῆς γῆς, hoc est *ab ariditate terrea*, et quod in terram fluant, quam ἀπὸ τοῦ γήρατος, id est *a veneratione, honore et reverentia*, dictos putat : quare apud omnes nationes summo in honore habiti sunt. Audi Juvenalem, *satyra* 13 :

> Credebant hoc grande nefas et morte piandum,
> Si juvenis vetulo non assurrexerat, et si
> Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
> Plura domi farra, et majores glandis acervos.
> Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
> Primaque par adeo sacræ lanugo senectæ.

Et Ovidius, lib. V *Fastor.*:

> Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
> Inque suo pretio ruga senilis erat.

Quam Esseni honorarint senes, vide apud Philonem, lib. *De Essenis* : quantum Ægyptii, vide apud Herodotem in *Euterpe*. Plura de honorandis senibus vide apud Ciceronem, lib. I *Officiorum*; Platonem, dialog. 9 *De Legibus*; Aristotelem, IX *Ethic.* II; Ælianum, lib. I *De Natura animalium*, ubi ad hoc stimulum dat exemplum elephantorum : « Quod genus animalium a principio, inquit, hoc idem solo naturæ ductu sine Lycurgi, aut Solonis, aut Zaleuci præceptione sanctissime observat; ætate affectis nimirum juniores de legitimo cibo cedunt, eosdemque summa observantia colunt, et a periculis servant, in fossam delapsos injectis fruticum fascibus subtrahunt, quibus tanquam scalis senectute graves ascendentes liberantur. » Hæc de elephantibus refert etiam Plinius, lib. VIII, cap. V, Solinus, cap. XXXVIII. Similia de formicis refert idem Ælianus, lib. VIII.

Hoc sapienti, acuto et erudito struthionis et gallinæ apologo, oculis quasi spectandum subjicit Cyrillus, lib. II *Apolog. moral.* cap. IV, cui titulus : *Contra Præsumptuosos.* « Alathus struthio, inquit, cum pedis officio in montem ascendisset, cernens volucres in liquidum aerem pennata se agilitate diffundere, præsumptionem sumens ex penna, idem voluit attentare. Cumque anhelationis impetu pararet sese aeri committere, id gallina prospiciens, sic ei fertur dixisse : Tene locum tuum, carissime, et cave ne penna præsumptionis tuæ tibiam amittas virtutis. Qui spernens salutare consilium, mox respondit : Tace, miserrima, quæ, cum posses validitate pennarum altis et lucidis sedibus perfrui, gravitate pauperis pectoris tui, lutum colis. Quo dicto, cordis vigore præsumptuoso se cum magno impetu vibrans, fallacium mentiente statera pennarum, suo pondere corruit, et rapido oneris sui descensu totum se confregit. Tunc ad ululatum dolentis gnara rei gallina descendens, ad eum venit pede tuto, et dixit : De imprudentia tua non miror, quia magno corpore nimis parvum superpositum habes caput; et ideo ala non utili perdidisti pedem tam commodum, et volatus vanitatis abstulit tibi gressum veritatis. Nempe non attendisti quod præsumptio, dum nimis extendit, disjungit; et cum erigit, diruit; et cum anteponit, postponit. » Apologum deinde aliis parabolis stomachi, cordis, ponderis et vini corroborat, dicens : « Sic cum supra vires stomachus hauserit, se confundit; et cor immoderate dilatatum vitali spiritu perdito semetipsum exstinguit. Altius raptum pondus fortius cadit, et erectum sine modo velum submergitur. Sed omnis moderamine virtus agit, et natura dimicans contra morbum, in extrema tantum necessitate potentiam suam ostendit. Tuæ igitur validitatis mensuram cape, et extra metam tuæ longitudinis te noli extendere. Onus sume quod possis ferre, et illud bibe quod possis digerere. Qui enim viribus suis improportionatum pondus levare nititur, crepat. Et si immoderate vinum bibatur, caput inebriat. Quibus dictis, discedens, in dolore suo præsumptuosum reliquit. »

Apologus præsumptuosi.

Similia.

14. ANTE GRANDINEM PRÆIBIT CORUSCATIO : ET ANTE VERECUNDIAM PRÆIBIT GRATIA, ET PRO REVERENTIA ACCEDET TIBI BONA GRATIA. — Ita legunt Romana, Rabanus, Lyranus et alii. Verum Græca, Jansenius, Palacius et alii pro *grandinem* legunt *tonitruum;* sic enim habent Græca : *Ante tonitruum festinat fulgur, et verecundum præcedit gratia;* Tigurina : *Ut fulgur præcedit tonitru, ita pudentem gratia prægreditur, ut pro reverentia consequaris benevolentiam.* Quod Palacius sic explicat, *q. d.* Sicut ante tonitruum sentitur coruscatio, licet revera prius sit tonitruum quam coruscatio, ita licet revera verecundia sit ante gratiam, tamen adeo verecundia placet, ut oculis nostris præcedere videatur gratia verecundiam et præire, non

Vers. 14.

sequi. Igitur « pro reverentia, » quam senibus habueris; « accedet tibi bona gratia; » gratiosus enim videberis et habeberis.

Gratia præit verecundiam. Qua ratione?

Jansenius vero plenius : Gratia, inquit, præit verecundiam, vel (ut græce est) verecundum; quia illi semper præsens est, et parata ad excipiendum illam vel illum : quomodo qui aliquem honoris causa præcedit, illi semper adest, paratus ad succurrendum, si opus fuerit. Aut, quia verecundia statim de se diffundit gratiam, sicut tonitruum de se emittit coruscationem. Similis est locutio in Psalmis, cum de Deo dicitur, *Psal.* LXXXVIII : « Misericordia et veritas præcedent faciem tuam, » nempe quia illas virtutes Deus inseparabiles habet semper comites, easque in omnibus suis factis mox ostentat et relucere facit. Itaque phrasim, quæ est in eo quod dicitur : « Ante verecundiam anteibit gratia, » bene exprimit addita ab Interprete pars, quæ in Græcis non est : « Et pro reverentia, » hoc est verecundia, « accedet tibi gratia bona, » hoc est gratiositas, *q. d.* Propter verecundiam gratus eris, quia verecundia juvenes valde commendat. Bene autem « gratia » coruscationi comparatur, « verecundia » tonitruo; quia sicut coruscatio et fulgur suo lumine micat et exhilarat, ita et gratia lumen suum habet exhilarans : et sicut tonitruum homines facit attonitos, ita et verecundia. Significatur ergo quod quemadmodum tonitruo, rei per se non lætæ, adest fulgur per se lætum, quodque tonitruum de se diffundit : ita verecundia, res quæ torquet, et attonitum facit hominem, adjunctam semper habet gratiam, quam de se diffundit, instar lucis micantem et recreantem. Ita Jansenius apposite.

Eodem redit lectio Romana, quæ pro *tonitruum* legit *grandinem*, id est grandinem tonantem, sive tonitruum grandinans. Nam, ut ait Lyranus, initio veris et autumni, ac alias sæpe, dum anni vel auræ tempora mutantur, cum tonitruo, vel potius statim post tonitruum et fulgur, sequitur grando. Itaque manifestius et clarius est quod fulgure posterior sit grando quam tonitruum. Nam tonitru reipsa prius est fulgure, imo fulguris est causa; etsi ob tarditatem soni et auditus posterius audiatur, et prius videatur fulgur ob ejus æque ac visus celeritatem. Tonitruum enim collidendo nubes elicit fulgur; fulgur vero resolvit nubem in imbrem et grandinem. Nam tradit Plinius, lib. II, cap. LX : « Grandinem conglaciato imbre gigni, et nivem eodem humore mollius coacto; pruinam autem ex rore gelido. » Idem docet Aristoteles, lib. I *Meteorolog.* cap. XII. Unde Rabanus sic explicat, *q. d.* « Fulgor coruscationis præibit pondus grandinis : sic etiam nitor gratiæ præcedit gratiam verecundiæ, et auget pro reverentia donum supernæ gloriæ. »

Apposite silentio juvenum subjungit commendationem verecundiæ; quia silentium cæteraque præcepta quæ juvenibus jam dedit, manant ex verecundia, adeoque non aliud quam verecundiam in verbis et factis juvenibus præscribunt. Apte vero gratia confertur coruscationi, et verecundia grandini; quia et gratia gratiosos illustrat, eosque splendidos et coruscos efficit : atque verecundia verberat, percellit et sternit mentem, æque ac grando sternit segetem. Rursum, sicut grando est imber conglaciatus : sic verecundia æque ac timor (est enim ipsa timoris pars et species) animum constringit, infrigidat et quasi conglaciat, indeque faciei pallorem, linguæ balbutiem, cordi palpitationem, membris tremorem non raro inducit. Quocirca timor semper pudorem comitatur, adeoque pudibundi sunt timidi, et vice versa.

Moraliter, de verecundia.

Moraliter, disce hic quanta sit gratia verecundiæ juvenum, utpote quæ conferatur coruscationi et fulguri; ipsa enim æque ac modestia est quasi fulgor, flos, et venustas vitæ et morum, uti docet S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XLV et XVII : « Est igitur, inquit, bonorum adolescentium timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam : quæ ornamento sunt minori ætati. Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas : ita in adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur naturæ, » etc.; et cap. XVIII : « Silentium quoque ipsum, in quo est aliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est. » Datque exemplum B. Virginem, quæ salutata licet ab Angelo, præ verecundia tamen non resalutavit. Et inferius : « Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. » S. Bernardus, serm. 86 *in Cantica* : « Quid amabilius, ait, verecundo adolescente? quam pulchra hæc, et quam splendida gemma morum in vita et vultu adolescentis! quam vera et minime dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index! Virga disciplinæ est illi qui, pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus actusque leves coerceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloquii et omnis deinceps turpitudinis fugitans? soror continentiæ est. Nullum æque manifestum indicium columbinæ simplicitatis, et ideo etiam testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis jugiter lucens, ut nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico prodat. Illa expunctrix malorum, et propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, et famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, et insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ et decoris suffuso afferre vultui solet? »

Vide eumdem tractatum *De Ordine vitæ*, sive *De Doctrina puerorum*, ubi multa ex *Officiis* S. Ambrosii transcripta sunt, et stylus nonnihil evariat. Qua de causa, Bellarminus, lib. *De Script. Eccles.*, et alii dubitant an hic tractatus sit S. Bernardi.

Rursum hæc potius accipias de reverentia, quæ Deo debetur, dum eum oramus, *q. d.* Sicut co-

ruscatio, oculos exhilarans, grandinem et tonitruum præcedit : grandinem quidem revera, quia ipsa ruptione nubis elicitur; tonitruum vero ad sensum, quia prius fulgur sentitur et oculis objicitur, quam tonitru audiatur : ita pariter gratia aut favor Dei, instar coruscationis mentem exhilarans, verecundiam et reverentiam instar tonitrui aut grandinis nos constringentem præcedit; quia signum est prævenientis gratiæ Dei, si ipsum honoremus et revereamur. Nec solum hoc, verum et pro reverentia habita accedet nobis bona gratia; nam quod petierimus a Deo, hoc utique obtinebimus.

Vers. 15 et 16. 15 et 16. ET HORA SURGENDI NON TE TRICES; PRÆCURRE AUTEM PRIOR IN DOMUM TUAM, ET ILLIC AVOCARE (perperam aliqui legunt, *advocare* : vide Franciscum Lucam in notis hic), ET ILLIC LUDE, ET AGE CONCEPTIONES TUAS, ET NON IN DELICTIS, ET VERBO SUPERBO. — Ita Romana, Rabanus et alii. Minus recte ergo pro *non te trices*, Jansenius legit, *non tetrices*; id est, inquit, ne sis tetricus, id est tristis, gravis et tardus. Alii pejus legunt, *non te tristes*, vel *non te tristet*, id est contristet, scilicet hora surgendi et abeundi. Complutensia, *non te frices*, uti se fricant gulones, bibones, otiosi et pigri, cum a symposio lauto avocantur et avelluntur. Græca habent, μὴ σὺ ῥάγει, id est *ne sis ultimus*; sic ergo totam sententiam efferunt : *In hora excitare, et ne sis ultimus; recurre in domum, et ne torpeas : ibi lude et fac cogitata tua, et non in peccatis et sermone superbo*; Tigurina : *Mature surgas, non inter ultimos recipe te domum, nec desideas; ibi lude, tuoque indulge arbitrio, dum ne pecces, aut superbe agas.* Hebræum enim דבר *dabar*, id est *verbum* vel *sermo*, sæpe per metonymiam sumitur pro re verbo vel sermone significata : sermo ergo superbus est res, actio et opus superbum. Arabicus aliqua addens, nonnulla demens, sic habet : *Ne verbo contumelia afficias majorem te, neque verba multiplices super mensam, et vade in domum tuam, dum stabilis es mente, et adi lectulum tuum in timore Domini, et non in defectu.* Syrus quoque multa hic transiliens, alia compendio perstringens, hæc duntaxat habet : *In tempore mensæ ne multus sis ad loquendum, et dum adhuc in te est recordatio, abi in domum tuam, et fac voluntatem tuam in timore Dei, et non cum detrimento.*

Quartum in convivio juvenum monitum. Quartum est hoc juvenum in convivio monitum, scilicet ut, dum finita est mensa, aut certe dum tempus surgendi est, illico surgant, domumque abeant : sunt enim qui post mensam stantes colloquuntur, potant, seque inebriant, manentque in multam noctem. Ait ergo, « non te trices, » id est non te intrices aliorum remoris, ne tricas quære, ne moras necte, uti faciunt qui a convivis vel convivatore detineri se sinunt, imo ambiunt donec inebrientur; indeque in rixas, verbera et cædes incidant : sed prior e convivio domum abi, et illic inter tuos mentem a seriis avoca, libere expende et recrea, ludoque quopiam exerce, si lubet : et age conceptiones tuas, quæ scilicet animo concepisti et destinasti, id est tuo indulge arbitrio et libito, fac quæ in animo habes, quæque tibi placent et allubescunt, dummodo non relinquas, aut superbe quid dicas vel agas. Domi enim tuæ liber es, mentemque explicare potes, cum in domo aliena decorum et gravitas servanda sint. Permittit ergo, imo consulit ut statim a mensa non tractentur seria, sed mens avocetur a curis, qui cibi concoctionem impedire solent : hæc enim juvatur ludo, et honesta sine crimine recreatione. Qua de causa etiam in Monasteriis et Religionibus a prandio et cœna conceditur hora collocutionis, ad honestam animi relaxationem et cibi digestionem, atque ut mutuo de virtutibus, historiis, aliisque rebus piis vel eruditis colloquio, se invicem in doctrina, pietate et spiritu promoveant et accendant.

Vers. 17. 17. ET SUPER HIS OMNIBUS BENEDICITO DOMINUM QUI FECIT TE, ET INEBRIANTEM TE AB OMNIBUS BONIS SUIS. — Quintum est hoc monitum, ut convivæ de epulo tam lauto, cæterisque Dei donis et beneficiis gratias illi agant, qui uti primitus eos ex nihilo creavit, ita modo tot deliciis recreavit, et assidue bonis omnibus obruit et inebriat. Græca habent : *Et de his omnibus benedicito eum qui fecit te, et inebriat te bonis suis*; Tigurina : *Ad hæc Creatorem tuum celebres, qui te bonis suis ditat effusissime*; Syrus : *Et super omnia hæc benedic nomen Dei, qui satiavit te bonis suis.* Inebriat enim nos Deus bonis terræ, maris, aeris, cœli : inebriat præsidiis Angelorum, donis gratiæ in hac vita, donis æternitatis in futura : inebriat non tantum bonis necessariis et utilibus, sed iis quæ redundant, quæque non nisi abundantiæ et voluptati serviunt; maxime autem inebriat calice Eucharistiæ, de quo Psaltes, *Psalm.* XXII, 5 : « Et calix tuus inebrians quam præclarus est! » denique inebriat nos illo amore suo, quo quæ dat, amantissime dat.

Delectatio spiritalis major carnali, ob tria. Porro Deus longe magis nos inebriat bonis spiritualibus quam temporalibus, tum quia illa longe sunt majora; tum quia simpliciter magis afficiunt et delectant. Rationem a priori dat D. Thomas, I II, *Quæst.* XXXI, art. 5 : « Hoc, inquit, apparet secundum tria quæ requiruntur ad delectationem, scilicet bonum conjunctum, et id cui conjungitur, et ipsa conjunctio. Nam ipsum bonum Primum. spirituale et est majus, quam corporale bonum; et est magis dilectum, cujus signum est, quod homines etiam a maximis corporalibus voluptatibus abstinent, ut non perdant honorem, qui est bonum intelligibile. Similiter etiam ipsa pars intel- Secundum. lectiva est multo nobilior, et magis cognoscitiva quam pars sensitiva. Conjunctio etiam utriusque Tertium est magis intima, et magis perfecta, et magis firma. Intimior quidem est, quia sensus sistit circa exteriora accidentia rei; intellectus vero penetrat usque ad rei essentiam. Objectum enim intellectus est quod quid est. Perfectior autem est, quia conjunctioni sensibili ad sensum adjungitur mo-

tus, qui est actus imperfectus; unde et delectationes sensibiles non sunt totæ simul, sed in eis aliquid pertransit, et aliquid exspectatur consummandum, ut patet in delectatione ciborum et venereorum, sed intelligibilia sunt absque motu; unde delectationes tales sunt totæ simul. Est etiam firmior, quia delectabilia corporalia sunt corruptibilia et cito deficiunt; bona vero spiritualia sunt incorruptibilia. » Subdit deinde secundum quid delectationes corporales majores esse spiritualibus : « Sed quoad nos, inquit, delectationes corporales sunt magis vehementes propter tria : *primo*, quia sensibilia sunt magis nota quoad nos, quam intelligibilia; *secundo* etiam, quia delectationes sensibiles, cum sint passiones sensitivi appetitus, sunt cum aliqua transmutatione corporali, quod non contingit in delectationibus spiritualibus, nisi per quamdam redundantiam a superiori appetitu in inferiorem; *tertio*, quia delectationes corporales appetuntur ut medicinæ quædam contra corporales defectus vel molestias, ex quibus tristitiæ quædam consequuntur. Unde delectationes corporales tristitiis hujusmodi supervenientes, magis sentiuntur, et per consequens magis acceptantur quam delectationes spirituales, quæ non habent tristitias contrarias. »

Mos gratias agendi Deo post mensam.

Moraliter hic disce, uti initio mensæ præmittenda est benedictio, sicut ex veterum ritu ostendi, I *Timoth.* IV, 5; ita eidem subjungendam esse gratiarum actionem, qua ei gratias agamus de tam liberali et lauta refectione, juxta id quod ait Paulus, I *Tim.* IV, 3 : « Quos (cibos) Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione; » imo juxta id quod Moses præscripsit Hebræis, *Deuter.* VIII, 10, dicens : « Ut, cum comederis et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi. » Qua de causa Judæi in festivis et solemnibus epulis, etiamnum iis finitis hoc ritu Deo gratias agunt, ut habetur in *Siddur habberacoth*, id est, *Ordo benedictionum*. Paterfamilias, vel honoratior conviva, poculum vino refertum utraque manu tenens, dicit : « Benedicamus, sive gratias agamus Deo nostro, quia edimus de suo. » Hoc dicto respondent convivæ : « Sit laudatus Deus noster, de cujus bonis comedimus, cujusque benignitate viximus. » Post hæc qui orando præit, sic denuo orat : « Benedictus sit ipse, et benedictum sit nomen ejus. » Et plura deinde addit in eamdem formam. Quibus finitis, omnes convivæ sequentem orationem submissa voce apud se dicunt : « Timete Dominum, omnes sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eum : divites eguerunt et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, » *Psal.* XXXIII, 10. Post illa rursum qui orando præit, hac prece gratiarum actionem concludit : « Benedictus sis tu, Domine Deus noster rex mundi, qui creas fructum vitis. » Quo dicto ex benedicto poculo, quod manu tenet, paululum bibit, idque mox omnibus convivis degustandum præbet, atque ita distribuit. Quem Hebræorum ritum Christus servavit in ultima cœna, ut patet *Lucæ* XXII, 17. Eaque peracta hymnum cum Apostolis dixit. Ubi Paulus Burgensis, ex Hebræo Christianus, vetustam Judæorum traditionem fuisse scribit, ut comeso agno paschali psalmum CXII : « Laudate pueri, Dominum, » et sequentes usque ad psalmum CXVIII : « Beati immaculati in via, » decantarent; et hunc esse hymnum quem Christus cum discipulis cecinerit.

Hebræorum.

A Christo et Hebræis hic mos, finita mensa, gratias agendi Deo, transivit ad Christianos. Unde primitivos Christianos idem factitasse docet S. Justinus, *Apologia* 2; S. Augustinus, epist. 59 *ad Paulinum*; Irenæus, lib. IV; Tertullianus, *Apologet.* cap. XXXIX : « Oratio, inquit, auspicatur et claudit cibum. » Huc facit illud ex Concilio Nannetensi, dist. 44, cap. *Nullus* : « Quando autem conveniunt presbyteri ad aliquod convivium, aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, et cibum benedicat; et tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes, et per vices cibum et potum benedicant, et aliquis illorum aliquid de sancta Scriptura legat. Post refectionem similiter hymnum dicant ad exemplum Domini, sicut in cœna fecisse legitur, » etc. D. Hieronymus, *ad Eustochium*, cap. I *De Conservatione mensæ*, sic scribit : « Unde nobis sollicitius providendum est ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exsultatione celebremus. Quia valde absurdum est nimia saturitate velle honorare martyrem (Petrum intelligit; in cujus natali hæc scripserat), quem scias Deo placuisse jejuniis. Ita tibi semper comedendum est, ut cibum et oratio sequatur et lectio. » Id paulo ante in epist. 18 *ad Marcellam*, Ambrosii exemplo confirmat; quoniam dicit in epistola quadam eum scripsisse nunquam se cibum, Origene præsente, sine lectione sumpsisse; nunquam iniisse somnum nisi unus e fratribus sacris Litteris personaret. D. Chrysostomus cum Annam, Samuelis prophetæ matrem, post epulas intente Deum orasse dixisset, ut illi sterilitatem solveret, hæc subjicit : « Hoc igitur a femina lucri consecuti sumus, ut sciamus et post convivium orare. Quisquis enim ad hoc præparatus fuerit, nunquam in ebrietatem aut vinolentiam incidet, nunquam edacitate distendetur; sed quoniam exspectationem precationis habet, freno imposito animo, conveniente mensura attinget ex omnibus quæ fuerint apposita, multaque benedictione tum animam, tum corpus implebit. Siquidem convivium, quod a precatione cœptum in precationem desinit, nunquam deficiet, sed quovis fonte uberius nobis omnia afferet bona. Ne igitur tantum negligamus lucrum. » Probat exemplo : « Absurdum enim fuerit, si cum famuli nostri, si quando partem aliquam eorum quæ nobis apposita sunt, acceperint, nobis gratias agant, beneque nobis precantes abeant; nos, cum tot tantis-

que fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo persolvamus, præsertim cum hinc multam simus consecuturi securitatem. Ubi enim precatio et gratiarum actio, eo Sancti Spiritus advenit gratia, abiguntur dæmones, et omnis adversaria potestas diffugit ac discedit. Qui se conversurus est ad orandum, non audet quidquam absurde loqui, ne in medio quidem convivio : aut, si locutus fuerit, mox resipiscit. Proinde oportet tum in initio, tum in fine convivii gratias agere Deo, ob hanc præcipue causam, quod, quemadmodum dicere cœperam, haud facile prolabemur in ebrietatem, si nos ipsos in consuetudinem constituerimus. Quin, si quando surrexeris crapula potuque gravatus, ne sic quidem abjicias consuetudinem, » etc.

Græcorum. Græcanicæ Ecclesiæ (uti liquet ex ejus Horologio) benedictionis mensæ et gratiarum actionis hæc exstat formula : primo, antequam cibi apponantur, legitur totus psalmus CXLIV : « Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in sæculum, » etc. Deinde, appositis cibis, recitatur a sacerdote benedictio mensæ, et quæ apposita sunt ita benedicuntur : « Christe Deus noster, benedic cibo ac potui servorum tuorum ; quoniam tu es sanctus et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » Postea quando cibum gustarunt, in mensa surgunt, et simul omnes recitant illam benedictionem, cujus et Clemens et Chrysostomus mentionem faciunt : « Benedictus es, Domine Deus (ὁ ἐλεῶν), qui misereris nostri, et pascis nos a juventute nostra, qui das escam omni carni, reple gaudio et lætitia seu hilaritate (εὐφροσύνῃ) corda nostra, ut semper omnem habentes sufficientiam (αὐτάρκειαν), seu habentes in omnibus animum præsentibus contentum, exuberemus (περισσεύωμεν) in omne opus bonum in Christo Jesu Domino nostro ; cum quo tibi gloria, honor, virtus seu imperium (κρατή), adoratio, cum Sancto Spiritu. Amen. » Post sumptum cibum, primo recitatur hæc gratiarum actio : « Gloria, tibi, Sancte, gloria tibi, Rex ; quoniam dedisti nobis escas ad lætitiam : imple nos etiam Spiritu Sancto, ut inveniamur in conspectu tuo accepti, et non confusi, seu pudefacti (αἰσχυνόμενοι), quando reddes unicuique secundum opera sua. » Deinde legitur psalmus CXXII : « Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. » Postea additur hic versus : « Sicut in medio discipulorum tuorum (cœnantium) adfuisti Salvator dans ipsis pacem, ita veni etiam ad nos, et salva nos. » Tandem legitur ex *Psal.* XXI, 27 : « Edent pauperes, et saturabuntur : laudabunt Dominum qui requirunt eum, » usque ad finem : « Kyrie eleison. » Concluditur demum hac precatiuncula : « Benedictus es, Deus, qui misertus nostri ex opulentis donis tuis pavisti nos. Ejus gratia et benignitate (φιλανθρωπίᾳ) detur nobis frui, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Latinorum. Latinæ Ecclesiæ ritum benedicendi mensæ et gratias agendi, omnes audimus et novimus, isque expressus exstat in fine Breviarii Romani.

Gentilium. Quin et Gentiles benedicebant mensæ, eaque finita gratias agebant, imo libabant et sacrificabant diis suis, uti Julianum Apostatam fecisse docet Sozomenus, lib. III, cap. XIV.

Turcarum. Sic et Turcæ ac Saraceni mensæ benedicunt.

SECUNDA PARS CAPITIS

COMMENDAT LEGEM ET TIMOREM DEI, AC CONSILIUM.

Vers. 18. 18. QUI TIMET DOMINUM, EXCIPIET DOCTRINAM EJUS : ET QUI VIGILAVERINT AD ILLUM, INVENIENT BENEDICTIONEM. — Redit de more ab hypothesi ad thesin, puta, a particularibus verecundiæ, sobrietatis, modestiæ documentis resilit ad generale encomium legis et timoris Dei, ejusque servatæ fructus, ac non servatæ pœnas et damna recenset. Sensus est, *q. d.* Hucusque commendavi multa partialia Dei mandata : nunc, ne in iis recensendis sim prolixior, cætera omnia generatim pari studio et affectu commendo. Et quia custodiæ mandatorum causa et radix est timor Dei, illum iterum iterumque singulis inculco. Nam « qui timet Dominum, » reverenter « excipiet doctrinam ejus, » græce παιδείαν, id est *disciplinam*, puta legem quæ refrenat, corripit et castigat omnes illicitos concupiscentiæ motus, omniaque vitia. Hanc ergo legem esto carni contrariam prompte « excipiet, » ut Deo suo obsequatur. Rursum « excipiet doctrinam ejus, » id est a Deo interius illuminabitur et docebitur, ejusque sapientia et spiritu imbuetur. Unde subdit : « Et qui vigilaverint ad illum (Dominum), invenient benedictionem : » græce, οἱ ὀρθρίζοντες εὑρήσουσιν εὐδοκίαν, id est, ut Complutensia, *qui diluculaverint, invenient complacentiam ;* alii vertunt, *benevolentiam ;* alii, *favorem ;* Noster cum aliis legit εὐλογίαν, id est *benedictionem*, id est beneficentiam, *q. d.* Qui mane Deum requirunt, ut mentem ad eum elevent, eum adorent, invocent et meditentur ; hi copiosis ab eo donis et beneficiis tum animi tum corporis afficientur ; hi ejus benevolentiam, indeque beneficentiam consequentur. Unde Tigurina vertit, *qui reveretur Dominum*, ἐκδέξεται (alii legunt, ἐκλέξεται, id est *eliget*), id est *amplectetur disciplinam ejus, et mane petentes eum reddent sibi benevolum ;* Syrus clare, *qui quærit cultum Dei, accipiet doctrinam, et cum mane oraverit coram eo, exaudiet eum.* Alludit ad *Sapient.* XVI, 28, ubi Sapiens agens de manna, quod ante ortum solis colligi debebat (nam sole

oriente ejus radiis liquescebat), subdit causam, dicens : « Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare, » *q. d.* Ideo manna colligendum erat ante solis ortum (nam post ejus ortum solaribus radiis liquebatur), ut discerent Hebræi non stertere, sed mane surgere ad orationem, et ad parandum cibum : cibus enim erat manna. Simile autem manna spirituale Deus impertit iis qui mane ad eum evigilant, dicuntque cum Psalte : « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, » *Psal.* LXII, vers. 1. Et cum *Isaia*, cap. XXVI : « Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. » Hoc manna sapiunt viri religiosi, qui mane de rebus divinis meditantur, psallunt, orant, Missam audiunt vel celebrant, etc.

Vers. 19. 19. QUI QUÆRIT LEGEM, REPLEBITUR AB EA : ET QUI INSIDIOSE AGIT, SCANDALIZABITUR IN EA. — Græce, καὶ ὁ ὑποκρινόμενος σκανδαλισθήσεται ἐν αὐτῳ, id est, *hypocrita* vel *simulator, qui hypocritice simulat, scandalizabitur in ea;* Tigurina, *qui sectatur legem, locupletabitur ea : simulator autem offensionem ex ea suscipiet;* alii, *qui legem quærit, ea explebitur : et qui simulate agit, in ea offendet.* Sensus est, *q. d.* Qui sincere quærit legem Dei cognoscere, et cognitam opere perficere; hic replebitur ejus bonis et fructibus, nimirum Dei favore, ope, gratia et gloria, adeoque omni bono, juxta illud : « Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, » *Psalm.* XXXIII, 10. Ex adverso qui non sincere, sed « insidiose, » id est fraudulenter, hypocritice et simulate agit, qui scilicet coram hominibus simulat se legis divinæ studiosum, cum in corde eam negligat et spernat, ac secreto dum a nemine videtur, eam prævaricatur et violat; hic offendet in ea : quia ob hypocrisin et violatam legem acriter a Deo punietur, incidetque in damna gravia tam præsentia quam æterna. Sicut ergo Christus christianis fidelibus est petra refugii et salutis, Judæis vero incredulis est lapis offensionis et petra scandali; quia ob suam in Christum perfidiam excidunt Dei gratia et salute, ruuntque in gehennam : sic pariter lex Dei et Christi studiosis et sinceris est causa salutis omnisque boni : hypocritis vero et prævaricatoribus est causa perditionis omnisque mali. Lex enim sui observatoribus promittit et præstat præmium et felicitatem; prævaricatoribus vero minatur et irrogat pœnam et damnationem. Vide dicta cap. I, 11 et seq. Alludit enim ad ea, ac præsertim ad id quod dixit cap. I, 37 : « Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizaberis in labiis tuis; » et ad id quod dixit cap. II, vers. 19 : « Qui diligunt Dominum, replebuntur lege ejus. »

Vers. 20. 20. QUI TIMENT DOMINUM, INVENIENT JUDICIUM JUSTUM, ET JUSTITIAS QUASI LUMEN ACCENDENT. — Το *justum* non est in Græco, sed est epithetum proprium judicii. Pro *justitias* græce est δικαιώματα, id est *justificationes*. Igitur per *judicium*, græce κρῖμα, accipe id quod justum est, id quod rectum rationis judicium dictat, id quod præscribit æqua lex et virtus, id quod jubet sancta Dei mens et voluntas : per *justitias* vero accipe opera justa, quibus ipsum judicium justum, puta præscriptum legis et virtutis actu perficitur et impletur. Sensus ergo est, *q. d.* Qui timent Dominum, facile ex lumine naturali rationis, vel supernaturali fidei, aut ex instructione doctorum et prædicatorum cognoscent id quod justum est, et a Deo ejusque lege præscriptum : quod ipsi deinde opere perficientes, hac sua justificatione, id est justitia et virtute, quasi lumine in dies crescente, tam sibi quam aliis prælucebunt, sua vita et moribus illustrante alios, eisque ostendentes viam justitiæ, salutis et felicitatis. Timor enim Dei eos impellit ad agendum id quod justum est legeque præscriptum, simulque illud eis ostendit, ut videant quid agere debeant, ut juste et pie vivant in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, *Tit.* II, 12. Unde Tigurina vertit, *qui Dominum reverentur, deprehendent quid justum sit, et tanquam lumen accendent justitiam;* Syrus vero, *timentes Deum sapientes evadent in judiciis ejus, et sapientia multa ex corde eorum egredietur.* Alludit ad *Proverb.* IV, 18 : « Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem, » *q. d.* Sicut crescit lux solis, ut in aurora modica sensim augeatur, donec plena et perfecta evadat in meridie : ita pariter justus crescit quotidie in sapientia et sanctitate, donec ad ejus plenitudinem ac perfectionem perlingat; donec scilicet perfectus evadat hic in gratia, et post hanc vitam in gloria sempiterna, ut qui in pueritia fuit sanctus, in adolescentia sanctior, et in virili ætate evadat sanctissimus, juxta illud Apostoli : « Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, » *Ephes.* IV, 13.

Vers. 21. 21. PECCATOR HOMO VITABIT CORREPTIONEM, ET SECUNDUM VOLUNTATEM SUAM INVENIET COMPARATIONEM. — Græce σύγκριμα, id est *coagmentationem, consonantiam*, puta coagmentatam apologiam, et concinnatam excusationem. Est antithesis; opponit enim indolem hypocritæ et peccatoris indoli viri sinceri et justi, *q. d.* Justus sincere studet legi Dei, gaudetque juxta eam instrui, dirigi et corripi : peccator vero esto simulet se legis amantem, revera tamen eam odit, quia amat suas concupiscentias, quæ legi sunt contrariæ. Quocirca ipse pariter odit correptionem et corripientes, qui eum a concupiscentiis abducere et ad legem Dei reducere, cum eaque conformare satagunt. Quare dum ab eis corripitur, « invenit comparationem secundum voluntatem suam, » id est invenit exempla aliorum, prætextus, multasque ra-

tiones; quibus se suosque mores et facta comparando cum aliorum moribus et factis, tueatur et excuset, v. g. dicendo: Tales et tales illud volunt, illud agunt: cur ego idem velle et agere nequeam? plebeiis hæc conceduntur, cur mihi diviti et nobili frena injiciantur? hæc majorum meorum fuere juris et dominii, cur mihi eorum hæredi eodem jure uti non liceat? etc. « Inveniet » ergo « comparationem, » id est afferet similia aliorum facta ad sui excusationem, aut conferet et comparabit se cum cœtu hominum sibi similium. Unde Tigurina vertit: *Homo sceleratus declinat castigationem, et pro voluntate sua prætextum comminiscitur*; alii, *et pro arbitratu suo comminiscitur concinnam apologiam*; Syrus vero, *homo astutus celat doctrinam, et post voluntatem suam facit viam suam.*

Nota hic: Sensati et justi in duobus differunt ab insensatis et injustis. Prius est, quod sensati si cadant vel errent, de casu vel errato corripi se patiantur, insensati vero non patiantur. Posterius, quod sensati culpam agnoscant, insensati tegant et excusent, juxta illud *Psalm.* CXL: « Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. »

Vers. 22 et 23. 22 et 23. VIR CONSILII NON DISPERDET INTELLIGENTIAM, ALIENUS ET SUPERBUS NON PERTIMESCET TIMOREM: ETIAM POSTQUAM FECIT CUM EO SINE CONSILIO, ET SUIS INSECTATIONIBUS ARGUETUR. — Est antithesis altera sensati et timorati, ac insensati et audacis: quod sensatus sit « vir consilii, » qui scilicet nihil aggreditur nisi prævio maturo tum suo, tum prudentum consilio, ideoque « non disperdet intelligentiam; » græce, μὴ παρίδῃ διανόημα, id est, *non despiciet considerationem* vel *deliberationem*; sed prius attente omnes circumstantias et eventus considerabit et intelliget, necubi impingat. At vero « alienus » a consilio, puta temerarius et superbus, « non pertimescet timorem, » id est rem merito timendam. Est metonymia: *timor* enim ponitur pro objecto timoris, puta pro eo quod timendum est: nam alioqui nemo timet timorem, sed timor est qui timet timenda. Aut planius, *q. d.* « Non pertimescit, » id est non admittit « timorem, » sed eum excludit, assumitque audaciam et impudentiam, atque audacter se conjicit in pericula, quæ sensati timent et cavent. Unde aliqui vertunt, *non expavescit metu.* Quin etiam postquam quippiam « sine consilio; » id est inconsulte et temerarie, « fecit cum eo, » scilicet timore, « non pertimescet, » *q. d.* Timorem et scrupulum sibi in facto suborientem, post factum devorat et contemnit. Græce, pro *cum eo* est μετ' αὐτοῦ, quod Complutenses et Romani vertunt, *secum*, id est juxta suam voluntatem, *q. d.* Postquam qui fecit juxta suam voluntatem sine consilio, audacter et imprudenter, non pertimescet damna inde sibi obventura. Quocirca « suis insectationibus arguetur, » *q. d.* In iis, quæ tam avide sectatur, temeritatis arguetur, cum inciderit in angustias et pericula illis annexa. Aut ea, quæ tanto ardore sectatus est, arguent eum temeritatis et vesaniæ, cum pro voluptate exhibebunt ipsi molestias, angores et dolores. Unde Tigurina clare vertit: *Vir consultus non spernit deliberationem; at ineptus et superbus metu non afficitur, etiamsi quid egerit imprædeditatus*; alii, *inconsulte*; græce enim est ἄνευ βουλῆς, quod Noster vertit, « sine consilio; » Syrus: *Homo sapiens non dimittit sapientiam occultatam, et iniquus non custodit linguam suam.*

Nota: Consilii et prudentiæ comes, imo causa, est timor: timor enim mali latentis, vel obventuri instigat hominem, ut prudenter deliberet et consulat quid sit agendum vel omittendum, ne in quod damnum imprudens incurrat. Quocirca docent physici prudentiam consistere in frigore, quod est causa timoris: fortitudinem vero et temeritatem consistere in calore, qui est causa audaciæ. Ita videmus timidos esse cautos, et caute declinari pericula, nec facile in aliquod discrimen incidere: audaces vero in mille noxas incurrere.

Vers. 24. 24. FILI, SINE CONSILIO NIHIL FACIAS, ET POST FACTUM NON POENITEBIS, — etiamsi sinister sit rei eventus; quia consilia proba sæpe felici carent eventu, uti mox pluribus ostendam. Græce, ἄνευ βουλῆς μηδὲν ποιήσῃς, καὶ ἐν τῷ ποιῆσαι μὴ μεταμελοῦ. Quod *primo*, Complutensia quasi geminum præceptum vertunt: *Sine consilio nihil facias, et in faciendo ne te pœniteat, q. d.* Antequam quid agas consulta, post consultationem audacter aggredere, nec muta propositum aut consilium. Sine consilio nil facito.

Secundo, alii vertunt: *Sine consilio nihil facias, et cum feceris, non pœnitebit te.* Sunt enim nonnulli, qui post factum dolent et pœnitent, dum audiunt se prudentius et melius agere potuisse, ac meliorem sortem nancisci, qualem alii nacti sunt. Hoc accidit sæpe pusillanimis et melancholicis, quibus dicendum est: Sorte tua, quam Deus tibi dedit, contentus esto: Non omnia possumus omnes: Melior est quies in mediocri bono, quam inquietudo in summo.

Tertio, Noster optime vertit: « Et post factum non pœnitebis; » sic et Syrus, *et postquam feceris, non pigebit te*; et Tigurina, *ne quid inconsulte facias, ut ne te facti pœniteat.* Loquitur, inquit Jansenius, de rebus alicujus momenti et arduis, ad quæ aggrediendo opus est maxime junioribus consilio sapientum, juxta monitionem Tobiæ dicentis: « Consilium semper a sapiente perquire, » *Tob.* IV. Et omnino in omnibus agendis utendum est consilio sacræ Scripturæ et verbi Dei; sic enim fit, ut facti non pœniteat nos aliquando, quia quod cum consilio fit sano et recto, bene fit, nec de tali facto dolendum est. Aut si consilium humanum non recte succedat, hoc tamen consolatur agentem, quod non suum judicium secutus sit, nec temere rem aggressus sit, sed consilio eorum quos adire et audire illum conveniebat. Convenit satis cum hac sententia illud Sallustii: « Prius- Gnoma.

quam aliquid facias, consulito : at ubi consulueris, mature facto opus est. » Cæterum in sequentibus insinuat consilium maxime capiendum ex verbo Dei et ejus voluntate, uti faciebat David dicens, *Psalm.* CXVIII, 24 : « Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ. » Siracidi succinit Nazianzenus in *Tetrastichis* :

Præceps agas nil; cœpta sed ne deseras;
Proficere præstat, quam boni quid scindere;

q. d. Nec temere quidquam inchoandum, nec temere deserendum. Diu delibera : ubi deliberasti., constanter exsequere. Et S. Basilius *in Isaiam*, cap. I, 26 : « Sacra quædam res est consilium, inquit, voluntatum unio, fructus dilectionis, humilitatis insigne. E diverso intolerabilis est superbiæ argumentum, existimare se nullius egere consilio, sed sibi uni attentum esse, quasi solus possit sibi consilio decernere quæ optima sunt. »

Ratio. Causam dat paulo ante : « Plane non exigui momenti beneficium est, quod a prudente et benevolo consule emanet consilium; quippe qui suo adventu supplet quod desit prudentiæ, consilium de re quapiam captantibus. » Et S. Benedictus in *Regula*, cap. III : « Si qua minora, ait, agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio, sicut scriptum est : Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebit. » Edinerus, in *Vita S. Anselmi*, lib. I, de eo sic scribit : « Sciens, inquit, scriptum esse : Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis, nolebat se uni vitæ earum quas mente volvebat, inconsulte credere, ne in aliquo videretur Scripturæ præceptis non obedire. »

Peccant contra hoc præceptum temerarii et « præcipites, ait Rabanus, cum bonorum actuum tempus præveniunt, meritum pervertunt, et sæpe in malis corruunt, dum bona minime discernunt, qui nequaquam quæ, et quando agant, inspiciunt; sed plerumque acta, quia ita non debuerunt agere, cognoscunt. Unde per Salomonem dicitur : Palpebræ tuæ præcedunt gressus tuos. Palpebræ quippe gressus præcedunt, cum operationem nostram consilia recta præveniunt. Qui enim negligit considerando prævidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit; sed prævidendo sibimetipsi non attendit; atque idcirco citius corruit, quia quo pedem operis ponere debeat, per palpebram consilii non attendit. » Et inferius : « Sed tamen sciendum, quod multi sunt qui ineunt consilium, sed veritatis et pacis non invenient stabilimentum. Sicut in Evangelio legitur, quod Scribæ et Pharisæi abeuntes consilium inierunt adversum Jesum, ut caperent eum in sermone, *Matth.* cap. XXII. Item cap. XXVI : Principes sacerdotum consilium fecerunt, quomodo Jesum dolo tenerent et occiderent. Unde in Psalterio beatum virum esse dicit, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit : sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Solummodo ergo salubre est consilium, quod ex Spiritus Sancti dono juxta legem divinam, per fidelium et Deum timentium profertur documentum. »

Deus cum consilio creavit hominem cur? Hac de causa Deus hominem creaturus consilium iniit inter tres S. Trinitatis personas; ait enim : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » *q. d.* Creemus hominem capacem consilii cum consilio, ut ipse a nobis, imo a sui creatione, discat omnia agere cum consilio. Ita S. Gregorius Nyssenus, *De Opificio hominis*, cap. III et IV. Unde æterna Dei sapientia idipsum de se profitetur, *Proverb.* VIII, 12 : « Ego, ait, sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus, » *q. d.* In consilio habitat sapientia, in præcipitatione insipientia et amentia. Et cap. XIII, vers. 10 : « Inter superbos semper jurgia sunt : qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. » In consilio ergo præsens, imo præses est sapientia. Et cap. XII, 15 : « Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia. » Idem vidit per umbram Plato qui dixit, « consilium rem quamdam sacram esse. » Et Aristoteles qui asserit, « consilium capere eorum, quæ inter homines sunt, divinissimum esse. » Inter Symbola Pythagoræ exstat hoc : « In solitudine sine baculo non ambulandum, id est, cum amicis in necessitatibus conferendum et consulendum. » Et hoc : « Egredienti e laribus sinciput, redeunti occiput scalpendum; id est præcautionem et diligentiam ad res agendas excitandam, his peractis memoriter examinandas : » sinciput enim consilii et præcautionis, occiput memoriæ est symbolum. Post factum enim res memoria retractanda est, ut, si quid erratum sit, corrigatur; si quid desit, suppleatur. Et hoc : « Duorum temporum quam maxime habendam curam, matutini et vespertini, id est eorum quæ acturi sumus, et eorum quæ gesserimus : » illa consilio providenda, hæc emendanda sunt.

Porro inter septuaginta Interpretes ordine quinquagesimus secundus interrogatus a Ptolemæo Philadelpho : « Quibus consultoribus utendum sit? » respondit : « His qui multis in rebus versati, summam erga se benevolentiam servent; atque moribus sint tui similes. » Ita Aristæas, *De Septuaginta Interpretibus*.

Actus consilio, non eventu metiendi. Gnomæ sapientum. Moraliter, disce hic actus hominum non eventu, sed consilio metiendos et æstimandos esse. Errat ergo stolidum vulgus, quod non consilii prudentiam, sed fortunæ spectat eventum, eaque tantum judicat esse provide facta, quæ felicitas commendavit; juxta illud Phyllidis ad Demophoontem, apud Ovidium :

Exitus acta probat : careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Hic fuit sensus omnium sapientum, etiam Genti-

lium. Unde Artabanus apud Herodotum in *Polyhymnia* : « Bene, inquit, consultare comperio maximum esse lucrum : nam etiamsi quid e contrario eventurum est, nihilo tamen minus bene consultum est, superavitque fortuna consilium. At qui turpiter consultavit, si fortuna obsecundavit, ille est quidem voti compos, nihilo tamen minus male consilium cepit. » Isocrates in oratione quam de laudibus Helenæ conscripsit, carpit eos qui ante rem animadvertere nihil possunt, sed rerum eventus solum considerant. Cicero quoque *Pro Rabirio*, eos redarguit, qui consilia eventis ponderant; et qui multum illum providisse censent, cui bene processerit : cui secus, nihil sensisse dicunt, ut jam nihil esse videatur, nisi divinare sapientes. Idem, *Philipp.* XI : « In recta, inquit, sententia ne victa quidem causa vituperanda est. » Et in *Paradoxis* : « Nec enim peccata rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt. » Demosthenes alter eloquentiæ oculus in oratione qua Ctesiphontem adversus Æschinem defendit : « Vide, ait, quid ipse consilii capiendum censuerim; nec ea quæ intervenerunt, intorqueas; nam finis rerum omnium, ut fortunæ libuit, imponitur; electio vero consultantis ingenium ostendit. » Livius, *decad.* 3, lib. VII : « Apparebat, inquit, quo nihil iniquius est, ex eventu famam habiturum. » Et *decad.* 4, lib. VIII, tradit apud Carthaginenses in crucem tolli imperatores, si prospero eventu, pravo consilio rem gesserunt. Quintilianus, *declam.* 281 : « Nunquam mens, ait, exitu æstimanda est. » Plinius, lib. V, epist. *ad Rufum* : « Est omnino, inquit, pravum, sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia, prout prospere aut male cedunt, ita vel laudantur vel reprehenduntur. » Tacitus, lib. I *De Suetonio Paulino* : « Cunctator, inquit, natura, et cui cauta potius consilia, quam prospera ex casu placerent. » Seneca, lib. IV *Declam.* : « Omnia honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit. Sæpe honorata virtus est, etiam ubi eam fefellit exitus. Scelera quoque, quamvis citra exitum subsederunt, puniuntur; nec infelix virtus amittit gloriæ titulum; nec gloriam virtutis interrumpit fortuita felicitas. » Plutarchus, in comparatione Niciæ et Crassi : « Nec illi, ait, satis recte judicare videntur, qui cum Alexandri laudant expeditionem, Crassi audent vituperare conatus. Neque enim decet ex eventu rei judicia facere. » Denique Jurisconsulti vox est : « Fraudis interpretatio in jure civili non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque desumitur. »

Vers 5. 2. 25. IN VIA RUINÆ NON EAS, ET NON OFFENDES IN LAPIDES (græce, *in lapidosis*) : NEC CREDAS TE VIÆ LABORIOSÆ, NE PONAS ANIMÆ TUÆ SCANDALUM. — Pro *laboriosæ* Noster videtur legisse προσκόπῳ ; κόπος enim est labor. Romani codices legunt ἀπροσκόπῳ, id est *non exploratæ;* alii legunt ἀπροσκόπτῳ, id est *planæ*, inoffensæ, carenti offendiculis cæterisque incommodis et impedimentis. Unde Tigurina vertit : *Ne ingrediaris viam impeditam, ut ne offendas in petriccsis; rursum autem planæ viæ ne fidas, q. d.* Cave duo extrema, scilicet : *primo*, ne nimis ardua, periculosa et difficilia aggrediaris, quia in illis facile offendes et corrues; *secundo*, ne nimis sis securus in rebus quæ videntur faciles et planæ, quia sicut in via plana latere possunt fossæ, saxa, stimuli, in quæ, nisi advertas, impinges : ita in rebus quæ videntur planæ, possunt latere multæ difficultates, et multa pericula damnaque abscondi.

Porro Syrus vertit : *In via asperitatis ne incedas, ne forte offendas in petra bis. Ne confidas in via iniquorum, et in viis tuis esto cautus;* Arabicus : *Ne incedas in via petræ* (id est petrosa, lapidibus referta), *ne forte offendas in petram bis.* Juxta Vulgatam lectionem sensus est, *q. d.* « In via ruinæ » exposita ne ambules; ita fiet, ut in ejus lapides et scandala non impingas, nec offendas. Rursum ne ineas viam valde laboriosam; « ne » in ea « ponas animæ tuæ scandalum, » id est offendiculum, ut scilicet per nimium laborem et lassitudinem alicubi impingas et corruas. Est parœmia, significans non esse capessenda negotia periculosa, vel valde laboriosa; quia in illis ruinæ, in his molestiæ, lassitudinis et ærumnosæ vitæ est periculum, v. g. Non facile est navigandum in Indias opum causa; quia hoc iter longinquum est, periculosum et valde laboriosum : satius enim est domi secure modicum quam in Indiis multum cum tanto periculo et labore lucrari, juxta illud Ben-Sira, *alphabeto* 1, littera *Coph* : « Propinqua negotiatio comeditur a domino suo : longinqua comedit dominum suum. » Inter apophtegmata S. Laurentii Justiniani exstat hoc : « Vita ea quæ multis obstaculis impediuntur; quia opera Spiritus Sancti facilia sunt et æquabilia, diaboli vero aspera et plena sentibus. » Ita habet Vita ejus, cap. IX. Inter Symbola Pythagoræ exstat hoc : « Sepiam piscem non edendum, id est, res implicitas non recipiendas. » Et hoc : « Pede in limine illiso retrocedendum, id est, quæ in ipso principio noxia sunt, non prosequenda. » Et hoc : « Oleo sedem ne commacula, id est nil age quod tuum aliorumve otium perturbet. »

Rursum, ne statum, officium vel opus periculosum vel onerosum nimis, viresque tuas exsuperans suscipias; eo enim gravabis corpus, et spiritum opprimes, vivesque miser et ærumnosus. Hinc et prisci ascetæ et anachoretæ magnos quidem labores, orationes et pœnitentias sibi indicebant, sed viribus suis, gratiæque quam a Deo acceperant, commensos. Et martyres ad omnia tormentorum genera alacres sese offerebant, quia hinc cogebat necessitas profitendæ fidei cum periculo vitæ, inde gratia Dei eos animabat, et tormentis omnibus superiores efficiebat. Magni enim et præstantis animi est, pericula et tormenta, dum ingruunt, contemnere et superare. Nam, ut ait

Elias Cretensis in *orat. 4 Nazianzeni* : « Fortitudinis est iis in rebus, in quibus audacia adhibenda est, et quæ vires non excedunt, fidentem animum præbere, nec bella formidare, sed res graves constanter præferre : timiditatis autem et ignaviæ, ab iis quæ aggredienda sunt, refugere, animoque frangi. At vero adversus impossibilia, minimeque aggredienda, et in quibus plus periculi quam commodi inest, se objicere atque impellere, temeritatis est; sicut contra cedere ac pedem referre, cautionis et prudentiæ. Stultum enim est, ut eorum quæ speras aliquid adipiscaris, de rerum omnium tuarum summa periclitari, » uti fecit Julianus Apostata temeraria audacia invadens Persas; unde vitam et totum pene imperium Romanum perdidit. Nam, ut ait ibidem ipse Nazianzenus : « In iis rebus, quas audacter aggredi convenit, magnum et præfidentem animum gerere, magnanimitatis est; sicut contra languere, ac periculum detrectare, timiditatis et ignaviæ. At ubi plus periculi imminet, tum vero obviam procedere, seque in discrimen obtrudere, non autem reprimere ac retinere, temeritati ducendum est; sicut e contrario cedere, cautioni et prudentiæ. »

Quæ pericula capessenda, quæ non ?

Illustre hujus sententiæ exemplum exstat in Vita B. Petri Cœlestini, qui ex anachoreta et fundatore Ordinis Cœlestinorum creatus Pontifex dictus est Cœlestinus V. Cum enim himiæ se dedisset austeritati, ut vix tertio die cibum sumeret, nec nisi panem et aquam, sex per annum ageret Quadragesimas, in nuda humo cubaret, cilicio et catena ferrea constrictus, in hieme frigori se exponeret, ut conglaciatus semivivus inveniretur, divinam audit vocem, discretionis eum admonentem, dicentemque : « Noli, Petre, onus tam grave asello tuo imponere, quoniam si perimis eum onere indiscreto, rationem Deo redditurus es pro eo. Debitor est tibi rationabilis servitutis, et tu illi necessariæ sustentationis : si vis portari, porta. » Cui obtemperans, rigorem vitæ temperavit. Idem electus in Pontificem, cum pontificatus onera et pericula per dimidium annum sensisset, ultro pontificatu se abdicavit, ac ad cellam a teneris adamatam se recepit anno Domini 1294, ac post sesquiannum ex eadem migravit in cœlum, vere jam cœlestis Cœlestinus. Unde Alvarus Pelagius, lib. II *De Planctu Ecclesiæ*, art. 11 : « Considerans, inquit, S. Petrus de Murrhone, canonizatus per Ecclesiam, qui fuit Papa Cœlestinus V, tanta onera papatus et pericula, perfecte renuntiavit papatui. Quod credo fuit majus miraculum, et majus veriusque humilitatis et perfectionis exemplum, quam aliquod quod fecit (multis enim claruit miraculis) et quod fuerit diebus nostris, et ante per multa tempora : quia totum istud onus Papale, quod majus est quam dici possit, non est qui rejiciat, sed qui in illud se projiciat, gloriam considerans non onus. » Quocirca Gregorius XIII Pontificem Cœlestinum mirifice coluit, eumque in aula deambulatoria Vaticani egregie depingi curavit ut jugiter eum in oculis et mente haberet.

26. ET A FILIIS TUIS CAVE, ET A DOMESTICIS TUIS ATTENDE. — Tigurina : *Atque etiam a liberis tuis tibi caveas, et ne noceant tibi domestici, provide.* Versu præcedenti monuit non esse capessenda periculosa nimisque laboriosa : hic monet, ne quis nimis confidat iis quæ secura et plana videntur, nimirum, ne nimis credat filiis et domesticis; quia utrique sæpe infidi et ingrati sunt, sæpius imprudentes, ut noxia suggerant; sæpissime cupidi, ut sua quærant commoda, non patris vel heri, imo subinde ejus bona furentur et absumant : omnes enim quæ sua sunt quærunt, ait Apostolus. Hoc est, quod ait Michæas, cap. VII, vers. 5 : « Nolite credere amico, et nolite confidere in duce : ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam : et inimici hominis domestici ejus. » Vers. 26.

27. IN OMNI OPERE TUO CREDE EX FIDE ANIMÆ TUÆ : HOC EST ENIM CONSERVATIO MANDATORUM, — *q. d.* Dixi non esse credendum filiis, nec domesticis. Dices : Cui ergo credam? Respondeo : « Crede animæ, » id est conscientiæ, « tuæ, » ut quod conscientia tibi dictat agendum vel non agendum, hoc agas vel non agas. Conscientia enim data est cuique a Deo quasi pædagogus, lex et norma actionum. Sed vide, ut animæ credas « ex fide, » id est sequere credulitatem et dictamen conscientiæ, at non erroneum : sed quod sit secundum fidem et legem Dei, quod, scilicet, conscientia respiciens fidem et legem Dei, faciendum dictat. Ita Rabanus : τὸ enim *ex fide* referendum est ad *crede*, non ad *animæ*, ut patet ex Græco πίστευε, id est *crede*, fide, confide, fidelis esto, fidum te præbe. Hæc enim omnia significat Hebraicum הֶאֱמִין *heemin*, cui respondet Græcum πιστεύω et Latinum *credo*. Unde aliqui vertunt : *In omni opere confide animæ tuæ*; Tigurina : *In omni opere bono animum fidelem præsta : hoc enim mandata servare est;* Syrus : *In omnibus operibus custodi animam tuam; quia omnis, qui ita est, servat præceptum;* Arabicus : *Custodi animam tuam ex omnibus operibus tuis; qui perfecerit hæc omnia, jam custodivit mandata Domini.* Sic Apostolus ait *Rom.* XIV, 23 : « Omne quod non est ex fide, » id est ex credulitate conscientiæ, « peccatum est; » quia si quis faciat quod credulitas conscientiæ illi dictat non esse faciendum, peccat, esto res in se non sit mala, sed bona et licita. Jubet ergo in omni opere consulendam esse conscientiam, ut nihil fiat contra ejus dictamen. Vide ibi dicta, et *Eccli.* XXXII, 15 : « Hoc est enim conservatio mandatorum, » quia qui sequitur dictamen conscientiæ innixum fidei et legi Dei, errare et peccare nequit, sed ambulat juxta mandata Dei, eaque adimplet. Ad hoc enim jugiter eum exstimulat dirigitque conscientiæ stimulus. Paulo aliter Palacius : Moses, inquit, in Vers. 27.

rebus dubiis intrabat in tabernaculum Dei Deum consulturus, David intrabat in sanctuarium Dei : tu ergo intra in animam tuam, si quod dubium opus aggrederis, ibi consule Dominum, et fideliter crede animæ tuæ tibi consulenti. Quia vero hoc erat obscurum, declarat Auctor, dicens, hoc esse conservare mandata : id est credere fideliter animæ, est servare mandata; tunc scilicet credendum est animæ, cum illa jubet servari mandata. Quod iterum explicat Auctor dicens : « Qui credit Deo, attendit mandatis ejus : et qui confidit in illo, non minorabitur; » ut sit hic hujus rei ordo : In rebus dubiis animam tuam intra : ibi Deus oracula dabit. Dabit vero oracula mandatorum suorum. Igitur animæ mandata Dei consulenti fideliter crede : nam ita Deo vere credis.

Vers. 28. 28. QUI CREDIT DEO, ATTENDIT MANDATIS : ET QUI CONFIDIT IN ILLO, NON MINORABITUR. — Codices Græci Romæ correcti pro Κυρίῳ, id est *Domino*, puta Deo, legunt νόμῳ, id est *legi*. Unde vertunt : *Qui credit legi, attendit mandatis*. Sed melior est Vulgata lectio. Probat id, quod dixit versu præcedenti, credere animæ, id est conscientiæ suæ, esse servare mandata, hoc syllogismo : Qui credit Deo, servat mandata Dei : sed qui credit conscientiæ suæ, credit Deo (conscientia enim dictat quid placitum sit Deo, et ad id peragendum hominem exstimulat); ergo qui credit conscientiæ suæ, servat mandata Dei.

Porro credit Deo fide non inani et mortua, sed operosa et viva, qui in Deum credit et sperat, qui se suaque omnia ei credit et committit, qui eum amat, colit, qui ei per omnia obedit, qui ei in omnibus fidus et fidelis est, sollicitus, ut ejus voluntatem et jussa exacte adimpleat. Unde sequitur : « Et qui confidit in illo, non minorabitur, » sed potius augebitur et crescet tum sapientia, tum gratia et meritis, tum gloria cæterisque bonis omnibus. Hinc Tigurina vertit : *Qui Domino fidus est, mandata servat : et qui nititur eo, non accipiet detrimentum;* alii : *Et qui Domino fretus est, non diminuetur;* Syrus : *Qui custodit viam suam, servat præceptum Dei : et qui confidit Deo, non peribit in æternum.* Quocirca inter septuaginta Interpretes is, qui ordine erat trigesimus septimus, interrogatus a Ptolemæo Philadelpho, « qua ratione quis intrepidus existat? » respondit : « Si mens nullius sibi conscia mali Deum sequatur, qui consilia omnia in bonum dirigit. » Ita Aristæas, *de Septuaginta Interpretibus.*

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur dicta de confidentia et timore Dei, asseritque quod ipse pariat securitatem et felicitatem, quodque lex sit timenti Deum fidelis, sicut ipse fidelis est legi. Secundo, vers. 7 usque ad 20, agit de Dei prædestinatione et discretione, qua per sapientiam suam, uti dies festos a non festis, sic et homines pios ab impiis discrevit et separavit : atque cuique rei contrarium apposuit et opposuit ad plenitudinem et decorem universi. Tertio, vers. 20, usque ad 25, docet prudentis esse non cedere bona filiis vel amicis ante mortem. Quarto, vers. 25 usque ad finem, docet, quomodo regendi sint servi.

1. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. 2. Sapiens non odit mandata et justitias, et non illidetur quasi in procella navis. 3. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis. 4. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, et sic deprecatus exaudietur, et conservabit disciplinam, et tunc respondebit. 5. Præcordia fatui quasi rota carri : et quasi axis versatilis cogitatus illius. 6. Equus emissarius, sic et amicus subsannator, sub omni suprasedente hinnit. 7. Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum a sole? 8. A Domini scientia separati sunt, facto sole, et præceptum custodiente. 9. Et immutavit tempora, et dies festos ipsorum, et in illis dies festos celebraverunt ad horam. 10. Ex ipsis exaltavit et magnificavit Deus, et ex ipsis posuit in numerum dierum. Et omnes homines de solo, et ex terra, unde creatus est Adam. 11. In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos, et immutavit vias eorum. 12. Ex ipsis benedixit, et exaltavit : et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit : et ex ipsis maledixit, et humiliavit, et convertit illos a separatione ipsorum. 13. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud, et disponere. 14. Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus : sic homo in manu illius, qui se fecit, et reddet illi secundum judicium suum. 15. Contra ma-

lum bonum est, et contra mortem vita : sic et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Duo et duo, et unum contra unum. 16. Et ego novissimus evigilavi, et quasi qui colligit acinos post vindemiatores. 17. In benedictione Dei et ipse speravi : et quasi qui vindemiat, replevi torcular. 18. Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam. 19. Audite me, magnates, et omnes populi, et rectores Ecclesiæ, auribus percipite. 20. Filio et mulieri, fratri et amico, non des potestatem super te in vita tua : et non dederis alii possessionem tuam : ne forte pœniteat te, et depreceris pro illis. 21. Dum adhuc superes et aspiras, non immutabit te omnis caro. 22. Melius est enim ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum. 23. In omnibus operibus tuis præcellens esto. 24. Ne dederis maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam. 25. Cibaria, et virga, et onus asino : panis, et disciplina, et opus servo. 26. Operatur in disciplina, et quærit requiescere : laxa manus illi, et quærit libertatem. 27. Jugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ. 28. Servo malevolo tortura et compedes : mitte illum in operationem, ne vacet : 29. multam enim malitiam docuit otiositas. 30. In opera constitue eum : sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus : et non amplifices super omnem carnem : verum sine judicio nihil facias grave. 31. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua : quasi fratrem sic eum tracta : quoniam in sanguine animæ comparasti illum. 32. Si læseris eum injuste, in fugam convertetur : 33. et si extollens discesserit, quem quæras, et in qua via quæras illum, nescis.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. TIMENTI DOMINUM NON OCCURRENT MALA, SED IN TENTATIONE DEUS ILLUM CONSERVABIT, ET LIBERABIT A MALIS. — Græce, *sed in tentatione et iterum liberabit eum*, *q. d.* Sed in tentatione non una, sed crebra crebroque iterata liberabit eum : quanquam videatur potius τὸ *conservabit* e Græco jam excidisse : hoc enim in Græco olim legit noster Interpres, et sine eo hiulcus est sensus. Tigurina omittens καὶ, id est *et*, sic vertit : *Reverenti Dominum nihil accidet mali, sed Deus eum e tentatione rursus eripiet;* alii vertunt : *Timenti Dominum non occurret malum, nisi in tentatione* (Græcum enim ἀλλὰ subinde significat *nisi*), *unde rursus eripiet eum.* Sic et Syrus : *Qui timet Dominum,* inquit, *non obveniet ei malum nisi in tentatione : et avertetur, et liberabitur.* Exemplar Constantiense, pro πάλιν, id est *rursus*, legit πάλη, id est *lucta.* Unde vertit, *sed in tentatione et lucta eripiet eum*, uti eripuit S. Antonium e lucta, quam subiit cum dæmonibus, eaque crebra et assidua. Addit τὸ *in lucta*, quia Deus luctantem et resistentem generose tentationi, ex illa eripit, non vero eum qui illi cedit et succumbit. Unde illud : « Fatum adjuvat conatum : Tonans conantem. »

Justis non occurrunt mala, quo sensu?

Quæres, quomodo « timenti Deum non occurrent mala? » Nam S. Job, Davidi, Jeremiæ, imo omnibus Sanctis multa acciderunt, et indies accidunt mala, juxta illud Angeli ad Tobiam, cap. XII, 13 : « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. » Respondet *primo*, Lyranus : « Timenti Dominum non occurrent mala, » scilicet culpæ, non pœnæ. Timor enim Dei excludit omnem culpam, præsertim graviorem.

Secundo et melius, mala tam pœnæ quam culpæ hic accipias; de iis enim agit in sequentibus. Sensus ergo est, *q. d.* Timenti Deum non occurrent mala tam pœnæ quam culpæ : mala, inquam, vera et perfecta, quæ scilicet timentem Deum sibi subigant, ad impatientiam et desperationem adigant, perdant et destruant. Τὸ enim *mala* ex phrasi Hebræa sumitur hic in actu, non inchoato, sed perfecto, ut significet mala plena et perfecta, quæ perpetim durent, et justum vincant, sternant et evertant. Nam qui patitur mala, sed ea per patientiam, fortitudinem et amorem Dei vincit, uti fecere martyres; huic mala non sunt mala, sed mala vertuntur in bona, eaque ingentia, nimirum in triumphos patientiæ, martyrii et gloriæ sempiternæ. Ita se explicat Siracides, dum subdit : « Sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis, » vel amovendo mala, vel malis justum abstrahendo, sive per fugam, uti liberavit Lot ab incendio Sodomæ; sive per mortem, uti liberavit Martyres e tormentis, juxta illud *Psal.* XC, 15 : « Cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum et glorificabo eum. » Sic aurum in fornace coctum nihil patitur mali, sed ingens recipit bonum, scilicet, puritatem et splendorem : Deum enim timens timore filiali, id est ardenter Deum amans, et sicut homo ignitus, qui si incidat in stipulas et sentes, nihil ab eis patitur, sed omnia incendit, ait S. Chrysostomus, hom. 4

in Acta Apostolorum. Ad hunc Siracidis locum alludens Paulus ait : « Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere, » I *Cor.* x, 13. Vide ibi dicta.

Denique sæpe Deus facit, ut mala non occurrant piis, sed impiis. Parœmiæ enim hæ significant non quid semper, sed quid sæpe fit : ita diluvium occurrit et mersit impios, a quo Noe pius servatus est per arcam : incendium cœleste corripuit impios Sodomitas, sed pepercit pio Lot. Sic Davidi non occurrerunt mala et insidiæ, quas ei toties struxit Saul. Sic Susannæ non occurrit mors parata a senibus adulteris, sed ipsi in fossam, quam illi struxerant, inciderunt. Ita sæpe excidia, pestes, fames, sterilitates, tempestates, naufragia, pericula latronum et furum, etc., occurrunt impiis, et ab iis liberantur pii, licet impiis contigui et vicini, juxta illud *Psal.* xc, 10 : « Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. »

Mystice. Mystice, justo non occurrunt mala, scilicet futura et æterna. Nam, ut ait vir sapiens : « Nullum verum et merum malum, nisi æternum : nullum verum bonum, nisi æternum. » Ita Rabanus : « Certum est, ait, quod timenti Dominum non occurrent mala futura, quæ iniquis pro peccatis suis præparata sunt : sed in tentatione Deus illum conservabit; quia juxta beati Petri sententiam, novit Deus pios de tentatione eripere; iniquos vero in diem judicii cruciandos reservare : liberavit enim Dominus electos suos a malis. Quia defendit eos a malignorum spirituum suggestionibus nefandis, et pravorum hominum actionibus perversis : immittet enim Deus Angelum suum in circuitu timentium eum justorum, et eripiet eos : salus autem a Domino est, et protector eorum in tempore tribulationis. »

Vers. 2. 2. SAPIENS NON ODIT MANDATA ET JUSTITIAS, ET NON ILLIDETUR QUASI IN PROCELLA NAVIS. — Dat causam, cur timenti Deum non occurrant mala, *q. d.* Sapiens, id est timens Deum, non odit, sed valde diligit Dei legem et præcepta : quocirca cum tentationum fluctus et flabra insurgunt, non jactabitur huc illuc, nec illidetur in peccatorum et perditionis scopulos, sicut navis, cum jactatur procella, in rupes aut scopulos illisa colliditur : sed anchora spei in Deum roboratus, firmus et inconcussus, in custodia legis Dei consistet : Deus enim, qui navim animæ sapientis practice, id est justi, gubernat, eam a scopulis peccatorum intactam, salvam in portum salutis perducet. Cujus rei mirum et illustre ad litteram exemplum recenset S. Paulinus, epist. *ad Macarium*, de sene quodam, qui in naufragio solus in navi superstes, jactatus fluctibus « per viginti tres dies, non modo a terris, inquit, sed et ab hominibus exclusus, omnium ventorum ludibrium, omnis terræ exsul, diversi maris hospes, et exsors generis humani, inter fluctus et belluas maris, in vago erraticæ navis hospitio, jejuniis, senio, timore confectus, Deo gubernatore, salvus tandem ad Lucanum littus appulit. »

Est miosis; minus enim dicitur, et plus significatur, « non odit, » id est valde diligit; « justitias » vocat opera justa, quæ lex præscribit. Unde pro *mandata et justitias*, græce tantum est νόμον, id est *legem*. Græca jam aliter habent, scilicet antithesin sapientis et insipientis, id est justi et injusti, sive hypocritæ, hoc modo : *Vir sapiens non odiet legem : qui autem simulat in ea, quasi in procella navis.* Ita Romani legentes πλοῖον, id est *navis*, pro quo Complutensia legunt πολλῶν, id est *multorum*; Tigurina clare : *Non odit legem vir sapiens : qui autem ficte versatur in ea, velut navis in procella est*, quæ scilicet procellis victa ad cautes illiditur et diffringitur. Sensus est, *q. d.* Vir sapiens, id est sincerus et cordatus, esto mala et tentationes ei occurrant, uti dixit versu præcedenti, tamen ob ea non odiet legem, ut ab ea recedat : sed potius majori amore et affectu per gratiam Dei roboratus, ei se conjunget et affiget : at vero ὑποκρινόμενος id est hypocritice et ficte agens, quamdiu prospere ei omnia succedunt, adhærebit quidem legi, sed ubi mala et tentationum venti ingruerint, sinet se a studio legis abripi, et in saxa peccatorum illidi.

Utriusque hujus sententiæ illustre speculum est S. Athanasius, totaque ejus vita. Nam assiduis Arianorum procellis et persecutionibus per 46 annos jactatus, Dei tutela securus et illæsus semper, imo gloriosus evasit, adeoque tandem in sua Ecclesia, cathedra et lecto, quiete, quasi debellatis hostibus triumphans, obdormivit in Domino. Vicit ille Imperatores quatuor, Constantinum, Constantium, Julianum, Valentem : vicit episcopos Arianos numero plurimos, potentia validissimos, nequitia callidissimos. Vicit autem pene orbem arianismo imbutum : vicit Luciferum totumque inferni robur, quos omnes ipse non quasi heros invictus ad duellum et singulare certamen fortiter provocans, fortius stravit et debellavit. Illud enim mente fixum habebat : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » Quare in mediis periculis fidens hilarisque canebat : « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo, » *Psalm.* xxvi. Unde, cum sub Juliano sede sua rursum pelleretur, omnibus timore perculsis, ipse unus intrepidus eosque animans, dicebat : « Nolite, o filii, perturbari; quia nubecula est, et cito pertransibit. » Verus fuit vates : nam mox Julianus hasta cœlesti confossus occubuit. Quin et cum Ariani eum navi fugientem insequerentur, jamque quasi assequerentur et apprehenderent, omnibus conterritis et latebras suadentibus : « Nolite, inquit, o filii, deterreri, eamus magis in occursum persecutori nostro, ut sciat, quia longe major est

S. Athanasius invictus, victor orbis

qui nos defendit, quam qui persequitur. » Dixit et fecit : conversa igitur navi persecutori suo occurrens, nec agnitus, rogatusque num Athanasium vidisset, respondit, se non longe illum navi euntem vidisse : itaque illos contrarium cursum tenentes effugit et delusit.

3. 3. HOMO SENSATUS CREDIT LEGI DEI, ET LEX ILLI FIDELIS. — Pro *credit* græce est, ἐμπιςεύει. Quod aliqui aptius vertunt, *fidelis est;* Tigurina, *fideliter versabitur in lege*, *q. d.* Sicut sensatus fidelis est legi Dei, sic vicissim lex ipsi fidelis est, ut ab eo mala avertat eique bona cuncta accersat. Lex enim justo promittit et reipsa præstat consilium, auxilium, defensionem et præmium. Idem vult Noster, dum vertit, « sensatus credit legi Dei : » legi enim credit, qui legi fidelis est, qui scilicet fideliter illi adhæret, eamque adimplet, esto tentatione pulsetur.

ex jus- o fide- lis. Huic lex pariter fidelis est; quia *primo*, prælucet ei, ut inter tot errores sciat quid agere debeat, quamque viam capessere, ut in cœlum evadat; *secundo*, eum solatur et roborat; *tertio*, ei præmium, scilicet augmentum gratiæ, et post hanc vitam, coronam felicitatis et gloriæ impertit. Sicut ergo justus fidelis est legi per obedientiam, sic et lex fidelis est per directionem, gratiam et gloriam. Unde Græca addunt : *Lex illi fidelis est,* ὡς ἐρώτημα δήλων (quæ verba Noster retulit ad versum sequentem), id est *sicut interrogatio manifestationum*, quæ fiat per *urim et tummim* in Rationali pontificis, *q. d.* Sicut pontifex indutus Rationali, in quo erant *urim*, id est illuminationes et manifestationes, illuminatus a Deo; fideliter et certo manifestabat occulta, de quibus Deum interrogaverat : sic lex requisita a justo, illum fideliter certoque illuminat in dubiis, ac recta dirigit et deducit per viam justitiæ in cœlestem felicitatem : nam pro *interrogatione urim*, Septuaginta vertunt, ἐρώτημα δήλων, ut patet *Num.* XXVII, 21 : Septuaginta enim sequitur Siracides, ut patet cap. XLV, 12, in Græco. Vide dicta *Exodi* XXVIII, 30. Huic sententiæ Siracidis affinis est illa Scipionis Africani : « Ex innocentia nascitur dignitas, ex dignitate honor, ex honore imperium, ex imperio libertas. » Innocentia enim non est aliud quam legis custodia.

Disce hic, legem esse *urim*, id est oraculum Dei, ut, si scire velis certo quid tibi sit agendum, quæ sit voluntas Dei, quæ via ad salutem, quid Deus a te exigat et fieri velit, consulenda tibi sit lex Dei : illa enim te id certo docebit, sicut *urim* certo docebat pontificem id de quo Deum consulebat. Hinc S. Augustinus, S. Gregorius et alii asserunt legem et S. Scripturam esse epistolam Dei ad nos missam, qua ipse hominibus significat suam voluntatem, quid, scilicet, a nobis requirat fierique velit. Qui sapit ergo, in omnibus dubiis domesticum hoc legis et S. Scripturæ oraculum adeat et consulat.

Porro codices Græci Romæ emendati, pro δήλων legentes δικαίων, id est *justorum*, vertunt : *Homo sensatus credet legi, et lex ei fidelis, sicut interrogatio justorum*, id est lex erit ei tanquam fidum oraculum justitiæ, ex qua scilicet interrogare et cognoscere queant quæ justa sint, aut ex qua justi interrogant et discunt ea quæ ipsis juste facienda sunt.

4. QUI INTERROGATIONEM MANIFESTAT, PARABIT VERBUM, ET SIC DEPRECATUS EXAUDIETUR, ET CONSERVABIT DISCIPLINAM, ET TUNC RESPONDEBIT, — *q. d.* Qui «interrogationem » sibi factam per aptam responsionem manifestare cupit, hic non statim prosiliet ad respondendum; sed prius « parabit verbum, » id est præmeditabitur cogitando et studendo, quid, et quo modo et ordine, quibusque verbis, respondere debeat : « et sic » adhibita deprecatione ad Deum, ut mentem illuminet, ab eo « exaudietur, » discetque tum veritatem, tum modum respondendi; unde in animo « disciplinam » et timorem Dei conservans, in eaque se obfirmans «respondebit,» non ad hominum gratiam captandam, nec ad eorum minas et terrores fugiendum, sed ex rei veritate. Tigurina pro δηλῶν, id est *qui manifestat*, legens δικαίων, id est *justorum*, vertit : *Qualia justi quærunt, talia para dicere : quoque pacto auditores inveneris, amplectere auditionem, et ita demum responde.* Verum Complutensia et alii legentes δῆλον, sic habent : *Quasi interrogationem manifestam præpara sermonem, et sic* libenter, *dilucide* et intelligibiliter *audieris : collige disciplinam,* vel doctrinam, *et sic respondebis.* Pro colligę græce est σύνδεσον παιδείαν, id est *colliga*, hoc est compara *doctrinam.* Unde aliqui vertunt, *concilia tibi eruditionem :* vel *colliga,* id est dispone et ordina, quod mente concepisti, ut illud congrua methodo et ordine eloquaris. Complutensia legunt συνδύσον, id est *indue disciplinam.* Quocirca disciplina hic significat, *primo*, studium legis, virtutem et honestatem, sive Dei metum et reverentiam, ut interrogatus non sinat se a vero abduci hominum favore vel metu, sed Deum solum intuens, ex ejus voluntate et lege respondeat. Ita Rabanus et Palacius : « Conservabit disciplinam, inquit, id est nihil deviabit a disciplina seu doctrina Ecclesiæ. »

Secundo, tamen Lyranus per *disciplinam* accipit bonum modum et methodum docendi et respondendi, *q. d.* Doctor non tantum vera doceat, sed et bonam in docendo adhibeat methodum, ut methodice, clare et breviter respondeat, ac tali ratione ea, quæ præmeditatus est, enuntiet, ut quæ dicit, ab auditoribus mente capi et memoria retineri possint. Et hoc significat Græcum συνδέσον, id est *colliga disciplinam.*

Tertio Rabanus : « Conserva disciplinam, » inquit, hoc est, ea quæ doces, conserva digna operatione, ut prius facias ea quæ alios doces esse facienda, instar Christi, qui «cœpit facere,» deinde « docere, » *Act.* I, 1. Quasi tria hic notentur Doctori necessaria, ut utiliter doceat : scilicet stu-

dium, oratio et operatio. Audi Rabanum : « De sanctis doctoribus dicit, qui ut ad interrogata condigne respondere possint, præparant verbum in corde suo, et deprecantur Dominum, ut ipse eis manifestet rei veritatem, et conservant digna operatione quæ ipse jussit eis custodire, et sic meditando, orando, operando, condignum interrogantibus se præbent responsum. Sic enim Paulus discipulum docuit, dicens, II *Tim.* II, 15 : Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Hinc et Petrus ait, I *Petri* III, 15 : Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe et fide. E contra vero de stultis prædicatoribus sequitur : Præcordia fatui quasi rota carri, » etc.

Nota : Doctori, vel consultori, in obscuris vel dubiis, præsertim ad fidem vel casus conscientiæ spectantibus, ut apte respondeat, non sufficere præmeditationem et studium; sed adhibendam quoque esse orationem, ut Deus mentem illuminet, non tantum ut verum cognoscat, sed et ut eo modo illud promat et enuntiet, quo auditoribus congruum et salutiferum est futurum. Ita noster P. Lessius, vir singularis in resolutione casuum conscientiæ, quoties de casu aliquo difficili consulebatur, invocare solebat Spiritum Sanctum, præmittendo hymnum *Veni Creator Spiritus*, ut vere et congrue ad profectum consulentium responderet.

Sapienter et pie S. Augustinus, epist. 120 *ad Honoratum* : « Si pure, inquit, Dominum largitorem bonorum omnium depreceris, omnia quæ cognitione digna sunt, aut certe plurima, ipso magis inspirante, quam hominum aliquo commonente, perdisces. »

Vers. 5. 5. PRÆCORDIA FATUI QUASI ROTA CARRI : ET QUASI AXIS VERSATILIS COGITATUS ILLIUS. — Græce, *rota plaustri sunt viscera stulti, et ut axis qui versatur* (qui scilicet rotæ affixus et infixus est : est enim alius axis, qui non versatur, sed manet immotus, circa quem rota currus volvitur et circumagitur) *cogitatio ipsius;* Tigurina : *Similia rotæ currus sunt intima stulti, et velut axis versatilis ejusdem cogitatio;* Syrus vero, *rota veloæ cor iniqui, et sicut sus omnes cogitationes ejus,* scilicet sordidæ et impuræ : talis enim est porcus et sus. Opponit stultum sensato, quem dixit stabilem et fidelem esse legi, ideoque sensate et ordinate loqui et respondere; quod *præcordia*, græce *viscera*, id est intimæ cogitationes et desideria, stulti instabilia, stulta, et instar rotæ axisque versatilis, huc illucque sine ordine et ratione volvantur, ideoque similis eorum sit sermo et responsio, scilicet inordinata, irrationalis, inconcinna, vaga et impertinens, ut ab uno labantur in aliud sine cohærentia et connexione.

Ratio a priori disparitatis hujus est, quod sapiens, id est justus, legi fixus adhæret, et a Deo suo se dimoveri non sinit, quia in eo fixit suum cor, id est suos affectus et cogitationes. Adhærens ergo Deo immobili, fit pariter et ipse constans et immobilis; at stultus, id est carnalis et impius, cor suum figit in rebus temporalibus, quæ cum cœlo moventur, ideoque adhærens labili et instabili, fit et ipse labilis et instabilis. Hoc est, quod ait Isaias, cap. LVII, vers. 20 : « Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum; » et Jeremias, *Thren.* cap. I, 8 : « Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est; » ubi multas hujus instabilitatis causas assignavi.

Vers. 6. 6. EQUUS EMISSARIUS (alii legunt, *admissarius*, eodem sensu), SIC ET AMICUS SUBSANNATOR, SUB OMNI SUPRASEDENTE HINNIT, — *q. d.* Sicut equus admissarius (qui scilicet emittitur et admittitur ad equas, ut eas imprægnet) hinnit non amore sessoris (hinnit enim sub omni et quolibet, etiam inviso sessore), sed amore equæ, quam videt et ambit : sic et fictus amicus blanditur et applaudit amico, non amici causa, sed commodi sui, quod ab eo flagitat et exspectat. Nam revera talis non est amicus, sed adulator et hypocrita, ideoque subsannator, qui scilicet exterius se simulat et gerit ut amicus : interius vero in corde amicum ridet et subsannat, eumque secreto vituperat et calumniatur. Sicut ergo equus adhinnit cuilibet equæ a se visæ, ita amicus fictus arridet et applaudit amico, ubicumque est spes lucri; quia non amico, sed lucro adhinnit, ideoque jam uni, jam alteri, et alteri majus lucrum ostentanti, adhinnit et applaudit. Versu præcedenti ostendit inconstantiam et versatile ingenium stulti in cogitationibus et desideriis; hic eamdem ostendit in ejus moribus et gestibus externis. Addit Palacius et Jansenius, hanc parabolam dici a Siracide contra falsos doctores, qui cum videantur quærere suorum auditorum salutem et bene illis velle, suum tantum commodum et lucellum spectant, cujus amore quidvis docent, quibuslibet se spe lucri accommodantes, qualis fuit Petrus, martyr in Anglia, qui de Eucharistia docuit quidquid voluit rex et magistratus. Tales plurimi fuerunt, et sunt hac ætate. Item dici contra advocatos et procuratores, qui sine delectu causarum cuilibet, sive justa, sive injusta sit, adhinniunt, gaudent et fautores se exhibent, ubicumque odorem lucri sentiunt.

Secundo, Palacius per *hinnitum* accepit non applausum, sed irrisionem et subsannationem : equus enim non tantum hinnit, cum amat et applaudit, sed et cum irascitur et fremit, ut cum in prælio furibundus fertur in hostem, ut sensus sit, *q. d.* Sicut equus admissarius data qualibet occasione hinnit nihil curans sessorem, itaque eum quasi spernit, ridet et subsannat : sic pariter irrisor et subsannator subsannat quemvis, etiam amicum sibi fidentem; ridet enim et taxat omnes et omnia, quæ videt vel audit. Favet versio Tigurina : *Equus admissarius hinniens sub quo-*

vis equite, amico cavillatori comparandus est; et aliorum : *Equus admissarius ut amicus irrisor sub omni insidente hinnit;* et Syri : *Sicut equus præparatus* (alius textus habet, *dives*, scilicet, diviter et splendide instratus et ornatus; ideo enim superbit et hinnit) *amici iniqui, qui sub omni, qui diligit eum, hinnit.*

Tertio, Rabanus : « Comparationem elegantem, inquit, irrationalis animantis ad stultum amicum facit : quia sicut in bruto jumento nulla est ratio, ita et in falso amico nullus est æquitatis ordo. Sicut enim equus lascivus et superbiens hinnitu suo non discernit inter verum dominum et alienum, sic stultus et derisor non discernit spiritu suo inter hypocritam et fidelem amicum, sed per oris officia, mentis æqualiter utrique pandit secreta. »

Mystice, Lyranus hæc refert ad malum Prælatum : « Qui debet, inquit, Deum diligere usque ad mortem, se exponendo pro populi salute; et tamen Deum deridet accipiens officium vicariæ ejus, et non curans de honore ejus. » Mystice.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE DEI PRÆDESTINATIONE, RERUMQUE ET HOMINUM DISTINCTIONE.

Vers. 7. **7. QUARE DIES DIEM SUPERAT, ET ITERUM LUX LUCEM, ET ANNUS ANNUM A SOLE?** — Rabanus et Lyranus hæc accipiunt de naturali excellentia dierum et annorum, *q. d.* Qui fit ut unus dies, v. g. æstivus, alio, puta hiberno, sit clarior et longior, et lux solis sit major luce aliarum stellarum, ac unus annus, v. g. solaris vel bissextilis, dierum numero superet alium, puta lunarem et non bissextilem, idque fit a sole? Sol enim in æstate directius et diutius decurrens in hemisphærio nostro, clariorem et longiorem facit diem. Cur, inquam, hæc ita fiunt? utique ita fiunt a Deo sapienter ita ordinante. Verum scopus Siracidis alium poscit sensum : scopus enim ejus est ostendere causam, cur unus homo præcellat alteri, non esse petendam a natura et indole, quod scilicet hæc in eo qui excellit sit præstantior, in alio vero humiliore sit depressior; natura enim communis est, eademque in singulis individuis : sed rationem hujus discretionis tribuendam esse voluntati et electioni divinæ, quæ hos aliis præeligit, majoribusque donis cumulat. Nisi quis dicat naturam et indolem meliorem subinde esse causam melioris sortis et fortunæ. Hanc autem indolem tribui Deo, tanquam ejus conditori. Sed quod dixi, aptius est. Sensus ergo est, *q. d.* Quid causæ est, quod una dies et lux præcellat aliam, puta festa, non festam, v. g. Cur dies Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum tam sit celebris et solemnis victimis, psalmis, conventu sacerdotum et populi, ornatu templi, etc., præ aliis diebus non festis et profanis? Similiter, cur annus unus festus superet alium non festum? v. g. annus septimus remissionis, et annus quinquagesimus, qui est jubileus, solemnitate et pompa superent cæteros annos non festos, nec jubileos? Superent, inquam, « diem et annum a sole, » scilicet, pariter et æque factum, *q. d.* Sol fecit omnes dies pares et similes : unde ergo est illa distinctio dierum et annorum festorum et non festorum? Utique non est « a sole, » cum is communis sit idemque semper; sed a Deo, Deique voluntate ita discernente et ordinante dies et annos. Igitur pari modo, quod unus homo præcellat alteri, cui natura est æqualis, non est a natura, sed a Dei voluntate et electione. Hunc esse sensum patet ex sequentibus et ex Græco, qui breviter et clare sic habet : *Quare dies est supra diem, et omnis lux diei anni a sole? q. d.* Qui fit ut dies diem superet, cum dies quælibet, et lux cujusque diei per annum ab eodem producatur sole, qui cum agat naturaliter, non libere, similem, imo eumdem, semper effectum, puta eumdem specie diem et lucem, producit? Unde Tigurina et alii clare vertunt : *Quare dies diem præcellit, cum omnis lux dierum anni a sole proficiscatur?* Syrus : *Quare est dies in anno, qui a diebus est distinctus, quia omnia luminaria diebus anni inserviunt? Verum sapientia Dei distincti fuerunt.* Noster addit diei lucem, quia nonnulla festa incipiebant non a die, sed a luce, ut festum Neomeniæ incipiebat ab illuminatione lunæ, ipsaque hora novilunii, uti ostendi *Num.* XXVIII, 11. Sic primus dies azymorum incipiebat a luce diei sequentis noctem paschalem.

Quæres, quorsum hæc inducit hoc loco Siracides? quid hæc faciunt ad ea quæ toto capite præmisit de sapiente et stulto? Respondeo : *Primo,* Rabanus ea spectare ad versum præcedentem, ubi descripsit stultitiam stulti, qui omnibus sine discrimine instar equi adhinnit et applaudit : illam enim hic redarguit per ordinationem Dei, qui sicut diem unum ab alio, sic et hominem unum ab alio discernit et secernit. Audi Rabanum : « Quia prius vituperavit stulti hominis imprudentiam, quoniam nullam in rerum dissimilitudine habuit distantiam; nunc a conditore universorum ostendere vult in rebus omnibus esse ordinem decentissimum : dies ergo diem superat, et lux lucem, et annus annum, propter ascendentis et descendentis solis cursum, qui gyrat ad meridiem, et flectitur ad aquilonem, lustrans universa circuitu suo, et luminaribus minoribus radiis suis præstat splendorem, discernens tempora, dies et annos : quia in æstate longiores et clariores dies reddit quam hieme, et annum lunæ et cæterorum siderum facit inter se ordinabi-

liter differentiam habere : quia ad hoc creatus est cum cæteris sideribus, ut essent in signa, et tempora, et dies, et annos; et hominibus, qui legem Dei accepturi forent, certa festivitatum demonstrarent tempora. »

Secundo, Lyranus ad versum præcedentem pariter hæc referens, eumque explicans de malis Prælatis, ad eosdem hunc quoque refert : « Quia posset, inquit, aliquis admirari et quærere, qualiter Deus permittit malos doctores et prælatos ad Ecclesiæ regimen promoveri? Ad cujus solutionem *primo* præmittit exemplum in naturalibus, dicens : Quare dies diem superat? *secundo*, applicat ad propositum in hominibus, dicens vers. 10 : Et omnes homines; *tertio*, confirmat per simile et in artificialibus, dicens vers. 13 : Quasi lutum, etc.; *quarto*, solvit dubium, dicens vers. 15 : Contra malum bonum est. »

Deus varios hominum ordines statuit ob tres causas.

Tertio et genuine, hæc referas ad ea quæ hoc capite et alias sæpe disputavit, de differentia et discretione sapientum et stultorum, id est piorum et impiorum. Cum enim omnes homines natura sint pares, qui fit, ut tanta inter eos cernatur differentia, præsertim in sapientia et virtute, ut hi sint sapientes et virtute prædíti, illi stolidi et vitiis cooperti? Ad quod respondet, ex sapientissima Dei providentia, partim activa, partim permissiva id fieri; qui similiter dies a diebus secrevit, idque hoc fine : *primo*, ut ex variis rerum gradibus et ordinibus consurgeret decus et pulchritudo universi; *secundo*, ut cuique rei suum contrarium quasi æmulum et antagonistam opponeret; itaque ex singulis singulorum antithesibus palæstram hanc et theatrum mundi honestaret, atque cujuslibet rei dignitas et præstantia per collationem, pugnam et victoriam oppositi innotesceret et elucesceret; *tertio*, ut in singulis varios suæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis et justitiæ modos et species mortalibus spectandos et venerandos exhiberet. Hoc est quod subdit : « A Domini scientia separati sunt. »

Quarto, ut indicaret mutationes quibus dies æque ac homines obnoxii sunt. Sicut enim v. g. feria secunda hoc anno est festum, quia in eam incidit festum S. Laurentii; sequenti vero anno non erit, quia festum hoc incidet in feriam tertiam : sic homo qui hoc anno est sanctus, sequenti erit peccator; et qui nunc est peccator, tunc erit sanctus; ut discamus omnes timere et pendere a Deo.

Hinc colligas causam cur hic sit felix, ille infelix, non esse fortunam, non indolem, non cœlum, sed Deum : Deus enim pro libitu liberaque electione quem vult facit felicem, non tantum si prudens sit, sed et si imprudens. Prudens enim, esto non semper, sæpe tamen prosperatur in actionibus, ut felices habeant successus; tum quia prudenter omnia disponit, ut feliciter eveniant; tum quia meretur ut Deus actiones suas dirigat et prosperet. D. Thomas, lib. III *Contra Gentes*, cap. XCII, quærit, quæ sit causa cur quis sit fortunatus, id est, ut illi præter opinionem bona bonique eventus obveniant? ac respondet propriam causam bonæ fortunæ esse Deum, Deique benevolentiam et electionem, qua aliquem feliciter ut plurimum regit et dirigit, v. g. ut fodiat tali vel tali loco ubi inveniat thesaurum : uti autem aliquando ministerio Angelorum, id suggerentium vel persuadentium. Cœlum autem, cœlique influxum, proprie non facere bonam fortunam; sed subinde ad illam disponere per accidens, v. g. cum quem inclinat ad fodiendum, cui fossioni per accidens conjuncta est inventio thesauri. Nec enim cœlum inclinat, ut hic potius fodias ubi est thesaurus, quam alibi ubi non est. Quare cum hæc duo cœlum combinare non possit, sequitur cœlum per se non esse causam bonæ fortunæ : Deo ergo nihil est fortuitum, quia ipse est rector et director fortunæ. Denique cur hic sit felix, ille infelix, fuse docui *Genes.* cap. XXX, 27.

Bonæ fortunæ causa est Deus

Quisque ergo suam sortem a Dei manu exspectet, eaque contentus vivat, ac cum Psalte humillime dicat : « In manibus tuis sortes meæ, » *Psal.* XXX, 16, « sortes, » i. e. casus, eventus, vicissitudo, status rerum mearum, ut divitiæ et paupertas, servitus et principatus, sanitas et infirmitas, pax et bellum, ait Theodoretus. Hæ ergo sortes meæ non a fortuna, sed a certa tua, o Domine, providentia et reguntur et dispensantur. Hebræum : *In manibus tuis tempora*, id est dies vitæ et mortis, prosperitatis et adversitatis; Chaldaicum : *In manibus tuis tempora redemptionis meæ.* Et cum S. Paulo, *Coloss.* I, 12 : « Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum. » « Non video, ait S. Augustinus, ullum meritum, quo de universa impietate generis humani me potissimum elegisti ad salutem : ad tunicam Domini sorte perveni; » sicut sors cecidit super Matthiam ut fieret Apostolus, *Act.* I.

Præclare Prosper, lib. II *De Vocat. Gent.*, cap. X : « Si de parentum carnalium, inquit, judiciis conqueri non audemus, cum aliquos filios suos ante ulla morum examina, ante aliqua pietatis officia, indulgentiore amplectuntur affectu : in dominis quoque erga famulos libera est dispositio, nec juste a quoquam reprehenditur, qui de unius conditionis familia, quosdam sibi quos benignius honestaret, et quos liberius erudiret, elegit; numquid de summi Patris et veri Domini benevolentissima æquitate causandum est, quod in magna domo ejus innumeris differentiis universa variantur? Cumque nemo aliquid boni habeat, quod non ille donaverit; non omnes tamen iisdem virtutibus micant, aut eadem charismatum dote ditantur. Nec possumus hanc diversitatem graduum causis aptare meritorum, cum totius meriti principalis causa sit gratia. »

Pii similes diebus

Moraliter, disce pios recte comparari diebus festis, impios profanis : *primo*, quia quantum

festis, cur? festi dies superant non festos, tantum pii præcellunt impiis; *secundo*, sicut dies festi sunt dicati et consecrati Deo, sic et pii se consecrant Deo; *tertio*, in festis cessatur ab opere servili, et vacant fideles sacrificiis Deique laudibus: sic et pii jugiter Deum laudant mente, voce et opere. Piis ergo omnis dies est festus. Qua de causa S. Sylvester dies vocari voluit ferias, dicendo, feria prima, secunda, tertia, etc., ut meminissent clerici, se abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere, juxta illud *Psalm.* LXXV, 11 : « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi : et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. » Et illud *Eccli.* XLVII, 2, de Davide : « Et quasi adeps separatus a carne (qui cremabatur Deo in die festo), sic David a filiis Israel. » Denique sicut dies festi celebrantur, sic homines sancti canonizantur : canonizatio enim hoc est Sanctis, quod festivitas diebus; ideoque in honorem Sanctorum, dum canonizantur, dies festi instituuntur et celebrantur.

Vers. 8. 8. A DOMINI SCIENTIA SEPARATI SUNT, FACTO SOLE, ET PRÆCEPTUM CUSTODIENTE. — Addit Jansenius et alii, *per Dei sapientiam dividuntur*; sed hæc verba expungunt Græci, Romani et cæteri codices emendati. Respondet quæstioni propositæ : « Quare dies diem superat? » *q. d.* Hæc dierum discretio non est facta a casu et fortuna, sed a Dei scientia, *q. d.* A Dei providentia sapienter facta est : a Deo, inquam, non a sole, nam facta est post factum solem, qui et ipse Dei ordinationi subjacet, Deique « præceptum, » id est ordinem movendi, lucendi, etc., exacte « custodit. » Aliter Rabanus et Lyranus, qui inhærentes expositioni datæ vers. præcedent. sic explicant, *q. d.* Dies alii ab aliis separati, et lucidiores effecti sunt, a Dei scientia et sapientia, cum scilicet fecit solem, qui suo accessu et recessu dies inæquales magisque vel minus lucidos efficeret : sol enim hoc Dei præceptum et ordinem perfecte custodit. Græca breviter hæc nectunt initio versus sequentis, sicque habent : *Scientia Domini distincta sunt, qui mutavit tempora et festa*; Tigurina : *Judicio Domini distincti, qui vices temporum festorumque dierum disposuit, et sua divisit sapientia;* Syrus : *Verum sapientia Dei distincti fuerunt, et fecit ex eis tempora et momenta.*

Vers. 9. 9. ET IMMUTAVIT TEMPORA, ET DIES FESTOS IPSORUM, ET IN ILLIS DIES FESTOS CELEBRAVERUNT AD HORAM. — Græca et Syri tantum habent id, quod posui vers. præcedenti. « Immutavit, » id est varie disposuit, Deus tempora anni, dividendo eum, tum in duodecim menses, quorum quisque ab alio quolibet qualitate et effectu dissidet et diversus est; tum in quatuor præcipuas anni partes, scilicet, in ver, æstatem, autumnum et hiemem. Atque in his partibus varios dies festos, suo quemque ordine, concinne disposuit et collocavit, quos diebus a se constitutis celebrarent Hebræi ad horam illis præscriptam, v. g. hora qua incipiebat novilunium, celebrarent festum Neomeniæ, uti ostendi *Num.* XXVIII, 11, cætera festa incipiebant ab hora vespertina, puta a prima hora noctis, a qua Itali incipiunt computare horas diei, juxta illud *Levitic.* cap. XXIII, 32 : « A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. »

Vers. 10. 10. EX IPSIS EXALTAVIT ET MAGNIFICAVIT DEUS, ET EX IPSIS POSUIT IN NUMERUM DIERUM. — Quod Hebræi dicunt לימי מספר *lime mispar*, id est *in dies numeri*, hoc est in dies vulgares, qui nihil habent præ aliis singulare, sed tantum numerum cæterorum adaugent instar ciphræ, juxta illud :

Nos numerus sumus, et fruges consumere nati.

Pro *magnificavit* græce est ἡγίασε, id est *sanctificavit* : et sic legunt quidam codices Latini manuscripti : *sanctificavit*, id est Deo et Sanctis dicavit, ut fideles eos illis diebus sancte colerent precibus, votis, victimis aliisque sanctis officiis. Igitur sensus est, *q. d.* Deus ex diebus aliquos extulit, dum eos instituit festos et sanctos; alios vero « ex ipsis posuit in numerum dierum » communium, scilicet, ut manerent in numero dierum vulgarium et profanorum, nec essent festi. Unde Tigurina : *Is alios dies extulit et consecravit, alios in ordinem dierum coegit*; Syrus : *Ex iis benedixit et sanctificavit, et ex iis fecit in numerum dierum.* Alludit ad institutionem et sanctificationem sabbati et aliorum festorum, de qua dicitur *Genes.* II, 3 : « Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum : quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret. »

Paulo aliter Palacius, *q. d.* Deus ex festis diebus alios exaltavit, ut diem Paschæ et Pentecostes; alios, ut dies festos azymorum, redegit in numerum minorum festorum : pari modo ex ipsis electis alios exaltavit, faciens illos sanctos eminentes, ut Abraham, Isaac, David; alios vero redegit in numerum communium justorum, qui quidem sancti sunt, non tamen ut « dii fortes terræ vehementer elevati sunt, » *Psalm.* XLVI, 10, sed ut minores Sancti, et ut Sanctorum vulgus Deo adhærent.

ET OMNES HOMINES DE SOLO, ET EX TERRA, UNDE CREATUS EST ADAM. — Subaudi, fecit, vel plasmavit. Idem est *solum* quod *terra* : sed *solum* dicitur a soliditate, *terra* a terendo, quod pedibus hominum et animalium teratur, ait Lyranus.

Vers. 11. 11. IN MULTITUDINE DISCIPLINÆ DOMINUS SEPARAVIT EOS, ET IMMUTAVIT VIAS EORUM. — Est antapodosis, sive redditio et applicatio similitudinis dierum electorum, puta festorum, ad homines electos, *q. d.* Sicut Deus dies aliquos, licet cæteris natura et luce pares, selegit, fecitque festos : sic pariter cum omnes homines natura sint pares, creatique ex eodem solo et terra, ex quo creatus est Adam; tamen « in multitudine, » id est ex magnitudine, « disciplinæ, » græce ἐπιστήμης, id est *scientiæ* et sapientiæ suæ; « separavit eos, et immutavit vias

eorum,» tum quia fecit, ut alii aliam vitæ rationem sequerentur; tum quia «vias» id est sortes, conditiones et status illorum fecit diversos, v. g. ut hi essent magni prælati et principes, illi plebeii, cives et rustici; tum maxime quia alios effecit sapientes et sanctos, alios vero in sua insipientia et peccatis dereliquit. Hoc enim maxime hic spectat Siracides; unde explicans subdit : «Ex ipsis benedixit et exaltavit, et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit.» Ita Tigurina, quæ clare vertit : *Et omnes homines e terra sunt orti* (alii aptius, *suntque homines omnes ab* humo); *et Adam e terra creatus est; sed Dominus mirabili scientia distinxit eos, et instituta eorum variavit;* Syrus : *Et etiam homines omnes ex luto facti sunt, et ex pulvere creatus fuit Adam : verum in sapientia Deus separavit eos, et fecit eos habitatores terræ.*

Porro, Palacius et Jansenius hæc et sequentia explicant de plene prædestinatis et reprobis, puta, de efficaciter electis ad gloriam, et damnatis ad gehennam, *q. d.* Deus *primo*, secundum magnitudinem sapientiæ suæ, ex una et eadem massa naturæ humanæ peccato Adæ corrupta, per suam prædestinationem separavit prædestinatos, eosque elegit ad gloriam, ut in eis ostenderet divitias gratiæ suæ : alios vero reprobavit, volens in eis ostendere iram et potentiam suam; *secundo*, postquam eos ita in sua mente separavit, «immutavit vias eorum,» dans electis auxilium efficax, gratiam et perseverantiam : reprobos vero relinquens ac dimittens secundum desideria cordis eorum, ut abeant in adinventionibus suis, *Psal.* LXXX.

Prædestinatio duplex.

Verum melius Rabanus, Lyranus et alii accipiunt hæc de generali electione Dei, deque inchoata prædestinatione. Nam duplex est prædestinatio, scilicet, inchoata et completa. Inchoata est, qua quis prædestinatur ad fidem, gratiam et justitiam; hic enim per hæc dona inchoat suam salutem, ut, si in illis perseveret et pergat, certo salutem et gloriam æternam sit assecuturus. Completa est, qua quis efficaciter a Deo eligitur et destinatur ad gloriam et vitam æternam : de inchoata hic agi evincunt rationes, quas attuli *Canone* XIII in S. Paulum. Quibus adde, Siracidem hic agere de prædestinatione gentium potius quam singulorum hominum, uti mox ostendam : gentes autem prædestinantur ad fidem et gratiam, non autem ad gloriam; quia ex gentibus etiam fidelibus magna, imo major pars non pervenit ad gloriam, sed ob sua peccata perit et damnatur. Idem colligitur ex eo, quod dicit vers. 15 : «Sic et contra virum justum peccator.» Justus enim est inchoate prædestinatus, et peccator est inchoate tantum reprobus : si enim ageret de completa prædestinatione et reprobatione, dixisset : «Sic et contra prædestinatum est reprobus;» vel : «Sic et contra electum ad gloriam est damnatus ad gehennam.» Idem magis patebit ex iis quæ dicam versu sequenti. Congrue tamen possunt ea quæ dicit de fideli et infideli, pio et impio, a pari vel simili extendi et accommodari prædestinato et reprobo, salvato et damnato; præsertim quia justitia est inchoata prædestinatio, et injustitia inchoata reprobatio : vicissim prædestinatio et electio ad gloriam est justitiæ coronis et complementum, sicut reprobatio et damnatio est injustitiæ perfectio et complementum.

12. EX IPSIS BENEDIXIT, ET EXALTAVIT : ET EX IPSIS SANCTIFICAVIT, ET AD SE APPLICAVIT (Syrus, *usque ad se perduxit*) : ET EX IPSIS MALEDIXIT, ET HUMILIAVIT, ET CONVERTIT ILLOS A SEPARATIONE IPSORUM.— Syrus : *Et evertit et eradicavit eos de habitaculis eorum;* Tigurina : *Alios beavit et evexit, consecravit, dicavitque sibi : alios exsecratus est, et depressit, et evertit eos suis sedibus.* «Sanctificavit,» id est separavit, et (ut sequitur) «ad se applicavit,» quasi homines fideles Deique cultui dicatos, ut essent populus Dei, ejusque familia et Ecclesia; uti *primo*, ab initio mundi, rejecto Cain parricida, separavit sibi Abel et Seth ejusque posteros, ut esset populus fidelis et deicola. Quocirca filii Seth vocantur «filii Dei,» filii vero Cain vocantur «filii hominum,» *Genes.* VI, 2. *Secundo*, in diluvio separavit Noe ejusque filios a cæteris hominibus; atque e filiis duos, scilicet Sem et Japhet pios, et patris verenda tegentes, sibi arrogavit et benedixit, id est multis donis et beneficiis affecit : tertium vero filium, scilicet Cham, patrem Chanaan, utpote impium, patris verenda subsannantem, maledixit, dicens : «Maledictus Chanaan (filius et assecla Cham), servus servorum erit fratribus suis; Benedictus Dominus Deus Sem,» etc. *Gen.* IX, 25. Atque huc maxime respexit Siracides, scilicet, ad Sem, a quo orti sunt Hebræi, quos Deus in populum fidelem sibi elegit, spretis, imo excisis, impiis Chananæis posteris Cham et Chanaan, quos proinde per Josue et Hebræos terra Chanaan et sedibus suis expulit. *Tertio*, e posteris Sem solum elegit Abraham ejusque familiam in suam gentem et Ecclesiam, cæteris in infidelitate et peccatis, ideoque in maledicto relictis. *Quarto*, e filiis Abrahæ elegit Isaac ejusque posteros : rejecit vero Ismael et Ismaelitas ab eo prognatos. *Quinto*, e filiis Isaac elegit Jacob et Jacobæos, rejecto Esau et Idumæis, juxta illud *Malach.* I, 2 : «Dilexi Jacob, Esau autem odio habui.» *Sexto*, e filiis Jacob solum elegit Levi et Aaron ejusque posteros, ut essent Levitæ, id est ministri et sacerdotes Domini, cæteris filiis in vulgo et inter laicos relictis, juxta illud (quo alludit quoque hic Siracides) *Num.* VIII 13 : «Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus, et consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei.» Vers. 12

Itaque sanctificatio hæc est separatio, qua Deus certos homines et familias, præsertim Abrahæ, Isaac, Jacob et Levi, sibi in populum fidelem et sacerdotalem ex reliquis familiis et gentibus elegit et separavit, juxta illud Mosis *Exodi* XIX, 6, ad Hebræos : «Eritis mihi in regnum sacerdotale,

et gens sancta.» Nam in τῷ *applicavit* et *maledixit* alludit ad Aaron, quem Deus sibi quasi pontificem adscivit; et ad Core, quem superbe ambientem pontificatum maledixit, depressit et evertit, cum fecit, ut hiante terra vivus absorberetur in infernum. Vide *Num.* XVI, 5 : « Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi : et quos elegerit, appropinquabunt ei. » Igitur sanctificatio hæc non faciebat omnes justos et sanctos, sed Deo separatos, quasi fideles et cultores Dei. Constat enim in populo fideli, præsertim Judaico, multos fuisse peccatores et impios : aliqui tamen vere erant justi et sancti. Sic *sanctificare*, pro separare a profano, et dicare Deo, sumitur *Exodi* XIII, 2 : «Sanctifica mihi omne primogenitum. » Et *Deuter.* VII, 6 : « Populus sanctus es Domino Deo tuo. » Et passim in Levitico, Numeris et Deuteronomio dicuntur primitiæ, decimæ, vota, victimæ « sanctificari, » id est separari et dicari « Deo. »

Jam vero, Deus suos fideles, v. g. Judæos (et multo magis, nunc Christianos) « benedixit et exaltavit, » tum abundantia frugum opumque temporalium, regno, triumphis et victoriis, ut patuit sub Davide et Salomone; tum gratia et donis spiritalibus, puta, lege, templo, sacrificiis, Prophetis, legisperitis, miraculis, oraculis, pontificatu, sacerdotio, etc.

Quocirca ex hoc loco solide non concludas (esto id velint nonnulli) electionem efficacem cujusque sancti et electi ad gloriam a Deo factam esse ante prævisa ejus merita, ex mera Dei electione et beneplacito; nam *primo*, de ea præcise non agit hic Siracides, sed generatim de electione, qua unus homo cum sua posteritate, puta, una familia, vel una gens, alteri a Deo præfertur, ac in populum et Ecclesiam suam eligitur; *secundo*, esto de ea ageretur, non concluderetur id quod prætenditur; quia dici posset electionem hanc Dei fieri ex meritis cujusque sancti a Deo prævisis. Nam, ut ait S. Augustinus, Quæst. II *ad Simplician.*, id quod præeligitur alteri, jam præstat alteri, eoque melius et præstantius est; ideo enim præ altero eligitur. Nec obstat similitudo electionis dierum in festos præ aliis non festis, quam attulit vers. 7, quia pari modo dies certi electi sunt et eliguntur in festos, ob eorum beneficia et quasi merita, v. g. dies decima quarta mensis Nisan electa et erecta est in festum Paschæ, quia in ea Hebræi liberati fuere ab Angelo percutiente primogenita Ægyptiorum, et consequenter a Pharaone et Ægypto, *Exodi* XII. Simili modo vir fidelis eligitur a Deo, ut sit e populo et Ecclesia ipsius, aut etiam ut sit justus et sanctus, quia Deo vocanti eum ad fidem et justitiam libere consensit; quia scilicet credidit in Deum, eumque coluit et amavit; quare eligitur ob suum meritum, vel de congruo, ut fit in prima justificatione; vel de condigno, uti fit in secunda, puta in augmento justitiæ. Imo dies festi Sanctis dicati, uti jam dicantur in honorem S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, etc., ob eorum heroicas virtutes, merita et martyria dicati et instituti sunt.

Idem patet ex antithesi reproborum sive rejectorum, de quibus subdit: « Et ex ipsis maledixit. » Constat enim, quod Deus neminem ante prævisa peccata et demerita ita maledixerit, ut eum absolute reprobarit et gehennæ addixerit. Unde vers. 14 concludens ait : « Et reddet unicuique secundum judicium suum. » Præsertim, quia Chananæi, ad quos maxime hic respicit, non ita fuerunt maledicti, ut hoc ipso omnes fuerint damnati ad infernum. Nam de Rahab ejusque familia, et de Gabaonitis, qui omnes fuere Chananæi, sed Judæis se dediderunt factique sunt proselyti, valde verisimile est ipsos, æque ac Hebræos fuisse electos a Deo, atque ad salutem vocatos et destinatos. Unde Rabanus sic exponit, ut dicat Deum discrevisse, ut hos sibi eligeret, alios rejiceret, quia ipsi se discreverunt. « Postquam, inquit, homines multiplicari cœperunt, et quidam illorum variis erroribus et peccatis se obligaverunt; discrevit inter eos, et separavit illos ab eis, qui in sua fide et justitia perstiterunt. Et eos, qui digni fuerunt, benedixit; illos vero, qui impie se gesserunt, æterna maledictione reos juste damnavit. Unde Scriptura sacra numerat Abel, Enos, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, et cæteros Sanctos, qui divino cultui rite insistebant, et vera religione uni Deo devote serviebant. Illos autem, qui deserentes verum Deum, falsis deserviebant idolis, et multiplicibus sceleribus semetipsos obnoxios fecerunt; partim diluvio, partim pestilentiæ clade, et veracium cultorum Dei gladio et devastatione delevit atque consumpsit. Ideo dicit, Et convertit illos a separatione ipsorum, quia sua discretione illos distinxit, quibus pro benefactis præmia condigna daret, et quibus pro malefactis justa tormenta rependeret. In manu ergo potenti summus artifex operis sui, juxta voluntatem suam distinctionem congruam effecit. » Vide dicta *Rom.* cap. IX.

Porro hæc sententia, cum sit indefinita et generalis, potest applicari non solum integris familiis et gentibus, sed et singularibus quibusque personis. Nam v. g. Deus elegit, benedixit, exaltavit, et ad se applicavit, Abel, Seth, Enos, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, Mosen, Aaron, David, etc.; sprevit vero, maledixit et humiliavit Cain, Cham, Nemrod, Ismael, Pharaonem, Core, Dathan, Abiron, Saul, etc. Sed sicut hos sprevit, et maledixit propter sua scelera et demerita, sic illos « benedixit, » sibique applicavit ob suam obedientiam, pietatem et merita sive de congruo, sive de condigno; « benedixit, » inquam, tum per gratiam donando eos sua justitia, amicitia et filiatione; tum per gloriam, nimirum perseverantes in gratia et justitia, præmiando corona gloriæ sempiternæ.

Denique si hoc opus prædestinationis et selectionis Dei plane ad suam primam in Deo originem Origo prædesti-

nationis in Deo.

revoces, certum est illud peractum esse sine ullo cujusque merito; tum quia prima gratia, quæ est primus effectus prædestinationis, est pura et mera gratia, quæ sine ullo alicujus merito singulis datur; tum quia secretio et distinctio ordinis utriusque, scilicet ordinis prædestinatorum et ordinis reprobandorum, facta est sine meritis vel demeritis. Nam v. g. quod Deus Abelem constituerit in ea serie donorum et gratiarum, in qua prævidebat illum fideliter sancteque victurum et moriturum, ideoque perventurum ad vitam æternam; Cainum vero statuerit in alia serie, in qua prævidebat eum sua libertate et malitia peccaturum, impie victurum et moriturum, ideoque damnandum; hoc totum fuit opus meri beneplaciti et electionis Dei, cui ita placuit sua dona et gratias distribuere sine ullo Abelis merito, vel Caini demerito.

Igitur ex massa humanæ naturæ et propaginis peccato originali corrupta, Deus electos prædestinavit et «benedixit,» *primo*, quia eos in ea serie gratiarum collocavit, qua prævidebat eos gratiæ cooperaturos usque in finem vitæ, certoque salvandos, puta, prædestinavit ab æterno, et in tempore vitæ ipsorum dedit eis gratiam, quæ eis esset congrua et efficax; *secundo*, «benedixit,» quia eis contulit justitiam, in eaque perseverantiam usque ad mortem; *tertio*, «benedixit,» quia eos cœlo et gloriæ addixit, dicens: «Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, *Matth.* XXV. Hi enim sunt tres prædestinationis effectus, juxta illud *Rom.* VIII, 30: « Quos prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit.» Cæteros vero reprobandos «maledixit,» *primo*, quia eos in massa peccato originali corrupta et maledicta reliquit; aut, si quando eos inde per gratiam eripuit, in eamdem per peccatum actuale relabi permisit; *secundo*, eos jam peccato obnoxios «maledixit,» i. e. odio habuit, sprevit et æternæ maledictioni, nisi resipiscerent, addixit; *tertio*, «maledixit,» i. e. eos in peccato hoc et maledictione obdurari et mori permisit, ideoque eos de facto damnavit, et in infernum relegavit, dicens: « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus,» *Matth.* XXV.

Maledictio ergo hæc præsupponit peccatum, vel originale, vel actuale: Deus enim neminem maledicit, reprobat et damnat, nisi propter ejus culpam; reprobatio enim est actus justitiæ vindicativæ; Dei prædestinatio vero est actus gratiæ et misericordiæ Dei. Quare reprobi omnes maledictionem Dei temporalem et æternam ob peccata sua incurrerunt, et incurrunt. Omnium enim providentiam habet Deus, sed disparem bonorum et malorum: bonorum enim habet directam, activam et efficacem; malorum vero et peccatorum indirectam, permissivam et punitivam. Blasphemia enim horrenda est Calvini dicentis, Deum auctorem esse operum tam malorum quam bonorum, ac consequenter Deum, ante omnem prævisionem operum, S. Petrum prædestinasse et addixisse cœlo; Judam vero reprobasse et addixisse inferno. Sapienter S. Fulgentius *ad Monimum*: « Deus, inquit, eorum non est auctor quorum est ultor.» S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 379: « Deus, ait, quorum non est auctor malus, justus est ultor.»

Igitur ut summatim dicta colligam, sapientia Dei dicitur hic discrevisse inter bonos et malos, electos et reprobos, tum quia alium cum his, alium cum illis providentiæ modum et ordinem servavit et servat; tum quia boni et electi sua præparatione et cooperatione digni sunt, qui per gratiam justificantem et gloriam a malis et reprobis secernantur; itaque eos secernendos esse judicat justissima Dei sapientia. Magis hoc patebit ex sequentibus. Deus enim electos ab æterno prædestinavit, et in tempore dat eis gratiam efficacem sive congruam, reprobis vero sufficientem, sed inefficacem et incongruam, quia, scilicet, ipsi illi nolunt cooperari, idque præviderat Deus. Gratia enim efficax est gratia prædestinationis, ideoque maximum Dei beneficium. Licet enim gratia sufficiens, sed inefficax, sit pariter magnum Dei donum, quia sæpe physice est æqualis, aut major gratia efficaci; tamen gratia efficax ob effectum et fructum, quem actu producit, in æstimatione morali longe majus est Dei beneficium, quam sit sufficiens. Sola enim efficax reipsa præstat nobis conversionem, operationem bonam, et magnum illud perseverantiæ donum, ac per illud recta et infallibiliter hominem ad salutem et gloriam æternam perducit; quorum nihil facit sufficiens duntaxat.

Gratia efficax summum Dei beneficium.

Quare pro efficaci continue cuique ardenter orandum est, utpote in qua cardo salutis omnisque boni consistat; nec enim eam bonis operibus mereri; sed orando tantum a Deo emendicare et impetrare possumus. Nam, ut ait S. Augustinus, *De Prædest. sanct.*, cap. VIII: « Hæc gratia a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, et docet ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, et dat cor carneum. Sic quippe facit filios promissionis et vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.» Idem, lib. II *De Bono persever.*, cap. XIV, epist. 107, et alibi hanc gratiam vocat altam, secretam, secundum propositum Dei, propriam prædestinatorum et electorum. Et lib. *De Spiritu et litt.*, cap. XXXIV: « Jam, inquit, si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt interim quæ respondere placeat, O altitudo divitiarum? et, Numquid iniquitas apud Deum?» Quin et Apostolus, *Rom.* IX, 16: «Non volentis, inquit, neque currentis, sed miserentis est Dei.» Gratia ergo prævenit ut domina, volun-

tas sequitur ut pedissequa, ait S. Augustinus. Unde lib. I *De Gratia et lib. arbitr.*, cap. XVI : « Certum est, inquit, nos facere cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. » Idem, lib. I *De Gratia Christi*, cap. XIV : « Nam si omnis, inquit, qui didicit venit, profecto qui non venit, nec didicit; hoc docendi modo, quo per Spiritus gratiam ita docet Deus, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat agendoque perficiat. » Hoc est quod ait Apostolus : « Deus est qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate, » *Philip.* II, *q. d.* Non ex merito nostro, sed ex suo beneplacito. Unde electi sumus, non quia eligimus, sed quia eligimur, ait S. Augustinus. Præclare S. Bernardus, *De Gratia et lib. arbitr.* : « Ipsa (gratia), ait, liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. » Oremus ergo assidue cum Ecclesia : « Largire, Domine, supplicibus tuis ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt, et te gubernante eadem faciamus. »

ET HUMILIAVIT, ET CONVERTIT (id est subvertit) ILLOS A SEPARATIONE (id est propter separationem) IPSORUM; — quia, scilicet, impii et maledicti libera sua voluntate mala separarunt se a virtute, lege et Deo, Angelis et Sanctis, ut opponatur ei quod præcessit de piis et impiis, quod, scilicet, Deus eos ad se « applicavit : » sicut τὸ *humiliavit*, vel (ut alii vertunt) *depressit*, opponitur τῷ *exaltavit*, quod præcessit. Ita Rabanus. Similitudo ergo est in eo quod, sicut Deus sua providentia secrevit dies festos a non festis, cum tamen ejusdem naturæ sint omnes : ita et homines cum sint ex eadem terra, et ex eodem parente Adamo, Deus tamen secrevit eos, alios benedicendo, exaltando et sanctificando; alios vero maledicendo, humiliando et subvertendo. Sed dissimilitudo est in eo quod homines impios et reprobandos, cum sint liberi arbitrii, permiserit labi et peccare, ac tandem ob peccata eos subvertit morte et clade tum præsenti, tum æterna; pios vero et salvandos ab impiis secreverit, vocando eos per gratiam congruam, per quam, cooperante illi libero arbitrio, sanctificarentur, et persistentes in sanctitate bearentur et glorificarentur.

Græce est, καὶ ἀνέτρεψεν αὐτούς; ἀπὸ στάσεων αὐτῶν, id est, *et subvertit eos a stationibus et sedibus*, aut a *statibus suis*. Sic et Syrus, *q. d.* Deus impios suis regnis, dignitatibus, terris et regionibus expulit, uti Chananæos expulit Chananæa, tribuens eam Hebræis. Huc enim proprie respicit. Huic lectioni et sensui accommodes Latinam Vulgatam, quæ habet : « Convertit illos a separatione ipsorum, » si *separationem* accipias separatum locum, regionem et statum, a quo Deus impios evertit et dejecit; juxta illud Deiparæ : « Deposuit potentes de sede, » *Luc.* I, 52. Vel, ut alii, *a separatione*, id est quia ipsi se a Deo separarunt ad idola et vitia; hic enim fuit status illorum. Aut certe Noster respexit ad aliud significatum græcæ vocis στάσις: hæc enim vox crebro significat seditionem, discordiam, civile bellum, factionem, qua seditiosi a magistratu et reliquis civibus se separant, imo eis bellum indicunt, novum sibi creantes caput et magistratum. Simili enim modo impii in Ecclesia et mundo seditionem concitant, ab eaque et a Deo principe suo se separant, ut idola et dæmones colant, ideoque a Deo plectuntur et subvertuntur.

13 et 14. QUASI LUTUM FIGULI IN MANU IPSIUS, PLASMARE ILLUD ET DISPONERE (id est ad plasmandum, vel ut plasmet et disponat illud pro libito; nam) OMNES VIÆ EJUS SECUNDUM DISPOSITIONEM EJUS (*q. d.* Omnes actiones et plasmationes figuli sunt secundum ejus dispositionem, græce εὐδοκίαν, id est *beneplacitum*) : SIC HOMO IN MANU ILLIUS, QUI SE FECIT, ET REDDET ILLI SECUNDUM JUDICIUM SUUM. — Tigurina : *In modum luti quod manu tenet figulus, ad nutum suum omnia instituta sua dirigit : similiter homines sunt in manu Dei creatoris sui, qui eos pro judicio suo afficit præmiis*; alii : *Ut lutum figuli, quod manu tractantem ipsum sequitur quocumque placuerit : sic homines sunt in manu factoris sui ut reddat eis secundum judicium suum*; Syrus : *Sicut lutum, quod plasmatum est per manum figuli : ita homo in manu Creatoris sui ad constitutum ejus in omnibus operibus ejus.* Vers. 13 et 14.

Primo, hæc referas ad prædestinationem et reprobationem hominum, *q. d.* Sicut lutum est in manu figuli, ut ex eo pro suo arbitrio faciat vas in honorem, puta idolum, quod adoretur; aut vas in contumeliam, puta matulam : sic pariter omnes homines sunt in manu Dei, ut quemlibet pro arbitrio suo statuat in hoc ordine providentiæ et gratiæ, vel in isto, puta in ordine prædestinationis vel reprobationis, ut fiat bonus vel malus, electus vel reprobus, beatus vel damnatus; et sic « reddit, » id est tribuit cuique « secundum judicium suum, » id est prout ipse sua sapientia faciendum esse censet et judicat. Nam, ut ait Rabanus : « In potestate auctoris et creatoris est, qualem velit condere creaturam. Unde et Deus, cum omnes ex uno atque ex eadem massa simus in substantia, et cuncti peccatores, aliis misereatur, et alios despicit; sed non tamen sine justitia. In figulo enim homine tantum est voluntas juxta liberum arbitrium; in Deo autem universorum conditore semper est justa voluntas cum omnipotentia. Unde scriptum est : Omnia quæcumque voluit, fecit. Scit enim cujus debeat misereri secundum præscientiam et prædestinationem suam, et quem descipere secundum justitiam et judicium suum; nec enim summa justitia aliquid velle aut facere potest, nisi quod omnino justum est. »

Graphice et pathetice hanc singulorum prædestinationem et reprobationem depingit S. Augusti-

nus in *Soliloq.* cap. XXVIII : « Mundas, inquit, de nobis filiis hominum, eos in quibus tibi complacuit habitare ; quos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ, semper justorum, licet occultorum, sine eorum meritis prædestinasti ante mundum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, et magnificas eos post mundum. Non omnibus autem hoc facis, quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ. Et ego, Domine, hoc considerans expavesco et obstupesco de altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo; et incomprehensibilia judicia justitiæ tuæ, quoniam ex eodem luto alia quidem facis vasa in honorem, alia vero in contumeliam sempiternam. Quos igitur tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam, quorum nomina numerumque tu nosti, qui solus numeras multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocas, qui etiam scripti sunt in libro vitæ, qui nequaquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata. Cum enim cadunt, non colliduntur, quia tu supponis manum tuam, custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex eis non conteratur. » Hæc de electis, de neglectis vero et reprobis ista subdit : « Attamen mors peccatorum pessima, illorum, inquam, quos, antequam faceres cœlum et terram, secundum abyssum multam judiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum, præscivisti ad mortem æternam; quorum dinumeratio nominum et meritorum pravorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, et dimensus es profundum abyssi, quos reliquisti in immunditiis suis; quibus omnia cooperantur in malum, et ipsa etiam oratio vertitur in peccatum, ut, si etiam usque ad cœlos ascenderint, et caput eorum nubes tetigerit, et inter sidera cœli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdantur. Magna enim sunt hæc judicia tua, Domine Deus, judex juste et fortis, qui judicas æquitatem, et inscrutabilia facis et profunda, quæ cum considero, contremiscunt omnia ossa mea. Quoniam non securatur homo vivens super terram, ut serviamus tibi pie et caste cunctis diebus vitæ nostræ in timore, et exsultemus tibi cum tremore, ut non sit servitium sine timore, neque gaudium sine tremore. »

Secundo, hæc referas ad finem et præmia bonorum et malorum, puta, electorum et reproborum, *q. d.* Deus bonos exaltat, benedicit et beat; malos vero humiliat, maledicit et sedibus suis evertit; quia utrique sunt in manu Dei, sicut lutum est in manu figuli. Quare sicut figulus ex eo potest facere hoc vas in honorem, illud in contumeliam; quia illud cuique aptum et congruum esse judicat : sic Deus malos punit, bonos vero præmiat; quia illud utriusque aptum et congruum esse judicat. Hebræum enim משפט *mispat*, id est *judicium*, significat id, quod cuique congruit aut debetur.

Favet huic sensui τὸ ἀποδοῦναι, id est *reddet*, scilicet secundum merita cujusque. Unde Tigurina vertit, *qui eos pro judicio suo afficit præmiis*. Deinde τὸ *judicium*; hoc enim, ut æquum sit, oportet ut bonos præmio, malos pœna afficiat. Rursum, quia alludit ad *Jerem.* XVIII, 6. Ubi Jeremias promittit Deum Judæos in Babylonem ob peccata abductos, si pœnituerint, inde reducturum, sicut figulus vas confractum refingit, pulchrumque et illustre efficit. Hac eadem figuli similitudine utitur Apostolus, *Rom.* IX, 21, ubi fuse de ea dixi. Quare hic plura non addam.

Notat recte Lyranus simile figuli in eo esse dissimile, quod figulus intendat facere vasa non tantum nobilia, sed et ignobilia, v. g. matulas, ut serviant vilibus hominum operibus et necessitatibus : at vero Deus non intendit facere nisi vas in honorem, id est justum et sanctum, qui beatur; nam mala culpæ velle nequit. Cum ergo mali culpæ auctor esse non possit, per consequens auctor damnationis alicui esse nequit; hæc enim non est aliud quam pœna culpæ. Igitur voluntate sua antecedente sibique propria, id est quantum in se est, Deus cupit et intendit omnes salvare, I *Timoth.* II, sed voluntate consequente, quia, scilicet, videt impios peccare, in eoque usque ad mortem perseverare, vult eos punire et damnare : Deus enim culpæ non est auctor, sed justus ordinator; quia dedecus culpæ punit per decorem justitiæ, et, ut docet S. Augustinus, *Enchir.* cap. C. Deus adeo est omnipotens et bonus, ut non sineret mala fieri, nisi ex eis eliceret majora bona : « Nec sineret bonus, inquit, fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. » Et sic permittit in orbe malos cum bonis, tam in subditis quam in prælatis, usque ad diem judicii, in quo hos ab illis separabit in æternum. Præclare Boetius, lib. IV *De Consol.* : « Sola, ait, est divina vis, cui mala quoque bona sint, cum eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum. »

15. CONTRA MALUM BONUM EST, ET CONTRA MORTEM VITA : SIC ET CONTRA VIRUM JUSTUM PECCATOR. ET SIC INTUERE IN OMNIA OPERA ALTISSIMI. DUO ET DUO, ET UNUM CONTRA UNUM. — Ita Romani cæterique codices emendati; perperam ergo nonnulli legunt, *duo contra duo* : falsum enim est in omnibus operibus Dei inveniri duo contra duo, seu duo duobus opposita. Unde Græca clare habent : δύο δύο, ἓν κατέναντι τοῦ ἑνός, id est *bina bina, unum contra unum*, uti legunt S. Augustinus et Isidorus mox citandi. Unde Tigurina clare vertit : *Contrarium malo bonum, contrariaque morti vita est; sic oppositus sceleroso est pius, et adversus pium sceleratus : ita et in omnibus operibus Altissimi bina quæque videas, quorum unum repugnat alteri*; Syrus : *In omnibus operibus contra malum creatum est bonum, et contra mortem creata est vita, et contra lucem creata* Vers. 15.

sunt tenebræ : ita manifestavit Deus opera sua omnia bina bina, unum contra unum.

Cur Deus hos eligit, illos reprobat? Causa prima. Dat causam, cur Deus ex hominibus alios, puta pios, elegerit, benedixerit et sanctificarit : alios, puta impios, in massa perdita reliquerit, maledixerit et everterit; scilicet *primo*, ut pii oppositi essent impiis, ac pietas superaret impietatem.

Secunda. *Secundo,* ut homines videntes impii et impietatis dedecus, perspicerent quantum esset pii et pietatis decus, dignitas et pulchritudo : sicut albedinis vis et splendor magis cognoscitur, si illi opponatur nigredo; ac cibi dulcis sapor magis gustatur, si gustetur simul cibi amari acerbitas.

Tertia. *Tertio,* ut in bonis et electis Deus ostenderet divitias suæ bonitatis et gratiæ; in malis vero et reprobis rigorem suæ severitatis, justitiæ et vindictæ, ut docet Apostolus, *Rom.* IX, 22 et 23. Sicut ergo Deus malo opposuit bonum, et morti vitam, tum ut a bono vinceretur malum, et a vita mors; tum ut boni et vitæ species, collata turpitudini mali et mortis, magis appareret magisque æstimaretur; tum ut Dei potestas et majestas in hac contrapositione rerum magis resplenderet : sic pariter iisdem de causis Deus justis opposuit peccatores, iisdem de causis in cæteris operibus fecit « duo et duo, » id est bina, quorum unum opponitur alteri, *q. d.* Non tantum in bonis et malis hominibus, electis et reprobis, cernitur hæc contrarietas et contrapositio, sed et passim in aliis quibusque in toto universo, idque ad decorem et varietatem et plenitudinem universi.

Quarta. Cujus rei præter tres causas jam datas *quarta* addi potest, scilicet, ut in hac contrariorum compositione et consociatione eluceat mira Dei sapientia, quæ res plane dissonas et oppositas ita conjungit et combinat, ut non contrariæ et dissonæ, sed consonæ et connaturales videantur, adeoque unum sine alio sibi opposito esse et subsistere nequeat. Sic corpus quodlibet mixtum componitur ex quatuor elementis contrariis, et inter se pugnantibus. Sic et totus orbis conflatur ex quatuor elementis, inter quæ ignis pugnat contra aquam, aer contra terram. Sic aqua, id est humidum, pingue et subtile, alit ignem sibi contrarium, ait Aristoteles, lib. III *De Anima.* Sic materia, forma, et privatio, formæ opposita, sunt tria prima physices et cujusque rei naturalis principia. Sic album fit ex nigro; musicus fit ex non musico, ait Aristoteles, lib. I *Physic.* Sic musices decor et delectatio consurgit ex dissonarum vocum consonantia et concordia. Sic theriaca maxime salutifera conficitur ex carnibus viperæ plane venenatæ, adeoque pharmaca præstantissima fiunt ex rebus venenatis, inter se congrua commixtione refractis et contemperatis. Sic ex cineribus obscuris bitumini mixtis, vi ignis conflatur vitrum perspicuum et pellucidum. Sic homo (imo quodlibet animal) componitur ex corpore et anima sive spiritu, qui est incorporeus.

Hinc sapienter S. Augustinus, lib. XI *De Civit. Dei,* cap. XXII, et lib. III *De Genesi ad litter.* cap. XVII, docet animalia quoque noxia plura homini afferre commoda, quia ipsum, inquit, « aut pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent. » Qua de re vide plura apud S. Hieronymum, lib. II *Contra Jovin.*, S. Ambrosium, lib. III *Hexam.* cap. VI, Lactantium, lib. VI, cap. IV, quin et Ciceronem, lib. II *De Natura deorum.* Quin et malum culpæ cedere in bonum hominis et universi, docet idem S. Augustinus, lib. III *De Lib. arbitr.* cap. IX, tum quia virtus comparata vitio splendescit magis, tum quia malum culpæ emendatur bono pœnæ, tum quia in pœnitentibus commendat hominis pœnitentiam, et Dei illud condonantis misericordiam. Vide S. Augustinum, *Enchir.* cap. XI, et Lactantium, lib. *De Ira Dei,* cap. XIII, et S. Isidorum, lib. *De Summo bono,* cap. XI.

Animalia noxia hominum sunt commoda.

Vide hic, mirare et reverere omnipotentiam et magnificentiam Dei Creatoris in naturis adeo oppositis, et ex diametro contrariis. Deus enim mirabili sua sapientia, potentia et providentia mali remedium posuit in ipso malo, et, ut ita dicam, vitam in ipsa morte. Hoc hominibus est paradoxum; reipsa tamen patet in serpentibus, præsertim vipera, de qua exstat hoc epigramma, imo ænigma :

Mali remedium posuit Deus in ipso malo.

Dum vivis, morior : moreris dum vipera, vivo.
Perpetuo ut vivam, perpetuo morere.

Ita veneni remedium est a veneno, viperæ a vipera, quæ in morte venenum ponit, et moriens suo veneno venenis medetur. Ergo veneno vivimus, ipsa emoriente; theriacæ enim confectio fit ex vipera, quam adinvenit Andromachus illustris medicus tempore Neronis Imperatoris, qui fuit vipera matri; eam enim occidit, sicut fœtus viperæ matris alvum nascendo erodere, itaque eam occidere perhibentur. Congruo sane omine, quod ipse quasi vipera morte venenum poneret, ejusque mors foret salus urbis et orbis, quem ipse vivens quasi vipera lethaliter sauciarat. Ita Plinius, lib. XXIX, cap. IV, scribit : « M. Varronem LXXXVIII vitæ anno prodidisse, aspidum ictus efficacissime curari hausta a percussis ipsarum urina. » Additque : « Constat contra omnium serpentium ictus, quamvis insanabiles, ipsarum serpentium exta imposita auxiliari; eosque qui aliquando viperæ jecur coctum hauserint nunquam postea feriri a serpente. Neque anguis venenatus est, nisi per mensem luna instigatus. Sed prodest vivus comprehensus, et in aqua contusus, si foveatur ita morsus. » Et inferius : « Hydri, inquit, nullis serpentium inferiores veneno. Horum jecur servatum adversus percussos ab his auxilium est. Scorpio tritus stellionum veneno adversatur. »

Et crucis in cruce. Simili modo mystice mortis nostræ remedium fuit mors Christi; hæc enim mortem moriendo occidit, et vitam nobis peperit sempiternam. Sic

enjuslibet adversitatis et crucis remedium petitur ab ipsa adversitate et cruce, præsertim Christi. Si enim cogites adversitatem exilem et brevem tibi creare coronam æternam; si cogites quanta Christus pro te pertulerit, facile tolerabis tribulationem quantumlibet gravem et molestam. Quin et peccati remedium ex ipso peccato, puta ex consideratione fœditatis et noxæ peccati, petiere S. Paulus, S. Magdalena, cæterique pœnitentes et sancti. Omitto, quod unum contrarium præsente altero vim suam intendit per antiperistasin: sic calor ignis in hieme ob circumstantiam frigoris se acuit et intendit, ac vicissim frigus in æstate per antiperistasin caloris, sicut hostis vires colligit, præsente hoste, et æmulus, præsente æmulo, ut illi resistat. Pari modo viri fideles et fortes in tentatione et adversitate vires omnes exerunt, ideoque fortiores et victores evadunt.

Antitheta universum ornant.

Ita hunc locum explicat S. Augustinus, lib. XI *De Civit Dei*, cap. XVIII: « Neque enim Deus, inquit, ullum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret. Antitheta enim, quæ appellantur, in ornamentis elocutionis sunt decentissima, quæ latine appellantur oppositа; vel quod expressius dicitur, contraposita. » Et paulo post: « Sicut ergo ista contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur. Apertissime hoc positum est in libro Ecclesiastico hoc modo: Contra malum bonum est, et contra mortem vita: sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi: bina et bina, unum contra unum. »

S. Augustinum velut magistrum sequitur S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II *Originum*, cap. XXI: « Antitheta, ait, sunt, quæ latine contraposita appellantur, quæ, dum ex adverso ponuntur, sententiæ pulchritudinem faciunt, et in ornamento locutionis decentissima existunt, ut Cicero: « Ex hac parte pudor expugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido; hinc denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia et virtutes omnes certant cum iniquitate, luxuria, ignavia, cum temeritate et cum vitiis omnibus; postremo copia cum egestate, bona ratio cum perdita; mens sana cum amentia; bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. » In hujusmodi certamine ac prælio hujusmodi locutionis ornamento liber Ecclesiasticus usus est, dicens: Contra malum bonum, et contra mortem vita: sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi: bina et bina unum contra unum. »

Unum contra unum, quid? Resp. primo.

Notat Franciscus Valesius, lib. *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXV, τὸ *unum contra unum* signficare *primo*, illud Aristotelicum: « Unum uni est contrarium; » quia duo aut plura uni non possunt esse contraria; contraria enim sunt, quæ sub eodem genere longissime distant. At vero in eodem genere non possunt plura æqualiter distare; necesse est igitur ut unum sit, quod distet longissime. Minorem multis ipse probat.

Secundo.

Secundo, τὸ *unum contra unum* non solum verum esse in iis quæ proprie vocantur contraria, sed in naturalibus etiam rerum antipathiis. Nimirum animalia non omnia cum omnibus exercent inimicitias; atque cum multa alicui videantur adversari, non tamen æque omnia illa; sed est quod adversetur præcipue cuicumque quoddam certum: velut leporem canis insectatur, non ita lupus, aut leo: neque ita canis felem, aut murem: felis murem, non ita aliud quodpiam animal. In inanimis quoque rebus perinde evenit; cum enim sint quædam antidota et simplicia et composita, quæ censentur pluribus venenis adversari, ut lapis bezahar et theriaca; tamen sunt singulis venenis singula antidota propria: quia est quod cuique peculiariter ac proprie adversetur, velut aconito ruta, opio generosum vinum, lepori marino lac. Itaque sunt quædam simpliciter antidota, quædam quorumdam, atque deteriorum generi adversatur genus alexipharmacorum, unum uni (est enim quodammodo etiam unum genus omne) cuicumque veneno suum antidotum. Porro naturalem hanc contrarietatis legem imitari videntur etiam hominum simultates et odia; quæcumque enim inter plurimos, sive in una domo, sive in civitate, sive in regno, sive etiam inter multa regna oriantur dissidia; mox omnes, ad quos illorum causa utcumque pertinet, feruntur in duas factiones; adeo divisioni accommodatus numerus est dualitas. Itaque videntur odia omnia, sive naturalia, sive voluntaria exerceri per binarios, ut necesse sit unum esse contra unum, duo contra duo, et ita deinceps. Habent vero hæc omnia causam non valde dissidentem a priori, nimirum, unum quiddam esse semper id secundum quod aversari contingat; secundum unum vero non posse distare longissime, nisi duo.

Tertio.

Tertio, τὸ *unum contra unum* significare quoque rerum ἰσονομίαν, id est *æquabilem tributionem* sive æquilibritatem. Annotavit enim Epicurus non inepte eam esse naturam rerum, ut omnia omnibus, paribus paria respondeant, et similia similibus, et contraria contrariis et opposita; ita ut in omnibus et singulis servetur æqualitas et respondentia quædam; velut totidem esse quæ conservent, et quæ interimant; atque corporeorum et corpore carentium, mortalium et immortalium, et aliorum omnium quæ secundum oppositionem dicuntur esse quamdam æquabilitatem. Quam

Galenus quoque in membris hominis, quæ secundum opposita latera sita sunt, dextram dico et sinistram partem animadvertit, mirumque in modum celebravit, *justitiam naturæ* appellans. Nimirum nulla pars est in ullo laterum, cui non in altero sit opposita æqualis altera. Nam, aut geminæ sunt, estque altera in altero latere opposita, æquabilitatem etiam situs observans, ut oculi, aures, narium foramina, renes, testes, manusque et crura et eorum digiti; aut simplices, eæque in medio sitæ, ut cerebrum, cor, pulmo, ventriculus, vesica et uterus; inter externas, frons, os et colis : aut secundum latera contrapositæ ad æqualitatem, ut hepati opponitur lien. Hæc Valesius.

Jam si in naturalibus videmus et patimur hasce oppositiones et contrapositiones, utpote quas Deus instituit ad bonum et complementum rei cujusque, et totius universi; quidni patiemur easdem in moralibus, puta in diversis et oppositis æmulorum judiciis, voluntatibus, conatibus, disputationibus, certaminibus? Athletæ Dei sumus, pugiles, palæstritæ et stadiodromi in hac mundi palæstra.

Rerum contrariis constat æternitas.

Ad hoc acres addit stimulos illud Senecæ, *epist.* 107, imo Siracidis hoc loco paradoxum : « Rerum contrariis constat æternitas. Imperetur æquitas animo, ait Seneca, et sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit, algendum est; æstas calores refert, æstuandum est; intemperies cœli valetudinem tentat, ægrotandum est. Et fera nobis loco occurret, et homo perniciosior feris omnibus. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus. Id possumus, magnum sumere animum et viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, et naturæ consentiamus. Natura autem hoc quod vides regnum, mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt; turbantur maria cum quieverunt; flant invicem venti; noctem dies sequitur; pars cœli consurgit, pars mergitur. Contrariis rerum æternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est, hanc sequatur, huic pareat, et quæcumque fiunt, debuisse fieri putet, ne velit objurgare naturam. Optimum est pati quod emendare non possis; et Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. » Et nonnullis interjectis, sic Deum nos affari et orare docet :

« Duc me, parens, celsique dominator poli,
Quocumque placuit, nulla parendi mora est.
Assum impiger. Fac nolle, comitabor gemens :
Malusque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

« Sic vivamus, sic loquamur, paratos nos invenlat atque impigros fatum. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus ac degener, qui obluctatur et de ordine mundi male existimat, et emendare mavult deos quam se. »

Ejus origo in Deo.

Denique hujus ἰσονομίας, oppositionis et contrapositionis fons et origo est ipsa SS. Trinitas; in ea enim Pater Filio relative opponitur et contraponitur, ac Spiritus Sanctus Patri et Filio; sicut enim ex Patre « omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, » ut ait Apostolus, *Ephes.* III, 15 : sic et a Filio omnis filiatio, et a Spiritu Sancto omnis amor et processio. Sicut ergo summa oppositio personarum SS. Trinitatis desinit et coit in summam unitatem et identitatem essentiæ divinæ : sic omnis nostra oppositio coeat in unitatem concordiæ et charitatis.

Vers. 16 et 17.

16 et 17. ET EGO NOVISSIMUS EVIGILAVI, ET QUASI QUI COLLIGIT ACINOS POST VINDEMIATORES. IN BENEDICTIONE DEI ET IPSE SPERAVI (græce ἐφθασα, quod alii vertunt, *assecutus sum id quod facere contendi;* alii, *præoccupavi* vel *anteverti*) : ET QUASI QUI VINDEMIAT, REPLEVI TORCULAR. — Perperam aliqui legunt, *et ipse spe speravi.* Delendum est enim τ' *spe*, uti monent Romani in erratis præli.

Inserit hæc de se Siracides, clausurus præcedentes sententias, et inchoaturus sequentes, ut ad eas conciliet sibi attentionem lectorum per auctoritatem Dei, qui illi benedixit, eumque excitavit ad eas scribendas, *q. d.* Inter eos, quos vers. 12, dixi Deum benedixisse, sibique selegisse et sanctificasse, ego sum unus, et in meo genere ultimus. Nam ego post omnes prophetas et scriptores hagiographos, qui prophetare et scribere destiterunt in captivitate Babylonica, post longum eorum silentium et quasi somnum trecentorum annorum evigilavi, excitante me Deo ad scribendum has parabolas sacras. Verum ex humilitate nolo me illis æquare, sed illos mihi antepono; illi enim fuerunt quasi vindemiatores, qui uberem sapientiæ doctrinam quasi plenam uvarum vindemiam in Ecclesiam intulerunt; ego vero censeo me esse quasi racematorem, qui post vindemiam acinos pauculos relictos scrutatur et colligit : pari enim modo et ego sententias a priscis sapientibus et scriptoribus prætermissas scrutatus sum, et in hunc librum collegi; sed ecce Deus huic humilitati meæ et labori benedixit, fecitque ut, quia in benedictione ejus speravi, racematio mea excreverit in vindemiam, quæ « torcular » impleverit, hoc est, ut multas præclaras de qualibet virtute et vitio sententias copiose conscripserim, ex quibus vinum salutaris sapientiæ mentem irrigans et inebrians a lectoribus facile exprimi, et abunde hauriri possit. Unde pro *quasi qui colligit acinos*, græce est ὡς καλαμῶμενος, id est, ut calamos vel spicas post messem colligens, sive *spicilegus;* sed per catachresin *spicilegus* sumitur pro racematore, qui post vindemiam colligit paucas uvas reliquas, quæ vindemiatorum oculos et manus fugerunt, *q. d.* Ego cogitabam esse duntaxat sapientiæ spicilegus; sed Deo mihi benedicente factus quasi vindemiator replevi torcular, id est librum ingentem conscripsi plurimis sententiis, velut uvis congestis confertum, ad

dum sapientiæ inde exprimendum et propinandum tam præsentibus, quam futuris fidelibus; præsertim Christianis. Unde Tigurina vertit : *Novissimus autem ego evigilavi, ut tanquam racemator properarem post vindemiatores, bene fortunante Domino, et quasi vindemia torcular implerem*; alii paulo aliter legentes in Græco juxta emendationem Romanam sic vertunt : *Et ego ultimus evigilavi, et possedi eos, ut ab initio, ut qui racemos colligit post vindemiatores, benedictione Domini assecutus sum quod volui, et, ut vindemiator, replevi locum torcularis*; Syrus : *Etiam ego novissime veni sicut racemator post vindemiatores, et in bonis Dei ego steti, et sicut vindemiator replevi torcular meum.* Dicit ergo Siracides se ultimum fuisse hagiographum scriptorem, qui S. Scripturæ Veteris Testamenti quasi colophonem et coronidem imposuerit, ut ipsa jam plena sit, et abundans omni vino sapientiæ, præsertim ethicæ ad mores conformandos. Licet enim paulo post Ecclesiasticum scripti sint libri Machabæorum, tamen hi non censentur inter *ketubim*, id est inter hagiographos, sed inter historicos. Adde illos ab Hebræis non haberi in canone S. Scripturæ, nec ab eis censeri canonicos. Simili modo S. Paulus, I *Corinth.* XV, 8, vocat se novissimum Apostolorum, imo abortivum; ipse tamen quasi vindemiator replevit torcular Ecclesiæ omni genere doctrinæ christianæ.

Nota : Τὸ *evigilavi* significat doctores et scriptores sacros dari mundo in nocte errorum et vitiorum versanti, ut ipsi ex ea Deo excitante evigilantes, excitent et alios ad studium sapientiæ. Unde ipsi sunt similes lucifero, sive stellæ Veneris, quæ post noctem in aurora oritur, solemque mundo adducit; sic enim ipsi Christum, qui est sol justitiæ, orbi adducunt, ejusque sunt quasi prodromi et luciferi. Hinc S. Petrus, *epist.* II, cap. I, vers. 19 : « Habemus, ait, firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. » Hinc et S. Gregorius, lib. IX *Moral.* cap. VII, explicans illud *Job* IX : « Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora Austri » : per *Oriona* intelligit martyres, per *Hiadas* doctores, qui martyribus successerunt; Orion enim in hieme, Hyades vero post hiemem initio veris oriuntur, et quasi evigilant. « Qui ita, inquit, post Oriona Hyadum nomine, nisi doctores sanctæ Ecclesiæ designantur? qui subductis martyribus eo jam tempore ad mundi notitiam venerunt, quo fides clarius elucet, et repressa infidelitatis hieme altius per corda fidelium sol veritatis calet : qui remota tempestate persecutionis, expletis longis noctibus infidelitatis, tunc sanctæ Ecclesiæ exorti sunt, cum ei jam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur. Nec immerito doctores sancti Hyadum nuncupatione signantur; græco quippe eloquio hyetos pluvia vocatur, et Hyades nomen a pluviis acceperunt : quia ortæ procul dubio imbres ferunt. Bene ergo Hyadum appellatione expressi sunt, qui ad statum universalis Ecclesiæ quasi in cœli faciem deducti, super arentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbres fuderunt. » Et paulo post : « Dum ergo Hyades cum pluviis veniunt, ad cœli spatia altiora sol ducitur : quia apparente doctorum scientia, dum mens nostra imbre prædicationis infunditur, fidei calor augetur : at perfusa terra ad fructum proficit, cum lumen ætheris agnoscit : quia uberius frugem boni operis reddimus, dum per sacræ eruditionis flammam in corde clarius ardemus : dumque per eos diebus singulis magis magisque scientia cœlestis ostenditur, quasi interni nobis luminis vernum tempus aperitur; ut novus sol nostris mentibus rutilet, et eorum verbis nobis cognitus seipso quotidie clarior micet : urgente etenim mundi fine superna scientia proficit, et largius cum tempore excrescit. »

Doctores sunt hyacur?

18. RESPICITE QUONIAM NON MIHI SOLI LABORAVI, SED OMNIBUS EXQUIRENTIBUS DISCIPLINAM. — Græce παίδειαν, id est, ut Tigurina, *eruditionem* et institutionem morum ad formandos juvenes. Doctor enim non sibi tantum, sed et discipulis studet; ac dum eos docet, seipsum docet. Iterat sententiam positam cap. XXIV, vers. 47, ubi eam explicavi. Vers. 18.

19. AUDITE ME, MAGNATES ET OMNES POPULI; ET RECTORES ECCLESIÆ, AURIBUS PERCIPITE. — Rectorum enim est subditos hæc morum præcepta verbo et exemplo docere. Quare qui rectorem, principem vel regem docet et format, omnes ejus subditos totamque rempublicam vel regnum docet, componit et efformat : ut quis ergo rempublicam reformet, reformanda ei primum sunt illius capita. Ita S. Franciscus Xaverius Sinas conversurus regem ipsum tentavit, ad eumque legatum a Prorege Indiæ mitti se petiit : eo enim converso, totum Sinarum regnum convertetur. Hinc græce non est τὸ *et omnes populi*. Unde Tigurina : *Audite me, proceres populi, et principes cœtuum, aurem advertite*; et Syrus : *Audite me, principes populi, et magnates Ecclesiæ, auscultate me.* Nota : In Græcis Romæ emendatis deinceps alius plane est capitum ordo : nam quæ hactenus dicta sunt hoc cap. XXXIII, in Græcis Romanis exstant cap. XXXVI; quæ vere hoc cap. in Latinis sequuntur de filiis et servis, in Græcis Romanis exstant cap. XXX. Latinis tamen in ordine consentiunt Græci Complutenses. Vers. 19.

TERTIA PARS CAPITIS.

MONET NE QUIS BONA CEDAT FILIIS VEL AMICIS ANTE MORTEM.

Vers. 20. 20. FILIO ET MULIERI, FRATRI ET AMICO, NON DES POTESTATEM SUPER TE IN VITA TUA : ET NON DEDERIS ALII POSSESSIONEM TUAM : NE FORTE POENITEAT TE, ET DEPRECERIS PRO ILLIS, — repetendis et reposcendis. Unde Tigurina, *ut ne pœnitentia ductus supplex eamdem repetas*; alii, *ne tibi pœnitenti sit pro eis supplicandum*; Syrus : *Filio et mulieri, et fratri et amico ne dederis potestatem supra te in vita tua, donec vivis et spiritus est in te.* Pro *mulieri* græce est γυναικὶ : quod tum uxorem, tum mulierem quamlibet significat. Igitur suadet *primo*, ne uxori, et multo minus concubinæ, aut cuivis alteri mulieri, potestas detur, ut vir eam sinat regere sibique dominari : nam mulieris imperium in virum contra naturam est, ejusque a Deo institutionem, *Genes.* III, 16, ideoque indecens, inordinatum, impotens et intolerabile.

Rursum, ne vir mulieri nimis multa et magna committat aut permittat : hæc enim postea ei adimere, vel restringere ægre poterit; sicut servitus in agris, v. g. via et semita transeundi per agrum semel inducta, exeri et tolli nequit. Nam, ut ait Comicus : « Ætate et usu beneficium fit debitum. » Unde Symmachus in relatione habita nomine senatus ad Imperatorem : « Semel honori Urbis delata compendia desinunt esse tribuentium : et quod a principio beneficium fuit, usu atque ætate fit debitum. » Theodoricus rex, apud Cassiodorum, lib. III, *epist.* 39 : « Quapropter, ait, illustris magnitudo tua a Mediolanensibus aurigis nos aditos esse cognoscat, illa sibi vestris temporibus fuisse subtracta, quæ mos priscus indulserat, cum præstante tempore munificentia sit pro lege. Proinde si nullo mendacio adserta vitiantur, sublimitatem vestram sequi convenit vetustatem, qua suo quodam privilegio, velut debita, quæ donantur, exposcit. »

Ætate beneficium fit debitum

Secundo, ne detur et resignetur ei possessio et hæreditas; per illam enim plenam heri et familiæ gubernationem et potestatem accipit, vel invadit et occupat. Idem vetat filio, fratri et amico. Causam subdit : « Ne forte pœniteat te, et depreceris pro illis, » *q. d.* Utique facti et donationis te pœnitebit : quia cogeris eis fieri supplex, eosque precari, ut tibi ea quæ ad victum et vestitum necessaria sunt, præstent, qui prius ab iis supplicibus honorabaris et rogabaris. Huic sententiæ Siracidis antistropha est illa Arabum, *Centur.* II, num. 94 : « Ne sis canis amicorum tuorum. » Canis enim ad mensam heri emendicat. Et illa, *Centur.* I, num. 34 : « Ne sis equus amico tuo, ne cadas. » Qui enim se nimis amico subjicit, ejus fit jumentum, suique contemptum, inopiam oneraque gravia sibi conciliat. Quocirca prudens est sapientis consilium : « Raro amicum accedito, ne tui satur factus te oderit. » Quod secutus S. Gregorius Nazianzenus raro Theodosium Imperatorem ejusque aulicos sibi amicos accedebat, ut habet ejus Vita. Denique nunquam potestas danda est amico tanta, ut amicum ad peccatum impellat vel cogat. Unde Pericles, teste Plutarcho in ejus Vita, rogatus ab amico, ut ejus causa falsum pejeraret, cordate respondit : « Se usque ad aras amicum esse. » Et P. Rutilius amico cuidam per indignationem quærenti : « Quid mihi est opus amicitia tua, si quæ rogo non facis? » respondit : « Imo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum? » Ita Valerius Maximus, lib. VI, cap. IV.

Ne des amico tui potestatem unquam.

Hoc præceptum cuilibet viro prudenti, sed maxime rectori, prælato, principi et regi servandum. Hic enim, si quem sibi dominari permittat, utique nomine tenus duntaxat rex erit, nec reget, sed regetur ab eo : unde fiet, ut libertatem perdat, et subditorum invidiam odiaque sibi conciliet, ac respublica male administretur ab eo, qui non communia reipublicæ, sed privata sua lucra quærit et ambit. Porro multi sunt, qui in principum animos sese insinuant, ut tandem habenas imperii nancisci, ac principibus dominari queant. Tales sunt maxime ambitiosi et politici, qui se suosque evehere student, ideoque per fas et nefas ad hoc contendunt. Quare subinde dum humana præsidia deficiunt, diabolica quærunt, ac per artes magicas et philtra principes incantant, ut ipsi quasi mente capti omnia eorum dicta factaque probent, atque ab eis eorumque consiliis, etiam pravis et noxiis, toti pendeant, et avelli nequeant : quin et eos ex imo in summas dignitates et prælaturas evehant, vel evehi curent; ut illis tecti gradu dejici, deprimi et puniri nequeant. Atque hæc est impiorum et diaboli fraus, qua reges et regna perdere satagit. Cum enim politicus impius regit, impietas regit; cum hæreticus vel atheus imperat, hæresis et atheismus imperat; cum magus dominatur, dominatur diabolus, qui mago præsidet, quemque magus adorat et invocat, imo qui se suosque devovit et obstrinxit. Ipse ergo per eos quasi harpyias suas rempublicam expilat, depravat et subvertit. Verum Deus, qui has eorum artes impias videt, tandem sternit perditque eos, ac efficit ut infames vivant, et infami morte, eaque sæpe violenta trucidentur, idque ab illis ipsis principibus, quibus in deliciis fuerant, uti periit Achitophel per Davidem, Aman per Assuerum, Sejanus per Tiberium, Ablavius per Constantium, Eutropius per Arcadium, et alii plurimi etiam nostro

Reges ne cui dent sui potestatem: cur?

hoc sæculo. Quin et diabolus ex pacto eorum animas et corpora possidens, actus odio immani, quo in Deum, ejusque creaturas, ac præsertim in homines universos flagrat, eos decipere, et in infamem ruinam mox callide præcipitare solet : uti hoc sæculo variis locis sæpius factum vidimus, et in dies videmus. Caveant ergo a talibus principes, neminemque eorum sibi imperare et dominari permittant, nisi certam sui suorumque perniciem exspectare et spectare velint. Consiliarios vero sibi adsciscant eos solos, quos certo sciunt orthodoxos et probos esse, ac integræ famæ et vitæ, nec suis, sed principis et reipublicæ commodis studere : neque facile uni se credant, sed plures audiant et sequantur.

Reges decet regere, non regi.

Ita Alfonsus Aragonum rex, regum gloria, et sapientiæ exemplar, perabsurdum sibi videri dicebat, reges ab aliis regi, et duces ab aliis duci. Notabatque principes et magnates, qui cum imperii et principatus titulos sibi vendicent, alieno tamen consilio reguntur, etiam nolentes : quo fit, ut sæpe cum magno reipublicæ incommodo alienis oculis videant, alienis auribus audiant, alienis linguis loquantur. Et sic nihil minus sunt quam Imperatores, qui a consiliariorum arbitrio ita pendent, ut plane horum sint mancipia. Ita refert Panormitanus, lib. II *De Gestis Alfonsi.*

Vers. 21. 21. DUM ADHUC SUPERES ET ASPIRAS, NON IMMUTABIT TE OMNIS CARO,— *q. d.* Dum vivis et es superstes, dum spiritus vitalis in te est, fac ut non immutet te tuumque animum, scilicet ab eo, quod te proxime docui, « omnis caro, » id est omnis homo, *q. d.* Nec frater, nec filius, nec ullus homo tuum sensum invertat, ut contra quam monui, aliis te substernas, ac bona tua illis in vita cedas. Græca jam habent, μὴ ἀλλάξῃς σεαυτὸν πάσῃ σάρκι, id est, *non alienes*, vel *non emancipes teipsum omni carni*, hoc est nulli homini te subjicias ; alii, *non permutes teipsum cum ullo homine* ; Tigurina : *Dum vivis, et spiritus ullus tibi supererit, ne te cuiquam mortalium emancipes* ; Syrus : *Donec vivis et spiritus est in te, ne des potestatem super te omni carni.* Noster legit, μὴ ἀλλάξῃ σε πᾶσα σάρξ, id est *non immutabit*, vel *non immutet te omnis caro.* Rationem subdit, dicens :

Vers. 22. 22. MELIUS EST ENIM UT FILII TUI TE ROGENT, QUAM TE RESPICERE IN MANUS FILIORUM TUORUM, — *q. d.* Satius tibi est, ut filii pendeant a te, quam tu a filiis : ut ipsi postulent necessaria a te, quam tu ab ipsis. Filii enim intenti ut se suamque familiam alant et augeant, facile obliviscuntur parentum, ac sæpe unus in alium curam eorum transcribit. Unde Complutensia habent : *Præstat filios indigere tui, quam te aspicere ad manus filiorum tuorum* : sicut respiciunt canes famelici ad manus heri, ut is ossa sua ipsis projiciat, hoc est, ut alii vertunt, præstat illos tibi supplicare et mendicare, quam te ipsis. Syrus : *Ne des aliis divitias tuas, ut exigas et quæras ab eis : quia melius est ut petant a te filii tui, quam ut tu petas ab eis.* Idem monitum Æsopus mythologorum princeps dedit Enno filio suo : « Quotidie, inquit, in diem crastinum reconde : melius enim mortuum inimicis reliuquere, quam viventem amicorum indigere. » Ita Planudes in *Vita Æsopi.*

Nota est historia patris, qui cum omnia sua in filios distribuisset, ab omnibus desertus et inops factus, hac arte a filiis alimoniam extorsit : cistam implevit lapidibus, finxitque in ea se reposuisse thesaurum ingentem : quare ut ejus hæres institueretur, quisque filius parentem donis et beneficiis sibi devincire satagebat. Ita laute vixit parens, et fraudem fraude delusit. Eo enim mortuo filii studiose scrutantes cistam, in ea nil nisi lapides repererunt.

Vers. 23 et 24. 23 et 24. IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS PRÆCELLENS ESTO. NE DEDERIS MACULAM IN GLORIA TUA.— Ita Romana, licet alii legant *in gloriam tuam* ; Syrus, *in honore tuo* ; alii : *Ne imponas labem gloriæ tuæ* ; Tigurina : *In omnibus negotiis tuis teneas principatum, ut ne famæ tuæ maculam imprimas.* Unde Lyranus, Palacius, Jansenius et alii *primo,* hunc appositum et genuinum dant sensum : In omnibus negotiis vitæ tuæ esto rerum tuarum dominus, ut tibi alii, non tu aliis subjiciaris, ne hanc dominii gloriam obnubiles per maculam vel inopiæ, qua cogaris ab aliis turpiter mendicare, quæ prior ipsis dedisti ; vel imprudentiæ, quod tua aliis dederis, quasi ipse non potueris ea prudenter administrare, quodque eos tibi dominari permiseris, et te eorum quasi servum effeceris. Parentibus enim rerum suarum prodigis, vel delirantibus, solet a magistratu bonis interdici, eorumque administratio in filios vel curatores transferri.

Unde Rabanus ex S. Gregorio, more suo hæc mystice adaptans pastoribus, principibus et prælatis : « Hæc omnis ratio, inquit, et patres historialiter docet, quomodo filiis suis rite præsint, et cum disciplina illos nutriant, quousque ad perfectam ætatem venerint, ut digni hæredes parentum suorum post discessum illorum possint existere : et rectores Ecclesiæ spiritaliter instruit, ut dignitatem ordinis sui cum auctoritate rationabili, et justo moderamine usque ad finem teneant : et sic bene enutritos discipulos, utiles hæredes sui laboris relinquant. Deinde docet, quomodo in vitæ instituto se æquales subditis exhibere, et tamen a peccantibus zelo ultionis anteferre debeant. Qua occasione subdit aureum pro prælatorum vita documentum, dicens : Solerter quippe intuendum, ne, dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis : et dum Prælatus quisque plus se quam decet dejicit, subditorum vitam stringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneant ergo rectores exterius, quod pro aliorum utilitate suscipiunt : servent interius, quod de sua æstimatione pertimescunt : sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se humiles etiam subjecti deprehen-

dant, quatenus et in auctoritate eorum, quod ordinent, videant, et de humilitate, quod imitentur, agnoscant. Studeant igitur sine intermissione qui præsunt, ut eorum potentia quanto magna exterius cernitur, tanto apud eos interius deprimatur : ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Inter hypocritas enim jure deputatur, qui ex similitudine disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis : et tamen nonnunquam gravius delinquitur, si inter perversos plus æqualitas quam disciplina custoditur. Quia enim falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Proinde rectores et magistri Ecclesiæ rite ordinem suum teneant, et cum disciplina subditos sibi regant atque custodiant; ut dum bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirant, et regnum æternum pro bonis meritis Christo tribuente in fine vitæ suscipiant. »

Secundo, potest hæc sententia cum Jansenio generalius accipi, *q. d.* In omnibus quæ agis, « præcellentem, » id est præcipuum et quasi choragum, magistrum et dominum te præsta, nec aliis committas quæ gerenda sunt, ita ut ipsi operum sint duces, et eorum arbitrio omnia geras.

Tertio, proprie et amplissime, ut sonat, hæc sententia accipi potest. Græcum enim ὑπεράγων, idem est quod superans, excellens, eximius, *q. d.* In omnibus operibus tuis esto excellens et eximius, ut omnia etiam minima facias exacte, perfecte et eximie, ut ne vel in minimo ob gratiam vel metum hominum a recto et perfecto devies; sed timori, gratiæ cæterisque passionibus dominans, sequaris et facias id in qualibet re, quod honestius, sanctius, excellentius, Deoque gratius est. Quare esto eximius in prudenter administrandis bonis tuis (hujus enim occasione et respectu hanc sententiam generalem hic intexit, illique adaptat Siracides), nec cedas filiorum vel amicorum precibus vel minis, ut bona tua eis cedas ante mortem; aut aliud quid simile minus te dignum, vile vel abjectum committas. Similiter fac excellenter et eximie cætera opera tua, ut, si doceas, excellenter doceas : si studeas, excellenter studeas; si concioneris, excellenter concioneris; si ores, excellenter ores; si comedas, ita sobrie, decenter et eximie comedas, ut hominibus cæteris præstare videaris, uti nostra ætate fecit Gregorius XIII Pontifex, et ita de cæteris.

NE DEDERIS MACULAM IN GLORIA TUA, — ut operi, quod excellenter fecisti aut facis, admisceas aliquid minus decens vel probum, quod illud commaculet vel dedecoret, sicut Salomon, qui in juventute eximius fuit in sapientia omnique virtute regali; in senectute vero per mulieres seductus desipuit, et idola colens magnam dedit maculam in gloria sua, *Eccli.* cap. XLVII, 22.

Ex adverso Eleazarus senex maluit mori quam comedere carnem porcinam lege vetitam : « Ne per hoc, ait, maculam atque exsecrationem meæ senectuti conquiram, » II *Machab.* VI, 25. Hoc est quod orat regius Psaltes, *Psalm.* L : « Redde mihi lætitiam salutaris tui (S. Hieronymus : *Jesu tui*), et spiritu principali confirma me. » « Principali, » id est præcipuo, primario; S. Hieronymus, « potenti; » hebræum נדיבה *nediba*; græce, ἡγεμονικῷ; id est *primo*, spiritu principe, qui principem et regem decet, qualis erat David; *secundo*, spiritu, qui quasi princeps in animo principetur et dominetur libidini, vitiis et concupiscentiis : ita S. Hieronymus; *tertio*, qui me præveniens quasi princeps præeat omnes actiones meas, easque faciat eximias, principes et regias. Potest *quarto*, *nediba* cum Tigurina verti *voluntario*, spontaneo, liberali, benefico, qui scilicet suis donis me efficiat libere ac sponte ire, imo currere viam Domini, liberalem esse in omnes, Deo per omnia plene obedire, tentationibus alacriter resistere, crucem quamlibet fortiter sustinere. Symbolice S. Hieronymus : Spiritus principalis, inquit, est Deus Pater, Spiritus rectus est Deus Filius, Spiritus sanctus est ipse Spiritus Sanctus. Melius S. Gregorius, in *Psal.* L : Spiritus Sanctus (inquit) est principalis, est rectus, est sanctus. Hic est, qui nos impellit et elevat, ut faciamus opera excellentia, heroica, et quæ naturam communemque aliorum Sanctorum mensuram superant. Unde quoties Samson facturus erat opus aliquod excellens fortitudinis, præmittitur : « Irruit spiritus Domini in Samson, » ut patet *Judic.* XIV, 6 et 19, et XV, 14. Hic ergo Spiritus Sanctus assidue invocandus est illi qui heroica vult edere virtutum opera.

Spiritus principalis quadruplex.

Huic sententiæ convenit illa cap. XXXI, vers. 27 : « In omnibus operibus tuis esto velox, » græce ἐντρεχής, id est *strenuus, agilis, acer*, « et omnis infirmitas non occurret tibi. » Quam sententiam in se generalem Siracides adaptat convivlis, ut in iis conviva velociter et resolute congruo tempore surgat, domumque abeat : sicut hic τὸ *in omnibus operibus tuis præcellens esto*, adaptat administrationi bonorum.

Modum excellenter faciendi singula opera suggerit noster Ludovicus de Puente, *De Christ. perfect.* tract. IV, cap. XV, nimirum si singulis addas sex alas Seraphim, quibus evolent in cœlum, quæ sunt : « memoria præsentiæ Dei » ubique existentis, et quid cogites, loquaris aut facias aspicientis; « pura majoris ipsius gloriæ intentio, » studendo in omnibus quæ facis illi placere, ejusque divinam voluntatem semper exsequi, eo quod sit summe bonus; « oratio, » quæ tuis operibus det initium, eaque comitetur petendo divinum auxilium, ut cum ea perfectione quam ipse præcipit ac consulit, ea exsequaris; « fiducia in Deum, » a quo omne bonum tuum dependet, de cujus omnipotentia speres quod adjuvabit tuam imbecillitatem; de ejus misericordia, quod compatietur

Modus faciendi omnia tua excellenter.

tuæ miseriæ; de fidelitate, quod in tuis tentationibus et periculis te proteget; de providentia, quod te in omnibus viis tuis deducet. Et hinc duæ ultimæ alæ oriuntur : « fortitudo, » scilicet in arduis rebus aggrediendis, abjecto omni difficultatum metu; et « perseverantia » usque ad finem operum inchoatorum, tolerando patienter quascumque occurrentes molestias. Nam, ut Isaias dixit : « Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, » *Isai.* XL, 31, recentem, scilicet aliam præstantiorem, induentes; « assument pennas sicut aquilæ, » ut spiritu volent, suaque opera a terra ad cœlum exaltent; « current, et non laborabunt, » propter delectationem qua Deus illorum « corda dilatat in via divinorum mandatorum; ambulabunt, et non deficient, » sed perseverabunt in operibus obsequii ejus, donec gloriæ coronam obtineant.

Moraliter, fac omnia tua excellenter.

Moraliter, hinc discat vir sapiens in omnibus operibus suis præcellere, ut scilicet ea, licet in se parva, faciat excellenter; sic enim ex exilibus faciet eximia : eximium enim est in omni re, quantumvis parva, excellere. Hinc excellens grammaticus pluris fit quam mediocris orator aut philosophus. Excellentia enim est quid eximium, quod suo fulgore omnium oculos præstringit et rapit. « Satius est, dit Plato in *Theæteto*, bene agere aliquid exiguum quam multa perfunctorie. » Nam ἐν τῷ εὖ μεγά est, non contra, *q. d.* Magnum est omne, quod bene fit : non autem omne, quod magnum est, bene fit, nec ideo eximium, quia magnum.

Stimulus ad hoc primus.

Stimulus ad hoc acer est, si cogites, « semel dictum et factum æternum esse, » quod enim semel dictum aut factum est, irrevocabile est, et indictum aut infectum fieri nequit; sed dictum et factum manet, manebitque per omnem æternitatem. Æternum ergo evadit; ut, si bonum et excellens sit, de eo gavisurus sis in æternum, et æternam laudem ac gloriam adepturus : sin malum, aut mancum et diminutum, de eo dolebis et pœnitebit te in æternum, ac æternam ignominiam et pœnam subibis. Ante singulas ergo actiones cogita : « Æternitati operor : Æternitati vivo : » operabor ergo et vivam excellenter, ut pingam in anima mea, imo in toto orbe, imaginem, imo ideam virtutis, quam in æternum laudent Deus, Angeli et homines. Zeuxis pictor rogatus, cur tam morose et exacte pingeret? respondit : « Pingo æternitati, » teste Plinio lib. XXXV, cap. IX et X, et Plutarcho in *Pericle*. Idem potius dicat sibi fidelis et sanctus : En optio mihi datur in omnibus operibus, verbis, cogitationibus eximiam pingere virtutis, aut deformem vitii imaginem : pingam virtutis, ut velut stellæ luceant mihi in cœlo cum jucunditate opera mea; non vitii, quam damnabit et æterno igne cremabit justitia divina : « pingam æternitati, » operabor ita excellenter, uti per omnem æternitatem optabo me operatum fuisse : cogitabo, agam, loquar, uti in æternum optabo et gaudebo me cogitasse, egisse, locutum esse. Nam « æternorum bonorum immensa et infinita retributio est, » ait S. Hilarius in *Psal.* CXVIII, littera *Het*. Additque : « Patens Deo est fidelis pectoris et ampla possessio, ut inhabitet et inambulet, etc., ut simus Dei habitatio. Et dum in nobis ambulat, fit nobis ipse possessio : sic sæculum relinquamus, si possessioni terrenæ labili renuntiemus, si hæreditatem caducorum respuamus, si viventes de sæculo exeamus. »

Secundus.

Secundus stimulus est, si cogites excellentiam et immensitatem majestatis divinæ : huic enim tam præcellenti, non nisi eximia et præcellentia opera offerenda sunt : talia enim ipse cupit et desiderat, plurisque facit unum opus eximium quam decem vulgaria. Si principibus et regibus serviunt aulici adeo exacte et eximie, ut nil desiderari queat : quanta perfectione serviendum est Regi regum et Domino dominantium? Quocirca B. Teresia vovit Deo se in qualibet re facturam id, quod foret optimum et excellentissimum. Ita S. Mechtildis loquebatur angelice, ut non hominem, sed angelum in ea loquentem te audire putares. Ita SS. Athanasius, Basilius, Augustinus, Hieronymus, Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciscus cæterique eximii Sancti sua omnia agebant modo quodam supra homines elevato, ut non tam homines quam angeli esse viderentur : nimirum, « vivebant ut numina, loquebantur ut oracula; » et quod de S. Basilio scribit S. Gregorius Nazianzenus : « Sermo eorum erat tonitru, quia vita erat fulmen. »

Tertius.

Tertius stimulus est, quem suis moriturus dedit S. Antonius, et Barlaam Josaphat regi, apud Damascenum in *Historia*, scilicet, si quotidie, dum surgis, cogites illum diem forte tibi fore ultimum : ac proinde serio proponas, singula illius diei opera ita exacte facere, ac si ultima sint futura, ut ea Christo judici mox affuturo sistere, de iisque judicari audeas, ac salvari speres et gaudeas. Mane ergo præmeditatum habe : « Hodie incipiam servire Deo, hodie et finiam. Nolo ergo degenerare a præcelsis cogitationibus filiorum Dei. Metiar actiones meas magna mensura magnorum et heroum. » Huc facit illud Senecæ documentum : « Ite contra opinionem vulgi, sicut stellæ ab Occidente in Orientem. » Et illud : « Minima non negligenda, sed maximi sunt facienda, » tum quia a minimis fit progressus ad maxima; tum « quia natura nusquam magis quam in minimis tota est, » ait Plinius lib. XI, cap. II. Ita S. Gregorius Nazianzenus in carmine *ad Nicobulum* docet, quemque se magna mensura metiri debere, hoc est ad magna aspirare :

Gnoma Patrum.

> At se mensura magna, magno ac pede debet
> Metiri quicumque sapit : præstatque secundas
> Ferre inter magnos, quam primas inter egentes.
> Non secus ac tenues alte volitare per auras
> Infra aquilas, supra quam ferri præstat alaudas.

Et ut idem ait, epist. 57 *ad Eudoxium* : « Ne sus-

tineas inter graculos excellere, cum aquila esse possis.» Præclarum est enim præstantissima quæque consectantem, in secundis tertiisque consistere. Idem Nazianzenus, in *Distich.* : « Age, inquit, deserto hoc mundo, mundique sarcinis excussis, ad cœlestem vitam vela pande; atque omnia quidem egregia opera, ut Deo dignum est, exsequere: sed præsertim tibi Trinitas curæ sit.» Idem alibi ait : « Nos festivitates agere, si in actionibus nostris exsplendescamus,» faciendo, scilicet, eas præ aliis illustres et splendidas. S. Cyprianus, *De Singular. Cleric.* : « Sanctum, ait, non est, quod geritur sanctum, nisi sancte quod sanctum est peragatur.» S. Augustinus, in *Psal.* XXXIV, in fine : « Tota, ait, die lauda Deum. Quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum.» Axioma S. Bernardi fuit, quod recitat Gerson, *Dialog. Franc.*, et Augustinus, tom. II : « Deum non remunerari verba, sed adverbia,» id est non habere rationem quid agamus, sed quam bene et præclare. S. Basilius, serm. *De Abdic. rerum*, sancit : « Assignato tibi ministerio sedulo fungitor, perinde ac si Christo ipsi ministrares.» Quin et Apuleius de Deo Socratis : « Nihil, ait, est similius et gratius Deo, quam perfecta anima : bonus, qui in tantum cæteros homines excellit, quantum ipse a diis immortalibus excellitur.» Huc facit symbolum Pythagoræ: « In poculi fundo residuum ne relinquito : hoc est, Artes quas cœperis, funditus exhaurito.» Et illud ejusdem : « Super modio ne consistas : » hoc est, Noli mediocribus et moderatis esse contentus, sed ad summa enitere. Chœnici ne insideas : id est, Non tantum præsentis, sed et futuri curam habe.» Est enim chœnix mensura escæ diurnæ.

IN DIE CONSUMMATIONIS DIERUM VITÆ TUÆ, ET IN TEMPORE EXITUS TUI DISTRIBUE HÆREDITATEM TUAM, — *q. d.* Instante morte distribue bona tua filiis vel amicis, aut pauperibus, sive ea inter ipsos actu dispertiendo, sive condendo testamentum, in quo illa jubeas distribui. Tigurina : *Tempore dierum vitæ tuæ finiendorum, cum tibi moriendum erit, hæreditatem distribue*; alii : *In die* (in tempore) *quo finientur dies vitæ tuæ, et in tempore mortis distribue hæreditatem*; Syrus : *In tempore, quo consummabitur numerus dierum tuorum, et in die mortis tuæ hæredes constitue opum tuarum filios tuos*, ne illæ ad exteros deveniant.

Dices : Hæc sententia videtur contraria illi Christi : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus,» *Matth.* XIX, 21, quam sequuntur et practicant omnes Religiosi. Respondeo non esse contrariam, sed subalternam : Siracides enim prudenter jubet bona non dari filiis vel amicis ante mortem; sed Christus suadet ea dari pauperibus studio eleemosynæ et virtutis. Siracides Judæos instruit, Christus christianos. Siracides vulgarem vivendi modum rudi ævo præscribit, Christus perfectionis apicem per paupertatis Evangelicæ consilium, cujus incapaces erant carnales Judæi, Apostolis eorumque asseclis sancit.

Denique recte Palacius : Nota, inquit, aliud esse ex charitate, et fiducia Dei cuncta relinquere, quod Evangelium consulit, et viri perfecti fecerunt; aliud, ex humana amicitia et fiducia bona alicui dare, quod Ecclesiasticus prohibet, et quod qui fecerunt, pœnitentia ducti doluerunt. Nota etiam, diversum esse tempus Evangelii et veteris legis. In hac felicitas erat, divitem ac dominum esse, dabaturque felicitas hæc operibus bonis; in illo vero felicitas est, temporalibus carere, divinis solis inhærere.

QUARTA PARS CAPITIS.

QUOMODO REGENDI SINT SERVI.

Vers. 25. Servi regendi uti asini.

25. CIBARIA, ET VIRGA, ET ONUS ASINO : PANIS, ET DISCIPLINA, ET OPUS SERVO. — A filiis transit ad servos et mancipia, qualia olim erant apud Judæos et gentes; jam vero apud christianos servi vocantur famuli, qui operas suas hero elocant; unde proprie non servi sunt, sed liberi, operarii et mercenarii. Hinc servos comparat asinis, *q. d.* Tria debet herus asino, scilicet cibum, virgam et onus: eadem debet servo, scilicet panem, disciplinam et opus. Servi ergo regendi sunt quasi asini. Pro *cibaria* græce est χορτάσματα, id est *pabula feni*. Pro *fenatione* ergo, inquit Jansenius, quæ asino debetur, tribuitur servo *panis*, hoc est cibus necessarius et non delicatus. Pro *virga*, quæ asino debetur, tribuitur servo *disciplina*, hoc est, castigatio et correptio. Pro *onere*, quo gravantur asini, tribuitur servo *opus*, quo premendus est et in officio continendus. Sensus ergo est : Sicut fenatio et virga et onus convenit asino, sic panis et disciplina et opus servo. Et Aristoteles scribit servis deberi ἔργα, κολάσιν, καὶ τρόφην. Hinc asinis apud Hebræos, teste Aldrovando, lib. *De Quadrup.* I, symbolum est discipuli et disciplinæ, quod asini in morem multa perferre debeat. Hinc Ammonius Alexandrinus, præceptor Origenis et Porphyrii, eis asinum velut condiscipulum fertur adhibuisse. Ac Cleanthes asini nomen non erubuit : « Asinus quidem sum, ait, sed qui portare possum sarcinam Zenonis.» Quin et Psaltes : « Ut jumentum, inquit, factus sum apud te,» *Psal.* LXXII, vers. 22. Tigurina vertit : *Ut pabula, virga et onera asino conveniunt; ita cibaria, et castigatio, et opus servo*; Syrus : *Pabulum, et flagellum, et opus asino : et disciplina, et panis, et opus servo.* « Panis » necessa-

Asinus typus discipuli: cur?

rius est ad vitam et robur laborandi, «disciplina» ad compescendam lasciviam, « opus » ad fugandam desidiam; «panis» ad victum, « disciplina » ad castitatem, « opus » ad frugem. Huc faciunt axiomata Aristotelis de servo et hero in lib. *Œconom.* : « Oportet servo dare opera et victum sufficientem. Prius decet dominum expergisci quam servum, et posterius ire cubitum. Quod magis impinguat equum, est oculus domini : et sterquilinium quod agro est optimum, vestigia domini. Quanto quis diligentius obsequitur, tanto majorem gratiam obtinebit. Unusquisque pergraviter fert honore suo privari. »

Recte servus sive mancipium comparatur asino, quia sæpe stolidus, hebes, tardus et durus est instar asini, cujus caput sua figura prodit ejus stoliditatem, tarditatem et duritiem. Qua de re exstat acutum ænigma, vel potius epigramma asini :

Ænigma asini.

Ungue equus, aure lepus, leo voce, lupusque colore
Censetur, toto sed capite est asinus.

Tritum est illud vulgi :

Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligata :
Hæc tria nil recte faciunt, si verbera cessent.

Unde Cujacius jurisconsultus inter alias causas, cur servi in jure capite diminuti dicuntur *Instit., De capitis diminut.*, et leg. 2, § 1, ff. *De capit. diminut.*, etiam hanc affert : « Servi, inquit, etiam ob amissam libertatem capite diminuti dicuntur, quia velut ratione et consilio privati proprio, coguntur aliena ratione et consiliis agere et vivere. » Et Salomon *Proverb.* XXIX, 19 : « Servus, inquit, verbis non potest erudiri : quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit. » Servum intellige, qui servili, duro et rebelli est ingenio.

Huc faciunt gnomæ Philosophorum. Euripides in *Antiope* : « Nunquam, ait, oportet servum ingenua studia tractare, nec otium sequi. » Studia enim servos faciunt superbos, etsi non raro sint indociles; otia, pigros et fures. Idem in *Alexandro* : « Usque adeo malum est servorum genus. Nihil præter ventrem sunt, nec quidquam futurum prospiciunt. » Theognidas : « Nunquam rectum est servile caput, sed semper intortum et obliquum collum habet. » Democritus : « Servis, ut partibus corporis, alio ad aliud uteris. » Plato, lib. VI *De Legibus*, docet a servis orta piratarum furta et latrocinia.

Mystice, corpus est servus animæ.

Mystice, animæ servus et asinus est corpus, cui tria debentur, scilicet vulgaris cibus, castigatio et opus. Ita S. Franciscus suum corpus vocabat fratrem asinum, et tractabat ut asinum, quia cogebat illud portare onera gravia laborum et pœnitentiarum, ac comedere parum, et cibos vulgares et viles. Præclare S. Laurentius Justinianus in *Ligno vitæ*, tract. *De Sobrietate*, cap. III : « Sæpe, ait, dum in carne hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus; et plerumque dum quasi concivi compatimur ad prælium hostem nutrimus : si ergo nobis nimius et immoderatus fervor persuadeat, ut carni necessaria alimenta subtrahamus, dicendum est illi, quod quidam dixit ad Joab : Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis, » II *Reg.* XVIII, 12.

Religiosus est asina

Et S. Bernardus, serm. 1 *De ramis palmarum*, docet Religiosum mystice esse asinam cui insedit Christus, hancque magnam esse dignitatem : *primo*, quia proxime tangit Christum; *secundo*, quia totum se impendit et expendit ejus obsequio; *tertio*, quia Christum portat; *quarto*, quia eum intra se habet, et ad alios etiam circumfert. Quare suos monasterii alumnos ita cum jubilo alloquitur : « Silendum mihi est, ut elationem caveatis; an magis loquar, ut consolationem habeatis? Jumentum, cui insidet Christus, nonne vos estis, juxta præceptum Apostoli glorificantes et portantes Deum in corporibus vestris? » Idem in *Doctrina sive modo vivendi in monasterio* : « Cum aliquid, ait, rogaturus a Priore veneris, præpara te ad repulsam semper; et si contigerit negari tibi quod postulas, dic apud te : Quid decebat asellum nisi frenum et stimulus? Ego nihil proprie in domo ista vindicare possum, nisi cilicium et crucem; cilicium in morte, et crucem in fossa. Hæc est hæreditas mea, ita tamen, ut modica gleba terræ crucem cooperiat. » Nota est vox senioris in *Vitis Patrum* : « Ego et asinus unum sumus : » qua se comparabat ad omnem omnium tolerantiam. In *Chronicis* S. Francisci celebris est B. Jacoponus, qui cum in sæculo esset vir nobilis ingenio, scientia, officio, subito uxoris in nuptiis ruina tabulati oppressæ interitu perculsus et compunctus, statuit sæculo renuntiare, ac postulans habitum S. Francisci, a fratribus audiit : « Si inter nos vis vivere, asinus fias oportet, ut quasi asinus inter asinos degas. » Illico ergo asini pellem induit, ac manibus pedibusque reptans : « En, inquit, fratres, asinus sum, asinum inter asinos admittite. » Admissus speculum fuit humilitatis, mortificationis, charitatis omniumque virtutum. Exstat ejus Vita heroicis virtutibus referta.

Christi.

Exempla.

Asini symbola.

Symbolice : Asini patientia, ait Aldrovandus in *Asino*, docet homines, ut suam quisque sortem, ac quod præsens et præ manu est, fideliter ac diligenter agat, et ut sua quisque fortuna contentus vivat; neque labores, modo honesti sint, etsi digna præmia non sequantur, recuset. Sicut et in suo asino laborioso monet Stigelius :

Sis asinus; quemcumque asinum sors aspera fecit :
Qui sortem placide ferre scit, ille sapit.

Et illud : « Si equum non potes, asinum agas. » Porro asinus etsi omnium judicio vilis habeatur et miserrimus, homine tamen ipso est beatior, quia ipse miseriam sibi non parit, quod facit homo, ut antiquissimus Menander ait.

Apologi.

Addit Aldrovandus duos in hanc rem apologos. Prior est : Asinus equum beatum putabat, quod

abundanter nutriretur et accurate, cum ipse neque palearum satis haberet, præsertimque defatigatus. Cum autem tempus institit belli, et miles armatum ascendit equum, huc illuc ipsum impellendo, quin et in medios hostes insiliit, equus vulneratus succubuit. His visis, asinus equum mutata sententia miserum existimabat. Fabula significat, non oportere principes et divites imitari; sed in illis, invidia et periculo consideratis, paupertatem amare. Posterior : Asinus serviens olitori, quoniam parum comedebat, plurimum laborabat, precabatur Jovem, ut ab olitore liberatus, alteri venderetur domino. Cum Jupiter exoratus, jussisset ipsum figulo vendi, iterum iniquiore animo perferebat quam prius onera et cœnum et tegulas ferre. Rursus igitur, ut mutaret dominum rogavit, et coriario venumdatus est. Pejorem itaque pridribus herum nactus; videns quæ ab eo ferent, suspirando ait : « Hei mihi misero, melius mihi erat apud priores heros manere; » hic enim, ut video, et pellem meam operabitur. Fabula indicat, tunc maxime priores dominos a famulis expeti, cum de secundis periculum fecerint. Subdit deinde tertium apologum in eadem re ex Ænea Silvio, quem, quia longior est, apud eum vide, si lubet. Unde concludit : « Quod fatale est, incurabile est. » Sua ergo sorte quisque contentus vivat, ut felix et beatus sit. Asini sors est onera ferre, æque ac servi servire. Hinc Isidorus, lib. XII *Etymolog.*, asinum et asellum dici asserit a *sedendo*, quasi assedum, quod homines priusquam equis uterentur, asinis insiderent. Græci ὄνον vocant ab ὀνῆσαι, quasi jumentum a *juvando*, quod nostra opera juvet.

Vers. 26. 26. OPERATUR IN DISCIPLINA, ET QUÆRIT REQUIESCERE : LAXA MANUS ILLI, ET QUÆRIT LIBERTATEM. — Græca, Romana et Tigurina pro *operatur* habent ἐργάσαι, id est *operare*; et pro παιδεία, id est *disciplinæ*, habent παιδί, id est *puero* vel *servo*; ac pro ζητήσει, id est *quæret*, legunt εὑρήσεις, id est *invenies*. Unde sic legunt : *Operare in puero* vel *servo, et invenies requiem*; *q. d.* Si servum opere impositio occupes et exerceas, erit tibi cum eo requies; sin autem eum otiari permittas, creabit tibi molestias. Hoc est enim, quod per antithesin subdit : « Laxa manus illi, et quærit libertatem. » Unde aliqui ex Græco ita clare vertunt : *Exerce servum tuum in opere, et invenies requiem : remitte manum ejus, et quæret libertatem.* Verum Noster legit ἐργάζεται, id est *operatur*, et παιδεία, id est *disciplinæ*, et ζητήσει, id est *quæret*. Sic quoque legunt Græca Complutensia nisi quod retinent τὸ ἐργάσαι, id est *operare*. Sed eodem fere redit sensus; *operare* enim hic sumitur in conjugatione *hiphil* pro *fac*, vel *compelle eum ut operetur*, scilicet, per disciplinam et castigationem. Fieri potuit ut utroque modo scripserit Siracides, quia utrumque verum et congruum, et utrumque in probatis codicibus exstat, atque una lectio cohæret et subordinatur alteri; requies enim servi est requies heri, dum enim servus operibus fatigatus anhelat ad requiem, non cogitat de rebellione contra herum. Sic nos ipsi dum nostra scribimus, cudimus et recudimus, eamdem sententiam subinde immutamus, aliterque et aliter efferimus. Quocirca in Scripturis subinde eadem sententia varias habet non tantum versiones et expositiones, sed et lectiones, uti ostendi Cap. VIII rerum in *Epist. S. Pauli.*

Jam *primo*, nostram lectionem sic explicat Lyranus, *q. d.* Servus operatur quamdiu sub disciplina tenetur, « et quærit, » id est, si quærat requiem a laboribus sine causa rationabili. *Secundo*, noster Emmanuel Sa, *q. d.* Servus etiam dum per disciplinam et castigationem cogitur operari, quærit otium et requiem; quid ergo faciet si laxes disciplinam? haud dubie quæret libertatem, seu fugiet. *Tertio*, Jansenius : Describit, inquit, conditionem et indolem servorum, videlicet quod si per disciplinam et castigationem adigantur ad opera, quærunt requiescere ab operibus, conquerentes se nimium gravari : si vero otium eis permittatur, quærunt ulterius etiam libertatem, non contenti petita et adepta relaxatione. Significatur ergo non tam attendendum ad eorum petitiones, quam ad id quod pro eorum conditione eis convenit imponere. *Quarto*, Palacius, *q. d.* Si delassaveris in disciplina servum, facies ut optet requiem, nec cogitet de libertate : sin autem ei manus ab opere relaxaveris, facies ut immerito quærat libertatem. Sicut enim multum operis, labor et fatigatio nihil aliud quærere cogitare sinit, nisi requiem : sic otium et servus otiosus nihil aliud quam libertatem meditatur et machinatur. Loquitur de servis perfectis, puta de mancipiis.

Hi tres ultimi sensus veri et congrui sunt; magis tamen nervosi magisque connexi sunt secundus et quartus; continent enim manifestam antithesin prioris hemistichii cum posteriore, simulque dant causam ejus quod præcessit, cur, scilicet, castigatio et opus conveniat servo æque ac asino, quia scilicet servus servili et asinino est ingenio et indole, quod non nisi otium et libertatem quærit; utrique autem medetur opus et castigatio. Opus enim non sinit cogitare nisi requiem, castigatio castigat tam otium quam libertatem, cogitque laborare et servire. Unde Syrus breviter rem totam ita explicat : *Ne des illi requiem; et, si extuleris caput ejus, quærit libertatem.* Sciebat hoc Pharao, qui proinde Hebræos, quos tractabat ut servos, operibus opprimebat, ne cogitarent de libertate et egressu ex Ægypto : « Vacatis otio, inquit, et idcirco dicitis : Eamus, et sacrificemus Domino. Ite ergo, et operamini; » *Exodi* v, 17.

Nota τὸ *laxa manus illi*, scilicet a manicis, hoc est, solve eum a manuum vinculis, quibus quasi servus constringitur. Origo enim servitutis et servorum fuit, quod hostibus bello captis vitam olim condonantes, eos servos efficiebant, itaque mortem in servitutem clementer commutabant. Inde servi dicti sunt *mancipia*, quasi in bello manu

Origo servitutis.

capta, ait Varro; hinc capta vinciebantur manicis : illas ergo hic laxari vetat Siracides. Rursum « laxa manus illi, » id est remitte illi opera et labores, sine illum otiari, et fugiet vel ambiet libertatem. *Tertio*, aliqui sic exponunt : « Laxa illi manus, » id est licentiam illi permitte, potestatem aliquam impende; illa enim inescatus, servitutis jugum excutere et libertatem affectare incipiet. Idem de servis fuit sensus Platonis dialog. 6 *De Legibus* : « Castigandi, inquit, cædendique semper jure sunt servi, neque ita monendi ut liberi, ne molliores fiant : allocutio omnis ad servos quodammodo imperium sit, neque jocus ullus cum ipsis habeatur, quod multi stulte facientes, dum delicatius eos nutriunt, difficiliorem vitam, et sibi ad imperandum, et illis ad obediendum reddunt. »

Vers. 27 et 28. 27 et 28. JUGUM ET LORUM CURVANT COLLUM DURUM, ET SERVUM INCLINANT OPERATIONES ASSIDUÆ. SERVO MALEVOLO TORTURA ET COMPEDES. — Græca jam omittunt τὸ *et servum inclinant operationes assidue*. Unde breviter sic legunt, et servi compedes cum jugo asini componunt : *Jugum et lorum cervicem subigunt, nervus et tormenta servum malitiosum*; alii : *Jugum et lorum flectunt cervicem, et servo malefico conveniunt tormenta et cruciatus quæstionum*: Verum nostra lectio uti uberior et plenior, sic et aptior veriorque est. Aptius enim jugum cum operatione et labore, quam cum tortura confertur; torturæ enim servi magis respondet flagellum et scutica asini. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut collum lascivientis et indomiti bovis, equi, asini vel bubali domatur jugo et loro, ut aurigæ obediat, vehatque onera sibi ab eo imposita : sic quoque servi duritia et pigritia frangitur opere assiduo. At vero si servus sit non tantum durus et pervicax, sed et malevolus, græce κακοῦργος, id est *malefícus*, vel *malitiosus*, scilicet qui furetur, aut alios verberet, vel aliter hero et familiæ noceat, aliaque mala machinetur; hic non tantum opere assiduo exercendus, sed et compedibus ac tortura coercendus, examinandus et puniendus est.

Servorum pœnæ. De priscis servorum pœnis vide Rhodiginum, lib. XXV, cap. XXII, omnes complexus est Plautus in *Asinar.* actu III, scena III :

> Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti,
> Ad cursum stimulos, lamminas, crucesque compedesque,
> Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
> Tortoresque acerrimos, etc.

Vers. 29. 29. MITTE ILLUM IN OPERATIONEM, NE VACET : MULTAM ENIM MALITIAM DOCUIT OTIOSITAS. — Tigurina : *Mitte illum in opus, ne otietur : otium enim multa vitia docuit*; alii : *Conjice* (græce enim est ἐμβαλλε) *ipsum in opus, ne otietur : multa enim mala docet otium*; Syrus : *Operare in servo tuo* (hoc est operari fac servum tuum, vel opus facito per servum tuum), *ne rebellet, quia multa mala facit otium*. Mens enim hominis otiosa esse nequit; quare si honesto labore non occupetur, ad vana, inhonesta, carnalia, ad murmura, detractiones aliaque scelera cogitanda et designanda deflectit. Sicut lapides molendini vento rotati si frumentum, quod molant, non habeant, in seipsos agunt, sese atterunt et comminuunt.

Moraliter, de vitandæ otio. Quocirca S. Hieronymus monet Rusticum, *epist.* 4 : « Facito, ait, aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. » S. Ephrem, in *Cant. spirit.* tom. II : « Qui amat otium, inquit, nunquam prosperabitur. » S. Chrysostomus, hom. 1 *ad Popul.*, advertit, Adamum otiosum e paradiso excidisse, Paulum vero in laboribus et ærumnis positum raptum fuisse in paradisum et tertium cœlum. Idem, homil. 35 *in Acta* : « Quomodo, inquit, non omnes talem (otiosum) condemnabunt, et amici, et domestici, et cognati? Quis autem non juste dicet : Onus hic terræ; frustra advenit in mundum talis, imo non frustra, sed in malum sui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum. » S. Basilius, in cap. I *Isaiæ* : « Quomodo, ait, non odio prosequendum otium, quod formica et ape (quæ laboriosæ et industriæ sunt) pejorem efficit hominem? qui utique initio suæ conditionis positus in paradiso est, ut operaretur et custodiret illum. » S. Ambrosius, epist. 25 *ad Vercell.*, loquens de Jacob et Esau, quorum hic otiosus erat, ille laboriosus : « Non otio, ait, non somno merces paratur, nullum opus dormientis est, nullus fructus otii, imo magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionem. » Idem, lib. *De Cain et Abel*, cap. IV : « Non dormientibus, non otiantibus, sed vigilantibus pollicentur præmia, et labori merces parata est. » S. Leo : « Non dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio et desidia torpentibus beatitudo æterna ingeritur. » S. Anselmus, epist. 6 *ad Cisterc.* : « Otiositatem, ait, sicut rem inimicam animarum vestrarum a vobis excludite, et unusquisque consideret, quia de singulis momentis vitæ nostræ reddituri sumus Deo rationem. » S. Bernardus, lib. II *De Consid.*, cap. XIII : « Fugienda, inquit, otiositas mater nugarum, noverca virtutum. » Petrus Blesensis, in cap. *De Instit. Episcopi* : « Nullum tempus, ait, feriatum habeas; sed semper aut orationi, aut lectioni, aut alii honestatis studio te impendas. » Et inferius : « Semper sis in exercitio Scripturarum, nullumque tempus te inveniat otiosum. Otium sine litteris est vivi hominis sepultura. » Plura vide apud Cassianum, lib. X *De Instit. renunt.* cap. VIII et seq.

Vers. 30. 30. IN OPERA (ad opera) CONSTITUE EUM : SIC ENIM CONDECET ILLUM. QUOD SI NON OBAUDIERIT, CURVA ILLUM COMPEDIBUS. — Clare Tigurina : *Adige eum ad opus, quod officium ejus postulat, et immorigerum suis grava compedibus*; Syrus : *Quemadmodum convenit illi* (hoc est, quantum aptus est), *præfice eum domui tuæ, et nisi audierit te, multiplica vincula ejus*. Præclare S. Laurentius Justinianus in *Ligno vitæ*, tract. *De Timore*, cap. II : Nihil in sancto proposito,

inquit, otio deterius, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam acquisita consumit. Sicut ergo otiositas est paupertatis spiritalis initium, ita honestæ occupationis assiduitas cœlestium divitiarum est seminarium. Denique peccati Sodomæ occasio et causa fuit otium, ut ait Ezechiel, cap. XVI, vers. 49.

ET NON AMPLIFICES SUPER OMNEM CARNEM : VERUM SINE JUDICIO NIHIL FACIAS GRAVE. — Moderatur quæ dixit, *q. d.* Dixi servum rebellem et maleficum castigandum operibus, compedibus et verberibus : nunc addo et moneo, ne tamen amplius hisce rebus in cujuspiam carnem sævias quam par est; est enim *caro*, id est fragilis et misera; sed adhibe judicium, crisin et discretionem in moderando opere et castigatione, ne æquo sit crudelior. Unde græce est, καὶ μὴ περισσεύσῃς πάσῃ σαρκί. Quod Complutensia vertunt, *et non abundes omni carni*; Romana, *non amplifices super omnem carnem*, id est, *ne sis nimius, ne nimium urgeas ac premas ullam carnem, ne quidem brutorum, nedum hominum;* Tigurina, *caveto tamen nimius esse in ullius corpus;* alii, *ne sis nimius in ullum hominem;* Syrus, *non autem sic super unumquemque, et præter legem ne feceris quidquam.*

Ex hoc Ecclesiastici præcepto desumpta videtur illa constitutio Justiniani Imperatoris, de his qui sui vel alieni juris sunt, § *In potestate*, ubi inter alia sic statuit : « Sed major asperitas dominorum ejusdem principis constitutione coercetur. Nam Antoninus consultus a quibusdam præsidibus provinciarum de his servis qui ad ædem sacram, vel ad statuas principum confugiunt, præcepit, ut, si intolerabilis videatur sævitia dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, et pretium dominis detur. Et recte, expedit enim reipublicæ ne sua re quis male utatur. » Quærit ibidem Glossa, an liceat subinde servum nulla ejus culpa vel causa, hoc solo nomine quod servus est, et ut servum se esse meminerit, vel modice verberare? ac respondet affirmative : Quia, inquit, diutina impunitas servum facit durum et contumacem, audaciam in eo alit, fastumque et spiritus adauget.

Vers. 31. 31. SI EST TIBI SERVUS FIDELIS, SIT TIBI QUASI ANIMA TUA : QUASI FRATREM TUUM SIC EUM TRACTA : QUONIAM IN SANGUINE ANIMÆ COMPARASTI ILLUM. — Ita Romana, Glossa, Lyranus et alii. Verum Rabanus legit : *Si est tibi servus bonus;* alii : *Si est tibi servus sensatus;* Syrus : *Si verus* (id est probus, qui se vere, ut servum decet, gerit) *est servus tuus.* Minus recte ergo Jansenius contendit τὸ *fidelis* esse delendum. Monet enim prudenter servum non infidelem et furacem, sed fidelem debere diligi et curari ab hero, « quasi animam » suam, id est sicut seipsum. Unde Græca et Syrus habent : *Si tibi servus est, sit tibi tanquam tu;* Tigurina vertit : *Si tibi servus est, ut animam propriam foveas eum;* Romana, *tracta eum sicut teipsum.*

Porro servus fidelis esse debet non tantum in opere sibi injuncto, sed in sermone ac silentio, ut sileat arcana heri, vel quæ herus silere vult. Unde officium boni servi esse ut sit « mutus et elinguis, » asserit Nemesius apud Stobæum, *serm.* 45. Et Plautus, in *Milite glorioso* : « Plus, ait, oportet servum scire, quam loqui. » Quocirca contumacis servi verba sunt apud eumdem in *Persa* : « Servam operam, et linguam liberam herus meus jussit me habere. » Si enim proximos exteros jubemur diligere sicut nos ipsos, multo magis domesticos, quales sunt servi, qui toti sunt peculium et possessio heri. Quod ergo domini servis faciunt, hoc sibi faciunt; bonum enim servi est bonum heri, et malum servi est malum heri. Quocirca addit : « Quasi fratrem sic eum tracta. » Origine enim omnes sumus fratres, quia creati ab eodem Deo Patre, et prognati ex eodem Adamo parente, et eadem matre Eva. Rursum in fide et religione omnes sumus fratres, quia filii ejusdem Christi quasi patris, et Ecclesiæ quasi matris, atque a Deo eamdem hæreditatem cœlestem exspectamus omnes. Vide *Ephes.* VI, 5 et seq. Quocirca S. Gregorius Nazianzenus, in *Tetrastichis,* docet servos pro conservis habendos, eo quod omnes simus servi Dei : Servi ut conservi tractandi.

> Quid servus, *inquit,* aut herus? mala est hæc sectio;
> Est fictor unus, una lex, judex quoque.
> Sic ergo servos, servus ut, cernas tuos :
> Servos herosque vita sola factitat.
> Servivit, at nos Christus exemit jugo.

Quin et Cicero in *Paradoxis* : « Quid est, ait, libertas? Potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, nisi qui recta sequitur? soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? » Plura de hac re habet S. Gregorius, lib. XXX *Moral.* cap. XII; S. Augustinus, tract. 41 *in Joan.*; S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinian.* Quocirca pathetice Seneca, *epist.* 47 : « Cum servis, inquit, familiariter te vivere, decet prudentiam tuam. Servi sunt? imo homines. Servi sunt? imo contubernales. Servi sunt? imo humiles amici. Servi sunt? imo conservi, si cogitaveris tantumdem in utrosque licere fortunæ. » Et post nonnulla : « Vis tu, inquit, cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æque spirare, æque vivere, æque mori? tam tu illum ingenuum videre potes, quam ille te servum. Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, et aliis intrantibus excludi. Mariana clade multos splendidissime natos fortuna depressit : alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit. » Denique Philo apud Maximum, *serm.* 7 : « Talem, inquit, te domesticis servis præsta, qualem Deum in te esse velles : ut enim audimus, sic a Deo audiemur; atque ut intuemur alios, sic Deus nos intuebitur. Offeramus ergo misericordiæ misericordiam, ut simili simile consequamur. »

Ratio. Causam subdit : QUONIAM IN SANGUINE ANIMÆ COMPARASTI ILLUM. — *Primo, q. d.* ait Jansenius : Comparasti eum tibi non tanquam belluam, sed tanquam « sanguinem animæ tuæ, » hoc est tanquam tibi consanguineum, ejusdemque tecum naturæ et sanguinis consortem.

Secundo et potius, *q. d.* Comparasti eum tibi « in sanguine, » id est ad sanguinem « animæ tuæ, » ut scilicet sanguinem et vitam tuam foveret et tueretur serviendo et laborando, teque contra inimicos tuendo et propugnando. Unde Græci quasi explicantes subdunt et addunt : *Quoniam tanquam anima tua indigebis eo*; Tigurina : *Quoniam ejus ut animæ propriæ indiges*; Syrus luculenter : *Si verus est servus tuus, sit sicut tu; quia sicut tu, ita et detrimentum tuum* (quod patieris in servo, si male a te tractatus ægrotet, moriatur vel fugiat) : *si verus est servus tuus, sicut fratrem tuum reputa illum, ne contendas in sanguine animæ tuæ.*

Tertio, alii per *sanguinem* accipiunt pretium. Unde vertunt, *quoniam pretio comparasti eum*; pretium enim quia sanguine et sudore laborando comparatur, hinc vocatur *sanguis* per metonymiam. Et hoc modo Rabbini passim דמים *damim* in plurali, id est *sanguines*, usurpant pro pretio. Sic vulgo dicimus, usurarios et tyrannos exsugere sanguinem pauperum, dum ab eis nimia tributa et pretia exigunt. Hoc sensu de tyrannis ait Michæas cap. III, vers. 10 : « Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. »

Simili tropo græce βίος, id est *vita*, vocatur ipse victus, quia victu vita conservatur. Ita Palacius : Tracta, inquit, bonum servum, quem emisti, ut fratrem; quia multis eum nummis velut sanguine tuo comparasti : bonus enim servus non nisi grandi pretio comparatur; grande vero pretium non nisi sanguineo sudore percipitur. Quam vero pulcher est textus peccatori Christum pro misericordia roganti : Domine, ne ut inimicum me, sed ut fratrem tracta : comparasti enim me sanguine animæ tuæ! Quam item apte dicetur domino crudeli : Tracta tuum servum benignius, si non propter illum, certe propter te! Si illi non parcis, parce sanguini tuo, quo eum comparasti. Huc facit monitum Catonis in *Distichis* :

> Nil temere uxori de servis crede querenti :
> Sæpe etenim mulier, quem conjunx diligit, odit.
> Servorum ob culpam cum te dolor urget in iram,
> Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.
> Quem superare vales, interdum vince ferendo :
> Maxima enim semper morum est patientia virtus.

Quarto, Rabanus : « Significat, ait, quod naturam communem in eo diligere debemus; et, si necesse est, animam nostram pro eis sicut fratribus esse ponendam : non enim hominem debemus odire et persequi, sed vitia, quæ hominem ad interitum trahunt, quibus omnino est resistendum. »

Tropologice, Rabanus per servum accipit peccatorem; hic enim servus est peccati et diaboli : quare omnia quæ de servo hic dicuntur, peccatori, mutato nomine, accommodes. Rursum per servum accipias carnem, quæ serva est animæ; ac concupiscentiam, quæ serva est rationis et spiritus, ideoque quasi serva contumax rationi rebellat et recalcitrat : qua de causa ut serva operibus, pœnitentiis et verberibus edomanda est, ut rationi se subjicere, ac spiritu parere addiscat.

Vers. 32 et 33. 32 et 33. SI LÆSERIS EUM INJUSTE, IN FUGAM CONVERTETUR : ET SI EXTOLLENS DISCESSERIT, QUEM QUÆRAS, ET IN QUA VIA QUÆRAS ILLUM, NESCIS. — « Extollens, » id est tollens et auferens se suaque discedens et fugiens; græce enim est ἀπάρας ἀποδρᾷ, id est *tollens se*, vel *abiens aufugerit*. Rursum « quem quæras, » id est quem roges, quique tibi indicet, « qua via » et ad quem locum servus tuus fugerit. Aliter Palacius : « Quem quæras, inquit, nescis, » id est nescis an quæras, rem tibi utilem vel inutilem : cum enim servus fugæ assuescit, nescis an reducere illum conveniat, an, vendere. Græca breviter et clare sic habent : *Si malefeceris ei* (Romana, *si afflixeris eum*) *injuste, et tollens aufugerit, in qua via quæres illum?* Tigurina : *Quod si eum læseris injuria, illeque profectus aufugerit, quanam via requiras ipsum?* Syrus : *Quia si contristaveris eum, egredietur, peribit : et in quo spiritu invenies eum?*

Est secunda ratio movens herum, ut benigne tractet servum; quia scilicet si illum affligat, servus servitutis et afflictionis pertæsus secreto fugam adornabit per avia, silvas et latebras, ut herus eum insequens invenire nequeat, nec aliquis sit qui rogatus ei viam, qua servus fugit, indicare velit aut valeat. Quare et opera servi, et pretio quo eum emit, in æternum privabitur.

Herorum durities cogit servos ad necem. Quinimo multi sunt servi, qui ob herorum sævitiam mortem sibi consciscunt, malentes semel quam millies mori. Nota est historia Lacænæ, quæ in auctione rogata a præcone, quid sciret? respondit : « Libera esse, » significans sese captivam quidem esse, cæterum ad illiberalia jussa non parituram. Itaque cum emptor imperasset quædam non convenientia liberæ : « Plorabis, inquit, qui tibi talem invideris possessionem; » moxque sibi necem conscivit. Ita Plutarchus, in *Lacon.* Qui et addit simile de puero : Puer, inquit, Spartanus captus ab Antigono rege, ac sub hasta venditus, in cæteris omnibus quæ ab ingenuo decenter fieri poterant, ei qui se mercatus fuerat obsequens erat : cæterum jussus adferre matulam, non sustinuit, dicens : « Non serviam. » At, cum herus instaret, puer conscenso tecto dixit : « Senties cujusmodi mercatum feceris; » moxque e sublimi præcipitem se dedit et interiit. Captivus esse poterat, servitia facere non poterat, ac semet in libertatem morte luctuosa asseruit. Luctuosius hoc ævo in Hispania factum audivimus. Servus dure ab hero tractatus, hero absente proles ejus omnes parvulas in solarium hero abduxit, fo-

Exempla.

resque domus occlusit : hero domum redeunte, foresque pulsante, minanteque servo quod aperire tardaret, servus per fenestram prolem unam illi ostentans : « Quid mihi, inquit, dabis pro prole hac tua? » Indignante hero et frendente, servus prolem ex alto præcipitavit et occidit. Idem fecit secundæ, tertiæ et cæteris (frustra jam precante hero; et omnia pollicente, ut iis parceret), ac tandem seipsum præcipitem dedit : « Disce, inquit, benigne servos tuos tractare. » Quocirca Diogenes apud Laertium, lib. VI, dicebat, inter servos ac dominos malos præter vocabula nihil aliud interesse, nisi quod mancipia servirent dominis, domini cupiditatibus : significans utrosque esse servos, miseriorem tamen servitutem servire dominos quam mancipia, si sint improbi : nam qui passionibus servit, tot habet dominos quot cupiditates, eosque turpes et inclementes. Sane hæc servitus morti æquiparatur et confertur, imo antefertur quasi morte deterior. Ex adverso quam servus benigne habitus ab hero illum redamarit, audi eum apud Menandrum : « Mihi, inquit, civitas est, et confugium, et lex, et justorum injustorumque omnium judex, dominus meus; huic soli me vivere oportet. » Talis, inquit Favorinus, fuit « Zamolxis, qui famulus erat Pythagoræ, et ab illius temporis hominibus adorabatur. »

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, agit de vanitate somniorum usque ad vers. 9. *Inde, usque ad vers.* 14, *de utilitate peregrinationis et tentationis, quod faciat hominem expertum et prudentem. Tertio, a vers.* 14 *ad* 21, *agit de soliditate fructuque spei, quam timentes Deum in eo collocant. Quarto, a vers.* 21 *usque ad finem, docet Deum exsecrari oblationes impiorum, præsertim quæ fiunt ex spoliis et defraudatione pauperum.*

1. Vana spes, et mendacium viro insensato : et somnia extollunt imprudentes. 2. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic et qui attendit ad visa mendacia; 3. hoc secundum hoc visio somniorum : ante faciem hominis similitudo hominis. 4. Ab immundo quid mundabitur? et a mendace quid verum dicetur? 5. Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium, vanitas est. 6. Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur; nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum : 7. multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis. 8. Sine mendacio consummabitur verbum legis, et sapientia in ore fidelis complanabitur. 9. Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa : et qui multa didicit, enarrabit intellectum. 10. Qui non est expertus, pauca recognoscit : qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam. 11. Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia. 12. Multa vidi errando, et plurimas verborum consuetudines. 13. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, et liberatus sum gratia Dei. 14. Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur. 15. Spes enim illorum in salvantem illos, et oculi Dei in diligentes se. 16. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit : quoniam ipse est spes ejus. 17. Timentis Dominum beata est anima ejus. 18. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? 19. Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani, 20. deprecatio offensionis, et adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem. 21. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum. 22. Dominus solus sustinentibus se in via veritatis et justitiæ. 23. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum : nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. 24. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. 25. Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est. 26. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. 27. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. 28. Unus ædifi-

cans, et unus destruens : quid prodest illis nisi labor? 29. Unus orans, et unus maledicens : cujus vocem exaudiet Deus? 30. Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? 31. Sic homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?

PRIMA PARS CAPITIS.

vers. 1. 1. VANA SPES, ET MENDACIUM VIRO INSENSATO : ET SOMNIA EXTOLLUNT IMPRUDENTES. — Docet non esse fidendum somniis et divinationibus, sed Deo Deique legi, quod hæc sit vera et fida, illa falsa et infida, *q. d.* Spes viri stulti est « vana et mendacium, » id est mendax et fallax, adeoque ipse somniis suis confidit et superbe extollitur : nam « somnia extollunt, » græce ἀναπτεροῦσιν, id est, ut Complutensia, *elevant*; Romana, *volare faciunt*; alii, *alatos faciunt imprudentes*, *q. d.* Insipientes somniis suis credentes efferuntur animo, putantes illa sibi obventura quæ somniarunt; quasi somnia sint oracula a Deo immissa, v. g. somniavit quis se fore Cardinalem, Episcopum, Prælatum, etc., si huic somnio fidem adhibet, insipienter facit; et reipsa cum contrarium acciderit, videbit somnium suum fuisse somnium, id est rem mendacem et fallacem. Unde Tigurina : *Spes viri stulti vanæ falsæque sunt, et somnia sublimes ferunt insipientes*; alii : *Et somnia pennas addunt amentibus*; Syrus : *Qui quærit vanitatem, invenit mendacium, et somnium lætitia vana.* Huc facit illud Philonis ex Platone : « Spes mortalium sunt somnia vigilantium. »

Nota : Gentiles, quin et nonnulli e christianis, ignorantes naturalem causam insomniorum, quam tradit Aristoteles, medici et physici, opinati sunt ea immitti ab altiori mente, puta a genio suo, vel Deo : cum enim mens somno sopita sit, censebant eam tunc agi a Deo. Sic Turcæ censent amentes et stultos a Deo agi enthusiasmo, ideoque eos venerantur velut divinos et fatidicos, ac eorum dicta pro oraculis habent. Id faciunt in honorem sui Mahometi, qui cum laboraret epilepsia, fingebat se enthusiasmo agi. Errorem et superstitionem auxere Poetæ suis poeticis fictionibus, præsertim qua rei cuique suum deum dedere homonymum. Somnum ergo fecerunt deum. Unde Orpheus Somno deo hymnum composuit cum aromatibus, cui et fuscas alas attribuit, ita canens :

Somne deum rex cunctorumque hominumque cadentum,
Cunctorum et tellus quæcumque animalia nutrit.

Et Ovidius :

Somne quies rerum, placidissime somne deorum.

Et Seneca, in choro *Herculis furentis* :

Tuque, ô domitor somne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior vitæ,
Veris miscens falsa, futuri
Certus, et idem pessimus auctor.

Philostratus in imagine Amphiarai ita somnum pingit : « Facie, inquit, resoluta esse videbatur, candidam vestem habens supra nigram, quasi diem et noctem indicaret. Cornu in manu tenere videbatur, cum vera somnia immittit. » Ovidius vero in *Metamorph.*, ita eum describit :

In medio torus est, ebeno sublimis in antro,
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus membris languore solutis :
Hunc circum passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent.

Silius vero, lib. X, somnum cuique soporem immittere ita canit :

Curvoque volucris
Per tenebras portat medicata papavera cornu.

Et paulo post :

Quatit inde soporas
Devexo capite pennas, oculisque quietem
Irrorat, tangens Lethæa tempora virga.

Homerus : καὶ γὰρ ὄναρ ἐκ Διός ἐστι, id est, *etenim somnium a Jove est*; quin et insomnia dicta sunt διόπεμπτα, id est a *Jove missa* : et θεῖαι ὀμφαί, id est *divinæ voces*; et Διὸς ἄγγελοι, id est *Jovis nuntii*, ut ait Homerus. Fuit apud Trœzenios Ardali vetus ara, super qua Musis et Somno deo rem divinam faciebant, somnum affirmantes esse deum Musis valde amicum. Superstitionem auxit Plato et Philosophi, de quibus inferius.

Hosce redarguens Diogenes Cynicus, imo ridens et subsannans : « Quæ vigilantes agitis, inquit, ea non curatis; quæ vero dormientes somniatis, sollicite perquiritis, » *q. d.* Si quis vigilans turpe quid committat, oportet metuat Dei iram, tristemque eventum; non si quid dormienti sit visum; hoc enim nil vanius, nil stultius. Ita Laertius, lib. VI. Et Poeta :

Somnia ne cures; nam mens humana quod optat,
Dum vigilat, sperat.

Et Claudianus, lib. III :

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad silvas, ac sua lustra redit.

Igitur hanc somnia observandi vanitatem et superstitionem, multis hic confutat Siracides.

2. QUASI QUI APPREHENDIT UMBRAM, ET PERSEQUITUR VENTUM : SIC ET QUI ATTENDIT AD VISA (græce ἐνυπνίοις, id est *ad somnia*) MENDACIA. — Somnia

enim sunt figmenta et idola phantasiæ, quæ proinde dum per eam homini dormienti repræsentantur, ipse sibi ea videre et oculis cernere videtur. Tigurina : *Captanti umbras, ventumque persequenti similis est, qui fidem habet somniis;* Syrus : *Sicut qui apprehendit umbram, et volare facit avem : ita et ille qui credit visioni nocturnæ.* Significat somnia esse res inanes et vanas, similes umbræ et vento : quare stultum esse iis credere, perinde ac stultus est qui apprehendere vult umbram inanem, aut ventum fugientem. Somnium ergo est quasi umbra et ventus : *Primo,* quia sicut umbra non est res ipsa, sed rei imago, imo umbra : sic et somnium non est res vera, sed figmentum phantasiæ, quæ hanc sibi rei imaginem efformat. *Secundo,* sicut umbræ mane et vespere sunt re ipsa, puta suo corpore, longe majores, ita in somniis res parvæ apparent maximæ. Quare qui illis credunt, similes sunt cani Æsopico, qui carnem ore gestans, cum ejus umbram in flumine videret longe majorem, illam invadens, et ore captans, carnem veram excidere sibi permisit, nec umbram, quam captabat, apprehendit vel acquisivit. *Tertio,* sicut umbra est fallax et mendax; mentitur enim se esse ipsam rem et corpus, ac proinde fallit eum qui umbram quasi corpus ipsum apprehendere satagit : sic et somnia somniantes fallunt ut videantur se revera agere, videre et sapere, quod somniant se agere, videre et sapere. *Quarto,* sicut ventus aerem et aquam concitat et turbat, ut species in aqua repræsentatæ commixtæ et confusæ, ideoque falsæ et mendaces appareant : sic et somnia oriuntur ex vaporibus et flatibus e stomacho in caput ascendentibus, qui species phantasiæ impressas concitant, commiscent, offuscant, indeque miras et chimæricas, adeoque mendaces et fallaces rerum facies apparere faciunt. Flatus enim e stomacho caput perflans et permeans, magnam in somniis facit specierum apparentium confusionem et varietatem. *Quinto,* sicut umbris terrentur pueri et fatui, sic et somniis terrentur somniantes; quin et vigilantes, si sint insipientes et imprudentes. Somnians enim, cum ligatam habeat rationem, est instar pueri et amentis. *Sexto,* sicut umbra et ventus celerrime pertransit et avolat instar avis, ut vertit Syrus; sic et somnium. Nam famelicus, qui somniat se laute edere et bibere, experrectus illico sentit ventrem fame latrantem: quia illa phantastica comestio cum somnio avolavit. Rusticus vel pauper, qui somniat se habere arcas auro refertas, vel se esse regem, episcopum, cardinalem, experrectus vidit se pauperem et miserum, ut ante; quia illud somniatum et phantasticum regnum, episcopatus, cardinalatus cum somnio avolavit.

Alium sicut ile vento et umbræ. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto.

Vers. 3. 3. HOC SECUNDUM HOC VISIO SOMNIORUM : ANTE FACIEM HOMINIS SIMILITUDO HOMINIS. — Ita legendum cum Romanis et Græcis. Perperam ergo aliqui sic legunt, *secundum hoc,* vel *hæc visio somniorum;* et ad præcedentia referentes, sic intelligunt, *q. d.* Secundum id quod dixi, vanum esse captare ventum vel umbram, simili modo vana est visio et captatio somniorum. Perperam, inquam; nam hæc verba ad sequentia referenda sunt; ab iis enim explicantur, *q. d.* Visio somniorum non est aliud quam repræsentatio quædam, qua « hoc » est « secundum hoc, » id est, hoc huic apparet simile, sicut cum « ante faciem hominis » ponitur « similitudo hominis » in speculo, vel in aqua, *q. d.* Somnium non est res ipsa, nec rei veritas, sed imago tantum inanis et umbra, uti est imago in speculo, quam pueri putant esse rem veram, eamque conantur arripere. Sicut ergo in speculo apparens imago hominis non est ipse homo, sed ejus repræsentatio et inane idolum ab homine reflexum et resultans : sic pariter somnium non est res ipsa, sed rei repræsentatio et similitudo ex speciebus in phantasia collectis, varieque commixtis reflexa et resultans. Quare sicut puer est stultus, qui imaginem in speculo apparentem pro vero homine accipit, eumque capere aut sibi conciliare studet : sic pariter stultus est, qui res, quas somniat, revera sibi vel aliis obventuras putat, iisque credit et confidit. Unde Tigurina vertit : *Aliquid ad imaginem alterius* (Vatablus, *aliquid secundum aliud*) *spectrum somniorum est, et velut adversum faciei simulacrum;* Complutensia ad verbum ita ex Græco vertunt : *Hoc secundum hoc visio insomniorum, ante faciem similitudo faciet;* Syrus : *Ita est visio et somnium, quod e regione faciet similitudo faciei, et de principe populi sui egredi faciet victoriam.*

Comparavit somnium umbræ et vento : nunc comparat spectro et simulacro apparenti in speculo, vel in aqua; quia vere somnium non est aliud quam visio imaginaria, sive spectrum phantasiæ, quod scilicet phantasia ex speciebus per vapores noctu e stomacho in caput ascendentes commixtis, confusis et turbatis sibi efformat et fingit. Quocirca sapienter S. Gregorius Nazianzenus in *Tetrastichis :*

Somnium est spectrum.

> Ne somniorum, *inquit,* ludicris fidem nimis
> Accommodaris; cuncta nec te terreant.
> Nec læta rursum visa te tollant nimis.
> Laqueos frequenter hoc parat dæmon tibi.

Idem, in *Distichis :* « Vir somno et inertiæ deditus somnia invenit; somnus enim non res ipsas, sed inania rerum simulacra oculis objicit. » Et Cato :

> Somnia ne cures; nam mens humana quod optat,
> Et vigilans sperat, per somnum cernit idipsum.

Vers. 4. 4. AB IMMUNDO QUID MUNDABITUR? ET A MENDACE QUID VERUM DICETUR? — Τὸ *immundo* et *mendace* accipi possunt vel ut masculina vel ut neutra. Sicut masculina, sensus erit quasi dicat : Sicut immundus per se alium mundare nequit, sic veritas non est exspectanda a mendace, puta ab ariolo, divino, oniromante, id est somniorum conjectore et in-

terprete. Esto enim aliquando verum dicant vel conjectent, tamen id perrarum est, ac multo sæpius falsum dicunt et divinant. Quocirca etiam dum verum dicunt, eis credi nequit, sed potius ut mendacibus fides derogatur; præsertim quia diabolus, qui per eos loquitur, totus consutus est ex malitia et mendacio. Quare verum quod subinde dicit, non veritatis amore dicit, sed ut per verum fallat, ac ad falsum erroremque inducat. Ideo enim verum dicit, ut per hoc cæteris suis dictis falsis et mendacibus fidem conciliet. Si ut neutra, sensus erit, *q. d.* Sicut res immunda per se aliam emundare nequit, sed potius suam immunditiam ei communicat, eamque immundam efficit : sic pariter a re falsa et mendaci, quale est somnium, veritas sperari nequit. Esto enim in somnio quædam sint vera, tamen quia longe plura sunt falsa ; hinc totum somnium falsum est, taleque nuncupandum, non verum; veritas enim integra est, nihilque falsi admittit : quare si in quapiam propositione aut re vera misceatur aliqua falsitas, tota res et propositio falsa est, non vera; sicut enim opus bonum inficitur per unam circumstantiam malam, totumque fit malum : sic et veritas, si ei vel minima falsitas misceatur, corrumpitur; desinitque esse veritas, et fit falsitas. Bonum enim (æque ac verum, quod cum bono convertitur; omne enim bonum est verum, et omne verum est bonum) ex integra causa constat, malum autem ex singulis defectibus, uti ait S. Dionysius, D. Thomas, Theologi et Philosophi.

Unde Tigurina vertit : *Quidnam mundetur ab immundo, et a falso quid veri manaverit?* Syrus : *Quis est mendax ut justificetur?* Ut scilicet justus, id est fidelis et verax sit, declaretur et habeatur; alii clarius vertunt : *Ab immundo quid mundetur, et a mendacio* (quale est somnium) *quid veri existat?* Genitivus enim ψεύδους, derivari potest a nominativo tam ψεῦδος, id est *mendacium*, quam ψευδής, id est *mendax*. Porro Antiochus monachus (qui floruit sub Heraclio Imperatore, anno Christi 630, scripsitque 129 homilias, quæ exstant tom. II *Biblioth. SS. Patrum*) hunc locum ita legit, *homil.* 84 : « Jesus filius Sirach ait : Insomnia extollunt imprudentes : quemadmodum qui pugno capit (capere conatur, sive captat) umbras, et qui persequitur ventos, sic qui intendunt insomniis. A mendace enim quid egredietur veritatis? »

Nota : Hæc propositio : Immundus vel res immunda alium mundare nequit, vera est, si intelligas per se. Nam per accidens mundare potest, si videlicet immundus herbam, vel rem similem vim mundandi habentem, ut saponem vel lixivium, rei immundæ adhibeat et affricet. Simili modo Sacramenta ab immundo sacerdote confecta et applicita suscipientem et pœnitentem mundant, quia operantur non ex opere operantis, sed ex opere operato. Quare sive a sacerdote sancto, sive a scelerato ministrentur, eamdem vim mundandi habent et retinent. Principalis enim agens in iis est Spiritus Sanctus et Christus, quorum uterque mundissimus est, nullaque sacerdotis ministri malitia afflari aut contaminari potest. Ita Donatistis hunc locum et similes objicientibus contra baptismum ab hæreticis collatum quasi impurum et irritum, ideoque de novo iterandum, respondet S. Augustinus.

5 et 6. DIVINATIO ERRORIS, ET AUGURIA MENDACIA, ET SOMNIA MALEFACIENTIUM, VANITAS EST. ET SICUT PARTURIENTIS, COR TUUM PHANTASIAS PATITUR. — Τὸ *tuum* non est in Græcis Romæ correctis multisque aliis, est tamen in Complutensibus. Tigurina vertit : *Divinatores, auguria somniaque vana sunt, et quasi cum desipit animus parturientis;* alii, *et cor phantasias concipit ut parturientis;* Syrus : *Omnes divinationes, et vaticinia, et insomnia, seductio; qui credit eis, ibi* (in seductione) *cor ejus.* Vers. 5 et 6.

Nota : Vanitas, hebraice שָׁוְא *scau*, non tantum vanitatem, hoc est inanitatem, sed et fallaciam ac mendacium significat : unde vanus vocatur mendax, fallax et impostor. Sic *Exodi* XX, 7, et *Deut.* V, 11 : « Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra; » alii vertunt : *Non assumes nomen Domini Dei tui ad mendacium;* proprie enim vetat perjurium. Sic *Eccles.* I, 2, dicitur : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, » hoc est omnes res, omnes illecebræ mundi vanæ sunt, fallaces et mendaces; quia quietem et satiem menti, quam pollicentur, non præstant. Sic Sinon impostor ait apud Virgilium, *Æneid.* II : Vanus, id est mendax.

> Nec si miserum fortuna Sinonem
> Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Et Cicero, *pro Quintio :* « Necesse est ille, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se et perfidiosum et impium esse fateatur. »

Siracides ergo asserit tria esse vana, imo ipsam vanitatem, hoc est esse vanissima, id est fallacissima et mendacissima maximeque seductoria, ut vertit Syrus. *Primum*, est « divinatio erroris, » id est erronea, quæ ab errore proficiscitur, puta, a diabolo, mago, sagis, vel a figmentis impostorum, ut cum divini divinant et prænuntiant res futuras ex inspectione ignis, aquæ, aeris, terræ, cadaverum, etc. Est enim alia divinatio veritatis, quæ scilicet a Deo, qui prima est veritas, proficiscitur; quæ non vana, sed vera certaque est; quales fuere prophetiæ Isaiæ, Jeremiæ, Danielis cæterorumque Prophetarum.

Secundum sunt « auguria, » cum scilicet augures ex avium volatu, garritu, gestibus, divinant res futuras, ut victoriam in prælio, imperium, opes, fertilitatem, etc.; hæc enim « mendacia, » id est fallacia sunt, et in errorem ducunt. Unde illud : « Ridet augur augurem videns; » alter enim alteri corridet, ridendo stultitiam populi sibi credentis. De vanitate augurio-

rum, vide S. Augustinum, serm. 241 *De Tempore*.

Tertium sunt « somnia malefacientium, » id est hominum iniquorum et perversorum, qui contra Dei legem somniis suis attendunt et credunt, ideoque in vanitatem, id est in mendacium et fraudem induci se sinunt. Nam benefacientium, id est bonorum et sanctorum, somnia subinde sunt vera, ut cum a Deo vel Angelo ad rei veræ significationem immittuntur, qualia fuere somnia Joseph et aliorum mox citanda; impiorum ergo somnia vana sunt. Nam « sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, » si videlicet divinationibus, auguriis et somniis attendas fidemque commodes, *q. d.* Sicut cor parturientis, dolore cogente, mille patitur phantasmata, ac sæpe deliria, quibus variis timoribus et amoribus se aliosque onerat, molestat et cruciat; sic pariter, si attendas somniis, cor tuum mille patietur imaginationes et phantasias, quibus animum in mille affectus divellet et distrahet, ut jugi alternatione spei, diffidentiæ, timoris, amoris cæterorumque affectuum oneretur, turbetur et crucietur, idque vane, id est inaniter et mendaciter. Nam sicut imaginationes parturientis sunt vanæ et mendaces, sic pariter vana et mendacia sunt, quæ in somnio videre te putas. Prægnantes enim et parturientes, quia abundant flatibus, pituita, cruditate, melancholia, debilique sunt calore, idcirco patiuntur vertigines, fastidia, colicas, phantasias, deliria et deliquia; præsertim cum acribus doloribus partus exagitantur.

Tropologice divinatio, augurium et somnium vanum mendaxque est hæresis, quæ proinde mille phantasmata effingit, quibus se aliosque excruciat. Ita Rabanus. Rursus, « somnia malefacientium » sunt inanes cogitationes, phantasiæ, desideria, ex quibus quasi ex seminibus solent omnium malorum fructus prodire, ut nec orare, nec operari libeat, sed ad explenda desideria mens anhelet. Unde de iis sequitur : « Et sicut parturiens cor tuum phantasias patitur, » ut eas cum dolore pariat.

Medicus observet somnia ægri: cur?

Nota : Physici et medici docent ex somniis cognosci corporis constitutionem, complexionem et humorem prædominantem; ideoque medico, u curet ægrum, observandum esse quid ille somniet. Ita Galenus, in lib. I *Hippocratis, De Morbis vulgar. Comment.* III, non longe a principio : « Cum quidam, ait, e nobis mane de more ægrum inviseret, totam dixit ille noctem somnum se non vidisse, dum cogitaret quidnam sit futurum, si lassus Atlas non ducat amplius sustinendum cœlum ; ex cujus verbis intelleximus principium esse quoddam melancholiæ. » Et paulo post : « Si quis per insomnium videat incendia, hunc offendit flava bilis : si imbres abundare, frigidum humorem declarat; sic sane si nivem, glaciem et grandinem, pituitam frigidam; si quis in fœtido loco se esse putet, putredinem humorum; si gallorum gallinaceorum cristas habere aut rufa quædam, sanguinem exsuperare; si caliginosa cernere, aut in locis esse caliginosis, status indicat. » Vide eumdem, lib. *De Præsagio ex insomniis sumendo*.

Ulterius progressi sunt Stoici, docentes omnia somnia aliquid portendere, ut ex eis de futuris eventibus divinare liceat. Quin et Plato, dialog. 2 *De Republ.*, censet animum in somno quasi a corpore sopito liberum maxime vigere, seque ad capessenda insomnia acrem præbere : et quæ ei sedato tunc visa occurrunt, tranquilla esse ac veracia. Censuit enim ipse humanos animos, antequam corporibus illaberentur, omnium rerum scientiam, idearum influxu accepisse; sed eam contagione corporis hebetatam, et pene obliteratam jacere. Quare cum somno avocetur animus a consuetudine sensuum, et mens tota sibi sua sit, putavit reviviscere tunc congenitas in ea disciplinas, illamque meminisse præteritorum, præsentia cernere, providere futura.

Plato censuit animum in somno sapere et divinare.

Probant id exemplis : constat enim e somniis multa vera evasisse. Audi unum et alterum, quod recenset Cicero, lib. II *De Divin.* Detulit ad conjectorem quidam somniasse se ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. Respondit interpres thesaurum defossum esse sub lecto. Quæsivit, invenit auri aliquantulum, idque circumfusum argento; misit interpreti quantulum de argento visum est. Tum ille : Nihilne de vitello? id enim ex ovo videbatur aurum significasse, sicut et album ovi argentum. Alterum exemplum : Cum Ptolemæus, Alexandri familiaris, in prælio telo venenato ictus esset, eoque vulnere summo cum dolore moreretur, Alexander assidens somno est consopitus : tum secundum quietem visus ei dicitur draco is quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, et simul dicere quo illa loco nasceretur (neque longe aberat locus); ejus autem esse vim tantam, ut Ptolemæum facile sanaret. Tum Alexander experrectus narravit amicis somnium, et dimisit qui illam radiculam quærerent : qua inventa, et Ptolemæus sanatus dicitur, et multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. Cum igitur isthæc somnia aliaque non pauca ita ceciderint, utique dicendum videtur quod reliqua similem exitum non habeant, id non somniorum vanitati, sed interpretum inscitiæ adscribendum : aut certe causam esse, quia nos ipsi vel somnia obliviscimur, vel pro nihilo habenda ducimus. Idem Cicero, lib. I *De Divinat.*, hoc de Cyro recenset : « Quid ego, quæ magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dionysii Persici libris proferam? nam cum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetivisse manibus; cum se convolvens sol elaberetur et abiret, ei magos dixisse, quod genus sapientum et doctorum habebatur in Persis, ex triplici appetitione solis, triginta annos Cyrum regnaturum esse portendi. Quod ita con-

Probatur exemplis. Primo.

Secundo.

Tertio.

tigit; nam ad septuagesimum pervenit, cum quadraginta natus annos regnare cœpisset. » Et inferius : « Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent et Megaram venissent, alterum ad cauponem divertisse, ad hospitem alterum, qui cum cœnati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei qui erat in hospitio illum alterum orare ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur; eum primo perterritum somnio, surrexisse; deinde cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse, tum ei dormienti eumdem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur, se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum; petere ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret, hoc vero somnio eum commotum mane bubulco præsto ad portam fuisse, quæsisse ex eo quid esset in plaustro, illum perterritum fugisse, mortuum erutum fuisse, cauponem re patefacta pœnas dedisse; quid hoc somnio dici divinius potest? » Hæc Cicero.

Quarto.

Refellitur.

Verum hic est error et superstitio, quem redarguit hic Siracides, ac Lactantius, lib. *De Opificio Dei*, cap. XVIII; S. Thomas, II II, *Quæst.* XCV, et Medina, lib. VII suæ *Parænes.*, ac copiose et acute Cicero, lib. II *De Divinat.*, atque Aristoteles, lib. *De Divinat. per somnium*. Sane ut alia taceam idipsum demonstrat experientia, qua constat ne millesimam quidem somniorum partem evadere veram. Quod si unum alterumve verum reddatur, id fit vel casu vel agente bono malove angelo; quod accidisse in somniis paulo ante ex Cicerone recitatis manifestum est. Accedit quod idem somnium a divinis et conjectoribus variam, imo contrariam, interpretationem accipiat. Nam, ut refert Cicero libro jam citato : « Cursor, ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somniis curru quadrigarum vehi; mane adit conjectorem. At ille : Vinces, inquit; id enim celeritas significat et vis equorum. Post idem ad Antiphontem. Is autem : Tu autem, vincare, inquit, necesse est; an non intelligis quatuor ante te cucurrisse? ecce alius cursor. Atque horum somniorum et talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri. Sed ad cursorem redeo. Ad interpretem detulit aquilam se in somnis visum esse factum. At ille : Vicisti; ista enim ave volat nulla vehementius. Huic idem Antipho : Tu vero, inquit, te victum esse non vides? ista enim avis, insectans alias et agitans, semper ipsa postrema est. »

Somniare sancta, signum sanctitatis.

Fateor tamen ex insomniis affectiones, sicut corporis, sic et animi cognosci posse; ea enim somniamus noctu, quæ interdiu cogitamus et agimus, puta quæ amamus et concupiscimus. Unde Zeno dicebat e suis quemque insomniis deprehendere posse, quantum in philosophia profecisset, si in illis nihil appeteret vel faceret nefariæ rei. Tum enim animum in profunda tranquillitate constitutum veros affectus prodere : indeque fieri ut quæ vigilantes non audent profari aut agere, ea noctu occurrant in somnis. Ita Laertius, lib. IX, cap. v. Et Plutarchus censuit signum perfectæ virtutis esse, si quis de ea somniet. Vide ea quæ notavi *Deut.* cap. VI, vers. 7. Tale fuit insomnium S. Gregorii Nazianzeni de templo S. Anastasiæ, in quo ipse ante exsilium concionari solebat : quod ipse refert in carmine de hac re, quod exstat tom. II, pag. 1309.

Somnia portæ corneæ et eburneæ : quæ.

Denique celebre est figmentum Homeri, somnia illa vera esse, quæ subvolant per portam corneam; falsa vero, quæ per eburneam : quo significare voluit visa per diem, quæ in somniis recurrunt, esse vera : audita vero sæpe esse falsa. Cornea enim porta notat visum et oculos, ob coloris similitudinem et tunicam corneam, quæ est in oculo : eburnea vero denotat os, ob candorem dentium. Simili modo Thales, rogatus « quantum distaret a mendacio veritas, » respondit : « Quantum oculi distant ab auribus, » significans ea demum esse vera et certa, quæ contuemur oculis : fabulis vero hominum quas audimus, haud tuto credi, quod sæpe falsæ et mendaces sint.

Vers. 7.

7. NISI AB ALTISSIMO FUERIT EMISSA VISITATIO, NE DEDERIS IN ILLIS COR TUUM; MULTOS ENIM ERRARE FECERUNT SOMNIA, ET EXCIDERUNT SPERANTES IN ILLIS. — « Visitatio, » id est somnium vel visio, qua mens visitatur, id est eruditur, corripitur, monetur a Deo. Unde Græca habent : *Nisi ab Altissimo missa fuerint* (somnia jam dicta) *in visitatione tua* (Tigurina, *visitandi tui causa*), *ne adjicias ad illa cor tuum. Multos enim deceperunt somnia, et exciderunt spe, quam collocaverant in eis.* Paulo aliter Syrus : *Et si*, inquit, *a Deo mandatum fuit errare in cogitationibus nocturnis, ne des illis cor tuum; multi enim, qui in somniis erraverunt in via, et offenderunt in semitis suis.* Vox græca ἐπισκοπή significat inspectionem et visitationem Dei, tum eam, qua misericordiam et opem affert; tum eam, qua pœnas exigit ab aliquo. De hac accipit hunc locum noster Pineda, in *Job* cap. XXXIII, 16, in fine, *q. d.* Si somnio aliquo minas tuis sceleribus intendi, et divinam inspectionem ac visitationem repræsentari intelligas, tunc acquiescere illi poteris : illis vero minime, quæ vanissima elatione complent animos somniantium, sicut scriptum est : « Somnia extollunt imprudentes. » Potest tamen quælibet Dei *visitatio* hic accipi, sive ea fiat ad consolandum et opitulandum, sive ad terrendum et puniendum.

Prudenter monet somnia ordinarie esse spernenda habendaque quasi somnia : excipit tamen casum unum, si videlicet a Deo Deique angelo immittantur, vel ad futuri præsignificationem, vel ad admonitionem et correptionem. Tale fuit somnium Jacob, *Gen.* XXVIII; Josephi, cap. XXXVII, Pharaonis, cap. XLI; Salomonis, III *Reg.* III, 5, et

in novo Testamento S. Joseph, sponsi B. Virginis, *Matth.* I et II.

Porro quibus indiciis somnia vera, a Deo immissa, discernenda sint a falsis et inanibus sapienter docet S. Gregorius, lib. IV *Dial.* cap. XLVIII et XLIX, et ex eo Rabanus hic : « In hoc, Petre, inquit S. Gregorius, sciendum est, quia sex modis tangunt animum imagines somniorum. Aliquando namque somnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando vero illusione, aliquando cogitatione simul et illusione, aliquando revelatione, aliquando autem cogitatione simul et revelatione generantur. Sed duo, quæ primo diximus, omnes experimento cognoscimus; subjuncta autem quatuor in sacræ Scripturæ paginis invenimus. Somnia etenim nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam hoc vir sapiens indicaret, dicens : Multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis. » Et iterum : « Non augurabimini, nec observabitis somnia; quibus profecto verbis cujus sint detestationis ostenditur, quæ auguriis conjunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul et illusione procederent, vir sapiens minime dixisset : Multas curas sequuntur somnia. Et nisi aliquando somnia ex mysterio revelationis orirentur, nec Joseph præferendum se fratribus somnio videret, nec sponsum Mariæ, ut ablato puero in Ægyptum fugeret, per somnium angelus admoneret. Rursum, nisi aliquando ex cogitatione simul et revelatione procederent, nequaquam Daniel propheta Nabuchodonosor visionem disserens, a radice cogitationis inchoasset, dicens : Tu, rex, cœpisti cogitare in strato tuo, quid esset futurum post hæc, et qui revelat mysteria ostendit tibi quæ ventura sunt. Et paulo post : Videbas, et ecce quasi statua una grandis, statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te. Daniel itaque dum somnium et implendum reverenter insinuat, et ex qua ortum sit cogitatione manifestat, patenter ostenditur, quia hoc plerumque ex cogitatione simul et revelatione generetur. Sed nimirum cum somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet, quanto et ex quo impulsu veniant facilius non elucet. Sancti autem viri inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces atque imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant, vel quid a bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur. Nam si erga hæc mens cauta non fuerit, per deceptorem spiritum multis se vanitatibus immergit, qui nonnunquam solet multa vera prædicere, ut ad extremum valeat animam ex una aliqua falsitate laqueare. » Subdit deinde exemplum : « Sicut cuidam nostrum nuper certum est contigisse, qui dum somnia vehementer attenderet, ei per somnium longa spatia hujus vitæ promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendiis collegisset, ita repente defunctus est, ut intactas omnes relinqueret, et ipse secum nihil ex bono opere portaret. »

Signa dignoscendi somnia vera a falsis.

8. SINE MENDACIO CONSUMMABITUR VERBUM LEGIS, ET SAPIENTIA IN ORE FIDELIS COMPLANABITUR. — Dixit somniis, auguriis et divinationibus non esse attendendum, nec credendum; nunc docet attendendum et credendum esse legi Dei ejusque doctoribus. Est occupatio. Dicet enim quis : Si non consulam divinos, augures et oniromantes, quis me de futuris rebusque arcanis certiorem faciet? quis me docebit? quid hoc illove casu agere, aut non agere debeam? Huic objectioni respondet, dicens : « Sine mendacio consummabitur verbum, » *q. d.* Lex Dei, cum sit verax, utpote a prima veritate dictata, consummari et perfici potest et debet sine mendacio somniorum, auguriorum cæterarumque divinationum : quare cum quid dubii practici occurrerit, v. g. quid bonum, quid malum sit, quid hoc illove casu faciendum vel omittendum sit, quæ via sit ad felicitatem, legem consule, non divinos, non augures, non somniorum interpretes : lex enim verissime te hæc omnia quæ te scire convenit, docebit; divini autem et augures mendaciter et fallaciter. Sic Syrus servus in *Adelphis* herum suum *somnium* vocat præ Demea, quem sapientiam nuncupat : « Tu, inquit, quantus quantus es, nihil nisi sapientia es; ille futilis, somnium. » Vers. 6.

ET SAPIENTIA IN ORE FIDELIS (id est veracis hominis, qui legis, S. Scripturæ et sapientiæ divinæ est studiosus) COMPLANABITUR, — id est plana erit, facilis et expedita, ut non sint adeundi divini, quorum responsa sunt obscura, implexa et seductoria; ut cum Crœso de victoria sciscitanti oraculum respondit : « Crœsus Halym perdet transgressus plurima regna. » *Perdet* enim ambiguum est : nam et active accipi potest pro *vastabit* et *evertet*; et neutre pro *amittet*, iisque excidet et spoliabitur. Ita Lyranus : « Complanabitur, inquit, id est plane docebitur; nam occulta Scriptura scit aperire et explanare, quia in talibus est exercitatus. » Rursum « complanabitur, » id est deprehendetur esse plana et expedita, nec aliquos erroris anfractus, aut conscientiæ molestias scrupulosve in se continens, ait Jansenius; *tertio*, « complanabitur, » id est cognoscetur esse undique plana et perfecta, quodque in ea sita sit hominis perfectio; hæc enim nihil habet inæquale, scabri vel torti, videturque esse mera planities sapientiæ et virtutis. Unde Græca habent, *consummabitur*, vel *perficietur*. Quocirca Rabanus legit, *complantabitur*, id est solidabitur, perficietur, ut videatur in eo esse plantata et profunde radicata. S. Augustinus vero in *Speculo* legit *contemplabitur*.

Porro Græca breviter et clare sic habent : *Citra mendacium consummatur lex*, καὶ σοφία στόματι πιστῷ τελείωσις, id est, *et sapientia ori fideli perfectio*, vel *sapientia ore fideli perficitur*; hoc est, sapientia, quæ ore veraci profertur, ipsa est quæ perfecte

hominem instruere potest de dubiis rebusque omnibus, ut præter eam non sit opus observare somnia, auguria et divinationes. Tigurina : *Lex etiam sine mendacio consummata erit, oreque veraci perfecta sapientia;* Syrus vero : *In loco, in quo non sunt peccata, pascit Deus; quia sapientia iniquorum in nocte creditur, q. d.* Ubi non consuluntur divini, augures et oniromantæ, sed ipsa Dei lex; ibi ipse Deus consulentes veris oraculis pascit, docet et instruit; ibi plana plenaque et clara est veritas : at divini, augures et oniromantæ versantur in nocte tenebrarum et errorum, ideoque noctu consulunt somnia ipsosque dæmones, a quibus in mendaciorum et fraudum caliginem inducti misere decipiuntur et deluduntur, ac se consulentes decipiunt et deludunt. Alludit ad *Isaiæ* cap. VIII, vers. 19 : « Cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus et a divinis, qui strident in incantationibus suis : Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis? Ad legem magis et testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. » Vide ibi dicta.

Summa omnium est, *q. d.* Pro divinis et oniromantis consulite legem Dei, ejusque doctores et interpretes. Hi enim veraciter vos docebunt omnia ad salutem conducentia, quæ falso et mendaciter es enuntiaturos spondent divini et oniromantæ. Unde in sequentibus docet qui doctores sint consulendi et sequendi : igitur confert et præfert legem legisque doctores divinis et oniromantis, quod illi vera doceant, hi falsa et mendacia; quodque illorum doctrina et responsa sint plana, aperta et clara; horum obscura, ambigua, implexa. Dæmones enim olim consulti a divinis de futurorum contingentium eventu, cum eum ignorarent, ita ambigue respondebant, ut quomodocumque res caderent, viderentur verum dixisse, et quod eventurum erat, prædixisse. Sic Pyrrho, regi Epiri, consulenti oraculum et divinos an Romanos bello superaturus esset, responderunt illi: « Aio te, Æacida, Romanos vincere posse; » quod ambiguum est, tamque significat quod Romani vincent Pyrrhum, quam quod Pyrrhus Romanos, uti advertit S. Augustinus, lib. III *De Civit. Dei*, cap. XVII. Plura oraculorum ambiguorum exempla recenset Eusebius, lib. V *De Præpar. Evang.* cap. X, et lib. VI, cap. IV, ubi ex Porphyrio docet quod Apollo Delphicus in suis oraculis fassus sit se nonnunquam mentiri.

SECUNDA PARS CAPITIS

QUA DOCET SAPIENTIAM PARARI PEREGRINATIONE ET EXPERIENTIA MULTA.

(Vanitati somniorum et divinationum opponit veritatem experientiæ, ut ab illa, adeundo et audiendo viros doctos, non a divinis petendam esse sapientiam doceat : præsertim quia ipsa experientia ostendit somniorum observationem et divinationem esse res plane vanas, mendaces et fallaces.)

Vers. 9. 9. QUI NON EST TENTATUS, QUID SCIT? — Hæc verba jam desunt in Græco; olim tamen fuisse liquet ex Nostro hic, et ex S. Ambrosio (vel potius Victore Cartennæ Episcopo, ut patet ex fine libri, atque ex Gennadio et Trithemio, *De Script. Eccl.*), lib. *De Pœnitentia*, cap. XXVI, ubi ea sic legit et explicat : « Plerumque, inquit, offensionibus subjacet secura felicitas; cautior autem ad evitanda præterita efficitur, quem metus emendat, quia sollicitior semper erit qui cavet ne identidem ibi incidat, ubi jam antea cecidit. Sic gubernatorem faciunt pericula experta sollicitum, et in offensos portus nonnunquam veretur intrare, qui vel semel incurrerit ex securitate naufragium. Denique Scriptura divina : Qui non tentatus est, inquit, qualia scit? ut ostenderet per tentationis causam tentatum semper effici cautiorem, et per timorem magis corrigi, qui incautus antea fuerit, tentationis scientia. »

Dixerat Siracides versu præcedenti : « Sapientia in ore fidelis complanabitur; » nunc explicat quis sit ille fidelis, dicitque esse eum qui tentatus est, et in tentatione mansit constans et fidelis Deo Deique legi. « Tentatus » hoc loco vocatur, qui multis tribulationibus casibusque jactatus, multa expertus est, multaque experiendo didicit : uti tentatus est Abraham, cum a Deo jussus fuit exire e patria, et peregrinari in terram Chanaan, in qua peregrinatione multa adversa passus, multaque expertus didicit, sapiensque et perfectus evasit. De experientia enim et sapientia, quæ peregrinando acquiritur, maxime agit hic Siracides, qui propter eam se in Ægyptum aliaque loca peregrinatum asserit. Ipse ergo eum vocat sapientem dignum cui credamus, qui per tentationes a cœlo eruditus est, et per multorum experientiam prudens doctusque evasit, ut possit et alios docere, consolari, mederi, consulere, dirigere.

Moraliter, hinc disce tentationem non solum meritum nobis in terra et præmium in cœlo parare; sed etiam magnam intellectui lucem afferre, qua sapiens, imo sapientiæ, id est prudentiæ et virtutis, magister doctorque evadat. Sicut enim ii, qui sæpius interfuere prœliis, optime norunt eorum pericula æque ac eorum remedia, ac proinde hi optimi sunt belli duces : sic et qui sæpius cum dæmone colluctati ejus tentationes superarunt, optime norunt, aliosque docent modum confligendi cum eo, ejusque tentationes superandi, ut verbo et exemplo docuit S. Antonius, S. Hilarion, Macarius, Arsenius aliique anachoretæ.

VIR IN MULTIS EXPERTUS COGITABIT MULTA; ET QUI
Vers. 10. MULTA DIDICIT, ENARRABIT INTELLECTUM. 10. QUI NON EST EXPERTUS, PAUCA RECOGNOSCIT : QUI AUTEM IN MULTIS FACTUS EST, MULTIPLICAT MALITIAM. — Pro *in multis expertus* Complutensia legunt πεπλανεμένος, id est, *qui multa peregrinando pervagatus est;* rursum, qui in multis sæpius deceptus est. Romani vero legunt πεπαιδευμένος, id est *eruditus*, edoctus, qui multa discendo, peregrinando, experiendo didicit : sive ergo unum legas, sive alterum, in idem redit sensus. Rursum pro *qui multa didicit*, græce est πολύπειρος, id est, *qui multa expertus est.* Hæc ergo tria idem, vel pene idem significant, nimirum eum qui peregrinando multa vidit et audivit, multaque per experientiam didicit. Huic opponit eum « qui non est expertus, » *q. d.* Qui multa vidit, audivit et expertus est, hic multa prudenter cogitabit, consulet et suggeret : idem, cum experiendo multa didicerit, « enarrabit intellectum, » id est multarum rerum cognitionem, intelligentiam et prudentiam; et, ut Tigurina vertit, *sapienter disseret;* at vero « qui non est expertus, » pauca cognoscit, et pauca enarrare potest; nimirum «experientia est rerum magistra;» et (ut ait Sapiens) : « Nihil sapientius experientia; ipsa nos erudit experientia, ipsa vexatio dat intellectum, » ait S. Bernardus, serm. 11 in psalm. *Qui habitat.* Et S. Nazianzenus in *Iambicis :*

Experientia rerum magistra.

> Senex quidem sum, plurium at non nescius
> Vitæ malorum : ruga nam rerum parit
> Usum; unde sæpe nascitur prudentia.

Idem, *orat.* 12 : « Experientia, ait, stultorum magistra. »

Quod sequitur : « Qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam, » obscurum est. Aliqui ut Lyranus, Hugo, Dionysius et Palacius pro *factus* legunt *fatuus;* cui favet Græcum πεπλανεμένος, id est *deceptus, seductus*, *q. d.* Qui in multis desipit et fatuus est, hic in multis errat et peccat. Verum Romana, Rabanus et cæteri passim legunt *factus*, non *fatuus.* Quod, *primo*, nonnulli apud Lyranum sic exponunt, *q. d.* « In multis factus, inquiunt, est discurrens per multa cognoscenda, sicut gallus ambulat super grana, et non figit intellectum suum in aliquo sufficienter exquirendo; hic multiplicabit malitiam : nam in nullo habet sufficientem notitiam, et per consequens habet inutilem et falsam doctrinam. » Et S. Dionysius Carthusianus : « In multis factus, inquit, id est per diversa distractus, et corde per multa divisus, cum unum sit necessarium. »

Secundo, alii : « In multis factus, » inquiunt, vocatur multa volens experiri, eaque vana, curiosa, voluptuosa, quique multis se ingerit et immiscet: hic enim in multis peccat. Ita Rabanus : « Quid, ait, vult insinuare in eo quod dicit : Qui in multis factus est, multiplicavit malitiam suam, nisi quod ille, qui mutabilis est mente, et per multas curas ac sollicitudines sæculi divisus, instabilis est actione multorum vitiorum, criminibus sæpe fit obnoxius? Vel aliter, qui unitatem fidei perdendo, multiplices hæreticorum sectas delusus sequitur, multorum scelerum impietatibus implicatus perniciose deservit, et malitiosæ mentis multam nequitiam ostendit. »

Tertio, « in multis factus, » id est in multis deductus : qui enim decipitur et seducitur, non tam facit quam est factus; scilicet factus est insipiens, errans, gulosus, libidinosus, etc., quasi hic tres gradus et ordines hominum assignentur. Primus est eorum qui multa experiendo multa didicerunt; secundus, eorum qui pauca experiendo pauca didicerunt; tertius, eorum qui multa experti, sed in iis decepti et seducti sunt, ideoque multiplicant malitiam quam didicerunt, et in qua seducti corruptique sunt. Hos enim proprie significat Græcum πεπλανεμένος, quod Noster ad verbum versus sequentis vertit, « implanatus. » Unde Jansenius sic exponit : Qui in multis rebus errore deceptus est et desipit, hunc necesse est per errores suos multam committere malitiam, et sæpius peccare. Insinuatur ergo omni studio et labore comparandam sapientiam, quo et ab inscitia et a malitia liberi simus. Multi enim peregrinando corrumpuntur, et singularum gentium fraudes, nequitias, turpitudines addiscunt et imbibunt, quas deinde exercent per omnem vitam : quin et alios docent, uti patet in iis qui, dum apud hæreticos peregrinantur, inficiuntur hæresi, magia, luxuria, ebrietate.

Quarto, valde probabiliter noster Emmanuel Sa : « In multis factus, » inquit, hoc est in multis regionibus rebusque versatus, multa pervagatus, multa expertus, hic « multiplicat malitiam, » id est malitiæ cognitionem sive astutiam, *q. d.* Hic comparat sibi magnam calliditatem, ut non facile a malis decipi et in fraudem induci possit. Græce enim ὁ δὲ πεπλανεμένος πληθύνει πανουργίαν; ubi τὸ πεπλανεμένος significare potest tam deceptum, quam eum qui multas oberravit regiones multaque expertus est. Series ipsa orationis magis poscit hoc secundum significatum. Unde Romani vertunt : *Qui autem vagatus est multiplicat astutiam.* Græcum enim πανουργίαν significat calliditatem et astutiam tam bonam, quæ prudentiæ pars est, quam malam, quæ nequitia est, fraus et malitia. Alii vertunt : *Qui autem oberravit multa est calliditate.* Favet huic expositioni antithesis hujus hemistichii cum priore; opponit enim illum « qui in multis factus est, » ei « qui non est expertus : » ergo « in multis factus, » idem est quod « multa expertus. » Sicut enim experientia est causa scientiæ et prudentiæ, sic inexperientia est causa ignorantiæ et imprudentiæ. « Expertus » ergo « multiplicat malitiam, » id est calliditatem, qua malitias et fraudes omnes cognoscat et caveat, vel astute eludat. Sic *malitia* et *nequitia* subinde sumitur pro calliditate et vafritie : ac malitiosus vocatur versutus, calli-

dus, astutus, fallax, ut videre est apud Ciceronem, lib. III *De Oratore*. Præsertim quia Hebræi sæpe nomina et verba accipiunt in actu, non reali, sed mentali; ut cum Jeremias audit a Deo, cap. I, 10 : « Constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes, » id est ut prænoscas, prænunties et prophetes has gentes a me esse disperdendas, illas vero ædificandas et plantandas. Vide ibi dicta. Simili tropo et schemate « malitiam » hic accipias pro malitiæ cognitione, sive calliditate.

Vers. 11. 11. QUI TENTATUS NON EST, QUALIA SCIT? QUI IMPLANATUS EST, ABUNDABIT NEQUITIA. — Pro *implanatus* Hugo legit *implantatus*; id est, inquit, in Scriptura et moribus infundatus (non fundatus) vel inconstans et mutabilis. Et Dionysius, Carthusianus : *Implantatus*, ait, id est non radicatus in Deo per timorem et humilitatem, uti sunt justi, de quibus dicitur *Psalm.* XC, 14 : « Plantati in domo Domini. » Verum legendum est *implanatus* ; sic enim legunt codices Romæ correcti. Hic versus deest in Græco et Syro, ac in Latino codice Rabani. Unde Franciscus Lucas et Jansenius suspicantur, imo plane asseverant, hunc versum irrepsisse, vel adjectum esse ex altera versione facta ex Græco versus præcedentis, qui sic habet : Ὃς οὐκ ἐπειράσθη ὀλίγα οἶδεν, ὁ δὲ πεπλανημένος πληθύνει πανουργίαν; quod versu præcedenti Noster vertit : « Qui non est expertus, pauca recognoscit; qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam; » hic vero vertit : « Qui non est tentatus, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia. » Τὸ enim πεπλανημένος duo significat : *primo*, vagatum per multa, quem versu præcedenti vocavit « factum in multis; » *secundo*, deceptum, quem hoc versu retenta græca voce vocat *implanatum*: de qua voce plura dixi cap. XV, vers. 12. Et utraque versio huic loco congruit, unaque alteri subordinatur et subservit. Qui enim peregre proficiscuntur, et per exteros vagantur, hi sæpe ab incolis aliisque decipiuntur; ac decepti fiunt cauti, discuntque sapere, ne amplius decipiantur. Porro ejusdem sententiæ S. Scripturæ varias subinde exstare versiones, etiam canonicas, ostendi *Can.* VIII in S. Paulum.

Sensus ergo est, *q. d.* Qui non est tentatus, græce ἐπειράσθη id est *expertus multa* (*tentare* enim est experiri vel experimentum capere), qualia scit? *q. d.* Pauca et modica scit : qui vero in multis tentatus, multaque vagando expertus, sæpius « implanatus, » id est deceptus est, hic utique abundabit nequitia, græce πανουργία, id est *astutia* et *calliditate*, ut nequitias aliorum norit pervidere et declinare, vel callide eludere. Ita Emmanuel Sa. Unde Complutensia vertunt : *Qui non est expertus, novit pauca; at qui deceptus est;* Romana : *Qui vagatus est, multiplicat astutiam;* Tigurina : *Qui non est tentatus, pauca novit; qui vero deceptus fuerit, accessionem fecerit calliditatis;* alii : *Qui non est tentatus, pauca novit; at qui oberravit, multa est calliditate.* Denique Syrus tres hosce versus ita clare reddit : *Vir sapiens investigat multum, et qui prosperatur omnia explorat. Qui non est expertus, parum novit; et qui expertus est, multiplicavit sapientiam.* Sic Plato peregrinatus est in Ægyptum, ibique didicit sapientiam ab Hebræis traditam Ægyptiis : idem peregrinando multa pericula subiit, multasque ærumnas, fraudes et casus expertus est. Idem fecit Solon, Pythagoras aliique philosophi, ac imprimis Apollonius Tyanæus, teste S. Hieronymo, epist. *ad Paulinum*. Quin et S. Hieronymus Græciam, Galliam, Asiam, Syriam, Palæstinam, Ægyptum sapientiæ et virtutis studio, ut scilicet videret sanctos Anachoretas et Religiosos, ab iisque vitam Religiosam edisceret, peragravit : in qua peregrinatione multa discrimina, labores, eventus se subiisse ipse testatur. Huc facit illud Democriti apud Stobæum, *serm.* 38, qui, interrogatus « ad quid peregrinatio prodesset, » respondit : « Vitæ frugalitatem docet. » Offa quippe et torus herbaceus peregrinanti famis ac laboris dulcissimæ medelæ sunt. Peregrinatio docet sapere.

12. MULTA VIDI, ERRANDO (ita Romana et Græca. Perperam ergo Dionysius et alii legunt, *enarrando*), ET PLURIMAS VERBORUM CONSUETUDINES, — *q. d.* Multa vidi, oberrando per varias regiones, et Academias studii et experientiæ causa, et plurimas verborum, id est rerum et hominum, consuetudines. « Verbum » enim sæpe ponitur pro re verbo significata per metonymiam. Legit Interpres συνήθειας, id est *consuetudines*: jam legunt σύνεσίς μου, id est *prudentia mea*. Sic enim habent Græca : Πολλὰ ἑώρακα ἐν ἀποπλανήσει, καὶ πλείονα τῶν λόγων μου σύνεσίς μου; quod Romani vertunt : *Multa vidi in circumherratione mea, et plura verborum meorum intellectus meus*; sicque explicant, *q. d.* His ipsis sententiis, quas alios doceo, magna ex parte ipsemet usus sum, earumque veritatem experiendo intellexi. Complutensia vero τὸ ἀποπλανήσει accipientes in altero significato, quod deceptionem notat, sic vertunt : *Multa vidi in deceptione mea, et fictiones verborum intellectus meus.* Pro πλείονα enim, id est *plurima*, legunt πλάσματα, id est *fictiones*, quibus scilicet idem verbum, id est eadem res, apud varias gentes varie fingitur, formatur et efficitur. Vatablus vero, legens πλάγματα, vertit, *sermonumque meorum technis sapientia mea constitit;* Tigurina vero legens πλείονα : *Multa*, inquit, *vidi per errores meos, pluraque quam dicam intelligo;* alii : *Multa vidi in oberratione mea, pluraque quam dicere possum intelligo, q. d.* Multa, oberrando varias urbes, vidi, et plura intellexi didicique, quam sunt ea quæ hoc libro conscribo; Syrus : *Multum vidi, cum expertus sum, et res multæ transierunt super me.* Vers. 12.

13. ALIQUOTIES USQUE AD MORTEM PERICLITATUS SUM HORUM CAUSA, ET LIBERATUS SUM GRATIA DEI. — Græca aliter hæc nectunt, aliumque dant sen- Vers. 13.

sum : *Sæpe*, inquiunt, *usque ad mortem periclitatus sum, et salvatus sum horum gratia*; puta, multa pericula evasi, et salvatus sum per meam experientiam et prudentiam studio et peregrinatione comparatam. Unde Tigurina : *In periculum mortis sæpe veni, rursumque per hæc evasi*; Syrus : *Multis vicibus ad mortem perveni, et liberatus sum propter eas*. Noster melius et pientius, τὸ *horum causa* jungit cum « periclitatus sum, » et ad τὸ *liberatus sum* addit « Dei gratia, » *q. d.* Ego varias regiones oberrando et lustrando sæpius in pericula latronum, naufragii, hostium, aliaque quæ mortem mihi minabantur, incidi : at Dei gratia me, utpote sapientiæ suæ studiosum, Deique amantem et reverentem, ab omnibus eripuit et protexit; qua occasione transit ad commendationem fidelitatis Dei, qui sui cultores ubique tutatur et protegit.

TERTIA PARS CAPITIS.

DEUM ESSE FIDUM SUORUM IN SE SPERANTIUM IN OMNIBUS ADVERSIS ASILUM.

Vers. 14 et 15

14 et 15. SPIRITUS TIMENTIUM DEUM QUÆRITUR, ET IN RESPECTU ILLIUS BENEDICETUR (ita Romana. Minus recte ergo aliqui legunt, *et in conspectu illius benedicentur*); SPES ENIM ILLORUM IN SALVANTEM ILLOS, ET OCULI DEI IN DILIGENTES SE. — Græca, recisa posteriore parte utriusque sententiæ, eam in unam hanc conflant : *Spiritus timentium Dominum vivet; spes enim illorum in salvantem illos*; Tigurina : *Spiritus reverentium Dominum vincet; spes enim ipsorum sita est in servatore suo*; Syrus : *Voluntatem timentium se facit Deus, quia magna est spes ejus, et liberat, q. d.* Magnæ virtutis et efficaciæ est sperare in Deum; nam ipse omnes in se sperantes liberat. Noster de more uberior et plenior est, ac pro ζήσεται, id est *vivet*, legit ζητήσεται, id est *requiretur*. Siracides enim opponit spei, quam insipientes ponunt in somniis, auguriis et divinationibus, spem in Deum, ut ab illa eos avocet et ad hanc traducat, *q. d.* O vos, qui vane confiditis in divinis, auguribus et oniromantis, audite me, qui hæc omnia vidi, et expertus deprehendi esse vana et fallacia, spem vero solidam sitam esse in solo Deo; hic enim ex omnibus periculis me liberavit : Nam « spiritus timentium Deum » non negligetur, sed exacte « requiretur » ab eo, ut illum in quibusvis periculis servet, eruat, custodiat : « et in respectu illius, » id est cum cœperit Deus benignitatis suæ oculo in illum respicere, « benedicetur, » id est ex beneficentiæ Dei pelago omnem salutem, omnem opem, omne bonum consequetur. Causam subdit : « Spes enim illorum in salvantem illos, » *q. d.* Deus servabit timentes se; quia ipsi omnem suam spem collocarunt non in divinis, somnispicibus et auspicibus, sed in solo Deo. « Oculi » autem « Dei » toti intenti sunt in sperantes et « diligentes se, » ut opportune eos liberet a malis omnibus, et bonis omnibus cumulet, juxta illud Psaltis, *Psalm.* XXIV : « Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos; » ipse enim dixit et promisit : « Sanguinem (consequenter vitam et spiritum; spiritus enim non est aliud quam purior et nobilior sanguis) animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis, » *Genes.* IX, 5; et *Psalm.* IX, 13 : « Requirens sanguinem eorum recordatus est; » et *Ezechiel.* III, 18 : « Sanguinem ejus de manu tua requiram. »

Sperans in Deum ab eo benedicitur.

Nota *primo* : Versu præcedenti dixit Siracides se a Deo sæpius liberatum a morte; nunc id extendit ad omnes Deum timentes, asseritque quod omnis spiritus timentium Deum ab eo requiretur, ut liberetur, quodque ille spiritus respiciens in Deum vicissim ab eo respicietur, et omni beneficio afficietur. Nam, sicut timentes Deum in eum oculos suos conjiciunt, ut ab eo salventur : sic vicissim Deus in eos oculos suos conjicit, ut liberet et salvet.

Nota *secundo*, oculos timentium Deum in ejus conspectu benedicendos, juxta illud *Psalm.* CXX : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi : auxilium meum a Domino; » et illud *Psalm.* CXXII, 2 : « Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. » Ergo commodissime viri pii curant oculos suos continenter in Deum conjicere, juxta illud *Psalm.* XV, 8 : « Providebam Dominum in conspectu meo semper. »

Nota *tertio* : Si tu figis in Deum oculos, figet et ille in te, o beatissimum gratiæ redditorem! Ergo si in ullam calamitatem incideris, intellige te coram oculis Dei incidere; ac ideo, si tibi expedierit, ab ea divelleris. Ita Palacius. Vide S. Bernardum in psalm. *Qui habitat*, serm. 15, et cæteris.

Ardens oratio S. Francisci.

Huc facit oratio S. Francisci ad impetrandum divinum amorem : « Absorbeat, quæso, Domine, mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ignita et melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori : per temetipsum Dei Filium, qui cum Patre, etc. Amen. »

Anagogice, Deus requirit spiritum patientium et martyrum, ut eum beet et glorificet, cum corpus affligitur, conteritur, occiditur. Unde Christus : « Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, » *Matth.* X, 28; et S. Joannes, *Apocal.* XIV, 13 : « Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis;

opera enim illorum sequuntur illos. » Nam « pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, » *Psal.* CXV, 15. « Spes præmii solatium est laboris, » ait S. Hieronymus. Nam, ut aiebat Socrates : « Sicut vir sine muliere non sufficit, sic nec spes sine labore. »

Vers. 16. 16. QUI TIMET DOMINUM, NIHIL TREPIDABIT, ET NON PAVEBIT : QUONIAM IPSE EST SPES EJUS. — Τὸ *trepidabit* et *pavebit* sumitur more Hebræo in actu non inchoato, sed perfecto, *q. d.* Trepidatione et pavore non superabitur, non obruetur, trepidationi et pavori non succumbet, sed eum spe opis divinæ vincet et superabit. Unde Romana pro οὐδέν, id est *nihil*, uti legunt Complutensia et Noster, legunt οὐ, id est *non trepidabit* : ac trepidare et pavere dicuntur illi qui timore vincuntur; hi enim tremuli trepidant et expavescunt; Tigurina : *Qui Dominum reveretur, nil formidabit aut metuet, quia spes ejus ipse est.* Alludit ad *Prov.* XXVIII, 1 : « Justus quasi leo confidens, absque terrore erit, » ubi proximo opere plura Deo dante hac de re dicam; et ad *Psal.* CXXIV, 1 : « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum; » et ad *Psal.* XXII, 4 : « Non timebo mala, quoniam tu mecum es; et ad *Psal.* XXVI, 3 : « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. » Quæ intelliguntur, dum Deus spes justi est; si enim ab eo oculos divellas, incipies cum Petro in mari submergi. Item intellige de eo qui perfecte Deum timet, cujus perfecta charitas foras mittit timorem : quod si Christum vides timentem et paventem, promptitudinem spiritus, non vero infirmitatem carnis, advertas : quod si justus nihil timet innumera quæ sunt in hoc sæculo mala, quia sentit quod Deum secum habet, num non beata est ejus anima? inquit Palacius.

Justus nil timet.

Aristoteles, lib. *De Partibus animal.*, scribit animalia quædam valde timida difficilius cicurari, et ad mansuetudinem traduci; sæpe enim videmus ex animantibus leones tigridesque mites fieri; lepores autem non ita : ex avibus etiam aquilas, hierofalcos, et id genus audaces quasdam alites, cicures passim conspicimus; turtures autem, passeres, et aliæ quædam timidiores aviculæ, nullis poppysmis mansuefiunt. Ratio autem est in promptu, quia illa quæ timidiora sunt, ne sese cicuranti omnino credant, timor ipse in causa est; cum contra audacioribus illis ipsamet audacia fiduciam inspiret. Si ergo hæc ita se habent, qua demum ratione fieri potest ut timor Dei efferos hominum animos ad mansuetudinem traducat? Hujus rei rationem nobis offert ipsa timoris Dei natura, per quam non consternatur et dejicitur, sed magis erigitur et acuitur hominum animus; qui enim Deum ex animo timet, confestim reliqua omnia timere desinit, juxta illud *Prov.* cap. XIV, 26 : « In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus erit spes. » Lege Augustinum, serm. 214 *De Temp.*, ubi postquam verba illa expendit : « Timor Domini fiducia fortitudinis; » sic demum absolvit : « Discat timere, qui non vult timere; discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus : nam, sicut in bona valetudine fames, non fastidio, sed cibo pellitur; ita in bona mente timor non vanitate, sed charitate pellendus est : discute ergo conscientiam tuam, et time Deum, quisquis timere jam non vis. »

Ratio a priori.

Memorabile est exemplum S. Joannis, qui a silentio perpetuo cognominatus est Silentiarius. Hic enim dum Alamundarus cum suis Saracenis invaderet Palæstinam, cæteris fugientibus, solus ipse in monasterio remansit, dicens : « Si Deus mei curam non gerit, utquid vivo? » Nec enim spes aut Deus fefellit; misit enim illico leonem, qui Joannem custodiret die ac nocte, eumque ubique comitaretur, ac contra Saracenos tutaretur, uti refert oculatus testis Cyrillus in ejus Vita. Quare vere S. Damascenus ex Didymo, in *Parall.* lib. I, cap. IV : « Fieri, inquit, non potest ut qui Dei timore præditus est, meticulosus sit; cum illud Scripturæ monumentis prædictum sit : Præter illum ne quemquam alium metuas. »

Præclare S. Ambrosius, lib. II, epist. 7 *ad Simplicianum* : « Ubi, inquit, sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia et fortitudo; sapiens manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide. Sapiens ergo defectus rerum ignorat, et varium animum nescit, sed fulgebit sicut sol justitiæ, qui in regno Patris sui fulget. » Et lib. II *De Abraham*, cap. X : « Non potest, inquit, bonus atque perfectus non esse, qui hanc acquisierit; quia et omnem habet virtutem, et imago bonitatis est. » Huc facit illud Sixti vel Sexti Philosophi, sententia 277 et 304 : « Sapientium animæ insatiabiles sunt in amore Dei. Particeps Dei est vir sapiens. Nihil tale post Deum, sicut sapiens. »

Vers. 17 et 18. 17 et 18. TIMENTIS DOMINUM BEATA EST ANIMA EJUS. AD QUEM RESPICIT (græce τίνι ἐπέχει, id est *cui attendit* vel *intendit*?), ET QUIS EST FORTITUDO EJUS? — *Beatus est*, tum in spe, quia per timorem et amorem Dei sperat, certoque assequetur speratam a se beatitudinem cœlestem; tum in re, quia beatitudo hujus vitæ consistit in timore filiali, hoc est in amore Dei; quia per eum fit amicus, filius et hæres Dei ac cohæres Christi; quare, ut filius a Deo protegitur, dirigitur, omnique bono cumulatur. Tigurina : *Reverentis Dominum beata est anima; quem enim spectat, aut quo nititur?* Syrus : *Qui timet Deum, beatus est spiritus ejus; in quo confidet, et quis fuit ille sustentator?* Pro *fortitudo* græce est στήριγμα, id est *firmamentum*; ita Complutensia. Alii legunt ἀντιστήριγμα; unde nervose vertunt : *Quisnam ejus adversus calamitates fulcimentum?* Cui interrogationi respondet versus sequens, dicens : « Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, » etc., *q. d.* Timentis Deum anima est beata, quia respicit, innititur et fulcitur non homine, non Angelo, sed Deo ipso omnipotente, qui suos ab omni malo protegit, et omni bono

ditat beatque; ita Rabanus. Jansenius vero hæc quasi per admirationem dicta accipit, *q. d.* O qualis et quantus est ille in quem timens Deum suam collocat fiduciam, semper ad illum respiciens! Quantus est ille cui ipse innititur, et quem pro sua fortitudine habet, dicens : « Diligam te, Domine, fortitudo mea! » Hic sensus nervosior, sed prior simplicior est. Præclare S. Gregorius Nazianzenus in *Distichis* : « Alii, ait, aurum, alii opipare instructas mensas, hoc est vitæ ludibria, alii sericas telas, alii frugiferas terras, alii denique quadrupedum greges in pretio habent; ego vero Christum amplissimarum opum instar duco : quem utinam aliquando nuda mente pure mihi intueri contingat! Cætera autem mundus habeat. »

Deus vult ut in ipso solo speremus.

S. Augustinus, lib. I *De Consensu Evang.* cap. XVII, quærit cur Romani, colentes deos omnium gentium, non coluerint Deum Hebræorum, cum Hebræos, æque ac alias gentes, subjugassent. « Nam, ait, coluerunt aliarum gentium deos, quas Romanum subjecit imperium, præsertim cum eorum sententia esset omnes deos colendos esse sapienti; » ac respondet dicens : « Nihil restat ut dicam, nisi quia solum se coli voluerit, » *q. d.* Quia Deus Hebræorum, utpote verus et solus, totum poscebat cor, totum affectum, nec eum in alios dividi patiebatur : insulse ergo maluerunt illo carere, quam reliquis omnibus. Igitur Deus noster in se solum vult respici, solus vult amari et coli, quia solus divino, id est omni amore et honore est dignus. Et qui hoc facit, sentiet quod ipse solus sit fortitudo, gloria omneque bonum nostrum.

OCULI DOMINI SUPER TIMENTES EUM. — Tigurina : *Amatores suos respicit Dominus, q. d.* Oculi Dei jugiter respiciunt et intenti sunt in timentes se, ut eos dirigant, protegant, liberent et donis omnibus locupletent. Nota : Oculi Domini lucidissimi sunt, benignissimi et potentissimi : quocirca et omnes necessitates timentium se conspiciunt, et eorum miserentur, eisque succurrere possunt et volunt. Hinc Deus totus est oculus : « Deus, ait Plinius, lib. II, cap. VII, totus est sensus, totus visus. » Unde Θεός, id est *Deus*, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι dicitur, id est *a videndo*, ait Damascenus, lib. I *De Fide*, cap. XII, quia Deus omnia etiam secretissima et intima cordis pervidet. Ipse enim, ut ait S. Augustinus, totus est lux, imo ipse est prima increata et immensa lux omnia illuminans. Tiberius Cæsar, teste Plinio, lib. XI, cap. XXXVIII, et Suetonius in *Tiberio*, cap. LXVI, oculos habebat splendidos, adeo ut nocte in tenebris sine lumine, ex hoc solo oculorum suorum splendore litteras videret et legeret. Sic et Caius Marius ex oculis radios vibrabat, quibus percussus et perculsus restitit is qui eum occidere destinarat, teste Plutarcho in *Mario*. Multo lucidiores et fulgidiores oculos habet Deus, qui omnia circumspiciunt, omnia lustrant, imo illuminant et illustrant; sunt enim instar solis, imo longe radiantiores sole, uti dixit cap. XXIII, vers. 28. Cogita si regis alicujus oculus tam magnus, tam lucidus esset, quam est sol : quid non videret, quid non illuminaret? Atqui Dei oculus est instar solis, imo longe major et lucidior sole. Quis ergo ejus aspectum et lucem fugiat? Quocirca Psaltes, *Psal.* CXXXVIII, 11 : « Et dixi, inquit : Forsitan tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. »

Deus totus est oculus.

Porro uti lucidissimi, sic et utrinque justissimi sunt Dei oculi, ut et quemque non timentem se pro demeritis castiget. Unde Beda, in *Proverbiis* : « Ante Dei vultum, inquit, nil pravi constat inultum. » Quin et Seneca, in *Proverb.* : « Nullum, ait, putaveris esse locum sine teste. » Quare merito suspirat S. Bernardus, serm. 15 in psal. *Qui habitat* : « O! si mihi, ait, contingeret certum esse nihil esse in omnibus nobis illum offendens oculum, qui solus perfecte novit quid sit in homine, videns in eo et quod in se ille non videt. »

Vers. 19 et 20.

19 et 20. PROTECTOR (scilicet est Dominus, qui immediate præcessit) POTENTIÆ, FIRMAMENTUM VIRTUTIS, TEGIMEN ARDORIS, ET UMBRACULUM MERIDIANI. DEPRECATIO OFFENSIONIS, ET ADJUTORIUM CASUS, EXALTANS ANIMAM, ET ILLUMINANS OCULOS, DANS SANITATEM, ET VITAM, ET BENEDICTIONEM. — Decem illustria dat Deo epitheta, ut iis ostendat quantus sit ille, in quem timentes Deum sperant, ut merito idcirco beati censendi sint : « Ipse enim, ait Rabanus, est protector potentiæ, ab omni adversitate protegens eos; firmamentum virtutis, confortans illos : ipse est tegimen eorum contra ardorem tentationis, et umbraculum contra validum æstum persecutionis (hunc enim meridies significat); ipse est propitiatio delens delicta offensionis : hic præbet adjutorium suis, ne cadant in peccatis maximis; exaltans animas fidelium suorum in culmine perfectionis, et illuminans oculos mentis eorum, præbens eis gratiam internæ contemplationis; dat ipsis sanitatem incorruptionis, vitam immortalitatis et benedictionem perpetuæ hæreditatis : Venite, inquit, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. »

Quinque paria epithetorum Dei.

Porro hæc decem epitheta in quinque paria partiri et combinare possumus. *Primum* par est « protector potentiæ, » id est potens, *q. d.* Deus sua potentia, qua est omnipotens, quasi clypeo impenetrabili, protegit timentes se. Idem est « firmamentum virtutis, » id est roboris, hoc est robustum, ut ei secure inniti liceat, utque per illud omnia fortia aggredi audeamus, eaque opere compleamus. Græca pulchrius et significantius habent : ὑπεράσπισμὸς δυναστείας, καὶ στήριγμα ἰσχύος; quod Tigurina vertit : *Dominus est potens præsidium firmamentumque validum*; alii : *Dominus est protectio potentissima, et fulcimentum validissimum*; Syrus : *Dominus fiducia est magna, et protegens ab*

Primum.

inimico. Proprie ὑπεράσπισμός est *defensio* et *propugnatio*, quæ fit per scutum; πέλτη enim est *parma, clypeus, scutum* proprie rotundum quo utebantur Lacedæmonii; sicut ἀσπίς, quo Thraces; inde ἀσπίζω est *clypeo protego;* ἀσπιστής est *bellator scutatus;* ὑπερασπίζω est *strenue defendo et propugno;* ὑπερασπιστὴς est *strenuus propugnator,* qui clypeo suo aliquem protegit. Sicut ergo Gedeon, Jephte, Samson, David, Judas Machabæus, etc., fuere hyperaspistæ Israelis sive Judæorum : sic Deus est hyperaspistes et propugnator acerrimus omnium se timentium. Alludit ad illud Dei ad Abraham, *Gen.* xv, 1 : « Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum; » Hebraice *anochi magen lach*, id est *ego sum scutum tuum;* Septuaginta, *ego hyperaspistes tuus.* Vide ibi dicta, et ad illud *Psal.* xc, 5 : « Scuto circumdabit te veritas ejus; » et *Psal.* v, 13 : « Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. » Hæc magna piorum est consolatio, quod Deus eos circumdet et protegat instar scuti, excipiens scilicet et infringens omnia tela, quæ a dæmone, carne et mundo in pios jaciuntur, ita ut prius Deum tangere debeant, quam ad pios pervenire queant; a Deo autem repelluntur vel eliduntur, ut ad pios neutiquam vel non nisi refracta, elisa, infirma et languida perveniant.

Porro Deus protector triplicem suis adhibet custodiam : primam, hominum; secundam, angelorum; tertiam, sui ipsius. Audi S. Bernardum, serm. 15 in psal. *Qui habitat* : « Quoniam in me speravit, liberabo eum. Non in vigilibus, non in homine, non in angelo, sed in me, inquit, speravit; nihil boni nisi ex me, ne per ipsos exspectes. Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, *Jacob.* i. Ex me vigiliæ hominum utiles, circa opera utique manifesta : eis nimirum custodes homines deputavi. Ex me excubiæ angelorum observantium, secretos motus spiritualiter sollicitantium, propulsantium suggestores iniquos. Cæterum intima sane custodia secretissimæ intentionis, non modo ex me, verum etiam per me fiat necesse est, quod illo quidem humanus nequeat, sed ne angelicus quoque oculus penetrare. » Solus enim Deus illabitur cordi, ejusque intimas cogitationes et intentiones novit, tutatur et dirigit, juxta illud *Hebr.* iv, 12 : « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. »

Secundum. *Secundum* epithetorum Dei par est : « Tegimen ardoris, et umbraculum meridiani; » græce, σκέπη ἀπὸ καύσονος καὶ σκηνὴ ἀπὸ μεσημβρίας, id est, *tegmen ab ardore, et tegmen a meridie;* Tigurina : *Tegumentum ab æstu, umbraculum a meridie;* alii : *Tegumentum adversus æstum, et tegumentum adversus meridiem;* Syrus : *Liberans ab hoste et eripiens a plaga, q. d.* Deus timentibus se est quasi tegmen contra ardorem, et quasi umbraculum contra æstum meridianum tentationis et tribulationis cujuslibet. Tribulationes enim cruciant urunturque hominem instar æstus et ardoris. Alludit ad illud *Isaiæ* iv, 6 : « Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia, » *q. d.* Deus instar columnæ nubis tabernaculo incumbentis Hebræorum castra præibat, eosque quasi umbella protegebat ab æstu, *Exodi* xiii, 21, et *Num.* ix. Pari modo deducet suos in terram promissam, puta in cœlum, eosque protegit ab æstu tentationum et adversitatum. Alludit quoque ad *Psal.* xc, 5 : « Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, etc., ab incursu et dæmonio meridiano. » Chaldæus : *A caterva dæmonum qui grassantur in meridie.* Hebraice est קטב *keteb,* quod aliqui, teste S. Hieronymo, dicunt esse dæmonem certum qui meridie grassatur, sicut דבר *deber,* qui noctu. Ita R. Salomon et alii. S. Hieronymus vertit, *a morsu insidiantis meridie.* Sensus est, *q. d.* Deus te, si eum timeas, tutabitur, ut non timeas a dæmone et ejus asseclis tyrannis in *meridie,* id est palam et media luce grassantibus, teque oppugnantibus, *q. d.* Tutus eris a malo quod vel die, vel nocte, vel palam, vel occulte, scienti tibi vel ignoranti, ait S. Augustinus, dæmon vel homo, machinari posset, sive privatim, sive publice per inundationes, incendia, tempestates, vastitatem agrorum, persecutiones, bella, excidia, etc.

Tertium. *Tertium* par est : « Deprecatio offensionis, et adjutorium casus; græce, φυλακὴ ἀπὸ προσκόμματος, καὶ βοηθεία ἀπὸ πτώσεως, id est, *custodia ab offensione, et adjutorium a casu.* Igitur Deus dicitur « deprecatio offensionis, » scilicet passiva vel objectiva, hoc est a quo deprecamur custodiam (ut habent Græca), ne uspiam offendamus et impingamus, idem est *adjutorium,* ne cadamus; vel, si ceciderimus, ut illico resurgamus. Est Hebraismus : Hebræi enim sæpe activa sumunt pro passivis, abstracta pro concretis, potentiam pro objecto. Sic passim in Psalmis Psaltes ait Deo : « Tu es spes mea, » id est objectum spei meæ, sive res a me sperata : « Tu es gloria mea, » id est objectum gloriæ meæ, tu es in quo et de quo glorior : « Tu es patientia mea, » id est is propter quem patior. Sic hic Deus dicitur « deprecatio offensionis, » id est is quem deprecamur, necubi nos offendere et labi permittat; nam *deprecari* et *precari* sunt contraria : precamur enim bonum, ut detur; deprecamur malum, ut a nobis avertatur. Hinc Ovidius, lib. I *De Ponto,* elegia 2 :

Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem;

quasi dicat : Nunc precor mortem, ut me tollat : nunc deprecor, ne me tollat; quasi dicat. Nunc vellem mori, nunc nollem. Sic deprecari periculum est illud aversari, et precari ne eveniat. Hinc *deprecari* per metalepsin est amoliri et de-

pellere, ut cum ait Cicero orat. 4 *in Verrem*: « Nunc vero quid faciat Hortensius? avaritiane crimina frugalitatis laudibus deprecetur? » id est depellat, et ita oret, ut ne quis avarus existimetur, sed magis frugalis. Et orat. *pro Plancio*: « Nec me solum deprecatorem, id est servatorem, fortunarum tuarum, sed comitem sociumque profitebor. » Et Plinius lib. XXVIII, cap. II: « Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur, » id est certis verbis, quæ vim habeant avertendi incendia ab ædibus. Sic quoque Deus est « deprecatio, » id est deprecator, hoc est servator, depulsor et propulsator « offensionis. » Atque hic sensus magis congruit cum Græco. Igitur Deus est « deprecatio, » hoc est amolitio sive amotio « offensionis, » puta custodia ab offensione, ut habent Græca, *q. d.* Deus est custodia, id est custos, qui suos ab offensa custodit, eamque longe ab eis amovet et amolitur. Minus genuine ergo Rabanus et Lyranus sic exponunt: « Deus est deprecatio offensionis, » id est « deprecationem pro offensione exaudiens. » Esto hic sensus aliis jam datis subserviat, cum iisque cohæreat.

Quartam. *Quartum* epithetorum Dei par est: « Exaltans animam, et illuminans oculos; » Tigurina: *Animam evehit, oculos illuminat;* Syrus: *Lætitia cordis, et lumen oculorum, q. d.* Deus est, qui animam in malum quodlibet, sive culpæ, sive pœnæ et adversitatis cujuslibet prolapsam erigit. Idem est, qui oculos mentis tum ignorantia cæcutientes, tum mœrore tabescentes illuminat, exhilarat et lætificat. Lux enim quia exhilarat, hinc symbolum est lætitiæ, sicut caligo tristitiæ. Igitur Dominus est in latere justorum, ut suos oculos in eorum necessitates intendat. Illis est « protector » potens, quia eos defendit a malo; et « firmamentum » forte, quia ipsos stabilit in bono: illis est « tegimen » ab æstu, cum a malis corporis protegit; et « umbraculum » a meridie, cum a superbia ex bonis successibus emergente, liberat. Illis est depulsor « offensionis, » ne scilicet in malum cadant: « Et adjutorium casus, » ne in dolos adversariorum impingant. Eorum tandem « animas » gratia « exaltat » eorum mentes sapientia « illuminat » et illis omnia bona per « sanitatem, vitam et benedictionem, » signata communicat.

Quintum. *Quintum* par est: « Dans sanitatem; vitam et benedictionem; » Tigurina: *Medicinam et vitam affert, ac prosperitatem;* Syrus: *Est sanitas vitæ et benedictionis,* non formaliter, sed causaliter, *q. d.* Deus est qui dat sanitatem corpori et menti, ac vitam tum naturalem animæ, tum supernaturalem gratiæ et gloriæ. Denique « benedictionem, » id est omne bonum, tum præsentis vitæ, tum futuræ et æternæ. Addit Syrus: *Omnia hæc dupla super justos veniunt.*

Præclare S. Bernardus, lib. V *De Consider. ad Eugen.*, cap. XI, Deum ita definit, vel potius describit; « Quid est Deus? quod ad universum spectat, finis; quod ad electionem, salus; quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo; creans mentem ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Quid est Deus? Non minus pœna perversorum, quam humilium gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique; cui illisa omnis pravitas conturbetur necesse est. Quidni in hanc omne tumidum vel distortum impingat et conquassetur? »

Dei pulchra scriptio.

Symbola crucis Christi.

Symbolice et prophetice Palacius censet per hæc epitheta quasi hieroglyphica denotari passionem et crucem, novemque dotes et fructus Christi crucifixi: Porro, inquit, sub illis divinis epithetis, quæ Deo Ecclesiasticus tribuit, latent eximiæ et excellentissimæ Christi laudes. Cum audis Deum esse « protectorem » seu clypeum, intelligis Christum pro nobis vulnerandum; nam clypeus excipit vulnera, quæ erat excepturus in pugna is qui clypeo protegitur. Qua ratione etiam dicitur murus et antemurale. *Secundo,* cum audis Deum esse « firmamentum » (cui scilicet domus innititur), intelligis Christum esse vehementer humiliandum, ut esset Ecclesiæ fundamentum, cui illa niteretur, ne flumina et venti in eam irruentes possent in ruinam impellere. *Tertio,* dum audis Deum esse « tegimen ardoris, » intelligis Christum fuisse pastorem, qui, ut sol non noceret ovibus, solis ardori se objecit melius quam Jacob, qui ita suum munus pastorale commendat: « Die noctuque æstu urebar et gelu, » *Gen.* XXXI, 40. *Quarto,* cum audis Deum esse « umbraculum a calore meridiano, » intelligis Christum hora sexta crucifixum, id est meridie; et tunc ardorem urentis solis, id est justitiæ divinæ, in se excepisse, juxta illud: « Super me transierunt iræ tuæ, » scilicet rigorem justitiæ Dei (qui nos erat adusturus) Christus in se excepit, ac ideo nobis solem in umbram redegit. *Quinto,* cum audis Deum esse « deprecationem offensionis, » intellige Christum, et in cruce et in cœlo deprecari Patrem, ne in nos pro nostris offensis sæviat. Tum etiam deprecari nos, ne eum offendamus. *Sexto,* cum audis Deum esse « adjutorium casus, » id intellige, cum nos cadendo decidimus in mortem et infernum, Christus inde nos erepturus in mortem et infernum descendit, ut manum nobis lapsis porrigeret. *Septimo,* quod dicit, « exaltans animam, » sic intellige: Christus nos secum in cœlum exaltabit; ut, sicut descendit in inferiores partes terræ ad nos erigendos, ita ascendit in summas partes cœli ad nos sibi jungendos. *Octavo,* cum dicit, « illuminans animam, » docet fore ut in cœlo in ejus lumine videamus lumen, id est in lumine gloriæ gloriosi simus futuri. *Nono,* cum ait, « dans sanitatem et vitam et benedictio-

nem, » notat qualis erit æternitas gloriæ, quam electis Christus est daturus, scilicet salus, vita et omnia bona. Ibi enim « inebriabuntur ab ubertate domus » Dei, « et torrente voluptatis » potabuntur : « quoniam apud te (inquit) est fons vitæ, » *Psalm.* XXXV, vers. 9 et 10.

QUARTA PARS CAPITIS,

DOCENS QUOD DEUS RAPTORUM ET IMPIORUM OBLATIONES NON PROBET, SED REPROBET.

Docuit hactenus Deum protegere et benedicere timentes se; nunc docet quinam illi sint, et in quo timor, id est cultus et reverentia Dei, consistat. *Primo* igitur asserit illam non consistere in oblationibus Deo factis ex rapina et impietate. Ait ergo :

Vers. 21. 21. IMMOLANTIS EX INIQUO (græce ἀδικοῦ, quod Complutensia vertunt, *injusto*) OBLATIO EST MACULATA, ET NON SUNT BENEPLACITÆ SUBSANNATIONES INJUSTORUM. — Syrus : *Sacrificia iniquorum, quæ iniquitas sunt, et* (id est idcirco) *non acceptantur oblationes eorum, q. d.* Qui sacrificium offert ex re iniqua, vel inique parta, hujus oblatio et victima quasi polluta displicet Deo; et oblationes « injustorum » potius sunt « subsannationes » et irrisiones Dei, quam veræ oblationes, *q. d.* Injusti per suas oblationes videntur potius ridere Deum, quam eum colere et revereri, tum quia in sua injustitia et hostilitate Dei permanere volunt; tum quia ex rapto aliove scelere victimas pollutas Deo offerunt. Taxat impios nonnullos, qui in rapinis, fraudibus, usuris, etc., vivunt, interimque oblationes Deo offerunt, quasi per eas scelera sua expient, aut Dei oculos excæcent, suisque muneribus corrumpant, ut ea dissimulet, nec puniat. Quæ est stolida blasphemia; facit enim Deum præsidem, vel participem et laudatorem rapinæ, furti aliarumque iniquitatum, uti faciebant Gentiles, qui singulis cupiditatibus suis et vitiis deum aliquem præficiebant, ut ejus ope per invocationem, vota et victimas, sibi conciliata, libere pleneque eas explerent. Sic libidini præficiebant Venerem, fraudi Mercurium, furtis Priapum, rapinæ Martem (unde ei spolia offerebant, ut ab eo plura rapiendi fieret facultas), voluptati Volupiam, ebrietati Bacchum, petulantiæ Salaciam. Vide S. Augustinum, lib. IV *De Civit. Dei*, cap. XI, et lib. VII, cap. XXI et XXII.

Pro *maculata* legit Noster μεμωμημένη, a μωμός, id est *macula*; jam legunt μεμωκημένη. Quod Complutensia vertunt, *ridicula*; Romana, *subsannata, q. d.* Deus ridet et subsannat oblationes factas ex iniquo. Rursum pro *subsannationes* Noster cum Romanis legit μωκήματα, id est *sannæ*, irrisiones; alii legunt μωμήματα, id est *maculæ*; Complutensia legunt δωρήματα, id est *dona*. Hinc Tigurina vertit : *Sacrificium ex injuste partis est irrisio sacrificantis, nec gratiam merentur donaria injustorum*, tum quia offerens est injustus, tum quia res oblata est injusta. Offert enim ex alieno, cum Deus honorandus sit ex proprio, ait Lyranus, juxta illud *Prov.* III, 9 : « Honora Dominum de tua substantia. » Unde S. Ambrosius, lib. VIII in cap. XIX *Lucæ* : « Dives, inquit, Zachæus est electus a Christo, sed dimidium bonorum suorum largiendo pauperibus, reddendo etiam in quadruplum, quæ fraude sustulerat; alterum enim non sat est, nec habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat; quia non spolia, sed dona quæruntur. »

Porro τὸ *ex iniquo* significat non tantum oblationes ex rapina similive injustitia, sed et ex quacumque iniquitate displicere Deo, puta si fiant ex violatione alicujus præcepti divini, sive Decalogi. Hinc oblatio Jephte, *Judic.* XI, 31, qua vovit, si victor e bello rediret, se primum e domo sibi occurrentem, etiamsi filia foret, immolaturum Deo, ac victor rediens reipsa immolavit eam Deo, ipsi displicuit; quia hoc non tam erat sacrificium, quam homicidium, imo parricidium vetitum quinto Decalogi præcepto : « Non occides. » Sic oblatio quam Pharisæi docebant filios, ut parentes egentes negligerent eisque dicerent, *corban*, id est munus hoc Deo dicavi; ergo tibi, o pater, illud dare non licet, reprobat Christus, *Matth.* XV, 6. Sic oblatio Saul ex pecoribus Amalec, quæ Deus jusserat occidi, quasi oblationem inobedientiæ, reprobavit, adeoque Saulem regno privavit Deus, I *Reg.* XV, 22 et seq. Unde Sapiens *Eccle.* cap. IV, 17 : « Multo melior, inquit, est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali. » Sic votum, quo quis vovet victimam, vel oblationem, v. g. filium consecrare Deo, si concubina potiatur, ex eaque illum suscipiat, turpis est, et displicet Deo, tum propter affectum in opus fornicationis, tum ob irreverentiam seu contumeliam, quæ per tale votum Deo irrogatur. Estque tacita blasphemia, quia dum serio promittis Deo quod scis esse malum, insinuas illud Deo placere, eoque coli et honorari. Similis irreverentia erit, si eodem animo impleas, uti docet P. Lessius, lib. II *De Justitia*, cap. XL, *De voto*, dub. 7, num. 36 et seq.

Dices : Christus, *Lucæ* XVI, 9, videtur contrarium suadere, imo præcipere; ait enim : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, » Respondeo « mammonam » id est divitias, vocari, « iniquitatis, » tum quia multorum scelerum sunt instrumenta; tum « iniquitatis, » quia iniquæ, id est infidæ, fallaces, fugaces, non fideles et stabiles, quales sunt opes spiritales et cœles-

tes, quas proinde illis opponit Christus eodem capite, vers. 11; tum denique quia iniqui solas eas putant esse divitias, quia divinas non norunt. Ita S. Augustinus, tract. 35 *De Verbis Domini*. Nam alioqui ex usuris et rapinis eleemosynam facere non licere, docet ibidem S. Augustinus, et habetur 14, quæst. V, *Can.* II et IX, ubi idipsum ex hoc Ecclesiastici loco probatur.

Vers. 22 22. DOMINUS SOLUS SUSTINENTIBUS SE IN VIA VERITATIS ET JUSTITIÆ, — supple, sufficit. Pii enim, qui sustinent et sperant in Deo, dicunt illi cum Psalte : « Quid mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, » *Psalm.* LXII, 26. Et cum S. Augustino : « Quæcumque hic varia quæris, ipse tibi Deus unus omnia erit. » Et cum S. Francisco : « Deus meus et omnia. » Vere noster Thomas a Kempis, *De Imitat. Christi*, lib. III, cap. XXXI : « Diu parvus erit, et in terra jacebit, qui aliquid magni æstimat, nisi solum unum immensum et æternum bonum. Et quidquid Deus non est, nihil est, et pro nihilo computari debet. »

Secundo, alii subaudiunt, « requiritur, » *q. d.* Deus solus requiritur a piis in eum vere et juste sperantibus. Ita Lyranus. Illi inquit, qui stant « in via veritatis et justitiæ, » habent solum Deum verum pro Deo, et illorum acceptat munera : raptores et avari habent aurum et pecunias pro Deo, gulosus delicias, luxuriosus voluptatem tactus; et idcirco eorum sacrificia non sunt accepta Deo.

Tertio, Palacius subaudit, « adorandus est : » Deus, inquit, adorandus est solus, non simul cum idolo Dagon, I *Reg.* V, id est non simul cum iniquitatis idolo; et adorandus est « in via veritatis et justitiæ, » non in via furti et rapinæ. Porro pii dicuntur sustinere Dominum, juxta illud Pauli, I *Corinth.* VI, 20 : « Glorificate et portate Deum in corpore vestro; » et illud Davidis *Psalm.* XXVI, 14 : « Viriliter age, et sustine Dominum; » ut sit mirabile gigantem a nano deferri : atqui Simeonem is gubernabat, quem deferebat, *Lucæ* II. Hæc Palacius.

Quarto et genuine, *q. d.* Dominus solus est Dominus, et ut Dominum se exhibet sustinentibus se « in via veritatis et justitiæ; » id est in via verre justitiæ, ut sit hendiadys; aut « in via veritatis » vitæ, quæ est practica, nec alia quam justitia et sanctitas. Ita Jansenius. Dominus solus, inquit, est sustinentibus se, hoc est solum agnoscit se pro Domino, et solum adest his qui patienter illum exspectant, viventes in via veritatis et justitiæ : ita ut nec verborum falsitate cuiquam imponant, nec injustitia operum quemquam opprimant. Hos solos agnoscit suos cultores et genuinos servos, et vicissim se illorum esse dominum. Quod hi offerunt, id demum illi gratum est, imo ipsa veritas et justitia, quam servant, illi est gratissimum sacrificium.

Hic versus jam deest in Græco et Syro.

Moraliter nota : Quod Deus, licet sit Deus et pater omnium, præsertim justorum, maxime tamen talis est « sustinentibus se, » id est constantibus et fortibus. Gloriatur, videlicet Dominus, se esse dominum virorum robustorum, qui in via veritatis et justitiæ perseverant, et virtutis impedimentis eos a bono trahentibus obsistunt. Sicut enim homo gaudet, si habeat servos fideles; et rex lætatur, si milites habeat fortes ac robustos, qui nunquam eum in acie deserant, nec hostibus terga vertant : ita Dominus de suorum servorum ac militum constantia et firmitate vehementer exsultat.

23. DONA INIQUORUM NON PROBAT ALTISSIMUS, NEC RESPICIT IN OBLATIONES INIQUORUM : NEC IN MULTITUDINES SACRIFICIORUM EORUM PROPITIABITUR PECCATIS. — Docuit dona ex iniquo facta non placere Deo : nunc id extendit ad omnia « dona iniquorum, » etiam ex æquo et proprio facta. « Iniquorum, » intellige in sensu composito, scilicet in iniquitate sua persistentium; nam si de ea pœniteant, eamque serio abdicare velint, utique dona eorum et sacrificia pro peccato acceptabit Deus. Hæc enim ipse sanxit et instituit *Levit.* III. Nam, ut ait Psaltes *Psalm.* L, 19 : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. » Possunt tamen per *iniquos* hic accipi quivis in peccato mortali existentes, etiamsi in eo iterando non persistant. Horum enim dona non probat Deus, sicut probat dona justorum, tanquam amicorum et filiorum suorum, ad promerendum de condigno majorem gratiam, et peccatorum veniam. Unde ex hac Siracidis sententia docent probantque Doctores satisfactionem ejus qui est in peccato mortali, non valere ad remissionem pœnæ, nec pro ea satisfacere; sed ut satisfactio valeat, debere eum qui satisfacit, præditum esse Dei gratia et charitate. Ita passim Scholastici cum Magistro et S. Thoma, in IV, dist. XV, unico Scoto excepto, quem passim alii refutant. Vers. 23

Per *dona* accipe victimas, oblationes, eleemosynas, vota et quælibet alia, quæ Deo, vel in honorem Dei damus et offerimus. Alludit ad *Prov.* XV, 8 : « Victimæ impiorum abominabiles Domino : vota justorum placabilia. » Græca de more concisa sic habent : *Non complacet Altissimus oblationibus impiorum, neque in multitudine sacrificiorum propitiatur pro peccato.* Sic et Syrus. Intellige hæc de sacrificiis, quæ solum vim impetrandi habent ex opere operantis, sive ex virtute et merito sacrificantis, qualia erant sacrificia legis veteris : nam in lege nova sacrificium Eucharisticum vim suam habet ex opere operato, esto sacerdos operans et sacrificans sit impius. In eo enim primarius sacerdos et offerens est Christus, qui est Sanctus sanctorum, uti docet Concilium Tridentinum. Veritatis hujus sententiæ testis est Cain, ad cujus, utpote impii et avari, « munera non respexit Deus, » sed ab Abelis pii

et liberalis, *Genes.* IV; et Judæi, quibus ait Isaias cap. I, 11: « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum; holocausta arietum, et adipem pinguium, etc., nolui: incensum abominatio est mihi. » Causam subdit, vers. 15: « Manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. »

S. Columbanus sprevit dona impii regis.

Recentius magisque appositum exemplum est in *Vita S. Columbani*, libere et fortiter objurgantis Theodoricum impium Gallorum regem. Cum enim aliquando adventum ejus rex cognovisset, cœnam regio cultu, et reliqua necessaria ad ejus hospitium longo famulorum ordine deferri curavit; quæ ut vidit Columbanus, vultu et voce aversatus est, prolato versu illo e Scriptura: « Munera impiorum reprobat Altissimus, » indignumque esse ut Dei servorum ora ejus cibis polluerentur qui cum ipsis tam injustum bellum gereret. Vix autem verba finierat, cum vasa omnia, quibus cibi illi continebantur, disrupta sunt, vinum et sicera in terram effusa, reliqua huc illuc disjecta. Qua re attoniti ministri, rex etiam ipse territus accurrit, seque in ejus potestate fore in rebus omnibus pollicitus est; quem tamen brevi ad vomitum reversum, iterum Columbanus severioribus objurgationibus et minis aggressus est. Idem dixit fecitque S. Antonius de Padua Ezelino tyranno munera offerenti, uti habet ejus Vita.

Poro cum ait: « Dona iniquorum non probat Altissimus; » noli hinc inferre omnia infidelium (multo minus fidelium peccatorum) opera esse peccata, ideoque Deo exosa, uti olim nonnulli opinati sunt, et subinde indicare videtur S. Augustinus. Hic enim jam manifestus est error; infideles enim et impii, etiam in impietate persistentes, nonnulla faciunt opera virtutum moralium, ideoque moraliter bona, ut cum dant eleemosynas pauperibus, cum victimas Deo offerunt, cum honorant parentes, etc.; quæ quia honesta et virtuosa sunt, utique Deo placent et probantur. Dicitur ergo Deus ea non probare, quia dantes et offerentes non probat, ut propter ea velit illis reconciliari, dareque gratiam et gloriam. Denique per *iniquos* intellige quoslibet, sed maxime raptores, qui ex rapinis pauperum dona Deo vel proximis offerunt: de his enim sermo præcessit et sequitur. Atque hæc est summa iniquorum iniquitas.

Vers. 24. 24. QUI OFFERT SACRIFICIUM EX SUBSTANTIA PAUPERUM, QUASI QUI VICTIMAT FILIUM IN CONSPECTU PATRIS SUI. — Tigurina: *Filium coram patre mactanti similis est, qui e bonis pauperum sacrificat*; Syrus: *Sicut qui occidit filium coram patre ejus, sic qui offert oblationem ex eo quod pauperum est*; quia ex substantia pendet vita pauperum. Qui ergo eam aufert pauperi, vitam eidem aufert: quod tantumdem est ac mactare et victimare filium in conspectu patris, quia pauper est filius Dei. Nam, ut ait Psaltes *Psalm.* X, 14: « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. » Et ut ait Lyranus: Licet Deus sit pater omnium per creationem, tamen speciali modo est pater pauperum per hæreditatis promissionem, dicens *Matth.* V, 3: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Unde Græca, omisso τὸ *quasi*, nervosius et significantius sic habent, θύων, id est *mactat*; vel magis proprie, « victimat » et sacrificat « filium in conspectu patris sui, qui adducit sacrificium ex pecunia pauperum, » *q. d.* Qui sacrificium offert ex bonis pauperum, non tantum similis est mactanti filium, sed reipsa vere et proprie mactat victimatque filium in conspectu patris; quia eripiendo illis bona eripit pariter et vitam, quæ bonis erat sustentanda: illis, inquam, quos ab aliis desertos peculiariter sibi quasi filios arrogat et adoptat Deus.

Victima ex rapina pauperum quinque habet crimina.

Quare in uno hoc crimine quinque immania crimina continentur: *Primum* est rapinæ: quod bona alteri, eique pauperi, eripiat. *Secundum*, homicidii: quod, eripiendo bona pauperi, eripiat et vitam. *Tertium* parricidii: quod occidat filium in conspectu patris, ut videatur patrem cum filio occidere, quorum uterque sibi est frater, utpote filius ejusdem Dei patris: pater enim in filio, quem moriens post se hæredem et quasi alterum se relinquet, vivit manetque superstes; quare si filius moriatur, pater ei se commori existimat: ideoque qui filio necem struit, petit jugulum patris, patremque quasi interimit, utpote qui vivat in filio, ac subinde magis quam in seipso; ubi enim est amor, ibi est et anima et vita. *Quartum*, deicidii: quod Filium Dei in ipso Dei conspectu perimat; qui enim Filium Dei tangit et violat, ipsum Deum, utpote patrem, tangit et violat. *Quintum*, sacrilegii: quod Filium Dei Deo dilectissimum non tantum occidat, sed et victimet, id est in holocaustum offerat Deo Patri. Quo quid tristius, quid immanius, vel horribilius dici aut cogitari potest? Nam, ut ait S. Gregorius, lib. VII, *epist.* 111: « Quantus dolor patris sit perpendimus, si in ejus conspectu filius victimetur. Et hinc facile cognoscemus quantus apud Deum dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur. » Et S. Chrysostomus, hom. 33 *ad Populum*: *Quod eleemosyna est ars omnium quæstuosissima*, ut ad eam suos incitet et a rapina avertat: « Audi, ait, Scripturam dicentem: Sicut qui occidit filium coram patre, ita qui offert sacrificium ex pecuniis pauperum. Hanc itaque comminationem mente scribentes habeamus, hanc in parietibus, hanc in manibus, hanc in conscientia, hanc ubique: ut vel hic timor vigens in cordibus nostris, manus nostras a quotidianis cohibeat cædibus; cæde namque pejor est rapina, paulatim pauperem devorans. »

S. Isidorus, lib. III *Sentent.* cap. LX: « De rapinis, ait, eleemosynam facere non est officium miserationis, sed emolumentum sceleris. Unde et

Salomon : Qui offert, inquit, sacrificium de rapina pauperum, tanquam si quis victimet filium in conspectu patris sui. Qui enim injuste tollit, juste nunquam distribuit : nec bene alteri præbet, quod ab alio male extorquet. »

Plenius S. Gregorius (et ex eo Rabanus hic), III part. *Pastor.* admon. 22; citato enim Isaia, cap. LXI, 8 : « Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto, » subdit : « Sed quanta eos animadversione renuat, per quemdam sapientem Dominus demonstrat, dicens : Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Quid namque esse intolerabilius potest, quam mors filii ante oculos patris? Hoc itaque sacrificium quanta ira aspiciatur, ostenditur : quod orbati patris dolori comparatur. Et tamen plerumque quanta tribuunt, pensant; quanta autem rapiunt, considerare dissimulant : quasi mercedem numerant, et perpendere culpas recusant. Audiant itaque quod scriptum est : Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. In sacculo quippe pertuso videtur, quando pecunia mittitur; sed quando amittitur, non videtur. Qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuso sacculo mercedes mittunt : quia profecto has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt. »

Offerens spolia pauperum victimat Christum : cur?

Amplius et profundius explicat noster Salazar in *Eccli.* XXXIV, 24, in fine; *q. d.* « Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris, » id est perinde facit ac si victimaret Christum in conspectu Dei Patris. Cum enim Christus per fidem, gratiam, amorem, Eucharistiam, ac curam peculiarem sit et vivat in pauperibus, fidelibus et christianis; hinc qui illis per rapinas necessaria vitæ adimit, vitam ipsi Christo, qui in eis vivit, adimere videtur, itaque quasi christicidium in conspectu Dei Patris committere. Rursum patri ingrata est et luctuosa mors filii, quia scilicet bonorum suorum legitimo hærede privatur. Cogita ergo pauperes speciali jure ad Christi hæreditatem vocari, *Jac.* II, 5 : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni? » Nam licet ejusmodi pauperes per bonorum defraudationem maturius sublati, sorte hæreditaria regni ac vitæ æternæ non priventur; tamen majorem illam sortem amittere dicendi sunt, quam, si diutius viverent, per voluntariam paupertatis tolerantiam assiduis promeritis attingerent : atque adeo, quod ad eam majorem sortem spectat, sublato per injuriam paupere, Deus ipse legitimo hærede privari quodam modo dici potest. Hunc sensum indicat Syrus, cujus verba vers. 27 citabo.

Pauper ergo repræsentat personam Christi, ut quod boni vel mali fit pauperi, hoc ipsum Christus sibi factum æstimet. Qua de re mirum exstat exemplum apud Leontium in *Vita S. Joannis Eleemosynarii*, de Petro Telonario, qui ex avaro per visionem angelicam factus liberalis, omnia sua in pauperes distribuit, imo veste sua pretiosa se exuens, illam dedit pauperi naufrago. Hic eam vendidit : venditam videns Petrus indoluit; sed Christus ei apparens, illa se indutum ostendit, dixitque : « Quid ploras, Petre? Ecce ego illa vestior, ex quo mihi illam dedisti, et gratias ago bonæ voluntati tuæ; quoniam frigore affligebar, et tu cooperuisti me. » Ad se ergo reversus Petrus cœpit beatificare egenos, ac dicere : « Vivit Dominus, si inopes Christus meus sunt, non moriar, et fiam tanquam unus ex eis. » Quare secretario suo jussit ut se venderet, ac pretium daret pauperibus. Venditus ergo triginta nummis servivit hero instar mancipii, ac probra verberaque a conservis excipiens, patienter omnia sustinebat, ita ut haberetur et vocaretur amens. Agnitus tandem a notis eo peregrinantibus, et ad domum heri divertentibus, ut vanam gloriam fugeret, e domo heri profugit, ac in fuga janitori domus surdo et muto, usum tam linguæ quam aurium restituit. Subjungit Leontius pari modo se vendidisse Serapionem Sidonium, sicut S. Paulinus Nolæ Episcopus pro filio viduæ Wandalis se vendidit pauperum amore, ut Christum, qui cum dives esset, pro nobis pauper effectus est, pauperem pauper sequeretur. Quod proinde ejus factum miris laudibus celebrant S. Augustinus et S. Gregorius. Denique S. Gregorius Nazianzenus, in *Carmin.* sic canit :

> Christum tegis nutrisque pauperem nutriens :
> Relictis omnibus Christum tibi solum compara.

Vers. 25. 25. PANIS EGENTIUM VITA PAUPERUM EST : QUI DEFRAUDAT ILLUM, HOMO SANGUINIS EST. — Probat quod dixit : « Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium, » etc., hoc syllogismo : Substantia sive panis pauperum est vita eorum, quia vita eorum pane sustentatur : atqui qui offert sacrificium ex substantia pauperum, hic aufert eis substantiam et panem; ergo hic aufert eis vitam. Ergo qui panem illis proprium vel debitum « defraudat, » id est fraude eripit vel privat, hic « homo sanguinis, » id est sanguinarius et homicida, « est. » Ita legunt Romana et Complutensia. Verum Græca Romæ correcta habent : *Qui defraudat illam*, scilicet vitam pauperum, *homo sanguinis est;* sic et Tigurina : *Panis tenuis est vita pauperum : qui defraudat eum, est vir sanguinarius.* Sed eodem redit sensus : defraudat enim vitam pauperum, qui defraudat panem; nam pane conservatur vita. Ergo qui panem aufert a paupere, aufert ab eo vitam : *primo*, hoc facit fur, et raptor, qui panem ei eripit; *secundo*, qui mercedem pro opere illi debitam negat, uti explicat versu sequenti; *tertio*, qui exigit rigide debitum a paupere, qui quod solvat non habet, nisi se privet pane ad vitam necessario, uti sæpe faciunt principes et divites avari; *quarto*, qui pauperi in magna egestate et fame constituto panem

non elargitur; juxta illud S. Ambrosii : « Pasce fame morientem : si non pavisti, occidisti.» Unde Syrus vertit : *Panis opprobrii, vita pauperum; et qui denegat eum illis, effundit sanguinem innocentem.*

Vers. 10 et 11

26 et 27. QUI AUFERT IN SUDORE PANEM, QUASI QUI OCCIDIT PROXIMUM SUUM. QUI EFFUNDIT SANGUINEM, ET QUI FRAUDEM FACIT MERCENARIO, FRATRES SUNT, — id est similes et pene pares in scelere, ait Rabanus et Lyranus. Est Hebraismus : nam « panem in sudore » idem est quod *panem sudoris*, hoc est sudore partum. Hebræi enim sæpe regimen genitivi exprimunt per ablativum cum præpositione *in*. Duo ergo genera peccatorum comparat, et pene æquat homicidio : *Primum*, eorum qui substantiam sudore pauperis comparatam illi auferunt; *secundum*, eorum qui mercedem mercenario debitam vel negant, vel minuunt, vel aliis modis aggravant et intervertunt. Hosce vocat *fratres* homicidæ : quo significat eos non esse proprie homicidas; homicidium enim gravius est furto et rapina; sed illi affines et similes, imo vere homicidas in causa, quia furtum hoc pauperi factum tendit ad ejus necem et mortem, ejusque est causa : unde est homicidium non formale, sed causale. Græca de more concisa duas sententias jam dictas in unam hanc conflant : *Qui aufert victum, occidit proximum; et qui fraudat mercedem mercenarii, effundit sanguinem;* Tigurina : *Quem quis victu privat, eum interficit; et qui mercedem subtrahit mercenario, effundit sanguinem.* Hinc defraudatio mercedis operariorum vocatur peccatum clamans in cœlum a S. Jacobo, cap. v, vers. 4. Vide ibi dicta. Porro Syrus mire vertit : *Qui occidit proximum suum, hæreditat opes ejus; et qui effundit sanguinem innocentem, Deum orbat suo filio et hærede.* Talis enim est innocens, imo « homo est hæreditas et peculium Dei, » ait Sapiens. Pergit Syrus : *Qui fraudat mercedem mercenarii, fraudat creatorem suum, et ipse recepit retributionem malam.* Vide dicta vers. 24, in fine.

Vers. 28.

28. UNUS ÆDIFICANS, ET UNUS DESTRUENS, QUID PRODEST ILLIS NISI LABOR? (græce, *quid lucrantur amplius quam labores?*) UNUS ORANS, ET UNUS MALEDICENS (eidem pro quo alter orat), CUJUS VOCEM EXAUDIET DEUS? — Tigurina : *Cum quod exstruit unus, alter destruit, quid præter laborem redit ad utrumque? Cum quod precatur unus, alius deprecatur* (Vatablus, *cum quod alius optat, exsecratur alius*), *utrius vocem exaudiet Dominus?* Syrus : *Unus ædificat, et alius destruit, quid utilitatis acquirunt nisi laborem vanum? Unus benedicit, et alius maledicit, cujus e duobus vocem exaudiet Deus?*

Ædificans et destruens nil lucratur nisi laborem.

Primo.

Primo, Hugo et Dionysius hæc referunt ad dicta vers. 21 et 24, puta ad illum qui immolat ex iniquo et ex substantia pauperum, *q. d.* Talis, esto bonum opus immolationis ædificet, tamen quia illud destruit immolando ex iniquo et ex rapina pauperum, hinc nihil lucratur nisi laborem : ac licet sacerdotes, quibus offert, illi benedicant; tamen pauperes, a quibus ea rapuit, illi maledicunt, ait Dionysius. Verum obstat quod talis nil boni ædificet; esto enim opus immolationis in genere, et abstracte consideratum, sit bonum; tamen spectatum in individuo, quatenus hic et nunc fit ex rapina pauperum, absolute et intrinsece est malum. Talis ergo nihil ædificat, sed totum opus suum pervertit et destruit.

Secundo.

Secundo, melius Palacius hæc refert ad vers. sequentem, ut idem sit *ædificare* et *destruere* quod baptizari a mortuo, et iterum eum tangere, hoc est pœnitere de peccato, et mox ad peccati vomitum redire : ut tres hæ parœmiæ, scilicet *prima*, ædificantis et destruentis; *secunda*, benedicentis; *tertia*, baptizati et redeuntis ad sordes, idem significent, scilicet nihil prodesse peccati pœnitentiam, si post eam pœnitens iterum peccat.

Tertio.

Tertio, alii referunt hæc ad malum discordiæ in civitate, republica, monasterio et quavis congregatione, *q. d.* Dum in cœtu aliquo est discordia, et quod unus ædificat, alter destruit; tunc omnes utrinque labores sunt sine fructu, cassi et inanes, nullaque omnium est utilitas; nisi quod utrinque laboretur incassum. Hic sensus parœmiæ congruit, sed huic loco est incongruus et impertinens; non enim agitur hic de concordia, sed de immolatione impiorum.

Quarto et genuine.

Quarto et genuine, Rabanus, Lyranus, Jansenius et alii hæc referunt ad vers. 23, puta ad dona iniquorum, *q. d.* Iniqui nil acquirunt ex oblationibus quas Deo eas improbanti offerunt, nisi inanem laborem. Est prolepsis sive occupatio; præoccupant enim objectionem, quam quis hic facere posset, dicendo : Dona iniquorum in se bona sunt, nec ab iniquitate manant, ut ab ea vitiari possint : ergo illa in se honesta sunt, Deoque grata. Respondet ea in se bona esse, Deoque grata, sed inania et inutilia donantibus; quia quod ipsi una manu ædificant, altera destruunt.

Dices : Iniquus offerens sua dona est una eademque persona; hic autem assignantur duæ personæ, scilicet, una ædificans, altera destruens. Unde in plurali subdit : « Quid prodest illis (non illi) nisi labor? » Ergo de illo hæc parabola accipi nequit. Respondeo, iniquum offerentem dona Deo esse unam personam formaliter, sed duas virtualiter, sive politice et interpretative. Talis enim, quatenus offert dona Deo, est persona ædificans sua pietate et religione opus bonum, æque ac proximum. Idem vero, quatenus multa iniqua perpetrat, interpretative est alia persona; scilicet, suis vitiis et iniquis moribus destruens meritum et impetrationem suæ bonæ oblationis. Gravis enim multorum, etiam sacerdotum, Scribarum et Pharisæorum erat error, totam sanctitatem collocantium in externis sacrificiis, cæremoniis, lustrationibus a Deo in lege præscriptis. Unde censebant licere sibi rapere, fornicari, calumniari omniaque scelera peragere, modo Dei veri cultum externum retinerent : omnia enim scelera expiari

victimis pro peccato. Tales sunt etiamnum multi inter christianos, qui abutentes illo dicto Christi : « Quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis, » *Luc.* XI, 41, expilant pauperes, pupillos opprimunt, usuras exercent, pejerant, fraudant, ac gravia quæque perpetrant : pro quibus omnibus se Deo satisfacere censent per eleemosynas, quas dant pauperibus et Religiosis hoc fine, ut ipsi pro se orent, Deumque pro peccatis suis placent. Sacerdotes nonnulli impure vivunt; censent tamen se officio suo egregie satisfacere, si eloquenter concionentur, et Missas celebrent. Contra quos ait S. Prosper : « Bene loqui et male vivere, non est aliud quam se sua voce damnare. » Alii peculiares devotiones sibi inducunt, v. g. die sabbati jejunant, rosarium recitant, Officium legunt in honorem B. Virginis, et interim in gravibus sceleribus persistunt, persuasi neminem posse perire et damnari qui colat B. Virginem, eo quod ipsa sit mater misericordiæ. Quæ omnia diabolus eis astute suggerit, ut per hosce errores et illusiones eos pertrahat in gehennam.

Hæc refellit hic Siracides, *q. d.* Erratis, o miseri et cæci, quia dona iniquorum in iniquitate persistentium non probat Altissimus. Etsi enim dona et oblationes in se bonæ sanctæque sint, utpote actus virtutum, religionis, eleemosynæ, abstinentiæ, etc., ideoque Deo gratæ et acceptæ; non tamen ob eas gratus et acceptus est Deo, is qui ea donat et offert, si sit impius, et in scelerata vita persistat, juxta id quod dixit vers. 23 : « Nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. »

Rationem dat hoc versu : quia quod ipse, ut pius, donando et offerendo, ædificat, id est recte beneque facit, aliisque dat virtutis exemplum; hoc idem, ut impius, et quasi alter, a se pio diversus, suis sceleribus assiduis destruit. Quare suis donis et oblationibus omnem reconciliandi et impetrandi vim adimit, eaque enervat et suffocat, ut nihil ei restet nisi labor boni operis et perditæ donorum expensæ : sicut cum unus ædificat domum, alter postridie destruit id quod ædificatum est; nil lucratur uterque nisi laborem continuum ædificandi et destruendi. Rursum, quod ipse, ut pius, per se, vel per pauperes et Religiosos, quorum preces per eleemosynas deposcit, orat et obsecrat ut fiat, hoc ipse, ut impius, maledicit et reipsa orat, ut non fiat, dum Deum suis sceleribus irritat et ad vindictam provocat, adeoque se omnem virtutem, gratiam et benedictionem odisse et exsecrari, reipsa et interpretative scelerate vivendo protestatur. Insuper dum pauper vel Religiosus pro eo orat, illique benedicit et bene precatur; alii quos expilavit, quibusque multas injurias intulit, eidem maledicunt, omnesque diras imprecantur. Cujus, vel quorum, vocem audiet Dominus? utique audiet tam maledicentium quam benedicentium : illorum ergo vox horum vocem elidet et enervabit, ut nihil a Deo impetret vel consequatur. In parœmiis enim similitudo rei significatæ per omnia præcise adæquari nequit; alioqui non esset similitudo, sed res ipsa. Sensus ergo est, *q. d.* Is qui nunc impie vivit, nunc dona Deo offert, similis est duobus, quorum unus ædificat, alter quod ædificatum est destruit : imo similis est uni eidemque qui stolide prius ædificat, postea ædificatum destruit, uti Penelope telam per diem textam nocte retexebat, ne, si eam pertexeret, ex promisso cogeretur nubere suis procis.

Intellige (ut dixi) : si offerens vel dans eleemosynam, aliudve bonum opus agens, in peccatis perseverare velit, non actu (si enim actu, vitiosa esset oblatio et bonum opus : vitiaretur enim hac mala circumstantia, puta voluntate perseverandi in peccatis), sed habitu. Nam si velit pœnitere etiam voluntate languida et inefficaci, id est si desideret pœnitere et vitam corrigere, ideoque offerat donum vel bonum opus, ut gratiam pœnitendi vitamque emendandi a Deo impetret, bonum validumque erit donum et opus, ac Dei gratiam impetrare poterit. Quocirca Daniel; cap. IV, 24, Nabuchodonosor regi infideli et tyranno suasit, dicens : « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. » Vide ibi dicta.

Vers. 30. et 31.

30 et 31. QUI BAPTIZATUR (Syrus, *qui lavatur*) A MORTUO, ET ITERUM TANGIT EUM, QUID PROFICIT LAVATIO ILLIUS? SIC HOMO QUI JEJUNAT IN PECCATIS SUIS, ET ITERUM EADEM FACIENS, QUID PROFICIT HUMILIANDO SE? ORATIONEM ILLIUS QUIS EXAUDIET? — « A mortuo, » id est propter, vel post contactum mortui : aut potius « a mortuo, » id est ab immunditia legali contracta a mortuo, dum eum tetigit. Est metonymia. S. Gregorius, lib. IX, *epist.* 39, et in *Psal.* IV *pœnitent.* ad illud : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, » et eum secuti Rabanus et Hugo, hæc accipiunt de sacramento Baptismi et Pœnitentiæ, *q. d.* Qui abluitur « a mortuo, » id est a peccato, et iterum illud perpetrat, quid prodest ablutio ejus? « Post lavacrum, ait Rabanus, mundus esse negligit quisquis post lacrymas vitæ innocentiam non custodit. Et lavantur ergo, et nequaquam mundi sunt qui commissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt. Quibus ait Isaias cap. I, 16 : Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. » Et Hugo : « Qui baptizatur a mortuo, ait, hoc est, qui mundatur a peccato aqua compunctionis, si rursus illud tangit, nihil ei prodest, quia sequens culpa pœnitentiam perdit. » Verum hic sensus mysticus est : nam ad litteram baptismus tempore Siracidis non erat Sacramentum, sed diu postea ad id institutus fuit a Christo; quare Baptismus hic legalis accipiendus est, puta ablutio lege præscripta *Num.* XIX, qua qui tetigerunt cadaver mortuum, ideoque juxta legem erant immundi, nec ingredi poterant templum, se mundare et purificare debebant

Baptizari a mortuo, quid? Responsio prima.

Secunda et vera.

ablutione aquæ lustralis, confectæ ex cinere vitulæ rufæ, *q. d.* Qui, abluendo corpus aqua hac lustrali, expiavit immunditiem legalem, quam contraxit ex contactu mortui, puta cadaveris, si iterum tangat cadaver, quid prodest ei prior ablutio? *q. d.* Nihil; nam rursum per contactum mortui factus est immundus, uti erat ante, ideoque novo eget baptismo novaque ablutione: sic pariter « homo qui jejunat in peccatis suis, » id est propter peccata sua (est enim Hebraicum ב, id est *in*, pretii, significans *propter*), scilicet abolenda, ut eorum veniam impetret, pro iisque satisfaciat; si illa iteret et rursum perpetret, nihil prodest ei prior humiliatio, id est *jejunium*, ut vertit Syrus (jejunium enim debilitat corpus, et consequenter humiliat animam. Unde illud crebrum in Scripturis : « Humiliate in jejunio animas vestras »), nec Deus orationem ejus exaudiet, quia ad peccatum rediit, quasi canis ad vomitum et sus ad lutum : unde sordidus, imo sordidior est quam fuit ante. Vide dicta II *Petri* II, 22. Ita Syrus et Tigurina : *Si quis ablutus*, ait, *a cadavere, rursus idem contigerit, quid ei prodest ablutio? Similiterque cum quis se propter peccata sua macerat, abitque rursum, et patrat ea* (alii, *et rursum ea commissum it*), *quis preces ejus exaudiet? aut quid sibi afflictione sua profuit?* Nam, ut ait Ezechiel, cap. XVIII, 24 : « Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, etc., omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, etc., in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. » Pœnitenti ergo, si relabatur in peccata, nil prodest pœnitentia præterita ad gratiam et salutem : prodest tamen eatenus, quatenus per eam deleta sunt præterita peccata, ut propter ea non sit puniendus in inferno. Rursum si a peccatis posterioribus resurgat, reviviscit prior pœnitentia, gratia, virtutes et merita, uti docent Theologi, ut propter ea copiosiorem et gratiam et gloriam sit recepturus.

Nota : Tò *et iterum tangit eum* olim in nonnullis codicibus deerat, ut apud S. Pacianum, epist. 2 *ad Sempronianum* : « Qui, inquit, baptizatur a mortuo, nihil proficit, utique qui hæretico fonte dilutus; sic te qui peccatoris oleo ungitur, id est qui spiritu satiatur immundo. » Sic quoque legit S. Cyprianus, indeque probat baptismum, ab hæreticis collatum, esse invalidum, ideoque baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos. Sic enim ait epist. *ad Quintum* : « Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus? Manifestum est autem eos, qui non sunt in Ecclesia Christi, inter mortuos computari, nec posse ab eo vivificari alterum, qui ipse non vivat, quando una sit Ecclesia, quæ vitæ æternæ gratiam consecuta, et vivit in æternum, et vivificat Dei populum. » Sic quoque hic locus explicatur in Concilio Carthaginensi, cui præfuit S. Cyprianus (unde et exstat inter opera S. Cypriani), quod per *mortuum* pariter accipit hæreticum, ideoque baptismum ab eo collatum censet esse irritum et iterandum. Hic fuit error S. Cypriani, cujus culpa passionis et martyrii falce recisa est, ait S. Augustinus. Asseclæ vero ejus, quia in eo, postquam ab Ecclesia damnatus fuit, pertinaciter perstiterunt, hinc effecti sunt hæretici, et cognominati Donatistæ : qui pariter hæc verba Ecclesiastici catholicis objiciebant; quibus respondet S. Augustinus, lib. II *Contra Crescent.*, cap. XXV : « Cum audierit Catholicus : Qui baptizatur a mortuo, non ei prodest lavatio ejus; respondebit : Vivit Christus, et jam non moritur, et mors ultra ei non dominabitur; de quo dictum est *Joan.* V : Ipse baptizabit in Spiritu Sancto; baptizantur autem a mortuis, qui baptizantur in idolorum templis (in nomine mortuorum, id est deorum et idolorum). Non enim et ipsi a sacerdotibus suis se accipere arbitrantur sanctificationem, quam putant, sed a diis suis. Qui quoniam homines fuerunt, et ita mortui sunt, ut neque super terras, neque in requie Sanctorum vivant, vere ipsi a mortuis baptizantur. » Verum, ut dixi, non agitur hic de baptismo christiano, utpote tum necdum instituto, sed de ablutione judaica. Atque addenda sunt illa verba : « Et iterum tangit eum, » quæ alium sensum, quem initio dedi, exposcunt. Illa enim constanter addunt codices Græci et Latini; unde et S. Augustinus ibidem, cap. XXVII, idem innuens, vel subdubitans : « Inspice, ait, diligenter codices antiquos, et maxime Græcos, ne forte ipsa verba aliter conscripta ex præcedenti et consequenti contextione sermonis alium sensum intiment. »

Moraliter S. Eligius, qui floruit anno Christi 640, *homil.* 8 : « Qui, ait, substantiam suam tribuit Deo, et animam suam offert inimico (diabolo), impletur in eo quod scriptum est : Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus? » Sic et S. Gregorius in *Psal.* VI *Pœnit.* ad illud : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* : « Ille, ait, lavatur a mortuo, qui per pœnitentiam mundatur a peccato. Quem si contigerit eadem, quæ punierat, iterando peccata committere, nihil contulisse videtur adhibita satisfactionis lavatio, quem maculavit inhonestius iterata facinoris turpitudo. » Tropologice.

Idem, III part. *Pastor.*, admon. 31 : « Baptizatur, inquit, a mortuo, qui mundatur fletibus a peccato; sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. » Quæ verba citantur de Pœnitentia, dist. III, cap. *Baptizantur;* nam, ut idem S. Gregorius ait, lib. IX, *epist.* 39 : « Mortuum est omne opus perversum, quod pertrahit ad mortem, quod vita justitiæ non vivit. »

Denique, licet hæc sententia proprie loquatur de peccato gravi et mortali : hoc enim significatur per *mortuum cadaver;* tamen analogice adaptari potest peccatis et vitiis venialibus, præsertim voluntariis, de quibus multi pœnitent et confitentur, sed illico in eadem relabuntur : unde in suis

Error S. Cypriani de rebaptizandis hæreticis.

hisce defectibus manent, jacentque mortui et insensibiles ad omnia monita confessariorum, rectorum, prædicatorum. Hi enim in virtute non proficiunt, nec a Deo illuminantur, aut gratiam donumve insigne accipiunt : quia illi per hos defectus obicem ponunt, quem si generose removeant et exstirpent, utique magna divinorum luminum et charismatum dona percipient.

Relapsus gravior lapsus, cur?

Hinc disce recidivam peccati ipso peccato esse graviorem et periculosiorem, tum ob graviorem offensam et ingratitudinem, quam affert relapsus post acceptam veniam; tum quia relapsus lapsum priorem renovat et auget, unde solet lapsu esse major et profundior; tum quia Deus relapsum abominatur, deserit et despicit, imo acriter castigat. Unde Christus ad languidum a se sanatum : « Ecce, ait, sanus factus es : jam noli peccare; ne deterius tibi aliquid contingat, *Joan.* v, 14 : « Quibus verbis, ait Cyrillus, significavit per peccati iterationem hominem in deteriora prolabi mala. Quid prodest, obsecro, studiose vestes abluere, et lotas rursum luto inquinare? Quid lavare manus, et ablutas iterum contaminare sordibus? sicut sus lota, dicit Sapiens, in volutabro luti; ita stultus qui iterat stultitiam suam. » Eadem de causa Christus adulteram absolvens monuit, dicens : « Vade, et jam amplius noli peccare, » *Joan.* VIII, 11. Ubi S. Cyrillus, vel potius Judocus Clictovæus, doctor Parisiensis : hic enim quatuor medios S. Cyrilli in Joannem libros, qui interciderunt (vidi tamen eos Romæ græce scriptos, et reddentes stylum S. Cyrilli, atque est e nostris qui illos in Latinum transfert ut edat), supplevit : « Nam incassum, ait, sumitur medicina, si post instauratam sanitatem, per vitæ incontinentiam, qui convaluit in pristinum incidit morbum. Quinimo relapsus in ægritudinem periculosior esse solet et exitio propior, quam prior ille languor; et quos prima valetudo adversa non exstinxit, sæpius iterata post redditam incolumitatem ægrotatio sustulit e vita. Haud secus frustra pœnitentiæ medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præteritæ vitæ sordes reditur. Hæc enim secunda admodum periculosa est animæ febricitatio. » Et S. Chrysostomus, serm. *De Lapsu primi hominis* : « Noli, ait, peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. » Et statim singulorum causas reddens : « Cogita, inquit, graviorem culpam esse post veniam : renovatum vulnus pejus dolere post curam : molestius hominem sordidari post gratiam. » Et rursum harum mutationum perversitatem expendens : « Indulgentiæ, ait, ingratus est, qui post veniam peccat : sanitate indignus est, qui semetipsum, postquam curatus est, vulnerat : nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. » Ac tandem hujus gravitatem relapsus demonstrans : « Grave est, ait, hominem instructum delinquere, gravius absolutum peccare. Servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit. » Et S. Bernardus, serm. 54 *in Cant.* : « Timeas quidem, ait, pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata. » Et præclaras de primo ac secundo timore causas reddens, de tertio subdit : « Jam si gratia propitiata redierit, multo magis tunc timendum, ne forte contingat recidivam pati; juxta illud : Jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Audis, recidere quam incidere esse deterius? Proinde invalescente periculo invalescat et metus. » Denique gravis est censura S. Petri, *epistola* II, cap. II, 21 : « Melius, inquit, erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. » Ubi plura de periculo recidivæ dixi.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, docet sacrificium mysticum valde salutare esse, recedere a peccato, et facere misericordiam. Secundo, vers. 6, docet quanti valoris et gratiæ apud Deum sit sacrificium, quæque conditiones ad illud requirantur. Tertio, vers. 14, docet Deum respuere sacrificia et preces iniquas injustorum : recipere vero et complecti æquas justorum, præsertim injurias patientium, pauperum et humilium, easque ulcisci.

1. Qui conservat legem, multiplicat oblationem. 2. Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. 3. Et propitiationem litare sacrificii super injustitias, et deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia. 4. Retribuet gratiam, qui offert similaginem : et qui facit misericordiam, offert sacrificium. 5. Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate : et deprecatio pro peccatis recedere ab injustitia. 6. Non apparebis ante conspectum Domini vacuus. 7. Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt. 8. Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. 9. Sacrificium justi acceptum

est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. 10. Bono animo gloriam redde Deo : et non minuas primitias manuum tuarum. 11. In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exsultatione sanctifica decimas tuas. 12. Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum : 13. quoniam Dominus retribuens est, et septies tantum reddet tibi. 14. Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa. 15. Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ. 16. Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem læsi exaudiet. 17. Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. 18. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? 19. A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis. 20. Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur, et deprecatio illius usque ad nubes propinquabit. 21. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit : et donec propinquet non consolabitur : et non discedet donec Altissimus aspiciat. 22. Et Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium : et Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum : 23. et gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, et sceptra iniquorum contribulet : 24. donec reddat hominibus secundum actus suos, et secundum opera Adæ, et secundum præsumptionem illius : 25. donec judicet judicium plebis suæ, et oblectabit justos misericordia sua. 26. Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1 et 2.

1 et 2. QUI CONSERVAT LEGEM, MULTIPLICAT OBLATIONEM. SACRIFICIUM SALUTARE EST ATTENDERE MANDATIS, ET DISCEDERE AB OMNI INIQUITATE. — Capite præcedenti docuit Deum reprobare sacrificia peccatorum : nunc congruo ordine subnectit, qualia et qualium Deus probet : adeoque qua in re cultus Deo gratissimus consistat, asseritque, eum consistere in observatione legis et fuga peccatorum. Pro *oblationem* græce προσφοράς, Rabanus, Palacius, Jansenius et alii legunt *orationem*, græce προσευχάς, sicque exponunt, *q. d.* Bene orat, qui mandata servat : conservare legem valet perinde ac si multum orasses : servando enim legem implicite et tacite oras, hoc est laudas et invocas Deum legis auctorem; unde apte subjungit : « Sacrificium salutare est attendere mandatis. » Minus apte ergo aliqui sic exponunt, *q. d.* Qui vult servare legem, necesse est ut multum oret ad impetrandam gratiam, quæ necessaria est ad servandam legem.

Verum legendum est *oblationem* (non *orationem*); sic enim legunt Romana et Græca. Et Syrus : *Fecisti*, inquit, *aliquid, quod scriptum est in lege, multiplicasti cultum* vel *servitutem*, puta, sacrum sive liturgiam, quam Hebræi et Syri vocant עבודה *aboda*. Similiter aliqui pro *legem* legunt *verbum*; alii, *verbum legis*. Quæ omnia eodem recidunt. Sensus est, *q. d.* Multi multas externas victimas boum et ovium Deo offerunt, et interim negligenter vel impie vivunt, censentes in sacrificiis externis consistere vim sacrificii Deo grati. At errant : nam Deus præ omnibus requirit sacrificium internum, quo anima Deo offeratur, et mactetur ad servandam ejus legem, et ad mortificandum concupiscentias legi divinæ repugnantes. Assero ergo, eum qui conservat legem, multas oblationes mysticas Deo gratissimas offerre : singuli enim actus conformes legi sunt actus obedientiæ, justitiæ, charitatis, temperantiæ, etc., qui Deo maxime placent, quibusque Deus delectatur quasi sacrificiis sibi oblatis. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. X *De Civitate Dei*, cap. VI : « Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. » Tale est autem omne opus, quod Deus in lege præscripsit e sanxit. Probat idipsum S. Augustinus ex S. Paulo *Rom.* XII, 1, cum ait : « Obsecro itaque vos fratre per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam instrumento, utitur anima, cum ejus bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est; quanto magis anima ipsa, cum se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur; hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, est sacrificium? » Hæc S. Augustinus.

Obedientia est sacrificium mysticum.

Moraliter, notent hanc sententiam Religiosi, qui sub obedientia vivunt, et ab ea applicantur operibus Marthæ, ut cum Magdalena orationi et sacrificio toties vacare non possint, quoties desiderant : atque ex eo discant, quod obedientia et opus obedientiæ sit ipsis oratio et sacrificium;

nam obedientia mactat propriam voluntatem et judicium Deo. Quæ sane rationalis hominique intima, ac ideo nobilissima est victima; ac « gladio præcepti se immolat, » ait S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.* cap. X. Quocirca Deus ad Saulem : « Melior est, inquit, obedientia quam victimæ : et auscultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare : et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere, » I *Reg.* XV, 22. Huc facit illud S. Basilii, hom. *in Julittam Martyrem* : « Qui, inquit, bene semper agit, hic semper orat. » Per omnem enim virtutem Deo conjungimur. Quod est officium orationis.

SACRIFICIUM SALUTARE EST ATTENDERE MANDATIS. — Est probatio vel confirmatio ejus quod dixit : « Qui conservat legem, multiplicat oblationem; » quia, scilicet « sacrificium salutare; » puta, quod pro salute obtenta vel obtinenda offertur, « est attendere mandatis, » *q. d.* Observatio mandatorum apud Deum æstimatur loco, gradu et dignitate sacrificii, adeoque tantum valet ad salutem obtinendam, quantum valet sacrificium. Esto enim ipsa non sit sacrificium proprie dictum, est tamen sacrificium metaphoricum et mysticum, magis necessarium, magisque gratum Deo, quam sacrificium agnorum et hircorum : quia per illud homo seipsum suosque actus humanos, rationales, spiritales et divinos offert Deo ; hi autem longe præstant bruta carne agnorum et hircorum, quæ offertur in sacrificio carneo.

Alludit ad sacrificium pacificum, *Levit.* III. Deus enim initio Levitici triplex sanxit sacrificium, scilicet, *primo*, holocaustum, quod totum offerebatur in honorem Dei, ideoque totum cremabatur; *secundo*, pro peccato; *tertio*, pacificum sive salutare, quod scilicet, pro pace, id est salute propria vel aliena, privata vel publica, sive jam obtenta ad gratiarum actionem, sive adhuc obtinenda ad impetrationem Deo offerebatur. Unde Tigurina vertit : *Qui servat legem, abunde sacrificat; qui studet præceptis, litat salutariter;* alii : *Qui attendit mandatis, victimam salutarem offert;* Græci Complutenses : *Sacrificator salutaris*, scilicet sacrificii, puta pacifici, *attendit mandatis;* Romani : *Sacrificans salutare, qui attendit mandatis.* Nam, ut ait S. Gregorius, IX *Moral.* XXXI : « Nos ipsos sacrificium Deo offerimus, cum vitam nostram divino cultui dedicamus. » Syrus : *Qui custodit præceptum, beatus est spiritus ejus.*

Vers. 3. 3. ET PROPITIATIONEM LITARE SACRIFICII (minus recte Jansenius et alii legunt *sacrificiis*, id est per sacrificia) SUPER INJUSTITIAS, ET DEPRECATIO PRO PECCATIS, RECEDERE AB INJUSTITIA. — Est hyperbaton, quod sic ordina et explica, *q. d.* « Recedere ab injustitia » tum proprie dicta, tum large sumpta et generali, ut complectatur omne peccatum, sicut justitia generalis complectitur omnem virtutem : hoc est, recedere ab omni injuria omnique peccato, est « deprecatio pro peccatis, » et etiam est quasi litatio sacrificii propitiationis vel propitiatorii pro injustitiis et peccatis aliquando commissis. Sicut enim peccatum est maximus contemptus, maximaque offensio Dei : sic ex adverso fuga peccati est maximus et gratissimus Dei honor, id est religio et cultus, cujus potissimus actus externus est sacrificium : quare cum quis serio incipit discedere ab injustitia et peccatis, tunc incipit Deum placare, et hoc ipso tacite veniam precatur, ac quasi victimas mortificationis propriæ Deo immolat, quibus reconciliationem gratiamque Deo emeretur et impetrat. Dicit hoc, non ut avocet homines ab oratione et sacrificio, sed ut doceat, quod prima oratio primumque sacrificium debeat esse, discedere ab iniquitate, et mandata Dei servare : sine quo nec orationes, nec sacrificia valent, et cum quo plurimum valent.

Fuga peccati est nobile sacrificium : cur?

Adde, recessum ab iniquitate fieri non posse, nisi eliciendo actum virtutis oppositæ. Nemo enim recedit a libidine, nisi per actum castitatis; nec a superbia, nisi per actum humilitatis; nec ab ira, nisi per actum patientiæ; nec a gula, nisi per actum temperantiæ; nec a negatione fidei, si ad eam cogat tyrannus, nisi per actum martyrii, et sic de cæteris. Omnes autem actus virtutum sunt magni Dei cultus; quia iis Deum earum auctor et legislator valde colitur et honoratur. Ita hunc locum legunt et intelligunt Romani. Aliter priorem partem legit Jansenius, nimirum : *Et propitiatio est litare sacrificium*; sicque explicat, *q. d.* Clementia, qua quis alteri in se delinquenti facile ignoscit, eique fit propitius, est coram Deo velut litare et offerre sacrificium pro peccatis admissis : quia per hujusmodi clementiam propriorum delictorum venia obtinetur, juxta illud Salvatoris : « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater cœlestis dimittet vobis peccata vestra, » *Matth.* VI. Aut *q. d.* Propitiatio, qua quis studet Deum sibi reddere propitium, est velut offerre sacrificium super injustitia.

Verum legendum est eum Romanis eo modo quo paulo ante citavi; quare sensus initio datus est verus et genuinus. Hic versus jam deest in Græco; quia idem pene dicit quod dixit vers. 1. Græcus autem textus talia, quæ iterantur, solet resecare et compendio complecti. Deest etiam in Rabano, sed ipse pro eo hunc substituit : *Deprecatio ejus coram oculis Dei inveniet gratiam*; sicque explicat, *q. d.* Deprecatio ejus, scilicet qui recedit ab iniquitate, coram Deo inveniet gratiam; quia bene operando servavit justitiam, juxta illud *Isaiæ* LVIII, 6 : « Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, et omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet : clamabis, et dicet : Ecce adsum. »

Vers. 4. 4. RETRIBUET GRATIAM, QUI OFFERT SIMILAGINEM : ET QUI FACIT MISERICORDIAM, OFFERT SACRIFICIUM. — Græce, ἀνταποδίδους χάριν προσφέρων σεμίδαλιν, καὶ ὁ ποιῶν ἐλεημόσυνην θυσιάζων αἴνεσεως. Quod dupliciter vertas : *Primo*, ut vertit Noster, *q. d.* Sicut « retribuit gratiam, » id est gratias agit Deo pro beneficiis acceptis, « qui offert similaginem, » id est florem similæ, sive pollinem farinæ : « et, » id est sic, « qui facit misericordiam, offert sacrificium, » puta *mincha*, quod fiebat ex simila, vel pura, vel cocta, et in panes aut liba et lagana efformata, ut patet *Levit.* cap. II, 1 et seqq. Porro sacrificium *mincha* sancitum erat pro gratiarum actione, ut patet *Levit.* VII, 12. Unde hebraice vocatur sacrificium תודה *toda*, id est confessionis, laudationis, gratiarum actionis. Septuaginta vertunt αἴνεσεως, id est *laudis*, quam vocem eos secutus usurpat hic Siracides. Hic sensus magis connexus est, ac respondens phrasi Siracidis et Salomonis, qui in *Proverbiis* passim loquitur per comparationem et similitudinem, qua posterius hemistichium assimilat priori. Simili modo est hic una comparatio : comparat enim eum qui gratias agit Deo, offerendo illi similam, ei qui misericordiam facit, eamque quasi sacrificat Deo, *q. d.* Sicut qui similam offert litatque Deo, hic illi rem gratam facit gratesque agit : sic pariter qui similam, aut quid simile dat pauperi, Deo rem gratam, et quasi sacrificium offert. Quod enim pauperi offert, hoc offert Deo, qui in paupere repræsentatur, et cujus amore et reverentia pauperi offert : sicut ergo si similam offerres Deo, utique sacrificium eidem offerres gratum, gratiasque Deo debitas exsolveres : sic pariter si eamdem, aut quam aliam eleemosynam des pauperi, Deo eamdem offers ; ac consequenter quasi sacrificium eidem offers, et gratias, quas Deo debes pro beneficiis in te collatis, exsolvis. Summatim igitur sensus est, *q. d.* Sicut gratus est Deo qui illi offert similaginem : sic et gratus est eidem misericors, qui largitur eleemosynam.

Secundo, sic vertas cum Tigurina et aliis : *Qui rependit gratiam* (Complutensia addunt ὡς, id est *sicut qui*) *similaginem supplicat* vel *litat : et qui beneficentiam exercet, sacrificium facit gratulationis* vel *laudis ;* ut duo hic virtutis officia commendentur, et invicem assimilentur, scilicet gratitudinis et beneficentiæ, *q. d.* Qui pro accepto beneficio rependit gratiam, hic quasi similam Deo litat : quo significatur gratitudinem Deo gratam esse instar sacrificii. Simili modo qui misericordiam vel beneficentiam exercet, sacrificium offert, et (ut Græcus habet) *sacrificator est laudis*, id est sacrificium laudis Deo offert. Duo ergo sacrificia laudis, quibus scilicet laudatur, delectatur et glorificatur Deus, sunt gratitudo et misericordia. Verum, cur de gratitudine potius quam de alia quavis virtute hic injicitur mentio, cum sint aliæ potiores, magisque comparandæ cum misericordia et sacrificio? Quare prior sensus uti magis strictus et connexus, sic et magis aptus et genuinus est. Et juxta eum facile hanc secundam versionem explices, eamque illi accommodes, ut in idem redeat sensus, *q. d.* Sicut qui rependit gratiam, similaginem offert, sic qui misericordiam facit, offert Deo sacrificium laudis, *q. d.* Misericordia est quasi oblatio similaginis, quæ offertur in εὐχαριστίαν, id est in *gratiarum actionem :* quia per eleemosynam, quam amore Dei das pauperi, refers gratias Deo pro tot donis debitas. Denique Syrus hoc modo vertit : *Fœneratur fœnus magnum qui offert oblationem : et qui facit eleemosynam, custodit legem.*

Eleemosyna est victima laudis quadrupliciter.

Nota in Græco eleemosynam hic vocari sacrificium αἰνεσέως, quod respondet Hebræo תודה *toda*, id est laudis et gratiarum actionis ; ac eleemosynarium, sacrificatorem laudis : *primo*, quia ipsa fit ad laudem Dei, estque magna laus Dei ; *secundo*, quia facit ut pauperes laudent Deum, qui hanc mentem eleemosynario inspiravit, ut suæ necessitati succurreret ; *tertio*, quia alii videntes hanc beneficentiam laudant Deum, et ad eam imitandam incitantur ; *quarto*, quia ipse eleemosynarius dat eleemosynam ex amore et honore Dei, ac sæpe actu laudat Deum, quod sibi facultates animumque dandi eleemosynam aspirarit. Unde S. Paulus commendans eleemosynas Corinthiorum sibi datas, ut eas deferret fidelibus in Judæa degentibus : « Quoniam, ait, ministerium hujus officii, non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerii hujus, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Evangelium Christi, et simplicitate communicationis in illos, et in omnes, et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus, » II *Cor.* cap. IX, vers. 12.

Gnoma.

Quocirca sapienter S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Cura pauper.* : « Gratitudinis, inquit, aliquod specimen Deo exhibeas, quod te fecerit unum illorum qui beneficia præstare possunt, non autem qui opus habent accipere : et quod non inspiciendæ tibi sint alienæ manus, sed aliis tuæ. Dives esto, non solum opibus, sed etiam pietate. Ne solum auri, sed etiam virtutis possessione alios antecellas, exhibendo te probiorem et benigniorem. Deus esto calamitosis, Dei misericordiam imitando : nihil enim beneficentia divinius in hominem cadit. Misericordiam tuam ne nox quidem intercipiat. Ne dixeris : Alias redi, et in crastinum dabo ; ne quid forte accidat inter propositum tuum et beneficium, unde impediatur. Nudum si videris, vestito, honorans immortale tuum indumentum, quod est Christus. » Nam, ut ait S. Nilus : « Sicut lucis proprium est illuminare, sic Dei proprium est misereri suorum operum. » Et Phocion apud Maximum, *serm.* 7 : « Nec ex templo ara, nec ex natura humana tollenda est

misericordia, » quia hæc est ara et victima gratissima Deo. Et Philo, *ibid.* : « Plus tibi diligendi sunt, Imperator, qui suppliciter petentes beneficia abs te sibi præstari cupiunt, quam qui munera tibi offerre student : his enim debes remunerationem; illi vero debitorem tibi efficiunt Deum, qui in propriis numerat quæ in ipsos contuleris, qui remuneraturus est optimis donis humanitatis tuæ, et benignitatis institutum. » Ita ipse ad Caium imperatorem. Denique divine Raphael ad Tobiam, cap. XII, vers. 6 : « Benedicite, ait, Deum cœli, etc., quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et nunc misit me Dominus ut curarem te. »

Vers. 5. 5. BENEPLACITUM EST DOMINO RECEDERE AB INIQUITATE : ET DEPRECATIO PRO PECCATIS, RECEDERE AB INJUSTITIA. — Hic versus sensu et pene verbis idem est cum versu 3; ubi eum explicui. Unde Græca tam Romana quam Complutensia illum semel duntaxat, idque hoc loco habent. Recedit ergo ab injustitia quilibet pœnitens et justus, sed maxime eleemosynarius : hic enim non tantum aliena non rapit injuste, sed et sua juste, imo liberaliter elargitur. Eleemosyna ergo est maximus ab injustitia recessus : quare illi præ aliis virtutibus hæc sententia congruit, præsertim quia de ea proxime præcessit sermo. Pro *deprecatio* græce est ἐξίλασμὸς, id est *propitiatio, expiatio, lustratio*, puta, sacrificium piaculare, sive propitiatorium et expiatorium peccatorum. Dixit versu præcedenti eleemosynam esse sacrificium *toda*, id est laudis et gratiarum actionis : quale erat holocaustum, quod totum ad Dei laudem offerebatur et concremabatur. Rursum versu 2 dixit eamdem esse sacrificium salutare sive pacificum : hic asserit eamdem esse sacrificium « pro peccato. » Igitur eleemosyna est triplex, adeoque omnis generis sacrificium. Omne enim sacrificium vel erat holocaustum, vel pacificum, vel pro peccato. Unde Tigurina vertit clare : *Recedere a malitia Deum placare est, et injustitiam reliquisse piaculare sacrificium;* Syrus : *Voluntas Dei est ut declines ab omni eo quod malum est, et prohibe patientiam tuam ne facias quod odiosum est.* Huc alludit Apostolus *Hebr.* XIII, 16, dicens : « Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur (græce εὐαρεστεῖται, id est *placatur*, sibi complacet, delectatur, et *quasi pulchrescit*, ut vertit Syrus) Deus. »

Eleemosyna est omnis generis sacrificium.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE DIGNITATE SACRIFICII, ET CONDITIONIBUS AD ILLUD REQUISITIS.

Vers. 6 et 7. 6 et 7. NON APPAREBIS ANTE CONSPECTUM DOMINI VACUUS. HÆC ENIM OMNIA PROPTER MANDATUM DEI FIUNT. — Alii vertunt, *facienda sunt;* Tigurina : *Ne venias in conspectu Domini vacuus; hæc enim omnia præcepti causa instituta sunt;* Syrus : *Ne appareas coram eo inaniter; quia omnis qui facit quod virtuosum est, custodit præceptum.* Est occupatio, *q. d.* Dixi, sacrificium Deo gratum esse fugam peccati et misericordiam; at, ne inde opineris et inferas, sacrificia proprie dicta esse omittenda; addo et dico, neminem debere in conspectu Dei apparere vacuum, sed afferre oblationes et victimas lege præscriptas. Hæc enim omnia, licet ex se, sive ex opere operato (uti in lege nova facit Eucharistia et Sacramenta) non expient peccata; tamen facienda sunt propter mandatum Domini, qui ita sanxit *primo*, ut fideles cultum Deo debitum sacrificando exhiberent; *secundo*, ut per victimas et preces gratiam et dona Dei impetrarent; *tertio*, ut repræsentarent sacrificium crucis Christi, quo omnia peccata abolentur, omnisque a Deo gratia impetratur. Citat legem *Exodi* XXIII, 16. Et *Deut.* XVI, 16 : « Tribus vicibus, inquit, per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit : in solemnitate azymorum (id est Paschæ), in solemnitate hebdomadarum (id est Pentecostes), et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus. Sed offeret unusquisque secundum quod habuerit (Septuaginta, *secundum facultatem manuum suarum*), juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei, » juxta illud Tobiæ monitum datum filio, cap. IV, vers. 8 : « Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. » Nam, ut ait S. Ambrosius, lib. *De Viduis* : « Liberalitas non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu. » Et S. Chrysostomus, hom. 10 *in* II *ad Corinth.* : « Multum ac parum non ad mensuram dati definit Deus, sed ad potentiam facultatum dantis. » S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 43, legit : « Non apparebis in conspectu Domini vacuus. » Et explicans illustransque addit : « Verum si quid pulchri habes, tecum feres, » Deo enim pulcherrimo et præstantissimo pulcherrima et præstantissima danda sunt, ut ipse sanxit *Num.* XVIII, 29 : « Omnia, inquit, quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt. »

Coram Deo ne appareas vacuus.

Causam hujus mandati dat S. Irenæus, lib. IV, Cur cap. XXXIV : « Non apparebis, inquit, vacuus ante

conspectum Domini Dei tui; ut in quibus gratus exstitit homo, in his gratus ei deputatus, eum qui est ab eo, percipiat honorem,» *q. d.* Ideo non vacui, sed oblationes afferentes coram Deo apparebitis, *primo*, ut profiteamini vos hæc et plura accepisse a Deo, eique gratias referatis; *secundo*, ut per hæc gratiam Dei vobis concilietis; *tertio*, ut per hæc honorem ingentem consequamini. Non enim Deus sui causa ea instituit, quasi hoc honore indigens, ejusque cupidus, cum ipse a S. Triade infinitum habeat honorem, ita ut illi ab angelis, hominibus cæterisque creaturis eum honorantibus nihil honoris addi possit; sed vestra causa id fecit, ut scilicet vos hoc honore afficiat. Honor enim magnus est Dei esse sacerdotem, Deo sacrificare, Deo offerre, quodque Deus immensus illa ab homuncione dignetur accipere, eaque rata et grata habere. *Quarto*, has oblationes sanxit Deus, ut ex illis alerentur Levitæ et sacerdotes ad ministrandum Deo in templo; hi enim aliam hæreditatem non habebant in Israel.

Unde moraliter S. Chrysostomus, homil. 67 *ad Popul.*, sub finem, et homil. 1 *in* II *ad Timoth.*, ex hoc loco docet, nos non debere ingredi templum vacuos, sed afferentes eleemosynam, quam partiamur in pauperes, qui ea de causa ante fores stant et mendicant: «Non apparebis, inquit, vacuus coram Domino: Judæis hæc dicebantur, quanto magis nobis? propterea pauperes ante fores positi sunt, ne quis vacuus ingrediatur, sed ut introeat cum eleemosyna: si, ut misericordiam consequaris intras, prius miserere. Qui vero posterius venit, plus debet; cum enim nos inceperimus, secundus plus erogat. Fac tibi Deum debitorem, et tunc eum pete; mutua, et tandem Deum repete, ut cum fœnore recipias. Vult hoc Deus, non refugit. Si cum eleemosyna petas, gratias habet; si cum eleemosyna reposcas, mutuas, et capis fœnora: ita vos exhortor. Non in manuum extensione satis est audiri. Extende manus tuas, non in cœlum, sed ad pauperum manus. Si ad pauperum manus extenderis manum, ipsum cœli verticem tetigeris: qui enim illic sedet, eleemosynam suscipit; si enim porrexeris vacuas, nihil profeceris.»

Mystice. Mystice, Theodoretus, in *Exodi* XXIII, Quæst. LIII: Jubetur, inquit, ut dives eleemosynam impertiatur, dum Deum orat; is vero qui paupertatem elegit, ut animam bonis minime vacuam, sed copiam virtutum locupletatam afferat et offerat. Unde Nazianzenus, orat. 43 *De Encæniis*, docet, nos encænia celebrare debere hoc modo, ut coram Deo non κενοὶ, id est *vacui*, sed καινοὶ, id est *novi*, appareamus: «At nunc, inquit, diverso modo novus appare, sic nempe ut totus immutetis: vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.» Quod explicans Nicetas: «Novus appare, inquit, non secundum hanc scripturam τοῦ κενοῦ, id est *vacui* et nihil habentis, sed juxta alteram significationem τοῦ καινοῦ, id est *novi*, ac per virtutis progressum et incrementum innovati penitusque immutati, vel a vitio ad virtutem, vel a virtute minori ad majorem.» Si ergo cor amore mundi vano evacues, illud vero unius Dei amore innoves impleasque, utique hoc præceptum implebis.

Coram Deo apparebis novus, non vacuus.

Memorabile est, quod de S. Francisco in Chronicis legimus, eum, cum Deo in oratione colloquentem in monte Alverniæ, ne coram eo appareret vacuus, jussum a Deo apparente in flamma ignis, sibi trinam facere oblationem. Cumque S. Franciscus responderet: «Domine, ego sum totus tuus, et nihil habeo nisi tunicam, et chordam, et femoralia, et ista similiter tua sunt;» præcepit ei Deus, ut manum mitteret in sinum, et quidquid ibi invenisset, id sibi offerret. Quod cum ille fecisset, reperit in sinu successive tres ingentes nummos aureos fulgidissimos, quos protinus Deo obtulit, ac mox intellexit, per trinam hanc oblationem figurari auream obedientiam, altissimam paupertatem, et splendidissimam cartitatem, quas Deus menti ejus indiderat, ut eas sibi offerret. Hinc ergo discamus, et reipsa practicemus, ut, cum ad Deum accedimus orando, Missam celebrando vel audiendo, communicando, non vacui accedamus; sed offeramus ei aliquod bonum propositum vincendi nos ipsos in re quæ nos maxime a profectu impedit, aut faciendi aliquod opus heroicum, aut certe offeramus Deo cor ab omni amore terreno vacuum, ut illud ipse suo amore impleat. Nonnulli post S. Synaxin hæc duo usurpant magno fructu: prius, ut Deo offerant id quod putant Deo maxime esse gratum, quod scilicet maxime ab iis Deum cupere et expetere censent; posterius, ut vicissim a Christo Domino petant gratiam vel donum aliquod, quo maxime indigent. Itaque Christum quasi medicum circumducunt per omnes animæ suæ potentias, ac ubi majorem vident infirmitatem, rogant et obsecrant ut illam curare dignetur. Quocirca in qualibet S. Synaxi propriam et peculiarem gratiam consequuntur, ut legimus accedisse S. Catharinæ Senensi et aliis. Hoc fuit dogma et praxis Cardinalis Bellarmini.

Exemplum S. Francisci.

Anagogice, coram tribunali Christi nemo apparere debet vacuus bonorum operum, qui salvus esse velit. Audi S. Gregorium (et ex eo Rabanum), lib. VII *in Job*, cap. XIII, ad illud cap. VI, vers. 18: *Ambulabunt in vacuum, et peribunt.* «In vacuum quippe, ait, ambulant, qui nil secum de fructu sui laboris portant. Alius namque adipiscendis honoribus exsudat, alius multiplicandis facultatibus æstuat, alius promerendis laudibus anhelat; sed quia cuncta hæc quisque moriens deserit, labores in vacuum perdidit, quia secum ante judicem nihil tulit. Quo contra bene per legem dicitur: Non apparebis in conspectu Domini vacuus. Qui enim promerendæ vitæ mercedem bene agendi non providet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de justis per Psalmistam dicitur;

Anagogice.

Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. Ad examen quippe judicii portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur, ostendunt. Hinc de unoquoque electo Psalmista iterum dicit: Qui non accepit in vano animam suam. In vano namque animam suam accipit, qui sola præsentia cogitans, quæ sequuntur in perpetuum non attendit. In vano animam suam accipit, qui ejus vitam negligens, ei curam carnis anteponit: sed animam suam justi in vano non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur, quatenus et transeunte opere, operis causa non transeat quæ vitæ præmia post vitam parat. Sed hæc curare reprobi negligunt, quia profecto ambulantes in vacuum, vitam sequentes fugiunt, invenientes perdunt. »

Vers. 8. 8. OBLATIO JUSTI IMPINGUAT ALTARE, ET ODOR SUAVITATIS EST IN CONSPECTU ALTISSIMI. — Tigurina: *Aram pinguefacit immolatio justi, et odor ejus Deo suavis est;* aliter Syrus: *Oblationes justorum*, ait, *oratio oris eorum, et opera eorum cœlum effodiunt.* « Altare, » id est victimam altaris, sive quæ in altari Deo offertur. Est metonymia; continens enim ponitur pro contento, *q. d.* Pinguedo carnea impinguat victimam, et consequenter altare, in quo victima offertur et mactatur, ut tanquam pinguis et excellens placeat tam Deo quam hominibus, uti placuerunt victimæ pinguiores et meliores, quas offerebat Abel, *Gen.* IV. At multo magis victimam « impinguat, » id est pinguem et excellentem, ideoque Deo gratam, efficit justitia et sanctitas, indeque devotio offerentis. Hæc enim est interna et mystica pinguedo, quæ victimam et sacrificium spiritaliter impinguat; ut quasi pinguis et præcellens mire Deo placeat, sitque acceptissima. Hoc ut significaret Deus, jussit in omni sacrificio, etiam pacifico et pro peccato, sibi offerri cremarique totum adipem et pinguedinem victimæ, ut patet *Levit.* III, 3, et cap. IV, 8. Unde eo alludens Psaltes orat *Psal.* XIX, 4: « Holocaustum tuum pingue fiat, » id est ut pingue et excellens a Deo acceptetur. Est metalepsis, *pingue* enim ponitur pro grato et accepto: quia victimæ pingues, utpote meliores, acceptæ sunt placentque Deo et hominibus, sicut macilentæ displicent, juxta illud *Psal.* LXII, 6: « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum. » Idem orant tres pueri in fornace Babylonia, sese per martyrium immolantes Deo: « Sicut in holocausto, inquiunt, arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, » *Dan.* III, 40. Melior enim est pinguedo devotionis pinguedine immolationis.

Devotio ergo est quasi adeps victimæ eam impinguans et efficiens ut Deo sit pergrata et delicata; devotæ enim mentes sunt Dei deliciæ. Porro devotionem non femineam lacrymarum, sed veram et virilem, ita ex ima radice examinat, definit et explicat S. Thomas II II, *Quæst.* LXXXII, art. 1: « Devotio, ait, dicitur a *devovendo*: unde devoti dicuntur, qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant. Propter quod et olim apud Gentiles Devoti dicebantur, qui seipsos idolis devovebant in mortem pro sui salute exercitus, sicut de duobus Deciis Titus Livius narrat. Unde devotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Unde *Exodi*, XXXV, dicitur, quod multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque devota primitias Domino. Manifestum est autem, quod voluntas prompte faciendi quod ad Dei servitium pertinet, est quidam specialis actus: unde devotio est specialis actus voluntatis. » Idem, art. 3, causas devotionis assignans, docet extrinsecam ejus causam esse Deum, qui eam menti aspirat et inspirat, intrinsecam vero esse meditationem. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XIV *De Trinit.* cap. VIII, voluntas oritur ex intelligentia: « Et ideo, ait D. Thomas, necesse est quod meditatio sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio, ad quod quidem inducit duplex consideratio. Una quidem quæ est ex parte divinæ bonitatis et beneficiorum ipsius, secundum illud *Psal.* LXXII: Mihi adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. Et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa. Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, secundum illud *Psal.* CXX: Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram. Et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur ut Deo se subjiciat, dum suæ virtuti innititur. »

Ejus causa meditatio.

Porro S. Bernardus, in *Sententiis*: « Quatuor, ait, esse dicuntur, quæ nostræ gratiam devotionis adaugent. Memoria peccatorum, quæ hominem reddit humilem apud se. Recordatio pœnarum, quæ illum sollicitat ad bene agendum. Consideratio peregrinationis, quæ illum hortatur visibilia debere contemni. Desiderium vitæ perennis, quæ hominem incitans ad perfectum, cogit eum a terrenis affectibus voluntatis mutatione suspendi. » Vide eumdem de causis et signis devotionis et fervoris, serm. 6 *De Ascens. Domini*. Idem, serm. 18 *in Cant.*, causam devotionis assignat orationem: « Orando, ait, bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus, quod inebriat, et carnalium voluptatum infundit oblivionem. Humectat interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit et deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem, et impinguans mores. »

Quadruplex.

Devotio quid?

ET ODOR SUAVITATIS EST IN CONSPECTU ALTISSIMI. — Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.* cap. XII,

legit ; « Odor suavitatis Deo est cor quod glorificat eum. » Additque : « Hæ sunt coronæ, et sacrificia, et aromata, et flores Dei. » Alludit ad illud *Levit.* I, 9 ; « In holocaustum et suavem odorem Domino, » hoc est, ut Chaldæus clare vertit : *Holocausti oblatio est, quæ suscipitur cum beneplacito coram Domino.* Unde pro *odorem suavem*, vel *odorem suavitatis*, hebraice est ריח נחוח *reach nichoach*, id est *odorem quietis*, in quo scilicet suaviter quiescit et delectatur Deus tanquam in sacrificio sibi accepto. Hujus rei causa et symbolo omni victimæ imponebatur thus, illudque cum victima adolebatur et cremabatur, ut suavem ederet suffitum, qui naribus tam hominum quam Dei anthropopathōs suave oleret, easque oblectaret, ut patet *Levit.* II, 2. Thus enim symbolum erat mentis elevatæ in Deum, et ad Deum cum hac thuris vaporatione ascendentis. Unde illud Psaltis *Psal.* CXL, 2 : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. » Excipe victimam pro peccato; illi enim non imponebatur thus, ut significaretur peccatum non bene ut thus, sed pessime olere, et esse abominabile coram Deo, ut ostendi *Levit.* V, 11. Hinc de Noe in fine diluvii Deo sacrificante dicitur *Genes.* VIII, 21 : « Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ. » Ubi S. Chrysostomus : « Justi Noe virtus, inquit, fumum et nidorem victimæ Deo fecit odorem fragrantiæ. » Hoc est, quod docet hic Siracides, *q. d.* Oblatio justi mystice impinguat victimam, ideoque facit eam odoratam, id est suavem gratamque Deo, quia in naribus Dei suavius olet justitia, sanctitas et devotio quam omne thus et thymiama.

Huic Jesu Sirach sententiæ antistropha est illa unius e septuaginta Interpretibus S. Scripturæ numero vigesimi septimi. Unde nonnulli opinantur illum eumdem esse cum nostro Jesu Sirach. Huic enim cum Ptolemæus Philadelphus proposuisset quæstionem : « Quid sit pulchritudine dignius? » ille respondit : « Pietas; nam et ipsa pulchritudo quædam est præcellens : ejus autem potentia, charitas, quæ quidem Dei munus est, quam et tu possides, cuncta in ipsa bona amplectens. » Ita Aristæas, lib. *De Septuaginta Interpretibus.*

Vers. 9. 9. SACRIFICIUM JUSTI ACCEPTUM EST, ET MEMORIAM EJUS (non justi, sed sacrificii; græce enim est αὐτῆς, scilicet θυσίας, id est *sacrificii*) NON OBLIVISCETUR DOMINUS, — *q. d.* Sacrificium justi adeo placet Deo, ut ejus nulla unquam ipsum capiat oblivio, sed ejus perennem memoriam conservabit ad illud digne remunerandum; nam oblationes illius temporis non erant acceptæ Deo, nisi ex fide et devotione offerentium, ait Lyranus; Tigurina : *Sacrificium justi est commendabile, memoriaque ejus nulla oblivione abolebitur.* Alludit ad *Levit.* II, 2 et 9. Tam hic enim quam ibi græce est eadem vox μνημόσυνον, id est *memoriale*, quod Noster vertit, « memoria : » « Ponet, ait, memoriale ejus super altare. » Vide ibi dicta. Syrus : *Donum hominis boni acceptabitur, et memoria justorum oblivioni non tradetur in æternum.*

Vers. 10. 10. BONO ANIMO GLORIAM REDDE DEO, ET NON MINUAS PRIMITIAS MANUUM TUARUM. — « Bono, » id est læto, devoto hilarique animo gloriam « redde Deo. » Græca δόξασον, id est *glorifica Dominum*, scilicet per oblationes lege præceptas ad Deum glorificandum, ideoque esto in Deum largus et liberalis, « et non minuas primitias, » eas occidendo, vel pejores offerendo, sed potius eas adaugeas, et meliores Deo offeras. Unde Tigurina : *Honora Dominum oculo benigno ac munifico, nec primitias manuum tuarum* (id est labore manuum tuarum partas, vel quas manu tua das, ait Vatablus) *minue.* Lege sancitum erat, ut Judæi primitias rerum omnium Deo dicarent, ut per eas omnes res eorum censerentur Deo offerri et dicari, *Exodi* XXIII, 16 et 19, Jubet ergo eas non illibenter dari, nec avare et sordide imminui, sed animo læto, largo et liberali integras offerri. Porro Syrus vertit : *Bono oculo da pauperi, et ne commoveasimilis in donis tuis.*

Moraliter hic disce, quam religio Deique cultus ipsi placeat, ideoque nobis cordi et curæ esse debeat, præsertim quia idipsum lumine et impulsu naturæ cognovere, et ingenti studio exercuere Gentiles. Nulla enim gens tam barbara exstitit, ait Cicero, lib. *De Natura Deorum*, quæ naturalis rationis ductu non cognoverit et coluerit numen aliquod. Idem fuse demonstrat S. Augustinus, I *De Civit. Dei*, XXXIV; Rhodiginus, lib. XXIII, I; Justinus, lib. XXVIII; Halicarnassus, lib. II. Excelluere hac in re Romani, qui rebus omnibus publicis et privatis anteponebant cultum deorum, et ante omnia exquirebant, qua ratione eorum cultum augere possent. « Antiquius, ait Plutarchus in *Vita Marcelli*, ad salutem publicam rati, si magistratus deos susciperent, quam si hostes superarent. » Hinc Romulus ante omnia constituit ea quæ ad numinis cultum pertinent. Inde quasi felici sanctoque dato rebus exordio, ad rempublicam ordinandam progressus est. Ita Halicarnassus, lib. II. Romulum in sacris disponendis superavit successor ejus Numa Pompilius. Idem faciendum docet Aristoteles, lib. V *Polit.* cap. XI. In rebus omnibus ordiendum a cultu Dei.

Ratio a priori est, quia Deus est summa et immensa majestas, plena omni sanctitate, sapientia, potentia, clementia, justitia, omnique virtute et perfectione; illi ergo debetur omnis honor et gloria. Rursum Deus est principium, causa et finis frugum rerumque omnium; illi ergo omnium primitiæ debentur. Unde S. Gregorius Nazianzenus, orat. *in Natalitia*, Deum ita describit : « Universum esse in seipso nunquam inceptum, nunquam desiturum complexus continet, tanquam infinitum quoddam et interminatum essentiæ pelagus. » Idem in *Carmin.* : Ratio a priori.

In te omnia permanent, ad te confertim festinant omnia;
Tu omnium finis, tu unus, et omnia, et nihil rerum.

Quia scilicet Deus non est res aliqua creata, sed omnes in immensum transcendit :

Cum neque unum sis, neque omnia, quem te appellem,
Qui solus innominabilis et omninomius?

Et S. Dionysius, lib. *De Divinis nominibus*, cap. V : « Deus, ait, non est quovis modo ens et anticipans, » quia antequam creaturæ in se existerent, jam existebant in Deo. Et inferius : « In qua (unitate divina) omnia unice sunt conjuncta, superunita et præexistentia superessentialiter. » Et cap. IV : « In ipso est omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementare, et simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus. » Unde exclamat Apostolus, *Rom.* XI, 33 : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! etc. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen. »

Jure ergo Simeon cognomento Justus, qui floruit sub ultimo tempore Synagogæ, dictabat : « Mundum hunc trium rerum auxilio et firmitate solidari, cultu divino, lege et misericordia. » Deus enim est basis et centrum mundi, quem nobis conciliamus pie eum colendo. Ita refertur in *Pirke avoth*, id est in *Capitulis* sive *Proverbiis patrum Hebræorum*, cap. I.

Vers. 11. 11. IN OMNI DATO HILAREM FAC (græce ἱλαρώσον, id est *hilarifica*; ut vertunt Complutensia) VULTUM TUUM, ET IN EXSULTATIONE SANCTIFICA DECIMAS TUAS. — « In, » id est cum « exsultatione, » lætitia et jubilo animi, « sanctifica, » id est offer, dica et consecra Deo, eique quasi fac sanctas et sacras « decimas tuas, » quod enim Deo, id est sacerrimæ et sanctissimæ majestati divinæ, offertur, id hoc ipso fit sacrum et sanctum. Sic sæpe in *Levit.* *sanctificare* sumitur pro consecrare. Unde et Christus : « Ego, inquit, pro eis sanctifico (id est consecro in hostiam, et in cruce immolo) meipsum, » *Joan.* XVII, 19. Syrus vertit : *In omnibus donis sit hilaris facies tua, et cum gaudio mutuum da ei qui non reddit tibi.*

Secundo, Jansenius sic explicat, *q. d.* Per *exsultationem* et lætitiam fac ut decimæ quas persolvis, sanctæ sint et gratæ Deo. Multum enim virtuti et sanctitati, æque ac oblationi addit hilaritas animi. Hæc enim facit ut opus sit speciosius, intensius, melius et perfectius, ac hilaritate quasi saccharo conditum. Unde « hilarem datorem diligit Deus, » *Prov.* XXII, 8, juxta Septuaginta, quæ verba citans Paulus, II *Cor.* IX, 7, dum Corinthios hortatur ad eleemosynam : « Non ex tristitia, ait, aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. » Nam, ut ait S. Augustinus in *Psalm.* XLII : « Eleemosyna plerumque fit a tristibus et murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis. Hilarem autem datorem diligit Deus; at si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti. Ergo ex animo fac, ut ille qui intus videt, adhuc loquente te, dicat : « Ecce adsum. » Plura de hac hilaritate in dando dixi II *Cor.* IX, 7. Hilaritas enim est bonæ et devotæ voluntatis signum, ait Lyranus, adeoque ipsa est decor et flos virtutis; longe enim magis decorum est opus misericordiæ, obedientiæ, patientiæ, humilitatis, etc., quod fit hilariter, quam quod fit animo tristi et mœsto, ideoque tardo et torpido. Unde vidua hilariter offerens duo minuta, plus cæteris plura offerentibus judicata est obtulisse a Christo, *Lucæ* XXI, 4.

Mystica

Mystice Rabanus : primitiæ, id est initium operum; et decimæ, id est finis eorumdem Deo offerenda sunt; denarius enim perfectionem et finem significat; quia usque ad denarium numerus crescit, ibique quasi finiens ad principium redit; decem enim et unum faciunt undecim, decem et duo faciunt duodecim, et sic consequenter de cæteris. « Ideoque, inquit Rabanus, sicut in primitiis principia voluntatum, ita in decimis consummationes nostrorum operum ad Dominum referre præcipimur, a quo et boni operis initium et perfectionis donatur effectus. »

Hilaria Gentilium.

Imitati idipsum sunt Gentiles, qui uti hilariter in victimis et oblationibus celebrabant sua Floralia, Vinalia, Bacchanalia, Saturnalia, sic et Hilaria. Audi Macrobium, lib. I *Saturn.* cap. XXVI : « Celebratur lætitiæ exordium ad octavum Calend. aprilis (id est die 25 martii), quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit. » Olim ergo æquinoctium vernum incidebat in diem 25 martii; unde eadem die primitus a Deo creatum esse mundum multi opinantur, sicut eadem die recreatus et renovatus est, cum Angelo nuntiante B. Virgo concepit Dei Filium, et Verbum caro factum est, atque eodem post 34 annos a Christo redemptus est mundus. Doctiorum enim sententia est, Christum crucifixum et mortuum esse die 25 martii. Merito ergo illo die tot nominibus Hilaria celebrant non solum Gentiles, sed et Christiani.

Christianorum.

Oblationes nostræ unitendæ meritis Christi.

Porro, quia orationes et opera nostra exilia et vilia sunt, ac ne minima ex parte divinæ majestati æqua et digna; hinc Deus dedit nobis Christum sibi æqualem, ut eum in sacrificio Eucharistiæ velut victimam Deo dignam et parem offeramus. Rursum voluit, ut per Christum omnia illi offeramus. Hinc praxis ad opera nostra, quæ in se exigua et abjecta sunt, reddendum excellentissima Deoque acceptissima est, si ea uniamus et inseramus Jesu Christi actionibus, meritis et passionibus, illisque unita Deo offeramus; quare unionis hujus et conjunctionis ergo majoris illa æstimat, libentiusque ob infinitum illum amorem quo erga Filium suum fertur, acceptat. Insuper actiones nostræ non tantum Deo sunt gratiores, sed etiam magis meritoriæ, ob infinita Domini nostri merita quæ vi hujus unionis et oblationis ei factæ, eisdem abundanter communicantur. Quam ob causam D. Paulus ad hanc

praxim nos excitat, dicens : « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, » *Coloss.* III, 17. Ludovicus Blosius, abbas Lætiensis, magnus spiritalium rerum magister, in *Instit. spirit.* cap. IX, omnes spiritualem quæstum faciendi cupidos ad hanc praxim hortatur, inquiens : « Is qui se pietati et devotioni addicit, consuescat omnia opera sua per sanctam intentionem ad Dei honorem referre; consuescat tam illa quæ agit, quam ea quæ patitur, conjungere atque unire operibus et doloribus Christi per orationem sive desiderium.» Et in suo *Spirituali Speculo* ita loquitur : «Si bona opera et exercitia tua copulaveris unierisque actibus et exercitiis Christi, atque ita obtuleris illa Deo in laudem æternam : erit sane ista oblatio ipsi Domino longe gratissima, et opera tua claritatem dignitatemque ineffabilem recipient ex actibus Christi, quibus unientur; plumbum tuum, ut ita dicam, mutabitur in aurum optimum, et aqua tua in vinum excellentissimum. » Ratio est, quia opera tua ex se vilia, obscura et imperfecta, maxime illustria, Deoque accepta hac unione evadent, eo quod a Christi meritis singularem eximiamque bonitatem accipiant, non secus quam aquæ gutta in dolium vino plenum immissa, optimum vini saporem coloremque recipit. Priori-ribus in *Spirituali Institutione* hæc annectit : « Bona opera illius qui istud pie observat, excellunt incomparabiliter bona opera ejus qui non observat. » Iterumque in istius capitis fine : « Ista omnia, ait, Dominus familiarissimis amicis suis revelare dignatus est, ut nos hac ratione opera nostra reddamus nobilissima, nostramque inopiam ex inexhausto meritorum Christi thesauro sublevemus, et animas nostras eisdem Christi meritis exornemus; ut hac denique ratione pro peccatis nostris facillime satisfaciamus. » Quibus verbis magna bonorum emolumenta, quæ ex hoc exercitio in nos derivantur, plane nobis demonstrat.

Apologus liberalis.

Hanc gnomen insigni apologo aquilæ et phœnicis exhilarat, scitisque morum documentis exornat Cyrillus, lib. III *Apol. moral.* cap. XXV : « De supernis infima, vigili contuitu aquila prædam investigando prospectans, cum phœnicem cerneret se igne genito comburentem, ad eum subito descendit, et dixit : Numquid in combustione non doles? At ille respondit : Tu autem in venatione non gaudes? Tum illa : Etiam. Cui phœnix subjunxit : Certe sicut tu cupida delectaris in captione prædæ, ita phœnix in larga donatione substantiæ. Non enim minor est jucunditas in exhibitione liberalitatis, quam in deprædatione cupiditatis. Omnem enim actionem virtutis, effusio sequitur delectationis. Propter hoc, charissima, in hoc igne non doleo, sed delector; quia in generatione alterius tam delectabiliter quam liberaliter totam meipsam effundo. » Denique idipsum exemplo viperæ, medullæ, cordis et stomachi commonstrat : «Nunquam considerasti quanto delectationis impetu in generatione se liberaliter vipera effundit, ut ne quidem mortis morsus amaritudinem sentiat? Nimirum cuncta sua beneficia, non sine magna delectatione liberaliter natura communicat. Sic generativam medullam vivificam beneficialiter cum suavitate largitur, et cum jucunditate cor funditur, atque cum digestum chilum stomachus devoraverit, delectatur. Omnis enim donatio liberalis, cum hilaritate est cordis. Quoniam ejus effundere, est virtutem augere, virtutem perficere. » Denique ex adverso illiberalis dedecora et damna recensens : « At vero illiberalis, ait, tenendo aurum, perdit seipsum; et foris dum possidet, intus veraciter nihil habet. Dolet si dederit, quin etiam datum perdit, eo quod ex virtute non dederit. Si rapuerit, delectatur, et cæcus nescit quod ipse amittitur. Sed quid habet, qui seipsum non possidet? Omnia enim transeunt cum persona; et propter hoc qui cupiditatis est servus, nullius est dominus. Disperge ergo libenter, et dona hilariter, ut una te cum virtute possideas, et simul universa, ac in æternum sis liber. Quibus auditis, aquila ratione liberalitatis confusa, in superna avolavit. »

Vers. 12. 12. DA ALTISSIMO SECUNDUM DATUM EJUS (id est secundum quod tibi dedit, juxta opes a Deo acceptas, ut, si multum acceperis, multum Deo offeras; si parum, parum), ET IN BONO OCULO ADINVENTIONEM FACITO MANUUM TUARUM.—Ita Romana, *q. d.* « Bono » id est læto, « oculo » et vultu fac oblationem secundum quod invenit manus tua, id est prout potes, et secundum facultates tuas. Sic *facere* pro offerre et sacrificare sæpe sumitur in *Levitico* et alibi. Quin et apud Poetam :

Cum faciam (*id est sacrificabo*) vitula pro frugibus, ipse venito.

Unde Jansenius per diastolen legit καθ' εὕρημα, id est *ad inventionem, q. d.* Facito *ad*, id est secundum quod inveniunt manus tuæ, vel juxta quod manibus tuis acquisisti. Tigurina nervose vertit : *Munera des Altissimo pro munificentia ipsius* (*q. d.* Esto munificus in Deum erga te adeo munificum, ac quantum ipse in te, tantum tu in ipsum esto munificus), *et oculo benigno quod ad manum est.* Clare Syrus : *Da Deo sicut dedit tibi oculo bono* (id est hilariter), *et manu grandi* (id est large et liberaliter) : *qui enim dat pauperi, Deo fœneratur; quis enim est retributor nisi ipse?*

Vers. 13. 13. QUONIAM DOMINUS RETRIBUENS EST, ET SEPTIES TANTUM (græce ἑπταπλάσια, id est *septupla*) REDDET TIBI.— Tigurina : *Nam Dominus repensator est, qui reddet tibi septies tanto amplius;* efficacius Syrus : *Quia Deus retributor est, et millia millium ipse reddet tibi.* Duplicem dat causam et stimulum ad lætam et liberalem oblationem, *q. d.* Offer tua hilariter et liberaliter Deo, *primo*, quia ipse tuus et omnium est dominus, qui tibi tua omnia dedit, et rursus eadem a te jure suo exigit. *Secundo*, quia ipse cum sit liberalissimus,

non sinet se a te liberalitate vinci; sed si in ipsum sis liberalis, ipse in te vicissim longe erit liberalior, ac pro uno quod ipsi offers, retribuet tibi « septies, » id est multipliciter. Septenarius enim est symbolum multitudinis, plenitudinis et universitatis, uti fuse hic ostendit Rabanus. Oblationes ergo primitiarum, decimarum, victimarum, etc., offerentem ditant; earum vero neglectus negligentem depauperat. Unde Siracidem secutus R. Akiba in *Pirke avoth*, id est in *Apophth. patrum*: « Traditio, inquit, est legis propugnaculum, sicut decimæ divitiarum, vota abstinentiæ, et silentium sapientiæ, » sunt propugnacula. Decimæ ergo propugnant divitias, sicut silentium propugnat sapientiam, et votum abstinendi propugnat abstinentiam.

Septenarius, symbolum perfectionis.

Symbolice et mystice Rabanus: « Dat Altissimo secundum datum suum, inquit, qui beneficiorum suorum memor primum semetipsum recte credendo et bene operando offert Deo; quia ab ipso habet quod substantialiter est; quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Deinde hoc quod extra se sui muneris possidet, bona intentione totum in laudem ejus expendat. Hoc est enim quod dicit: Et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum; quoniam Dominus (inquit) septies tantum reddet; hoc est, perfectam remunerationem retribuet. Septenarius enim numerus propter dona Spiritus Sancti, quæ in eo demonstrantur, perfectus est. » Et inferius: Anagogice: « Septenario numero perfectio æternitatis innuitur, cum dies septimus in requiem Domini sanctificatus vocatur, cum jam vespera inesse non dicitur, quia æternæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur. Hinc est etiam quod lege data dies septimus feriatus esse præcipitur, ut æterna per illum requies designetur; quia per septenarium numerum præsentis vitæ universitas designatur. Tunc magis ostenditur, cum post eum quoque ita octonarius subinfertur. Septenarium quippe cum adhuc alius sequitur, ex ipso ejus argumento exprimitur, quia finienda tempora æternitate concludantur. Scriptum est: Da partes septem, nec non et octo. Per septenarium quippe numerum hoc quod septem diebus agitur, præsens tempus expressit; per octonarium vero vitam perpetuam designavit; quam tamen sua nobis Dominus resurrectione patefecit, cum Dominico scilicet die resurrexit, qui dum diem septimum, id est sabbatum sequitur, a conditione octavus invenitur. »

Octo requisita ad oblationem Deo placitam.

Nota hic octo conditiones quas requirit Deus ad oblationem, sacrificium, votum et quodlibet donum, ut ei placeat. *Prima* est vers. 8, ut offeratur in justitia, puta ab homine justo et sancto. Hic enim Dei amicus est, imo filius, cum peccator sit Dei hostis; hostium autem δῶρα ἄδωρα. *Secunda* est vers. 10, ut offeratur animo bono, id est sincero, jucundo, pio, devoto ad ipsum glorificandum. *Tertia*, ibidem, ut donum sit integrum, non recisum, non imminutum. *Quarta*, vers. 11, ut offeratur animo hilari, imo exsultante. *Quinta*, vers. 12, ut sit præcellens et eximium, quia offertur Altissimo. *Sexta*, ibidem, ut sit largum et liberale, tantum scilicet quantum ferunt vires et opes, juxta illud: « Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua, » *Deuter.* VI, 5. Addit Christus: « Ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, » *Luc.* X, 27. *Septima*, versu sequenti, ut munus non sit pravum, id est vitiatum, mancum, distortum, corruptum; sed incorruptum et perfectum. *Octava*, ut munus non sit iniquum, sed juste partum, vers. 15.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET DEUM RESPICERE IN PRECES NON INFERENTIUM, SED PATIENTIUM INJURIAS, PAUPERUM SCILICET ET HUMILIUM, EOSQUE ULCISCI.

Vers. 14. 14. NOLI OFFERRE MUNERA PRAVA, NON ENIM SUSCIPIET ILLA.— Græce est μὴ δωροκόπει, quod Complutensia vertunt: *Ne diminuas ex dono*; Romana: *Ne minuas ex munere*; Tigurina: *Ne offeras parta sordibus munera*; Jansenius: *Ne decurtes munera*, ut scilicet per avaritiam ab eo quod Deo est dandum aliquid abradas, tibique reserves; alii: *Noli munera offerre de quibus aliquid ademptum sit*; alii ad verbum: *Ne præcidas donum*. Omnia hæc eodem tendunt, nimirum vetat offerre munera quæ juxta legem non sunt integra, sed quibus aliquid deest, quæ vitium aliquod habent, quæ Noster vocat « prava, » id est vitiata et corrupta, qualia sunt animalia, puta boves et oves cæcæ, claudæ, fractæ, mutilæ, herniosæ, scabiosæ, quales vetantur offerri, *Levit.* cap. XXII, vers. 22 et seqq.; *Deuter.* XV, 21, et *Malach.* I, 8.

Syrus vero vertit: *Ne differas; non enim est acceptum*. Accipit ergo hæc de præcisione temporis, quasi vetet ne munus, vel victima præcepta offerri in sabbato, offeratur feria tertia vel quarta. Ex dictis patet, optime vertisse Nostrum δωροκόπει, præsertim quia II *Machab.* I, sic sumitur, cum ait, δεδωροκοπημένοι εἰς μηχανὴν τῆς ἐκφυγῆς, id est *muneribus corrupti moliendæ fugæ gratia*. Unde Lexica græca, δωροκοπεῖν, inquiunt, est munera prava offerre. Sic κόπτεσθαι dicuntur frumenta et semina, cum vitiantur, præsertim cum inimica et malefica animalia eis innascuntur, ut patet ex Theophrasto, lib. VIII *Histor. plantarum*, cap. X,

et *De Causis plantarum*, lib. IV, capite ultimo.

Vers. 15. 15. ET NOLI INSPICERE SACRIFICIUM INJUSTUM, QUONIAM DOMINUS JUDEX EST, ET NON EST APUD ILLUM GLORIA PERSONÆ. — Græce est μὴ ἔπεχε θυσίᾳ ἀδίκῳ, id est *ne intendas* vel *attendas sacrificio iniquo*, ut spem tuam in eo reponas, ac propter illud putes te Deo gratum fore. Unde Syrus vertit : *Ne confidas in oblationibus ; quia Dominus facit judicium, et non est coram eo acceptio personarum ;* Tigurina : *Nec iniquum instituas sacrificium; quia Dominus judex est, nec valet apud eum magnificentia personæ.* Græcum enim δόξα significat gloriam, dignitatem, magnificentiam, item opinionem, existimationem, nomen, famam, celebritatem. Putant magni et magnates nonnulli se, esto alios opprimant et diripiant, Dei gratiam sibi conciliaturos si magnifica ex rapinis ei dona offerant, quasi Deus muneribus capiatur, uti capiuntur homines, juxta illud Ovidii :

> Munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque :
> Placatur donis Juppiter ipse datis.

Horum errorem redarguit hic Siracides : quia Deus, inquit, justus est judex, nec curat dignitatem vel gloriam personæ, aut munerum ejus. Ipse enim est magnificentissimus; unde sub eo omnia magnifica, omnesque magnates et magnifici parvi sunt, minoresque quam pulices et culices ; quare eorum muneribus, quantumvis magnificis, non placabitur, ut eis faveat, eosque adjuvet et prosperet in oppressione pauperum. Unde id clarius explicans subdit : « Non accipiet Dominus personam in pauperem. »

Exemplum e S. Gregorio. Illustre hujus rei exemplum recenset S. Gregorius, lib. III *Dialog.* cap. XXVI : « In Samnio, inquit, venerabilis vir Menas solitariam vitam ducebat. Hujus studium fuit, nihil in hoc mundo habere, nihil quærere, omnes, qui ad se charitatis causa veniebant, ad æternæ vitæ desideria accendere. Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, nunquam ab increpatione parcere, sed amoris igne succensus, studebat in eis vehementer per linguam sævire. Id metuens Carrerius, qui sanctimonialem rapuerat, sibique illicito matrimonio conjunxerat, fecit oblationes suas, easque inter oblationes aliorum misit. Quas ubi vir Dei cognovit per spiritum, sprevit atque abjecit, dicens : Ite et dicite ei : Oblationem suam omnipotenti Domino abstulisti, et mihi tuas oblationes transmittis? Ego oblationem tuam non accipio, quia suam abstulisti Deo. »

Vers. 16. 16. NON ACCIPIET DOMINUS PERSONAM IN PAUPEREM, ET DEPRECATIONEM LÆSI EXAUDIET. — *q. d.* Deus non accipiet personam divitis et potentis « in, » id est contra, « pauperem, » quæ scilicet lædit et opprimit pauperem, sed potius « deprecationem » pauperis « læsi, » græce ἀδικουμένου, id est *injuria affecti*, « exaudiet, » ut ejus sit ultor et vindex, atque acriter puniat divitem et potentem, [illegible] iuste afflixit et læsit. Unde Tigurina : *Nullam habet personæ rationem adversus inopem, sed injuriam passi precationem exaudiet ;* Syrus : *Non est coram eo acceptio personarum. Ingredietur coram eo oratio pauperis, et deprecationem merentium* (qui merentur exaudiri) *audit.*

Præclare Rabanus : « Apud supremum judicem, ait, non quantitas muneris, nec persona potentis appenditur, sed quantitas devotionis et humilitas cordis. Ideo hortatur ut non ex iniquo lucro offeramus munera Deo, sed ex labore justo. Quoniam Dominus justus judex est, nec accipit personam divitis, nec despicit personam pauperis. »

Deus ergo pauperum imprecationes dirasque exaudit, quia pauperum oppressorum est tutor, et divitum opprimentium ultor. Atque licet subinde pauperes ex ira et impatientia illas imprecentur, tamen quia rem justam petunt, hinc Deus illos exaudit, et diras opprimentibus immittit. Rarum est exemplum, sed tota Hollandia promulgatum, Margaretæ Comitissæ Hollandiæ, quod recenset Gaufredus Villariensis monachus, epist. *ad S. Idam*, Meyerus in *Annalibus Flandriæ*, Adrianus Junius in *Batavia*, cap. XX, sub finem. Paupercula enim femina gemellos enixa et lactans, stipem postulans a Comitissa, cum probro ab ea rejecta fuit. Dicebat enim illam ex adulterio incertam prolem concepisse : fieri enim non posse, ut uno ex marito bina proles nasceretur. Illa pudicitiæ Deum testem invocans : « Si, inquit, casta sum, non adulterа (uti sum), precor ut tot parias filios quot sunt dies in anno. » Precem audiit Deus, et reipsa complevit. Exstat Losduni, juxta Hagam Comitis tabula cum hac rei gestæ epigraphe : « Margareta, Florentii Comitis Hollandiæ filia, anno salutis 1276, ætatis suæ anno 42, ipso die Parasceves, hora nona ante meridiem, peperit infantes vivos promiscui sexus numero 364, qui postquam per venerabilem Episcopum Guidonem Suffraganeum præsentibus nonnullis proceribus et magnatibus, in pelvi quadam baptismi sacramentum percepissent, et masculis Joannes, femellis vero nomen Elisabeth impositum fuisset; ipsorum omnium, simul cum matris, animæ ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem sub hoc saxo requiescunt. » Plura puerperarum quæ multas uno partu enixæ sunt proles, exempla recenset Franciscus Bivarius in *Chronicon L. Dextri*, anno Christi 138, num. 6, atque inter alia exemplum principis Portugalliæ, quæ uno partu novem protulit filias, quæ omnes illustres virgines et martyres evasere. Nomina earum sunt : S. Geniberia, Victoria, Eumelia, Gemma (sive Margarita), Marciana, Germana, Basilia, Quiteria et Liberata (sive Wilgefortis), quam Germani vocant *Ontcommeram*, cujus nomen Sanctis in Romano Martyrologio ascriptum est die 20 julii.

Comitissa Hollandiæ peperit 364 proles.

Vers. 17 17. NON DESPICIET PRECES PUPILLI, NEC VIDUAM, SI EFFUNDAT LOQUELAM GEMITUS. — Huc pertinet ano-

Æsopi cædes et vindicta.

logus et exemplum Æsopi mythologorum principis. Hic enim ob salsos suos apologos, quibus hominum vitia mordebat, ad injustam necem raptus, dixit apologum scarabæi : qui injuriam passus ab aquila, ejus alis se inserens cum ipsa evolavit ad nidum, ibique ova ejus dirupit : inde cum aquila in sinum Jovis ova quasi in asilo posuisset, Deo supplicans, ut ea custodiret, scarabæus e stercore pilula facta ascendit, et in sinum Jovis eam dimisit. Jupiter assurgens ut fimum excuteret, et ova ejecit oblitus, quæ et contrivit dejecta : « Et vos igitur, inquit Æsopus, viri Delphii, ne despicite hunc deum, ad quem profugi; neque enim impios negliget. » Delphii vero hæc parum curantes recta ad mortem eum agebant : quare ipse alios similes enarrans apologos : « Exsecror, inquit, vestram patriam, et deos testor, me præter omnem justitiam interire, qui me ulciscentur exauditum. » Præcipitem igitur ipsum dederunt de rupe, et mortuus est. Non multo post autem pestilentia laborantes, oraculum acceperunt expiandam esse Æsopi mortem. Cui, quod et conscii sibi essent injuste eum interfecisse, etiam cippum erexerunt. Sed primates Græciæ, ac doctissimi quique, cum et ipsi quæ in Æsopum facta fuissent intellexissent, et in Delphos profecti sunt, et cum illis habita inquisitione, ultores et ipsi Æsopi mortis fuerunt. Ita Planudes in *Vita Æsopi,* sub finem.

Vers. 18. 18. NONNE LACRYMÆ VIDUÆ AD MAXILLAM DESCENDUNT, ET EXCLAMATIO EJUS (viduæ) SUPER (id est contra) DEDUCENTEM EAS? — puta contra eum qui injuste eam lædit, eique lacrymas excutit, *q. d.* Solent pupilli et viduæ quasi desertæ, derelictæ, et omnium injuriis expositæ injuste vexari, spoliari et opprimi a potentibus. Quare cum aliud refugium non habeant, ad Deum confugiunt et clamant, ut suas injurias avertat et vindicet : Deus autem, qui derelictorum patrocinium suscipit, juxta illud : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor, » *Ps. Hebr.* X, 14, ipsorum preces non spernit, sed aspicit, auditque eorum loquelam cum gemitu, suspiriis et lacrymis effusam. Itaque etsi eorum lacrymæ descendant in terram, clamor tamen ipsorum ascendit in cœlum, et a Deo vindictam extorquet. Græca Romæ emendata non habent τὸ *ejus*, sed tantum « exclamatio, » *q. d.* Lacrymæ viduæ, etiamsi ipsa taceat, suapte vi clamant in cœlum, poscuntque a Deo vindictam contra eum qui eas provocat. Tigurina : *Supplicationem pupilli minime negliget, nec preces fundentem viduam : nonne cum lacrymæ viduæ ad maxillam ejus defluunt, adversus cientem eas opem invocat?* Syrus : *Non deserit gemitum orphanorum, et orationem viduarum exaudit, amaritudines animæ pauperis ipse exaudit.* Hinc Deus vocatur, « pater orphanorum et judex viduarum, » *Psal.* LXVII, 6.

Denique hæc justa est lex talionis, quam sancit Deus, *Exodi* XXII, 22 : « Viduæ, inquit, et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum : et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli. »

Vers. 19. 19. A MAXILLA ENIM ASCENDUNT USQUE AD COELUM, ET DOMINUS EXAUDITOR NON DELECTABITUR IN ILLIS. — Hic versus jam deest in Græco et Syro, quia explicatio est versus præcedentis, ejusque clarior duntaxat propositio. Tigurina, *sane a maxilla ad cœlum usque redundant, et Dominus libenter exaudit eas.* Porro Romana et Rabanus legunt, *non delectabitur in illis, q. d.* Deus videns lacrymas viduæ, adeo non delectabitur illis, ut gravissime offendatur, indignetur et excandescat in eos qui sua injustitia eas eliciunt. Est miosis : parum enim dicitur, et plus significatur. Alii legunt, *delectabitur* affirmative, *q. d.* Deus delectabitur lacrymis et precibus viduæ, easque exaudiet, ut eas contra oppressores tueatur, propugnet et vindicet. Rursum noster Pineda, in cap. IV *Eccles.* vers. 1, sic exponit : « A maxilla enim ascendunt in cœlum; » ubi instar vaporum, qui e terra excitati sunt, concrescere videntur in nubes et pluviam ; « Et Dominus exauditor non delectabitur in illis, » id est cum vehementer displicuerit illi viduæ oppressio et calumnia, ex illius lacrymis et clamore, pluviam confertam suppliciis, tonitrua, fulmina, grandinem creat, quæ in impios et oppressores indignabundus ejaculetur.

Exstat hac de re apud Alciatum insigne emblema pugnæ inter scarabæum et aquilam, docens pauperes parvosque a magnis impune non lædi, nec esse contemnendos, posseque suam injuriam ulcisci. Audi illud :

Bella gerit scarabæus, et hostem provocat ultro,
Robore et inferior, consilio superat,
Nam plumis aquilæ clam se neque cognitus abdit,
Hostilem ut nidum summa per astra petat.
Ovaque confodiens prohibet spem crescere prolis :
Hocque modo illatum dedecus ultus abit.

Vers. 20. 20. QUI ADORAT DEUM IN OBLECTATIONE, SUSCIPIETUR, ET DEPRECATIO ILLIUS USQUE AD NUBES PROPINQUABIT. — Pro qui *adorat Deum*, græce est θεραπεύων, id est *cultor Dei*. Unde primi christiani θεραπευταὶ, id est *cultores*, vocantur a Philone apud Eusebium, lib. II *Hist.* cap. XVII. Et primi monachi a Philone et S. Basilio vocantur θεραπευταὶ, id est *cultores* et ministri sive famuli Dei, quod totos se ejus famulatui addixissent; iidem vocantur ἀσκηταὶ, id est *exercitatores*, scilicet cujuslibet virtutis vitæque arduæ : ac θεραπευτίδες καὶ ἀσκήτριαι, id est *famulæ et exercitatrices*, vocantur virgines in virginitate Deo famulantes : θεραπεύω enim idem est quod servio, colo, demereor : ac θεραπεία est cultus, observantia, obsequium. Aristoteles autem, vel quisquis est auctor lib. *De Mundo* : θεραπεία, inquit, est cultus heroum, ut θυσία deorum.

Porro τὸ *in oblectatione*, Romani codices commate disterminant a *suscipietur*, nectuntque cum

« qui adorat Deum, » *q. d.* « Qui adorat Deum in oblectatione, » græce ἐν εὐδοκίᾳ, id est *bona voluntate,* animo libenti, hilari et jucundo; hic ab eo « suscipietur. » Alii tamen nectunt cum « suscipietur. » Unde Tigurina vertit : *Religiosus suscipietur cum benevolentia, et ad nubes pertinget ejusdem precatio*; alii : *Cultor Dei benevole accipietur, ejusque precatio ad nubes usque continget.*

Moraliter disce quam efficaces sint Religiosorum orationes, quamque facile et libenter a Deo exaudiantur, ut e terris super nubes conscendant, cœlumque aperiant et ad thronum Dei pertingant, ipsumque Deum inflectant. Id exemplo Eliæ, cœlum sua prece nunc claudentis, nunc reserantis, docet S. Jacobus, *epist.* cap. v, vers. 17, et S. Chrysostomus, hom. 41 *in Genes.* et hom. 1 *in* I *ad Thessal.*

Sic Moses sua oratione restitit iræ Dei, eumque quasi coegit ut toti populo parceret, *Exodi* XXXII, 32 et seq.

Sic Samuel totum Israelem orando a Philistæis protexit, I *Reg.* VII, 10, et Lot urbem Segor, *Gen.* XIX, 22. Sic Job amicis veniam impetravit, cap. XLII, vers. 8.

Sic Daniel orans, cap. IX, obtinuit Judæorum liberationem e Babylone. Sic David protexit Jerusalem contra Assyrios, IV *Reg.* XIX, 34.

Denique « quis dubitet mundum precibus stare Sanctorum? » ait Ruffinus, *Præfat. in Vitas Patr.* Ita hodie Religiosi et Religiosæ suis precibus conservant urbes, alioqui ob scelera a Deo evertendas instar Sodomæ. Illi ergo sunt bases et columnæ reipublicæ, quos proinde venerari, ambire et alere sæculares convenit. Vide P. Platum, lib. I *De Bono status Relig.* cap. XXXV.

Vers. 21. 21. ORATIO HUMILIANTIS SE, NUBES PENETRABIT : ET DONEC PROPINQUET NON CONSOLABITUR : ET NON DISCEDET DONEC ALTISSIMUS ASPICIAT. — *q. d.* Mira est vis humilis et humilitatis : dum enim ipse orans se coram Deo deprimit, et in abyssum suæ vilitatis descendit, tunc ascendit ejus oratio usque ad nubes, imo eas penetrat et transcendit : nec eo contenta, « donec » ad solium Dei « propinquet, non consolabitur. » id est, ut alii vertunt, *non admittet consolationem*; Græca Romæ correcta, *non revocabitur,* hoc est non conquiescet, nec cessabit orare et clamare donec ad Deum evadat : denique a Deo « non discedet, donec Altissimus aspiciat, » et concedat id quod postulat. Est metalepsis in verbo « aspiciat, » et « non consolabitur. » Afflicti enim, dum orantes consolationem non accipiunt, non cessant orare et clamare donec eam percipiant : unde *non consolari*, idem est quod non cessare. Quia ergo humilis usque ad humum et solum se dejicit (unde *humilis* dicitur quasi *humo acclivis*, ait Isidorus, lib. X *Origin.*, hinc ejus oratio meretur a solo ad cœlum, a cœlo ad solium Dei elevari, ab eoque impetrare quod postulat.

Pro *humilis* græce est ταπεινὸς, quod respondet Hebræo עני *ani*, ac tam pauperem et afflictum, quam humilem mitemque significat. Unde Tigurina vertit : *Oratio afflicti nubes penetrat, non conquiescit, nec desistit, donec pervenerit ad Altissimum, qui agat curam ejus, juste judicet, judiciumque exerceat;* Syrus : *Oratio pauperum super nubes ascendit,* vel *nubes inclinat; et coram Domino majestatis ingreditur. Non transit donec inquirat de ea, et judicium verum judicet.* Oratio a Deo ex auditur.

S. Bernardus, serm. 4 *De Quadrag.*, pro *humilis* legit *justi* : « Oratio justi, ait Scriptura, penetrat cœlos. Justitia vero quæ est, nisi quæ cuique reddit quod suum est? Noli ergo quasi solum attendere Deum, debitor es enim etiam Prælatis, etiam fratribus tuis; nec vult Deus ut parvi pendas quos ipse minime parvi pendit. » Idem, serm. 3 *De Epiph.* : « Oratio justi cœlos penetrat. Nam qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Porro, si justus esse volueris, et non avertere aurem tuam a mandatis Domini, ne avertat et ipse suam a precibus tuis, necesse est ut non solum præsens sæculum contemnas, sed et ipsam carnem castiges, et subjicias servituti. Nam qui dixit : Nisi quis ab abrenuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, *Luc.* XIV, 33 : idem ipse in alio loco ait, cap. IX, vers. 23 : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me, » Porro rationes sui dicti Siracides Cur? innuit varias. *Prima* est, quod humilitas adeo Deo Ratio prima. sit grata, ut exaudiri mereatur. Rursum afflictio humilis ab omnibus derelicti, ideoque omnes suas spes in Deo reponentis, ita oculos Dei verberat, ut extorqueat quod petit, juxta illud : « Dilexi, quoniam inclinavit aurem suam mihi, » *Psal.* CXIV. Ad quem versum D. Ambrosius, orat. *De Obitu Theod.*, sic ait : « Inclinat se nobis, ut nostra ad Deum ascendat oratio. » Et S. Hieronymus : « Quoniam, ait, nos parvi sumus et humiles, et non possumus nos extendere et exaltare : propterea Dominus inclinavit aurem suam, et dignatur exaudire nos. » Ac S. Augustinus : « Quia dilectionem spes solet accendere, dilexisse se dicit, quoniam speravit exauditurum Deum vocem deprecationis suæ. Incomparabilis quidem prærogativa orationis, ut Deus omnipotens in solio gloriæ suæ constipantibus undique Angelorum millibus, suhlato se dimittat ex throno, inclinetque aurem ut orationem e terra excipiat ascendentem. » Et S. Chrysostomus in illud *Psal.* IX, 13 : *Non est oblitus clamorem pauperum* : « Orationis, inquit, vehiculum est humilitas. »

Secunda, quod humiles et afflicti soleant perseverare in oratione, nec ab ea cessare, donec afflictionis suæ remedium impetrent : perseverantia autem est nervus orationis, et impetrat quidquid tam assidue postulat. Secunda.

Tertia, quia oratio humilis est exilis et subtilis, Tertia. unde cordis sui subtilitate omnia penetrat. Ita S. Paulinus epist. 10 *ad Severum,* ubi subtiliter et

pie hanc Siracidis sententiam explicat, applicatque Publicano evangelico, atque alludens ad illud Christi, *Matth.* XIX, 24 : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum* : « Publicanus, ait, in corde detrito seipsum accusans Deo, et pectus afflictum crebra manu tundens, et oculos conscientiæ pudore depressos in cœlum levare non audens, iniquitate illa vitiorum, dorso cameli æmula, ita se in humilitatem debitam strinxit, et resipiscentis animæ complanatione direxit, ut se foramini acus, hoc est viæ verbi vel crucis, quæ arcto tramite ducit ad vitam, divinarum aurium penetrator insereret. Oratio enim, ait, humiliantis se nubes penetrat, qua contra ille jactantiæ suæ spiritu dives Pharisæus, qui imputatione operum debitorum, quia ex lege operandi debitor erat; tamen quasi voluntaria fecisset supra debitum, prædicator sui, accusator alieni, qui conveniret magis Deum quam rogaret, intrare non potuit, quia suffarcinatos arcta non capiunt. Nec poterat eo recipi lata jactantia, quo se humilitas angusta collegit, et angustia angustior contriti cordis exilitate penetravit. » Qui deinde per acum accipit crucem Christi : « Qua mors nostra compungitur, nosque ipsi Deo assuimur, per quam facilius in cor ingreditur humiliata iniquitas, quam superba justitia. » Humilitas ergo dat alas orationi, et oratio sine alis humilitatis in altum subvehi nequit.

Quarta. *Quarta* est, quod oratio humilis est quasi sagitta, quæ ex arcu inferne valide tenso emissa, acrius scopum ferit. Nam quo magis orans se humiliat, et velut chordam arcus sui deorsum retrahit, eo superius non modo ad nubes, sed ad ipsum usque Deum orationis suæ sagittam validissime mittit; quæ proinde quasi sagitta viri fortis, ut ait Jeremias cap. L, 6, non revertetur vacua : cujus typus fuit sagitta Jonathæ, de qua dicitur, II *Reg.* I, 22 : « Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum. » Sic Christus, quia in arcu crucis deorsum summe fuit distensus et humiliatus; hinc collimatis in cœlum oculis supplicans pro nobis, supplicationis telum validissimum emisit, quo Deum certissime fixit, juxta illud *Hebr.* V, 7 : « Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Sic et Tobias orans cum lacrymis exauditus est, *Tob.* XII, 12. Vere ergo dixit S. Chrysostomus, hom. 41 *ad Popul.* : « Magna armatura oratio : » quia non tantum cœlum, sed et Deum ipsum, quantumvis iratum et armatum, exarmat, ac divinam expugnat justitiam.

Est prosopopœia. Oratio enim humilis et afflicti inducitur hic quasi persona, quæ in terris vim passa, et dolore saucia fugit, scanditque nubes, easque pervadit, nec cessat donec ad solium Dei judicis penetret, ibique justas suas querelas explicet, et injuriarum suarum vindictam impetret, sicut vidua illa per satellites omnes penetravit ad Trajanum imperatorem petens justam vindictam, dicensque ei : « Aut fac justitiam, aut depone purpuram. »

Ex adverso oratio hominis se exaltantis, læti et abundantis, dicitur ad nubes accedere, sed eas non pervadere, quasi exspectet Angelum aliquem, qui eam sursum perferat et Deo repræsentet, velut quæ moram pati possit, quamque non admodum referat statim expediri : non quod non audiatur a Deo, sed quod non statim suum sortiatur effectum. Sed oratio humilis, qui in tribulatione suam coram Deo effundit animam, illico prætervolat nubes, illico coram Deo admittitur; quia Deus est amator et curator afflictorum; et ut multum refert eis statim opem ferre, ita sine mora eos exaudit, liberat, protegit et vindicat. Ita Palacius. Hoc est quod coram Deo protestatur, *Judith.* IX, 16 : « Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. » Et Psaltes *Psal.* CI, 18 : « Respexit in orationem humilium : et non sprevit precem eorum. » Unde S. Bernardus, hom. super *Missus est* : « Sine humilitate, audeo dicere, ait, nec virginitas Mariæ Deo placuisset. » Hinc ipsa cecinit : « Respexit humilitatem ancillæ suæ, » *Luc.* I, 48. Similia sunt *Gen.* XXIX, 32; *Deut.* XXVI, 7; *Psal.* IX, 14, et XXX, 8, et CXXXV, 23, et CXXXVII, 6; *Isai.* LVII, 15.

Hinc S. Joannes, *Apoc.* V, 8, vidit Angelum offerre Deo « phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. » Bene *odoramenta, primo,* quia sursum ad Deum ascendunt : sunt enim odoramenta Dei, quibus delectatur odoratus Dei; *secundo,* quia instar aromatum, quo magis tribulationis aut amoris igne ardent, eo suaviorem odorem spargunt; *tertio,* quia non tantum unam virtutem olent, sed omnes illas pro quibus vir justus orat et gemit. Hinc sunt thymiama ex variis aromatibus commixtum et compositum, uti ostendi *Exodi,* cap. XXX, 34. Orationi ergo symbolice adaptes illud *Cant.* III, 6 : « Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? »

22. ET DOMINUS NON ELONGABIT, SED JUDICABIT JUSTOS, ET FACIET JUDICIUM : ET FORTISSIMUS NON HABEBIT IN ILLIS PATIENTIAM, — *q. d.* Deus non tantum aspiciet orationem humilis et injuste afflicti, verum etiam « non elongabit, » id est non in longum protrahet, uti faciunt iniqui et pigri judices; græce μὴ βραδύνῃ id est *non tardabit;* quod Hebræi dicunt לֹא יְאַחֵר *lo ieacher;* sed cito « faciet judicium » justorum, eosque judicabit, vindicabit, et injurias illis a potentibus illatas ulciscetur : « et Fortissimus, » græce ὁ κραταιὸς, id est *ille fortis,* ille validus, ille potens, ille victor, ille imperator (apud quem est summa imperii totius universi), scilicet antonomastice per essentiam omnipotentem, « non habebit in illis, » scilicet Vers. 22

justis, eorumque injuriis et clamoribus, « patientiam, » ut patiatur se diu orari; græce μὴ μακροθυμήσει, id est *non erit longanimis*, non longanimiter exspectabit vel differet, sed illico iram induet, eamque effundet in oppressores eorum. Tigurina : *Cæterum Dominus non permanebit in mora, nec patientiam super eis præstabit omnipotens*; Syrus : *Non transit donec inquirat de ea* (oratione pauperum), *et judicium verum judicet : et etiam Dominus non rejicit* (in longum et serum tempus), *et non deseret, neque irritam et faciet.* Huc allusit Christus in parabola iniqui judicis, ad clamores importunos viduæ, eam judicantis et vindicantis. Huic enim conferens et anteferens Deum, subjungit : « Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum, » *Luc.* XVIII, 7.

Vers. 23. UT (Jansenius et Græca : *quousque*) CONTRIBUAT DORSUM IPSORUM : 23. ET GENTIBUS REDDET VINDICTAM, DONEC TOLLAT PLENITUDINEM SUPERBORUM : ET SCEPTRA INIQUORUM CONTRIBULET. — Pro *contribulet* utrobique græce est συντρίψῃ, id est *conterat*. Sic igitur habent Græca : *Donec contriverit lumbos immisericordium, et gentibus retribuerit vindictam, donec sustulerit multitudinem* ὑβριστῶν (id est *injuriosorum*), *et sceptra iniquorum contriverit*; Tigurina : *Donec lumbos immitium conquassarit, gentesque mulctarit supplicio; donec sustulerit turbam injuriosorum, et injustorum sceptra confregerit*; Syrus : *Quoadusque ulciscatur opera iniquorum, et populis reddat retributionem; donec perdat fortitudinem peccatorum, et principes iniquos abscindendo abscindat.* Hæc et sequentia pendent ex τῷ *et Fortissimus non habebit in illis patientiam*, quod præcessit, *q. d.* Deus fortissimus judex et vindex non diu patietur et tolerabit injurias justis illatas ab impiis et violentis, sed protinus eorum lumbos et dorsa (hæc enim sunt sedes et symbolum roboris) conteret : « et gentibus » injustis « reddet vindictam, donec tollat plenitudinem, » id est multitudinem, « superborum » superbe et inique aliis dominantium : « et sceptra » id est regna, « iniquorum » conterat et evertat. Per *dorsum* significatur iniquorum robur, violentia et tyrannis, qua quasi dorso duro et osseo, incubuerunt dorso justorum, illudque eliserunt; quod proinde a duriore Dei dorso subigetur et conteretur. Dicitur ergo Deus *contribulare dorsum iniquorum*, id est tribulum afflictionum super eos in terra pronos deducere, sicut David « fecit super eos (Ammonitas) tribulas, et trahas, et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur, et contererentur, » I *Paralip.* XX, 3. Porro *plenitudo superborum* significat eorum tum multitudinem, tum potius abundantiam opum, honorum et deliciarum, qua sunt plenissimi.

Tacite Siracides hic notat Judæorum sui ævi afflictiones, quas patiebantur a Ptolemæo Lagi, rege Ægypti, ac prædicit brevi fore, ut Deum tribulum afflictionis dorso Ægyptiorum inducat, eorumque opes et vires imminuat. De quo plura capitibus sequentibus. Id ita accidit : nam, ut alia taceam, ipsi Ptolemæi Ægyptum et Ægyptios perdiderunt. Ptolemæo enim Evergeti, sub quo hæc scripsit Siracides Junior, successit Ptolemæus per antiphrasin cognominatus *Philopator*, eo quod patrem, matrem, sororem et uxorem occidisset. Philopatori successit Epiphanes, Epiphani Philometor, per antiphrasin quasi matris amator, cum eam interfecerit. Philometori successit Evergetes secundus, qui filiis et civibus Alexandrinis interfectis, omnia luctu complevit, ait Genebrardus, in *Chronico*, anno mundi 3964. Evergeti successit Phiscon, qui Cleopatram sororem uxorem ducens, ipso die nuptiarum ejus filium « in complexu matris interfecit; atque ita torum sororis cæde filii ejus cruentus ascendit. Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocaverant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentia cædis data, omnia sanguine quotidie manabant, » ait Justinus lib. XXXIII. Ptolemæorum historia.

Vers. 24. 24. DONEC REDDAT HOMINIBUS SECUNDUM ACTUS SUOS, ET SECUNDUM OPERA ADÆ, ET SECUNDUM PRÆSUMPTIONEM ILLIUS. — « Adæ, » id est hominis : *Adam* enim est et proprium nomen protoplasti, et commune omnium posterorum ejus, tum quia omnes prognati sunt ex Adamo; tum quia ex eadem הָאָדָמָה *adama*, id est *terra*, efformati sunt. Ab *adama* enim factus et dictus est Adam. Unde illud : « Et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. » *Gen.* V, 2. Vide dicta ibidem, et *Gen.* II, 7. Idem patet ex Græco hoc loco : hic enim priore loco habet ἀνθρώπῳ, id est *homini*; posteriore ἀνθρώπων, id est *hominum*. Porro Palacius per *Adam* intelligit Ptolemæum Lagi, qui oppressit Judæos, *q. d.* Reddet Deus « secundum opera Adæ, » id est hominis illius qui nos ita persequitur « et secundum præsumptionem » ac cogitationem, qua subdole Hierosolymam occupavit, et Judæos in servitutem abduxit.

Pro *præsumptionem* græce est ἐνθυμήματα, id est *cogitationes*, quales quisque sibi præsumit et eligit. *Præsumptio* ergo hic non arrogantiam et fastum, sed cogitationem præsumptam et electam denotat, *q. d.* Deus reddet cuique non tantum secundum actus, sed et secundum cogitationes et electiones suas; quia præmiabitur vel puniet quemque, non tantum secundum id quod operatus est, sed secundum id quod libere cogitavit, voluit, elegit. *Præsumere* enim Latinis idem est quod *prius sumere*; prius autem res patranda præsumitur animo, id est cogitatur, eligitur, decernitur, quam opere perpetretur.

Alludit ad præsumptionem et electionem Adæ, qui præsumens et præeligens potius lignum vetitum quam Deo obedire, meritas in se et posteris omnibus hujus præsumptionis dedit pœnas. Unde græce est : *Donec retribuerit homini secundum cogitationes ipsorum.* Quo significatur actus informari fierique bonos vel malos, meliores vel pe-

flores, per cogitationem, id est intentionem, quam operibus suis voluntas præfigit. Actus enim externus sæpe in se est indifferens, ut comedere, legere, scribere, loqui, etc.; sed fit bonus si ex bona intentione procedat, malus autem si ex mala, pejor si ex pejore, melior si ex meliore. Unde illud vulgo tritum :

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.

Hæc enim dat speciem actui morali, ut docent Ethici et Theologi. Unde Tigurina : *Donec reponderit cuique digna factis ejus, et operibus hominum, qualia merentur cogitationes eorum*; Syrus : *Donec reddat malis vices eorum, et operantibus improbitatem consilia eorum.*

Vers. 25. 25. DONEC JUDICET JUDICIUM PLEBIS SUÆ, ET OBLECTABIT. — (græce εὐφρανεῖ, id est *lætificabit*) JUSTOS MISERICORDIA SUA. — Descripsit quid judicium Dei facturum sit impiis piorum oppressoribus : nunc describit quid idem facturum sit piis oppressis ab impiis, nimirum quod « oblectabit » eos « misericordia sua; » qua eis retribuet præmium temporale et gloriam æternam. Proponit autem impiorum pœnam; quia hæc ipsa conspecta a piis eos oblectabit, juxta illud : « Lætabitur justus, cum viderit vindictam peccatoris, » *Psalm.* LVII, vers. 11. Rursum præmium justorum vocat *misericordiam*, tum quia a Deo misericorditer iis promissum est, non ex obligatione et justitia, quasi Deus promittere obligaretur Deus; tum quia operis boni et meritorii principium est gratia, quæ operi dat totam dignitatem et vim merendi, juxta illud : « Gratia Dei, vita æterna, » *Rom.* cap. VI, vers. 23; tum denique quia Deus præmiat ultra condignum et supra meritum, idque facit gratis, ex immensa sua liberalitate et misericordia. Unde illud : « Qui coronat te in misericordia et miserationibus, » *Psalm.* CII, 4. Quapropter sic vertit Tigurina : *Donec absolverit vindictam populi sui, eumque sua miseratione lætum reddiderit*; Syrus : *Donec judicet judicium populi sui, et lætificet eos retributione sua;* alii : *Donec judicaverit causam populi sui, et exhilaraverit eos pro misericordia sua.*

Vers. 26. 26. SPECIOSA MISERICORDIA DEI IN TEMPORE TRIBULATIONIS, QUASI NUBES PLUVIÆ IN TEMPORE SICCITATIS. — « Speciosa, » id est decora, grata, exoptata. Est metalepsis : quæ enim speciosa sunt, grata sunt et exoptata oculis. Pro *speciosa* græce est ὡραῖον, quod tam opportunum et tempestivum, quam speciosum, decorum et pulchrum significat. Unde aliqui vertunt, *opportuna misericordia*, etc., idque huic loco valde est appositum, *q. d.* Sicut valde opportuna accidit « pluvia tempore siccitatis, » cum scilicet terra sicca, squalida et sitiens pluviam desiderat : sic pariter valde opportune succurrit « misericordia Dei » homini, cum in tribulatione est positus; tunc enim eam ardenter expetit et exoptat, ut a tribulatione liberetur, *q. d.* Sicut mulier nobilis, dives et speciosa certis diebus, v. g. festis, nuptialibus, triumphalibus, et similibus ornat se vestibus pulchrioribus, gemmis et monilibus, iisque compta cum pompa et gloria in publicum prodit, uti de Judith post cæsum Holofernem et liberatum populum dicitur cap. XVI, 27 : « Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria : » sic pariter « misericordia Dei, » licet hominibus semper sit grata et speciosa, tamen « in » die « tribulationis » cum afflicti ea maxime egent et desiderant, longe eis gratior et speciosior apparet, juxta illud vulgo tritum : « Deus ex machina. » Quare quo major est tribulatio et humani auxilii desperatio, eo jucundior accidit Dei opitulatio, ac præsertim in hora mortis, cum jacitur alea æternitatis cœli vel gehennæ; tunc ergo Deus suis adest et succurrit, ac dæmones et tentationes propulsat, præsertim si invocetur Virgo Deipara; quam proinde Ecclesia quotidie ita nos salutare et precari docet : « Sancta Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis. Amen. »

Complutenses tamen, Romani et cæteri vertunt *speciosa*, quia decor, species et pulchritudo misericordiæ, hoc est eleemosynæ et beneficentiæ, maxime apparet, cum ea confertur homini afflicto et indigenti, ideoque ad illam anhelanti: sicut speciosus est cibus in ore famelici, potus in ore sitibundi, vestitus in corpore nudo. Sic forma informans materiam ea privatam, eam formosam efficit; unde et ejus forma nuncupatur a physicis. Unde Tigurina vertit : *Præclara est calamitoso tempore misericordia, ac velut nubes pluviæ tempore siccitatis;* Complutenses legunt ὡς ὡραῖον, id est *quam pulchra est misericordia in tempore tribulationis, etc.*; Syrus : *Confundetur inimicus in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore necessitatis.* Atque hac de causa permittit Deus justos tribulari, ut tunc eis tanto melius sapiat Dei misericordia, quanto major est eorum miseria, majorque misericordiæ fames atque exspectatio, juxta illud : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, » *Psalm.* XCIII, 19. Et illud : « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis, » *Isaiæ* IX, 2. Exemplum clarum est in eo qui e carcere longo et tenebroso, jam exspectans furcam, subito eripitur, et evehitur ad regnum, fitque ex servo et reo rex, uti Joseph e carcere evectus est ad principatum Ægypti, *Genes.* cap. XLI, 41. Quantum est ejus gaudium? Rursum in animabus justis, cum e purgatorii carcere, igne et caligine liberantur, scanduntque in cœlum ad æternam felicitatem et gloriam. Quam pulchra eis accidit, quam sapida hæc Dei misericordia, eaque tanta, ut e miserrimis faciat felicissimos! Igitur pulchra est Dei justitia, pulchra potentia, pulchra sapientia, etc., sed miseris nobis nihil est divina misericordia pulchrius. Pulcher in cruce Christus,

quia misericors in cruce Christus, ait Palacius.

Misericordia aliter est in Deo quam in nobis.

Nota : Misericordia formaliter et proprie est in Deo, non tamen eo modo quo est in nobis. In nobis enim est miseria cordis (inde enim coaluit nomen *misericordia*) et afflictio, qua aliis compatimur et condolemus. In Deo vero non est aliud quam miseriæ nostræ subveniendi voluntas; nec enim cordis dolor cadit in Deum. Simili modo in Deo constituenda est ira, non ut turbidum animi motum, qui humorum concitatione rationem obnubilet, sed ut simplicem voluntatis affectum ad ultionem accensum denotat. Quia tamen ira proprie significat motum animi bilem concitantem, misericordia vero simplicem subventionis affectum, quamvis a miseria cordis nomen traxerit; idcirco ira in Deo ponitur metaphorice, misericordia proprie, ait S. Isidorus, lib. X *Origin.*, littera M. « Hinc appellata, inquit, misericordia (perperam aliqui legunt *miseria*), quod miserum cor faciat dolentis alienam miseriam; sed in Deo est misericordia sine ulla cordis miseria. »

Tres misericordiæ Dei gradus

Porro generalis Dei misericordia, eaque immensa in triplici ejus opere cernitur : *primo*, est opus creationis; *secundo*, justificationis; *tertio*, incarnationis Verbi. Magna et admirabilis est misericordia prima, qua omnia ex profundo nihili educta, ad celsitudinem essentiæ et naturæ sunt evecta; infinite enim melior est essentia cujusque quam acceperunt, quam nihilum unde emerserunt. Verum infinite præstantior est misericordia secunda, qua omnia ad supernaturalem ordinem elevata; nam infinite præstantior est gratia quam natura, et status ille divinus quam conditio naturalis, et communicatio bonorum divinorum, quam omnia dona naturalia. Sed et hac misericordia infinite præstantior est tertia, qua divina natura copulata est humanæ in unam personam, per quam nobis præstita redemptio, remissio peccatorum, justificatio et omne bonum. Particularis autem misericordia, quam Deus in dies cuilibet impendit, est innumerabilis. Quisque sibi ab eo impensas recogitet, et cum gratiarum actione confiteatur Deo, uti fecit S. Augustinus in libris *Confessionum*.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docuit sub finem capitis præcedentis quam efficax sit oratio humilis et afflicti, quamque prompta sit Dei misericordia ad eam exaudiendam. Nunc ejus in seipso dat exemplum. Igitur orat ut populus fidelis, puta Judæi ab Ægyptiis aliisque gentibus subacti, afflicti et dispersi liberentur, et congregentur in Jerusalem, utque Deus gentes conterat et convertat ad verum Deum Judæorum cognoscendum et colendum. Secundo, vers. 20, agit de bonitate bonarum uxorum, ut vir quærens uxorem, bonam commodamque seligat potius quam opulentam; utque, ea relicta, ad aliam magis illecebrosam, quasi vagabundus, non deflectat.

1. Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum : 2. et immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua. 3. Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam. 4. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, 5. ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus, quoniam non est Deus præter te, Domine. 6. Innova signa; et immuta mirabilia. 7. Glorifica manum, et brachium dextrum 8. Excita furorem, et effunde iram. 9. Tolle adversarium, et afflige inimicum. 10. Festina tempus, et memento finis, ut enarrent mirabilia tua. 11. In ira flammæ devoretur qui salvatur : et qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem. 12. Contere caput principum inimicorum, dicentium : Non est alius præter nos. 13. Congrega omnes tribus Jacob : ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua : et hæreditabis eos, sicut ab initio. 14. Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum : et Israel quem coæquasti primogenito tuo. 15. Miserere civitati sanctificationis tuæ Jerusalem, civitati requiei tuæ. 16. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, et gloria tua populum tuum. 17. Da testimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ sunt, et suscita prædicationes, quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores. 18. Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur : et exaudi orationes servorum tuorum : 19. secundum benedictionem Aaron de populo tuo, et dirige nos in viam justitiæ, et sciant

omnes qui habitant terram, quia tu es Deus conspector sæculorum. 20. Omnem escam manducabit venter, et est cibus cibo melior. 21. Fauces contingunt cibum feræ, et cor sensatum verba mendacia. 22. Cor pravum dabit tristitiam, et homo peritus resistet illi. 23. Omnem masculum excipiet mulier : et est filia melior filia. 24. Species mulieris exhilarat faciem viri sui, et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. 25. Si est lingua curationis, est et mitigationis et misericordiæ : non est vir illius secundum filios hominum. 26. Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem : adjutorium secundum illum est, et columna ut requies. 27. Ubi non est sepes, diripietur possessio : et ubi non est mulier, ingemiscit egens. 28. Quis credit ei, qui non habet nidum, et deflectens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro exsiliens de civitate in civitatem?

Nota : Paulo ante ætatem Siracidis Ptolemæus Lagi, primus post Alexandrum Magnum Ægypti rex, Judæos valde afflixit. Nam Syriam regno suo adjiciens, Hierosolymam prætextu sacrificandi ingressus, sabbato occupavit. Deinde multos de Judæa et Garizim captivos traxit in Ægyptum, et vendidit, adeo ut ejus filius et successor Ptolemæus Philadelphus, centum viginti millia Judæorum libertati restituerit in gratiam Eleazari pontificis, qui ei misit Septuaginta duos Interpretes, ut S. Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma converterent. Ita Josephus, XII *Antiq.* I et II.

Ad litteram ergo Siracides orat Deum, ut Judæos a Ptolemæo Lagi captos, dispersos et afflictos liberet; idque impetravit. Misit enim Deus Ptolemæum Philadelphum, qui non tantum eos liberavit, sed et magnis donis et privilegiis ipsos templumque honoravit. Verum ulterius respexit Spiritus Sanctus, scilicet ad conversionem gentium ab idololatria ad cultum veri Dei, puta a gentilismo ad christianismum, futuram per Christum et Apostolos. Sicut enim Ægyptii persecuti sunt Judæos, sic Gentiles persecuti sunt veros veri Dei cultores, quos Deus liberavit mittendo eis Christum, Apostolos et viros Apostolicos, ac præsertim Constantinum Imperatorem quem repræsentat Ptolemæus Philadelphus, qui christianus effectus, omnes præcedentium imperatorum gentilium persecutiones stitit et inhibuit, adeoque erectis templis, et profligatis idolis, toto orbe cultum Christi per omnes gentes propagavit. Est hic ergo tacita conversionis gentium adumbratio, et per modum precationis prophetia; orat enim ut Israelitæ dispersi et afflicti congregentur, Deumque quiete et læte unanimes colant in Sion; utque gentes quæ eos afflixerunt conterantur, id est comprimantur, et Sioni subdantur, ut videant, agnoscant et celebrent Dei potentiam et magnificentiam. Hoc fieri cœpit sub Ptolemæo Philadelpho, sed perfectum fuit a Christo et Apostolis, qui in Sion instituerunt Ecclesiam Catholicam; illi deinde subjecerunt omnes gentes, quæ exinde colunt et celebrant verum Deum, ejusque filium Jesum Christum. Ita Rabanus.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. MISERERE NOSTRI, DEUS OMNIUM, ET RESPICE NOS (sic habent et Græca; quod vero sequitur) : ET OSTENDE NOBIS LUCEM MISERATIONUM TUARUM, — deest jam in Græcis. « Lucem » vocat lætitiam et hilaritatem Hebræis obventuram ex miseratione Dei, si eos ab Ægyptiis aliisque gentibus afflictos liberet. Unde Syrus vertit : *Libera nos, Deus, omnes*, ut nos pristinæ libertati, patriæ, opibus, gloriæ et regno restituas. S. Augustinus, XV *De Civit. Dei*, XX, legit : *Miserere nostri, dominator Deus omnium.*

Vers. 2. 2. ET IMMITTE TIMOREM TUUM SUPER GENTES, QUÆ NON EXQUISIERUNT TE, UT COGNOSCANT QUIA NON EST DEUS NISI TU, ET ENARRENT MAGNALIA TUA. — Græca Complutensia duntaxat habent : *Immitte timorem super omnes gentes non exquirentes te;* Romana delent τὸ *non exquirentes te;* Syrus : *Adduc furorem tuum super populos qui non noverunt te;* Tigurina : *Metum tui gentibus, quæ te non colunt, omnibus injice, ut cognoscant nullum præter te Deum esse, magnificaque facta tua prædicent.* Suis Israelitis misericordiam, hostibus vero timorem a Deo precatur; miseretur enim Deus fidelium, cum hostibus eorum injicit timorem; hunc autem injicit, cum eos percutit et plagis afficit, ut sequitur. Hoc autem facit Deus, non ex odio, sed ex amore eorum, ut scilicet ipsi sentientes potentem Dei manum et plagas, eum cognoscant et venerentur, ejusque magnifica in hostes, et misericordiæ in fideles opera celebrent. Unde explicans subdit :

Vers. 3. 3. ALLEVA MANUM TUAM SUPER GENTES ALIENAS, UT VIDEANT POTENTIAM TUAM. — Græce, ἐπάρον τὴν χειρά σου ἐπ' ἔθνη, id est *leva manum tuam super gentes;* ut scilicet eas percutias, flagelles et castiges, ut ipsæ videant et agnoscant in se tuam potentiam, potentemque vindictam. Sic Deus dicitur extulisse manum super Pharaonem, et Hebræos ex Ægypto eduxisse « in manu excelsa et brachio extento, » cum magnis et excelsis plagis Ægyptios percus-

sit, coegitque ut Hebræos liberos dimitterent, *Exodi* VI, 6 et cap. XIV, 8. Tigurina : *Intenta manum tuam gentibus alienis, ut potentiam tuam perspiciant*; Syrus : *Extolle manum tuam super populum externum, ut cognoscant fortitudinem tuam.*

Vers. 4 4. SICUT ENIM IN CONSPECTU EORUM SANCTIFICATUS ES IN NOBIS; SIC IN CONSPECTU NOSTRO MAGNIFICABERIS IN EIS. — Pendet hæc sententia a versu præcedenti, *q. d.* Eleva manum tuam super gentes, percutiendo et supprimendo illas; ita magnificaberis in eis : « Sicut enim in conspectu » earum (Noster vertit « eorum, » per antiptosin, quia rem significatam respexit potius quam nomen quod præcessit, « eorum, » scilicet hominum, vel populorum, ex quibus gentes constant et conflantur) « sanctificatus es in nobis, » ostendendo sanctam tuam misericordiam, qua nos e servitute, multisque ærumnis mirabiliter liberasti, ac tantis donis cumulasti : « Sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, » puta gentibus hostilibus, ostendendo in eis magnum tuum robur, potentiam et vindictam, qua eos tam acriter castigabis et punies. Pro *magnificaberis* potuisset dicere *sanctificaberis*, vel, ut Syrus vertit, *sanctificeris*; quia est sanctitas justitiæ; æque ac misericordiæ, ac sanctificatur Deus tam exercendo vindictam, quam exhibendo clementiam, adeoque Deus est « sanctus in omnibus operibus suis, » *Psal.* CXLIV, 13. Sanctus in pœna, sanctus in gloria; sanctus in beatis, sanctus in damnatis; sanctus in cœlo, sanctus in inferno. Sed maluit dicere, « magnificaberis; » quia in fidelibus et Sanctis proprie Deus sanctificatur, utpote in quibus per gratiam et sanctitatem habitat; in infidelibus vero et impiis proprie magnificatur; quia in eis non habitat per sanctitatem, sed per magnam potentiam et vindictam. Græca habent optative et precative μεγαλυνθείης, id est *magnificeris;* orat enim ut Deus in hostibus suis magnificetur, id est magnum, potentem et gloriosum se ostendat, atque ut talis ab hostibus agnoscatur et timeatur. Unde Tigurina vertit : *Ut inspectantibus illis numen* (providentiam) *tuum in nobis declaravisti, ita coram nobis majestatem tuam ostendas in illis.* Sic quoque legit et intelligit S. Augustinus, lib. XVII *De Civit. Dei*, cap. XX.

Vers. 5. 5. UT COGNOSCANT TE SICUT ET NOS COGNOVIMUS; QUONIAM NON EST DEUS PRÆTER TE, DOMINE. — Est metalepsis : « ut cognoscant, » id est ut cognitum timeant, revereantur, colant et ament. Ex cognitione enim sequitur timor, ex timore reverentia, ex reverentia cultus, ex cultu amor. Docet plagas infidelibus et impiis esse optandas, non ex odio, ut perdantur; sed ex amore, ut per eas Deum agnoscant, invocent et diligant, itaque salventur et beentur. Nam, ut ait Christus, *Joan.* XVII, 3 : « Hæc est autem vita æterna : Ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » In quæ verba S. Cyrillus, lib. XI *in Joan.* cap. XVI : « Cognitio, ait, est vita spiritalem nobis benedictionem adducens, per quam Spiritus in cordibus nostris habitat in adoptionem filiorum Dei, et veram pietatem per evangelicam vitam, et incorruptibilitatem reformans. Cum igitur origo, et quasi pronuba dictorum omnium bonorum, cognitio veri Dei esse inveniatur; recte a Domino nostro Jesu Christo Vita æterna appellata est, quasi mater et radix virtute naturaque sua vitam æternam pariens. »

Moraliter, de cognitione Dei. Moraliter disce hic quod cognitio Dei sit fons omnis boni. Audi S. Gregorium Nazianzenum, orat. *De statu Episcop.* : « Regnum cœlorum, ait, nihil aliud esse existimo, quam ejus quod purissimum et perfectissimum est adeptionem. Perfectissima autem rerum omnium est Dei cognitio, » quam Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.*, « perfectissimum bonum et per se expetendum » appellat. Idem, lib. VII, asserit eum qui Deum vere et magnifice cognoverit, non posse servire voluptatibus aliisque animi perturbationibus; sed sancta semper facere et cogitare, precari cum angelis, et, licet oret solus, habere assistentem angelorum chorum. Egregie vero S. Hieronymus : « Notitia, inquit, unius Dei, omnium virtutum possessio est. » Et alibi : « Memoria Dei excludit omnia flagitia. » Denique S. Augustinus : « Cognitione Dei, ait, nihil melius est; quia nihil beatius est, et ipsa vera beatitudo est. » Denique S. Bernardus, serm. 37 *in Cant.* : « Quid, si ignoras Deum, poteritne spes esse salutis cum Dei ignorantia? ne hoc quidem; nec enim potes aut amare quod nescias, aut habere quod non amaveris. » Mox autem hanc Dei cognitionem cum propria sui cognitione conjungendam monet : « Noveris proinde, inquit, te, ut Deum timeas; noveris ipsum, ut æque ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero et consummaris; quia initium sapientiæ timor Domini est, et plenitudo legis est charitas. Tam ergo utraque ignorantia cavenda est tibi, quam sine timore et amore Dei salus esse non potest. »

Vers. 6 et 7. 6 et 7. INNOVA SIGNA (Rabanus legit, *transi in nova signa*), ET IMMUTA MIRABILIA. GLORIFICA MANUM ET BRACHIUM DEXTRUM, — *q. d.* Ede nova signa; « immuta, » græce ἀλλοίωσον, id est, *alia novaque patra miracula*, immuta vetera in nova, prisca cum modernis commuta; patra similia, sed diversa ab illis quæ patrasti duce Josue contra Chananæos, et duce Mose contra Pharaonem et Ægyptios; atque hac ratione « glorifica, » id est gloriosam effice, tuam « manum, » id est tuam potentiam, tuumque « brachium dextrum, » id est tuum robur, quo ferire et proterere soles tuos hostes; ut illud sentientes te glorificent, id est te timeant, et vel inviti tuas vires celebrent. Unde Complutensia addunt : *Ut enarrent mirabilia tua*; Tigurina : *Renoves exempla, miraculaque commutes; ostenta manum brachiumque dextrum, ut miranda facta tua prædicent;* Syrus : *Renova signa, et immuta miracula; corrobora manum et brachium*

dextrum. Superbi et tyranni gloriantur in sua manu dextera, gladio et robore, dicuntque : « Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia, » *Deuter.* XXXII, 27. At Deus eorum superbiam retundit, et manum manu potentiore confringit, ut sciant manum divinam superare humanam; nec hanc contra illam, imo sine illa, aliquid posse.

Idipsum sæpe Deus etiam per visiones viris sanctis ostendit. B. Juniperus, unus e primis S. Francisci sociis, dum quadam vice oraret, et forte aliquid magni de se conciperet, vidit manum in aere pendulam, et protinus divina vox insonuit : « Manus sine manu nihil potest facere, » *q. d.* Nullus est tam bonus, tam sapiens, tam potens, ut quippiam possit sine manu, id est Dei potentia et auxilio, facere. Quod ille audiens et gaudens, et per domum exsiliens aiebat : « Domine, verum est. » Ita habent *Annales Minorum* auctore Luca Waddingo, anno Christi 1210, num. 36.

Hoc est quod orat Psaltes *Psalm.* LXXIX, 18 : « Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ : et super filium hominis, quem confirmasti tibi; » et *Psalm.* CXLIII, 1 : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. » S. Bernardus hæc refert ad incarnationem Verbi (huc enim protendit se hoc loco acies Spiritus Sancti, uti mox ostendam) de qua sic loquitur serm. 4 *in vigilia Nativit.* : « Adde adhuc, Domine Jesu, innova signa, immuta mirabilia; nam priora quidem ipsa consuetudine viluerunt. Plane enim solis ortus et occasus, terræ fecunditas, temporum vicissitudo, miracula sunt, et magna miracula; sed toties hæc vidimus, ut jam non sit qui attendat. Innova signa, et immuta mirabilia. Ecce, ait, nova facio omnia. Quis hoc ait? Agnus utique qui sedebat in trono, » *Apoc.* V, etc. : « O nova vere miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ. Peperit enim filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem. » In Christo enim et B. Virgine Deus fecit nova prodigia inaudita a sæculo, adeoque mutavit ordinem mundi rerumque omnium. Sic et Rabanus, cujus verba mox recitabo. Mulier generat filium scientia virum, ætate puerum, persona Verbum, natura Deum, de Virgine in tempore natum, gratia plenum, nomine et re Jesum, cognomine Christum. Quot quantaque hic in uno incarnationis mysterio mirabilia, imo miracula! Totidem sunt in mysterio passionis, crucis, mortis, resurrectionis, ascensionis, etc.

Christus est synopsis omnium mirabilium.

Igitur Christus est synopsis, summa et culmen mirabilium et miraculorum omnium, quæ a sæculo Deus patravit. Audi sigillatim singulis Christum anteferentem Hugonem : « Mirabiliter, inquit, fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam; mirabilius factus est ad imaginem et similitudinem hominis. Mirabiliter virga Aaron arida fronduit et fructum fecit; mirabilius Virgo manens integra filium peperit. Mirabiliter serpens in palo vulneratos sanavit; mirabilius Christus in cruce omnes credentes curavit. Mirabiliter Elias filium viduæ suscitavit, III *Reg.* XVII; mirabilius Deus Pater Filium a mortuis revocavit. Mirabiliter Samson Philistæos moriendo prostravit; mirabilius Christus moriens mortem ipsam et dæmones superavit. Mirabiliter Jonas ex utero ceti exsiliit; mirabilius Christus ab inferis resurrexit. Mirabiliter Elias in curru igneo in paradisum ascendit; mirabilius Christus immortalis factus in cœlum ascendit. Ibi Eliseus Eliam ascendentem querebatur, hic Apostolorum cœtum Christus ascendentem mirabatur. Ibi Elias ascendens dimisit pallium, hic Christus ad dexteram Patris misit Spiritum Sanctum. Hæc est signorum innovatio, et mirabilium immutatio. Impleta est ergo petitio Jesu filii Sirach, innovata sunt signa, immutata sunt mirabilia. Ecce nova facio omnia, dicit Dominus, *Apoc.* XXI, 6. Pro hujusmodi psallit Propheta : Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. »

Vers. 8 et 9.

8 et 9. EXCITA FURUREM, ET EFFUNDE IRAM; TOLLE (ita Romana : Græce enim est ἐπάρον; Syrus, *confringe;* perperam ergo Jansenius et alii contrarie legunt, *extolle*) ADVERSARIUM, ET AFFLIGE INIMICUM. — Per *adversarium* intelligit Ptolemæum Lagi ejusque asseclas, qui, ut initio capitis dixi, valde afflixit Judæos. Ita Palacius. Deus antropopathōs dicitur *excitare furorem,* cum acres plagas immittit, ut videatur impiis sævire et furere. Sic milites prælaturi acuunt iras, ut in hostem quasi furibundi insiliant, eumque proterant : ira enim est cos roboris et virtutis, æque ac vindictæ; Tigurina : *Extolle indignationem, et iram effunde; adversarium aufer, et profliga inimicum;* Syrus : *Confringe inimicum, et cessare fac adversarium.*

Vers. 10.

10. FESTINA TEMPUS, ET MEMENTO FINIS, UT ENARRENT MIRABILIA TUA. — « Festina, » id est festinato et cito in lucem profer. Est Hebraismus : *cal* enim ponitur pro *hiphil,* hoc est verbum neutrum pro activo. Sic ventus dicitur avolare paleas, quia flando facit eas avolare. Sic « festina, » id est festinare fac, vel fac ut festinet et festinato adveniat tempus liberationis nostræ. Græce enim est σπεῦσον καιρὸν, id est *accelera* et urge *tempus,* sive occasionem liberandi nos et profligandi hostes nostros. « Memento finis » quem destinasti malis nostris, ac infidelitati gentium, *q. d.* Impone finem malis nostris, imo omnium gentium totiusque mundi, hoc est mitte Messiam qui finem malis omnibus imponet. Ita S. Augustinus, lib. XVII *De Civit. Dei,* XX. Noster Interpres legit ὑροῦς vel ὅρισμοῦ, id est *finis,* vel decreti de imponendo fine. Jam legunt ὀργῆς, id est *iræ,* scilicet effundendæ in gentes nobis hostiles. Tigurina legit ὁρκισμοῦ, id est *juramenti,* quo jurasti Abrahæ te fore nostrum patrem, protectorem et liberatorem. Tigurina ergo

sic vertit : *Urge tempus, et memento juramenti;* ut μεγαλεῖα (alii legunt θαυμάσια, id est *mirabilia*), id est « magnifica facta tua celebrentur; » Syrus : *Palam fac supplicium, et advenire fac tempus; quia non est qui dicat tibi : Quid facis? q. d.* Adduc cito, o Domine, tempus quo nos liberes, et hostes nostros comprimas vel profliges; tempus, inquam, a te definitum, imo juramento firmatum, præsertim de Messia mittendo, qui nos ab omnibus hostibus malisque liberet. Ad Messiam enim aciem mentis protendisse Siracidem, vel potius Spiritum Sanctum, docent Rabanus, Palacius, Jansenius et Lyranus ex R. Salomone, qui et rationem addit : « Universi Prophetæ, ait, non sunt locuti nisi ad dies Messiæ, ita ut eorum verba ad adventum Messiæ, sicut ad finem ordinata sint. » Jam inde enim a tempore Siracidis exspectabant, quin et etiamnum exspectant Judæi adventum Messiæ, ut a servitute gentium liberentur. Finis enim Legis et Prophetarum est Christus, *Rom.* x, 4; *Apoc.* xxi, 6. Quin et Augustinus, XVII *De Civit. Dei*, xx : « In Ecclesiastico, ait, fides gentium » futura prædicitur isto modo : « Miserere nostri, dominator Deus omnium, et mitte timorem tuum super omnes gentes, etc. Ut agnoscant te, secundum quod et nos agnovimus, quia non est Deus præter te, Domine. Hanc sub optandi et precandi specie prophetiam per Jesum Christum videmus impletam. »

Prophetiæ de Christo.

Audi et Rabanum : « Hoc orat, inquit, ut divina majestas per manum et brachium dextrum, hoc est Dominum Christum, miracula, quæ antiquitus fuerunt facta, innovet temporibus gratiæ : ut idem et unus Legis veteris et novæ intelligatur esse Deus, mediator videlicet Dei hominumque homo Christus Jesus, qui cum Patre et Spiritu Sancto tunc et nunc facit mirabilia solus. Quid autem postulat excitare furorem, et effundere iram, ut extollatur adversarius, et affligatur inimicus; hoc significare vult, quod necessario per adventum Christi auferetur diabolus a cordibus infidelium, ne diutius eos in errore et in idololatria teneat captivos. » Et paulo post : « Quod autem dicit : Festina tempus, et memento finis; hoc est quod Propheta in Psalmis ad Deum ait : Tu exsurgens, Domine; misereberis Sion; quia venit tempus miserendi ejus. Hoc orat, ut, quia tempus est novissimæ horæ, et finis mundi appropinquat, veniat ille qui promissus est, et misereatur humano generi : quia ipse est exspectatio Gentium. » Præclare S. Augustinus, tract. 55 *in Joan.* : « Christus, inquit, finis est perficiens, non interficiens : finis, quousque eamus, non ubi pereamus. » Sic et S. Bernardus, tract. *De diligendo Deo*, Deum et Christum vocat finem non consumentem, sed consummantem. Agens enim de impiis, qui « in circuitu ambulant, » *Psalm.* xi, vers. 9 : « Ambulant, inquit, naturaliter appetentes unde finiant appetitum, et insipienter respuentes unde propinquent fini. Fini dico, non consumptionis, sed consummationis. Quamobrem non beato fine consummari, sed consumi vacuo labore accelerant : qui rerum magis specie, quam auctore delectati, prius universa percurrere, et de singulis cupiunt experiri, quam ad ipsum curent universitatis Dominum pervenire. »

Porro in Christo multa sunt mirabilia, quæ hic enarrari suadet Siracides, ut jure ab Isaia, cap. ix, vers. 5, Christus vocetur *admirabilis*, utpote, θεάνθρωπος καὶ ὁμόθεος, id est *homo Deus*, ut loquuntur Græci. *Primum* mirabile est, quod natura humana completa, quæ in instanti formationis suæ per se alioquin substitisset, propriamque constituisset hypostasin, fuerit prævenita, accepto modo inexistendi, quo supra omnem creaturam elevata existeret in Verbo. *Secundum*, quod Verbum ita naturam illam exceperit, eam sustentans, ejusque inexistentiam terminans, ut tamen nullam subierit mutationem, nullam intrinsecus novam contraxerit ad illam habitudinem, nullum ordinem, nullam ροπὴν aut inclinationem : sufficiebat enim infinita illa vis hypostatica, ut se ad illam naturam extrinsecus attractam et velut insertam, absque ulla sui mutatione velut terminus et basis hypostatica extenderet. *Tertium*, quod Verbum divinum absque ulla nova habitudine ad naturam humanam, factum sit verus homo, sitque inter naturam divinam et humanam ratione unionis in Verbo mutua complexio, seu περιχώρησις, ut Damascenus ait lib. III, cap. II.

Mirabilia in Christo intrinseca. Primum. Secundum. Tertium.

Reliqua miracula sunt extrinseca, et debita tanto mysterio, veluti ex illo consectaria. *Primum*, quod corpus in instanti perfecte formatum; *secundum*, quod omnipotens virtus Spiritus Sancti vicem virtutis seminalis suppleverit; *tertium*, quod anima illa beatissima in primo instanti creationis et infusionis sui, lumine gloriæ et omnibus cœlestibus bonis eminentissime fuerit repleta, adeo ut per temporum spatia nulla ei potuerit fieri accessio; *quartum*, quod a virgine conceptus; *quintum*, quod a virgine natus absque virginalis claustri apertione, mirabili corporum penetratione, ex utero, veluti lumen per vitrum, effusus; *sextum*, quod gloria animæ in corpus non redundarit, sicut gloria divinitatis in animam, sed corpus manserit passibile; *septimum*, quod gaudium beatificum mœstitiam animæ et dolorum acerbitates non excluserit. Ecce decem stupenda miracula in hac mirabili unione, quorum singula longam merentur considerationem. Ita noster Lessius, *De Divinis perfect.* lib. XII, cap. v. Quocirca S. Dionysius, epist. 3 *ad Caium* : « Porro, ait, in Sacramento humanitatis Christi, hoc etiam arbitror Theologiam significare voluisse, quod ex occulto supersubstantialis ille Deus in conspectum nostrum repente processerit, humana substantia et carne vestitus; occultus tamen etiam post revelationem, sive, ut divinius loquar, in ipsa quoque sui revelatione perdurat. »

Miracula in Christo extrinseca. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum.

Denique in hoc opere incarnationis Verbi mira et stupenda elucet Dei sapientia, potentia et clementia. Nam, ut sapienter et pie ait S. Thomas, *Opusculo* LX : « Congruebat hoc opus Deo, quem decebat sapientiam suam ostendere, potentiam et bonitatem. Quid autem potentius quam conjungere extrema summe distantia? magna enim potentia fuit in conjunctione disparium elementorum, major in conjunctione illorum ad spiritum creatum, maxima vero in unione ad spiritum increatum. Quid vero sapientius quam quod ad complementum totius universi fieret conjunctio primi et ultimi, hoc est Verbi Dei quod est omnium principium, et humanæ naturæ, quæ in operibus sex dierum fuit ultima creaturarum? Quid benignius et melius quam quod Creator rerum communicare se voluit rebus creatis? quæ benignitas magna fuit, in conjunctione sui cum omnibus rebus per præsentiam; major, quia communicavit se bonis per gratiam; maxima, quia se communicavit Christo homini, et per consequens generibus singulorum in unitate personæ. » Plura vide apud eumdem S. Thomam et Scholasticos, III part. *Quæst.* I, art. 1.

Vers. 11. 11. IN IRA FLAMMÆ DEVORETUR QUI SALVATUR : ET QUI PESSIMANT PLEBEM TUAM, INVENIANT PERDITIONEM. — « Ira flammæ » est ira flammea, ira flammans et inflammans omnia; vel per hypallagen « in ira flammæ, » hoc est in flamma iræ, puta in ardore et excandescentia iræ, scilicet in furore et acri ultione iræ tuæ, « devoretur qui salvatur; » græce, ὁ σωζόμενος, id est, ut alii vertunt, *qui salvus evasit, q. d.* Qui ex una clade, v. g. ab invasione hostium, salvus evasit, incidat in manus iræ tuæ, Domine, ut peste aliove telo a te configatur et devoretur. Unde Lyranus anagogice sic explicat, *q. d.* Qui evaserit in hac vita ultionem tuam, ira flammæ infernalis absorbeatur. « Et qui pessimant » id est pessime tractant vexantque (græce enim est κακοῦντες, id est *affligentes*) « plebem tuam, » scilicet nos Judæos, hi « inveniant perditionem. » Unde Tigurina vertit : *Qui evaserit, ira ardenti absorbeatur et oppressores populi tui consequantur perniciem;* Syrus : *In furore et in igne perire fac inimicum, et omnes magnates et principes populi.* Alludit ad *Isai.* XXIV, 18 : « Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam; et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo. » Quæ similiter dicuntur a Jeremia cap. XLVIII, 44. Ita nunc qui salvatur ab aliis periculis, devoretur a furentissima flamma; ac si diceret : Qui evadendo gladium belli se in arcem receperit, ibi ab ultricibus flammis devoretur.

Tropologice, Rabanus censet hic dici id quod dixit Christus : « Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, » *Lucæ* IX, 24. « Hoc, inquit, prædicit, quod hi qui amant animas suas in voluptate istius vitæ, nec eas pro Christo ponere volunt, imo persequuntur plebem catholicam, et fideles Dei internecioni tradunt; in ira flammæ futuræ devorentur, et æternam in igne gehennæ inveniant perditionem. »

Vers. 12. 12. CONTERE CAPUT (græce κεφαλὰς, id est *capita* : sic et Syrus) PRINCIPUM INIMICORUM (legit ἐχθρῶν, pro quo Complutensia legunt ἐθνῶν, id est *gentium*) DICENTIUM : NON EST ALIUS PRÆTER NOS, — *q. d.* Contere et quasi annihila, sicut conteritur et quasi annihilatur vas testaceum, dum lapide tunditur et in pulverem redigitur; contere, inquam, regem nobis inimicum, v. g. Ptolemæum Lagi : illo enim contrito, cæteri ejus principes pariter conterentur, aut certe persequi nos desinent. Horum enim superbia meretur dejici et conteri; dicunt enim : Non est alius præter nos, qui scilicet ita potenter imperet et late dominetur, uti nos; quare nos omnes domare possumus, et nemo nos. Ita Tigurina : *Contere*, inquit, *capita principum inimicorum, qui præter se neminem esse dictitant*; quasi se solos æstiment homines, cæteris utantur quasi pecoribus et jumentis. Syrus : *Aufer diadema inimico, qui dicit : Non est sicut ego.*

Allegorice Rabanus : « Caput, ait, omnium iniquorum et infidelium, diabolus est. Hoc rogat Ecclesia, ut ipse conteratur, qui princeps est istius sæculi, et idololatras excitat in persecutiones Christianorum, dicentes : Non est alius præter nos; quia se solos in mundo arbitrantur dominari, nec subjici volunt æternæ Dei potestati. »

Tropologice, « caput principum inimicorum, » id est caput et princeps septem vitiorum capitalium est superbia. Superbus enim dicit : Non est alius præter me. Hic conteri meretur et solet, ut ab omnibus exterminetur, qui solus inter omnes esse et dominari volebat, juxta illud *Psalm.* LXVII, 22 : « Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis. » Superbia enim excisa, exscinduntur cætera vitia; sicut capite serpentis confracto, confringitur totus serpens. Superbia enim inter vitia est id quod caput inter membra.

Vers. 13. 13. CONGREGA OMNES TRIBUS JACOB, UT COGNOSCANT QUIA NON EST DEUS NISI TU, ET ENARRENT MAGNALIA TUA : ET HÆREDITABIS (*q. d.* Itaque hæredita) EOS SICUT AB INITIO. — Græca tantum habent : *Congrega omnes tribus Jacob;* Complutensia addunt : *Et hæreditavi eos sicut ab initio;* sed perperam legunt κατεκληρονόμησα, id est *hæreditavi*, pro κατεκληρονόμησας, id est *hæreditasti*; hoc est hæreditabis, hoc est hæredita : sic enim Hebræi dicunt ונחלת *venachalta*, id est et *hæreditasti*, pro et *hæreditabis*, id est et *hæredita*. Est enim *vau* conversivum, quod vertit præteritum in futurum. Unde Tigurina vertit : *Congrega tribus omnes Jacob, ut cognoscant nullum præter te Deum esse, miraculaque tua prædicent, et eas ut ab initio posside.* Videtur ergo legisse καταχληρονόμησον, id est *posside, hæredita*, ut legunt nonnulli. Syrus : *Congrega omnes tribus Jacob, et hæreditent, sicut dixisti a diebus antiquis.* Duodecim

tribus Jacob sive Israel in captivitatem abductæ, et in varias gentes dispersæ fuerunt per Salmanasar et Nabuchodonosor. Post 70 annos congregatæ sunt, saltem Juda et Benjamin per Cyrum. Rursum captivæ factæ et dispersæ fuerunt per reges Persarum, et ultimo per Ptolemæum Lagi et reges Syriæ. Orat ergo ut Deus eas congreget in unam Synagogam sive Ecclesiam, quæ sit Dei quasi possessio, peculium et hæreditas, sicut primitus congregavit et hæreditavit eas per Mosem, cum eas separatas ab Ægyptiis cæterisque gentibus deduxit in Sina, ibique eis legem dedit et sacerdotium, easque quasi populum fidelem et sanctum ex omnibus populis sibi elegit et auctoravit.

Prophetia de vocatione Gentium.

Allegorice et primario (ac proinde hic sensus potius litteralis est quam allegoricus. Sic et alibi subinde litteralis sensus complectitur litteram simul et allegoriam, uti ostendi in Prophetis) orat ut veniat Messias, qui Judæos et gentes congreget in unam Ecclesiam, ut fiat unum ovile et unus pastor; Christus enim venit ad hoc : « Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum, » *Joan.* XI, 52. Audi Rabanum : « Postquam orationem explevit contra peccatores, et caput eorum diabolum, rogat Sapientia pro Ecclesiæ statu et salute credentium. Quid sunt enim tribus Jacob, nisi Ecclesiæ ex gentibus congregatæ? Ipsas enim præfiguravit minor filius, qui fraternam subripuit benedictionem. Hos enim congregari petit, hoc est, in unitate Catholicæ fidei solidari, ut fideliter Deum cognoscentes, et ejus mirabilia in prædicatione sancti Evangelii narrent, et hæreditas illius, sicut ab initio fidei ab eo possessi sunt, ita et usque in sæculum permaneant. »

Quia enim Israel, id est Jacob, fuit pater duodecim Patriarcharum, quorum quisque propriam familiam et tribum constituit, quas omnes et solas Deus sibi in Ecclesiam, et populum fidelem sibique peculiarem elegit; hinc Israel typus est populi christiani, et duodecim ejus tribus sunt typus omnium gentium fidelium : tum quia olim populus fidelis non erat alius quam Israel; tum quia ex Israele natus est Christus, B. Virgo, Apostoli primique christiani; adeoque Israeli Judaico successit Israel christianus, cui inserti sunt deinde fideles gentium. Nam, ut ait Apostolus, *Rom.* IX, 6: « Non enim omnes qui ex Israel sunt (secundum carnem, ut Judæi), ii sunt Israelitæ : neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen : id est, non qui filii carnis, hi filii Dei : sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. » Unde illud Christi ad Apostolos, *Matth.* XIX, 28 : « Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, » id est omnes fideles, tam Judæos quam Gentiles : hos omnes enim jubicabit Christus et Apostoli; olim enim duodecim tribus Israel erant populus electus et Ecclesia Dei; quin et tempore Christi; imo hoc erat regnum Messiæ promissum. Unde gentes, quæ Christo crediderunt, in Ecclesiam hanc et populum Judaicum quasi insitæ sunt, et civitate donatæ; ut jam non Gentes, sed Judæi, id est confitentes credentesque appellentur, ut patet *Rom.* XI, 17, 19 et seq. Hinc S. Joannes, *Apocal.* XXI, 12, ait se in portis cœlestis Jerusalem vidisse inscripta nomina duodecim tribuum Israel.

Vers. 14. 14. MISERERE PLEBI TUÆ, SUPER QUAM INVOCATUM EST NOMEN TUUM : ET ISRAEL QUEM COÆQUASTI PRIMOGENITO TUO, — *q. d.* Miserere populi tui qui tuo nomine insignitur, vocaturque populus Dei, ejusque fidei et cultui addictus : miserere, inquam, Israelis, sive populi Israelitici, « quem coæquasti primogenito tuo, » id est habuisti, amasti et tractasti ut primogenitum, æquali gradu, honore et amore prosecutus es, quo patres prosequi solent suos primogenitos. Legit Interpres πρωτογόνῳ ὠμοίησας; Complutensia legunt πρωτόγονον ὠνόμασας, id est *quem primogenitum nominasti*, dicens, *Exod.* IV, 22 : « Filius meus primogenitus Israel, » sed eodem redit utraque lectio, eumdemque sensum ingerit. Unde Complutensia sic habent : *Miserere populi, Domine, vocati in nomine tuo, et Israel quem primogenitum nominasti.* Licet in Græcis Romæ correctis hæc omnia a versu 13 usque ad 20, a prioribus sint divulsa; priora enim habentur cap. XXXIII; sequentia vero cap. XXXVI, æque ac in Latina Vulgata. Et Syrus : *Lætare in populo tuo, et invocetur nomen tuum super illum, super Israel, quem vocasti primogenitum tuum*; Tigurina : *Miserere, Domine, populi tui nomine tuo celebrati, et gentis Israeliticæ quam primogenito comparavisti*; tum in nomine, nominando scilicet eum primogenitum; tum in cura et favore, tractando eum ut primogenitum; tum in hæreditate, scribendo eum hæredem Terræ Sanctæ in terris, et æternæ in cœlis. Igitur reliqui populi censebantur quoque filii Dei, sed inter eos primus et quasi primogenitus erat Israel, Israeli enim convenit illud de primogenito dictum : « Prior in donis, major in imperio, » *Genes.* XLIX, 3. Miserere ergo ejus, Domine, quia etsi peccavit, tamen Israel, hoc est filius tuus primogenitus est, juxta illud Hebræorum proverbium : « Myrtus, stans inter urticas, myrtus nominatur. »

Nota : *Invocari nomen* alicujus *super* alterum, hebraice idem est quod alterum alterius nomine vocari, atque in ejus nomen, protectionem et quasi familiam esse ascitum, illi esse addictum, illum revereri et colere. Hoc enim significat hæc phrasis, *Genes.* XLVIII, 16; *Deut.* XVIII, 10; II *Reg.* VI, 1; *Jerem.* XLIV, 9; *Baruch* II, 15, et alibi sæpe. Unde Græca hoc loco habent : λαὸν κεκλημένον ἐπ' ὀνόματί του, hoc est miserere *populo vocato in nomine tuo*, vel ex nomine tuo, vel nomine tuo, ut scilicet nomen Dei sibi usurpet et arroget, voceturque populus Dei; quæ sane magna est dignitas tam populi totius, quam animæ cujusque fidelis et sanctæ, juxta illud *Isaiæ* LXII, 2 : « Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et

eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta : sed vocaberis voluntas mea in ea; quia complacuit Domino in te; » et vers. 12 : « Et vocabunt eos populus sanctus, redempti a Domino. »

Christianus quasi coæquatur Christo.

Mystice, fidelis et sanctus coæquatur, non præcise et geometrice, sed analogice, moraliter et certa proportione, primogenito Dei, Jesu Christo; quia, sicut Christus est Filius Dei naturalis, sic fidelis et sanctus est filius Dei adoptivus, ac proinde hæres Dei; cohæres autem Christi : quæ sane admirabilis est dignitas, quam admirans Apostolus, *Rom.* VIII, 29 : « Quos præscivit, inquit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (ut sint similes et conformes Christo in gratia et gloria), ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » Ita Rabanus. Christo ergo Sancti coæquantur non arithmetice, sed analogice, id est assimilantur et adaptantur quasi membra capiti. Sic II *Reg.* XXII, 34, ait David Deo : « Coæquans pedes meos cervis. » *Coæquans*, id est in velocitate non æquales, sed similes efficiens; nec enim velocitas pedis humani præcise æquare potest velocitatem pedis cervini, sed eam duntaxat aliquatenus imitari atque insequi, non assequi. « Christianus ergo est quasi alter Christus, » uti docet Nyssenus, *De Profess. nominis Christiani* : « Vivat ergo quasi alter Christus. »

Vers. 15.

15. MISERERE CIVITATI SANCTIFICATIONIS TUÆ, JERUSALEM, CIVITATI REQUIEI TUÆ. — Peculiariter præ reliquis Judææ urbibus orat pro Jerusalem; quia hæc orat metropolis populi Israelitici, arx fidei, asylum religionis. Atque ut Deum ad miserendum illi inflectat, dat ei tres titulos misericordiæ illices.

Tria elogia Jerusalem.

Primus est, quod sit *civitas sanctificationis* Dei, in qua scilicet Deus sanctificatur sancteque colitur, tum interne per veram spem et religionem, tum externe per victimas cæterasque cæremonias a Deo sancitas, idque in sanctuario et templo a Deo electo et consecrato.

Secundus, quod sit *Jerusalem*, id est *visio pacis*, *q. d.* Tu, Domine, vocasti hanc urbem *visionem pacis*, quia voluisti ut populus in ea te protectore in pace degeret, et pacifice te coleret. Redde ergo illi hanc pacem, primitus promissam et præstitam.

Tertius, quod sit *civitas requiei Dei*; quia scilicet Deus in ejus templo, quasi in domo sibi propria jucunde requiescebat, et habitabat in Sancto sanctorum, insidens propitiatorio supra arcam quasi super scabellum pedum suorum, utrinque circumdatus Cherubinis, indeque dabat oracula et responsa, *Exodi* XXV, 22. Unde Tigurina vertit : *Urbem sanctitatis tuæ miserere, urbem* (legit πόλιν, alii legunt τόπον, id est *locum*) *tuæ quietis*; Syrus : *Miserere civitatis sanctitatis tuæ, Jerusalem, loci inhabitationis tuæ.*

Allegorice, Jerusalem est Ecclesia Christi. Tropologice, est anima fidelis et sancta, cui hæc omnia facile adaptes. Ita Rabanus.

16. REPLE SION INENARRABILIBUS VERBIS (male Biblia Regia legunt, *virtutibus*) TUIS, ET GLORIA TUA POPULUM TUUM. — Pro *verbis* græce est λόγια, id est *oracula*, et quælibet dicta Dei; omnia enim quæ dicit Deus sunt oracula, ideoque certissima. Unde Complutensia legunt vertuntque : *Reple Sion extollens oracula tua, et a gloria tua populum tuum*; Tigurina : *Sionem extollendis oraculis tuis impleas, tuaque populum tuum gloria*, repete *impleas*; alii : *Reple Sion, ut tollat oracula tua, et populum tuum gloria*; Syrus : *Imple Sion majestate tua, et gloria tua templum tuum.* Post Jerusalem civitatem descendit ad præcipuam et sanctissimam ejus partem, puta ad templum quod erat in monte Sion, oratque ut Deus illud impleat suis verbis, puta tum oraculis, quæ primitus assidue edebat ex propitiatorio, tum promulgatione doctrinæ, et prædicatione legis divinæ eaque efficaci; ut auditores moveat ad eam opere perficiendam; opus enim audientis replet completque verba legis et prædicantis. Possunt quoque per *verba* accipi Dei promissa, ut scilicet Deus præstet immunitatem, pacem et sanctitatem, quam promisit se daturum in templo. Hæc omnia dicuntur *inenarrabilia*, quia nunquam plene pro dignitate satis enarrari, explicari, laudari et celebrari possunt; et quia mentem ea gustantem replent gaudio ineffabili, et jubilo qui enarrari nequit. Vers. 16.

Porro, cum hæc præstat Deus, tunc pariter replet gloria populum suum, quia ingens Israelis gloria erat, quod solus ex omnibus gentibus haberet domesticum Dei oraculum, item Dei legem ac S. Scripturam, ejusque doctores et prædicatores, juxta illud Mosis, *Deuter.* IV, 7 : « Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias justaque judicia, et universam legem quam ego proponam vobis hodie? » Porro tempore Siracidis, imo longe anterius, puta in excidio Jerusalem et templi per Nabuchodonosor, defecerat hoc Dei oraculum, omnesque Prophetæ et prophetiæ, uti ostendi *Aggæi* cap. I, vers. 8. Orat ergo Siracides ut Deus hæc Israeli restituat, præsertim per Christum. Quocirca hæc prophetia plane pleneque adimpleta est a Christo, dum ipse in Sion eructavit verba inenarrabilia et abscondita a constitutione mundi. Ipse enim est λόγος, id est verbum Patris, ideoque λόγια jampridem muta et silentia, vocalia reddidit Israeli; itaque summa eum gloria cumulavit. Ita Rabanus, Lyranus, Palacius, Jansenius et alii.

Sion, id est speculatio, est Ecclesia, cur?

Allegorice Rabanus : « Sion, ait, appellatur *speculatio;* et merito sancta Ecclesia speculatio dicitur; quia inde fidelium corda contemplantur gaudia regni cœlestis, quam inenarrabilibus verbis suis Dominus replet, cum eam notitia divinorum librorum, ubi inenarrabilis virtus Dei, et inæstimabilis gloria majestatis ejus prædicatur, instruit,

et signis miraculorum inter universas gentes eminere facit, ita ut inde omnibus per circuitum nationibus, ipsa terrori sit et honori. Hinc legitur in Actibus Apostolorum quod, prædicante Paulo et miracula faciente, in Ephesinorum civitate cecidit timor super omnes illos, hoc est Judæos atque Gentiles qui habitabant ibi, et magnificabant nomen Domini Jesu, » *Act.* XIX, 17.

Vers. 17. 17. DA TESTIMONIUM HIS QUI AB INITIO CREATURÆ TUÆ SUNT, ET SUSCITA PRÆDICATIONES, QUAS LOCUTI SUNT IN NOMINE TUO PROPHETÆ PRIORES. — Ita Romana et Græca. Minus recte ergo Jansenius et alii pro *qui* legunt *quia*, et pro *prædicationes, precationes*, quas scilicet Isaias, Jeremias, Daniel cæterique Prophetæ fundebant pro adventu Messiæ. Sensus est, *q. d.* Testare per testimonium solitæ tuæ in nos beneficentiæ, quod nos simus « creaturæ tuæ, » quod scilicet primitus nos ex Ægypto redimendo tibi allegeris, populumque fidelem et tuam Ecclesiam creaveris et formaveris, ut, sicut illud testatus es Pharaoni cæterisque gentibus, operando tot plagas et miracula per Mosen in favorem patrum nostrorum; ita nunc idem in favorem nostri facere digneris. Quare « suscita prædicationes, » id est prædictiones Prophetarum de ope nobis a te præstanda, illam reipsa nobis exhibendo. Alioqui enim illæ prædicationes sopitæ et quasi emortuæ videbuntur; suscita ergo illas, ut nobis e somno evigilare, et quasi a morte suscitari et reviviscere videantur, dum a te reipsa complebuntur. Significat quod illæ, si opere a Deo compleantur, Hebræis adeo gratæ accident, ac si illæ cum Prophetis a morte redivivæ resurgerent. Unde Complutensia habent : *Da testimonium in initio creaturis tuis, et suscita Prophetas in nomine tuo;* Tigurina : *Possessionibus tuis primis tribuas testimonium, et quæ Prophetæ nomine tuo præcinuerunt moveas.* Legit enim κτήμασι, id est *possessionibus*, pro quo Noster legit κτίσμασι, id est *creaturis* : utrumque verum, et huic loco appositum; Israelitæ enim uti erant creaturæ, sic erant et possessio ac peculium Dei. Rursum legit προφήτας, id est *Prophetas* : pro quo Noster legit προφητείας, id est *prophetias*, puta « prædicationes, » sive prædictiones. Alii : *Da testimonium primis tuis creaturis* (quæ sumus nos Israelitæ), *et suscita nomine tuo prophetias*; Syrus : *Constitue testimonium servorum tuorum sicut in initio, et veniant prophetiæ Prophetarum tuorum illorum, qui locuti sunt in nomine tuo.* Nam, ut ait S. Joannes, cap. I, vers. 17 : « Lex per Moysen data est gratia, et veritas per Jesum Christum facta est. » Quocirca S. Willibaldus, S. Richardi Angliæ regis filius, et primus Eystettensium Episcopus, a S. Bonifacio consecratus : « Novum, ait, Testamentum se habet ad Vetus, sicut lux ad umbram, sicut veritas ad figuram, sicut anima ad corpus, sicut vita ad id quod vivificatur. Sicut enim corpus per animam vivificatur : sic per veritatem in Novo Testamento per Christum exhibitam, promissiones Veteris Testamenti verificatæ sunt. » Ita habet ejus Vita, cap. V, conscripta a Philippo, Eystettensi Episcopo, quam notis illustravit noster Gretserus.

Lex nova ad veterem est quasi anima ad corpus.

Nota : Fideles et Sancti sunt « creaturæ » Dei, quia fides et sanctitas superat omnem naturam, omneque ejus debitum et meritum, estque mera gratia, et quasi gratuita creatio Dei, juxta illud *Ephes.* II, 10 : « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. » Vide ibi dicta.

Vers. 18. 18. DA MERCEDEM SUSTINENTIBUS TE, UT PROPHETÆ TUI FIDELES INVENIANTUR : ET EXAUDI ORATIONES SERVORUM TUORUM. — *Merces sustinentium* est bonum quod ipsi sustinent et exspectant, ac pro quo longanimiter patientes Deum precantur, puta liberatio Israelis, et salvatio per Christum; hæc enim est merces sustinentiæ longæque exspectationis et patientiæ, *q. d.* Mitte, Domine, Salvatorem a te per omnes Prophetas promissum, quem per tot annorum millia longanimiter, sed avidissime exspectamus; hoc enim meretur nostra tam longa sustinentia; hoc debitum est Prophetis, ut illi « fideles, » id est veraces, « inveniantur. » Libera ergo ipsorum, imo tuam (tu enim per eos locutus es), o Domine, fidem. Hoc denique poscunt orationes nostræ, quæ assidue et ardenter id efflagitant. Unde Tigurina, *da præmium*, ait, *nitentibus exspectatione tui, et fac fides Prophetarum tuorum compareat* (alii, *et fidem Prophetis tuis concilia*). *Preces servorum* (legit cum Complutensibus οἰκετῶν, Romana legunt ἱκετῶν, id est *supplicum*) *tuorum exaudi, Domine*; Syrus, *et dabis mercedem illi qui exspectat te, et Prophetæ tui fidem invenient, et audies orationem servorum.* Nam, ut ait Rabanus : « Abraham exsultavit ut videret diem Christi; vidit et gavisus est, *Joan.* VIII, 56. Isaias, cap. XXVI, ait : Domine, sustinuimus te; nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. Multi reges et justi voluerunt videre quæ viderunt Apostoli, et non viderunt; et audire quæ ipsi audiebant, et non audierunt. Hinc et Simeon responsum accepit a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Unde, cum eum præsentem in ulnas suas accepit, ait : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : Quia viderunt oculi mei salutare tuum; Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel, » *Luc.* II, 29 et seq.

Anagogice, idem Rabanus : « Merces, ait, sustinentibus Deum datur, quando fidelibus exspectantibus gratiam Christi, et sperantibus in eum remuneratio futuræ vitæ præstatur. Ita enim divini Prophetæ fideles et veridici inveniuntur, et exauditur oratio devota servorum ejus, qui orant quotidie ut adveniat regnum Dei, et fiat voluntas ejus sicut in cœlo et in terra. »

Vers. 19. 19. SECUNDUM BENEDICTIONEM AARON DE (ita Romana et Græca : perperam ergo Jansenius et alii passim pro *de* legunt *da*) POPULO TUO (« de po-

pulo tuo, » id est pro populo tuo, quam scilicet populo tuo Aaron impendit et apprecatus est), ET DIRIGE NOS IN VIAM JUSTITIÆ, ET SCIANT OMNES QUI HABITANT TERRAM, QUIA TU ES DEUS CONSPECTOR SÆCULORUM. — Pendet hic versus a præcedenti, *q. d.* « Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur, et exaudi orationes servorum tuorum, secundum benedictionem » quam « Aaron » propheta et pontifex jussu tuo dedit « populo tuo : » hanc enim illi et pontificibus eum secuturis benedicendi populo formulam præscripsisti, *Num.* VI, 24, dicens : « Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. » Imo addidisti promissionem, te hanc benedictionem pontificis exauditurum et opere completurum, dicens : « Invocabuntque nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. » Orat ergo Siracides ut Deus juxta hanc benedictionem benedicat populo, et preces eorum exaudiat; ideoque dirigat eos in viam justitiæ, ut in ea incedendo, operaque justa assidue exercendo, Deo sint honori, sibi gloriæ, gentibus exemplo; « et sciant omnes quia tu es Deus conspector, » id est prævisor, provisor, ordinator, gubernator, præmiator et ultor « sæculorum, » hoc est hominum et operum omnium, quæ ab iis successive sæculo quolibet

eus est ominus æculorum:

facta sunt, fiunt vel futura sunt. Unde Græca habent : *Quoniam tu es Dominus sæculorum.* Hinc Syri Deum vocant *gigantem sæculorum;* quia scilicet ipse quasi gigas immensitate suæ præsentiæ, potentiæ et sapientiæ omnia sæcula, et quæcumque in eis fiunt in infinitum superat et transcendit, imo omnia mente manuque sua concludit et complectitur. Unde Tigurina vertit : *Preces servorum tuorum exaudi secundum bonam pro populo tuo precationem Aaronis, et deduc nos in viam justitiæ, ut omnes qui terram habitant, agnoscant te Dominum Deum esse sempiternum;* Syrus : *Et audies orationem servorum secundum desiderium populi tui* (quod in benedictione sua expressit Aaron), *et cognoscant omnes qui in finibus terræ, quia tu es Deus in sæcula sæculorum.* Simili modo Deum depingit Virgilius, I *Æneid.*, dum ita canit :

O qui res hominumque Deumque
Æternis regis imperiis, et fulmine terres.

Calchrius et nervosius Boetius, III *De Consolat.* :

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem!

Idem, lib. V :

Quæ sint, quæ fuerint, veniantque
Uno mentis cernit in ictu :
Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere solem.

Et Claudianus :

Ille pater rerum, qui sæcula dividit astris.

Ritus benedicendi Aaronic.

Notat Galatinus, lib. II *De Arcanis fidei,* cap. X, et alii, sacerdotes Aaronicos benedicendo populum, super eum efformasse signum crucis, sive in modum crucis manum dexteram transversim sinistræ imposuisse, aut elevando movendoque dextram sursum et deorsum, sinistrorsum et dextrorsum crucem effinxisse, ut adumbrarent mysterium crucis Christi, ejusque fructum, scilicet, quod per illam omnis in omnes omnium sæculorum homines benedictio descendisset, descenderet et descensura esset. Addit Galatinus eos tribus digitis erectis, cæterisque duobus contractis, pronuntiatoque nomine tetragrammato Jehova, alias ineffabili, benedixisse populo, ut tam mysterium SS. Trinitatis, quam Verbi incarnationis et crucifixionis (quæ duo sunt prima religionis mysteria, imo summa et comprehensio totius fidei) populo repræsentarent. Vide dicta *Numer.* cap. VI, 24, ubi ostendi ad hoc significandum, pontificem benedicentem populo tertio iterasse nomen Deus, sicut nos formando crucem exprimimus ipsas tres personas SS. Trinitatis, dicendo : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. »

Nota, *secundo,* hac benedictione pontificem populo apprecatum quidem esse pacem, id est omne bonum, sed maxime ut Deus ejus actiones dirigeret « in viam justitiæ, » uti ait hic Siracides, et idipsum ostendi, *Num.* VI, 24. Sic enim dirigitur populus in cœlum ad vitam æternam, quæ est præmium justitiæ, et summa hominis felicitas. Sic et S. Paulus benedicit Ephesiis, dicens cap. III, 16 : « Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris : in charitate radicati, et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum : scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. »

S. Clemens.

Hinc et S. Clemens Romanus, lib. II *Constit.* cap. LVIII, refert Episcopum initio Ecclesiæ debuisse benedicere populo, verbis istis : « Conserva, Domine, populum tuum incolumem, et benedic hæreditati tuæ, quam sanguine Christi tui possedisti et acquisivisti, et regale sacerdotium et gentem sanctam appellasti. »

S. Augustinus.

Denique S. Augustinus, epist. 90 *ad Innocentium,* testatur Episcopos, benedicendo populum, ei a Deo apprecatos fuisse, ut recte ac pie vivendo illi per omnia placerent. Porro efficaces fuisse et esse pontificum et sacerdotum benedictiones, ac a Deo exaudiri solitas, liquet ex eo quod idipsum promittat Deus, *Num.* VI, 27; unde et II *Paral.* XXX, 27, dicitur : « Surrexerunt autem sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo : et exaudita est vox eorum : pervenitque oratio in habitaculum sanctum cœli. »

Allegorice Rabanus : « Quæ est, inquit, bene-

dictio Aaron, nisi ordo et ritus sacerdotii, quem Dominus dedit populo suo, quando adunavit eum Christo unigenito suo filio? Ipse est enim sacerdos verus, qui semetipsum obtulit hostiam Patri pro nobis, et corporis et sanguinis sui sacramenta nobis tradidit, de quo scriptum est : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui nos fecit regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. Unde dicit Petrus Apostolus, *epist.* I, cap. II, vers. 9 : Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum : ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum; et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Secundum benedictionem enim Aaron vere tunc datur populo Dei, quando dirigitur in viam justitiæ; ut quod Aaron præfigurabat in victimis corporalibus legis, hoc iste in spiritualibus hostiis adimpleat Evangelii. Sciant (ait) omnes qui inhabitant terram, quia tu es Deus conspector sæculorum. Hoc est, omnes gentes agnoscant in mirabili christiani populi salvatione, quia tu es Deus ante omnia sæcula, et post omnia sæcula idem manens, qui ita ordinabas præterita tempora, ut eis propter gratiam Christi supereminere faceres tempora futura. »

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE DELECTU SERMONUM ET UXORUM, AC DE CAVENDA VAGA LIBIDINE, VAGOQUE DISCURSU.

Post orationem redit de more Siracides ad præcepta et dogmata sapientiæ; quare hoc loco subdit præcepta discretionis, quæ potissima est pars sapientiæ practicæ, sive prudentiæ. Ejus ergo varia dat variis in rebus monita, ac quasi parallela et comparata. Docet enim discretionem et delectum adhibendum esse *primo*, in iis quæ audimus et legimus, ut bona a malis, vera a falsis, læta a tristibus secernentes, non nisi bona, vera et læta menti commendemus; *secundo*, vers. 24 et 25, docet deligendam esse uxorem, quæ cum specie faciles et commodos habeat mores; *tertio*, vers. 27 et 28, docet deligendum esse stabile matrimonium præ vago discursu; *quarto*, cap. sequ. vers. 1, docet amicum sincerum a ficto dignoscendum esse et seligendum; *quinto*, ibidem vers. 7, docet consiliarium peritum et fidum ab imperito et infido secernendum. Ita Lyranus.

Vers. 20 et 21.

20 et 21. OMNEM ESCAM MANDUCABIT VENTER, ET EST CIBUS CIBO MELIOR. FAUCES CONTINGUNT CIBUM FERÆ, ET COR SENSATUM VERBA MENDACIA. — Ita Romana, Rabanus et Græca : perperam ergo aliqui pro *sensatum* legunt *insensatum*, hunc que dant sensum : Sicut fauces gulosi vel famelici « contingunt cibum » carnis ferinæ, id est transglutiunt illum sine debita masticatione et probatione, sic cor insensatum « verba mendacia » quæ audit, statim in mentem transmittit, nec examinat ea an vera sint vel falsa, sed sine examine et discretione verorum a falsis ea recipit, admittit et credit. Ita Lyranus. Et Palacius : Sunt, inquit, cibi agrestes et ferini; at non desunt fauces quæ eos contingant, et venter qui eos excipiat : sic pariter cum veritas sit cibus cordis, est tamen cor insensatum quod mendacia vorat. Verum pro *contingunt* græce est γεύσεται, id est *gustabit*; et pro *cor insensatum* græce est καρδία συνετή, id est *cor prudens, intelligens, sensatum*.

Comparat ergo discretionem ciborum, quam facit guttur et venter, discretioni sermonum, quam facit auris et cor, sive mens : sicut enim cibus pascit guttur et ventrem, sic sermo pascit aurem et mentem : ac sicut cibus alius salutaris est, alius noxius ventri; sic est sermo alius salutaris, alius noxius menti. Quare sicut Deus et natura dedit homini fauces et guttur, quasi prælibatores et prægustatores cibi, ut discernant cibum commodum ab incommodo et noxio, et commodum in ventrem transmittant, noxium vero respuant : sic pariter Deus dedit homini oculos et aures, quasi prægustatores sermonis lecti vel auditi, ut salutarem in mentem transmittant, noxium vero respuant. Denique sicut venter ultimum facit cibi examen, noxiumque, qui ventri creat dolorem, nauseam, tormina, etc., vomitione oris, vel dejectione alvi ejicit; salutarem vero amplectitur, concoquit, conservat, et in substantiam suam convertit, eoque pascitur, reficitur, roboratur : sic pariter ultimum sermonis examen facit mens; quæ si sapiat, sitque sapiens, noxium sermonem illico rejicit, salutarem vero avide excipit, digerit, retinet, et in sui alimentum convertit, eoque alitur, recreatur, corroboratur ad omne bonum cogitandum, meditandum, volendum et opere perficiendum. Comparatio ventris et mentis.

Est pulchra et apposita allegoria. Lectio enim vel auditio comparatur comestioni, cibus sermoni, fauces auribus, venter menti : unde colligendum relinquit, quod sicut insipiens est qui ventrem cibo noxio onerat, sapiens vero qui non nisi salutarem et sobrium in eum admittit : sic pariter insipiens sit, qui promiscue omnes sermones utiles et inutiles, vanos et solidos, falsos et veros in mentem admittit : vanis enim, falsis et noxiis mens pariter fit vana, falsa, ac noxam errorum et vitiorum, indeque pœnæ et damna-

tionis, sibi accersit. Ex adverso sapiens fit, qui non nisi sermones utiles, solidos, veros, pios et sanctos in aures oculosque et mentem admittit : per illos enim pascitur et roboratur in omni virtute, ut magnis passibus tendat ad felicitatem æternam. Unde Tigurina vertit : *Venter quemvis cibum capit* (omnis cibi est capax); *est tamen cibus cibo melior. Ut fauces ferinam gustu deprehendunt, ita sagax animus verba mendacia;* Vatablus, *ficta;* Syrus : *Omnem cibum accipit anima, sed est cibus cibo suavior. Os gustat saporem cibi, et cor sapientium verba iniquorum.* Quod ergo Noster vertit, « fauces contingunt cibum feræ, » *contingunt*, hoc est, ut Græcus habet, γεύσεται, id est *gustant*, gustuque dijudicant cibum ferinum : sic et cor sensatum gustu sensuque mentis suæ dijudicat verba mendacia, ac vera a falsis discernit. Apposite comparat mendacium carni ferarum; quia sicut hæc agrestis est et ferina, ideoque ventri et corpori humano inimica, aut saltem minus congrua : sic pariter mendacia agrestia et ferina sunt, ideoque inimica menti humanæ, cujus cibus est veritas : mendacium enim est cibus dæmonum, ait Palacius. Diabolus enim est pater mendacii, ut ait Christus, *Joan.* VIII : veritas vero est cibus angelorum et hominum.

Vers. 22. 22. COR PRAVUM DABIT TRISTITIAM, ET HOMO PERITUS RESISTET ILLI. — Cordi sensato, quod dijudicat et segregat verba vera a mendacibus, opponit cor pravum; græce καρδία στρεβλὴ, id est *cor distortum*, hoc est perversum et versutum, fallax et fraudulentum, *q. d.* Cor perversum et fallax suis dictis et factis perversis, et fallacibus, multis dabit occasionem tristandi et dolendi; at homo peritus, græce πολύπειρος, id est *multa expertus*, prudens, sapiens, resistet illi; quia sua prudentia aperiet ejus pravitatem, errores et fraudes. Unde Syrus vertit : *Cor absconditum* (tectum, simulatum) *multa sollicitudo ejus, et vir sapiens intelligit hæc.*

Noster legit ἀντιποδώσει, id est *pedibus obviam ibit*, hoc est resistet illi, scilicet tristitiæ et mœrori. Jam legunt ἀνταποδώσει, id est *retribuet* illi, *q. d.* Homo peritus et sapiens cordi pravo retribuet meritam suæ pravitatis castigationem et pœnam. Tigurina vero censet Siracidem seniorem hebraice scripsisse לו ישלים *iaslim lo*, id est *paci suæ consulet;* quod Siracides junior vertit, ἀνταποδώσει, id est *retribuet*, quasi scriptum esset לשלם *iescallem*, id est retribuet. Verum Siracides junior melius scivit quid scripserit avus, quam Tigurina, præsertim cum Ecclesia ejus versionem probarit et receperit, quanquam quod Tigurina vertit : *Pravus animus mœrorem creat; at vir peritus tranquillitati suæ consulet*, recte aptari posset versioni Vulgatæ : qui enim in se resistit cordi pravo seminanti tristitiam et tristia, hic utique tranquillitati suæ consulit.

Moraliter, nota prudentiam et experientiam hominis periti mederi et resistere tam cordi perverso quam tristitiæ, tum quia cordis perversi fraudes et malitias, quæ causant tristitiam, aperit et discutit; tum quia mille artes et modos suggerit evadendi malum, quod cor pravum minatur, quodque tristitiæ est causa, et ex adverso mille rationes et objecta lætitiæ adinvenit, mentique repræsentat, quæ exclusa tristitia eam efficiant hilarem et jucundam. Tristitia enim causatur ex phantasmate et objecto tristi, quod hominem affligit; lætitia vero ex læto, quod hominem exhilarat. Jam prudens multa phantasiæ suggerit motiva lætitiæ, quæ omnia motiva tristitiæ excludant. Vide dicta cap. XXX, 22 et seq.

Vers. 23. 23. OMNEM MASCULUM EXCIPIET MULIER, ET EST FILIA MELIOR FILIA. — *Primo*, Lyranus legens, *et est filia melior filio*, sic exponit, *q. d.* Mulier in partu gratanter excipiet prolem masculam, quia vellet semper parere masculum; et tamen expedit ei aliquando parere feminam sive filiam, quia subinde filia est melior filio. Verum Græca et Latina passim legunt *filia*, non *filio*; sic enim habent Græca Romæ correcta : *Omnem masculum suscipiet mulier; est autem* (Complutensia pro δὲ, id est *autem*, legunt γὰρ, id est *enim*) *filia melior filia;* Tigurina : *Cujusvis maris capax est mulier; est autem filia filia præstantior.* Syrus hunc versum omittit. Aliqui vertunt : *Est enim filia filiæ melior;* Græcum enim ἔστι δὲ θυγάτηρ θυγατρὸς κρείσσων, tam vertas *est autem filia filiæ melior*, quam *est autem filia filia melior* : sed posteriorem hanc versionem exigunt ea quæ præcedunt et sequuntur, eamque amplectuntur Complutensia, Romani, Rabanus cæterique Interpretes. Unde et Rabanus legens, *est filia melior filiæ*, τὸ *filiæ* exponit *filia*, per priscam syntaxin, qua *melior filiæ* dicebant pro *melior filia*.

Secundo, Palacius censet esse hypallagen : « Omnem masculum excipiet mulier, » hoc est omnem mulierem excipiet masculus : at videat quam et qualem; quia una mulier et filia, alia est melior.

Tertio et plane, « omnem masculum » in maritum « accipiet mulier » *q. d.* Non valde examinant feminæ quibus vel qualibus viris nubant, sed maritum qui se offert, accipiunt; at viro, qui prudentior est femina, caputque familiæ, diligenter advertendum est qualem uxorem ducat : est enim filia una melior et præstantior altera, non solum quia pulchrior, sed etiam quia magis viro morigera, pacifica, prudens, sedula, aptaque ad regendam familiam.

Hic versus est parallelus, et ex æquo respondens versui 20, ejusque est quasi apodosis, et similitudinis redditio. Sicut enim vers. 20 dixit : « Omnem escam manducabit venter, et est cibus cibo melior; » sic hic dicit : « Omnem masculum excipiet mulier, et est filia melior filia, » *q. d.* Ut venter excipit omnem cibum, et aures ac mens omnem sermonem; ita fœmina quemlibet masculum, et masculus quamlibet feminam excipere potest, et sæpe excipit; sed sicut ventri unus cibus alio, et menti unus sermo alio est melior,

sic pariter masculo una filia magis convenit quam alia. Cum ergo uxorem quærit, diligenter examinet quæ sit melior, quæque sibi magis conveniat, ut cum ea omnem vitam pacifice, honeste et sancte transigat. Quæ enim insania est ventri cibos eligere meliores, uxorem vero non deligere meliorem?

Femina typus gratiæ.

Mystice Rabanus : « Femina, inquit, quia pulchra et gratiosa, signum est gratiæ Dei, quæ nos Deo et angelis facit gratos et speciosos. Quod autem ait : Est filia filia melior; ostendit distantiam esse in profectu scientiæ et virtutum operatione, et quædam opera esse bona, quædam autem perfecta; sicut ipse Dominus in Evangelio ostendit, dicens : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et iterum : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me. Unde et Paulus differentiam esse intelligi volens in Sanctorum remuneratione, ait : Stella enim a stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuorum, » I *Cor.* XV.

Vers. 24.

24. SPECIES MULIERIS EXHILARAT FACIEM VIRI SUI, ET SUPER OMNEM CONCUPISCENTIAM HOMINIS SUPERDUCIT DESIDERIUM, *q. d.* Forma et pulchritudo feminæ, tum externa, tum interna, quæ sita est in virtutibus et morum compositione, exhilarat faciem mariti, ut ea contentus læte vivat, nec aliam quærat : hæc enim forma viri concupiscentiam et desiderium incitat, et ad se rapit præ omnibus rebus, « et super omnem concupiscentiam, » id est præ omni objecto concupiscibili, quod hominis concupiscentiam in sui amorem allicit et irritat, ita videmus juvenes rapi specie pulchrarum mulierum, ac ut ea potiantur, opes, famam, et sæpe vitam et salutem æternam in discrimen adducere. Τὸ *desiderium* non est in Græco; unde Tigurina vertit : *Pulchritudo mulieris vultum exhilarat, omnemque humanam jucunditatem excellit;* alii : *Et omnem hominis cupiditatem excedit;* Syrus : *Pulchritudo mulieris laudat faciem ejus, et super omnem concupiscentiam oculorum prævalebit.* Significat pulchritudinis in uxore ducenda habendam esse rationem aliquam, eo quod hæc amoris conjugalis sit illex et conservatrix. Verum quia magis morum habenda est ratio, hinc de ea subdit : « Si est lingua curationis, » etc. Vide dicta cap. XXVI, 21.

Moraliter de vitandis feminis.

Moraliter disce hic quam illecebrosa sit species mulieris, quamve cavenda sit juvenibus et castis; quia ipsa est res concupiscibilis, quæ supra omnia concupiscentiam irritat. Unde S. Bernardus, serm. 66 *in Cant.*: « Cum femina, ait, semper esse, et non cognoscere feminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? » Et S. Franciscus : « Mulierum aspectu et colloquiis, quamvis fortis spiritus infirmatur. Quis enim potest ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? *Proverb.* VI, 28. Periculosum ergo est earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Frivolum profecto est quodcumque mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instructione brevissima, juxta quod saluti expedit, vel congruit honestati. » S. Dominicus moriens ultimum suis hoc de castitate dedit monitum : « En usque in hanc horam carne incorruptum me Dei misericordia servavit, illibatamque mihi virginitatis munditiam custodivit; quæ ut etiam in vobis inviolata permaneat, feminarum omnium suspecta vitate consortia. » Ita habet Vita ejus apud Surium, lib. V, cap. I.

Mystice de decore animæ sanctæ.

Mystice, Rabanus et ex eo Glossa : Mulier est Ecclesia, et anima fidelis sanctaque; item ipsa Christi gratia, quæ per prædicationem animas curat, et carnis concupiscentiam mitigat. Hæc in Ecclesia abundat; cujus desiderium est super omnem concupiscentiam hominis, quia in ea est decor virtutum et pulchritudo doctrinæ, juxta illud : « Fallax gratia, et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum, ipsa laudabitur, » *Prov.* XXXI, 30. Hujus species et decor, quam habet in recta fide et bonis operibus, exhilarat faciem viri, videlicet sponsi sui Jesu Christi, qui delectatur in profectu ejus, juxta illud : « Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Fortitudo et decor indumentum ejus, » etc., *Proverb.* XXXI, 11 et 25 : « Non est vir illius secundum filios hominum; » quia Christus ejus sponsus excedit omnem humanum decorem, juxta illud : « Speciosus forma præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum, » *Psalm.* XLIV, 3. Hæc ergo est possessio bona, imo optima : hæc est adjutorium homini datum ad omnes hujus vitæ labores et dolores fortiter sustinendos : hæc est columna et requies totius vitæ præsentis et æternæ; atque, ut ait Rabanus, columna dicitur fieri ut requies, quoniam ipsa quæ in præsenti est fragilitatis hominis sustentaculum, ipsa in futuro per gloriam fiet requiei illius supplementum.

Et B. Virginis.

Longe aptius, et quasi proprie, hæc conveniunt B. Virgini, cujus pulchritudinis, virtutum et gratiarum decor exhilaravit « faciem viri, » id est Christi sui, quem concepit non ut infantem, sed ut virum omni sapientia et virtute perfectum, juxta illud *Jerem.* XXXI, 22 : « Creavit Dominus novum super terram. Femina circumdabit virum. » Unde illa sua specie rapuit ad se desiderium omnium hominum et angelorum; quin et ipsius Verbi divini, ut in uterum ipsius descenderet, et ex ea carnem humanam assumeret. Ita Cardinalis Halgrinus, *in Cant.* IV, hæc verba Siracidis sic explicat : « Species quidem mulieris, inquit, virum potentem humiliat, severum et austerum emollit; Virginis autem speciem sic concupivit Dominus, et ipsa ejus desiderium in tantum superduxit, hoc est, ad tantum excessum perduxit, ut ad nostram infirmitatem humiliatus sit Omnipotens, et qui est vita viventium emolli-

tus sit ad mortem. » De Virgine enim hæc mystice accipi, patet ex eo quod sequitur : « Non est vir illius secundum filios hominum, » etc.

Vers. 25. 25. SI EST LINGUA CURATIONIS (repete, *si*) EST ET MITIGATIONIS ET MISERICORDIÆ : NON EST VIR ILLIUS SECUNDUM FILIOS HOMINUM, — *q. d.* Si in uxore ad speciem et pulchritudinem accedat lingua blanda et prudens, quæ sua discretione et gratia norit curare omnes viri et familiæ molestias, afflictiones et dolores : si insuper accedat « lingua mitigationis et misericordiæ, » quæ scilicet omnes viri et familiæ iras, mœrores et acerbitates norit mitigare, et ad misericordiam, æquanimitatem benignitatemque inflectere; tunc sane vir, id est maritus illius, non est similis aliis hominibus, sed omnes superat, omniumque est fortunatissimus. Unde Græca et Latina nonnulla, omittendo secundum *est*, sic clare habent : *Si est in lingua ejus* (uxoris) ἔλεος id est *misericordia*, καὶ πραότης, id est *et mansuetudo* (ita Romana, sed Complutensia addunt : καὶ ἴασις, id est *et curatio*, id est facultas et gratia curandi) *non est vir illius secundum filios hominum*; Tigurina : *Si linguæ ejus inest comitas, lenitas et salubritas, maritus ejus non est filiis hominum comparandus.*

Tres dotes uxoris. Nota hic tres insignes dotes et virtutes in uxore requirendas : *Prima* est, ut in ore ejus, æque ac corde (os enim sequitur cor, et quale est cor, tale est et os ac lingua) reluceat misericordia; ut, scilicet, sit misericors in virum, filios, servos, ancillas et externos, præsertim pauperes et afflictos, ut eorum infirmitates et miserias toleret, soletur, sustentet, sublevet quoad potest;

Secunda est lenitas et mansuetudo, qua omnibus se mansuetam tum verbis, tum gestibus, tum operibus exhibeat;

Tertia est gratia dicendi et agendi, qua viri, familiæ, et quorumlibet rixas, iras, acerbitates, mœrores et dolores norit lenire, curare, conciliare. Nam multæ sunt feminæ, præsertim speciosæ, quæ sua specie et forma superbiunt, ideoque sunt arrogantes, fastuosæ, immisericordes, clamosæ, rixosæ, imperiosæ, ac proinde viris, toti familiæ et externis molestæ et exosæ. Hasce virtutes habuit Abigaïl, iisque et marito suo Nabal vitam, et Davidi conscientiam ne Nabalum occideret, conservavit, dum justas Davidis iras humili, gratioso et efficace suo sermone mitigavit; et Esther, quæ Assuerum Judæis offensum placavit, itaque Judæos omnes morte eripuit, et Aman eorum hostem cruci affixit; et mulier illa Thecuitis, quæ Davidem Absalomo reconciliavit, II *Reg.* XIV, 2; et alia quæ Abelam urbem ab excidio Joab servavit, II *Reg.* XX, 16.

Et B. Virginis. Mystice, hasce tres virtutes eminentissimo gradu habuit B. Virgo, quæ proinde ab Ecclesia salutatur et invocatur : « Salve, regina, mater misericordiæ : vita, dulcedo et spes nostra, salve. » Ipsa enim lenit omnes se invocantium mœrores et dolores. Ipsa Christi Deique iras mitigat. Ipsa omne vitium, omnem animi infirmitatem, curat et sanat : quia « vir illius, » puta Christus Dominus, « non est secundum filios hominum; » nam non est purus homo, sed homo Deus. Itaque qua Deus omnes homines in immensum superat; qua homo longe cæteros homines sapientia, virtute, gratia et gloria antecellit.

Vers. 26. 26. QUI POSSIDET MULIEREM BONAM, INCHOAT POSSESSIONEM : ADJUTORIUM SECUNDUM ILLUM EST, ET COLUMNA UT REQUIES. — Ita Romana et Græca, quæ habent στύλον ἀναπαύσεως, id est *columna requietis*, vel, ut alii legunt, ἀναπαύσεων, id est *requietum*. Alii legunt *columna et requies*, quod eodem redit; sed prior lectio est concinnior et pulchrior. Sensus ergo est, *q. d.* Qui possidet vel acquirit (utrumque enim significat Græcum ὁ κτώμενος) uxorem bonam, hic, *primo*, inchoat possessionem, tum quia prima et præcipua possessio est uxor; unde Syrus vertit : *In præcipuo possessionis tuæ posside mulierem bonam; adjutorium est enim simile tibi, et columna coram te;* tum quia per uxorem maritus adit hæreditatem tam suam, quam uxoris, ac comparat sibi domum, in qua cum uxore et prolibus nascituris degat, qui prius quasi solutus vagabatur, carens propria domo et hæreditate. Unde Hispani et Itali *casare*, id est *casam*, hoc est domum, accipere, vocant matrimonium inire; quia per hoc quisque vir domum accipit, et quælibet femina domui mariti se mancipat; tum denique quia per uxorem bonam et industriam maritus multa lucratur. Unde Tigurina vertit : *Qui nactus est uxorem bonam, rem facere parat; adjutricem habet consortem, et basim quietis.*

Tres fructus uxoris bonæ.

Primus.

Secundo, tali « adjutorium secundum illum est, » *q. d.* Talis maritus habet adjutorium simile sibi, puta uxorem sibi in natura humana et officiis similem : hæc enim creata est a Deo, ut sit adjutrix viri, eumque adjuvet in generatione, educatione et gubernatione prolium ac familiæ, *Genes.* II, 20. Sic et S. Joseph habuit adjutricem S. Mariam quasi conjugem, in educatione Christi; æque ac in omni virtutum profectu, ut ei fieret persimilis. Audi S. Bernardum, in serm. *De S. Joseph* : « Amplius autem, quia omnia quæ sunt uxoris sunt viri, credo quod beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Joseph recipere poterat, ei liberalissime exhibebat, et brevi intervallo. Quantas putas exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes, et æternorum bonorum revelationes recepit in transitu suo Joseph a sanctissima sua sponsa Maria! » Et inferius : « Quomodo, ait, cogitare potest mens discreta, quod tanta unione uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? Unde credo Joseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione. »

Secundus.

Quam sanctus S. Joseph.

Tertius. *Tertio*, marito uxor est quasi « columna ut requies, » id est quasi columna in qua secure requiescat : uxori enim maritus credit filios, familiam, arcas, opes, adeoque seipsum, ut in ea quasi in columna requiescere, imo subsistere videatur. Unde pro *columna*, Tigurina vertit *basis;* Vatablus, *stabilimen*; hæc enim omnia significat Hebræum עמוד *amod*, id est columna stans et subsistens, a radice עמד *amad*, id est stare, subsistere, stabilire. Uxor ergo bona est infirmitatis viri columna et laboris requies, ut ei quasi columnæ tuto vir inniti possit, utpote a qua erigatur, fulciatur, sustentetur et corroboretur.

Hunc esse sensum patet ex Græcis, quæ Romani sic legunt et vertunt : *Qui possidet mulierem, inchoat possessionem, adjutricem secundum se, et columnam requietis*; ita Rabanus, Lyranus, Jansenius et Palacius, quem audi : Sensus, ait, est, *q. d.* Qui incipit possidere mulierem bonam, idoneam scilicet matrimonio, is incipit esse dives; quod textu sequenti planius fiet : sed et experientia textum aperit.

Secunda pars aperte alludit ad verbum Domini, *Genes.* II : « Faciamus, inquit, ei adjutorium simile sibi. » Hebræis est : *Adjutorium quasi coram ipso;* ut mulier sit adjutorium viro non a longe petendum, sed quod ad manum sit, coramque obversetur. Textus autem latinus intimiorem sensum innuit, scilicet, mulier est adjutorium viri, quasi esset alter vir. Si enim amicus est alter ego ; multo fortius uxor, quæ de viri latere sumpta est, erit alter vir; ut ita res viri curet quasi ipse vir. Et plane ita est; nam quæ foris vir comparat, intus femina ut vir conservat.

Tertia pars indicat quod uxor non est solum columna, cui vir nititur; sed etiam est ut domus, in qua quiescit : est ergo uxor viro in firmitate columna; at in capacitate domus, requies; est igitur ut domus intra columnam ædificata. Hoc vero innuit amicos alios columnas esse aliquando; at non ita uxor, quæ perpetua viro requies est, scilicet, dum vivit.

Vers. 27. 27. UBI NON EST SEPES, DIRIPIETUR POSSESSIO : ET UBI NON EST MULIER, INGEMISCIT EGENS. — Tigurina : *Et cui non est uxor, ingemiscet vagabundus*, puta maritus, egens adjutorio, solatio et quiete uxoris. Græce est πλανώμενος, id est *erro*, peregrinans et vagabundus. Probat quod dixit, mulierem viro esse possessionem bonam; quia eam conservat et auget, a contrario, *q. d.* Sicut possessio, v. g. ager, hortus aut vinea, si careat muro aut sepe, ab omnibus prætereuntibus diripitur : sic pariter ubi non est uxor, ibi vir errans de domo in domum cogitur sua alienis credere, imo permittere et exponere, qui ea furabuntur et diripient; quia caret uxore, quæ custos est domus, prolium et facultatum, adeoque viri ipsius. Quocirca Paulus *ad Titum* II, vers. 5, vult mulieres esse οἰκούρας, id est *domus curam gerentes*. Vide quæ ibi annotavi. Est igitur, ait Palacius, uxor sepes et vallum facultatum viri : est clavis qua viri thesaurus occluditur. Uxore enim absente, nullæ viro sat sunt opes, adeo diripiuntur a servis ; quæ nos qui uxore caremus, quotidie experimur et ingemiscimus. Ergo qui vult esse dives, uxorem sibi paret. Unde Syrus clare vertit : *Ubi locus sine sepe, racemantur* (id est ita vindemiantur, ut ne racemus quidem racematoribus supersit) *vineæ, et locus sine muliere discoopertus est et dissipatus.*

Secundo, Lyranus per *egentem* accipit pauperem qui mendicando oberrat, *q. d.* Ubi non est uxor, ibi ingemiscent pauperes; quia negabitur eis eleemosyna : solent enim feminæ viris esse misericordiores.

Denique S. Ephrem, tract. *De Timore Dei*, pro *mulier* legit *patientia*. Sic enim habet : « Egressus es cella tua, monache, ad ministerium? Custodi sensus tuos, ut non concilies tibi ipsi bella et perturbationes per cogitationes improbas. Ubi non est sepes, ait S. Scriptura, diripietur possessio; et ubi non est patientia, ingemiscet errans. » Nisi quis dicat S. Ephrem mystice per *uxorem* accipere patientiam : hæc enim est sepes animæ, quæ eam facit hostibus imperviam et insuperabilem. Mystice, uxor est mortificatio.

Simili modo noster Alvarez de Paz, lib. II, part. I, cap. XV, per uxorem hanc accipit abnegationem et mortificationem : hæc enim animam ita communit, ut nullam virtutum suarum direptionem timeat. Hæc rursum est possessio bona, de qua sequitur; nam qui sui abnegationem possidet, habet jam initium magnarum opum, scilicet pretiosissimarum virtutum, quas talis conjugis parat industria. Habet etiam adjutorium valde conveniens sibi, quod turbam servulorum, scilicet affectuum, reprimat, et totam domum cordis in pace contineat. Est quoque illi abnegatio columna, quæ illum a multis casibus culpisque defendat : et requies, in qua a desideriis sæculi liberatus conquiescat.

28. QUIS (ita legendum cum Romanis et Græcis, non *qui*, vel *cui*, uti legunt Lyranus, Jansenius et alii) CREDIT EI, QUI NON HABET NIDUM, ET DEFLECTENS UBICUMQUE OBSCURAVERIT, QUASI SUCCINCTUS LATRO EXSILIENS DE CIVITATE IN CIVITATEM? — Est hæc secunda ratio, probans quod uxor bona sit viro possessio, adjutorium et columna, a contrario; quia scilicet juveni carenti uxore, sed soluto et vago nemo credet. Sensus ergo est, *q. d.* Juvenis carens uxore similis est avibus vagabundis nido carentibus; sed alio et alio transvolantibus, nunc que in hac arbore, nunc in illa pernoctantibus, quas proinde quasi furaces et rapaces reliquæ aves fugiunt, et a nidis suis arcent. Simili enim modo ἄγαμος et cælebs « non habet nidum, » id est fixam habitationem, ubi inveniri, conveniri, detineri, et ut vulgo dicitur, arrestari possit; sed est « deflectens ubicumque obscuraverit, » id est hospitatur et pernoctat ubicum- Vers. 28. Bona uxor viro est bona possessio.

que eum oberrantem vespera comprehenderit, imo est quasi expeditus « latro » errans, aut potius celerrime « exsiliens de civitate in civitatem. » Quis ergo fidat ei? quis cum eo contractus ineat? quis cum eo negotia tractet? *q. d.* Nemo. Juvenis enim non uxoratus, vagus, cupidus et audax, cavendus est ut erro, imo quasi latro; quia ubicumque divertet, insidiabitur tum pudicitiæ filiarum, tum opibus rebusque a se concupitis, putans se impune id facturum, dum domum et uxorem filiosque non habeat, a quibus damna ab eo illata repeti possint; eo quod ipse sit solutus et solus, qui vim inferenti ut latro vel armatus resistere, vel expeditus effugere possit. Paulo aliter Palacius : Uxor, inquit, est nidus, ubi vir quiescit : qua qui caret, cui se credet, cui fidet? si enim servis se committat, latronibus se committet. Jam vir carens uxore, qui in ea dormit domo, in qua nox eum occupat, velut latro est; ut enim hic exsilit de civitate in civitatem, ita ille de femina in feminam, quas adulterio polluit aut fornicatione.

Nota : Pro *latro succinctus*, græce est ἐζωνος, hebraice גדוד *gedud*, id est *accinctus gladio*, armatus, expeditus, paratus ad pugnam, ad insultum, vel ad fugam. Unde sequitur : « Exsiliens de civitate in civitatem. » Quocirca noster Pineda *in Job* XXXVIII, 3, sic exponit, *q. d.* Stat semper paratus ad fugam, nunquam securus. Pro *exsiliens* Noster legit ἀφαλλομένῳ, vel ἐφαλλομένῳ; jam legunt σφαλλομένῳ, id est *errans, oberrans*. Græca ordinem hic commutant, ideoque unam faciunt comparationem, quæ virtute duas includat. Sic enim habent : *Quis enim credet succincto latroni erranti de civitate in civitatem? sic homini non habenti nidum, et deflectenti ubicumque obscuraverit,* repete, *quis credet? q. d.* Nemo. Tigurina : *Quis enim fidat expedito latroni, ex alia in aliam civitatem oberranti? quis item homini non habenti nidum, et moranti* (alii, *divertenti,* vel *pernoctanti*) *ubicumque advesperascerit.*

Alludit ergo ad aves vagabundas nido carentes, quæ aliarum avium nidos invadunt, ova exsorbent, pullos perdunt, ac sua ova supponunt, ut ab avibus quarum nidus est, foveantur et excludantur, uti faciunt cuculi, teste Aristotele, lib. IX *Histor. Animal.* cap. XXIX, quibus proinde a vulgo comparantur fornicatores et adulteri. Rursum alludit ad *Prov.* XXVII, 8 : « Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. » Vir ergo vagabundus similis est avi carenti nido et vagabundæ : *primo,* quia similiter levis est, inconstans et vagus, cui proinde nemo fidit, nemo cum eo rem habere vult. Nam, ut recte noster Salazar ibidem annotat, omnes aves, quamdiu pullos suos alunt in nidis, ibi quidem hærent, nec longius evagantur, sed circumcirca obambulant; ubi autem pulli adulti evolarunt, nullibi ipsæ consistunt, sed hac illac vagæ et deerrantes pervolant. Ait ergo Salomon : Omnis homo inconstans ac levis, qui nulla in re diutius perseverat, sed occupationes, artes, domos, civitates et terras in dies vertit ac permutat, similis est avi quæ jam deseruit nidum suum, atque adeo nullibi consistit, cui propterea nec fidere, nec credere oporteat. Audi Senecam, *epist.* 2 : « Nusquam est, qui ubique est; in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur : nihil æque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio : non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. » Huc facit jocus acutus, sed religiosus B. Ægidii, qui B. Bernardum a Quinta Valle (uterque erat e primis sociis S. Francisci) vocabat hirundinem, eo quod integris quindecim annis facie et mente a terrenis abstractus, in cœlum suspiceret, ac per montes et solitudinem discurrens, imo transvolans instar hirundinis, terrena fastidiens totus raperetur in Deum, Ita Waddingus in *Annal. Minorum,* anno Christi 1241, num. 3 et 4. Vagus est hirundo.

Secundo, sicut aves, carentes nido, aliarum nidos et obvia quæque invadunt, occupant, prædantur, vorant, destruunt : sic et juvenis vagus cupidusque invadit et occupat quæcumque alicubi videt pulchra, speciosa, commoda.

Tertio, sicut aves vagabundæ et transvolantes ex uno loco in alium facile retibus venatorum capiuntur : sic et vagabundi facile in pericula, servitutem mortemque incurrunt, præsertim si latronum more furtum, rapinam, stuprum, cædem, simileve crimen, ut paulo ante dixi, committant. Sic videmus aucupes maxime insidiari gruibus et anseribus silvestribus, initio veris cum advolant, et autumni cum avolant turmatim magno agmine : tunc enim alias sagittis, alias bombardis, alias visco, alias retibus, alias alia arte capiunt et occidunt. Unde S. Ambrosius hos aucupes notans lib. V *Hexaem.* cap. XVIII : « Quibus, inquit, nos inhospitali immanitate (*q. d.* hospitii jura per immanitatem violantes) molimur insidias, et diverso genere nunc infida sede decipere, nunc visco eas fallere, nunc retibus aut laqueis captare contendimus. » Simili modo qui patriam relinquit, et in alias regiones migrat oberratque, facile in carcerem truditur, aut viliter servire cogitur, aut fame, vel incolarum aut latronum incursu occiditur. Unde Septuaginta locum citatum *Prov.* XXVII, 8, sic transferunt : *Sicut cum avis devolaverit a proprio nido, sic homo servus fit, cum peregrinatus fuerit a propriis sedibus;* Syrus vero hunc Siracidis locum ita vertit : *Quis credet juveni qui similis est servo, qui transilit de civitate in civitatem? sic vir qui non habet mulierem, in loco ubi reperietur, morietur.* Ita quotidie videmus Romæ peregrinos domi suæ honestos, divites, litteratos et splendidos, eo redigi ut agant cocos, equisones, mendicos, et tandem in hospitali moriantur.

Ecclesia est nidus fidelium.

Mystice Rabanus : « Nidum, ait, hic nuncupat sanctam Ecclesiam, ubi piæ electorum animæ filios bonorum enutriunt. Unde scriptum est in Psalmo : Passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos : ubi ergo requiem et tutelam habet, qui non intra sanctam Ecclesiam manet? Ubicumque enim per hæreticorum dogmata, vel philosophorum studia deflexerit; semper in errore erit, et lucem sinceræ veritatis nusquam inveniet. Quasi etiam succinctus latro de civitate in civitatem exsilit, quia instabilis in omni re vagus et profugus de errore in errorem cadit. »

Ex dictis liquet Siracidem hoc loco ita commendare conjugium et domum propriam, quia hæc Judæis rudibus et terrenis consulenda erant; ut tamen non reprobet cælibatum sacerdotum et Religiosorum, nec horum paupertatem, qua se omni possessione et dominio abdicant studio et amore rerum cœlestium; esto eam taceat, quia ad eam assurgere nequibat Judæorum infirmitas et crassities : unde ea Christo et Apostolis, filiis novi Testamenti, perfectionis studiosis commendanda reliquit. Hi enim, inquit. Jansenius, si, ut debent, pro uxore carnali sapientiam sibi in sponsam assumant, secuti Sapientem qui dicit : « Quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius, » *Sapient.* VIII, 2, facile omnia cælibatus incommoda, quæ hic insinuatur, superabunt. Nam in ea summam pulchritudinem et voluptatem deprehendent, quia in lingua ejus clementia est, et sanitas recreans : non enim habet amaritudinem conversatio ejus. In illa habebunt adjutorium, ut et in omnibus tribulationibus consolationem percipiant, et ad bona quæque agenda juventur. Item hæc illis erit velut columna, in qua mens eorum suaviter quiescet, libera ab evagatione carnali. Per hanc et sunt bene muniti, et facile fit ut fixam aliquam habitationem atque vivendi rationem sibi deligant, in qua Deo serviant.

Cælibes desponsent sibi sapientiam.

Adde sacerdotes et Religiosos terra et rebus terrenis, puta conjugio, domo, possessione, esse superiores, iisque nuntium remisisse, ut Deo vacent, ac in terra vivant non vitam humanam et communem, sed angelicam et divinam. Quare hæc Siracidis præcepta, quæ vitam hominum communem spectant, ad eos non pertinent : illis enim, ut ait S. Ambrosius, Christus est omnia, ac proinde eis maxime competit illud Apostoli : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, » II *Corinth.* XI, 2. Et illud Psaltis, *Psalm.* XV, 5 : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. »

Religiosi mundi sunt domini.

Denique Religiosis virisque apostolicis uxores, domos et omnia relinquentibus, ut Christum sequantur, Christus promittit centuplum, *Matth.* XIX, ut pro una uxore centum fratres, pro una domo centum monasteria recipiant, sintque cosmopolitæ, imo mundi domini : « Fideli enim totus mundus divitiarum est. » Unde Climachus, *gradu* 17, asserit pauperem monachum esse mundi dominum; et, quia jactavit in Deum curam suam, possidere per fidem omnes gentes in servos. Idemque addit pauperem Dei famulum [illegible]liam rem amare vitiose : omnia enim quæ habet aut habere potest, reputat quasi non sint; et, si recedere contingat, æstimat ut stercora. Ergo « avarus terrena esurit ut mendicus, fidelis » et religiosus « contemnit ut dominus, » ait S. Bernardus, serm. 21 *in Cantic.* Nam, ut ait S. Cyprianus, tract. *De Orat. Domin.* : « Qui renuntiavit jam sæculo, major est honoribus ejus et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat. » Ibi ergo est nidus et domus ejus. Unde S. Augustinus, lib. X *Confess.* XL : « Neque in his omnibus, inquit, quæ percurro, invenio locum tutum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam recedat ex me. » Vide Hieronymum Platum, *De Bono status Relig.* lib. II, cap. III, VI et seq.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

In fine capitis præcedentis docuit delectum sermonum et uxorum; nunc docet delectum amicorum et consiliariorum. Igitur primo, docet cavendos amicos fictos, et diligendos sinceros; secundo, vers. 7 *usque ad* 23, *docet quale et cum quibus ineundum sit consilium; tertio, vers.* 25, *agit de sapiente ejusque fructu et præmiis; quarto, vers.* 30, *agit de continentia, sive de mortificatione concupiscentiæ et gulæ.*

1. Omnis amicus dicet : Et ego amicitiam copulavi; sed est amicus solo nomine amicus. Nonne tristitia inest usque ad mortem? 2. Sodalis autem et amicus ad inimicitiam convertentur. 3. O præsumptio nequissima! unde creata es cooperire aridam malitia et dolositate illius? 4. Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus, et in tempore tribulationis adver-

sarius erit. 5. Sodalis amico condolet causa ventris, et contra hostem accipiet scutum. 6. Non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemor sis illius in opibus tuis. 7. Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, et a zelantibus te absconde consilium. 8. Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso. 9. A consiliario serva animam tuam. Prius scito quæ sit illius necessitas : et ipse enim animo suo cogitabit. 10 : ne forte mittat sudem in terram, et dicat tibi : 11. Bona est via tua; et stet e contrario videre quid tibi eveniat. 12. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum injusto de justitia, et cum muliere de ea quæ æmulatur : cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis; 13. cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere; 14. cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione : non attendas his in omni consilio. 15. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei, 16. cujus anima est secundum animam tuam : et qui, cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi. 17. Cor boni consilii statue tecum : non est enim tibi aliud pluris illo. 18. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. 19. Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. 20. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile. 21. Verbum nequam immutabit cor : ex quo partes quatuor oriuntur, bonum et malum, vita et mors : et dominatrix illorum est assidua lingua. Est vir astutus multorum eruditor, et animæ suæ inutilis est. 22. Vir peritus multos erudivit, et animæ suæ suavis est. 23. Qui sophistice loquitur, odibilis est : in omni re defraudabitur. 24. Non est illi data a Domino gratia : omni enim sapientia defraudatus est. 25. Est sapiens, animæ suæ sapiens : et fructus sensus illius laudabilis. 26. Vir sapiens plebem suam erudit, et fructus sensus illius fideles sunt. 27. Vir sapiens implebitur benedictionibus, et videntes illum laudabunt. 28. Vita viri in numero dierum : dies autem Israel innumerabiles sunt. 29. Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum. 30. Fili, in vita tua tenta animam tuam; et si fuerit nequam, non des illi potestatem. 31. Non enim omnia omnibus expediunt, et non omni animæ omne genus placet. 32. Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam. 33. In multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram. 34. Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. OMNIS AMICUS DICET : ET EGO AMICITIAM COPULAVI (inter me et te tuosque amicos. Græce ἐφιλίασα αὐτῷ, licet τὸ αὐτῷ deleant Complutensia, κἀγώ, id est, ut Romana : *Ego cum illo amicitiam copulavi*; alii : *Amicus ei fui et ego;* Complutensia : *Amicus sum et ego*) SED EST AMICUS SOLO NOMINE AMICUS, — *q. d.* Quilibet amicus tam fictus, quam verus, imo magis fictus, jactabit se tibi et tuis amicis esse amicum; at vide cui credas : nam est amicus qui nomine duntaxat est amicus; reipsa vero est inimicus. Disce ergo seligere amicum verum a ficto, realem a verbali; unde Tigurina : *Quivis amicus. Huic et ego sum amicus, inquit; sed sunt amici solo nomine tenus amici.* Igitur proprie perstringit eos qui omnium amici haberi volunt, et tales se jactitant; ut, si quando quis dicat : Ille est amicus meus, illico subjungant, ille quoque est amicus meus, ut totum mundum videantur habere amicum, cum tamen multos habeant hostes, vel æmulos, vel extraneos et incognitos. Porro Syrus hæc refert ad vagabundum, de quo capite præcedenti, vers. ult. Sic enim habet : *Sic vir, qui non habet mulierem, in loco ubi reperietur morietur. Et amico suo dicit : Diligo; verum est amicus nomine tenus, qui non perseverat usque ad mortem. Amicus verus sicut anima tua sit tibi.*

Amicus medius inter infamem et adulatorem.

Præclare Aristoteles, lib. I *Magnorum moral.* cap. XXV, amicum verum a ficto et ab inimico ita discriminat : « Amicitia, inquit, inter assentationem et inimicitiam medietas, in actione sermoneque versatur. Assentator namque est, qui plura quam sit par, adsintque cuipiam, arrogat. At infensus inimicus, qui derogat etiam quæ adsunt, quorum neuter jure laudandus accedit. Inter quos medius

est amicus, quippe qui nec plura præsentibus cuiquam astruit, neque quæ minime conveniant laudaverit, neque e contrario imminuet, neque omnino adversabitur, præterquam existimetur tribuendum. Hujusmodi igitur est amicus. » Hæc Aristoteles. Plinius vero, lib. VII, cap. II : « Hyæna, inquit, sicut et ichneumon, nunc mas est, nunc femina; ita quidam, sui dissimiles, nunc fortia loquuntur, nunc mollia; nunc philosophi sunt, nunc nepotes; nunc amici, nunc inimici. »

Plutarchus, in *Moral.*, Κόλαξ, ait, est κόραξ, id est *adulator est corvus* : « Quia sicut corvi involantes cadaverum oculos effodiunt; sic adulatores suis laudationibus rationem et mentem humanam corrumpunt. Lepus canem, amicus adulatorem natura hostem existimare debet. Lætandum magis reprehensoribus quam assentatoribus : illi enim velut stimulo animos excitant; hi vero gratificantes dissolvunt et subvertunt. » Demosthenes vero aiebat adulatorem pejorem esse corvo, quod ille vivos, hic mortuos voret. Phavorinus : « Sicut Actæon, inquit, a canibus quos aluerat, laceratus est; sic adulatores eos a quibus aluntur, devorant. » Epictetus : « Corvi, inquit, mortuorum oculos corrumpunt, at adulatores animarum oculos excæcant. »

NONNE TRISTITIA INEST (legit Interpres ἔνι, Complutensia legunt μένει, id est *manet*) USQUE AD MORTEM? 2. SODALIS AUTEM ET AMICUS AD INIMICITIAM CONVERTENTUR. — Græca, omisso τὸ *autem*, et pro *convertentur* legendo *convertuntur*, sic clare habent : *Nonne dolor est ad mortem usque, cum socius et amicus usque ad inimicitiam convertitur?* Complutensia : *Nonne tristitia manet usque ad mortem, sodalis et amicus, versus* (vel *convertens*) *se in inimicitias?* Tigurina : *Nonne mœrorem affert ad mortem usque manentem socius, aut amicus conversus in inimicum?* Hæc lectio plena et clara est. Unde duo manuscripti codices latini ita pariter legunt in Latina Vulgata. Hinc et Rabanus sic explicat : « Maximum enim, inquit, malum est, et continuo dolore gemendum, quod ubi speratur fidelitas, ibi invenitur malignitas; et ubi amicitiæ assimilata est charitas, ibi inimicitiæ reperitur perversitas. »

Vers. 2.

Verum, quia cæteri codices latini, etiam Romæ emendati, constanter habent τὸ *autem* et *convertentur*; hinc sensus magis patheticus hic est, *q. d.* Nonne amicus solo nomine, id est fictus et hypocrita, creat alteri mœrorem tantum, ut mortem ei afferat, vel duret usque ad mortem? Cum enim videt se deceptum ab eo cui se suaque secreta credidit, scilicet, se ea non credidisse amico, ut putabat, sed hypocritæ et inimico, qui sub nomine amici latebat, tunc nimirum inconsolabiliter dolet et gemit usque ad mortem. Interim autem sodalis et amicus hic nominalis et fictus, relinquens amico suam tristitiam, palam et aperte ad inimicitiam convertetur, quod magis tristitiam amici augebit, ac celeriorem ei mortem accerset; quia, ut ait Lyranus : « Nulla efficacior pestis ad nocendum, quam familiaris inimicus et sodalis, id est socius mensæ. Dicitur enim a sede, quasi sodalis : quia sedet cum alio in mensa; frequenter enim contingit ut simul sedentes in mensa, antequam recedant ab invicem, rixentur et pugnent. » Hæc Lyranus. Sic et Lexicographi : Sodalis, inquiunt, dicitur in rebus levioribus; et fere in conviviis dicuntur sodales, quasi simul edales : vel, ut quibusdam placet, quia una sedeant, et simul sint in mensa. Unde Quintilianus in *Gladiatore* : « Et tempestiva, inquit, convivia et pervigiles jocos, advocata sodalium turba, solutus atque affluens agerem. » Et Cicero *Pro Plantio* : « Quos si tu sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. » Et Plautus in *Mercat.* : « Sex sodales reperi, vitam, amicitiam, civitatem, lætitiam, ludum, jocum. » Hinc et Sodalitas vocatur collegium multorum, seu convivium. Unde Caius Jureconsultus : « Sodales, inquit, sunt qui sunt ejusdem collegii. » Hinc liquet sodalem esse diversum ab amico : sodales enim sæpe sunt inimici. Sic et Græci ἑταιρίας, id est *sodalitates*, vocant societates convivendi et convivandi. Unde Aristoteles, lib. II *Polit.*, ἑταιρικῶν τὰ συσσίτια vocat *convivia sodalitiorum* : quin et ἑταιρίας, id est *sodales*, sive socias et amicas, vocant meretrices, quibuscum lascivi comessantur et fornicantur.

Sodalis quasi simul edalis.

Secundo, Jansenius, τὸ *autem* accipiens pro *enim*, sic exponit, *q. d.* An non amicitiæ occasione aliquando oritur tristitia perdurans usque ad mortem? Contingit enim amicos ad inimicitiam converti. Hebraice enim *vau* est conjunctio generalis, significans *et, autem, enim*, etc. Unde et Homerus ac Græci δὲ, id est *autem*, usurpant pro γὰρ, id est *enim* : quin et prisci Latini. Unde Plautus, in *Pseudol.* : *Autem* pro *enim*, ait, « nequaquam vis, » id est profecto non vis. Sic hic τὸ *autem* accipi potest pro *enimvero*. *Enimvero* autem postpositum in responsione, indignanti accommodum est : ut *nego enimvero, is enimvero sum*. Sensus ergo erit, *q. d.* Nonne in amico nomine tenus, id est ficto, inest tristitia usque ad mortem? Enimvero talis sodalis et amicus ad inimicitiam convertentur. Hoc autem parit tristitiam gravem et lethalem.

Tertio, Palacius sic explicat, *q. d.* Tristitia est nobis inimica, inquit, sumusque nos ei adversi : si ergo res tam nobis adversa nobiscum permanet usque ad mortem, cur amicitia res nobis adeo cara, non ita perdurabit? cur ad inimicitiam convertetur? Jacob, filio Josepho amisso, tristitiam usque ad mortem vult retinere, rem adeo noxiam, adeoque contra naturam : cur igitur Saul amicitiam Davidis non retinebit, rem sibi adeo utilem? Verum hic sensus longe petitus et impertinens videtur.

Ratio a priori hujus sententiæ est dignitas, utilitas et necessitas amicitiæ, quam dum subvertit fraudulentus et infidus amicus, velut solem tollit e mundo. Audi Ciceronem, lib. *De Amicit.* : « Cui Amicitia

In vita est quod vel in mundo.

potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? Quid dulcius quam habere quocum omnia audeas sic loqui ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui illis, æque ac tu ipse, gauderet? » Hæc Romanus; Atticus autem Cicero, S. Chrysostomus, homil. 2 *in* I *Thessal.* : « Est revera, inquit, amicus ipsa luce jucundior, germanum dico. Et ne mireris. Est enim nobis solem hunc exstingui jucundius, quam amicorum consuetudine privari : jucundius in tenebris agere, quam sine amicis esse. Et quomodo dicam? quia multi solem istum videntes, in tenebris sunt : qui vero amicorum copiam adepti sunt, nec in afflictionibus quidem tristitiam habent. » Huc facit illud Biantis : « Ama tanquam osurus, odi tanquam amaturus; » quanquam Cicero, lib. *De Amicit.*, posterius probat, prius improbat, et merito : « Quonam enim, inquit, modo quisquam amicus ejus esse poterit, cujus se putavit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit cupere et optare, ut quam sæpissime peccet amicus, quo plures det tibi tanquam ansas ad reprehendendum. Rursus etiam recte factis et commodis amicorum necesse erit angi, dolere et invidere. Quare hoc quidem præceptum, cujuscumque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis parandis, ut nequando amare inciperemus eum quem aliquando odisse possemus. » Et Aristoteles in libris *Rhetor.* : « Non est amandum, ait, quasi sis osurus, quemadmodum aiunt, sed ita exercendum odium, quasi sis aliquando amaturus. »

Vers. 3.

3. O PRÆSUMPTIO NEQUISSIMA! UNDE CREATA ES COOPERIRE (amicitiæ simulatione, ait Lyranus) ARIDAM MALITIA ET DOLOSITATE ILLIUS? — Ita Romanus et Græca : perperam ergo Lyranus, Dionysius et alii legunt : *Cooperire aridam malitiam et dolositatem illius.* Quæ enim est *arida malitia?* Græce est, ὦ πονηρὸν ἐνθύμημα, id est *o scelerata cogitatio! unde* ἐκυλιάσθης, vel ἐνεκυλίσθης, id est *devoluta es;* Complutensia, *involuta es, ut operires aridam,* ἐν δολιότητι, id est *in dolositate,* vel *fraudulentia?* Tigurina : *O scelerata cogitatio! undenam prorepsisti, ut dolo terram operires?* Syrus : *Inimicus et malus ad quid creati sunt, nisi ad replendam terram operibus iniquitatis?*

Pronomen « illius » non est in Græco, sed intelligitur : « illius, » scilicet amici ficti, de quo sermo præcessit. Siracides indignans ad nequitiam ficti et dolosi amici exclamat, ac admirans quærit unde tantum nefas in orbem irrepserit, *q. d.* O mortalium nequissima cogitatio! O perfidia exsecranda, qua quis simulans se amicum, dolose amicum supplantat, ejusque summum se ostendit inimicum! O simulata, ait Hugo, et palliata hypocrisis quæ fingis amicitiam, ubi non est! unde tandem prodiisti? quomodo valuisti terram operire tua malitia et dolositate? scilicet non ex cœlo, nec ex terra ortum habes. Deus enim creavit naturam humanam rectam, sinceram et fidelem; sed ex orco in terram prorepsisti : nimirum tuus pater est Lucifer, qui Dei et angelorum amicus, sua perversitate factus est eorum inimicus : unde inter amicos homines, qui Dei sunt imagines, inimicitias suscitare cœpit ab origine mundi, cum fecit ut Cain Abelem fratrem occideret, et quotidie suscitare non desistit ubivis locorum et gentium : hoc enim perfidiæ malum omnes provincias, omnes gentes, omnes urbes, omnia fora, tribunalia, omnes cœtus, omnia collegia, quin et Sanctorum congregationes ac monasteria non raro invadit, occupat et evertit. Porro origo et auctor hujus perfidiæ extrinsecus est diabolus : intrinsecus vero est amor proprius, puta concupiscentia honoris, opum, deliciarum : ob hanc enim amicus fit inimicus. Ut enim hæc consequatur ex ruina amici, ei perniciem machinatur. « Miratur ergo vir sapiens, ait Rabanus, ortum nequitiæ : quam tamen constat ex mala voluntate creaturæ prolatam esse, et detestatur valde hypocrisin; quia pessimum vitium est, quemlibet hoc se fingere velle quod penitus non est; cum malus se simulet bonum, injustus justum, iniquus æquum, inimicus amicum, cooperiendo dolositatem, et aridam dolositatem, ubi non est pinguedo dilectionis et misericordiæ : decipit enim veraciter seipsum, cum se honestum delusorem putat esse aliorum. »

Expertus auctor, ait Palacius, hæc gemens dicebat; nam Ptolemæus Lagi, prius Judæis amicus, mox truculentissimum se eis inimicum exhibuit. Idem expertus David dicebat *Psalm.* LIV, 14 : « Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, » etc. Quin et Christus cum a Juda proditus est, unde ad eum conversus : « Juda, inquit, osculo Filium hominis tradis? » *Luc.* XXII, 48. Vere Beda, in *Proverbiis* : « Malus ubi se simulat bonum, ibi est pessimus. Non vivas aliter in solitudine, aliter in foro. Scorpiones dici possunt, qui bonis quidem in facie non resistunt, sed mox cum recesserint detrahunt. » Porro Cicero, lib. II *Offic.* : « Nec simulatum quidquam, inquit, potest esse diuturnum. »

Vers. 4.

4. SODALIS AMICO CONJUCUNDATUR IN OBLECTATIONIBUS, ET IN TEMPORE TRIBULATIONIS ADVERSARIUS ERIT. — Exaggerat rei indignitatem, *q. d.* O præsumptio perfida et scelerata, quod sodalis cum amico jucundatur, dum in mensa ejus epulis oblectatur et deliciatur! idem vero ei adversatur in tempore tribulationis. Cur enim, si frueris amico in sua prosperitate, eum lædis in adversitate? cum enim tribulor, sat habeo afflictionis, nec dignus sum nova tribulatione. Cur ergo super dolorem vulnerum meorum addis? Intolerabile est quod, cum tuo favore egeo, tu pro favore mihi odium exhibeas. Ita Palacius. Unde pro *conjucundatur in oblectationibus,* græce est, ἥδεται ἐν εὐφροσύνῃ, id est *jucundatur in lætitia;* Romana, *in oblectatione,* id est tempore læto

cundo et prospero : hoc enim opponit tempori tribulationis tristi et adverso. Complutensia legunt, συνδιαιτᾶ ἐν εὐφροσύνῃ, id est *convivit in lætitia*; Tigurina : *Amicus rebus lætis familiariter utitur amico, qui tempore calamitatis sit adversarius*; nimirum quanta hæc indignitas! quam nequam præsumptio! quam scelerata cogitatio! Syrus : *Malus est amicus qui propinquus est in mensa, et in tempore angustiæ surgit a convivio.*

Huc alludit proverbium Arabicum, *Centur.* I, num. 97 : « Quando audiveris virum loquentem de te bonum quod in te non est, ne credas : loquetur enim et malum quod in te non est. »

Vers. 5. *Amicus causa ventris, quis?*

5. SODALIS AMICO CONDOLET CAUSA VENTRIS, ET CONTRA HOSTEM ACCIPIET SCUTUM. — Est hic alius casus, et quasi alia species non veræ, sed falsæ amicitiæ, *q. d.* Sodalis quamdiu simul est edalis, simulque convivit amico, ab eoque sperat victum, opes, honores, ei etiam in adversitate posito condolet : imo pro eo arma et scutum accipiet, ut eum contra hostem defendat. Verum id facit ex gula, et opum honorumque fiducia, non ex vera amicitia. Unde si lucri vel honoris ab amico consequendi amplius non sit spes, eum deseret, et ad hostem ejus transibit. Quare tali quoque fidendum non est. Igitur si verum amicum quæris, examina an ventris et commodorum causa te colat, an vero amicitiæ instinctu et ductu. Tales sodales permulti sunt in castris, quales perplures vidi in Belgio, qui pro principe stabant et pugnabant, quamdiu ab eo lauta percipiebant stipendia, eratque spes lucri et prædæ : at ea deficiente, vel si hostis majorem ostentaret, illico ad eum transfugiebant. Præclare Seneca : « Mel, inquit, muscæ, cadavera lupi, frumenta formicæ sequuntur; prædam sequitur turba illa, non hominem. »

Pro *condolet* græce est συμπονεῖ, id est *collaborat*. Unde ex Græco sic vertas : *Socius amicum laborantem adjuvat, eique collaborat ventris gratia, et contra hostem sumit clypeum*; Tigurina : *Est cum causa ventris amicus adjuvat amicum, et adversus hostem* (legit ut Noster πολεμίου; aliqui legunt πολέμου id est *adversus bellum*) « scutum arripit. » Ita Lyranus, Jansenius et Rabanus quem audi : « Conjucundantur (falsi amici) in oblectatione voluptatis, et in tempore adversitatis recedunt. Arma contra hostem causa ventris sustollunt, sed fidi defensores amici sui non erunt : quia non proximum, sed delicias diligunt. »

Aliter Palacius : Videtur, inquit, reprehensio amicorum, *q. d.* Si sodalis conductus « causa ventris, » id est propter cibum condolet suo conductori, et contra ejus hostem accipit scutum : cur amicus causa amicitiæ idem etiam dedignabit ? Et manifestum est, quod contra hostes nostros solemus conducere auxiliares, qui propter cibum, quem illis damus, favorem suum nobis præbent.

Porro Syrus, omittens τὸ *causa ventris*, hæc contrarie videtur accipere de vero amico : *Bonus est amicus*, inquit, *qui pugnat contra inimicum et tenet clypeum. Ne laudes amicum tuum in vicinia, ut ne des ei potestatem in domo tua.*

Vers. 6

6. NON OBLIVISCARIS AMICI IN ANIMO TUO, ET NON IMMEMOR SIS ILLIUS IN OPERIBUS TUIS. — Corrige cum Romanis et Græcis ἐν χρήμασί σου, id est *in opibus tuis*. Notat hic et corrigit tertiam speciem falsorum amicorum, *q. d.* Sunt quidam amici sinceri quidem, sed leves et inconstantes, qui cum ex tenui humilique fortuna ad magnas opes et gradus pervenerint, amicorum obliviscuntur, aut eorum ipsos pudet. Moneo ergo te, o fili, o discipule, ut, si hoc tibi contingat, amici pristini non obliviscaris; sed eum in animo et corde geras et ames, eique tuas opes communices, juxta illud S. Joannis, *epist.* I, cap. III, 18 : « Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. » Unde Tigurina vertit : *Ne capiat animum tuum oblivio amici, nec rebus secundis tuis sis ipsius immemor*. Sæpe enim verum est illud Ovidii, lib. I *Trist.* eleg. 8 :

> Donec eris felix, multos numerabis amicos :
> Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Et illud ejusdem ibidem :

> Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,
> Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Quocirca Plutarchus, lib. *De Amicitia*, in multos diffusa, sic censet : « Itaque ut Zeuxis pictor quærentibus cur tardius longoque tempore pingeret, respondit : Ego longo tempori haud dubie pingo, id est æternitati; sic perpetuam amicitiam constare non licet, nisi longa vitæ consuetudine exactoque judicio. »

Præclare S. Augustinus (vel quisquis est auctor) lib. *De Amicitia*, cap. XVI : « Ad amicitiam, inquit, quatuor pertinere specialiter videntur, scilicet, dilectio et affectio, securitas et jucunditas. Ad dilectionem spectat cum benevolentia beneficiorum exhibitio. Ad affectionem, interior quædam procedens delectatio. Ad securitatem, sine timore et suspicione omnium consiliorum et secretorum revelatio. Ad jucunditatem, de omnibus quæ contingunt, sive læta sint, sive tristia; de omnibus quæ cogitantur, sive nociva sint, sive utilia; de omnibus quæ docentur vel discuntur, quædam dulcis et amica collatio. Ista prodit, qui solvit amicitiam. » Subjungit deinde : « Quatuor probanda sunt in amico : fides, intentio, discretio, patientia; fides, ut ei te secure committas; intentio, ut nihil ex amicitia nisi Deum et naturale ejus bonum exspectes; discretio, ut quid præstandum amico, quid ab eo petendum, in quibus contristandum pro eo, in quibus amico congratulandum, pro quibus eum corripiendum, modum, tempus et locum non ignorat; patientia vero, ne correptus doleat, ne corripientem contemnat vel odiat, ut eum pro amico quælibet adversa sustinere non pigeat. »

Et S. Ambrosius, lib. III *Officior.* cap. XVI : « Plerumque, inquit, inimicitiæ subeundæ sunt propter amici innocentiam, sæpe obtrectationes, si restiteris vel responderis, cum amicus arguitur et accusatur : nec te pœniteat hujusmodi offensionis. Justi enim vox est : Etsi mala mihi venerint propter amicos, sustineo. » Idem de Basilio hoc præstante docet S. Chrysostomus, lib. II *De Sacerdot.*, ubi post multa sic eum loquentem inducit : « Aliter, inquit, amare non didici, nisi ut et meam animam in discrimen adducam, dum periclitantem amicum aliquem servare opus est. » Idem : « Christus Dominus discipulos docuit : » *Joan.* XV, 13 : « Majorem, inquit, dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Causa est, quod amicitia, « ut sanctissime et verissime dixit Cicero, » ait S. Augustinus, lib. III *Contra Academ.* cap. VI, « est rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate summa consensio : » ergo tam in adversis, quam in prosperis. Simile oculorum perillustre affert S. Cyprianus, lib. *De Singul. Cleric.*, oculis enim amicos assimilat, nec enim alter flecti aliquo potest, quin flectatur etiam alter; et si recta vel oblique hic aspiciat, ille eodem modo aut ex obliquo, aut recta, aspiciet. Non aliter amici esse debent; nam eodem modo semper, eadem via, eumdem ad scopum unanimes ferri debent. Huc facit et simile cervorum, qui alternatim invicem succollantes, tranant flumina, de quo dixi *Galat.* VI, 2. Denique S. Ambrosius, supra : « Solatium, inquit, hujus vitæ est, ut habeas cui pectus tuum aperias, cum quo arcana communices, cui secretum tui pectoris committas; ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. Facilis vox et communis : Tuus sum totus, sed paucioris est effectus. » Hæc ille, et vere : pauci sunt qui id præstent.

SECUNDA PARS CAPITIS.

QUALE ET CUM QUALIBUS INEUNDUM SIT CONSILIUM.

Vers. 7. **7. NOLI CONSILIARI CUM SOCERO TUO, ET A ZELANTIBUS TE ABSCONDE CONSILIUM.** — Ita legunt passim omnia Biblia latina, ac Rabanus, Lyranus, Hugo, Dionysius, Jansenius, Franciscus Lucas, Palacius, huncque dant sensum, *q. d.* Noli consilium inire cum socero, id est patre uxoris tuæ, ne vel in gratiam ipsius tibi nimis blandiatur, tuisque desideriis inordinatis consentiat et applaudat, vel male tibi consulat; ut bene consulat filiæ suæ, vel secreta tua revelet eidem quæ est uxor tua. Unde Lyranus : *Noli consiliari cum socero tuo*, scilicet, inquit, « de his quæ pertinent ad restrictionem uxoris tuæ : quia ipse semper stabit a filia sua, divertens a veritate ex carnali affectione. » Unde illud :

> Nec gener a socero, nec hospes ab hospite tutus.

Et Rabanus, mystice : « In socero, inquit, quia parte feminea cognationi adjunctus est, muliebrem et mutabilem ostendit animum. A quo nunquam tuta fides speranda est. Sic et zelus, qui præcipue in sexu prævalet femineo, instabilitatem mentis significat, cui nunquam fides adhibenda est (quia, ut quidam ait) : Sicut littus sine portu infida est statio navium; sic et animus sine fide periculosus est in consortio amicorum. »

Et Hugo : « Moraliter socer tuus, inquit, est carnalis affectus, pater uxoris tuæ, id est, concupiscentiæ tuæ. Istius consilio non est credendum, nec cum eo consilium pertractandum de pœnitentia, vel de aliquo bono faciendo. Quod manifeste docuit Jacob, *Genes.* XXXI, qui, ignorante Laban socero suo, cum filiis et uxoribus atque pecoribus suis recessit de Mesopotamia in terram Chanaan. Legitur *Judic.* XIX, quod Levita quidam credidit socero suo, ut cum eo tribus diebus maneret; hic in via amisit uxorem suam a Gabaonitis oppressam, unde postea strages magna populi secuta est. Ideo dicit Auctor : Noli consiliari cum socero tuo, id est consilium ab eo quærere, nec tuum consilium ei revelare. »

Verum corrigendum cum Romanis et manuscriptis : *Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, et a zelantibus te absconde consilium.* Sic habent et Græca : Μὴ βουλεύου μετὰ τοῦ ὑποβλεπομένου σε, καὶ ἀπὸ τῶν ζηλούντων σε κρύψον βουλήν; quod Complutensia vertunt : *Ne consilieris cum eo qui reveretur te* (nam ex tui metu et reverentia consulet dicetque non id quod sentit, sed quod tibi placere et gratum esse scit), *et a zelantibus te absconde consilium;* Romana : *Noli consiliari cum eo qui te suspectum habet, et a zelantibus te absconde consilium.* Suspectus enim suspecto suspectum dabit consilium. Tigurina : *Ne consultes cum eo cui suspectus es, nec invidentibus tibi consilium aperias;* alii : *Ne consulta cum eo qui te limis aspicit oculis, et ab iis qui æmulantur te occulta consilium;* ὑποβλέπειν enim ad verbum, idem est quod subaspicere, limis dejectisque oculis aspicere, atque obtueri sic, ut aversantes fastidientesque aliquid aspiciunt, despicere sive despicari, aversari, contemnere, item suspicere, id est suspectum habere, suspicari. Sic de Didone ait Virgilius, *Æneid.* IV :

> Talia dicentem jamdudum adversa tuetur,
> Hinc illinc volvens oculos,

id est, ὑποβλέπουσα ἢ παραβλέψασα.

Optime ergo Noster vertit : « Noli consiliari

cum eo qui tibi insidiatur; » unde et sequitur, « et a zelantibus, » id est æmulantibus et invidentibus tibi, « absconde consilium. » Æmulus enim et invidus tibi insidiabitur, consiliumque tuum prodet, vel evertet, ac in suos usus et commoda convertet. Accedit Syrus : *Ne consilieris,* inquit, *cum inimico tuo, et ab eo cela secretum.* Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* I, num. 17 : « Cum equitaveris leonem, cave ab ungue; id est cum factus fueris dux vel præfectus, cave a consiliariis malis. »

Denique Palacius, et ex parte Jansenius, posteriorem hanc lectionem cum priori sic conciliant; videtur Auctor, cum hæc scriberet, præ oculis habuisse Jacob, qui, *Genes.* XXXI, in negotio profectionis suæ et uxorum, consilium a Laban socero suo non accepit, imo ab eo, et a filiis ejus qui Jacob zelabant et invidebant, suum consilium abscondit. Unde sensus hujus loci sumendus est, ut sit hic : Si socerum habes tibi suspectum et invidum, item si habes cognatos tibi invidentes, et quosvis alios tibi suspectos, ab his ne consilium ceperis : « Qui enim videtur habere pallium consulentis, et habet venenum perimentis, lingua dolosa est, » ait S. Augustinus, *Prœmio in Psal.* CXIX, in fine.

Tropologice, noli consiliari cum insidiantibus tibi, hoc est cum tuis concupiscentiis, passionibus et vitiis, v. g. cum ira, odio, invidia; hæc enim tibi insidiantur, ac satagunt te in peccatum, et in gehennam pertrahere. Hæc quoque æmulantur, id est invident nobis animi pacem, gratiam et gloriam; ac licet amicos se nobis simulent, revera tamen cum diabolo inimico nostro in perniciem nostram conspirant et conjurant. Horum ergo consilium audiendum non est : ira enim suadet vindictam, contumeliam, verbera, milleque mala. At quia difficile est illud non audire, cum invitis illud suggerant, imo jugiter occlament; tutissimum est illa ipsa mortificare, et radicitus ex animo exstirpare, ut voces et susurros eorum amplius non audiamus.

Vers. 8. 8. OMNIS CONSILIARIUS PRODIT CONSILIUM, SED EST CONSILIARIUS IN SEMETIPSO, — *q. d.* Quilibet qui consulet (uti proclives sumus ad dandum aliis consilium) prodit, id est promit, profert; græce ἐξαίρει, id est *effert, extollit, laudat* consilium suum, quod ipse dat et suggerit; attamen non omnes dant consilium in utilitatem consulentis, sed multi in propriam; sunt enim « consiliarii in semetipso, » id est sibi consulentes, non ei qui petit consilium. Quare vir prudens sagaciter indaget an consiliarius in dando consilio non spectet suam utilitatem, potius quam ejus qui petit consilium; et si id deprehendat, caveat a tali consiliario ejusque consilio. Unde Complutensia vertunt : *Omnis consiliarius aufert* (ἐξαίρει enim idem est quod aufert, tollit, extollit) *consilium; sed est qui consiliatur in semetipsum,* scilicet in sui ipsius commodum. Romana : *Omnis consiliarius extollit consilium; sed est qui consulit sibi ipsi*; Tigurina : *Omnis consiliarius extollit consilium suum; sed sunt qui suam in rem consulant.* Extollit, id est laudat et celebrat suum consilium, quasi aliorum consiliis anteponendum, et præ illis sequendum.

Vers. 9. 9. A CONSILIARIO SERVA ANIMAM TUAM. PRIUS SCITO QUÆ SIT ILLIUS NECESSITAS : ET IPSE ENIM ANIMO SUO COGITABIT. — Ita Romana et Græca. Minus recte ergo Rabanus, Jansenius et alii legunt : *Et quid ipse animo suo cogitet;* quanquam eodem fere redeat sensus. Sensus enim est, *q. d.* Custodi tuam animam et mentem, ne cuivis consiliario credat et fidat; sed prius indaga num sit in aliqua necessitate, qua urgeatur et pene cogatur magis illi, puta sibi ipsi, quam tibi tuæque utilitati consulere. « Et ipse enim animo suo cogitabit, » *q. d.* Ipse enim cogitabit quomodo animo suo, id est sibi ipsi suisque intentionibus consulat, aut quomodo animo suo volenti suæ necessitati consulere, obsequatur et satisfaciat. Unde græce est, *etenim ipse sibi ipsi consulet.* Si quæras ergo qua ratione servabis animam tuam a consiliario, ne noxio ejus consilio capiaris, hanc accipe : Antequam eum consulas, perspice quæ sit ejus necessitas, cujusque rei habeat indigentiam. Hanc enim ille quem consulis, habebit præ oculis, ut tibi consilium dans, sibi consulat. Expende igitur an ex negotio aliquid utilitatis possit ad eum resilire. Credendum enim est fore ut consilium inclinet in eam. Quare cave ab eo. Unde Tigurina vertit : *Cave tibi ipsi a consiliario, et cujus ipse indigeat rei prius cogita : nam ipse sibi consulet;* alii : *Cognosce prius qua re opus ei sit; etenim ipse consulit sibi ipsi.* Quocirca Alfonsus, Aragonum rex, teste Panormitano, lib. III *De ejus Gestis,* interrogatus « quibus consiliariis maxime delectaretur : » « Libris, respondit, a quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. » Fredericus vero Imperator, vocatis in curiam consiliariis : « Utinam, inquit, consiliarii mei in palatii vestibulo duas res deponerent! Sic enim et ipsi recte consulerent, et mihi etiam inter consilia dijudicare facillimum esset. » Rogatus autem « quænam illæ res essent : » « Simulatio et dissimulatio, » respondit. Docuit autem principes commodis publicis recte consulere non posse propter consiliariorum privatos affectus. Ita Æneas Silvius, lib. III *De Gestis Alfonsi.* Certe quantum damni et ruinæ consiliarii principum suis, non reipublicæ commodis studentes, principibus et provinciis afferant, hoc ævo multis in locis gementes vidimus.

Dotes requisitæ in consiliario. Igitur in consiliario requiritur magna integritas, rectitudo, prudentia et solertia. Audi S. Ambrosium, lib. II *Offic.* cap. XII : « In quærendis, inquit, consiliis plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiæ usus, frugalitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum con-

fusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis utilem judicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? Quomodo enim potero judicare eum consilio superiorem, quem video moribus inferiorem? Anne eum idoneum putabo, qui mihi det consilium quod non dedit sibi? et mihi eum vacare credam qui sibi non vacat? cujus animum voluptates occupant, libido devincit, avaritia subjugat, cupiditas perturbat. » Recte enim Sallustius, *in Catilinam* : « Omnes homines, inquit, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum pervidet, ubi ista officiunt, neque quisquam omnium libidini simul et usui paruit : ubi intenderis ingenium, valet; si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. »

Vers. 10 et 11. 10 et 11. NE FORTE MITTAT SUDEM IN TERRAM, ET DICAT TIBI : BONA EST VIA TUA; ET STET E CONTRARIO VIDERE QUID TIBI EVENIAT, — *q. d.* Ne forte consilium tibi dando « sudem » id est impedimentum, offensionem et scandalum, cui impingas, figat in terra, dicens : « Bona, » plana et æqua « est via » hæc (cum tamen sudes in ea sit, in quam offendas), et interim resistat, videns an cadas in sude quam fixit. Sudes enim est pertica, seu genus teli militaris, hoc est paxillus igne torridus, quem in terra defigebant, ut hostis incautus in eum impingeret, eumque calcans pedem læderet. Unde Cæsar, lib. I *De Bello civili* : « Fossas transversas, inquit, viis perducit, atque ibi sudes stipitesque præacutos defigit. » Et Virgilius, VII *Æneid.* :

Quadrifidasque sudes et acuto robore vallos.

Ubi Servius : « Vallus et sudes idem est. » Græci codices pro *sudem* legunt κλῆρον, id est *sortem*. Sic ergo habent : *Ne quando projiciat super te sortem, tibique dicat : Pulchrum est institutum tuum; et stet ex adverso, ut quid eventurum tibi sit videat*; Tigurina : *Ne quam obventionem ominetur tibi rectumque esse dicat institutum tuum, atque interim ex adverso spectatorem eventus tui se constituat;* Vatablus : *Ne sorti te committat et aleæ*, vel *ne sortem super te jaciat*, etc. Sensus est, *q. d.* Antequam fidas consiliario, explora prius an ipse ex re, de qua eum consulis, emolumentum aliquod speret, ne forte propter illud consilium tibi periculosum, sed sibi utile det, dicendo rectum esse institutum tuum, quod scilicet tu ipsi proposuisti, vel ipse tibi suggessit; et interim stet ex adverso, exspectans consilii sui eventum : ut, si bene cedat, illud dilaudet et præmium exposcat; sin male, tibi illudat, et in te vel alium culpam mali successus conjiciat. Hujusmodi sane perfidia, inquit Jansenius, nimis in mundo obtinet, eamque videre licet in imperitis advocatis et medicis, qui pharmaca ægris adhibent dubia et periculosa, ut eorum virtutes explorent, et aliis mederi experientia periculi et mortis alienæ discant. Unde ille aiebat se nolle medicum, nisi q prius centum occidisset. Talia sunt consilia hominum audacium et præcipitum; de quibus Phœbæa vox est Livii, lib. XXXV : « Consilia calida et audacia prima specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia. »

Porro Syrus tres versus jam explicatos sic vertit : *A consiliario iniquo custodi animam tuam, et cognosce prius quid quærit; quia et ipse in seipso meditatur; ne forte injiciat super te dolum malum, et dicat : Quam bona est via tua! et stabit e contrario, et videbit ignominiam tuam, vel lætabitur in ignominia tua.* Videbit scilicet, et ridebit tuum dedecus.

Appositus ad hanc gnomen exstat apologus corvi et vulpis, apud Gabrielem Faernum : « Sustulerat, inquit, corvus aliunde caseum, et cum illo in altam arborem subvolarat. Vulpecula, quæ caseum concupisset, ita illum adorta callide fertur, cum primum formam et nitorem pennarum, et laudes augurii collaudasset : Plane, inquit, te summi Jovis volucrem esse dicam, si audiero etiam vocem et cantum dignum reliquis virtutibus tuis. Corvus laudibus vulpis inflatus, clamorem edere quam maximum posset. Ita de aperto rostro delapso caseo potita vulpes, irridens illum : Nihil, inquit, tibi deest, corve, præter cor. » Affabulatio : Apologus.

Qui coram in os te laudans consulit, insidias struit :
Qui laude ficta ducitur, cor non habet.

Vers. 12. 12. CUM VIRO IRRELIGIOSO TRACTA DE SANCTITATE, ET CUM INJUSTO DE JUSTITIA. (Ita Romana, Lyranus, Hugo, Dionysius et cæteri. Perperam ergo pro *irreligioso*, aliqui legunt *religioso*, et pro *injusto*, *justo*. Jam nonnulli hunc dant sensum, *q. d.* Coram irreligioso lauda sanctitatem, coram injusto justitiam, ut discat amare et amplecti sanctitatem et justitiam; ut irreligiosum ad sanctitatem pertrahas; ut injustum justitiam doceas.) ET CUM MULIERE DE EA QUÆ ÆMULATUR, (ut audiens te virtutes ejus prædicantem, illam non odiat :) CUM TIMIDO DE BELLO (ut ad illud animetur, et pericula imminentia non timeat :) CUM NEGOTIATORE DE TRAJECTIONE, (ut bonas merces et utiles emptoribus transportet) : CUM EMPTORE DE VENDITIONE, (ne pretium præter æquitatem adaugeat :) CUM VIRO LIVIDO DE GRATIIS AGENDIS; — ne de bonis aliorum tristetur : « cum impio de pietate, et cum inhonesto de honestate; » ut ista vitia fugiant, et contrarias virtutes amplectantur : « cum operario agrario de omni opere; » ne ab hero ad aliud opus dimissus impatiens sit, et impositum onus superbe detrectet : « cum operario annuali de consummatione anni; » in quo, cum mercedem sit accepturus, æquum est ut diligenter laboret : « cum servo pigro de multa operatione; » ut segnitiem et negligentiam abjiciat.

Verum hunc sensum esse contortum patet ex eis quæ sequuntur, præsertim cum ait : « Non attendas his in omni consilio. »

Secundo, Rabanus et Jansenius legunt : *Cum viro religioso tracta de sanctitate, et cum injusto de justitia noli consiliari, et cum muliere*, etc. Verum incongrue ; nam, ut bene advertit Franciscus Lucas, non congruit ut primum membrum dissimile sit sequentibus, et illi quidem addatur *tracta*, sequentibus autem *noli consiliari*, cum Sapiens manifeste velit prius docere cum quibus consilium capiendum non sit; postea vero tandem cum quibus capiendum sit.

Tertio, Græci codices hic repetunt sententiam positam vers. 7 : *Noli consiliari cum eo cui tu suspectus es, et ab eis qui tibi invident, consilium absconde*. Deinde subjungunt : *Cum muliere de pellice ejus, cum timido de bello*, etc., repete *noli consiliari*. Quod et Franciscus Lucas in latina Vulgata repetendum censet; ut omnes sequentes antitheses pendeant a τὸ *noli consiliari*. Sic et Tigurina : *Ne consultes cum eo cui suspectus sis, ne consilium cum invidentibus tibi communices; de religione cum irreligioso, de justitia cum injusto*, etc.

Verum sequenda est fides codicum fere omnium latinæ Vulgatæ, quam proinde retinendam censuere correctores Romani in Bibliis Romæ editis, quæ habet : *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum injusto de justitia*. Est continua ironia usque ad vers. 14, *q. d.* Si cum irreligioso tractas et consultas de religione et sanctitate, cum injusto de justitia, etc., inconsulte et stulte facis; quia irreligiosus non nisi irreligiosa, injustus non nisi injusta, quæ gustat, sapit, et assidue exercet, consulet. Quisque enim suggerit ea quæ capit et sapit, quibusque oblectatur, et quæ continue versat et operatur.

Ironia in Scriptura.

Nec novum est vel indignum ironiam usurpari a S. Scriptura, uti objicit Jansenius et Franciscus Lucas. Nam ironice loquitur Deus Adamo, irridens ejus superbiam et lapsum, dicens : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum, » *Genesis* III, 22. Et Salomon adolescenti, cupedias suas, sequenti ironice ait : « Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum. » Unde ironiam hanc detegens, subdit : « Et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium, » *Eccl.* XI, 9; et Isaias, cap. XXVIII, vers. 10, Judæis ironice in os regerit suum illud : « Manda, remanda, exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi. » Similia plura sunt in S. Scriptura. Denique, si quis omnino nolit admittere hoc loco ironiam, subaudiat cum Palacio τὸ *et tibi nocebit*, vel quid simile, *q. d.* Si cum irreligioso tractes de religione, cum injusto de justitia, nocebis tibi, vel malum accipies consilium; nam propterea subdit : « Non attendas his in omni consilio. »

Duodecim genera hominum vitanda in consilio.

Porro duodecim hominum genera enumerat hic Siracides, quibuscum docet non esse ineundum consilium; eo quod vitioso aliquo, eoque vehementi teneantur affectu, qui impedit quominus sincerum, rectum et honestum de re proposita ferre possint judicium. Nam, ut quisque affectus est, ita ferre judicat, sententiamque exquirenti de rebus ita pronuntiat, ut ipse sentit. Unde concludendum relinquit omni vitioso amore, cupiditate, ira, invidia, similive affectu debere carere eum qui asciscendus est in consiliarium.

Primum genus est irreligiosorum, qui scilicet Deum non colunt nec reverentur ut debent, ac subinde omne numen contemnunt et negant, quales sunt athei. Quis enim prudens hos consulat de sanctitate, id est de numine sancte colendo?

Secundum est injustorum, ut rapacium, furum, usurariorum, fraudulentorum, violentorum, etc. Quis enim consulat de justitia illos qui nil nisi artes furandi, rapiendi, fraudandi, etc., norunt? Nam, ut dixit Siracides, cap. VIII, vers. 20 : « Cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt dicere nisi quæ eis placent. »

Hinc vetus adagium quod recitat Zenodotus ex *Epicharmo* : σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα, id est *consultor est res sacra, q. d.* Consultor plurimum utilitatis afferre, ac religiose pureque consilium iis quibus est opus, dare potest et debet. Unde Plato, in *Theage* : « Quin illud etiam, inquit, dicitur, Demodore, consultorem rem esse sacram. » Idem, epist. *ad Perdiccam* : « Æquum est autem ut et hospitale et sacrum, ut dicitur, consilium impertiam. » Exstat inter Græcas sententias hic Senarius :

Res est profecto sacra consultatio :

a viris ergo sacris et religiosis petenda. Hi enim vere sapiunt; a sapiente autem petendum consilium, juxta illud Comici :

Consultor ille sit tibi vir qui sapit,
Sapiens enim fit sapientum consilio.

Et illud Sapientiæ, *Prov.* VIII, 12 : « Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. » Celebre est illud : « Neque cæcum ducem, neque amentem consultorem, » supple, adhibeto : disce, sed a doctis : consilium pete, sed a consultis. Et illud S. Basilii, orat. 21 *De Felicitate et Prudentia* : « Profecto divina quædam res est consilium. »

Contra hoc Siracidis et prudentiæ præceptum peccant illi qui, vocati a Deo ad sui cultum, v. g. ad statum Religiosum, de eo consilia quærunt a sæcularibus, parentibus et cognatis; tum qui a « animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, » 1 *Corinth.* II, 14. « Multi enim vident nostras cruces, sed non vident nostras unctiones, » ait S. Bernardus; tum quia (ut ait S. Thomas, *Opuscul.* XVII, cap. IX) injuriam Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi, facit, qui, illius audito consilio, mortalis adhuc hominis consilium requirit. Recte enim idem S. Thomas, I II, *Quæst.* LXVIII, art. 1, ex Aristotele, lib. VII *Moral. Eudem.* cap. XVIII, quærens quid sit in anima primum ac princeps ad

eam movendam; cæterarum quidem partium ait esse rationem, rationis autem aliquid quod sit ipsa melius, non scientiam, vel doctrinam (hæc enim non esse meliora); sed Deum : pauloque post addit eos qui a Deo moventur, non indigere consultatione; quippe qui meliori principio gubernentur quam sit ratio vel consilium.

Egregie vero et luculenter S. Bernardus, serm. *Ecce nos reliquimus omnia* : « Quantos, inquit, mundi sapientia maledicta supplantat, et conceptum in eis exstinguit spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi! Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera, diligentius intuere. Magnum est quod proponis, et opus habes multa deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Hæc sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis? quæ solet Deo vomitum provocare. Cave tibi, ait. Ut quid enim? Cum a Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Deduc me, Domine, et deducar; fortior esto et invalesce. Novi ego quænam sint, quæ oportet fieri cito. Ab ore putei gehennæ eripior, et inducias petam, et retardabor, et cunctabor exire, si forte interim fiat aliquid? Abscondi ignem in sinu meo, et exusto jam latere, jam nudatis visceribus, jam sanie defluente, diu mihi deliberandum est an expergiscar, an excutiam, an abjiciam illum? » Et paulo inferius : « Amicos consulat, qui non legit: inimici hominis domestici ejus. Quid frequentat Evangelium, qui Evangelio non obedit? At in eo sane legimus, promittenti cuidam sequi Dominum, sed defunctum prius patrem sepelire volenti, responsum ab eo, ut sineret mortuos sepelire mortuos suos. Alteri quoque tantum suis qui in domo erant valedicere cupienti: Nemo, inquit, mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. » Hactenus Bernardus : « Et cum muliere de ea quæ æmulatur. » *Tertium* genus hominum ineptum ad consilium est mulier; hæc consuli non debet *de ea* (minus recte Palacius et alii legunt, *de his*, scilicet feminis, quas ipsa æmulatur et zelat) « quæ æmulatur, » scilicet ipsam, quæ scilicet est æmula ipsius, v. g. pellex, quæ præ ipsa, imo contra ipsam ambit virum, ut illum ab ea ad se traducat, uti Jacobum ambierunt Rachel et Lia, *Genes.* XXX, 15; Elcanam Anna et Phenenna, I *Reg.* I, 6. Hoc enim significat Græcum περὶ ἀντιζήλου αὐτῆς; unde Complutensia vertunt : *Cum muliere de pellice ejus;* Romana : *Cum muliere de æmula ejus;* alii : *Cum femina de æmulatrice ejus.* Hanc enim illa ex invidia et odio plane apud virum decolorabit et denigrabit; ut se præ illa viro commendet, eumque ad se, illa (licet pluribus dotibus ornata, quæ proinde viro utilior esset futura) exclusa rapiat. Aliter Syrus : *Ne consilieris, inquit, cum muliere, ut non mœcheris cum ea;* secreta enim mentis inducunt ad secreta ventris.

Tertium.

Quartum est : « Cum timido de bello, » quia timidus et meticulosus timens suæ familiæ, fortunæ et vitæ omnimodis dissuadebit bellum, alias utile, vel necessarium; ac pacem etiam iniquis et ignominiosis conditionibus capessendam suadebit. Pro hoc Syrus habet : *Et cum inimico, ut non pugnes.* Quartum.

Quintum est : « Cum negotiatore de trajectione, » id est, ut græce : *Cum mercatore de permutatione;* Syrus : *Cum mercatore de mercatura ejus.* Mercator enim consulet dicetque non quod tibi, sed quod sibi utile sit permutare. Rursum *trajectio* hic accipi potest non permutationis mercium, sed loci vel residentiæ; hanc enim significat quoque Græcum μεταβολία, ut si, v. g. consulas mercatorem an expediat te tuas merces vel tuam personam negotiandi causa trajicere in Hispaniam, vel in Indiam : mercator consulet non tam quod tibi, quam quod sibi conveniet; timebit enim ne lucra ipsius avertas vel imminuas; aut certe cupiet ut te eo transferas, ubi plus ipsi commodi et lucri afferas. Tali consultori applices illud S. Augustini, *in Psal.* CXIX : « Quia videtur habere pallium consulentis, et habet venenum perimentis, lingua dolosa dicta est. » Quintum.

Sextum est : « Cum emptore de venditione, » emptor enim consulet dicetque non quid tibi vendenti conveniat, sed quid sibi utile sit emere; ac suadebit ut vili vendas id quod ipse cupit. Rursum pretium mercium indicabit infimum. Syrus pro emptore substituit venditorem : *Cum venditore,* inquit, *de re quam vendit ipse.* Ipse enim suadebit ut merces suas emas caro, licet viles, easque quas ipse cupit extrudere. Porro sapiens fuit consilium mercatoris illius paradoxi, ideoque sequendum, qui, ut Romæ mihi a viro gravi narratum est, rogatus qua arte locuples evasisset, respondit: « Contraria via cæteris incedendo. Cæteri enim volunt vili emere, et caro vendere » (ut aiebat Mimus apud S. Augustinum, XIII *De Trinitate,* III): « Ego vero, inquit, caro emo et vili vendo. Caro enim emendo, optimas merces seligo et comparo; vili vendendo, omnes emptores ad me allicio, qui longe plus lucri mihi afferunt, quam si paucis caro venderem. » Sextum. Paradoxi ditescendi consilium.

Septimum est : « Cum viro livido de gratiis agendis; » græce : *Cum invido de gratitudine* vel *gratiarum actione;* Tigurina : *De gratulatione cum invido;* quia invidus gratiarum actionem invidet, tum ei qui beneficium accepit, ne scilicet per gratiarum actionem gratiam dantis sibi conciliet, pluraque ab eo impetret sibique præripiat; tum ei qui beneficium dedit, quia invidet ejus honori et laudi.

13 et 14. CUM IMPIO DE PIETATE, CUM INHONESTO DE HONESTATE, CUM OPERARIO AGRARIO DE OMNI OPERE, CUM OPERARIO ANNUALI DE CONSUMMATIONE ANNI, CUM SERVO PIGRO DE MULTA OPERATIONE : NON ATTENDAS Vers. 13 et 14.

Octavum. HIS IN OMNI CONSILIO. — *Octavum* est, non esse consultandum « cum impio de pietate; » græce, κατὰ ἀνελεήμονου περὶ χρησοηδείας, id est, ut Complutensia et Romana : *Cum immisericordi de beneficentia;* Syrus : *Cum eo qui est immisericors, ut facias misericordiam;* Tigurina : *Cum immani de humanitate.* Impius ergo hic non in Deum, id est irreligiosus (de eo enim jam egit vers. 12), sed immisericors in proximos, pauperes et afflictos intelligitur. Hebræi enim חסד *chesed,* id est *pietatem,* vocant misericordiam, ac consequenter *impietatem* vocant *immisericordiam.* Rationem horum omnium dat Rabanus : « Quia quorum, inquit, non conveniunt corda et actus, horum sine dubio periclitatur consilium. Quapropter is qui rite consilium cum quolibet vult agere, consiliarii sui primum perpendere debet prudentiam, fidem, voluntatem, religiositatem, et sic ejus uti consilio. »

Nonum. *Nonum* est : « Cum inhonesto de honestate; » inhonestus enim, ignorans expersque honestatis, non nisi sibi similia, puta inhonesta, suadebit. Hoc membrum jam deest in Græcis. Inhonestus est turpis, infamis, incivilis, probrosus.

Decimum. *Decimum* est : « Cum operario agrario de omni opere, » quia operarius agrarius, conductus ut agrum tuum excolat, multa opera excusabit, quasi inutilia, ut se opere levet et subducat. Unde Græca habent : *Cum pigro de omni* (id est de ullo) *opere.* Herus ergo ab operario non exquiret an ager fodiendus, stercorandus, sarriendus sit : sed eum fodi, stercorari, sarriri jubebit.

Undecimum. *Undecimum* est : « Cum operario annuali de consummatione anni, » *q. d.* Cum operario sive mercenario, quem ad annum conduxisti, ut agrum aut vineam excolat, vel aliud quid operis perficiat; non consultabis de consummatione anni, an scilicet quid restet hoc anno faciendum; ipse enim citius volet annum finire, quasi nil restet hoc anno faciendum, sed quæ supersunt sequentibus annis peragi debeant; aut quasi ipse laborando satisfecerit anno suo, dicens se annum suum laborem, de quo pactus erat, consummasse, ac proinde nihil sibi ad laborem superesse, sed integram annui laboris mercedem sibi deberi. Græce enim tantum est, περὶ συντελείας, id est *de consummatione,* scilicet tam operis quam anni.

Pro *annuali,* uti et habent Græca Complutensia, scilicet ἐπετείου, Romani legunt οἰκείου, id est *domestico,* quem scilicet domi alis; nam hic minime omnium vellet opus absolvi, ut semper haberet opus, in quo operam tibi elocaret ad lucrum. Unde Syrus vertit : *Cum mercenario qui decipit in opere suo.*

Duodecimum. *Duodecimum* est : « Cum servo pigro de multa operatione; » piger enim servus ob pigritiam, ut suæ inertiæ consulat, multa opera vere utilia, imo necessaria quasi inutilia, importuna vel damnosa dissuadebit. Herus ergo servum pigrum de opere non consulet, sed operari et sudare jubebit; Syrus : *Cum servo qui quærit defraudare dominos suos, ne sis illi consiliarius.*

15 et 16. SED CUM VIRO SANCTO (græce εὐσεβοῦς, id est *pio,* religioso) ASSIDUUS ESTO, QUEMCUMQUE COGNOVERIS OBSERVANTEM TIMOREM DEI : CUJUS ANIMA EST SECUNDUM ANIMAM TUAM, ET QUI CUM TITUBAVERIS IN TENEBRIS, CONDOLEBIT TIBI. — Syrus : *Cum viris justis esto habitans, quia ipsi timent peccare coram Deo; et cor eorum convenit cum corde tuo, et si malefacit tibi, animæ suæ ipse malefacit, et si benefacit, animæ* (conscientiæ) *suæ ipse benefacit; quia fidelitas ejus ipsa vivificabit eum, et ipse quoque fidelis sicut tu.* Hucusque docuit quibuscum non sint ineunda consilia; nunc docet quibuscum sint ineunda, nimirum cum viris sanctis et timentibus Deum. Hi enim nihil consulent nisi conforme timori et amori Dei : hujus enim sunt observantissimi. Unde illorum « anima est secundum animam tuam, » scilicet studiosa timoris Dei et salutis suæ, perinde ac tu studiosus es tuæ; quare si per tenebras ignorantiæ, imprudentiæ, cupiditatis, vel tribulationis « titubaveris, » græce πταίσῃς, id est *offenderis* vel *cecideris,* scilicet in aliquod peccatum, vel damnum, ex animo « condolebit tibi, » omnique consilio, ope et opera sublevare et solidare te conabitur. Unde Tigurina vertit : *Frequentes virum pium, quem noris observantem præceptorum Domini, cujus ad ingenium tuum accedat animus; et quem, si lapsus fueris, tui commiserescat.* Ita Lyranus, qui et addit : « Remotis impedimentis discretionis, hic consequenter ponuntur ejus promotiva; eaque quatuor, scilicet consilii sanitas (dum ait, cum viro sancto assiduus esto), verbi veritas, sapientiæ claritas, et repressa sensualitas. »

Vers. 15 et 16.

Qualis deligendus consiliarius.

Nota, *primo,* τὸ *assiduus esto;* græce ἐνδελέχιζε, id est *esto continuus,* non intermissus, assiduus, perpetuus : hic enim est ἐνδελεχὴς; et ἐνδελέχεια est assiduitas, perpetuitas, perennitas. Nam in re gravi non sufficit semel consultare, sed assidue cum viro probo de ea disserendum est. Rursus ut vir sapiens et sanctus suam sapientiam et sanctitatem tibi affricet et afflet, longa mora et assidua cum eo conversatione opus est; perinde ut qui frigidus aere calido calefieri cupit, assidue in eo versetur oportet.

Nota, *secundo,* τὸ *cujus anima est secundum animam tuam,* id est, *primo,* ut Tigurina : qui ejusdem tecum est indolis, propensionis, ingenii, judicii, animi; aut certe qui norit se suaque consilia tuo ingenio et indoli adaptare et conformare. In consilio enim, æque ac prudentia, maxime sectanda est ejus, cui consulitur, indoles et animus. Multi enim consilia dant in se bona, sed non convenientia indoli et animo consulentis, quæ proinde ipse fastidit, aut violenter exsequitur, ideoque in iis non perdurat, juxta illud :

Tu nihil invita facies dicesve Minerva.

Quare in consiliis maxime valet sympathia, ut consilium dans petenti similes habeat, aut assumat et induat affectus.

Secundo, Lyranus : « Cujus anima est secundum animam tuam, » id est, inquit, qui diligit te sicut seipsum, ut tecum sit quasi cor unum et anima una. Et Palacius : Qui tibi, inquit, est amicus; sive quem amat anima tua : hujus enim anima vicissim amabit te. Anima enim unius similis est animæ alterius in affectu, præsertim amoris vel odii. Quare si scire voles utrum aliquis te amet nec ne, pertenta et explora animum tuum, ac vide quomodo erga illum sit affectus; si sentias te erga illum amore affici, scito et illum te amore reciproco prosequi; sin tu illum odio habeas, et ille te odiet. Nam, ut in aqua facies reflexa similis est faciei directæ intuentis; sic cor hominis cordi alterius respondet. Unde *Proverb.* XXVII, 19, dicitur : « Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. » Hebræi ex Hebræo vertunt : *Sicut in ipsa aqua vultus vultui respondet, ita cor hominis cordi hominis respondet.*

Vers. 17. 17. COR BONI CONSILII STATUE TECUM : NON EST ENIM TIBI ALIUD PLURIS ILLO. — Est hypallage : « Cor boni consilii, » id est bonum consilium cordis tui assume, illique innitere; hoc enim tibi fidelissimum est. Est hic secundus consiliarius, *q. d.* Non tantum a viro sapiente et sancto, sed etiam a teipso et a corde tuo, pete consilium. Cor enim in primis tibi ipsi fidelius dabit consilium, quam quivis alius; deinde cor consilium tuæ indoli et affectui (hunc enim nemo melius cognoscit et sentit, quam cor tuum) maxime congruum dabit, vel minus congruum attemperabit : denique cor tuum pro te summe sollicitum multa adinveniet sibi convenientia, quæ alii nunquam invenerint. Unde Syrus vertit : *Cor viri lætabitur in via sua plus quam in divitiis sæculi.*

Cor est oraculum boni consilii. Aut proprie, *q. d.* Statue in teipso cor quasi tribunal, imo oraculum boni consilii; ut cum dubium quid faciendum sit occurrit, cor tuum, quid facto sit opus, consulas : ideoque in corde, quasi in tribunali causam undequaque diligenter et prudenter in omnem partem ventiles. Si enim hoc feceris, utique cor tuum tibi erit dictator optimi consilii; dictabit enim id quod summe tibi est conveniens, maximeque tibi utile, et in rem tuam. Ad hoc enim Deus dedit homini cor, id est rationem, mentem et prudentiam; ut illam sequatur, juxta illud *Psalm.* IV, 7 : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Ratio enim humana est quasi lux derivata a ratione æterna, quæ est in mente Dei. Idcirco enim creavit Deus hominem « ad imaginem et similitudinem » suam, *Genes.* I, 26; ut scilicet haberet domesticum hoc oraculum, quod in dubiis omnibus consuleret et sequeretur.

Unde Græca habent : *Consilium cordis, στῆσον*, id est *statue*, vel stabili, et stabile fac (alii, *stabile est : non enim est tibi fidelior*; Tigurina : *Institue consilium in animo; nihil enim est illo tibi fidelius.* Siracidi consentit Ben-Sira *alphabet.* 1, littera *schin* : « Sexaginta consiliarii si tibi fuerint, tamen consilium animæ tuæ non deseras. » Ubi Scholiastes : « Qui negotium, ait, aliquod aggreditur, licet multos habeat consiliarios, quibus arcana sua revelet, nunquam tamen spernat aut rejiciat consilium suum. Nam, ut ait Salomon : Cor novit amaritudinem animæ suæ, sed potius suam, tametsi placeat, appendat cum aliorum sententiis. Quæ si præponderet, sequatur, cæteras repudiet. » Nam stultum est adeo ab aliis pendere, ut nullum tuæ sententiæ locum relinquas. Prudenter Seneca : « Consilium tuum, inquit, sic apud alios sit, ut abs te auctoritatem accipiat; sic autem abs te auctoritatem accipiat, ne solus id probare videaris. Temeritas enim in assentiendo perniciosissima est. »

Efficacia. Porro, quam in rebus conficiendis efficax sit consilium, quamque viribus et robore corporis præstet, pluribus exemplis docet Homerus, *Iliade* ψ :

> Consilio sane multo, *inquit*, quam robore præstat,
> Hirsutam quicumque parat succidere silvam.
> Consilio rursum nauclerus in æquore nigro
> Dirigit undivagam navim raptantibus Austris,
> Consilio auriga aurigam vincitque præitque.

Gnomæ de vi consilii. Quocirca Aristoteles, lib. IV *Polit.* cap. IV, asserit consultores esse partem reipublicæ necessariam. Antonius, in *Melissa*, part. I, *serm.* 10, 11 et 12, citat has de consilii vi sapientum gnomas. Isocratis : « Bonus consultor res est omnium utilissima et potentissima. » Diodori : « Consilium prudens multorum manus superat. Sapiens robusto præstat; » Choricii : « Sine bono consilio nihil efficit robur; prudentia vero, quamvis robur non assumpserit, multa multoties excogitat. Prudens enim consultatio manuum multitudinem vincit; imperitia vero cum hominum turba deterior est. Sicut lupus licet unus non timet multas oves, sed omnes jugulat; sic et unus sapiens multos imprudentes non veretur, sed superat; » S. Basilii : « Robur cum prudentia juvatur, sine ea vero damno afficit possidentes. » S. Gregorii Nazianzeni : « Melior est consulta tarditas celeritate temeraria. Consilium, vitæ lucerna, ubique præeat; » S. Chrysostomi : « In singulis rebus quid eas antecedat, quid sequatur animadverte, et sic eas aggredere. » Denique Salomon, *Proverb.* XI, 14 : « Ubi non est gubernator, inquit, corruet populus : salus autem, ubi multa consilia; » et cap. XXIV, vers. 3 et 5 : « Sapientia ædificabitur domus, et prudentia roborabitur. Vir sapiens, fortis est; et vir doctus, robustus et validus. »

Tres regulæ e lectionis. Prima. Jam quia mens timidorum in propriis sibi diffidit et trepidat, oratione præmissa roboret se triplici hac norma et praxi. *Prima*, quid vir prudens in hoc casu judicaret faciendum? utique hoc et hoc. Illud ergo ipse capessam, mihique applicabo. Hac enim ratione non sequor meum, sed sapiens prudentis consilium. Hoc scrupulosis

suggerendum, qui non audent suis scrupulis reniti, ut scilicet faciant intrepide hoc quod vir prudens speculative judicaret tali casu faciendum.

Secunda. *Secunda,* si amicus meus meo loco et casu constitutus a me consilium posceret, quodnam ei darem? utique istud et istud. Idem ergo mihi dabo. Ita vice versa Livius Salinator, insignis bellator, asserebat « neminem fidelius dare posse consilium, quam eum qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit; »

Tertia. uti refert Livius lib. VII, *decade 4. Tertia,* quid in hora mortis, quid in die judicii, cum coram tribunali Christi rationem hujus operis redditurus sistar, hac in re me fecisse optabo? utique illud et illud. Idipsum ergo nunc eligam et peragam. Ita rationem Christo judici factorum meorum congruam dare potero, ac ab eo laudem lætamque felicitatis æternæ sententiam securus præstolabor. Denique quia nunc ignorantia, nunc amor proprius et cupiditas sæpe hominem excæcant, tutius est, quoad fieri potest, sincerum aliorum prudentum adhibere consilium, juxta illud *Prov.* III, 5: « Ne innitaris prudentiæ tuæ; » nam, ut ait Plutarchus in *Moral.*: « Ut lamiæ, domi cæcutientes, foris nihil non vident; ita quidam, in alienis negotiis plus satis oculati, in suis parum prospiciunt. »

Vers. 18. Anima sancti enuntiat vera: cur? 18. ANIMA VIRI SANCTI ENUNTIAT ALIQUANDO VERA, QUAM (id est plusquam) SEPTEM CIRCUMSPECTORES SEDENTES IN EXCELSO AD SPECULANDUM. — Τὸ *sancti* jam non est in Græco, sed utique addendum est. Probat quod dixit versu præcedenti. Unde Græca addunt γάρ, id est *nam, enim.* Igitur sensus est, *q. d.* In dubiis præter consiliarios adi consilium cordis tui; siquidem sapiens et probum est, illudque consule. Nam anima viri sapientis et sancti enuntiat non raro verum, præsertim practicum, quid scilicet agendum sit, melius « quam septem, » id est multi speculatores e specula videant et annuntient ea quæ circumcirca geruntur. Item mystice, quam multi doctores qui sedent in cathedris ut circumspiciant, id est speculentur, veritatem, eamque auditoribus enuntient. Hoc est (inquit Jansenius), nemo melius consulere (ut plurimum) potest, quam quisque sibi ipsi, si modo Deum timeat. Hic explicat cor consilii, de quo versu præcedenti, *q. d.* Dices : Quomodo cor boni consilii nanciscar? Respondeo : Si animam sanctam habueris; hæc enim solet annuntiare vera, plusquam septem circumspectores, qui ex alto solent terram circumspicere et lustrare. Hunc esse sensum patet ex Græcis quæ sic habent : *Animus enim hominis plura quandoque renuntiare solet, quam septem speculatores sedentes in excelso speculæ*; Tigurina : *Solet enim interdum plura monere suus cujusque animus, quam septem in celsa specula sedentes excubitores.* Quanquam noster Interpres, addens τὸ *sancti,* videtur respexisse ad id quod dixit versu 15 : « Cum viro sancto assiduus esto; » quia scilicet anima sancta enuntiat vera, etc.

Causa est quod Deus animas sanctas peculiariter illustret, regat et dirigat. Imo Aristoteles, lib. VII *Moral. Eudem.* cap. XVIII, asserit principium motus in anima esse Deum : « Itaque, inquit, horum qui prudentes sapientesque sunt, celeris est vaticinatio et durabilis; » non quod in anima, præsertim epileptici aut moribundi, sit fatidicum quid, sive vis divinandi arcana et futura, ut voluit Plato; sed quod in ea sit solertia et vis sapienter consulendi et conjectandi. Si enim (quod a Philosophis dicitur) animalia bruta diriguntur ab intelligentia non errante, ut araneæ, hirundines, etc., quanto potius animæ sanctæ ab ea dirigentur! At si dirigatur a Deo, num non magis verum videbit quam septem speculatores? Jam solet dici cor esse fidele, quod videlicet homini soleat id quod expedit consulere. Tu interim nota, inquit Palacius, licet anima sancta soleat vera dicere, et cor soleat fideliter consilium præbere; at nihilominus vult Deus ultra sanctitatem adhiberi lectionem, experientiam et observationem, ut bene consulas. Nam ideo juvenes, quamvis boni, minus idonei sunt dandis consiliis. Respondeo quia regitur a Deo.

Maxime autem vult Deus inferiores consulere suos Superiores; hi enim quasi vicarii Dei eos illuminant et dirigunt, præsertim Religiosos, qui voto obedientiæ Superioribus se obstrinxerunt. Obedientia enim hanc directionem meretur, ut scilicet obediens, qui amore Dei Superiori se regendum tradit, ab eo, Deo dirigente, rectis consiliis et præceptis dirigatur ad salutem et vitam æternam.

Mystice Rabanus : « Septem, inquit, circumspectores philosophi, liberalium artium (quæ in septenario numero ab ipsis comprehenduntur) sunt traditores; sed magis vera esse in omnibus claret catholici viri modesta doctrina, quæ in divinis libris consistit, quam omnis philosophorum multiplex in disputando et in argumentando solertia. In hac enim paucis et puris sermonibus irreprehensibilis per omnia elucet veritas; in illa vero in exquisitarum rerum oberrans opinio garrula loquacitate, imo manifesta apparet falsitas. Sed quia omnis sapientia a Domino Deo est, nec illam quisquam sine ejus munere habere potest, ideo subjungit dicens : Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. » Mystice.

Exemplum hujus sententiæ illustre fuit S. Franciscus, qui, ut, ait Bonaventura in Vita ejus, quia Sanctus, ita illuminabatur a Deo, ut licet theologiæ scholasticæ esset expers, de theologicis tamen quæstionibus difficilibus consultus, melius et divinius eas enodaret, quam summi Theologi. Idem christianis Damiatam obsidentibus, et conflictum cum Saracenis parantibus, eum prohibuit, ac, si confligerent, prædixit eorum stragem; quæ et illis, Francisco, utpote in speciem abjecto et pauperi, non credentibus, nec parentibus, accidit : nam tota in fugam versa fuit mi- Exemplum Francisci.

tia christiana, ac sex millia cæsa vel capta : « In quo evidenter innotuit, » ait S. Bonaventura, cap. XII, « quod spernenda non erat sapientia pauperis; cum anima viri justi enuntiet aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. » Similia de S. Antonio scribit S. Athanasius in ejus Vita, et de S. Hilarione S. Hieronymus, ac de aliis Sanctis similia narrantur in *Vitis Patrum*; adeo ut multi ex eis non tantum sapienter conjectando, sed et vere divinando, ac futura prophetando, vera prænuntiarint, fuerintque veri et proprie dicti vates et Prophetæ.

Origo prædicandi est sanctio cum Deo.

Cujus doni fons et origo fuit, quod ipsi assidue per diem et noctem in oratione cum Deo versabantur, ibi ejus secreta et gloriam pervidebant. Elevantes enim a cunctis terrenis mentem in cœlum, terram pedibus premebant, ac mortalibus altiores, in Deo fixi, ejus arcana quasi secretarii audiebant, et vere cernebant. Hunc donum prophetiæ assequendi modum et viam assignat S. Basilius, *Prœmio in Isaiam* : « Prophetarunt, inquit, puræ ac pellucidæ animæ, veluti specula facta divinæ operationis, quæ imaginem integram et inconfusam, nullaque ex parte turbatam carnis affectibus repræsentabant. Cum enim anima omni virtutis studio dedita, vehementi in Deum amore perpetuam Dei memoriam sibi impressam servat, atque hac re primum apparat sese, ut Deum habeat velut inhabitantem, ex vehementissima in Deum intentione et arcano amore, numine afflata, digna prophetiæ dono redditur, Deo divinam virtutem impertiente, animique oculos aperiente ad intelligendas quas velit speculationes. » Et S. Maximus, Centur. I *De charit.* cap. XCV : « Quemadmodum, ait, sol exoriens et mundum illuminans, cum seipsum, tum res a se illuminatas demonstrat : ita quoque sol justitiæ purgato animo exoriens, et seipsum videndum exhibet, et rerum quæ a se factæ sunt, et deinceps fient, rationes demonstrat. » Hoc ergo illustre prophetiæ donum, uti puritate et oratione consecuti sunt prisci illi Ascetæ : ita illud vicissim eorumdem eximiæ sanctitatis et cum Deo conjunctionis fuit argumentum, eos scilicet fuisse viros eximios et divinos, imo angelos terrestres, et homines cœlestes. Nam, ut ait Tertullianus, *Apolog.* cap. XX : « Testimonium divinitatis, est veritas divinationis. » Quin et ipse Deus de sua divinitate cum idolis et idololatris, quasi in judicio forensi contendens, *Isaiæ* XLI, 23, ut illam eis deroget, sibique arroget, non alia quam hac demonstratione rem conficit, causamque suam peragit : « Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos, » *q. d.* Ego prænuntio futura, illaque uti prænuntiavi plane eveniunt : vos, o idola, imo dæmones, futura prænuntiatis quæ non eveniunt; ergo ego sum Deus verax et verus, vos estis dii mendaces et falsi; uti fuit Apollo Pythius, qui inde Loxias, ob obliqua et tortuosa responsa, est appellatus. Fuere itaque Ascetæ divini Dei auditores et interpretes, quia Deo familiares et arctissime conjuncti. Vere enim S. Bernardus, lib. *De Inter. domo*, cap. LXIX : « Certum, ait, signum, tibi sit, quæcumque es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem nondum sequi merueris. Vis nosse, quia sublimitas divinarum revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? Jam non dicam, ait, vos servos, sed amicos; quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis. » Satage ergo Deum tuum intime et summe diligere, et omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare. Collige, o anima, teipsam ad temetipsam, et in solo divinitatis desiderio requiesce.

Modus assequendi donum prophetiæ.

Hac enim ratione posterioribus a Christo sæculis multi Religiosi, Anachoretæ et Sancti spiritum propheticum adepti sunt. Audi Ruffinum oculatum testem, *Præfatione in Vitas Patrum*, lib. II : « Vidimus, ait, apud eos multos Patres cœlestem vitam in terra agentes, et novos quosdam Prophetas, tam virtutibus animi, quam vaticinandi officio suscitatos, quibus ad testimonium meritorum, nec signorum quidem ac prodigiorum deerat efficacia. Tanta namque in eis est fides, quæ etiam montibus ut transferantur valeat imperare. Sunt ergo moribus ornati, quieti, lenes, tranquilli, et charitatis vinculo velut quadam germanitate constricti. » Hoc modo S. Benedictus, uti refert S. Gregorius, lib. II *Dialog.* cap. XXXV, in oratione ita mente in Deum fuit elevatus, ut sub eo videret totum mundum, quasi parvum globum in radiis solis collectum. Quærenti Petro, quomodo id fieri potuerit? respondet S. Gregorius causamque et modum assignat, dicens : « Quia videnti Deum angusta est omnis creatura, » et mens S. Benedicti in Deo dilatata, sub eo mundum quasi globum exiguum vidit; nimirum ex alta illa divinitatis specula a longe illa per ænigma prospexit, quæ jam proxime in eadem facie ad faciem intuetur. Ita prophetavit Henoch omnium nostrum parens, septimus ab Adamo; quia cum Deo ambulabat. Ita Moses factus est Propheta incomparabilis; quia in Sina cum Deo colloquebatur. Ita S. Martinus illustrem prophetiæ spiritum hausit ex alloquio Dei; quia jugiter cum eo versabatur, uti testatur Sulpitius in ejus Vita.

Exempla.

19. ET IN HIS OMNIBUS DEPRECARE ALTISSIMUM, UT DIRIGAT IN VERITATE VIAM TUAM. — Tertius hic est, summusque consiliarius, aliorum omnium auctor et director, scilicet Deus.

Vers. 19.

Primus enim est vir sanctus, de quo vers. 15; *secundus* est, cor cujusque sapientis et justi, de quo vers. 17; *tertius* hoc loco est Altissimus, qui idcirco invocandus est, ut et viro sancto, et cordi proprio consilia sana suggerat, eaque diri-

Tres hominis consiliarii.

gat in veritate, ut careant errore, imprudentia et vitio, utque sancte exsecutioni mandentur, et felicem sanctumque sortiantur effectum. Idcirco deprecabatur Christus Patrem in agonia, dicens: « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, » *Matth.* XXVI, 39. Ergo, inquit Palacius, velut obstringitur Deus ad præstandum quod petimus, si non voluntatem nostram, sed veritatem divinam petimus. Ita Tobias monet filium, cap. IV, 20 : « Omni tempore benedic Deum : et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. » Hinc Tigurina hoc loco vertit : *Cæterum super his omnibus invoca Altissimum, ut instituta tua dirigat fideliter;* Græca Complutensia habent : *Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat veritas viam tuam : veritas,* tum increata, puta Deus; tum creata et a Deo menti infusa, puta sapientia et prudentia. Alludit ad precem Davidis, *Psalm.* XXIV, 5 : « Dirige me in veritate tua, et doce me : quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die. » Unde Syrus hoc loco vertit : *Et cum omnibus his esto deprecans Dominum, ut ipse dirigat viam tuam in veritate coram hominibus, et coram omni re.*

A Deo incipe. Docet ergo Siracides actiones omnes, et præsertim consilia inchoanda esse a Deo. Ita Moses gubernans Israelem in dubiis omnibus, antequam ea resolveret, consulebat Dominum. Idem jussu Dei fecit Josue Mosis successor; et cum id facere omisit, deceptus fuit a Gabaonitis, *Josue,* IX, 14. Quocirca Isaias, cap. XXX, 2, Judæis fugientibus in Ægyptum Deo inconsulto, ignominiam et exitium minatur. Hinc olim multis in locis apud christianos senatores ituri in curiam, prius sacrificio Missæ intererant; unde etiamnum sacella curiæ vicina vel annexa, ac beneficia onusque sacrificandi quotidie iis impositum, nonnullis in urbibus intuemur. Idem videre et fecere Gentiles. Unde Plinius, initio *Panegyrici* : « Bene ac sapienter, ait, majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus caperetur; quod nihil rite nihilque providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. » Horatius, lib. III, *ode* 6 :

Hinc (*a Deo scilicet*) omne principium, huc refert exitum.

Gellius, lib. XIV, VII, ex Varrone docet : « Immolare nostiam prius, auspicarique debuisse, qui senatum habiturus esset; de rebus quoque divinis prius quam humanis ad senatum referendum fuisse. » Et de Scipione, lib. XXVI, Livius : « Jam inde ab initio præparans animo, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in capitolium iret, ingressusque ædem consideret, et plerumque tempus solus ibi tereret. » Omnia ista respicit, lib. III *De Civit. Dei,* cap. XXI, S. Augustinus, cum dixit : « Scipionis, qui Romæ Italiæque liberator, Hannibalis victor, Carthaginisque domitor fuit, adolescentiam vitamque describi diis deditam, templisque nutritam. »

20. ANTE OMNIA OPERA VERBUM VERAX PRÆCEDAT TE, ET ANTE OMNEM ACTUM CONSILIUM STABILE, — Vers. 20 puta consilium non futile, sed firmum et solidum. Pro *verbum verax,* græce tantum est, λόγος, id est *sermo, verbum,* vel *ratio.* Unde sic habent Græca : Ἀρχὴ παντὸς ἔργου λόγος, καὶ πρὸ πάσης πράξεως βουλή : *Principium omnis operis verbum, et ante omnem actum consilium.* Jam *primo,* Lyranus per *verax verbum,* intelligit veracitatem et fidelitatem in promissis et responsis : « Et ante omnem actum » præcedat « te consilium stabile, » scilicet sapientum et S. Scripturæ. *Secundo,* Vatablus vertit : *Summa* (ἀρχὴ enim et principium, et præcipuum summumque significat) *omnis operis sermo est,* vel *esto* sermo, id est *verbum verax;* quod Palacius sic apposite exponit, *q. d.* Antequam negotio manum adhibeas, cura ut aliquod proverbium verax, aliquam sententiam probatam, aliquod consilium experimento comprobatum præ oculis habeas, quod in negotio sequare. En tibi ratio capiendi consilium, *primo,* ab amico et viro sancto; *secundo,* a corde tuo; *tertio,* a Deo; *quarto,* a verbo aliquo veraci. Sic Christus, *Matth.* IV, 4 et seq., a dæmone tentatus nihil omnino aggreditur, nisi præmisso verbo veraci et consilio firmo; dicebat enim : « Non in solo pane vivit homo; » et : « Non tentabis Dominum Deum tuum; » et demum : « Dominum Deum tuum adorabis. » Ita et tu nil il aggredere, nisi ex similium sententiarum præcepto. In quam rem mire conducunt hi libri Sapientiales; proverbia item philosophorum et majorum.

Tertio, Tigurina vertit : *Initium operis sit ratio, et consilium præcedat omne negotium.* Sic et Rabanus et Jansenius per *verbum,* tum vocale, tum mentale, quod est ratio, intelligunt; ut idem hic dicatur cum eo quod dixit cap. XXXII : « Fili, sine consilio nihil fac. Verbum verax » enim est consilium rectum, et judicium practicum prudentiæ, sive prudens. Sensus ergo est : Ante omnia opera tua et omnem actum præcedat te verbum verax, quo certis rationibus discas, sive in te ipso, sive ex aliorum consilio facti tui rationem. Idem vocat « consilium stabile, » quod scilicet firmis nititur rationibus, et stabili animo sit exsequendum. Non enim omne verbum et consilium sequendum, sed quod veritate fulcitur et firmis rationibus.

Gnome S. Thomæ Aquinatis. Conformis huic sententiæ fuit gnome S. Thomæ Aquinatis, qui moribundus rogatus a monachis Cisterciensibus Fossæ Novæ : « Quomodo hæc vita sine errore et lapsu transigi posset? » respondit : « Si in qualibet actione quis ita agat, ut rationem reddere possit cur eam faciat : sic enim non sinet se transversum agi a cupiditate, passione, casu, aliave re, quæ eum in errorem inducat. » Hanc rationem actionum singularum,

camque exactam ab unoquoque Christus exiget in terribili illo et decretorio ultimi judicii die.

Vers 21. 21. VERBUM NEQUAM IMMUTABIT COR : EX QUO QUATUOR PARTES ORIUNTUR, BONUM ET MALUM, VITA ET MORS : ET DOMINATRIX ILLORUM EST ASSIDUA LINGUA. — Syrus paulo aliter : *Dominus*, inquit, *creavit omnia, bonum et malum, vitam et mortem : et qui dominus est linguæ suæ, liberabitur a malo.* Pro *verbum nequam immutabit cor*, Græca prorsus alia habent, ac mire inter se variant, ut corrupta esse non sit dubium. Nam Complutensia habent : *Vestigium mutationis* χαρᾶς, id est *gaudii vultus, q. d.* Signum quod cor mutatum sit a gaudio in mœrorem, vel vice versa a mœrore in gaudium, apparet in vultu : vultus enim hilaris et gaudens, index est animi hilaris et gaudentis; vultus vero tristis et tetricus, index est animi tristis et tetrici. Græca vero Romæ emendata habent duntaxat : *Vestigium mutationis cordis ;* ubi planum est desiderari nomen *vultus* aut aliud simile, quod sit *vestigium mutationis cordis.* Tigurina cum Romanis pro χαρᾶς legens καρδίας, id est *cordis,* sic habet : *Indicium mutationis cordis est vultus :* nam ira, amor, odium, tristitia, gaudium, cæterique affectus cordis et animi, eorumque mutationes et vicissitudines maxime cernuntur in oculis et vultu. Unde illud S. Bernardi, *De Modo bene vivendi ad sororem*, cap. LXV : « Facies hominis speculum est cordis. » Quocirca uti constat tius, ita aptius certiusque legunt latini codices omnes Vulgatæ : « Verbum nequam immutabit cor ; » *verbum nequam* vocat consilium pravum verbo prolatum, quod cor audientis et consilium petentis immutat, id est depravat et ex bono in malum convertit. Hoc enim opponit verbo veraci et consilio stabili, quod ante opus præ oculis habendum esse monuit versu præcedenti. Porro quantum hoc sit malum, quantaque cordis sit habenda cura, ne verbo nequam depravetur, ostendit, dum subjicit : « Ex quo (corde) quatuor partes oriuntur, bonum et malum, vita et mors, » *q. d.* Custodi cor, ut non audiat, nec excipiat nisi verbum verax et consilium stabile, quia ex eo quasi ex bono semine producet bona virtutum opera, quæ pariant ei præmium vitæ felicis, præsentis et æternæ : si enim audierit et exceperit verbum nequam, et consilium pravum, ex eo quasi ex malo semine producet malorum operum fructus, qui ei pœnam creabunt, scilicet mortem præsentem et æternam. Alludit ad *Prov.* IV, 23 : « Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. » Unde et subdit Siracides : « Et dominatrix illorum est assidua lingua. » Τὸ *assidua* cohæret cum τῷ *dominatrix*, non *cum lingua* (licet id velit Hugo : « Assidua dicit, inquit, quia lingua semper declinat in illam partem, cui fuerit assueta, ») ut patet ex Græcis, quæ habent, *dominatrix eorum* ἐνδελεχῶς, id est *assidue,* continenter et perpetuo *est lingua*. Tigurina : *Et quatuor existunt genera, bonum et malum, vita et mors, quorum lingua assidua gubernatrix est.* Lingua enim docens consulensque bona bonos affectus instillat cordi audientis, ex quibus bona opera producit, quæ ei pariunt vitam gratiæ et gloriæ : lingua vero docens consulensque mala, malos affectus ingenerat cordi audientis, ex quibus ille parit mala opera, quæ ei creant mortem peccati et gehennæ. Vide ergo ut verbum nequam immutet cor. Cum enim ex corde oriantur hæc quatuor, scilicet bonum et malum, vita et mors, sicut ex paradiso oriebantur quatuor flumina; cumque lingua regat cor, sequitur ex lingua quasi ex primo fonte oriri hæc quatuor, scilicet bonum et malum, vitam et mortem, adeoque linguam horum quatuor esse gubernatricem et dominatricem. Adeo orationi ratio, ori cor est conjunctum. Unde concludendum relinquit : Cave ergo ne verbum nequam haurias, multo minus illud aliis ingeras et instilles, quia hujus effectus erit actio nequam, præmium vero erit mors : stude vero ut verbum bonum haurias, illudque aliis enunties et instilles, quia ejus effectus et quasi proles erit actio bona, præmium vero erit vita, tum tua, tum tuorum, quibus verbum bonum instillasti.

Nota : Actus boni et mali oriuntur ex corde physice et effective; vita vero et mors ex eodem oriuntur ethice sive meritorie. Cor ergo sicut in homine est primum vivens, et ultimum moriens, sic pariter idem est fons, origo et causa omnium actionum vitalium, tum naturalium, tum moralium, tum supernaturalium. Per *cor* intellige animum. Huc facit illud *Prov.* XVIII, 21 : « Mors et vita in manu linguæ : qui diligunt eam, comedent fructus ejus. » Et illud Græcorum adagium, quod refertur a Suida et Zenodoro : « Lingua, quo pergis? Erectam civitatem, eamdem denuo eversura. » Hinc Bias, Amasidi Ægyptiorum regi jubenti, ut sibi quod in victima, quam ad illum miserat, erat optimum et pessimum, remitteret, linguam rescissam remisit, innuens linguam esse causam omnis boni æque ac mali. Ita Plutarchus, tract. *De Loquacitate.*

EST VIR ASTUTUS (græce,) πανοῦργος, id est *callidus, vafer*) MULTORUM ERUDITOR, ET ANIMÆ SUÆ INUTILIS EST. — Hic versus legitur in Romanis et Græcis; sed desideratur in Jansenio, Lyrano, aliisque passim. Sensus est, *q. d.* Astutus, qui alios docet bene agere, cum ipse mala agat, hic aliis utilis, sibi inutilis, ideoque insipiens est; non enim sapit, qui sibi non sapit. Tigurina : *Est qui prudens multos erudiat, qui idem animæ suæ sit inutilis.* Hic aliis est bonus, sibi ipsi nequam. Nam vera scientia et prudentia non in speculatione et doctrina, sed in praxi et operatione consistit. Et ut aiebat S. Franciscus : « Tantum habet homo de scientia, quantum operatur; et religionis tantum est bonus orator, quantum operator, » uti refert Waddingus in *Annal. Minor.*, anno Christi 1220, num. 25. Porro Syrus pro versu jam citato

cato nunc habet : *Omnis qui sapere sibi videtur, ipsemet stultus est.*

Vers. 22. 22. VIR PERITUS MULTOS ERUDIVIT, ET ANIMÆ SUÆ SUAVIS EST. — Est antithesis versus præcedentis. Nam opponit *peritum*, id est sapientem, expertum et prudentem astuto, quod astutus alios erudiat, non seipsum; unde aliis utilis, sibi inutilis est : peritus vero et sapiens alios ita erudit, docetque bene agere, ut simul seipsum doceat et dirigat, æque ac recreet, pascat et oblectet sua sapientia; quare aliis utilis, sibi vero et utilis et suavis est. Delectat enim eum quod sapiat, quodque alios sapientes et sanctos efficiat.

Nota : Siracides, vers. 15 et 16 et sequent., duas in consiliario conditiones et dotes requisivit : *primo*, ut sit vir sanctus; *secundo*, ut cum eo cui consulit, habeat sympathiam; hic *tertio* requirit, ut quod ore consulit, opere demonstret. Homines enim magis credunt operi quam ori; et quia si secus faciat, aliis consulit, sibi non consulit, quare aliis consiliarius est, sibi non est, quod præposterum est magnæque imprudentiæ. Subdit *quartum*, ut non sit sophista. Unde ait :

Vers. 23 et 24. 23 et 24. QUI SOPHISTICE LOQUITUR, ODIBILIS EST : IN OMNI RE (Complutensia habent, *omni sapientia;* Romana, *omni alimento*) DEFRAUDABITUR; NON EST ILLI DATA A DOMINO GRATIA : OMNI ENIM SAPIENTIA DEFRAUDATUS EST. — Ita Romana. Sic quoque hæc verba citat S. Augustinus, lib. II *De Doctr. Christian.* cap. XXXI. Pro *qui sophistice loquitur*, græce est, ὁ σοφιζόμενος ἐν λόγοις, quod Complutensia vertunt : *Sophisticans in sermonibus;* Romana vero : *Qui sapientiam ostentat in sermonibus*, ati solent Sophistæ; Tigurina : *Est qui verbis agens sapientem sit odiosus, qui idem omni sapientia careat;* Syrus : *Est enim qui sapiens est, et in discursibus suis odio habetur; ab omni honore impedit seipsum. Est enim sapiens qui semper est sapiens.*

Porro S. Augustinus, loco jam citato, requirens in studioso sacrarum Litterarum ut sit dialecticus, non sophista : « Tantum, inquit, ibi cavenda est libido rixandi et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus attentos decipiant. Proposuit enim quidam dicens ei (Diogeni Cynico) cum quo loquebatur : Quod ego sum, tu non es. At ille consensit. Verum enim erat ex parte, vel eo ipso quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit : Ego autem homo sum. Hoc quoque cum ab illo accepisset, concludit dicens : Tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est : Qui sophistice loquitur, odibilis est. Quanquam etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantius quam gravitatem decet, verborum ornamenta consectans, sophisticus dicatur. » Hucusque S. Augustinus.

Sophisma recitatum S. Augustini.

Ad sophisticam pertinent cornutæ argumentationes et syllogismi, qualis est ille Chrysippi apud Senecam, *epist.* 49 : « Quod non perdidisti, habes : cornua autem non perdidisti; cornua ergo habes. » Et captiones inextricabiles, quales sunt illæ crocodili, quem aiunt raptam a se puellam devorare cupientem, ea lege matri se promisisse redditurum, si mulier verum diceret, quidquid ipse de reddenda puella constituisset : ἄπορος, omnino captio. Nam si mulier respondisset : « Reddes, » quia reddere ipse non statuisset, vera non dixisset : contra si dixisset illa, « non reddes, » reddere non debuit, alioquin vera non fuisset responsio; quidquid igitur illa diceret, crocodilus non fuisset redditurus. Quintilianus, lib. I, cap. X, hoc genus ambiguitates Crocodilinas vocavit; nominari etiam πρίονα quidam monent. Simile est illud Protagoræ de quo Agellius, lib. IV *Noct. Attic.* cap. X. Paria scribit de Corace, qui mercedem ab adolescente repetebat, Sextus Empiricus adversus Mathematicos. Talibus utitur dæmon, qui Evam omnesque homines suis sophismatibus decipere et capere satagit. Unde S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 14, dæmonem vocat « sophistam struendæ malitiæ primarium. » Et S. Basilius, *homil.* 22 : « Primum et maximum et invisum humanæ sapientiæ sophistam. » Et Rupertus, lib. III *in Gen.* : « Odibilium sophistarum maximum. »

Cornuti syllogismi : qui ?

« Huic « simile, » inquit Lactantius, lib. VI *De Falsa sapientia*, cap. VI, est illud quod in scholis proponi solet in asystati generis exemplum, somniasse quemdam ne somniis crederet. Si enim crediderit, tum sequitur, ut credendum non sit. Ita si nihil sciri potest, necesse est idipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur posse nihil sciri, falsum est ergo quod dicitur, nihil sciri posse. Sic inducitur dogma sibi ipsi repugnans, seque dissolvens. » Hi sunt nodi Gordii captiosi et quasi insolubiles. Simile est illud apud Ciceronem, lib. IV *Academ.* : « Si dicis te mentiri, verumque dicis, mentiris : dicis autem te mentiri, verumque dicis; mentiris igitur. » At qua ratione potes mentiendo verum dicere, sive mentiri et simul verum dicere? Huc pertinet illud Davidis, *Psal.* CXV, 11 : « Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax. Cui responderi potest » (inquit S. Gregorius, lib. XXII *Moral.* cap. X, ex mente Sophistarum) : « Si omnis, ergo et tu; falsaque jam erit sententia, quam mendax ipse protulisti. Si vero ipse non es mendax, vera jam sententia non erit, quia dum tu verax, non omnis homo cognoscitur mendax. » Et de Cretensibus loquens D. Paulus ita scribit *Tit.* I, 12 : « Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum Propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri; testimonium hoc verum est. » Atqui hic Propheta fuit Epimenides, poeta Cretensis; ergo et ipse fuit mendax. Si mendax, quomodo testimonium ejus verum est? Plura recenset Scotus et Dialec-

Exempla.

tici, tract. *De Insolubilibus*. Illa tamen ex S. Scriptura solubilia sunt, uti ea suis locis resolvi.

Discrimen sophistæ et sophi.

Sophistæ ergo a sophis, id est sapientibus, distinguuntur : *primo*, quod sophistæ suam ostentent sapientiam, ut habeantur sophi; sapientes vero modeste suam sapientiam celent, vel ubi opus est proferant. Unde sophistæ a Plinio vocantur Sophocles, ἀπὸ τοῦ σοφοὺς καλεῖσθαι, quod sapientes vocari velint, cum revera non sint. Esto Sophocles poeta dictus sit quasi σοφῶν κλέος, id est *sapientum decus et gloria*. *Secundo*, sophistæ sapientiæ suæ, utpote modicæ et minus solidæ, lenocinia orationis adhibent, eamque fucant pompa verborum et phalerata eloquentia; unde Protagoras, Libanius similesque oratores, vocati sunt sophistæ; quia eorum sapientia non erat realis, sed « sapientia verbi, » ut ait Paulus I *Cor.* I, 17. Sapientes vero candido, puro et simplici sermone suæ mentis conceptus, suamque sapientiam enuntiant. *Tertio* et proprie, sophistæ captiosis, ambiguis, implexis et fallacibus verbis et ratiociniis illaqueant et decipiunt auditores, eosque capere, et in errorem inducere conantur; sapientes vero per rationes demonstrativas vel probabiles, puram veritatem indagant, suisque discipulis proponunt. Porro sophistæ multi erant e philosophis et oratoribus tempore Siracidis, quos hic ipse quasi sui æmulos perstringit. Simili modo S. Paulus perstringit sui ævi sophistas, Apostolorum æmulos, ut Apollonium Tyanæum, Epictetum, Dionem, Damym, Musonium, cæterosque qui fideles a Christo et Apostolis ad se ostentatione sapientiæ, præsertim ethices prætextu, et promissione vitæ honestæ et beatæ, traducere conabantur, uti dixi I *Cor.* I, 20. Quin et « Socrates, ait Plato in *Euthydemo*, cum duobus fratribus sophistis, et, ut illi sunt, contumeliosis disputans, quasi cum duobus monstris unus congressus, cum illi probro objiceret Dionysodorus, quod fugeret, neque ad interrogata responderet, respondit : Non injuria fugio. Nam cum alterutri sim impar, cur non fugiam ambos? Equidem Hercule multo sum imbecillior; qui tamen pugnare pariter non voluit et adversus hydram sophistriam, cui propter sapientiam pro uno sermonis capite amputato multa repullulabant, et adversus cancrum sophistam quemdam e mari profectum. » Mordaci videlicet allegoria Socrates e fratribus sophistis alterum hydram, alterum cancrum nominat, se vero Herculem. Atque hinc proverbium : « Ne Hercules quidem contra duos. » Idem Socrates Euclidi contentiosarum quæstionum admodum studioso : « Sophistis, inquit, o Euclides, uti poteris, hominibus uti non poteris, » perinde ac si sophistæ vulpes vel simiæ essent, non homines.

Primo. Secundo. Tertio.

Sensus ergo est, *q. d.* Consiliarius, doctor vel quilibet alius qui « sophistice, » id est captiose, ambigue, insidiose, deceptorie « loquitur, » hic « odibilis est » Deo, angelis et hominibus, quibus chara est veritas, simplicitas, fidelitas; ac proinde ab iis explosus » omni re, » id est omni honore et lucro adeoque alimento, ut habent Græca Romana, quod per sophisticen suam quæsivit, *defraudabitur*. Impostor enim et sophista, cum agnoscitur ejus fraus, hypocrisis et deceptio, pro honore ignominiam, pro lucro sibilum reportat. « Non est » enim « illi data a Domino gratia, » id est non est datum ei a Deo, ut gratiam inveniat in oculis hominum, eisque sit gratus et gratiosus : quia « omni *vera* sapientia defraudatus, » id est privatus expersque est. Significat sophistas, licet initio ostentando suam sapientiam et eloquentiam, hominum gratiam sibi concilient; mox tamen ubi eorum sophismata et sophisticæ fraudes reteguntur, eam deperdere, ac pro gratia odium omnium incurrere : cum ex adverso sapientes initio, utpote minus cogniti, parvi fiant : at ubi eorum sapientia perspicitur, magni ab omnibus habentur : ac sicut sapientia, sic et honor eorum solidus et perennis est. Sunt enim instar piperis, quod quo magis teritur, eo majorem calorem, odorem et ignem exhalat.

Sapiens est piper.

Moraliter hic disce, doctori et consiliario duo esse necessaria, ut honoratus et locuples evadat, scilicet veram sapientiam et Dei gratiam; atque sapientiam conciliare sibi Dei gratiam. Deus enim sapientes provehit ad honores et opes.

Denique maxime sophistæ sunt hæretici, qui per sophisticas cavillationes fidem evertere, et fideles decipere ac pervertere satagunt : unde ipsi omni Dei gratia ac sapientia privati sunt, ideoque odibiles Deo, angelis et hominibus. Ita Rabanus.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE SAPIENTIÆ FRUCTIBUS ET PRÆMIIS.

25. EST SAPIENS, ANIMÆ SUÆ SAPIENS : ET FRUCTUS SENSUS ILLIUS LAUDABILIS. — Sophistæ opponit sophum, id est vere sapientem, *q. d.* Sophista non est, sed videtur imperitis sapiens : at sophus non tantum videtur, sed revera est sapiens : quia ante omnia animæ suæ consulit, sibique sapit, dum animam suam vera sapientia et virtute implet et adornat, deinde sapientiam suam aliis communicat : quare « fructus sensus, » id est mentis et intelligentiæ ipsius, est « fidelis, » ut habent Romana, id est sincerus, firmus et solidus; quia mentem pascit veritate et virtute, ideoque gratus

et laudabilis est hominibus, æque ac Deo et angelis. Unde Græca Complutensia habent : *Est sapiens propriæ animæ, et fructus intellectus ejus in ore* (dum loquendo eam aliis communicat) *laudabiles;* Tigurina : *Est qui animæ suæ sapiat, cujus in ore laudabiles sint fructus prudentiæ* : legit cum Nostro et Complutensibus αἰνετοὶ, id est *laudabiles,* pro quo Romani legunt πιστοὶ, id est *fideles;* alii : *Est sapiens animo proprio, ejusque intelligentiæ fructus in ore laudabiles sunt.* « Quoniam, ait Rabanus, ea quæ Deo sunt placita mente tractat, lingua profert, et utili operatione exercet. » Syrus : *Fructus sapientum animabus eorum, et est sapiens qui animæ suæ* (vel sibiipsi) *est sapiens, et fructus operum ejus ex aspectu faciei ejus.*

Vers. 26. 26. VIR SAPIENS PLEBEM SUAM ERUDIT, ET FRUCTUS SENSUS ILLIUS FIDELES SUNT. — Est hæc secunda antithesis sophistæ et sophi, sive sapientis : sophista enim uti animam suam, sic et populum decipit et deludit; at vero sapiens non tantum animæ suæ, id est sibiipsi, sapit; sed et plebem, vel sibi concreditam, vel in qua degit et habitat, erudit docetque verbo et exemplo, ut honeste, juste et pie vivat : et « fructus sensus, » græce συνέσεως, id est *intelligentiæ* et doctrinæ ipsius, non sunt labiles, ut statim evanescant instar doctrinæ sophistarum; sed « sunt fideles, » id est firmi et stabiles : quia veritas stabilis est, ideoque stabiles parit proles et fructus; inde Hebræi dicunt אמת *emeth,* id est *veritatem stabiles habere pedes, iisque stabilem consistere.* Tigurina : *Vir sapiens erudit populum suum, et fructus intelligentiæ ipsius stabiles sunt;* alii, *certi sunt.* Aliter Lyranus : « Fideles, inquit, id est fide digni sunt, tum quia a veritate prima procedunt, tum quia ad ipsam finaliter dirigunt. » Et Palacius : « Fideles, inquit, id est nullo errore vel malitia maculati. »

Vers. 27. 27. VIR SAPIENS IMPLEBITUR BENEDICTIONIBUS, ET VIDENTES ILLUM LAUDABUNT. — Est hæc tertia antithesis sophistæ et sophi, id est sapientis : nimirum, sophistæ omnes maledicunt, omnesque eum exsecrantur; at sapienti omnes benedicunt, omnesque eum laudant et celebrant, ac, ut Græca habent, μακαριοῦσιν, id est *beatum prædicant.* Unde Complutensia : *Vir sapiens implebitur benedictione, et beatum dicent omnes eum videntes.* Posset quoque benedictio sumi pro beneficentia, omnique bonorum cumulo. Unde Tigurina vertit : *Vir sapiens felicitate cumulabitur, et beatum prædicabunt omnes qui eum viderint;* et Dionysius : « Vir sapiens implebitur benedictionibus, id est, inquit, bonis et profectibus gratiarum, virtutum, donorum, fructuum et beatitudinum, in quibus omnibus crescit atque perficitur, bene utendo sapientia sua, videlicet divina contemplando, et proximos instruendo. » Et Hugo : « Benedictionibus, inquit, tum dexteræ, tum sinistræ : » dexteræ in futuro, quando ei dicetur cum aliis : « Venite, benedicti Patris mei, » etc.; sinistræ in præsenti vita, puta gratia Dei, et laude hominum. Unde et Syrus vertit : *Qui sapiens est animæ suæ, saturabitur deliciis, et laudabunt eum omnes videntes eum.*

Vers. 28. 28. VITA VIRI IN NUMERO DIERUM : DIES AUTEM ISRAEL INNUMERABILES SUNT. — « Viri, » id est cujusque hominis : Hebraice enim איש *isch,* id est *vir,* idem est quod *quilibet.* « In numero, » scilicet definito, certo et pauco. « In numero dierum, » ergo idem est, quod definitorum et paucorum dierum sunt. Est hypallage : *vita viri est in numero dierum,* hoc est, vita viri est in diebus numeri, id est in diebus numeratis et paucis. Hebræi enim ימי מספר *ieme mispar,* id est *dies numeri,* vocant paucos et facile numerabiles. Sensus ergo est, *q. d.* Vita cujusque hominis numerata et definita est, certisque et paucis diebus a natura et a Deo circumscripta, juxta illud *Psal.* LXXXIX, 10 : « Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta. » At vero dies Israel sunt indefiniti et innumeri. Tigurina : *Vita cujusque constat numero dierum, sed Israelitarum dies sunt innumeri.*

Dies Israel innumeri : quo sensu?

Quæres quisnam sit hic Israel? Certum est per Israel hic non accipi Jacobum patriarcham, qui luctans cum angelo eumque vincens, ab eodem cognominatus est *Israel,* id est dominans Deo, id est angelo, qui Deum repræsentabat, *Genes.* XXXII, 28. Nam Jacobi dies fuere « parvi, » id est pauci, et « mali, » id est ærumnosi, ut ipse ait *Genes.* XLVII, 9. Jacob enim vixit duntaxat 147 annis, *Gen.* XLVII, 28.

Resp. Primo.

Primo igitur, proprie per *Israel* accipias populum Israel, prognatum ex Jacob, qui alio nomine dictus est Israel : ut sensus sit, *q. d.* Vir quisque paucos vivit vitæ dies, at sapiens dies vivit innumeros : licet enim corpore moriatur, fama tamen ejus perpetuo vivet apud populum Israel, id est fidelem : populus enim perpetuo durat; esto hic vel ille homo in populo moriatur. Nominat populum Israel præ cæteris; quia ille solus ævo Siracides habebat veram sapientiam, id est fidem, cultum et religionem Dei, juxta illud Mosis *Deut.* IV, 6 : « Hæc est vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc (legis Dei), dicant : En populus sapiens et intelligens. » Ita Dionysius, Palacius et Lyranus : « Dies, ait, populi Israel sunt innumerabiles, id est diuturni : licet enim personæ singulares moriantur et nascantur sibi succedentes, remanet tamen unitas populi. Sicut in fluvio aquæ sunt in continuo fluxu, remanet tamen identitas fluvii : laus vero sapientis non solum durat suo tempore, sed transit ad posteros : propter quod est diuturna, et maxime in populo suo, qui magis novit opera ejus : ideo subditur : Sapiens in populo hæreditabit honorem. »

Secundo.

Secundo, Jansenius et Hugo per *Israel* accipiunt Israelitam, id est quemlibet sapientem, hoc est fidelem et sanctum, *q. d.* « Dies Israelis, » hoc est Israelitæ, sunt innumerabiles : quia infiniti et in perpetuum durantes, hoc est Israelitæ propter

sapientiam suam, et veram Dei cognitionem, qua præ aliis donati sunt, vivent in æternum, non solum apud homines per nominis memoriam, sed etiam apud Deum per gloriam æternam. Unde Syrus vertit : *Sapiens populi hæreditabit gloriam, et nomen ejus permanet in vitam æternam.* Huic convenit illud *Eccles.* VII, 13 : « Hoc plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. » Sic quilibet sanctus vocatur *Israel* ab Apostolo, *Gal.* VI, 16 : « Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei. » Vide quæ de Israele dixi ibidem, et *Gen.* cap. XXXII, 28 et XXXV, 10. Alludit ad Jacob patriarcham, qui, ut Jacob, paucos vixit dies et annos; sed factus dictusque Israel, vivit tum personaliter in cœlo vitam æternam, tum in posteris, puta in populo Israel per multa sæcula. Jacob ergo, id est luctator et supplantator vitiorum modico tempore, meruit fieri Israel, id est *dominans Deo,* vel, ut S. Augustinus et alii, *vir videns Deum,* in æternum, *q. d.* ait Hugo : « Dies Jacob luctantis terminum habent, sed dies Israel contemplantis facie ad faciem interminabiles erunt. »

Allegorice. Allegorice, *Israel* est Ecclesia, sive cœtus fidelium, et populus Dei, qui etiam in hoc mundo durabit usque ad consummationem sæculi : ut hac jam sententia comprobetur, ait Jansenius, id quod dixit, fructum sapientiæ esse stabilem et firmum. Propter Dei enim verbum, quod sequitur, perpetua futura est ejus Ecclesia.

Anagogice. Anagogice, *Israel* est beatus : hic enim vivit in cœlo dies innumeros, scilicet felices et æternos. Ita Rabanus : « Quid est, ait, quod vitam viri in numero dierum comprehensam dicens, addidit, dies Israel esse innumerabiles, nisi quod Sanctorum vitam in cœlesti beatitudine ostendit esse æternam et infinitam? Quod autem vita præsens hominum certo numero in præscientia Dei et dispositione constituta sit, ostendit Job, dicens cap. XIV : Breves dies hominis sunt; numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. At vero Israel dies, hoc est sancti viri, qui recta fide et bonis operibus in hac præsenti vita Dominum semper coluit, post finem præsentis laboris, pura mente serenum Dei vultum in cœlesti regno perpetualiter contemplatur. Cujus boni sicut nulla est labes, ita et gaudii nullus est finis. » Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* II, num. 42 : « Mundus transit tanquam scriptura delebilis, sapientia stabilis est ut sculptura. »

29. SAPIENS IN POPULO (Israel, id est fideli, ut dixit versu præcedenti) HÆREDITABIT HONOREM (græce δόξαν, id est *gloriam*; Romana legunt, πίστιν, id est *fidem,* ut scilicet omnes ei quasi cœlesti oraculo fidem habeant), ET NOMEN ILLIUS ERIT VIVENS IN ÆTERNUM. — Dat causam cur dixerit : « Dies autem Israel innumerabiles sunt; » quia scilicet sapiens in populo Israel, utpote perpetuo, obtinebit honorem perpetuum, ac « nomen, » id est memoriam, famam et gloriam perennantem in æternum. Sic Salomon celebrans suum sapientiæ studium, *Sap.* VIII, 10 : « Habebo, inquit, propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores in Ecclesia, » tam cœlesti quam terrestri, tam triumphante quam militante, juxta illud cap. XLIV, 14 : « Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. » Et illud *Prov.* X : « Memoria justi cum laudibus : et nomen impiorum putrescet. » Huc facit proverbium Arabicum, *Cent.* II, num. 21 : « Disce scientiam, o puer, ut sis imperator; et ne sis ignarus, ut fias despicabilis. » Et num. 22 : « Scientia diadema est puero, et intellectus torques aureus. » Hinc et doctores cum creantur, pileo, quasi diademate coronantur, et torque aureo cinguntur. Et num. 25 : « Non est gloriatio in opibus et stemmate, sed gloriatio in scientia et eruditione. » Et num. 29 : « Acquire tibi aurum in mensura, et scientiam sine mensura. » Et num. 34 : « Scientia est lumen alterum, habetque oculos lucidos. » Vers. 21

Anagogice, Hugo : Nomen sapientis, id est justi, inquit, vivet in perpetuum; quia scriptum est in libro vitæ, juxta illud Christi : « Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis, » *Luc.* X.

QUARTA PARS CAPITIS.

DE CONTINENTIA ET REFRENATIONE CONCUPISCENTIÆ ET GULÆ.

Vers. 30. 30. FILI, IN VITA TUA TENTA ANIMAM TUAM : ET SI FUERIT NEQUAM, NON DES ILLI POTESTATEM. — Hæc pertinent ad vers. 24 : « Est sapiens animæ suæ sapiens. » Idipsum enim hic explicat, docetque potissimum sapientiæ veræ et practicæ officium in eo consistere, ut sapiens animam suam purget a vitiis et concupiscentiis, eique virtutes quaslibet inserat. Ait ergo : Fili, in vita hoc potissimum age, nimirum « tenta, » id est scrutare et explora affectiones et desideria animæ tuæ, et si videris ea esse « nequam, » id est propensa ad malum; « non des illis potestatem, » nec laxes eis habenas sequendi et exsequendi malum, sive nequitiam in quam propendent; sed ea coerce et refrena, non tantum ab illicitis, sed etiam a licitis quæ occasionem dant et viam sternunt ad illicita. Facilis enim lapsus est cupidi a licitis valde concupitis ad illicita, v. g. qui amat vinum facile labitur, si non in ebrietatem, certe in nimium ejus potum. Habeto ergo exploratos omnes animæ tuæ sinus, ut scias in quæ vitia propendeat, ac ab illis eam ita refrena, ut plane in contrarium eam

divertas et cogas, v. g. si videris eam propensam in superbiam, totis viribus flecte eam ad humilitatem, eamque occupa cogitationibus et officiis vilibus et humilibus; si videris eam propensam in avaritiam, flecte eam ad liberalitatem : si ad gulam, flecte eam ad abstinentiam et jejunium; si adiram, flecte eam ad mansuetudinem. Sic enim arbor curva in contrariam prorsus partem flectenda est, ut evadat recta. Ita Rabanus, Lyranus, Palacius et alii : « Præcipit sapientia, inquit Rabanus, homini, ut caute servet vitam suam, ne forte per incuriam in variis desideriis diffluat, et in peccati mortem decidat : ideo dicit ut tentet animam suam, id est ut probet animæ suæ voluntatem, et si fuerit perversa, non tribuat illi potestatem perficiendi eam. » Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* I, num. 22 : « Puta vitem tuam manu tua, non aliena, » id est reprehende teipsum super vitio tuo, priusquam te alius reprehendat super eodem. » Et num. 14 : « Lima spinas : » *lima*, id est vince affectum carnis et cupiditates malas, easque reseca lima rationis. Cupiditates enim instar spinarum hominem pungunt, ad scelus incitant, et ad exitium adigunt. Earum ergo acumen necesse est ut lima rationis tanquam duriori obtundamus, si salus nostra nobis est cordi.

Græca jam aliter habent, nimirum : *Fili, in vita tua tenta animam tuam, et vide quid ei malum sit, et ne dederis ei*; Tigurina : *Fili, proba animam tuam in vita tua, explora quid noxium ei sit, neque id ei indulgeas*; Syrus : *Fili mi, in vita tua tenta animam tuam, et vide id quod malum est illi, ne des illi, q. d.* Indaga et explora diligenter inclinationes, affectus et vires animæ tuæ, ut scias quid ei congruum et bonum, quid incongruum et malum sit : quo facto, tribue ei quod congruum et bonum, nega vero quod ei incongruum et malum deprehendisti. Unde sequitur : « Non enim omnia omnibus expediunt, et non omni animæ omne genus placet; » v. g. anima aliquorum propendet ad studia theologica, aliorum ad mathesin, aliorum ad artes mechanicas, aliorum ad bellum : quisque ergo animæ det, quod ejus inclinationi et viribus convenit et congruit. Si enim eam cogat ad aliud, v. g. si amantem studiorum cogat ad bellum, magnam illi vim inferet, ideoque anima violenter in bello detenta gemet jugiter, nec in eo persistere poterit, utpote agens vitam sibi molestam, ingratam et ærumnosam. Id magis liquet in deligendo vitæ statu. Aliis enim convenit et placet status matrimonii, aliis sacerdotii, aliis Religionis : quare si parentes, ut sæpe fit, cogant filios juniores ad Religionem, cum ipsi ab ea abhorreant, et cupiant agere vitam in sæculo, utique filii in Religione agent vitam mœstam et periculosam, dataque occasione jugum Religionis excutient; qua de causa tot vidimus et videmus apostatas. Sane multi damnantur, quia statum sibi incongruum capessunt, adeoque multi damnantur in sæculo qui salvarentur in Religione : et vice versa.

Huic expositioni adaptari potest versio nostra, uti eam adaptat Jansenius, hoc modo : In vita tua tenta animam tuam, id est rimare et indaga quid animæ tuæ maxime conveniat, et si fuerit aliquid « nequam, » id est noxium et incongruum illi, non des ejus rei potestatem, nec sinas eam illud capessere, vel eo uti et frui : ut hæc omnia pertineant ad delectum in rebus adhibendis, de quo multa dixit initio capitis; verum prior sensus uti simplicior et planior, ita et verior ac congruentior est.

31. NON ENIM OMNIA OMNIBUS EXPEDIUNT, ET NON OMNI ANIMÆ OMNE GENUS PLACET. — Dat causam cur anima nequam refrenanda sit non tantum ab illicitis, sed etiam a licitis; quia scilicet non omnibus omnia expediunt; sed quod uni, v. g. sobrio et casto utile est, alteri, v. g. guloso et libidinoso, periculosum et noxium est, ac causa peccati et damnationis æternæ. Rursum esto aliquid alicui bonum, utile et conveniens sit, tamen illud animæ ejus non placet : quare aliud quod ei placet quærat oportet, juxta illud : Vers. 30.

> Tu nihil invita facies dicesve Minerva.

Unde græce clarius idipsum dicitur : *Non enim omnia omnibus conducunt, et non omnis anima in omni re sibi placet*; Tigurina : *Non enim quævis quibusvis conferunt, nec quivis animus quacumque re felix est.* Nam quod invitus et nolens agit, in eo miser et infelix est. Syrus : *Quia non omnis cibus bonus est, et omnis anima in paucis delectatur.* Sapienter Poeta Juvenal, *satyr.* 14 :

> Nullum numen abest, si sit prudentia.

Et :

> Nunquam aliud natura, aliud sapientia dictat.

Et Persius :

> Mille hominum species, et rerum discolor usus.
> Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Juxta Græcorum lectionem versus præcedentis, connexio hujus versus cum illo clara est, ut patet ex dictis ibidem.

32. NOLI AVIDUS ESSE IN OMNI EPULATIONE, ET NON TE EFFUNDAS SUPER OMNEM ESCAM. — A thesi descendit ad hypothesin : dixit vers. 30 : « Tenta animam tuam : et si fuerit nequam, non des illi potestatem; » nunc ejus dat speciem et exemplum commune et frequens. Plerique enim hominum propensi sunt in gulam, præsertim epularum et deliciarum. Primum enim Evæ et Adæ peccatum fuit gula et esus pomi vetiti, quod ipsi in omnes posteros propagine peccati, æque ac generationis et naturæ transfuderunt. Gula ergo cuique refrenanda et mortificanda est. Græca clarius habent, μὴ ἀπλησιάσου, id est *ne esto inexplebilis in ullis deliciis, neve profusus sis in escis*; Complutensia : *Non sis insatiabilis in omnibus deliciis, et ne effundaris* Vers. 31.

(Romana, *ne effundas te*) *super epulas*; Syrus : *Ne multiplices illi* (animæ tuæ) *cibum deliciarum, et ne malus* (cupidus et invidus) *fiat oculus tuus super cibo multo*; Tigurina : *Ne te ingurgites quibusvis deliciis, nec in cibos effundas, q. d.* Cum variorum ferculorum deliciæ tibi offeruntur, multæque epulæ proponuntur, uti fit in conviviis; noli in eas te nimia edacitate et aviditate gulæ effundere, ut videaris omnia velle devorare, esseque insatiabilis instar lupi : sed aviditatem hanc refrena et appetitui tuo dominare, ac sobrie cibis utere, tum ut honori tuo, tum ut sanitati, tum ut conscientiæ tuæ consulas. Unde medicorum præceptum : «Vescere citra saturitatem : surge e mensa non cum fastidio, sed cum fame. Omnis saturitas noxia. » Exemplo tibi sit S. Augustinus, qui lib. X *Confess.* cap. XXXI, Deum alloquens ait : « Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. » Vide ibidem plura S. Ambrosii, *epist.* 25 : «Utamur, ait, temperantiæ naturali cibo pro remedio parcius, non pro deliciis redundantius propter infirmitatem, non propter voluptatem. » Unde Deus concedens Noe esum carnium : « Quasi olera virentia, inquit, tradidi vobis omnia, » *Gen.* IX, 3, quia oleribus parce ad necessitatem vescimur. Quocirca S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. XXV : « Utantur, ait, qui utuntur carne tanquam oleribus, non ad distensionem, nec ad arvinam corporis, quam epulæ facere consueverunt. » Et mox : « Fortasse in hoc etiam commendatur temperantia edendi carnes sicut olera, non tam ad captandam voluptatem, quam ad vitæ sanitatem. »

Ede citra satiem.

Porro Judæis identidem commendat Siracides refrenationem gulæ, quia ipsi in eam ab initio suæ gentis propensi fuere. Audi Tertullianum, lib. *De Jejunio*, cap. V : « Primus populus primi hominis insculpserat crimen, pronior ventri quam Deo deprehensus, cum de duritia ægyptiacæ servitutis valida manu Dei ereptus, terræ melle et lacte mananti destinatus, statim saturitatis ægyptiæ detrimenta suspirans : Quando super ollas carnium, inquit, sedebamus, etc., *Exodi* XVI, allium potius et cepe, quam cœlum fragrare malebat. »

Ob hoc gulæ periculum Deus, *Gen.* IX, concedens usus carnium Noe, jussit eas prius sibi immolari : ut secure, inquit S. Chrysostomus ibidem, iis homo uti posset, utpote quæ jam Deo oblatæ, litatæ et sanctificatæ essent. Hinc et mensæ præmittitur oratio et benedictio, ut cibi sanctificentur, et gula in comedendo refrenetur. Vide dicta I *Timoth.* IV, 4 et 5.

Mystice, hæc applices studio, meditationi, orationi, quæ sunt deliciæ animæ, *q. d.* Noli nimis indulgere cupiditati studendi, meditandi, orandi : quia hic excessus corpus enervat, caput hebetat, aciem mentis obtundit, spiritum suffocat. Unde illud : « Saturitas panis mala, studiorum autem pessima. »

Stude citra satiem.

33. IN MULTIS ENIM ESCIS ERIT INFIRMITAS, ET AVIDITAS APPROPINQUABIT USQUE AD CHOLERAM. — Syrus : *Quia præ multitudine cibi fit valetudinarius; et qui multus est in comedendo, infirmatur.* Pro *aviditas* græce est ἀπληςία, id est *insatiabilitas, aviditas, edacitas.* Rabanus retinuit Græcum ἀπληςία, pro quo aliqui manuscripti corrupte legunt ἀποπληξία. Significat ergo gulam et nimiam epulationem causare morbos, præsertim choleram : nimii enim cibi accendunt calorem naturalem et sanguinem, qui accensus vertitur in bilem et choleram. Hinc cholera a medicis vocatur morbus, quo bilis commovetur, acuitur, accenditur, seque effundit in stomachum et intestina, illaque suo acore inficit, vitiat, mordet et cruciat; adeo ut crura manusque contrahantur, ac anima deficiat, quin et subinde subito quis moriatur. Ita Celsus, lib. IV, cap. XI, et Fernelius, lib. VI *De Part. morbis*, cap. III : Remedio est « mentastrum, torminibus cholericis sedandis efficacissimum, » ait Plinius, lib. XX, cap. XIV; et clysteres, uti idem docet lib. XXXI, cap. VI. Vers. 33.

Pro *infirmitas* legit Noster cum Complutensibus νόσος, pro quo Romana legunt πόνος, id est *labor.* Unde sic habent : *In multis enim escis erit labor* (stomachi ut eas digerat, ejusque tortura et vigiliæ, uti dixit cap. XXXI, vers. 23) *et* ἀπληςία, id est *insatiabilitas, appropinquabit usque ad choleram*; Tigurina : *Nam ingluviem ciborum morbus comitabitur, et in bilem abibit insatiabilis edacitas.*

34. PROPTER CRAPULAM (græce ἀπληςίαν, id est *voracitatem insatiabilem*) MULTI OBIERUNT : QUI AUTEM ABSTINENS EST, ADJICIET VITAM. — Sobrietas ergo sanitatis, sapientiæ, castitatis, sanctitatis et longævitatis est mater : crapula vero et ebrietas infirmitatis, hebetudinis, libidinis, vitiorum ac brevis ævi : « Plures enim occidit crapula quam gladius. » Vide dicta cap. XXXI, vers. 23. Vere Palæus : Etiamsi, ait, natura homini taxarit annos et dies vitæ, sobrius tamen eos prorogare potest per abstinentiam cibi; ebrius vero et gulosus eos decurtare et occidere per gulam et crapulam. Vers. 34. Ebrietas facit ægros, sobrietas sanos.

Denique axioma est viri sapientis, esto nonnullis videatur paradoxum : « Pene omnes homines mori gula. » Nam plerique omnes sæpe excedunt in cibo et potu, præsertim in conviviis, festis et recreationibus; atque hoc excessu vitam abbreviant, mortemque sibi accelerant, alii plus, alii minus, pro quantitate et qualitate excessus. Gula igitur et ingluvies corpus gravat, morbos creat, et vitam decurtat.

Græca habent, *propter* ἀπληςίαν, id est, ut Complutensia, *insatiabilitatem*; Romana : *Edacitatem multi obierunt; et attendens* (cavens ne in cibis et potibus excedat) *adjiciet vitam*; Tigurina : *Multi per intemperantiam intereunt : at qui temperans est, vitam prorogat*; Syrus : *Multi enim qui mortui sunt per cibum multum : et qui cavet sibi, prorogat vitam.* Vide quæ de abstinentia dixi *Daniel.* I, 15 et seq.

Sapienter S. Athanasius, apud Antonium in

Melissa, part. I, cap. LVII : « Corpora ægra, ait, curationis et abstinentiæ beneficio restituuntur : restituta vero per negligentiam et repletionem paulatim relabuntur, et ad eosdem morbos recidunt. » Præclare S. Ambrosius, *De Elia et jejunio*, cap. VIII : « Jejunium, ait, continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa (ut quod tibi jejunando subtrahis, expendas in miseros), lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia juventutis. Jejunium est infirmitatis levamen, alimentum salutis. Nemo in cruditatem jejunando incidit, nullus per continentiam ictum sanguinis sensit, imo nullus non repressit et repulit. Bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ. » Vide S. Basilium, hom. *De Jejunio*. Siracidi concinit R. Hillel, priscus ille et sapientiæ nomine percelebris, cujus hæc gnoma elegans et multiplex exstat in *Pirke avoth*, id est in *Apophtheg. Patrum*, cap. II : « Qui carnem multiplicat, vermes multiplicat : qui multiplicat divitias, dolores multiplicat : qui mulieres multiplicat, multiplicat fascinationes : qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem : qui multiplicat servos, multiplicat fures : qui multiplicat legem, multiplicat vitam : qui studium multiplicat, pariter sapientiam multiplicat : qui multiplicat consilium, multiplicat prudentiam : qui multiplicat justitiam, multiplicat pacem : qui famam acquirit bonam, sibi acquirit eam : qui verbum legis acquirit, vitam in altero sæculo feneratur æternam. »

Porro ἀπληςία, id est *nimia aviditas* et *insatiabilitas*, non tantum in cibis et potibus, sed et in quibusvis aliis rebus locum habet. Et in quacumque versetur materia, noxia est tum animæ, tum corpori. Unde quidam Sapiens dixit : « Omnes pene homines confici et emori per rei alicujus ἀπλησίαν, nimiamque aviditatem, » sive ea honorum sit, sive opum, sive scientiarum, sive aliarum rerum.

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo agit de honorandis medicis, deque utilitate medicinæ. Secundo, vers. 9, instruit infirmum, datque media quibus curetur. Tertio, vers. 16, docet in morte amicorum moderandum esse luctum, ac cavendum a nimia tristitia. Quarto, a vers. 25, docet sapientiam parari otio litterario, mechanicas vero artes occupari negotio et opere manuali, scilicet agriculturam in agro colendo, sculptoriam in sculpendo, fabrilem in fabricando, plasticen in plasmando.

1. Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus. 2. A Deo est enim omnis medela, et a rege accipiet donationem. 3. Disciplina medici exaltabit caput illius, et in conspectu magnatorum collaudabitur. 4. Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. 5. Nonne a ligno indulcata est aqua amara? 6. Ad agnitionem hominum virtus illorum, et dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. 7. In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis, et non consummabuntur opera ejus. 8. Pax enim Dei super faciem terræ. 9. Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te. 10. Averte a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum. 11. Da suavitatem et memoriam similaginis, et impingua oblationem, et da locum medico : 12. etenim illum Dominus creavit : et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria. 13. Est enim tempus quando in manus illorum incurras : 14. ipsi vero Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, et sanitatem, propter conversationem illorum. 15. Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici. 16. Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundum judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius. 17. Propter delaturam autem amare fer luctum illius uno die, et consolare propter tristitiam, 18. et fac luctum secundum meritum ejus uno die, vel duobus propter detractionem. 19. A tristitia enim festinat mors, et cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem. 20. In abductione permanet tristitia : et sub-

stantia inopis secundum cor ejus. 21. Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te: et memento novissimorum, 22. noli oblivisci : neque enim est conversio, et huic nihil proderis, et teipsum pessimabis. 23. Memor esto judicii mei : sic enim erit et tuum : mihi heri, et tibi hodie. 24. In requie mortui requiescere fac memoriam ejus, et consolare illum in exitu spiritus sui. 25. Sapientia scribæ in tempore vacuitatis : et qui minoratur actu, sapientiam percipiet : qua sapientia replebitur 26. qui tenet aratrum, et qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, et conversatur in operibus eorum, et enarratio ejus in filiis taurorum. 27. Cor suum dabit ad versandos sulcos, et vigilia ejus in sagina vaccarum. 28. Sic omnis faber et architectus, qui noctem tanquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, et assiduitas ejus variat picturam : cor suum dabit in similitudinem picturæ, et vigilia sua perficiet opus. 29. Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, et considerans opus ferri : Vapor ignis uret carnes ejus, et in calore fornacis concertatur. 30. Vox mallei innovat aurem ejus, et contra similitudinem vasis oculus ejus : 31. Cor suum dabit in consummationem operum, et vigilia sua ornabit in perfectionem. 32. Sic figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum, et in numero est omnis operatio ejus. 33. In brachio suo formabit lutum, et ante pedes suos curvabit virtutem suam. 34. Cor suum dabit ut consummet linitionem, et vigilia sua mundabit fornacem. 35. Omnes hi in manibus suis speraverunt, et unusquisque in arte sua sapiens est; 36. sine his omnibus non ædificatur civitas. 37. Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, et in ecclesiam non transilient. 38. Super sellam judicis non sedebunt, et testamentum judicii non intelligent, neque palam facient disciplinam et judicium, et in parabolis non invenientur : 39. sed creaturam ævi confirmabunt, et deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, et conquirentes in lege Altissimi.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. HONORA MEDICUM PROPTER NECESSITATEM, — Græce τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ, quod Complutensia et Romana vertunt : *Honora medicum ad necessitates honoribus illius*, id est qui illi debentur; Tigurina : *Affice medicum honoribus suis propter necessitatem* ; Interpres Clementis Alexandrini, lib. II *Pædag.* cap. VIII, vertit : *Honora medicum propter utilitatem ejus* ; χρεία enim significat indigentiam, caritatem, usum, necessitatem, operam, ministerium, utilitatem, commoditatem. Syrus : *Honora medicum quamdiu indiges illius; quia etiam ipsum creavit Deus.*

In fine capitis præcedentis dixit multis inesse infirmitatem, scilicet homines esse obnoxios variis morbis, partim ex lapsu et infirmitate naturæ peccato corruptæ, partim ex ciborum excessu, tum in quantitate, tum in qualitate eorumdem. Multi enim morbos contrahunt, quia cibos comedunt vel nimios, vel suæ naturæ et complexioni noxios. Hac de causa hoc capite suggerit morborum remedium a Deo datum et institutum, scilicet medicinam et medicum. Jubet ergo eum honorari ; quia medicina non est ars mechanica, sed liberalis. Unde in Universitatibus comparatur Jurisprudentiæ et Theologiæ, ac doctores medici inter doctores Juris et Theologiæ suum gradum et locum obtinent

Honor triplex medico debitus.

Honor in Scriptura tria significat : *primo*, reverentiam ; *secundo*, obedientiam ; *tertio*, sustentationem personæ condignam. Sic filii jubentur honorare parentes ; quia eos revereri, eis obedire, et, si indigeant, sustentare debent. Hic triplex honor pariter debetur medico. Qua in re multi peccant nolentes obedire præceptis medici, illaque parvipendentes : qua de causa sæpe in morbos diuturnos et incurabiles, ipsamque mortem incidunt. Alii dum ægrotant, ut parcant sumptibus, accersunt circumforaneos, impostores, alii empiricos periculosos, alii etiam feminas, et anus superstitiosas, quæ superstitiosis signis et benedictionibus morbos abigant. Sed suo damno : nam sæpe vitæ et conscientiæ noxam incurrunt. Suadet ergo Siracides, ut medicos honorent, id est advocent, consulant, revereantur, eorum consilia magni æstiment et sequantur. Causam dat dicens : « Propter necessitatem, » quia scilicet ad morbos curandos necessarius est medicus, utpote qui et naturam morbi, et ejus remedia callet, quorum neutrum scit æger, et cæteri. Sicut ergo ad vestes faciendas necessarius est sartor, ad calceos sutor, ad cibos coquendos cocus : sic ad medicinas conficiendas necessarius est medicus. Unicuique enim in sua arte credendum est. Notat Palacius τὸ *propter necessitatem* ne

admonere, ne medicum in quovis levi morbo advocemus, sed, cum morbus est gravis : tum quia leves morbi sunt frequentes, optimeque superantur patientia et prudentia; nam qui medice vivit misere vivit; tum quia sæpe medici eos curare nesciunt.

Et medi- spiri- tali.

Tropologice, triplicem hunc honorem debemus medicis animæ, qui scilicet animæ vitia, passiones et peccata curant : quales sunt confessarii, rectores, concionatores; idque tanto magis, ait Rabanus, quanto anima præcellit corpori, ac morbi animæ graviores sunt morbis corporis, atque salus æterna, quam confert medicus spiritalis, præstantior est sanitate corporali ad modicum tempus duratura, quam confert medicus corporalis. Maxime autem omnem honorem debemus Christo Domino, qui medicorum est medicus, tam animæ quam corporis : quique theriacam præstantissimam contra omnes morbos non aliunde quam ex sanguine suo confectam nobis exhibet in Eucharistia, cæterisque Sacramentis. « Ipsius *enim* livore sanati » sumus, ut ait S. Petrus, *epist.* I, cap. II, vers. 24, et Isaias, cap. LIII, 4, ac ex eo S. Matthæus cap. VIII, 17 : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Nimirum ipse verus est Samaritanus, qui primum hominem, ejusque posteros a latronibus infernalibus spoliatos et vulneratos usque ad mortem, oleo et vino suæ gratiæ sanavit, *Luc.* x, 34.

Siracidi concinit Ben-Sira, *alphabeto* 1, littera *aleph* : « Ama et honora medicum, dum non indiges ejus, » *q. d.* Honora medicum ante morbum, dum sanus es, ut tibi in morbo præsto sit, ac deserviat rebus suis neglectis, et negotiis cæteris posthabitis. Id extende ad animum : nam animi medicus est sapiens ; huic ergo magis honos habendus est : nam magis ejus ope, consilio et consolatione indigemus. Scholiastes Hebræus refert ad Deum, *q. d.* Cole Deum, eumque precare, priusquam ejus auxilio tibi opus sit. Nam ut æger diligentiorem experitur medicum, quem valens obsequio sibi devinxit : sic afflictus benigniorem sentiet Deum quem rebus integris coluit et invocavit.

ETENIM ILLUM CREAVIT ALTISSIMUS. — Græce : *Nam et illum creavit Altissimus ;* Tigurina : *Dominus enim ejus auctor est*, tum quia instituit sancitque hic et alibi, ut medicis utamur in necessitate ; tum quia ipse medicinam æque ac pharmaca et herbas medicas creavit et produxit; tum quia sicut Adamo et Salomoni (qui scripsit de omnibus ab hyssopo usque ad cedrum : ex cujus scriptis multa ad Græcos, Arabes, Latinos, et ad nos usque derivata sunt) inter alias scientias medicinam quoque indidit : sic pariter nunc medicis indit habilitatem, ingenium et instinctum ad studendum medicinæ, eamque exercendam ad curandum infirmos. Nam sicut ejusdem architecti est domum facere, et labentem reficere, atque ejusdem sartoris et sutoris vestem vel calceum a se factum dissutum et lacerum resarcire et redintegrare : sic pariter, cum ad Deum spectet humani corporis formatio et temperies, ad eumdem quoque spectet oportet ejusdem conservatio et refectio. A Deo igitur est omnis medela et medicina.

Est hic locus illustris de utilitate et necessitate medici, et medicinæ, ejusque usu et ordine. Fuit olim opinio Catonis, Plinii, et aliorum quos inferius citabo vers 3, et nunc est error Anabaptistarum, docentium damnandum esse usum medicinæ; eo quod Asa rex Juda ob eum videatur reprehendi, II *Paralip.* XVI, 12, et Hæmorrhoissa, *Luc.* VIII, 43. Verum errant, nam illis locis tantum reprehenditur nimia spes et præposterus ordo medicinæ; nam verus ordo, ut docet hic Siracides, est ut ægri primo et maxime nitantur Deo, quasi archiatro, eumque sibi orationibus, pœnitentia et sancta vita concilient; deinde causas secundas et medicinas adhibeant.

Cato censuit non videndum medicis. Sic et Anabaptistæ curt.

Alii stulta quadam religione (quæ Turcarum est) sibi aliisque persuadent, medicinæ opera necessaria non esse ; eo quod sanitas et morbus, vita et mors penes Dei voluntatem sint, ita ut nulla arte possit vitare homo, quod Deus de eo decreverit. Sed ignorant multa Dei decreta non esse absoluta, sed conditionata, ac pendere ab industria et arbitrio hominum, v. g. Deus decernit ut pestis grassans tangat omnes obvios et enecet; sed conditionate duntaxat, scilicet si ipsi locum peste infectum non fugiant, aut contra eam antidota a se tradita non usurpent. Sic cum ægros decernit sanare, decernit ut id fiat per pharmaca a se instituta. Igitur Siracides hic errorem jam dictum refellit, astruitque usum medici et medicinæ multis argumentis.

Usus medici probatur septem argumentis.

Primum petitur ex ejus necessitate, jam dicta vers. 1. Primo.

Secundum, hoc versu, ex ejus auctore, qui est Deus, qui sicut instituit ut in Ecclesia sua alii essent milites, alii agricolæ, alii opifices, alii jurisconsulti, etc., sic et instituit ut nonnulli essent medici. Secundo.

Tertium, versu sequenti. Quia, inquit, « a Deo est omnis medela. » Tertio.

Quartum, ibid. quod medici a regibus et principibus soleant donis honorari. Quarto.

Quintum, versu 6, quia idcirco Deus herbis, succis, plantis, metallis, gemmis, etc., tot tamque salutares et admirabiles virtutes indidit, ut scilicet iis utamur ad medelam. Quinto.

Sextum est versus 5, ab exemplo ligni quo Moses dulcoravit aquas amaras, *Exodi* XV, 25. Sexto.

Septimum, vers. 7, ab experientia, qua experimur per pharmaca dolores leniri, et morbos curari. Septimo.

Vide hunc Siracidis locum de dignitate et utilitate medicinæ, fuse pertractantem Franciscum Valesium, *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXIV.

Medici ergo opera utilis est, imo necessaria, utpote cujus ope multi e faucibus mortis eripiuntur, et quasi reviviscunt. Medicum verum et suæ artis peritum intelligo; nam imperitus reipublicæ

est pestis, et multorum homicida, imo carnifex. Quare sicut prudentis est, medico perito se suamque vitam credere, ita nihil imprudentius quam cuicumque medicum se venditanti, ac cuilibet agyrtæ, imo anni et vetulæ vix nendi peritæ, medendi artem profitenti, vitam et salutem suam, qua nihil est pretiosius, committere. Et hoc est quod maxime culpare voluere Cato et Plinius.

Medicina mundo coæva.

Porro Plinius, lib. VII, cap. LVI : « Medicinam Ægyptii, inquit, apud ipsos volunt repertam; alii per Arabum, Babylonis et Apollinis filium; herbariam et medicamentariam a Chirone, Saturni et Phillyræ filio. » Verum antiquior est medicina, adeoque coæva mundo : quia Adamo cum cæteris scientiis a Deo indita. Post hominum enim lapsum in peccatum, indeque in morbos et mortem, statim Deus clementissimus et providentissimus providit hominibus de remedio medicinæ; esto illa post aliquot sæcula magis fuerit exculta, et in methodum redacta, librisque conscripta ab Hippocrate, Galeno aliisque antiquioribus.

Vers 2.

2. A DEO ENIM EST OMNIS MEDELA, ET A REGE ACCIPIET DONATIONEM. — Rabanus legit « donum, » græce δόμα, id est *donativum*; Complutensia legunt δόξαν, id est *gloriam*; Tigurina : *Nam medicina manat ab Altissimo, et a rege munus accipiet*; tum

Est a Deo.

quia a Deo sunt vires herbarum et aliorum medicaminum; tum quia earum cognitio et scientia a Deo indita fuit Adæ et posteris, a quibus eam hauserunt medici. Unde Tigurina vertit : *A Deo fiet intelligens medicus, et a rege accipiet munera*; tum denique quia a Deo est omnis medicatio et curatio, hanc enim significat Græcum ἴασις. Deus enim cum herbis et pharmacis concurrit, quasi prima causa, et primarius agens ac medicans ad curandum per eas infirmi morbos et vulnera, juxta illud : « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat Deus, » I *Cor.* III, 7. Unde medici, æque ac ægri, maxime invocare debent Deum, ut per medicinas et pharmaca sanitatem operari dignetur; uti fecere S. Cosmas et Damianus, S. Pantaleon, et alii, qui proinde morbis etiam incurabilibus medebantur virtute, non tam humana quam divina, uti habet eorum Vita. Quin et Hippocrates in ipso totius artis proœmio : « Non solum, inquit, ægrotus præstare se debet opportuna facientem, sed et medicus, scilicet adhibere curationem, et Dominum deprecari, ut dirigat opera sua. » Probat Siracides medicum esse a Deo, ideoque honorandum; quia medicina et medela ejus est a Deo. Est argumentum a conjugatis; simile est si dicam: Calidum fit ab igne, quia calor fit ab igne: Gelu efficit frigidos, quia efficit frigus.

Dices, nonne magi et sagæ sæpe opera dæmonis ægros sanant? Respondeo : Sanare, at non vi sua, sed applicatione causarum secundarum, quas ad hoc Deus instituit; non ergo vi sua, sed Dei sanant, adeoque Deus est qui sanat; dæmones autem tantum applicant instrumenta Dei. Adde, sæpe phantasticam tantum esse dæmonis curationem, idque multis modis, quos recenset noster Delrio, in *Magicis*. Denique curati a sagis et magis, communiter in eosdem vel graviores morbos recidunt.

Addit Siracides : « Et a rege accipiet donationem, » id est donativum, cum scilicet ei sanitatem restituit, ejusque vitam conservat, tuetur et prorogat : unde videmus mire a regibus honorari et ditari medicos, utpote a quibus vita eorum pendeat.

Vers. 3.

3. DISCIPLINA MEDICI EXALTABIT CAPUT ILLIUS, ET IN CONSPECTU MAGNATORUM COLLAUDABITUR. — Pro *disciplina*, græce est ἐπιςήμη, id est *scientia*. Pro *collaudabitur*, græce est θαυμασθήσεται, id est *admirationi erit*. Unde Complutensia vertunt : *Scientia medici exaltabit caput illius, et coram magnatibus in admiratione erit*; Romana, *suspicietur;* Tigurina, *movet admirationem proceribus;* Syrus : *Ob scientiam medici exaltabunt illum, et coram regibus constituent eum.* Ita videmus medicos insignes per medicinam ad magnas opes et honores conscendere, et a magnatibus coli et suspici, juxta illud :

Dat Galenus opes, dat Justinianus honores :

et illud Plinii, lib. XXIV, cap. I, conquerentis medicos Romanis, etiam Imperatoribus dominari : « Paremus externis, et una artium (medicina) Imperatoribus quoque imperat. » Idem, lib. XXIX, cap. I, tradit Erasistratum, Aristotelis filia genitum, Antiocho rege sanato, centum talentis donatum fuisse a Ptolemæo, filio Antiochi. Similia ingentia Cassiorum, Rubriorum, aliorumque medicorum stipendia vel honoraria ibidem recenset.

Plinius, Cato et alii damnarunt medicinam.

Quare eo loco Plinius graviter in medicos et medicinam invehitur et declamat, aitque Romanos primis sexcentis ab Urbe condita annis medicis caruisse, ac medicinam tandem medicorum expertos, eam damnasse : « Discunt, inquit, periculis nostris, et experimenta per mortes agunt; medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est. » Et mox : « Quid enim venenorum fertilius, aut unde plures testamentorum insidiæ. » Hæc et plura Plinius ex Catonis sententia. Sed Plinium et Catonem refutat Valesius, *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXIV. Non enim ista sunt artis, sed hominum vitia. Plinio et Catoni tamen astipulati sunt multi veterum. Diogenes Cynicus medicos vocabat communes carnifices, teste Plutarcho in *Lacon.*, Arcesilaus, apud Laertium, lib. IV, cap. VI : « Sicut ubi multæ sunt leges, ait, ibi plurimum vitiorum est : sic ubi plures sunt medici, ibi multi sunt ægrotantes. » Adrianus Imperator moriens dixit illud Menandri vulgatum : « Turba medicorum Cæsarem perdidit. » Ita Dio. Addunt alii, ipsum illud suo sepulcro quasi epitaphium insculpi jussisse. Tiberius Cæ-

sar ridiculum dicebat eum, qui post sexagesimum annum consuleret medicum, utpote qui sexaginta annis non didicisset experientia quid sibi salubre esset, quid insalubre. Nam, ut ait Plinius : « Medicinæ efficacissimus magister est usus. » Et Plato in *Convivio* : « Medicus peritissimus, qui novit quid amet, quid respuat natura. » Nicocles medicos felices vocabat : « Quoniam eorum successus sol intuetur, errores autem tellus operit. » Ita Antonius, in *Melissa*, part. I. serm. 76, ubi et citat Stratonicum dicentem medico : « Laudo tuam experientiam, quia non sinis infirmos computrescere, sed illos statim e vita liberas. » Pausanias eum medicum censebat optimum, qui non sineret ægrotos extabescere, sed quam primum sepeliret. Ita Plutarchus in *Lacon.* Philemon. : « Medico, ait, et advocato occidisse, impune est. » Democritus : Sapiens, inquit, cum ei imperitus medicus dixisset, Undenam senex factus es? respondit. « Quia non sum usus medico. »

Refelluntur. Verum aliud hic docet Siracides, multisque argumentis probat, et celebrat medicos et medicinas, tanquam a Deo institutos. Unde et angeli iis usi sunt, ut Raphael curans cæcitatem Tobiæ, cap. VI, 8. Sic et gentiles docuerunt medicinam esse Apollinis et deorum inventum. Unde Ovidius I *Metamorph.* loquentem inducit Apollinem :

> Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
> Dicor...

Hinc et Æsculapius, Hippocrates, Galenus, et multi philosophorum fuere medici. Accedit, quod animalia cætera ex instinctu naturæ certis herbis medeantur suis morbis, uti quotidie videmus facere canes et feles. Tertullianus, lib. *De Pœnitentia*, in fine : « Cervus, inquit, sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos rursus oculare de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit? » Idem tradunt S. Hieronymus, in cap. VII *Eccles*, 5; Pacianus, tract. *De Pœnitent.* et Plinius, lib. VIII, cap. XXVII. Sic palumbes sibi medentur lauro, ciconiæ origanum comedentes stomachi fastidium levant. Quocirca Ægyptii medicinam repræsentabant per palumbem lauri ramusculum ore gestantem, ait Pierius, *Hierog*; XXII, p. 205, B. Alii per ciconiam, ait idem, *Hierog*; XVII, p. 159, A. Denique celebre est illud Homeri :

Fastidii symbolum palumbes.

> Vir medicus par est multorum millibus unus.

Et illud Demadis : « Ægris medicos, infortunatis amicos adesse oportet. »

Vers. 4. 4. ALTISSIMUS CREAVIT DE TERRA MEDICAMENTA (ita Romana ; græce enim est φάρμακα : perperam ergo Jansenius et alii legunt *medicinam* : hæc enim non e terra, sed e cerebro creata est), ET VIR PRUDENS NON ABHORREBIT ILLA. — Syrus : *Deus de terra creavit medicamenta, et vir sapiens non spernet ea.* Multi abhorrent a pharmacis, quia illa palato et stomacho ingrata sunt, moventque nauseam, et sæpe vomitum. At vir prudens non idcirco abhorrebit ea, sciens illa a Deo creata, ut per ea sibi paret sanitatem : nam dolor est medicina doloris ; ac dolor modicus et brevis pellit dolorem gravem et diuturnum. Amplectetur ergo hoc Dei beneficium cum gratiarum actione, ac quidquid in catapotiis est amaritudinis, magno animo transglutiet, idque pœnitentiæ pro peccatis præteritis et mortificationis loco accipiet. Qua de causa noster B. Franciscus Borgia solebat pilulas dentibus masticare, ut diu earum amaritudine palatum affligeret et cruciaret.

Vers. 5. 5. NONNE A LIGNO INDULCATA EST AQUA AMARA? — Notat lignum quod Moses injecit aquis amaris in Mara, eoque illas dulcoravit, et Hebræis potabiles effecit, *Exodi* XV, 25. Sensus est, *q. d.* Vel ex hoc ligno quod medicatum est aquis amaris, perspicias vim medicinæ, quantumque virium ad medendum Deus dederit herbis, radicibus et lignis. Unde videtur quod hæc vis dulcorandi ligno illi fuerit naturalis, idque magis insinuant Græca, quæ habent : *Nonne ligno dulcuit aqua, ut cognosceretur vis ejus* (ligni quod præcessit, non Dei) *ab homine?* Esto Hebræi censeant lignum hoc fuisse amarissimum, ac proinde per miraculum dulcorasse aquas. Quod si sequaris, sic exponas, *q. d.* Si per lignum amarum Deus tantam dulcedinem operatus est, quid faciet per herbas, quibus vires indidit similes, et appositas ad hunc illumve morbum curandum? Vide dicta *Exodi* XV, 25, ubi fuse de hoc ligno egi.

Vers. 6. 6. AD AGNITIONEM HOMINUM VIRTUS ILLORUM, ET DEDIT HOMINIBUS SCIENTIAM ALTISSIMUS, HONORARI IN MIRABILIBUS SUIS. — Ita hæc dispungunt et connectunt Romani, licet Jansenius et alii cum Græcis modernis τὸ *ad agnitionem hominum virtus illorum* referant ad versum præcedentem. Sed incongrue, nam τὸ *illorum* cum sit plurale, referre nequit lignum singulare : refert ergo « medicamenta » vers. 4. Sensus igitur est, *q. d.* Deus creavit medicamenta et pharmaca ad hoc, ut homines virtutem et vires illorum agnoscerent; imo hanc ipsam cognitionem et scientiam vel indidit, vel suggessit illis Altissimus, ut per hoc honoraretur in mirabilibus suis, scilicet tum virtutibus et viribus, quas pharmacis ipse indidit, tum operationibus et effectibus, quos illa operantur in corporibus animalium et hominum ad ea sananda, vel in sanitate conservanda. Unde Syrus vertit : *Per lignum enim dulces factæ sunt aquæ amaræ, ut cognoscatur virtus Dei, qui dedit filiis hominum sapientiam, ut glorificetur in fortitudinibus suis.*

Pharmaca a Deo creata. Id verum esse docet experientia in pharmacis tum simplicibus, tum compositis. Simplicibus : quanta enim et quam admirabilis est virtus, quam Deus indidit colocynthidis ad expurgandum to-

tum corpus? rhabarbaro ad vacuandam bilem? agarico ad vacuandum phlegma? alkermes ad melancholiam? rosmarino, rutæ, betonicæ, salviæ, buglossæ, menthæ, majoranæ, etc., ad corroborandum et exhilarandum cor, stomachum et cerebrum? Quis enarret salutares virtutes auri potabilis, aquæ vitæ, sive vini caustici, argenti vivi, salis, sulphuris, aceti, lapidis bezohar, gemmarum, metallorum? etc. Vide Dioscoridem, Plinium, Aristotelem, Matthiolum, Galenum, Hippocratem, cæterosque Physicos et medicos. Sane Aristoteles, lib. I *De Part. animal.* cap. V : « Nihil, inquit, in natura tam minutum est, tam vile, tam abjectum, quod non aliquid admirationis hominibus afferat. » Vere natura est instrumentum, imo organum divinitatis. Unde Aristoteles, *ibid.*, et Galenus, lib. III *De Usu partium,* cap. X, asserunt nullum esse opus naturæ, in quo miri et divini aliquid non refulgeat, præ se ferens Dei conditoris sapientiam. Vide Lævinum Lemnium, *De Occultis naturæ miraculis,* ubi inter alia, lib. II, cap. XXXIV : « Si succo, inquit, malvæ aut mercurialis manus oblinas, inoffense citraque læsionem plumbum liquefactum tractare poteris, modo celeri motu id perficias ; » in hoc tamen auctore censores nonnulla correxerunt. Compositis : quam mira enim, miræque virtutis est compositio pilularum cochiæ, aloes, gemmarum, etc., item tot syruporum, unguentorum, cataplasmatum, collyriorum, etc.

Natura est organum divinitatis.

Maxime vero id patet in theriaca, quæ facile ex nonaginta simplicibus, apta proportione inter se commixtis et contemperatis mire componitur, valetque contra venena, pestem, ac pene omne genus morbi. Adinvenit eam Andromachus, medicus tempore Neronis imperatoris. Simile, sed antiquius est mithridaticum, ex 54 rebus compositum, Mithridatis regis Ponti inventum, quo ipse quotidie utens, ita corpus contra venena obfirmavit, ut, cum victus a Romanis iis se perimere vellet, ne a Romanis in triumphum duceretur, id efficere non posset.

Vers. 7 et 8.

7 et 8. IN HIS CURANS MITIGABIT DOLOREM, ET UNGUENTARIUS FACIET PIGMENTA SUAVITATIS, ET UNCTIONES CONFICIET SANITATIS, ET NON CONSUMMABUNTUR OPERA EJUS. PAX ENIM DEI SUPER FACIEM TERRÆ. — Syrus : *Iis* (medicamentis) *medicus mitigat dolores, et etiam aromatarius conficit aromata ; quia non deficit operatio et sapientia de facie terræ.*

Sensus est, *q. d.* Altissimus, « in his, » id est per hæc, scilicet pharmaca e terra a se creata, aut « in his, » id est per hos, scilicet medicos, quibus dedit medicandi scientiam, curans ægrum, mitigabit ejus dolores. Rursum ex iisdem « unguentarius, » græce μυρεψός, id est *aromatarius, pharmacopœus,* « faciet pigmenta, » græce μίγμα, id est *mixtum* sive compositum ex variis aromatibus, herbis et succis inter se contemperatis, « pigmenta, » inquam, sive composita, « suavitatis, » quæ scilicet suavem exspirent odorem, recreantem nares et cerebrum ægri et cæterorum, atque ex iisdem « unctiones conficiet sanitatis ; » quibus scilicet ungendo corpus ægri illi sanitatem restituat. Hinc *pigmentarius* vocatur aromatarius et pharmacopœus, qui ex aromatibus conficit compositum aliquod suave et odoriferum ; componendo enim illud quasi pingit et fingit, facitque pigmentum. Sic *pigmenta* vocantur unguenta, quibus utuntur puellæ ad venustandam faciem ; item colores pictorum, et metaphorice colores Rhetorum, denique mendacia et fraudes ; hæ enim indigent colore et fuci compositione, ut veritatis speciem induant ; sicut is quo pingitur non est naturalis color, sed artificialis, arteque commixtus et compositus.

ET NON CONSUMMABUNTUR OPERA EJUS, — *q. d.* Hæc pharmaca non sunt consummata, id est perfecta et plane sufficientia, ut sanitatem homini restituant, nisi Deus concurrat, et per ea hominem sanet ; Dei enim est dare pacem, id est sanitatem super faciem terræ. Ita Tigurina, cujus verba mox recitabo. Aut potius, *q. d.* « Non consummabuntur, » id est non est finis herbarum et compositionum ; nam in dies uti novi morbi, ita contra eos novæ herbarum vires, et novæ pharmacorum compositiones a medicis et aromatariis inveniuntur, idque ex mira Dei in homines benignitate et beneficentia.

PAX ENIM (id est prosperitas et sanitas) DEI (est, id est Deo curæ est, ut eam effundat) SUPER FACIEM TERRÆ, — sicut super eamdem facit oriri solem suum, et pluit super justos et injustos : tanta enim est Dei bonitas et clementia, ut, licet homines innumeris peccatis eum offendant, ipse tamen illis sua beneficia continua communicet, ac inter ea, pharmaca nova contra novos morbos suggerat et subministret. Ita Valesius, *Sacræ Philosophiæ,* cap. LXXIV. Utilitatis medicinæ, inquit, ascripsit Ecclesiasticus duo exempla, dicens : « Curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis. » Nam hæc duo pertinent ad meliorem tolerantiam morbi, et quamdam facultatis refectionem ; ut, scilicet, per anodinas unctiones dolor mitescat, et per suavia pigmenta voluptas concilietur. Addit vero : « Et unctiones conficiet sanitatis, » *q. d.* Alias quoque conficiet unctiones necessarias, quibus non solvat solum dolorem, aut voluptatem conciliet, sed morbum ipsum demoliatur, dolores aliquando etiam augens.

PAX (igitur) DEI SUPER FACIEM TERRÆ, — quia « Dominus dabit benignitatem, et terra dabit fructum suum, » alimenta scilicet et medicamenta. Paulo aliter Palacius : « Pax Dei, » inquit, qua vult hominibus mederi, est super terram, id est in lapidibus et herbis terræ. Græca jam nonnullis omissis de more concise sic habent : *His medetur et dolorem ejus tollit, his jam aromatarius mixtionem conficit ; nec finis est operum ejus, et pax ab*

ipso in superficie terræ; Tigurina : *Ipse sanat per hæc, tollitque dolorem hominis : pharmacopola mixturas suas his temperat, cujus tamen non sunt exacta opera, sed a Domino dimanat in terram late jacentem. Mixturas,* scilicet tam unguenta ad ungendum corpus exterius, quam catapotia et similia, quæ sumuntur interius, ac trajiciuntur in stomachum. Hoc enim duplici genere pharmacorum uti solent medici. Et Noster forte utrumque hic notavit, prius per *unctiones*, posterius per *pigmenta*. Nec obstat τὸ *unguentarius;* hic enim idem est quod pigmentarius, aromatarius, pharmacopæus; inter pharmaca enim vulgo maxime nota sunt unguenta; præsertim quia antiquitus eo processerat luxus, ut unguenta in potu adderent, teste Æliano, lib. XII, et Juvenali, *Satyra* 6 :

> Cum perfusa mero spirant unguenta Falerno,
> Et foliata sitis.

Pharmaca animæ sunt Sacramenta.

Allegorice hæc veriora sunt in pharmacis animæ, puta SS. Sacramentis, præsertim Extremæ Unctionis, quæ lenit dolores animæ et corporis, ac utrique sæpe sanitatem restituit, ut docet S. Jacobus, cap. v, 14. Vide ibi dicta.

Tropologice et anagogice, Rabanus : « Spirituales medici, inquit, secundum artis suæ peritiam, salubriter ad salutem animarum exhibent fomenta doctrinarum, unguenta adhortationum, atque malagma assiduæ orationis, medicabiles etiam potus atque cibos divinarum Scripturarum. Faciunt etiam, ubi necesse est, exustionem excommunicationis, vel incisionem virgarum, ut, quoquo modo possint, hominem ab ægritudine vitiorum perducant ad sanitatem bonarum virtutum. Quod autem dicit, non consummari opera ejus, significat quod usque ad finem mundi verus medicus noster non cessat per ministros suos quotidie sanitates in Ecclesia sua operari, donec in extremo examine totum quod mortale est absorbeatur a vita : et tunc fiet quod sequitur : Pax Domini super faciem terræ, quando absumpta morte in victoria resurgent mortui incorrupti, et transferentur ad possidendam patriam cœlestis regni. »

Denique pigmentarius noster Christus dat nobis « pigmenta suavitatis, et unctiones sanitatis, » id est præcepta suavia simul et sana, puta præcepta charitatis quæ omnes labores et dolores lenit, præsertim accedente unctione gratiæ Christi, quæ « computrescere » facit « jugum a facie Dei », *Isaiæ* x, 27; vide ibi dicta. Vide et nostrum Blasium Viegas, in cap. II *Apocal. Comment.* IV, sect. 57.

Unguentarius Christus.

Audi Hugonem : « Unguentarius, id est Christus, faciet pigmenta suavitatis, » id est Sacramenta novæ legis « unctiones conficiet sanitatis, » id est dona Spiritus Sancti. Sacramenta ecclesiastica vel evangelica *pigmenta* vocantur, quia redolent; *suavitatis*, quia suavia sunt. Dona Spiritus Sancti dicuntur *unctiones sanitatis*, quia illis ungitur anima et sanatur a septem vulneribus peccatorum. Timor enim sanat superbiam, pietas invidiam, scientia iram, fortitudo acediam, consilium avaritiam, intellectus gulam, sapientia luxuriam. *Cant.* I : « Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. » Ubi Glossa : Unguenta, inquit, sunt dona Spiritus Sancti, quæ invisibiliter animam reficiunt.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE OFFICIIS ÆGRI UT SANITATEM RECUPERET.

Vers. 9.

9. FILI, IN TUA INFIRMITATE NON DESPICIAS TEIPSUM. — Ut negligas ea adhibere quibus sanitatem recuperes, ac sine ulla procuratione valetudinis maneas quasi jumentum; sive, quia de sanitate desperas, sive, quia nimis præsumis et præfidis de naturæ viribus, aut de cura et providentia Dei, ita in illum te tuaque resignans, ut deses et otiosis nolis admovere manum operi ad ea procurandum, quæ prudentia et medicina procuranda dictant, quæque Deus instituit et sanxit. Tales sunt multi plebeii, pauperes et rustici, qui se suosque morbos plane negligunt, omnemque eorum curationem Deo relinquunt. Τὸ *teipsum* jam non est in Græco, sed tantum *non despicias*, scilicet te, tuam infirmitatem et sanitatem. Tigurina nectit sequentibus, sicque vertit : *In morbo tuo, fili, ne prætereas, quin Domino supplices, etenim ipse sanabit te;* alii : *Fili, in ægrotatione tua noli esse negligens; sed precare Dominum, et ipse sanabit te.* Est enim peccatum mortale, inquit Palacius, si spes est salutis, eam non curare. Porro Rabanus pro *non despicias*, legit, *non desperes teipsum;* « quia desperatio, inquit, affligit animam, et mortem illi parit certissimam. »

Ægri officia.

SED ORA DOMINUM, ET IPSE CURABIT TE. — Syrus : *Fili mi, etiam in mente tua ora coram Deo, quia ipsemet sanat.* Primum est hoc ægri officium, scilicet, Primum. ut antequam medicinas et medicos conquirat, pro sanitate precetur Deum. Deus enim vitæ et mortis, infirmitatis et sanitatis uti est auctor, sic idem est et reparator : quare si humili, sincero et ardenti corde invocetur, ægrum, si ita ejus saluti æternæ expediat, sanitati restituet, uti restituit Ezechiam, *Isaiæ* XXXVIII, 5. Si non expediat, dabit robur ad fortiter sustinendos morborum dolores et ærumnas; itaque augebit merita et coronas patientiæ et pœnitentiæ, ac charitatis, contemplationis, et desideriorum cœlestium, ad quæ ægrum

Infirmitatis utilitas.

stimulat ipsa ægritudo. Audi S. Gregorium Nazianzenum in senio semper infirmum, in carmine *De Dei desiderio* :

At mea sors magnus Deus est, multique dolores,
Atque gravis morbus, qui mihi membra quatit.
Ad breve me tempus lacera, scelerate : relinquam
Nam tecum gaudens aspera cuncta brevi;
Namque crucem membris, medioque in corpore gesto;
Inque viis : crux est lausque decusque meum.

Vide eumdem, epist. 64, 66, 67 *ad Philagrium*. Et in *Distichis*, ubi ait : « Sicut aurum in fornace, ita vir bonus afflictione exploratur, ac plerumque dolor incolumitate levior est, magisque expetendus. » Tantum enim Dei donum est infirmitas, quantum sanitas, et sæpe majus. Idem Nazianzenus, apud Antonium in *Melissa*, cap. LVII : « Docebat nos, inquit, nec applaudere, nec flecti passionibus; sed contemnere lutum, et corpus quidem nostrum pati sinere, utpote necessario sive nunc, sive non multo post pro lege naturæ dissolvendum (peribit enim aut morbo, aut longo tempore confectum); nos vero animam in sublime tollere, et cogitationibus conversari cum Deo. » Ita faciebat S. Paula, teste S. Hieronymo in ejus Epitaphio : « In languoribus, inquit, et crebra infirmitate dicebat : Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, et corruptivum hoc vestiatur incorruptione. Et iterum : Sicut superabundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio. Ac deinde : Ut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. In mœrore cantabat : Quare tristis es, anima, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei et Deus meus. » S. Cyprianus, epist. *ad Demetrianum* : « Nullus, inquit, iis dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur adversis, nec frangimur, nec dolemus, neque in ulla aut rerum clade, aut corporum valetudine mussitamus; spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. » Salvianus, lib. I *Gubernat. Dei* : « Infirmitas carnis, inquit, mentis vigorem exacuit. » Audi et Bedam in *Proverbiis* : « Infirmitas carnis si patienter sustineatur, est quasi purgatorius ignis. » Et : « Quantum bonum habeat sanitas, ostendit infirmitas. » Et S. Bernardum : « Semper, inquit, in infirmo corpore validior est spiritus; nam virtus in infirmitate perficitur, » II *Corinth.* XII, 9. Vide ibi dicta.

Denique audi S. Laurentium Justinianum, in *Ligno vitæ*, cap. II *De Orat.* : « Omnes medici pecuniis, Deus autem noster pura oratione ad conferendam sanitatem placatur. Hæc spiritales sanat morbos. Nam hæc est potissimum remedium ejus qui vitiorum tentamentis æstuat, ut, quotiescumque quolibet tangitur vitio, toties se ad orationem vertat; quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguet. Et sicut aqua ignis extinguitur, ita concupiscentiarum vitiosarum impetus oratione superatur. »

Æger ergo crebro recitet orationem S. Francisci : « Gratias tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas, quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore, non parcas, cum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena. »

Denique quam utilis sit infirmitas, quamque infirmus se Dei voluntati resignare debeat, ut vel sanitatem det, vel patientiam, pulchris exemplis S. Antonii Didymum arguentis, quod doleret se captum oculis, quos cum muscis communes habemus; S. Pachomii, S. Thomæ Cantuariensis, S. Vedasti et aliorum, docet noster Alphonsus Rodriguez, tract. 8 *De Conformit. cum voluntate Dei*, cap. XVIII. Gnomen S. Pachomii recitavi superius cap. II, vers. 4.

10. AVERTE A DELICTO, ET DIRIGE MANUS, ET AB OMNI DELICTO MUNDA COR TUUM. — Syrus : *Aufer iniquitates et mendacium, et ab his omnibus peccatis munda cor tuum.* Est hoc *secundum* ægri officium, ut scilicet conscientiam suam examinet, et, si in eâ aliquod delictum repererit, illud aboleat per pœnitentiam. Certum enim est morbos sæpe hominibus ob delicta immitti. « Ideo (ob indignam Synaxin) inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt (id est moriuntur) multi, » ait Paulus, I *Cor.* XI, 30. Et Christus ad ægrum jam a se sanatum : « Ecce sanus factus es, ait : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, » *Joan.* V, 14. Et S. Basilius, *Reg. fusius disput.* regula 55 : « Morbi, inquit, sunt flagella peccatorum, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius commutemus. » Sic Deus Oziam regem sacerdotium invadentem lepra percussit, II *Paralip.* XXVI, 18, æque ac Mariam sororem Mosis ob murmur, *Num.* XII, 10. Ita Jeroboam regem Israel idololatrantem, et manus extendentem in Prophetam, ariditate mulctavit, III *Reg.* XIII, 4. Vers. 10. Secundum.

Porro Siracides ad pœnitentiam tria requirit, scilicet *primo* : « Averte, inquit, a delicto; » scilicet mentem et voluntatem tuam, id est concipe propositum amplius non delinquendi, nec peccandi. Unde Græca Romæ emendata habent : *Amove delictum*; Tigurina : *Missum fac delictum.*

Præclare Plinius Secundus, lib. VII, epist. *ad Maximum* : « Nuper, inquit, me cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum, aut avaritia, aut honor sollicitat? non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, et quantulumcumque ut relicturus, satis habet : tunc deos esse, tum hominem esse se meminit : invidet nemini, neminem despicit : ac ne sermonibus quidem maligus, aut attendit, aut alitur. Si contingat evadere, in noxiam beatamque destinat vitam. Tales ergo esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi. »

Secundum est : « Dirige manus » ad rectam operationem, *q. d.* Propone deinceps te recte operaturum, et imprimis te restituturum quod rapuisti, vel injuste detines; ac benefacturum aliis, præsertim pauperibus indigentibus. Tigurina : *Manus rectas exhibe : manus,* id est opera tua et actiones, ait Vatablus. « Cum enim homo sibi soli dat, ait Palacius, manus curvat in se : at quando proximis dat, dirigit in eos. Audi Isaiam hujus loci interpretem, cap. LVIII, vers. 7 : Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur. Hoc ergo modo dirige manus, si tibi vis cito sanitatem oriri. »

Tertium est : « Ab omni delicto munda cor tuum, » scilicet per contritionem et pœnitentiam, quæ nunc ex institutione Christi includit confessionem et satisfactionem. Unde liquet, pœnitentiam non esse nudam resipiscentiam, sive vitæ mutationem, qua homo novum vitæ et virtutis genus ineat (ut volunt Lutherani). Insuper ad eam requiri veteris vitæ in peccatis actæ destructionem per contritionem, castigationem et pœnitentiam.

Quocirca cap. *Cum infirmitas, De pœn. et remiss.*, sancitur ut medici, priusquam corpus graviter vel periculose ægrotantis curare incipiant, eum moneant de confessione facienda. Et quia hæc lex consuetudine abrogata erat, idcirco Pius V, motu proprio, anno 1566, qui incipit *Super gregem*, illam renovavit, addiditque ne medici ultra tertium diem visitent ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet : denique ut antequam ad gradum doctoratus admittantur, ab illis exigatur juramentum, quo jurent se hanc legem servaturos. De qua lege vide Suarez, III part., tom. IV, disp. 35, sect. III. Ita B. Petrus Damianus, epist. 129 *ad Eremit.*, monachum, eremi suæ decumbentem in lecto sic affatur : « Charissime frater Maure, confitere, pœnitentiam age, et si quid est in te, quod fortassis a tremenda Missarum te celebratione prohibeat, venerabilis tua fraternitas sacris obtemperare canonibus non contemnat. »

Pœnitere oportet in morte. Exempla.

Porro pœnitentia maxime opus est in morte, ut reconciliemur Deo, ut satisfaciamus pro offensis, ac infernum evitemus, breveque habeamus Purgatorium. Unde S. Augustinus, inquit Possidius *in ejus Vita*, « dicebat laudatos Christianos et sacerdotes absque digna et competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit ultima qua defunctus est ægritudine. Nam sibi jusserat Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus infirmitatis suæ intuebatur et legebat, et jugiter ac ubertim flebat. » S. Laurentius Justinianus moriturus noluit in lecto decumbere, sed in matta, dicens : « Non in pluma Dominus meus, sed in durissimo ligno cubitavit. Meministis dicti B. Martini : Non decet christianum hominem mori nisi in cinere et cilicio. » Similia dixit et fecit S. Franciscus, cæterique eximii Sancti, ac nostro sæculo S. Carolus Borromæus ejusque asseclæ, qui morituri in cinere et cilicio decubuerunt et occubuerunt.

11. DA SUAVITATEM ET MEMORIAM SIMILAGINIS, ET IMPINGUA OBLATIONEM. — *Tertium* est hoc ægri officium, ut scilicet peracta de peccatis pœnitentia, offerat Deo sacrificium pro salute sua. Vers. 11. Tertium.

Pro *suavitatem* græce est εὐωδίαν, id est *suaveolentiam* sive *suavem odorem* : pro *memoriam*, græce est μνημόσυνον, id est *monumentum* vel *memoriale* « similaginis, » id est similæ : ita vocabatur pars illa similæ, quæ imposito thure Deo cremabatur, ut per illam consecraretur tota simila Deo oblata et sacrificata, ut dixi *Levit.* II, 2. Sensus ergo est, *q. d.* Offer Deo sacrificium *mincha*, id est farris et similæ, quod imposito thure suavem exhalet odorem, Deoque sit memoriale, tum tuæ oblationis et obsecrationis pro obtinenda salute corporis et animæ, tum tuæ gratitudinis et recognitionis divinæ potentiæ et opis. Rursum « impingua, » id est pinguem offer, « oblationem, » puta pinguem, selectam et insignem victimam. Fere enim cum *mincha*, id est sacrificio farreo, offerebant Deo victimam carneam, v. g. hædum, ovem vel vitulum, ut perfectum esset sacrificium : sacrificium enim est quasi convivium Dei. In convivio autem requiritur, tum simila et panis, tum caro animalium. Potest quoque per « suavitatem » accipi, thus et thymiama suaveolens, quod Deo adolebant Hebræi. Unde Tigurina : *Suffimentum adole, commendatitiamque* (Vatablus, *commendatricem*, vel *gratam, quæ scilicet sacrificantem Deo commendet*) *similaginem, et munus opimum consecra.*

Hoc verius fit in nova lege per sacrificium Eucharistiæ, quæ simul est mincha et victima; quia in ea sub speciebus panis offertur Deo ipsa caro Christi, ipseque Christus pinguis et ardens charitate devotionis; quare hæc Deo jugem nostri, pro quibus offertur, memoriam ingerit, ut omnes nostras infirmitates sanet, omneque robur et bonum conciliet. Ita S. Gorgonia morbum corporis prodigiosum quo laborabat, cum medicos admittere nollet, Eucharistiæ sumptione miraculose sanavit, uti refert ejus frater S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 11, qui *orat.* 19, idem refert de patre suo, eum scilicet morbum suum gravem celebrando Missam depulisse. Multo magis Eucharistia medetur morbis animæ; unde a Patribus vocatur *pharmacum immortalitatis*, quia ejus virtute resurgemus ad vitam immortalem, *Joan.* VI, 40. « Panis ergo et vini, ait Rabanus, sacrificium in memoriam Dominicæ passionis oblatum præcipue animarum vulnera curat, cum per sacerdotis ministerium in altari simul cum sacris orationibus Deo offertur. Unde sicut B. Gregorius in libris *Dialogorum* ait : Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multum solet animas, etiam post mortem, sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare; ita ut non-

S. Gorgonia sanatur Eucharistia.

nunquam ipse defunctorum animæ hoc videantur expetere : et non solum defunctis, sed etiam vivis multum profuturum esse idem sacrificium creditur, si digne offeratur. »

Græci addunt ὡς μὴ ὑπάρχων, id est *tanquam non existens;* Romana, *tanquam non sis, q. d.* Offer oblationem Deo, humiliando te summe coram illa majestate, cujus nomen est το *ens*, ita ut coram ea æstimes te non esse, nec existere; quia tuum esse umbraticum est, et umbra tanquam essentiæ divinæ, adeo ut Dei nomen sit « ens, » creaturæ vero « non ens, » uti dixi, *Exodi* III, 14. Tigurina vertit : *Ut qui non feras priores,* quod Vatablus explicat, *q. d.* « Ut qui non prior ponas beneficium, sed accepti gratiam testeris. » Verum τὸ *tanquam non existens* delent Latina omnia et S. Augustinus in *Speculo.*

Mystice hæc omnia infirmitati spiritali animæ, puta, ejus vitiis et passionibus per octo remedia, quæ hic assignat Siracides, curandis pulchre adaptat noster Jacobus Alvarez de Paz, lib. V de *Vita spirit.* part. II, cap. XIII.

Vers. 12 12. ET DA LOCUM MEDICO : ETENIM ILLUM DOMINUS CREAVIT; ET NON DISCEDAT A TE, QUIA OPERA EJUS SUNT NECESSARIA. — *Quartum* est hoc ægri officium, ut scilicet post orationem, pœnitentiam et sacrificium, qua Dei archiatri opem imploravit, det quoque locum medico. Deus enim vult sua beneficia homini largiri non per se solus, sed homine cooperante : vult enim ut homo pariter faciat quod in se est, ac adhibeat media a Deo et a natura instituta, quale in infirmitate ad adipiscendam sanitatem est medicus et medicina. Addit, « et non discedat a te, » quia non sufficit ægro semel consuluisse medicum; sed crebro eum consulat oportet, ut medicus melius complexionem ægri, et qualitatem morbi indaget, eique pharmaca congrua adhibeat; præsertim quia morbus suos habet paroxysmos, certisque diebus suas variat vices et crises, quas medicus studiose observet oportet, ut judicet de morbo ejusque remediis. Et esto revalescere incipiat æger, tamen ne statim dimittat medicum, ne per imprudentiam, vel ignorantiam, vel intemperantiam, in morbum recidat : recidiva enim morbi ipso morbo est periculosior. Igitur medicus ægro adsit, donec plene convalescat, ac deinde modum tuendæ et conservandæ sanitatis ei præscribat. Unde Tigurina vertit : *Deinde locum des medico, ut cujus Dominus auctor sit; nec discedat a te, quia ipsius indiges;* Romana, *nam et ipso opus est.* Græce enim est χρεία, id est *opus, utilitas, necessitas, indigentia,* uti dixi vers. 1. Syrus : *Et etiam medico da locum; quia* (etiam) *in eo est utilitas : quia tempus est, in quo per eum prosperetur valetudo.*

Quartum.

Lyranus per medicum accipit spiritalem, puta sacerdotem; quia, ait, ejus est orare pro ægro, uti subdit Siracides. Verum clarum est intuenti hæc omnia ad litteram pertinere ad medicum corporalem.

Porro veteres Ascetæ et Anachoretæ medicis et medicinis abstinebant, tum quia in eremis et locis solitariis longe ab urbibus et medicis degebant, tum studio paupertatis, austeritatis, pœnitentiæ et mortificationis. Axioma enim eorum erat : « Morbus corporis est purgatio animæ; » item : « Corporis infirmitas est mentis sanitas et firmitas, » ideoque corpus ad omnes labores et dolores assuescendo obdurabant : tum quia suspirabant ad cœlum, ut ex hoc exsilio liberi evolarent ad beatam vitam, ideoque morbis et asperitatibus, æque ac deliciis et voluptatibus, superiores evadere nitebantur. Ita S. Pachomius, ut habet ejus Vita, Theodoro discipulo infirmanti non aliam medicinam dedit, nisi hanc : « In dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe, et quando voluerit Dominus, conferet tibi sanitatem. » Alterum vero reprehendit, quod manus laborando laceras oleo perunxisset. Abbas alius, in *Vitis Patr.* lib. VII, cap. XX, discipulo ægrotanti hoc pharmacum dedit : « Ne contristeris, o fili, ex infirmitate; summa enim religio est ut ex infirmitate quis gratias agat Deo. Si ferrum es, per ignem amittis æruginem. Si aurum es, per ignem probatus a magnis ad majora procedis. Sustine ergo et ora Deum, ut ipse quæ vult illa concedat. » Ibidem alius sæpe ægrotans, cum per annum morbo caruisset, mœstus dixit Deo : « Reliquisti me, Domine, et noluisti me hoc anno visitare. » Morbus enim carnis purgatio est animæ.

Ascetæ prisci abstinebant medicis: cur?

Quocirca magnus ille Abbas Johannes, qui Theodosio Imperatori victoriam contra tyrannos prædixit, cuidam poscenti a tertiana liberari : « Rem, inquit, tibi necessariam cupis abjicere; ut enim corpora nitro abluuntur a sordibus, ita animæ languoribus aliisque hujusmodi castigationibus purificantur. » Mox tamen votis ejus obsequens, oleo a se benedicto eum curavit. Ita Ruffinus in *Vita S. Johannis,* quæ habetur in *Vitis Patr.* lib. II, cap. I, juxta editionem nostri P. Rosweydi. Ibidem in *Vita S. Posthumii,* legimus eum in febrium et stomachi tormentis nec calidis rebus usum, nec jejunia imminuisse, dictantem : « Quod si corpori calido cibo consuleretur, a Domino redemptio animæ non daretur. » Sic et S. Antonium in morbis non minuisse jejunia, solitaque virtutum officia, refert in Vita ejus S. Athanasius. Similia de S. Hilarione scribit S. Hieronymus.

Posteriores iis usi: cur?

Verum posteriores Ascetæ et religiosi hunc rigorem temperarunt, ac secuti consilium Siracidis, medicos et medicinas admittunt; imo suadent et præcipiunt, ut videre est in Regulis S. Basilii, S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci, etc. Vide S. Basilium *in Regulis fusius explicatis,* reg. LX, ubi multis docet utendum esse medicis et medicinis, sed ita ut spes sanitatis in Deo potius quam in illis reponatur. Unde concludens ait : « Neque igitur fugienda penitus ars ista est, neque rursus ome

nia in ea salutis nostræ præsidia collocanda; sed quemadmodum, licet agriculturæ usum acceperimus, frugum proventum tamen postulamus a Deo; et quamvis gubernatori clavum committamus, Deum tamen, ut nos ex alto incolumes conservet, oramus : sic nihilominus cum medicum adhibemus, idque ratio fieri concedit, neutiquam a spe illius erga nos bonitatis debebimus discedere. Mihi vero etiam ad colendam continentiam haud mediocre momentum ars hæc de qua loquimur, videtur afferre. Siquidem animadverto ab ea et delicias amputari, et crapulam damnari epularum, præterea varietatem et exquisitam nimis condimentorum prave excogitatam solertiam, tanquam inutilem improbari. In summa denique indigentiam ab ea sanitatis matrem appellari. »

Vers 13 et 14. 13 et 14. EST ENIM TEMPUS QUANDO IN MANUS ILLORUM INCURRAS (id est incurrere, eorumque curæ te credere et committere debeas) : IPSI VERO DOMINUM DEPRECABUNTUR, UT DIRIGAT REQUIEM EORUM, ET (Complutensia pro *et* legunt *in*) SANITATEM PROPTER CONVERSATIONEM ILLORUM, — « illorum, » scilicet non medicorum, sed sacerdotum, qui offerunt Deo similaginem et oblationem, ut dixit vers. 11. Sacerdotum enim est deprecari Dominum pro salute ægri, medicorum vero est ei mederi. Favent Græca, dum ita legunt : *Est tempus, cum et in manibus eorum est* εὐωδία, id est *suavitas odoris. Nam et ipsi Dominum deprecabuntur, ut dirigat ipsis requiem et sanationem propter restituendam valetudinem :* εὐωδία enim, id est *suavitas odoris*, in offerendo thure et thymiamate, spectat ad sacerdotes, non ad medicos, *q. d.* Dum adhibes medicum, simul adhibe sacerdotes, qui suis precibus et sacrificiis invocent Deum, ut dirigat medici concilia et pharmaca, eo modo, « ut requiem, » id est sanitatem et valetudinem, ægro restituant. Noster vertit, « propter conversationem illorum, » hoc est quia ab eis hoc requirit vitæ eorum ratio, et quia præ aliis sanctitati et pietati student. Ita Lyranus et Jansenius.

Verum εὐωδία, id est *suavis odor*, scilicet herbarum, florum, aquarum medicarum, et aliorum pharmacorum, est quoque in manibus medici, ut per ea sanitatem ægro conferat. Adde alios pro εὐωδία legere εὐοδία, id est *successus, prosperitas* : nonnulli legunt εὐδοκία, id est *voluntas, beneplacitum*. Unde Tigurina vertit : *Est cum medicorum quoque manus successum consequantur; nam et ipsi Dominum orant ut lenimentum secundet sibi, vitæque causet curationem.* Ubi ἀνάπαυσιν, id est *requiem*, exponit *lenimentum*, quo medicus per pharmaca lenit dolores ægri. Alii : *Orant Dominum ut tribuat prosperam quietem, et sanationem victus causa;* Syrus : *Quia orabit* (medicus) *ad Deum, et dabit per manus ejus tibi sanitatem, et veniet per eum sanitas et vita.* Quare aptius hæc referas ad medicos, quam ad sacerdotes; ad medicos enim totus hic locus spectat. Est enallage : « illorum, » id est illius, scilicet medici, de quo sermo præcessit. Dicit « illorum, » quia multi sunt medici : « illorum » ergo, id est alicujus ex illis, quem vel tua voluntas et electio, vel necessitas tibi offeret.

Significat ergo Siracides, ait Jansenius et Valesius, *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXIV, officium boni medici esse, non solum remedia morbis accommodata applicare, eisque niti et confidere, sed etiam Deum invocare et orare, ut sua et ingenia et remedia ad ægrorum salutem dirigat ac fortunet. Res enim, in qua medicus versatur, est per se magna magnisque periculis obnoxia, quæ ob id non solum prudentiam, sed etiam piam curam et sollicitudinem requirit : qua neglecta gravissimæ offensiones, ac periculosæ curationes esse solent. Cum enim arti suæ plurimum fidunt medici, ita ut non curent Dei directionem implorare; fit nonnunquam ut eorum conatus Deus non prosperet, sed subvertat. Itaque nostræ lectionis hic erit sensus : Est tempus, quando in medicorum manus incurras. Ipsi autem non suæ arti nimis fident; sed Dominum deprecabuntur, ut dirigat et fortunet requiem quam ægris adferre student, hoc est sanitatem; idque quia hoc pertinet ad eorum conversationem, hoc est officium et vitæ rationem.

Aliter Lyranus : « Propter conversationem, » inquit, id est propter sanctam vitam illorum. Aliter et Palacius : « Propter conversationem, » inquit, id est ut liceat medicis conversationem habere cum ægroto, quem ad salutem revocarunt. Aut, *q. d.* Rogabunt medici pro salute infirmi : nam si medicus infelix sit, ac neminem sanet, quomodo poterit cum hominibus conversari? Ergo ut conversationem cum eis habeat, roget pro eorum salute. Græce est ἵασιν χάριν ἐμβιώσεως : ἐμβιώσις autem significat *primo*, vitam; *secundo*, victum; *tertio*, conversationem. Unde *primo*, Tigurina vertit : *Ut Deus secundet et det curationem vitæ causa*, ut scilicet per curationem medici ægrum vitæ et sanitati restituat. Hinc et Romani vertunt : *Sanationem propter restituendam valetudinem; secundo*, alii vertunt, *ut det sanationem victus causa;* ut scilicet Deus per manus medici sanitatem ægro restituat, hoc inter alios fine et fructu, ut scilicet medici sanando ægros victum sibi comparent : hæc enim est eorum ars ex qua vivunt; *tertio*, Noster vertit : Ut « dirigat sanitatem propter conversationem illorum, » eo sensu quem jam dedi.

Medicus invocet Deum, ut medicina sit efficax.

Nota hic officium medicorum esse, non tantum medica arte, sed et precibus sanctaque vita ægris impetrare requiem et sanitatem, id est quietam sanitatem, sanamque quietem. Idem docet Hippocrates : idemque fecere excellentissimi medici S. Cosmas et Damianus, uti dixi vers. 2. Sanctitas enim meretur ut Deus dirigat actiones cuique proprias, easque secundet et prosperet : medicorum autem actio propria est mederi et curare

ægros. Ita Thalassius asceta oratione et signo crucis curabat suos colicos dolores, et viperæ morsus, teste Theodoreto, in *Hist. relig.* cap. XXII. Nam, ut idem ait cap. XVI : « Sanctorum deprecatio est commune omnium malorum remedium. » Ita S. Laurentius signo crucis Lucillum aliosque cæcos illuminavit. Ita in *Vitis Patrum* legimus S. Hilarionem, S. Antonium, plurimosque alios anachoretas oratione et oleo a se benedicto curasse graves et incurabiles multorum morbos.

Vers. 15. 15. QUI DELINQUIT IN CONSPECTU EJUS QUI FECIT EUM, INCIDET (Syrus, *traditur*) IN MANUS MEDICI. — Legit Interpres ἐμπέσειται, id est *incidet* : jam Complutensia et Romana legunt ἐμπέσοι, *incidat*, optative vel imperative, *q. d.* Dignus est qui incidat, ut hac pœna castigetur, ac ad Deum redeat. Tigurina vertit : *Qui in Creatorem suum peccaverit, in manus medici solet incidere.* Sensus est, *q. d.* Qui peccare audet coram Deo, imo contra Deum factorem suum, a quo suum esse, suam sanitatem, omneque bonum accepit; ipse hac sua ingratitudine et malitia meretur sanitate, imo vita, omnique bono privari, ac morbis exagitari, ideoque medicorum manibus subjacere, a quibus multa dura et acerba remedia cogetur sustinere, et insuper pro tortura hac largum eis stipendium persolvere. Significat peccata esse causas morborum, indeque medicinarum molestarum et affligentium : quare abstinendum esse a peccatis, ut careamus morbis et medicinis.

Medicina tortura.

Nota aptam metaphoram vel allegoriam : medicus enim comparatur tortori vel judici, medicinæ comparantur torturæ et carnificinæ, æger reo; peccata ægri criminibus rei. Hinc S. Scriptura sæpe morbos vocat *funes*, et lectum cui æger affigitur vocat *carcerem*; quia scilicet morbi sunt pœnæ peccatorum, quibus quasi funibus et equuleo peccator ligatur, constringitur et torquetur, ac consequenter de medico loquitur quasi de apparitore vel judice, qui delinquentes comprehendat et conjiciat in carcerem, jubeatque lecto decumbere, atque in eo quasi in equuleo potionibus, sectionibus, clysteribus, cucurbitis, balneis, cauteriis, ustionibus, aliisque sexcentis modis et cruciatibus torqueat et affligat. Ita sentit S. Job morbis a Deo afflictus, cum dixit, cap. VII, 12 : « Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? » Et David, *Psalm.* XVII, 5 : « Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. » Et Christus sanans infirmam : « Mulier, dimissa es ab infirmitate, » *Lucæ* XIII, 12. Et vers. 16 : « Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? » Hinc S. Laurentius Justinianus senex ægrotans, cum medicus ejus carnes incideret, ad ictum ferri stetit immobilis, ac timenti medico dixit : « Incide audacter; neque enim laminas Martyrum novacula tua superabit. » Ita habet ejus Vita.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE LUCTU MORTUORUM MODERANDO, ET CAVENDA TRISTITIA.

Vers. 16. 16. FILI, IN MORTUUM PRODUC LACRYMAS (Nazianzenus, *orat.* 10, legit, *plora*), ET QUASI DIRA PASSUS INCIPE PLORARE. — Tigurina : *Fili, effunde lacrymas super mortuo, luctumque ut acerba passus exordire*; alii : *Fili, super mortuum dimitte lacrymas, et ut acerba patiens ordire lamentum.* De hoc lamento dixi cap. XXII, 13. Syrus : *Fili mi, super mortuum multiplica lacrymas, et doleat te, et dicito ululatum.* Ab ægris et morbidis congrue transit ad mortuos, quibus jubet ultima justa funebria persolvi. *Primum* ergo officium mortuis debitum est deplorare eorum mortem, tum illorum, tum nostri causa. Illorum, quod summum hujus ævi bonum, scilicet vitam, amiserint in perpetuum; quia nunquam ad eam redituri; nostri, quia utile et gratum illorum, utpote parentum, cognatorum, amicorum, vel vicinorum alloquium, consilium, auxilium, omneque cum eis commercium amisimus, nunquam illud in hac vita recuperaturi. Sane qui in morte cognatorum gaudent, eo quod in eorum hæreditatem et bona succedant, hi illis se ingratos et inhumanos exhibent. Alii quasi stolci insensibiles apathiam induunt, ut nullius amici vel rei deperditæ dolore tangantur : hi quoque carent humano et communi commiserationis affectu. Unde omnes fere gentes planxerunt suos mortuos, ut hic planctus juris gentium esse videatur. Sic Abraham flevit mortem Saræ, *Genes.* XXIII, 2. Jacob mortem nuntiatam (sed falso) Josephi, *Genes.* XXXVII, 35, ac mortem Deboræ nutricis Rebeccæ, sepeliensque eam subter quercum Bethel, inde loco nomen dedit : « Quercus fletus, » *Genes.* XXXV, 8. Joseph planxit mortem Jacob : quin et Ægyptii eamdem planxerunt, *Genes.* L, 9 et seq. S. Augustinus planxit mortem matris S. Monicæ, lib. IX *Confess.* cap. XII. Hunc enim planctum exigit communis fidelium humanitas, pietas et charitas.

Justa mortuo debita. Primum.

Audi S. Paulinum, epist. *ad Pammachium* consolatoria de obitu uxoris ejus Paulinæ : « Bonæ lacrymæ charitatis, in quibus pater Abraham matrem repromissionis eduxit. Bonæ lacrymæ pietatis, quas Joseph justus impendit patri. Bonæ et lacrymæ orationis, quibus et David stratum suum per singulas noctes rigabat. Sed quid Sanctorum mortalium prædicem fletus? Flevit et Jesus amicum; hanc etiam passionem de nostra

infelicitate dignatus, ut mortuo infunderet lacrymas, et quem resuscitaturus erat virtute divina, infirmitate lugeret humana. Licet in illo uno totam simul conditionem generis humani misericors et miserator Dominus deploraverit, et illis lacrymis peccata nostra fleverit et laverit. Idcirco et tuæ, frater, lacrymæ sanctæ et piæ : quia simili affectione manarunt, et dignam casti cubilis flevere consortem, non diffidentia resurrectionis, sed desiderio charitatis. »

Secundum. ET SECUNDUM JUDICIUM CONTEGE CORPUS ILLIUS, ET NON DESPICIAS SEPULTURAM ILLIUS. — Est hoc secundum ac tertium pietatis officium mortuis debitum; *secundum*, ut corpus mortui tegatur sudario, sindone fasciisque sepulcralibus « secundum judicium, » id est juxta morem et ritum funerum, quem quæque regio usurpat. Hebraice enim משפט *mispat*, id est *judicium*, sæpe morem et usum significat. Dedecorosum enim, miserum et inverecundum esset illud vestibus omnibus spoliare, et nudum spectandum omnibus proponere. Tigurina : *Corpus ejus contege juxta ritum funerum;* alii, *secundum consuetudinem ejus* (uti solebat vivens tegi et vestiri) *contege corpus ipsius;* Syrus : *Et sicut decet, collige corpus ejus, et ne contemnas sepulturam ejus.*

Tertium. *Tertium* : « Et non despicias sepulturam ejus; » Tigurina : *Nec sepulturam negligas.* Repete τὸ *secundum judicium*, id est juxta ritum funerum et morem patriæ. Quo, *primo*, significatur et jubetur corpus non esse projiciendum in sterquilinium, uti projiciuntur corpora boum et equorum; nec rursum inhumatum avibus et feris laniandum esse relinquendum; sed terræ, ex qua formatum est, reddendum; idque ob spem resurrectionis. Ideo enim corpora hominum, non animalium, terræ quasi custodi commendantur, ut in die resurrectionis terra Deo resuscitanti illa, quasi deposita sibi commendata reddat. Ita S. Maria Ægyptiaca moriens inscripsit (vel nomine ejus angeli inscripserunt) terræ : « Sepeli, Zozima, miseræ Mariæ corpusculum. Redde terræ quod suum est, et pulveri adjice pulverem. Ora Dominum pro me. Ipsa nocte salutiferæ passionis post et divinæ et sanctæ cœnæ communionem. »

Bestiæ et angeli sepelierunt Sanctos. Illa enim nocte mortua est. Ita refert oculatus testis Zozimas, auctor Vitæ ejus, qui et addit leonem a Deo missum qui fossam unguibus effoderet, in quam ipse corpus S. Mariæ inferret. Sic et duo leones, a Deo missi, S. Antonio excavarunt sepulcrum S. Pauli primi Eremitæ, teste S. Hieronymo, in ejus Vita, S. Luciani presbyteri et martyris corpus jussu Maximiani imperatoris in mare projectum delphinus e mari in littus extulit, ut honeste sepeliretur. S. Stanislai, Cracoviensis Episcopi et martyris, corpus aquilæ a feris defenderunt, ut sepulturæ mandaretur. S. Moses et S. Catharina ab angelis sepulti sunt in monte Sina. S. Sebastianus post martyrium et mortem, apparens S. Lucinæ, jussit ut corpus suum projectum in cloacam inde eximeret, et in catacumbis juxta vestigia Apostolorum SS. Petri et Pauli sepeliret. Sic honesta sepultura martyribus cæteris a christianis procurata est, etiam cum præsentissimo vitæ periculo; imo plures hac de causa martyrii lauream adepti sunt, ut videre est in *Martyrol.*

Quatuor fines et fructus sepulturæ. Sepultura ergo, *primo*, est decus defuncti; *secundo*, refricat memoriam ejus vitæ et virtutis; *tertio*, est memoriale resurrectionis; *quarto*, efficit ut Sancti quibuscum sepelimur pro nobis orent. Ita S. Augustinus, lib. *De Cura pro mortuis*, ubi cap. II, ait : « Ista omnia, inquit, id est curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt, quam subsidia mortuorum. »

Secundo, jubet ut sepultura fiat « secundum judicium, » id est ritum et morem patriæ. Sic Judæi corpora sepelienda inungebant aromatibus more Ægyptio, uti fecere Jacobo, *Genes.* L, 2, et Christo Domino, *Joan.* XIX, 40. Ritus priscus christianorum est, ut fidelium sepulturas ornent psalmodia, cantu, tedis, cereis accensis, floribus, campanarum pulsu, vestibus atris, uti multis SS. Patrum testimoniis et exemplis docet Baronius, tom. I, anno Christi 34, cap. CCLXXV, in funere S. Stephani.

Tertio, ut fiat epulum funebre tum amicis, tum pauperibus, juxta illud *Tobiæ* IV, 18 : « Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue; » qua de re plura dixi superius.

Quarto, ut oretur, et sacrificia fiant pro anima defuncti, uti fecit Judas Machabæus pro suis in bello occisis, II *Machab.* XII, 43. Idipsum fuse probat Bellarminus, tract. *De Purgatorio*, et Baronius, anno Christi 34, cap. CCLXXIX.

Vers. 17 et 18. 17 et 18. PROPTER DELATURAM AUTEM AMARE FER LUCTUM (græce πίκαρνον κλαυθμόν, id est *amarum fac luctum*) ILLIUS UNO DIE, ET CONSOLARE PROPER TRISTITIAM. ET FAC LUCTUM SECUNDUM MERITUM EJUS UNO DIE, VEL DUOBUS PROPTER DETRACTIONEM. — Syrus : *Vinum et alimentum filiis hominum qui flent, et fac mœrorem ut convenit illi die uno aut duobus propter homines, et consolare propter vitam.*

Græca de more concisa sic vertunt : Complutensia : *Acerbum fac fletum, et accende planctum;* Romana : *Amarum fac ploratum, et calefac planctum* (lacrymæ enim sunt calidæ, et calefaciunt vultum, hinc vicissim per calorem eliciuntur et augentur), *et fac luctum secundum dignitatem ejus uno die, vel duobus propter detractionem; et admitte consolationem propter tristitiam;* Tigurina : *Acerbam cie lamentationem, et ne male audias, planctum accende* (alii, *ardentem ede planctum*), *luctuque quo dignus est eum prosequere, idque die uno aut altero, ut evites calumniam; deinde admitte consolationem, ut mœrorem minuas.*

« Delaturam » vers. seqq. vocat *detractionem* et calumniam, *q. d.* Amare plora mortem amici « propter delaturam, » ne scilicet quis cavilletu-

tibique detrahat, imo apud alios deferat, accuset et criminetur, quod illum oderis, vel gaudeas de morte illius, si non amare plores. At noli plorare more ethnico inconsolabiliter; sed more fidelium post ploratum amarum unius vel alterius diei, « consolare, » id est consolationem admitte, « propter tristitiam, » ne scilicet nimia tristitia obruaris, illaque tibi morbum, maniam vel mortem conciliet. « Et fac luctum secundum meritum, » græce ἀξίαν, id est *dignitatem* « ejus, » id est juxta quod dignus est a te defleri; magis enim dignus est defleri, ideoque reipsa deflendus est princeps, quam plebeius; pater, quam cognatus; Mecænas, qui te aluit, quam communis amicus; vir sanctus, quam simplex fidelis. Idque propter « detractionem, » ne scilicet quis tibi tanquam inhumano vel impio detrahat. Minus recte ergo Rabanus per *detractionem* accipit *abscessionem*, hoc est mortem, per quam anima abscedit a corpore, ab eoque detrahitur et avellitur.

Porro Judæis carnalibus competebat amarus mortuorum ploratus; christianis vero ob clariorem fidem et certiorem spem resurrectionis, valde moderandus et mitigandus est. Unde Apostolus, I *Thessal.* IV, 12 : « Nolumus, inquit, vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem (resurrectionis) non habent. » Igitur fideles et christiani non tam lugent mortem Sanctorum, quam quod per mortem eorum sancta doctrina et exemplis destituantur, uti planxerunt S. Stephanum planctu magno, *Act.* VIII, 2. Qua de causa S. Ambrosius valde lugere solebat senum mortem, qui sua prudentia et sanctitate junioribus præibant viam virtutis et perfectionis. Unde ipse, lib. II *De Abele*, cap. III : « Quam gaudeo, ait, cum aliquos mites ac sapientes diu vivere video, etc.; quia prosunt pluribus! Similiter, cum hujusmodi decedit, quamvis longa senectute depositus, afficior, quia destituitur grex juvenum muro senili. »

Dices : Quomodo cap. XXII, 13, statuit septem dies luctui; hic vero unum tantum vel duos? Respondeo : Primus ille amarus ob mortuum parentem vel amicum ploratus et planctus durabat, et etiamnum durat, uno alterove die, quo peracto remittitur ille, succeditque moderatus et lenis luctus, durans ad septem dies. Vide dicta cap. XXII, 13. Ita S. Paulinus hunc locum explicat et pertractat epistola *ad Pammachium*, qua eum lugentem mortem uxoris suæ Paulinæ quæ filia erat S. Paulæ, consolatur : « Scriptura divina, ait, quæ producere nos lacrymas quasi evaporando dolore permittit, termino quoque designato præscribit tempora, cum dicit amaritudinem luctus uno ferendam die. O divitiæ bonitatis Dei! quam pia idipsum sollicitudine nostri cavet, non pietatis propensæ invidus, sed infirmitatis nostræ conscius, et omnis immodici temperator, lacrymas mortuo produci jubet; amaritudinem vero lugendi uno tantum die claudit, illud porrigi sinens quo relaxatur dolor, et anima respirat; istud vero præcidens quod immoderato et irrationabili cruciatu mentem nostram conficit, quodque diutius fragilitas nostra non valet sustinere. Sed hoc plenius ipsa suo verbo pietas Dei explicat; subjecit enim : Et consolare mature propter tristitiam. A tristitia enim festinat mors, et cooperiet virtutem; quia tristitia illa tantum salutaris, quæ secundum Deum est; ista autem (ut Apostolus ait), quæ secundum hominem, hoc est de infirmitate est, carnalis est tristitia. » Sapienter S. Hieronymus, *epist.* 29, consolans Theodoram lugentem mariti Lupicini obitum : « Verum, ait, est illud super necessitate mortis prophetale vaticinium, quod fratres dividat, et carissima inter se nomina crudelis et dura dissociet? Sed habemus consolationem; quia Domini voce jugulatur, per quam ad eam dicitur : Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne. » Et paulo post : « Adversus ergo mortis duritiam, et crudelissimam necessitatem hoc solatio erigimur, quod brevi visuri sumus eos quos dolemus absentes. Neque enim mors, sed dormitio et somnus appellatur, ut, quos dormire novimus, suscitare posse credamus, et post digestum soporem vigilare cum Sanctis, et cum Angelis dicere : Gloria in excelsis Deo. »

S. Hieronymus Theodoram.

Eamdem in luctu funereo suorum moderationem verbis et factis docuere cæteri Patres, ut S. Augustinus in funere matris suæ Monicæ, lib. IX *Confessionum*, cap. XII. S. Ambrosius in obitu fratris sui Satyri, Nyssenus, in *Oratione funebri* fratris sui S. Basilii, S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 10, quam habuit in funere fratris sui Cæsarii, et 11, in funere sororis suæ Gorgoniæ, et 19, in funere patris sui Gregorii, ac S. Bernardus, serm. 26 *in Cantica*, in morte fratris sui Gerardi. Eamdem moderationem adhibuit Christus in morte Lazari, ubi lacrymatus est; sed mox a lacrymis ad ejus suscitationem se transtulit, *Joan.* XI, 35. Notavit id S. Basilius, homil. 4 *De Gratiarum actione* : « Voluit, inquit, affectus, qui vitari nequeunt, astringere et circumplecti intra moderatam quamdam temperiem et certos limites. Nimirum inclementiam quidem, quæ nullius tangitur commiseratione declinans, tanquam feram immanem; studium vero affectati doloris, et immoderatam lamentationem, velut rem ingenerosam excludens. » Eadem est S. Cyrilli Alexandrini explicatio, lib. VII *in Joannem*, cap. XX : « Erudiit, inquit, nos Dominus suis lacrymis, quonam modo caros nostros vita functos, moderate, et lege rationis moderatis lacrymis flere debeamus. Nam ex toto nec compati, nec mœrere ferinum est et durum; horum vero exuberantia, muliebre. » Accedit S. Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 175 : « Christus, inquit, ob Lazarum lacrymas profudit, regulas nobis ac terminos figens, ne bacchantium more pro mœstitia præ-

Moderandus est luctus defunctorum.

S. Paulinus solatur Pammachium in luctu uxoris defunctæ.

cipites agamur. » Idem docuit vadens ad crucem; conversus enim ad filias Jerusalem plangentes : « Nolite, inquit, flere super me, » *Luc.* XXIII, 28. Nam, ut ait S. Leo, serm. 10 *De Passione* : « Solet sexus infirmior, etiam pro iis qui morte sunt digni, in lacrymas commoveri, et damnatorum exitiis pro naturæ communis consideratione misereri; sed istum sibi planctum Dominus Jesus dedignatur impendi; quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam. »

Vers. 19. 19. A TRISTITIA ENIM FESTINAT MORS, ET COOPERIT VIRTUTEM, ET TRISTITIA CORDIS FLECTIT CERVICEM. — Græca de more brevius sic habent : *A tristitia enim procedit mors, et tristitia cordis flectit*, vel *curvat vigorem et robur*; Tigurina : *Nam tristitia in mortem exit, animique tristitia vires infringit*; Syrus : *Quia a mœrore generatur angustia; ita enim cor malum* (id est miserum et mœrens) *plusquam mors confringit anxietate pauperes, et adducit tristitiam; quia vita pauperis ad maledictionem cordis.*

Dat causam cur in luctu defunctorum mittenda sit consolatio, et moderanda tristitia; quia scilicet tristitia tria ingentia causat mala : *primum* est, quod ex ea manat, imo « festinat, » id est festinato et cito obvenit « mors; » *secundum*, quod « virtutem, » id est vires hominis « cooperit, » id est deprimit et supprimit, ac tandem obruit et opprimit, ut homo fiat enervis, languidus, impotens et ineptus ad omnia; *tertium*, quod « flectat cervicem, » ut homo qui antea alacer incedebat, animosus et rectus, jam mœstus incedat, dejectus et curvus, quasi elumbis, prostratis omnibus animi et corporis viribus. Tristitia igitur accelerat mortem, attenuat vires, et inducit senium, quo cervix curvatur, et homo sibi accelerat mortem; quia vita est in calido et humido; at tristitia frigida est et sicca, terrena scilicet et melancholica; lædit vero tristitia vitam; ac proinde nervos, in quibus sunt vires hominis, terrenos facit et hebetes, ac fere melancholia tectos, et ideo debiles : nervi igitur debiliores curvantur, ac ideo fit senex incurvus.

Tria tristitiæ damna.

Vide quæ de damnis et remediis tristitiæ dixi cap. XXX, 22. Sic et Lyrauus : « Tristitia, inquit, est passio mortificativa, et cooperit virtutem, id est suffocat virtutem naturæ, qua debilitata cervix et caput flectitur, sicut per fortitudinem ejus erigitur. »

Vers. 20. 20. IN ABDUCTIONE PERMANET TRISTITIA : ET SUBSTANTIA INOPIS SECUNDUM COR EJUS. — Ita Romana, Complutensia et alii legunt : ἐν ἀπαγωγῇ, *in obductione*, vel *inductione*, id est in plaga, calamitate, afflictione, uti dixi cap. II, vers. 2. Verum cæteri legunt cum Nostro, ἐν ἀπαγωγῇ, id est *in abductione*. Rursum Romani et alii pro παραμένει, id est *permanet*, legunt παραβαίνει, id est *transit*, abit, discedit. Unde nonnulli sic vertunt, *in inductione abit tristitia*, *q. d.* Per inductionem animi, qua scilicet animus sibi accersit et inducit cogitationes lætas, sibique persuadet se esse felicem, abit tristitia. Hinc et apte subjungitur : « Et substantia inopis secundum cor ejus, » ut scilicet, si inops cordi suo persuadeat se satis opum habere ad honeste vivendum, sit lætus et felix; sin autem persuadeat sibi deesse necessaria vitæ, miser vivat et infelix. Hinc et Græca Romæ emendata habent : *In abductione transit et tristitia, et vita pauperis secundum corda*; et Tigurina : *Amoliendo* (objecta et cogitationes tristes) *mœstitia præterit, et afflicti vita constat animo.* Græcum enim βίος significat proprie vitam, indeque victum, substantiam et opes, quibus vita conseratur. Verum Noster et cæteri legunt contrarie παραμένει, id est *permanet.*

Abd o-tio quid? Respond. Primo.

Quæres, quænam hæc *abductio*, in qua permanet tristitia? *Primo*, aliqui censent esse abductionem in carcerem. Unde vertunt : *In carcere permanet tristitia*; Græcum enim ἀπαγωγῆ, subinde idem est quod αἰχμαλωσία, id est *captivitas*, conjectio in carcerem, vel abductio.

Secundo.

Secundo, Lyranus censet esse abductionem a bono ad malum; quia sicut bona vita est causa lætitiæ, sic mala est causa tristitiæ : quare, si quis a bona vita sinat se abduci in malam, ex lætitia labitur in tristitiam.

Tertio.

Tertio, magis litteraliter, *abductio* hæc accipi potest ab usu rerum, et a conversatione hominum, puta solitudo et inedia; hæc enim et similia pariunt melancholiam, ut patet in Timone Atheniensi, qui mœstus semper fugiebat homines, imo optabat perire homines; unde vocatus est μισάνθρωπος, id est *osor hominum*, teste Laertio, Plutarcho et aliis. Ita Palacius : Si te abducas, inquit, ab hominum familiaritate, permanebit in te tristitia; quæ si permanserit, actum est de substantia et facultatibus tuis; substantia enim hominis est secundum cor ejus. Si enim homo cum attentione et diligentia suam substantiam tractet, eam conservabit : at si tristitia pressus eam negligat, plane ei peribit.

Quarto.

Quarto, melius Rabanus et Jansenius explicant, *q. d.* Tristitia permanet in homine per hoc quod abducit animum suum a consolatione et consideratione eorum quæ dolorem mitigare possent; et subsistentia pauperis vel afflicti est secundum cor ejus, talis est et vita atque subsistentia ejus, ut, si cor ejus sit mœrens, vere sit misera ejus vita, et brevis futura; si lætum aut tranquillum, nihil ei obsit externa calamitas, diuque ejus vita sit duratura. Aut « substantia pauperis est secundum cor ejus, » hoc est ex corde dependet divesne quis sit habendus an pauper. Si enim modico contentus est, et paupertatem æquo fert animo, reputandus est vere dives; si vero animo est intranquillo, etiamsi multas possideat divitias, vere pauper est. Itaque secundum hunc sensum significatur tristitiam esse ingens malum, utpote quæ divitem facit egenum, et pauperem facit bis infelicem.

Quinto et

Quinto, simpliciter et plane accipi hic potest

Hebraica. abductio in captivitatem, inopiam, calumniam, similemve calamitatem, qua scilicet vel persona abducitur in exsilium, aut carcerem, aut infamiam : vel opes ejus et bona abducuntur et abripiuntur a furibus vel grassatoribus, uti abducta fuere S. Jobi, cap. I. Hæc enim causa est et objectum tristitiæ, et quamdiu manet ista, manet et hæc.

Confirmatur *primo* : nam Græcum ἀπαγωγὴ proprie idem est quod inductio, deductio, submotio, abductio, exsilium, captivitas, in carcerem conjectio, accusatio, et quævis delatio. Et thema ἀπάγω idem est quod abduco, abigo, abstraho, subduco, defero, rapio ad supplicium, ad judicem; in carcerem abduco.

Secundo, quia Complutensia pro ἀπαγωγῇ legunt ἐπαγωγῇ, quod Noster vertere solet « obductio. » Unde nonnulli manuscripti hic legunt « in obductione, » id est in calamitate vel clade, qua mens obducitur et obvelatur, « permanet tristitia. »

Tertio, quia sequitur : « Et substantia inopis secundum cor ejus, » *q. d.* « In abductione, » id est spoliatione, inopia et calamitate, « permanet tristitia, et, » id est quia, « substantia inopis est secundum cor ejus, » hoc est, efficit cor sibi simile, illudque sibi conformat; ut sicut substantia inopis est arcta, modica, obscura, lurida, sordida; sic eadem et cor ipsius efficiat arctum, modicum, pusillanime, obscurum, luridum, sordidum, mœstum, melancholicum. Sicut enim opes dilatant et exhilarant cor; sic inopia, penuria et fames vicissim cor arctat et angustat, efficitque triste et mœstum. Unde græce est : *Victus pauperis* vel *mendici* κατὰ καρδίας, id est *secundum* vel contra *cor* ejus; Complutensia legunt, κάτάρα καρδίας, id est *victus* vel *substantia pauperis* est *maledictio cordis*, id est efficit cor malum, id est miserum, triste et melancholicum. *Maledicere* enim subinde idem est quod malefacere, et *maledictio* est idem quod maleficentia et maleficium; sicut ex adverso *benedicere* est benefacere, et *benedictio* est beneficentia, præsertim cum Deo tribuitur : Dei enim dicere est efficax, idemque quod facere : « Dixit enim, et facta sunt » omnia, *Gen.* I. Posset quoque *substantia* accipi pro subsistentia et vita : hanc enim significat Græcum βίος, *q. d.* Subsistentia et vita inopis est misera, sordida, mœsta et squalida : sicut cor ejus miserum est, sordidum, mœstum et squalidum.

Mystice Rabanus : « Ubi, inquit, dolor immoderatus obtinet cor, et abducitur animus ne recipiat consolationem, ibi permanet tristitia; quia hic incipit per doloris afflictionem, et in futura permanet pœna, propter diffidentiam supernæ consolationis. Veraciter enim temperatur substantia viri inopis animo secundum cor ejus : quia quantum deest illi in fide et spe, tantum isti crescit mœror in angustia et dolore. »

Vers. 21. 21 et 22. NE DEDERIS IN TRISTITIA COR TUUM, SED REPELLE EAM A TE, ET MEMENTO NOVISSIMORUM, NOLI OBLIVISCI : NEQUE ENIM EST CONVERSIO, ET HUIC NIHIL PRODERIS, ET TEIPSUM PESSIMABIS. — Probat non nimis esse lugendum et tristandum in morte amici, duobus argumentis, sive motivis : prius est, quod tristis sibi mortem acceleret; posterius, quod tristis per luctum nihil prosit mortuo, sibi vero obsit plurimum. Sensus ergo est, *q. d.* Ne cor tuum des « in tristitia, » græce εἰς λύπην, id est *in tristitiam*, ut scilicet totum te dedas et immergas tristitiæ, ut illa te absorbeat, obruat, totumque occupet; sicut qui se immergit mari, totus ab eo obruitur et absorbetur : sed « repelle eam a te, » accersendo objecta, cogitationes et exercitia quæ te lætum efficiant; et « memento novissimorum, » id est mortis et sepulturæ, quæ tibi per tristitiam accersis et aeceleras : ac horum « noli oblivisci, » quia postea non est conversio, græce ἐπάνοδος, id est reversio et reditus ad vitam, *q. d.* Vide ne ex tristitia mortem incurras, ex qua nunquam redeas ad vitam. Insuper huic, scilicet mortuo quem luges, per luctum « nihil proderis, et teipsum pessimabis, græce κακώσεις, id est *affliges*, lædes, et male, imo pessime, afficies per nimiam mœstitiam. Cur ergo tibi tantum accersas incommodum sine ullo illius commodo? ita Lyranus, Palacius, Jansenius. Unde et Tigurina vertit : *Ne dedas animum tuum tristitiæ, sed eam abige memor extremorum, ne obliviscaris eorum; neque enim inde reditio est, præterquam quod non juveris illum, et teipsum excruciaris.*

Mystice Rabanus : « Ne occupet, inquit, tristitia sæculi cor tuum, quæ mortem animæ operatur; sed abjice eam a te, et memento novissimorum temporum : quia qualis hinc exis, talis ante judicem præsentandus eris, ut recipias propria corporis prout gesseris, sive bonum, sive malum. Proinde nunquam oblivioni tradas novissimæ horæ exitum, sed semper paratus esto : quia postquam hinc exieris, nequaquam ultra huc revertens spatium bene operandi habebis; et ideo cautus esto in omnibus, ne forte in obitu proximi plus æquo doleas : quia nihil proderis illi plorando, si temetipsum læseris doloribus immensis afficiendo. »

Porro Syrus hic prorsus alio abit : omissa enim tristitia abit ad juramenta et avaritiam. Sic enim habet : *Ne des cor tuum juramentis recordare angustiæ, et aufer peccata; et ne confidas in divitiis, quia non est in illis spes : quia sicut avis cœli quæ volat et residet, ita divitiæ coram filiis hominum te lætificant, et alteri nocent.*

Vers. 23. 23. MEMOR ESTO JUDICII MEI (sic et Complutensia, licet Romana legant αὐτοῦ, id est *ejus*, scilicet amici defuncti); SIC ENIM ERIT ET TUUM : MIHI HERI, ET TIBI HODIE. — « Judicii, » id est sortis et conditionis, puta mortis meæ, quod jam vita et vivis excesserim, simque in statu mortuorum. Memento ergo quod, sicut mors mihi contigit heri, sic eadem tibi continget hodie : hodie, inquam, quia

nulli mors certas dedit inducias usque ad mane, quas optabat Chrysaorius moriens, vidensque dæmones ut se raperent, teste S. Gregorio, hom. 19 et 34 *in Evangelium*, et IV *Dialog.* cap. XXXVIII.

Mors vocatur *judicium* ob tres causas.

Mors vocatur *judicium* : *primo*, quia consueta et communis omnibus; *judicium* enim Hebræis sæpe idem est quod mos et consuetudo; *secundo*, quia justo Dei judicio Adæ et posteris ejus, ob inobedientiam et peccatum a Deo est inflicta, *Genes.* III, 19; *tertio*, quia per mortem transimus ad judicium et tribunal Christi, ut judicemur de actis bene vel male in vita, ac sententiam æternitatis, vel beatissimæ, vel miserrimæ excipiamus : ac « qualis quisque in morte reperitur, talis in judicio præsentabitur, » ait Lyranus et Hugo; unde et Tigurina vertit : *Memento sortem meam perinde esse, ut tua futura sit; heri mihi, tibi hodie*, id est brevi vel paulo post. Est enallage numeri : ponitur enim definitus pro indefinito. Jam *primo*, Palacius censet hæc dici a Siracide nomine defuncti, ut duo insinuet : alterum, ut superstes avertat oculos a morte mortui, et convertat in mortem suam cito forte futuram; alterum, ut, si adeo impatienter fert mortem defuncti, consoletur : nam fiet ut brevi moriatur, ac ita mortuus mortuum invisat. Hoc sciens David mortuo filiolo suo, deposito luctu, aiebat : « Numquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum : ille vero non revertetur ad me, » II *Reg.* cap. XII.

Secundo, melius Lyranus et Jansenius censent hæc dici a Siracide ad hoc, ut post recensita incommoda et damna nimiæ tristitiæ ex morte amicorum, doceat quid fructus et commodi ex morte eorum capere debeamus, scilicet monitionem, nos quoque brevi morituros, ut ad mortem sanctam et felicem nos comparemus, atque quo magis lectorem commoveat, ipsummet defunctum introducit loquentem, et communis sortis quemque admonentem, quemadmodum in epitaphiis frequenter fieri solet : « Memor, inquit, esto judicii mei : » hoc est conditionis meæ, quam Dei ordinatione et judicio subire debui : « sic enim erit » et tua conditio, cum Deus ita de te fieri jusserit, *q. d.* Noli te ob mortem meam nimis discruciare, sed illud potius ex illa lucri reporta, ut cogites quod, qualis est conditio mea, et quale judicium Deus in me exercuit, talis erit et tua aliquando conditio, et tale judicium etiam tibi continget. Et ne illud in longum tempus differendum tibi promittas, quod heri mihi accidit, hoc ipsum tibi hodie exspectandum est, et evenire potest. Bene enim dicit *hodie*, et non *cras*, ut intelligat quisque quemlibet dies præsentem sibi posse esse ultimum, nec sibi promittat certo aliquod vitæ tempus in futurum, juxta illud Poetæ :

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Sic et Rabanus : Judicium suum, inquit, dicit obitum de hoc mundo, quod unicuique proprium est, tam præteritis quam etiam præsentibus; quia nullus est homo super terram qui vivat, et non videat mortem. Et bene dicit, mihi heri, et tibi hodie; ac si diceret : Quod in me jam completum est, in te modo instat implendum. Hæc enim admonitio bonorum patrum est, ut filios suos admoneant, quatenus discant in casibus priorum, suum quoque in præsenti sæculo diuturnum non esse statum; ac ideo præparent sibi bonorum operum viaticum, quo in futura vita cum sanctis angelis possint vivere in perpetuum. » Porro Syrus paraphrastice ita vertit : *Recordare quod illæ* (divitiæ) *sunt tibi scissio* (a te scindentur et auferentur) *illi heri, et tibi hodie.*

Moraliter ergo, quoties vides vel audis aliquem mortuum, cogita eum tibi dicere et muto ore inclamare : « Memor esto judicii mei; sic enim erit et tuum : mihi heri, et tibi hodie. » Hinc nonnulli Religiosi, ut jugem sibi invicem memoriam mortis ingererent, ita invicem salutabant, ut prior diceret : « Moriendum est nobis; » responderet alter : « Nescimus quando. » Alii cranium defuncti, vel imaginem mortis in cubiculo statuunt, et jugiter oculis objiciunt, ut mortis meminerint. S. Joannes Eleemosynarius vivens jussit effodi sibi sepulcrum, ac quotidie admonitorem sibi in aurem dicere : « Domine, sepulcrum tuum necdum perfectum est; jube ergo illud perfici, quia brevi et forte hodie morieris. » Ita Leontius in ejus Vita. S. Bernardus de Quinta-Valle, primus S. Francisci socius, ejusque primogenitus, jam moriturus suis hoc cycneum vitæ monitum occinuit : « Fratres mei, statum quem ego habui, et vos habetis; et quem nunc habeo, vos habituri estis. Invenio autem in anima mea, quod pro mille mundis nollem non servisse Domino Jesu. » Ita *Annal. Minorum.*

Moraliter de memoria mortis.

Exempla.

Quin et Basilius Imperator, *Exhort. ad Leonem filium*, cap. XLI, eum monet ne regno, utpote brevi in morte finiendo confidat, sed bene vivendo paret se ad mortem, ut per illam transeat ad beatam immortalitatem, et ad regnum cœleste : « Istam regiam multi reges, inquit, quasi inquilini habitarunt; sed pauci regnum cœleste quasi domum suam tenuerunt. Tu vero, amantissime fili, enitere non solum regno isto terreno recte defungi, per omnem morum probitatem; sed etiam cœleste veluti hæreditario jure consequi, per omnimodæ virtutis exercitationem : hodie enim tua sunt ista palatia, crastina die tua fortasse non erunt, et perendie alterius fient, ac post perendinum diem alius adhuc post alium, ita ut nullius unquam sint propria : nam si multos vicissim permutant dominos, proprie nullum legitimum habent. Quoniam ergo nos aliis cedere oportet istam dominationem, properemus per iter virtutis illo, ubi regnum est nec morti, nec vicissitudini obnoxium, cum cætera omnia defluant et prætereant. »

Denique nostro hoc sæculo, Franciscus Vale-

sius, rex Franciæ, captus a Carolo Quinto, cum in Hispania detineretur, carceri suo inscripsit : « Hodie mihi, cras tibi. » Movit id Carolum Quintum, qui proinde memor miseræ sortis et vicissitudinis humanæ, protinus subscripsit : « Homo sum, humani a me nil alienum puto. » Vide dicta cap. VII, 40, et cap. XI, 20, et cap. XIV, 12 et seq.

Hodie tria notat. Primum. Secundum. Notat Hugo dici « tibi hodie, » non *tibi cras;* tum quia quotidie morimur; tum quia nemo de crastino, quod vivet, est securus. Unde Hebræi vivos et mortuos uno duntaxat distinguunt puncto. Nam מתים *metim* per *sceva* vocant vivos; מתים *metim* vero per *tsere* vocant mortuos; ut significent quam fragile bonum sit quod vivi obtinemus; siquidem puncto uno supra alterum posito a mortuis separamur : quod si punctum illud supra positum dematur, et lateri affigatur, Tertium cum mortuis computabimur, tum quia brevi veniet unum hodie, quo sumus morituri; cumque illud sit nobis incertum, si sapimus, quodlibet accipere debemus, ut quotidie mortem exspectemus, ad eamque simus parati, ideoque dicamus cum S. Antonio : « Hodie cœpi vivere Deo, hodie quoque finiam et moriar. » Sapienter Horatius, I *Carm.* : « Vitæ summa brevis, ait, spem nos vetat inchoare longam. » Audi S. Ephrem, serm. *De his qui in Domino dormierunt*, tom. III : « Ne nos in hodiernum vel crastinum diem impura relaxet cogitatio; quoniam multi, dum multa secum statuerunt, ad crastinum non pervenerunt : at subito rapti sunt sicut passerculi ab accipitre, et velut agni a lupo, et quasi captivus a latrone, nec loqui prorsus valentes, nec testamentum condere, neque vocem ullam edere. Alii enim, vesperi cubitum sani concedentes, ad mane non pervenerunt. Alii, ad mensam accumbentes, exspirarunt. Alii inter ambulandum et ludendum repente sunt mortui. Alii, in balneo morientes, idem lavacrum pro epitaphio ac sepultura habuerunt. Alii vero, dum nuptias celebrarent, in ipso thalamo nuptiali subito atque inopinate abrepti sunt, et eadem sibi vestimenta pro nuptiis pararunt atque pro funere : successeruntque in locum tibicinum lamentantes, et in locum saltantium atque tripudiantium lugentes atque plorantes. »

Denique audi nostrum Alvarez de Paz, tom. II, lib. IV *De cognitione sui*, part. II, cap. VII, hæc verba Ecclesiastici examinantem et pathetice perurgentem : « Memor esto judicii mei; sic enim erit et tuum. » Tuum, inquam, o homo qui vitam agis, qui vitali actione moveris, qui lucis *Pathetica mortui ad viventes oratio.* hujus usura perfrueris; qui tam es hujus sæculi negotiis immersus, et futuræ calamitatis oblitus : inanes ergo et noxias curas deponito, et conditionis meæ horribilis recordationem admittito; quia mihi et tibi una est communisque conditio, nisi quod me hesterno die, te vero hodie comprehendet : « Memor esto judicii mei; » id est sententiæ a Deo severo judice adversum me prolatæ, quam jam ejus voluntas cui nemo potest resistere, in me exsecutioni mandavit; quia eadem certissime adversum te prolata est, nisi quod vel ut emenderis, vel ob negligentiam tuam acrius puniaris, ad tempus breve differtur. Recordare, obsecro, ad bonum tuum, miseræ sortis cui me communis natura subjecit; quia non alia tibi quam mihi sors parata est; sed eidem te fragilis caro subjiciet. Mortalis es, sicut et ego : igitur morieris. Luteum vas es, sicut et homines reliqui; igitur et confringeris. Viator es, qui, quemadmodum et omnia caduca, ad finem tendis; ergo tandem mortis umbra occupaberis. Ne longam et prolixam ætatem tibi promittas : nam mors mihi accidit heri; tibi vero hodie, quamvis sis imparatus, adveniet. Est magna domina, quæ universis mortalibus dominatur : et ideo exspectari vult, et paratos mortales ac dispositos ad iter faciendum esse cupit, ipsa vero nullum exspectat, sed destinato tempore sine ulla mora ad egrediendum vocat. Hoc autem tempus non longe distat, sed hodie est; quia sicut hodierna dies citissime transiet, etsi longinquum videatur. Sed nunc audi judicium meum, audi sigillatim sortem ac conditionem meam, ut ex ea tuam valeas conjectare. Ego quidem mortem certissimam et incertissimam habui : certissimam, quia post peccatum irrefragabiliter morti fui adjudicatus : incertissimam, quia semper anceps fui quonam tempore eram moriturus, et cuinam generi mortis eram ex divina ordinatione subjectus. Talem tu mortem certissimam, atque incertissimam tibi insidiantem advertito, etc. Post mortem vero quale erit judicium tuum? Corpus tuum fiet cadaver luridum, fœtidum, vermibus scatens, quod omnes abominentur, ideoque in terram defodiant; ubi a bufonibus et serpentibus comedetur. Animæ vero judicium erit horribilius. Nam si in peccatis vixit, terribilem judicis sententiam excipiet : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, » *Matth.* XXV.

Vers. 24. Requies mortui quintuplex. Prima. 24. IN REQUIE MORTUI REQUIESCERE FAC MEMORIAM EJUS, ET CONSOLARE ILLUM IN EXITU SPIRITUS SUI. — *Primo*, Rabanus censet hic juberi ut retineatur in mente memoria defuncti : « Monet, inquit, ut in transitu morituri, oblivioni memoriam ejus non tradat, sed in mente eam ad sui meliorationem continuo servet. »

Secunda. *Secundo*, Lyranus per *memoriam* intelligit monumentum, vel mausolæum erigendum defuncto ad ejus memoriam, quale Simon Machabæus erexit patri suo Mathathiæ, ac fratribus Judæ et Jonathæ, qui patriam armis fortiter propugnaverant, ac pro ea gloriose occubuerant, I *Machab.* XIII, 17.

Tertia. *Tertio*, Dionysius sic explicat, *q. d.* Memoriam morientis fige « in requie, » quam animæ electorum habent post hanc vitam, loquendo ei de beatitudine æterna, ut dicat : « Portio mea, Domine, sit in terra viventium. »

Quarto. *Quarto*, Hugo, *q. d.* « In requie, » id est in morte defuncti opta ei, ut ipse ejusque memoria in pace requiescat, dicendo : « Requiescat in pace, » idemque pro eo sæpius Deum per te et alios precare.

Quinto. *Quinto*, idem Hugo, *q. d.* « In requie, » id est in transitu ad requiem, puta in morte, fac ut moribundus mentem et memoriam abstrahat a curis terrenis, eamque figat in vita æterna ad quam transit, ut in ea conquiescat. Verum hæc omnia parerga esse et huic loco incongrua patet ex antecedentibus, et ex Græco, qui habet : *In requie mortui fac quiescat memoria ejus*, id est, ut clare Tigurina : *Cum quiescente defuncto depone memoriam ejus.* Græce enim est, κατάπαυσον, id est *fac quiescat* in te memoria ejus, vel *seda* memoriam ejus in mente tua.

Sensus ergo est, *q. d.* Memoria defuncti vivos amicos solet magno dolore cruciare et vexare, ut nec die, nec noctu possint requiescere; sed tu, si sapis, fac ut hæc in te quiescat, sedando scilicet dolorem ex morte defuncti conceptum. Sicut enim ille per mortem requiescit a laboribus et ærumnis hujus vitæ; ita pariter dolor ex ejus morte conceptus in te conquiescat : requievit ille in pace, requiescat etiam apud te memoria ejus in pace, ut scilicet non te cruciet, non affligat, sed tantum servetur ad hoc, ut ejus amicitiam conserves, ejusque virtutes tibi imitandas proponas, ac pro eo ores. Est hoc tertium motivum, ad moderandam tristitiam in morte defuncti. Cum enim ille quiescat a luctu, cur tu indulgeas luctui? quin potius tu cum quiescente pariter conquiesce, ac de ejus quiete gaude, eique congaude. Unde Syrus vertit : *Et sicut deficit mortuus, ita deficit memoria illorum.*

Hunc sensum confirmat id quod sequitur : « Et consolare illum in exitu spiritus sui. » Ita Romana et cætera Biblia. Minus recte ergo Jansenius censet delendum τὸ *illum*, ut sensus sit, *q. d.* « Consolare, » id est consolationem accipe, in exitu et in morte illius, ut idem dicatur cum eo quod præcessit : « Requiescere fac memoriam ejus. » Igitur legendo « filium, » sensus genuinus est, *q. d.* In morte defuncti depone memoriam ejus te cruciantem; sed ante mortem dum agit animam, consolare illum, tum proponendo illi ærumnas plurimas et maximas hujus vitæ, a quibus eum mors instans liberabit, ac necessitatem mortis omnibus hominibus communem, atque beatam et æternam vitam, ad quam eum mors transmittet; tum ostendendo te hæc ipsa viva fide et spe tibi impressisse, ideoque mortem ejus patienter ferre, ac de ea consolationem accipere; ut ipse tuo exemplo eamdem patienter ferat, ac de ea consolationem tuam ultro accipiat; quia sæpe moribundos magis cruciat dolor et mœror suorum, cum scilicet vident sua morte mœrere, plorare et ejulare filios, vel parentes aut amicos, quam propria mors; cum ergo vident eos non dolere, sed consolationem ex spe melioris vitæ, ad quam transeunt moribundi, concipere, etiam ipsi dolorem deponunt, et consolationem concipiunt. Ita Lyranus, Hugo et alii. Hunc sensum insinuant Græca quæ habent : *Consolare te in illo*, id est de illo, et cum illo, *in exitu spiritus sui.* Est hebraismus : Hebræi enim verba contactus tam mentalis, quale est *consolor*, quam corporalis, construunt cum ablativo præcedente præpositione *in* : *consolari* ergo *in illo* idem est quod consolari illum, vel consolari cum illo ; ut te solando illum pariter consoleris. Inter amicos enim solatium unius est solatium alterius. Et verbum *consolor* est commune, scilicet tam activum quam passivum; ac significat consolationem dare æque ac accipere. Unde Syrus vertit : *Et consolare eum in exitu animæ ejus.*

Anima defuncti gaudet de consolatione parentum vivorum.

Addit Palacius animam defuncti consolationem accipere, si per angelos, aut alios hinc emigrantes intelligat parentes vel amicos consolationem de sua morte accepisse; tristari vero et dolere, si illos intelligat illam assidue lugere et plangere. Consolare, inquit, illum, id est si ille viveret, et te adeo tristem videret, doleret plane, nec consolationem acciperet, nisi ut prior consolationem acciperes. Crede igitur defunctum jam quoque ob tuam tristitiam tristari : consolare ergo illum, consolationem ipse recipiens in exitu spiritus ejus. Est hoc quartum argumentum, *q. d.* Parce luctui, si non causa tui, saltem causa morientis et defuncti, ne eum hoc tuo luctu affligas, imo afflicto afflictionem addas et duplices.

Huc accedit Rabanus : « Monet, inquit, ut superstes eum qui de hoc sæculo migrare incipit, fide corroboret, et spe confortet, quatenus in angustia ultimi temporis fide non deficiat, sed spem suam Deo committat : quia qui bene certantibus fidei merito promisit præmium, ipse sperantibus in se potens est sempiternum tribuere regnum. » Methodum adjuvandi morientes scripsit noster Polancus, Bellarminus et alii.

QUARTA PARS CAPITIS.

QUA DOCET SAPIENTIAM PARARI OTIO ET STUDIO, MECHANICAS VERO ARTES OCCUPARI NEGOTIO ET OPERA MANUALI.

Vers. 25. 25. SAPIENTIAM SCRIBÆ IN TEMPORE VACUITATIS. — Ita passim legunt Biblia, Rabanus, Jansenius, Lyranus, Palacius cæterique Interpretes, quin et S. Augustinus in *Speculo*. Verum corrige cum Romanis et Græcis : *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis*, scilicet comparanda est : esto eodem re-

deat utriusque lectionis sensus. Græce est : Σοφία γραμματέως ἐν εὐκαιρίᾳ σχολῆς, quod Complutensis et Romana vertunt : *Sapientia scribæ in opportunitate otii* vel *scholæ*. *Schola* enim est vox Græca significans otium : inde schola vocatur litterarum ludus, a σχολάζω, id est *vaco*, quod studiosi cæteris rebus omissis uni scientiæ vacare debeant : schola ergo est otium litterarium. Quare parergum et amusum est illud Lyrani : « Sapientiam scribæ in tempore vacuitatis, id est, ait, cum stomacho es jejuno et a cibis vacuo; tunc enim magis viget intellectus. Aut in tempore vacuitatis, id est paupertatis; nam, ut ait Secundus philosophus : Paupertas est scientiæ repertrix. » Verum nil tale significat Græcum σχολή. Unde Tigurina : *Litterata sapientia per opportunitatem otii quæritur*; Syrus : *Sapientia scribæ addet illi sapientiam*, scilicet per otium et otiosum studium sapientiæ. Scribæ enim apud Judæos erant litterati et doctores, qui sacris Litteris describendis, volvendis, meditandis, explicandis, commentandis tum voce, tum scripto insudabant.

Sapientia in otio comparanda : Cur ?

Sensus ergo est, *q. d.* Sapientia doctoris S. Scripturæ, vel sapientis cujusque in tempore otii litterarii, quo ab aliis negotiis vacat, quærenda et comparanda est, tum quia vasta est, ideoque exigit tempus integrum; tum quia profunda est, ideoque poscit totam mentis attentionem. Nam, ut ille ait :

Pluribus intentus minor est ad singula sensus,

præsertim, quia mens hominis valde limitata est et angusta; tum quia scriba, id est doctor vel scriptor sapientiæ, ingentem requirit sapientiam, ut velut sol radios sapientiæ suæ in omnes auditores vel lectores spargat; quare totus ei intendat oportet. Unde illud :

Carmina secessum scribentis et otia quærunt.

Ita S. Isidorus, lib. II *Sentent.* cap. 1 : « Nullus, ait, sapientiam Dei recipit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum cura contendit. Unde et scriptum est : Sapientia scribæ in tempore otii, et qui minoratur actu, ipse percipiet eum. »

Sapientia otium negotiosum.

Porro hoc sapientiæ otium non est otiosum, sed negotiosum : negotiatur enim in exercenda omni virtute. S. Gregorius Nazianzenus, ad S. Basilium *epist.* 36 inter epistolas S. Basilii : « Mihi vero, inquit, maximum negotium est ipsum otium. Usque adeo ad otiosam hanc tranquillitatem contendo, quasi omnibus lex quædam de ista magnanimitate lata putetur. » Et alius : « Sapiens suum duntaxat agit negotium; » circa cæteros ergo et cætera purum illi est otium.

Quocirca Diogenes Cynicus subsannans scholam Euclidis, quasi minus utilia doceret, dicebat eam non esse σχολήν, sed χολήν, id est *bilem* et *molestiam* parere; teste Laërtio lib. VI, cap. 1. Præclarius S. Bernardus, lib. II *De Consid. ad Eugen.* cap. XII : « Si recte, inquit, Sapiens hortatur sapientiam in otio scribi; cavendum et in otio otium est. Fugienda prolinde otiositas, mater nugarum, noverca virtutum. » Idem, serm. 85 *in Cant.* : « Cognata virtus, ait, sapientiæ est. Quidquid virtus elaborat, sapientia fruitur, et quod sapientia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exsequitur. Sapientiam scribe in otio, ait Sapiens; ergo sapientiæ otia negotia sunt, et eo otiosior sapientia, quo exercitatior in genere suo; e regione virtus exercitata clarior est, eoque probatior, quo officiosior; et si quis sapientiam virtutis amorem definierit, non a vero deviare videbitur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor; et forte sapientia a sapore denominatur, quod virtuti accedens quodam veluti condimento sapidam facit, quæ per se insulsa quodam modo et aspera sentiebatur. »

Excipe ab hac sententia et regula, nisi quis adeo sit expeditus et efficax, tantique cerebri et spiritus, ut plura animo complecti possit. Unde S. Bernardus, lib. II *De Consid. ad Eugen.* cap. IX : « Non defuere, ait, Romani Pontifices qui sibi otia inter maxima negotia invenirent. Obsidio urbi, et barbaricus ensis civium cervicibus imminebat, numquid istud terruit B. Papam Gregorium, quo minus sapientiam scriberet in otio? Eo nempe temporis (quod ex ejus præfatione liquet) obscurissimam et extremam partem Ezechielis tam diligenter quam eleganter exposuit. » Sic et Moses in deserto regens, imo instituens, suisque legibus et cæremoniis formans Ecclesiam et rempublicam Hebræorum, conscripsit Pentateuchum. Sed tamen idem S. Gregorius ibidem profitetur negotia publica sibi minuere studium sapientiæ, ac impedimento esse ne tantum sapientiæ vacet, quantum optaret. Unde ultima homilia *in Ezech.*, deplorans calamitates Italiæ illatas a Gothis : « Jam cogor, inquit, linguam ab expositione retinere; quia tædet animam meam vitæ meæ. Jam nullus in me studium sacri eloquii requirat, quia versa est in luctum cithara mea et organum meum in vocem flentium. » Studium enim sapientiæ requirit mentis quietem : quare inter arma silent libri, nec Martem fert Minerva.

S. Gregorii luctus ob pontificatum.

Idem Gregorius inconsolabiliter luget se a monasterio abreptum ad pontificatum, quod ab otio sapientiæ avulsus esset ad negotia Ecclesiæ. Audi eum, lib. I *Dialog.* cap. 1 : « Mœror, inquit, quem quotidie patior, et semper mihi per usum vetus est, et per augmentum novus. Infelix quippe animus meus, occupationis suæ pulsatus vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei labentia cuncta subter erant, quantum rebus omnibus quæ volvuntur eminebat; quod nulla nisi cœlestia cogitare consueverat, quod etiam retentus corpore, ipsa jam carnis claustra contemplatione transibat; quod mortem quoque, quæ pene cunctis pœna est, videlicet ut ingressum vitæ, et laboris sui præmium amabat.

At nunc, ex occasione curæ pastoralis, sæcularium hominum negotia patitur, et post tam pulchram quietis suæ speciem, terreni actus pulvere fœdatur. Cumque se pro condescensione multorum ad exteriora sparserit, etiam cum interiora appetit, ad hæc procul dubio minor redit. Perpendo itaque quid tolero, perpendo quid amisi. Dumque intueor illud quod perdidi, fit hoc gravius quod porto. Ecce etenim nunc magni maris fluctibus quatior, atque in navi mentis tempestatis validæ procellis illidor. Et cum prioris vitæ statum recolo, quasi post tergum reductis oculis viso littore suspiro. »

Contemplaturus sit mens vacuus.

Mystice Hugo : Studium sapientiæ, inquit, est studium vitæ contemplativæ; hæc enim requirit otium, et mentem vacuam ab omni cogitatione et cura terrena, maxime carnali. Nam, ut ait Rabanus : « Qui concupiscentiis carnis et voluptatibus sæculi servire desistit, ille Scripturam intente meditando; supernæ contemplationis munere gaudebit. » Unde huic opponens vitam activam aratorum, fabrorum, etc., subdit : « Qui tenet aratrum, » etc. Sapientiæ ergo otio vacat Magdalena sedens secus pedes Jesu, ejusque verba audiens et meditans, quæ proinde audit ab eodem : « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. » Actionis negotio vacat Martha, quæ proinde subinde turbatur et murmurat. Unde audit a Christo : « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium, » *Lucæ* x, 41. Beati ergo qui agunt Martham operantem, officiosam, sollicitam : beatiores qui agunt Magdalenam pœnitentem, amantem et contemplantem. Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* I, num. 9 : « Obstrue quinque fenestras, ut luceat domus, et habitans eam; hoc est, obstrue vel coerce quinque sensus corporis, ut luceat anima tua in luce vitæ. » Sicut enim ut lux quæ in domo est, v. g. fax vel candela, luceat, obstruendæ sunt fenestræ, ne ingrediatur lux major solis (quia lux major offuscat minorem) : sic pariter ut mens hominis, quæ quasi lux in corpore a Deo est collocata, intendat sapientiæ, ac cognitioni tam sui quam Dei, obturandi sunt sensus corporei, per quos in res mundanas et illecebras diffunditur, dispergitur, a se abit et evanescit.

Præparatio S. Basilii ad contemplandem.

Præclare S. Basilius, in *Institut.* cap. II : « Quod si mavis, inquit, Mariam Magdalenam imitari, quæ, spreto corporis obsequio, altius in rerum divinarum contemplationem ascendit, legitime, et, ut par est, vere negotium tractato, corporis curam abjicito, agricolationem deserito, apparatus etiam epularum et obsoniorum aspernator, et ad Domini pedes assideto, et quæ illi dicat auscultato, ut arcanorum divinitatis particeps efficiare; siquidem officiis iis quæ corpori impenduntur, potior est dogmatum Christi contemplatio. » Et S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.* : « Locus, inquit, humani cordis est delectatio vitæ præsentis; sed cum divina aspiratione tangitur, locus nostri cordis fit amor æternitatis : consideratione igitur æternæ patriæ de loco suo animus movetur, quia derelictis infimis in supernis cogitationibus ponitur; prius enim quæ essent æterna nesciebat, in præsentium delectatione torpuerat, simulque ipse transiens amore transeuntium tenebatur; sed postquam quæ essent æterna cognovit, postquam supernæ lucis radios raptim contemplando contigit; admiratione summorum sese ab infimis suscitatus elevavit, ut nulla jam ei nisi quæ æterna sunt libeant, et despectis transeuntibus sola quæ parmanent requirat. »

ET QUI MINORATUR ACTU, SAPIENTIAM PERCIPIET. — *q. d.* Qui minimum habet negotiorum quæ agat, qui in paucis actibus exterioribus se occupat, qui pauca habet quæ agat (juxta illud cap. XI, 10 : « Fili, ne in multis sint actus tui, » hic percipiet sapientiam, si scilicet ei vacet legendo, studendo, meditando, contemplando. Alioqui si otiosus et deses stertat, minus percipiet sapientiam, quam qui multus est in actione : actio enim parit experientiam, experientia prudentiam. Græce est : Καὶ ὁ ἐλαττούμενος; πράξει αὐτοῦ σοφισθήσεται; quod Romani vertunt : *Et qui minoratur actu suo, sapientiam percipiet*: alii : *Diminutus opere suo erit sapiens*; Tigurina : *Et qui negotii sui minus habebit, sapientiam parare poterit*, vel *sapiens fiet*. Vide S. Bernardum, lib. I *De Consider.* cap. v, ubi Eugenium Pontificem ita instruit et admonet : « Audi quid redarguam, quid suadeam. Si quod vivis et sapis, totum das actioni, considerationi nihil; laudo te, in hoc non laudo. Puto quod et nemo qui a Salomone audierit : Qui minoratur actu, percipiet sapientiam. Certe nec ipsi actioni expedit consideratione non præveniri. Si item totus vis esse omnium, instar illius qui omnibus omnia factus est; laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso? Et tu homo es. Ergo ut integra sit et plena humanitas, colligat et te intra se sinus qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodest juxta verbum Domini, si universos lucreris, te unum perdens? Quamobrem cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris munere tui? Usquequo vadens spiritus, et non rediens? Usquequo non recipis te et ipse inter alios vice tua? Sapientibus et insipientibus debitor es, et soli negas te tibi? » Ac tandem infert et concludit : « Denique qui sibi nequam, cui bonus? memento proinde, non dico semper, non dico sæpe, sed vel interdum, reddere teipsum, tibi. » Nam actu minorari, non est penitus actionem relinquere, sed abjectis inutilibus occupationibus, debitis ex justitia, aut ex charitate ordinarie vacare. Hæ enim (ut experientia docet) cor non inquietant, et otia non modica sapientiæ studio mentisque exercitationi concedunt. Complutensia addentes negationem *non*, contrarie legunt οὐ σοφισθήσεται, id est *diminutus opere suo non erit sapiens*; tum quia

qui cessat ab opere legendi, studendi, meditandi, non fiet sapiens; otium enim litterarium est quidem otium ab opere manus, sed non ab opere mentis; imo studere et meditari assidue, summus mentis est labor ac negotium; tum quia studium sapientiæ veræ et practicæ requirit, non nudam ejus speculationem, sed et operationem ac praxim virtutum, ut dixit S. Bernardus paulo ante citatus. Vatablus vero vertit : *Qui negotiis suis opprimitur, non parabit sapientiam,* qui sensus respondet nostræ Vulgatæ : Græcum enim ἐλαττούμενος significat quoque eum qui minuitur, inferior fit, succumbit, opprimitur, πράξει, id est *opere* et *negotio.*

Præclare S. Augustinus, lib. XIX *De Civit. Dei,* cap. XIV : « Otium sanctum, ait, quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas. » Quin et Plato, in *Hippia Majore,* docet sapientem sibi imprimis sapere oportere, ideoque priscos sapientes a rerum civilium administratione abstinuisse.

Quatuor remoræ contemplationis.

Denique S. Bernardus, serm. 23 *in Cant.* : « In hoc arcanum, ait, et in hoc sanctuarium Dei, si quem forte vestrum aliqua hora sic rapi et sic abscondi contigerit, ut minime avocet, aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe quæ difficilius amoventur irruentia imaginum corporearum phantasmata; poterit quidem, cum ad nos redierit, gloriari et dicere : Introduxit me rex in cubiculum suum. » Ubi quatuor contemplationis impedimenta notat : *primum* est sensus egens, qualis est in ægro, præsertim qui cerebro laborat; *secundum* est cura pungens; *tertium*, culpa mordens, qualis est in peccatore vel scrupuloso; *quartum,* phantasmata irruentia. Qui ergo his quatuor caret, hic aptus est ad contemplationem. Vide dicta *Osee* II, 14.

QUA (ita legendum cum Romanis et Græcis, non *quia*, ut legunt multi) SAPIENTIA REPLEBITUR. — Passim Latini hæc verba referunt ad id quod præcessit; unde post hæc verba ponunt hypocolon, ut sensus sit, *q. d.* Qui minuit negotia et occupationes temporales, is percipiet sapientiam, nec tantum percipiet, sed et replebitur illa; ut tota ejus mens illa plane pleneque imbuatur et repleatur. Ita Palacius. Verum Biblia Latina Romæ emendata, Græca, Rabanus et Jansenius hæc verba referunt ad sequentia; ac Græca et Jansenius legunt per notam interrogationis, hoc modo : *Qua sapientia replebitur qui tenet aratrum?* etc. Quæ lectio sane commodissima et planissima est : probat enim sapientiam comparandam in otio, a contrario; quia scilicet agricolæ, fabri cæterique opifices qui toti sunt in negotiis et operibus externis, non possunt vacare sapientiæ. Sic quoque legit et intelligit Theophylactus, qui floruit anno Christi 900, scribens ad cap. XIV *Lucæ* : « Circa terrena occupatus, inquit, non vult spiritalis cœnæ particeps esse. Dicit enim Sapiens : In quo erit sapiens qui tenet aratrum? »

Idque plane significat Græcum τὶ σοφισθήσεται, id est *quid,* vel *in quo*, vel *quo pacto, sapiens evadet qui tenet aratrum, etc.* Quanquam Noster videtur legisse ἢ σοφισθήσεται, id est *qua sapientia replebitur,* assertive, idque sensu quoque valde accommodo, uti mox exponam. Græco consentit Syrus : *Quis enim,* ait, *sapiens evadet tenens aratrum? cum bobus conversatur, et boves ducit, et narrationes ejus cum vitulis, et cor ejus meditatur porcas sationis suæ, et vigilia ejus est ad complendum opus suum.* Porca in agro dicitur terra elata. Ita Varro, lib. I *De Re rustica,* cap. XXIX : « Quod, ait, est inter duos sulcos elata terra, porca dicitur, quod ea seges frumentum porrigat. » Et Columella, lib. II, cap. IV : « Liras, inquit, rustici vocant porcas, cum sic aratum est, ut inter duos sulcos latius distantes, medius cumulus siccam sedem frumentis præbeat. »

Nota : In sequentibus usque ad finem capitis recenset negotia, occupationes et opera agricolarum, fabrorum, figulorum cæterorumque opificum mechanicorum; idque tribus de causis. *Prima* et potissima est, ut probet sapientiam quærendam in otio, non in negotio, uti jam dixi. Unde concludens vers. 38, ait : « Super sellam judicis non sedebunt, et testamentum judicii non intelligent, neque palam facient disciplinam et judicium. »

Secunda, ut insinuet in hisce artibus mechanicis, esto non sit vera sapientia, in iis tamen esse umbram, imo derivationem et participium quoddam sapientiæ : opifices enim in suis opificiis sapientes sunt, et sapienter operantur. Unde recensitis omnibus vers. 35, subdit : « Et unusquisque in arte sua sapiens est. » Hinc de Beseleel opifice tabernaculi ait Deus, *Exodi* XXXI, 2 : « Implevi eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia, et scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro et argento et ære, » etc. Nam, ut ait Vegetius, lib. II, cap. XXIV : « Antiqua est prudensque sententia, omnes artes in meditando consistere. »

Sapientia regit artes mechanicas.

Tertia, ut ostendat eas dirigendas esse a sapientia, tum quia regimen et speculatio dirigit praxin. Ad bonum enim statum civitatis, ait Lyranus, requiritur sollicitudo magistratus, ut procuret diversos artifices in artibus suis, sine quorum usu non posset stare civitas, ut carpentarios, latomos, pannificos, etc., tum quia sapientia docet cognitionem et amorem Dei ejusque legis, conjungendam esse cum praxi mechanica, ut utilis sit, ducatque operantem ad salutem et felicitatem. Unde versu ultimo ait : « Deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam

sùam, et conquirentes in lege Altissimi. » Id insinuant Romani et Rabanus, ac omnes latini Bibliorum codices, qui hæc omnia legunt assertive, sine nota interrogationis, *q. d.* Hac sapientia per sapientium doctorum instructionem participative replebuntur quoque agricolæ, fabri, figuli cæterique mechanici, quisque suo ordine, modo et gradu.

Sic et cap. XXIV, vers. 6 et 40, dixit sapientiam Dei se extendere ad fabricam et regimen cœlorum, aquarum, terræ et totius universi. Quin et Plato in *Alcibiade*, docet sapientiam esse fundamentum εὐπραξίας, id est *bonæ operationis*. Idem in *Theage* : « Sapiunt, inquit, agricolæ sapientium commercio. Sapiunt tyranni sapientium commercio. Sapiunt coci sapientium commercio. Sapit luctator sapientium commercio. » Additque sapientiam regere omnes artes omneque genus hominum.

Porro Siracides, inter mechanicos, primos ponit agricolas, tum quia eorum officium et exercitium antiquissimum est, utpote ab origine mundi institutum a Deo. Adam enim a Deo positus fuit « in paradiso, ut operaretur et custodiret illum, » *Genes.* II, 15; tum quia agricolæ in republica maxime necessarii sunt; hi enim sua segete, pecoribus et pecudibus sustentant urbes et regna. Unde Aristoteles, lib. I *Œconom.* II : « Agricultura, inquit, est maxime naturalis et justa. Prodest etiam hæc plurimum ad fortitudinem; non enim sicut viles artium corpora enervat, sed talia facit ut et sub dio consistere, et tolerare laborem valeat, et adversus hostes pericula capessere. » Idem, lib. VI *Polit.* cap. IV : « Optimus populus, inquit, ille est qui ex agricolis constat. Cum enim illis laborandum sit circa victum, operibus distinentur suis, et aliena non appetunt; dulciusque illis est opus facere, quam in republica versari. » Et inferius : « Post agricolarum multitudinem, optimus est populus ubi pastores sunt, et vivunt ex animalibus. » Vide Ciceronem, lib. *De Senectute*, et ea quæ de agriculturæ bonis annotavi, *Genes.* II, 15, et *Genes.* IX, 20. Igitur de agricolis sic statuit Siracides, sicque eorum officium, studium et occupationem describit, imo agricolam ita pingit :

Agricultura prima artium, cur?

Vers. 26. 26. QUI TENET ARATRUM, ET QUI GLORIATUR IN JACULO, STIMULO BOVES AGITAT, ET CONVERSATUR IN OPERIBUS EORUM, ET ENARRATIO EJUS IN FILIIS TAURORUM. — Pro *in jaculo, stimulo*, græce est ἐν δόρατι κέντρου, id est *in hasta*, vel *fuste stimuli*, id est in hasta vel jaculo, in cujus cuspide est stimulus, quo boves ad velociter incedendum agricola pungit et stimulat, uti videmus Romæ et per totam Italiam fieri : « Enarratio, » id est cogitatio et sermo, « ejus » est de « filiis taurorum, » id est de vitulis, vaccis et bobus, eorumque sobole, fœtura, multitudine, magnitudine et fructu. Pro *conversatur* Noster legit ἀναστρεφόμενος; jam legunt ἀνατρεφόμενος, id est *nutritus*. Unde Tigurina vertit : *Qui tenet aratrum, qui insignis hastili stimuli boves agit, qui versatur in operibus eorum, et qui taurorum progeniem assidue prædicat.*

Mystice, Rabanus per agricolam accipit rectorem et doctorem : « Nam qui tenet, inquit, doctoris officium, et colere debet vomere Evangelico corda hominum, gloriatur in jaculo divinorum testimoniorum, seminat verbum Dei stimulo exhortationis, agitat brutos quatenus non segniter vivant, sed fortiter in bonis operibus conversentur. Superbos quoque prædicationis sermone castigat, et disciplina evangelica domat, ut non vacent otio, sed carnem suam macerantes, et desideria carnalia in se mortificantes, et vitia omnia a se exstirpare festinent, et virtutes spiritales pro eis plantare certent. Quod autem per boum et taurorum excitationem, vigilias dicit pastoris esse in sagina vaccarum, ostendit boni rectoris esse officium, ut utriusque sexus curam habeat, et prædicationis studio eos pascat, alat et nutriat. »

Mystice agricolæ sunt doctores.

27. COR SUUM DABIT AD VERSANDOS SULCOS, ET VIGILIA EJUS IN SAGINA VACCARUM. — Græce δαμάλεων, id est *juvencarum*, *q. d.* Arator et agricola toto corde suo, tota mente et animo suo attendit et intendit arandæ et sulcandæ terræ, et « vigilia, » id est vigilans studium, « ejus » est « in sagina vaccarum, » ut scilicet eas alat, pascat, impinguet; tum ut copiose dent lac, butyrum et caseum; tum ut insignes vitulos procreent; tum ut fortes sint ad trahendum aratrum, vel jugum, cum opus est. Unde ad hoc mane cito surgit, et vespere sero incumbit, totus huic rei intentus et invigilans, ut se suosque alat. Pro *in sagina* græce est εἰς χορτάσματα, id est *in fenum*, sive, *in pabula fenilia vaccarum*. Unde Tigurina : *Nam is ducendis sulcis intendit animum, et in pabulis vaccarum conficiendis evigilat.*

Nota : Τὸ *cor suum dabit*, etc., Siracides repetit post opera singulorum opificum, ut significet cui rei quisque cor suum applicet, cui studeat et invigilet.

Porro sapientia agricolandi præcepta tradit Plinius, lib. XVIII, cap. XIX : « In arando, inquit, magnopere servandum est Catonis oraculum. Quid est primum? Agrum bene colere. Quid secundum? Bene arare. Quid tertium? Stercorare. Sulco vario ne ares. Tempestive ares. Tepidioribus locis a bruma proscindi arva oportet, frigidioribus ab æquinoctio verno. Et maturius sicca regione quam humida; maturius densa terra quam soluta, pingui quam macra. » Vide ipsum Catonem et Varronem, *De Re rustica*, quæ omnia facile est mystice accommodare agriculturæ animæ.

Agricolandi præcepta.

Vers. 28. 28. SIC OMNIS FABER ET ARCHITECTUS, QUI NOCTEM TANQUAM DIEM TRANSIGIT, QUI SCULPIT SIGNACULA SCULPTILIA, ET ASSIDUITAS EJUS VARIAT PICTURAM : COR SUUM DABIT IN SIMILITUDINEM PICTURÆ, ET VIGILIA SUA PERFICIET OPUS. — Τὸ *sic* refertum ad *sapientia replebitur*; quod præcessit vers. 20, tum

ad τὸ *cor suum dabit*, etc., quod sequitur, uti jam monui. Ab agricolis transit ad fabros, quia hi inter artes et artifices mechanicos secundum locum tenent. Et quia fabrorum variæ sunt species, incipit a sculptore. Hunc vocat *architectum*, non ædificii, qui scilicet præsit fabricæ, eamque dirigat, sed qui magister sit operis sculpendi et scalpendi, quique monogrammata (quas vulgo *plantas* vocant) excogitat noctu, ad quorum normam opus per se et suos administros interdiu perficiat. Hic igitur noctem vigilando, ut jam dicta excogitet, disponat et ordinet, « tanquam diem transigit. » Hic deinde « sculpit signacula, » ita legendum cum Romanis, et Græcis, non *signaculo*, ut legit Palacius « sculptilia, » id est signacula et sigilla exsculpta, græce γλύμματα σφραγίδων, id est *sculpturas*, vel cælaturas signaculorum vel *signorum*, id est similes illis quæ fiunt in signaculis vel *sigillis*, ut vertit Tigurina. In sigillis enim clare cernitur ars cælatoris et sculptoris; nam γλύμμα vocatur quævis sculptura et cælatura. Thema enim γλύφω idem est quod *scalpo*, rado, polio, cælo, insculpo. Unde *anaglypha* vocantur cælaturæ asperæ, non leves, ubi partes sunt inæquales, et hæ illis eminent; de quibus Plinius, lib. XXXIII, XI : « Nunc, inquit, anaglypha in asperitatemque excisa circa linearum picturas quærimus. »

ET ASSIDUITAS EJUS VARIAT PICTURAM, — id est assidua ejus cura, labor et operatio in eo sita est, ut varias formas et figuras exsculpat. « Picturam » enim hic vocat sculpturam, per catachresin, quia quod pictor pingit in tabula, hoc sculptor pingit et fingit in lapide, auro, argento, etc. Pro *picturam* enim græce est ποικιλίαν, id est *varietatem*, puta varias hominum, animalium et rerum imagines et figuras. Legit Interpres ὑπομονή, id est *assiduitas*, et perseverantia in opere ob spem lucri : Complutensia legunt ἐπιμονή, id est *instantia*, hoc est instans et continuus labor.

COR SUUM DABIT IN SIMILITUDINEM PICTURÆ (*q. d.* Totus intentus est ut imitetur picturam, et instar pictoris varias hominum, animalium, arborum, herbarum, etc., species et formas exsculpat. Pro *picturæ* græce est ζωγραφίας, id est *descriptionis*, sive effictionis et efformationis animalium, qualia pingere solent pictores, et sculpere sculptores.) ET VIGILIA SUA PERFICIET OPUS, — id est vigili studio et labore perficiet opus, v. g. statuam quam sculpsit, *q. d.* Tota ejus sapientia sita est, non in legenda et meditanda S. Scriptura rebusque divinis, sed ut suum opus sculptile pulchre varieque sculpat et efformet. Unde clare vertit Tigurina : *Idem mos est fabri et architecti, qui simili studio traducit noctem ac diem; qui sigillorum in modum scalpunt cælaturas, et qui variandis immorantur embleriatis, in imitatione picturæ animum quoque occupant, et operi perficiendo invigilant.* Sic et Syrus.

Porro cælaturæ, sive sculptoriæ artis elegantia et dignitas ex eo patet, quod cœlum et cœlitum speciem referat. Cœlum enim sideribus quasi cælatum et sculptum est, indeque dictum est cœlum, ait Sipontinus et Ælius apud Varronem, lib IV *De Lingua Latina*; licet Varro cœlum dici putet a Græco κοῖλον, id est *cavum*, eo quod concavum sit. Amplitudo vero artis sculptoriæ est ingens; sculptura enim est et dicitur cælatura, quam in auro, argento, ære, ferro, ligno, ebore, marmore, vitro, gemmis opera nostra efficit. De antiquitate et usu scalpendi marmora, vide Plinium, lib. XXXVI), cap. v, ubi asserit artis hujus originem cum Olympiadum origine cœpisse, quæ fuit in fine regni Oziæ regis Juda, scilicet 23 annis ante Romam conditam. Vide Tabulam Chronologicam quam præfixi Genesi. Cælum dicitur quasi stellis cælatum.

Mystice, Rabanus : « Quid per fabrum hunc, inquit, et architectum, qui studiose nocte dieque in opere suo laborat, ut signacula sculpat, et hominis imaginem arte gemmaria formet, nisi prædicatores sancti insinuantur, qui omni tempore aut docendo, aut exhortando, aut bona exempla ostendendo, auditores suos instituunt, quatenus interioris hominis virtutem eliciant, et ad conditoris sui imaginem animam humanam reforment? An non ille faber et architectus strenuus in arte sua fuit, qui in epistolis suis ita scripsit, dicens : Dei enim sumus adjutores; Dei agricultura estis; Dei ædificatio estis, secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat, unusquisque autem videat quomodo superædificet? I *Cor.* III, X. Et alibi : Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, *Galat.* IV, 19. Et in alio loco : Renovamini, ait, spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, *Ephes.* IV, 23. Et item : Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, *Ephes.* V, 1. Et rursum : Nolite (inquit) contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis, et reliqua. Quot enim species virtutum sunt, tot operationes bonas et documenta doctores sancti in mentibus electorum et conversatione exprimere satagunt; ut sint sancti et corpore et spiritu, dicentes cum Apostolo : Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer vester spiritus et anima et corpus, sine querela in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur, » I *Thess.* V, 23. Sculptor est prædicator.

Rursum sancti sunt in anima sua et proximorum fabri virtutum, ut in ea expingant heroica facta patrum; quare instar pictorum eadem crebro intuentur, legunt et relegunt, ut eadem sibi imprimant et insculpant. Unde S. Basilius, epist. *ad Gregor. Theolog.*: « Sicut pictores, inquit, ubique quando imaginem ex imagine pingunt, identidem ad exemplar respicientes, characterem ad suum opificium inde transferre conantur; ita

oportet eum qui studet seipsum omnibus virtutis partibus perfectum reddere, sanctorum vitas velut simulacra quædam viva et efficacia respicere, illorumque bona opera per imitationem sua facere. » Sane experientia didici, nihil fere efficacius esse ad virtutem omnem, quam crebro legere Vitas Sanctorum, easque serio meditari. Experire, et reipsa disces magno tuo fructu.

Vers. 29, 30 et 31.

29, 30 et 31. SIC FABER FERRARIUS SEDENS JUXTA INCUDEM, ET CONSIDERANS OPUS FERRI, VAPOR IGNIS URET CARNES EJUS, ET IN CALORE FORNACIS CONCERTATUR. VOX MALLEI INNOVAT AUREM EJUS, ET CONTRA SIMILITUDINEM VASIS OCULUS EJUS. COR SUUM DABIT IN CONSUMMATIONEM OPERUM, ET VIGILIA SUA ORNABIT IN PERFECTIONEM. — Τὸ *sic* refer rursum tum ad *sapientia replebitur*, quod præcessit vers. 26, tum ad τὸ *cor suum dabit*, quod sequitur. A sculptore transit ad fabrum ferrarium, sub quo a pari vel simili intelligit aurifabrum, argentarium, ærarium (et hunc proprie significat Græcum χαλκεύς;) plumbarium, stannarium cæterosque similes. Fabri enim nomen generale est et amplum, ut pote a *faciendo* dictum; quare ad plurimas artes pertinet, et pro ratione materiæ adjunctæ ad hanc vel illam speciem determinatur. « Faber » igitur est omnis artifex, qui labore corporis aliquod artificium facit; sive qui e quavis materia aliquid facit et fabricat, excepto gypso, argilla, cera et similibus; hi enim plastæ dicuntur, sive figuli, quos proinde fabris subjungit et componit Siracides vers. seq.

Fabros igitur hic ita graphice pingit, uti Poetæ suum Vulcanum, de quo mox. Ubi nota : Totus versus 29 et 30 pendent a versu 31 : « Cor suum dabit » etc., *q. d.* Sicut agricola totum suum cor applicat agriculturæ, sculptor sculpturæ, sic et faber suæ arti fabrili; ac proinde non habet otium, nec animum, ut intendat studio sapientiæ.

Fabri primi an Cyclopes.

Porro Plinius primos fabros ferrarios censet fuisse Cyclopes (qui cum suo Vulcano vixere tempore Josue, teste S. Augustino, lib. XVIII *De Civit. Dei*, cap. XII); sic enim ait, lib. VII, cap. LVI : « Fabricam ferrariam invenere Cyclopes. Figlinas Corœbus Atheniensis. In iis orbem Anacharsis Scythes. Fabricam materiariam Dædalus, et in ea serram, asciam, perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam; normam autem, et libellam, et tornum, et clavem Theodorus Samius. » Plinio suffragatur Plato in *Convivio* : « Sagittandi, inquit, medicandi et vaticinandi peritiam Apollo invenit, Musæ musicam, Vulcanus fabrilem ærariam, Minerva texendi artificium : Jupiter deorum et hominum gubernandi rationem invenit. » Verum e Scripturis liquet ejus inventorem fuisse antiquiorem, adeoque ante diluvium, nimirum Tubal-Cain, « qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri, » *Genes.* IV, 22.

Igitur fabrum ita describit Siracides : *Primo*, inquit, « sedet juxta incudem. » Juxta eam enim sedet magister operis, forcipibus tenens versansque ferrum, vel ex eo vas faciendum supra incudem, ut a ministris malleo feriatur et efformetur ad ejus libitum.

Secundo, « considerat opus ferri : » ejus enim est considerare ubi, quomodo et quantum opus feriri et percuti debeat, ut vas efformetur tale quale ipse cupit. Græce est, καταμανθάνων ἀργῷ σιδήρῳ, quod Romana vertunt, *addiscens pigro* (tardo, lento) *ferro;* alii, *contemplans rude ferrum*. Verum Noster cum Complutensibus pro ἀργῷ legit ἔργον, id est *opus ferri*. Sic et Tigurina : *Intentus*, ait, *operi ferri*.

Tertio, « vapor ignis uret carnes ejus. » Pro *uret* græce est τήξει, id est *liquefaciet;* Tigurina, *exsiccabit;* Romana legunt πήξει, id est *durabunt*.

Vulcanus est ignis.

Hinc Vulcanus fabrorum et armorum Deus ab antiquis putatus est; quo significatur ignis. Dicitur enim Vulcanus, ait Isidorus, *quasi Volicanus*, quod canus per aera volet. Volat enim flamma, cum de nubibus nascitur in fulgetris, et candida est. Hinc et Mulciber appellatur, quod ferrum mulceat. Fingunt enim Poetæ hunc fuisse deum, et Jovis ex Junone filium, qui faber Jovi fulmina contra gigantes fabricavit. Hinc Vulcani insulæ appellatæ. Hinc et Vulcanus pro ipso igne sumitur, sicut Pallas pro litteris, ut cum dicitur *ardens Vulcanus*, et *spargere Vulcanum tectis*, id est succendere tecta. Denique Vulcanus a Poetis vocatur « deus ignipotens; » quia fabri vi ignis ferrum, æs omniaque metalla durissima liquant, domant, flectunt, et in omnes formas et figuras diducunt. Ita Virgilius, lib. VIII *Æneid.* :

..... Ignipotens cœlo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon.

Quin et Prudentius :

Ipse ignis, qui nostrum servit ad usum,
Vulcanus perhibetur, etc., ac regnare caminis
Fertur, et Æoliæ summus faber esse, vel Ætnæ.

Et S. Augustinus, lib. VII *De Civitate Dei*, cap. XVI : « Vulcanum, inquit, volunt ignem mundi. » Idem, lib. XX *Contra Faustum*, cap. IX, tradit pingi « Vulcanum claudum, » quia ignis « terreni motus ejusmodi est, » quia scilicet ignis noster nunquam rectus est, sed incurvus et quasi claudicans. Idem, *in Psalm.* CXIII, concl. 2, docet gentiles per deorum simulacra significasse quatuor elementa, scilicet Tellure terram, Neptuno mare, Junone aerem, Vulcano ignem.

Quarto, « et in calore fornacis concertatur, » id est conflictatur; græce, διαμαχήσεται, id est, ut Complutensia, *pugnabit;* Romana, *et in calore fornacis concertabit;* Tigurina, *cum æstu fornacis conflictatur*, *q. d.* Faber certat contra ignis calorem, et contra ferri duritiem, ut illud igniat, ignitumque crebris malleorum ictibus flectat, molliat, et in vas placitum efformet. Unde Syrus

vertit : *Flammæ ignis rimas efficiunt in carne ejus, et uritur calore ignis.*

Quinto, « vox mallei innovat » (aliqui legunt *intonat*), græce καινιεῖ, id est *innovabit* « aurem ejus, » hoc est novis et repetitis malleorum ictibus et sonitibus pulsabit et feriet aurem ejus. Unde aliqui vertunt : *Nove obtundit aurem ejus;* Tigurina : *Crebro feriente aures ejus mallei sonitu.* Et plane mirum est, ait Palacius, quam miro ordine fabri malleis ferrum ignitum percutiant, dissilientibus ex eo assidue ignis scintillis, qualesque sonitus similes semper et certos, qualemque concentum fabrilem edant.

Sexto, « contra similitudinem vasis oculs ejus. » *Similitudinem* vocat exemplar et typum, *q. d.* Faber sæpius respicit exemplar, ideam et typum vasis formandi, quem contra, græce κατέναντι, id est *coram* vel *ante, se habet,* ut juxta illud vas efformet, eique illud adaptet. Unde Tigurina vertit : *Oculos suos ad conformandum instrumentum defigens ;* alii : *In exemplum quod ex adverso, oculi ejus intenti sunt ;* Syrus : *Secundum artem flectet manus suas, et ad typum operis sui intendent oculi ejus.*

Denique « cor suum dabit in consummationem operum, » ut scilicet ea omnimode consummet et perficiat ; « et vigilia sua, » id est vigili sua cura, labore et malleatione assidua, « ornabit » vas « in perfectionem. » Græce, ἐπὶ συντελείας, id est *ad perfectionem,* ut scilicet illud per omnia perfectum efficiat. Quare Complutensia et alii perperam legunt, *ornabit imperfectionem,* id est vas imperfectum. Clare Tigurina : *Animum ad opus absolvendum applicat, et ad idem excubat exacte poliendum ;* alii : *Cor suum applicat ad perfectionem operum, et vigiliæ ipsius de ornandis illis post perfectionem.* Hisce omnibus significatur mira intentio et constantia fabri qui contra ignem et ferrum pugnare non cessat, sed quasi lento et continuo igne uri et assari se permittit, ac malleorum ictibus aures obtundi sibi sinit, adeo ut sæpe auditum perdat et surdus fiat, donec ferrum in eam formam quam mente destinavit flectat, ex eoque vas destinatum efficiat, ac proinde insinuat eum speculationi et studio sapientiæ non posse vacare, nec intendere, quia totus intendit suæ incudi et ferro.

Faber typus constantiæ omnia vincentis.

Mystice, hoc fabri exemplo docemur nil esse tam durum, tam asperum et arduum, quod non constans labor evincat ; ac proinde nullum vitium esse tam inolitum, quod non pertinax cura exstirpet. Si ergo tanta constantia labores in edomanda passione tua, quantam adhibet faber in edomando ferro, utique illam flectes et perdomabis, præsertim accedente vi ignis, id est, amoris et charitatis. Unde Rabanus : « Per fabrum ferrarium, inquit, idem qui in architecto, hoc est, ordo sanctorum prædicatorum, exprimitur, qui juxta incudem, hoc est juxta durum præsentis vitæ laborem, sedens, arma spiritalia, documenta videlicet divina, scribendo atque docendo fabricat, quatenus contra hostis antiqui tentamenta suos fortiter dimicare doceat, et hæreticorum atque philosophorum sectas perversas devitare, atque persecutorum minas contemnere faciat. Hujus ergo fabri carnes, hoc est corpus, vapor ignis et calor fornacis urit, cum tribulatio et persecutio mundi eum fatigare non desistit. Vox mallei innovavit aures ejus, cum edicta principum terrorem tormentorum non cessant ingerere sensibus illius ; at ipse cor suum dabit, ut consummet opus officii sui ; et vigilias solertiæ suæ ad hoc impendit, ut vasa electarum animarum ad scientiæ et virtutum perfectionem perducat. Unde Paulus Apostolus horum armorum præcipuus fabricator, quibusdam suis auditoribus ita scribens ait : Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Induite vos arma Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adv us principes et postestates, adversus mundi rect es tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. »

Vide multiplices sacrorum malleorum ictus, quibus se suosque fideles tundit et expolit quasi faber S. Paulus, II *Cor.* cap. VI, 4 et seq.: « Exhibeamus, inquit, nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, » etc.

Homo intendat legi uti faber suæ ideæ.

Apposite ad rem præsentem S. Basilius, in *Regulis fusius disp.* interrogat. 5. docet christianum debere totum intendere Dei legi et voluntati, sicut faber intendit ideæ juxta quam opus fabricandum est : « Ut enim faber ferrarius, ait, verbi gratia, quandocumque dolabram aliquam sive asciam cudit, si assidue illius memor sit, unde instrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, et præscriptam sibi ab illo formam et magnitudinem animo versat, et ad voluntatem ejus qui condixit opus, dirigit quod facit ; alioqui si ejus memoriam menti sibi patiatur excidere, prorsus aut aliud quippiam omnino, aut longe dissimile efficiet ab eo quod facere instituerat : sic christianus quoque si actiones suas omnes, sive minores, sive majores, ad Dei voluntatem direxerit, is sine controversia et egregie opus illud perficit, et simul assiduam illius in animo sibi memoriam conservat, a quo id jussus est facere; vereque illud dicere poterit : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear, itemque Pauli præcepto illi satisfaciet : Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Quod si quis in eo, dum opus administrat, a perfecta illa præscripti mandati norma desciscat, hunc perspicuum est debilem Dei memoriam retinere. » Idem

Verbum incarnatum est quasi ferrum ignitum.

S. Basilius, hom. *De Humana Christi generatione*, Verbum incarnatum comparat ferro ignito. Sicut enim faber per ignem ferrum ignit facitque ignitum, ut videatur merus esse ignis, et tamen permanet ferri natura : sic verbum carnem assumens eam quasi deificavit, integra tamen manente carnis essentia. Idem S. Basilius, lib. III, *Contra Eunomium*, animam charitate flagrantem comparat ferro ignito, quam quasi faber cudit et ignit Spiritus Sanctus : « Sicut ferrum, ait, quod in medio igne jacet, ferri naturam non amisit; vehementi tamen ignis actione ignitum, cum universam ignis naturam in semetipsam acceperit, et colore, et calore, et actione ad ignem transit; sic sanctæ virtutes ex communicatione quam cum illo habent qui natura sanctus est, per totam suam subsistentiam receptam, jam quasi innatam sanctificationem habent. Diversitas vero ipsis a Spiritu Sancto hæc est, quod Spiritus natura sanctitas est; illis vero participatione inest sanctificatio. »

Vers. 32. 32. SIC (τὸ *sic* refer tum ad *sapientia replebitur*, vers. 26, tum ad *cor suum dabit*, quod sequitur, ut jam sæpius monui) FIGULUS SEDENS AD OPUS SUUM, CONVERTENS PEDIBUS SUIS ROTAM, QUI IN SOLLICITUDINE POSITUS EST SEMPER PROPTER OPUS SUUM, ET IN NUMERO EST OMNIS OPERATIO EJUS. — A fabro transit ad figulum, ejusque opus et occupationem describit, scilicet :

Primo, quod « sedens ad opus suum convertat pedibus suis rotam, » ut vas luteum radat, formet, poliat; *secundo*, quod sollicitus sit « propter opus suum, » græce ἐπὶ τὸ ἔργον, id est *in opus suum*, hoc est quod sollicite intendat operi suo, ne vas luteum, utpote fragile, si incaute ab eo tractetur, frangatur et dissiliat; aut in aliam formam quam ipse destinavit, rota currente abeat; *tertio*, quod « in numero, » græce ἐναρίθμιος, id est *numerata*, sit « operatio ejus, » quia scilicet cum lutum sit valde friabile et flexile, illico ex eo multa vasa effingit; unde ea solet numerare, certumque eorum numerum sibi præfigere; famuli quoque et administri hero suo coguntur per diem certum vasorum a se effictorum numerum pendere et adnumerare. Ita Biblia Latina Romæ correcta, Græca Complutensia et Romana. Unde Tigurina vertit : *Similiter sedens ad opus suum figulus, rotamque suam pedibus versans ad opus suum totus incumbit sollicite, ut opificium omne suum habens in numerato.* Alii per *numerum* intelligunt pretium; hoc enim numerari solet per catachresin; unde vertunt : *Qui semper incumbit in curam operis sui, et omnis operatio ipsius in pretio est.*

Minus recte ergo Lyranus, Jansenius et Palacius legunt contrarie ἀναρίθμιος, id est *innumera est operatio ejus*, q. d. Plurima et quasi innumera vasa efformat. Igitur figulus, ait Palacius, semper in sollicitudine positus est, ut nova vasa edat, novas formas excogitet, novis picturis insigniat; qua de causa innumera est operatio ejus.

Porro hanc artem non tantum instituit, sed et exercuit Deus, cum ab origine mundi ex luto plasmavit hominem, *Gen.* II, 7. Unde « Deus est figulus, » ait S. Augustinus lib. XV *De Civitate*, cap. I; isque primus et priscus, præsertim quia ex eadem luti massa facit vas aliud in honorem, aliud in contumeliam, *Rom.* IX, 1.

Vers. 33 et 34. 33 et 34. IN BRACHIO SUO FORMABIT LUTUM, ET ANTE PEDES SUOS CURVABIT VIRTUTEM SUAM. COR SUUM DABIT UT CONSUMMET LINITIONEM, ET VIGILIA SUA MUNDABIT FORNACEM. — Syrus totum hunc de figulo locum sic vertit : *Ita etiam figulus qui sedet juxta rotam, et movet ungue suo vas; oculi ejus in vasis omnis operis ejus, et brachia ejus findunt lutum; et antequam moriatur, curvus et procumbens evadit, et cor ejus positum est ad perficiendum opus suum, et vigilia ejus ad ædificandum caminum.*

Quartum opus figuli est « brachiis formare lutum, » tum ut illud aqua subigat et debite contemperet, ne sit nimis siccum vel nimis humidum; tum ut ex eo jam subacto sedens ad rotam vas pulchrum efformet, et, ut græce est, τυπώσει, id est figuret. Tigurina : *Nunc lutum conformat brachio suo.*

Quintum est : « Ante pedes suos curvabit virtutem suam; » græce ἰσχὺν αὐτοῦ, id est *robur suum*, vires suas; quia scilicet totis viribus curvat, inclinat et flectit se et pectus suum versus pedes ad opus, ut illud exacte efformet; dum enim pedibus agitat rotam in qua opus effingit, inclinato pectore et brachiis, totus operi formando incumbit.

Alii pronomem αὐτοῦ referunt ad πηλόν, id est *lutum*. Unde Tigurina : *Nunc pedibus*, inquit, *vim ipsius luti prosubigit*. Solent enim figuli lutum pedibus subigere, macerare, et aqua debite temperare, ut tenax fiat et ductile, aptumque ad vas ex eo efformandum. Ita Jansenius : Figulus, inquit, brachio format et figurat lutum, sed prius ante pedes suos flectit, curvat et subigit vim ipsius luti, ut aptum fiat ad formam manibus et brachio inducendam. Hujusmodi enim luti subactio, quæ est ejus curvatio et temperatura, pedibus prius fit. Sed Latina Vulgata versio priorem sensum exposcit.

Sextum est : « Cor suum dabit ut consummet linitionem. » Solent enim figuli vas a se effictum, intus et extra linire plumbo, stanno, rubrica, aliave materia, tum ut pulchrum colorem, speciem et formam ei inducant; tum ut illud consolident et corroborent. Unde Tigurina vertit : *Nunc curam impendit operi perliniendo*; alii : *Cor applicat ad perficiendum linimentum*; hoc enim est χρίσμα, pro quo minus recte aliqui legunt χάρισμα, id est, *munus* vel donum.

Septimum est : « Et vigilia sua mundabit fornacem, » q. d. Vigili cura et studio fornacem prius a se succensam emundabit, ut in illam mundatam inferat vasa testea a se efformata, in eaque illa coquat ut fiant solida et dura. Tigurina : *Et*

ad excolendum caminum advigilat; alii : *Et vigiliæ ejus de purgando camino.*

Nota τὸ *ad linitionem*, vel, ut græce est, *ad perficiendum linimentum.* Nam Romæ, in Italia aliisque in locis solent vasa testacea, *primo*, ex argilla, quam ipsi cretam vocant, a figulo efformari; *secundo*, sole siccari, et in fornace coqui; *tertio*, mixtura, ex arena et vini fæcibus siccatis, et in cinerem redactis, plumbo item et stanno confecta, circumcirca intus et foris liniri; quæ linitio facit, ut vasa sint solidiora et fortiora; item alba et splendida; denique idonea, ut vinum, acetum, lac aliosque liquores contineant et conservent; vas enim testaceum ex sola argilla confectum, omnes liquores, excepta aqua et oleo, corrumpit : linitio ergo hæc facit ut eos tueatur et conservet : hæc autem mixtura adhibetur in poculis, lancibus, pollubris cæterisque vasis mensalibus; in vasis vero culinariis, ut ollis, omisso stanno adhibent plumbum, vasque tantum interius perliniunt, tum ut evadat robustum et nitidum, tum ut liquores resque alias conservet : hanc a plumbo mixturam Romani vocant *la vernice*; priorem vero e plumbo et stanno vocant *la maiolica*; stannum enim dat vasis candorem et splendorem, quo non egent vasa culinaria; *quarto*, vasa mensalia variis coloribus depingunt, litterasque quas volunt iis inscribunt. Denique *quinto*, ea in fornace percoquunt; unde in ea percocta evadunt vasa solida, candida, elegantia et splendida, quibus proinde in omni supellectile utimur. Hæc Romæ a figulisS. Cæciliæ vicinis audivi, imo oculis inspexi. Similis est ratio vasorum quæ fiunt e porcellana; sed, sicut horum materia est pretiosior : ita et color ac species elegantior et præstantior.

Mystice figuli sunt prædicatores.

Mystice, Rabanus per figulos, æque ac agricolas, sculptores et fabros intelligit sanctos prædicatores : « Ipsi enim, inquit, per diversa officia gradus sui ministerium digne agunt, et doctrinam suam secundum qualitatem auditorum temperant; quia aliter monendi sunt sapientes, aliter insipientes : aliter fortes, aliter infirmi : aliter juvenes, aliter senes : aliter viri, aliterque feminæ. Ipsi aratro Evangelii excolunt agrum Domini. Ipsi oves et animalia Dominica pascunt pabulo verbi. Ipsi sculpunt signacula novi hominis in cordibus humanis. Ipsi per linguæ suæ ministerium fabricant arma virtutum. Ipsique fragiles et infirmos verbis et exemplis formant atque confortant, quatenus eos efficiant vasa honorabilia et ad ministerium Dei aptissima. Hic ergo figulus in operando convertit pedibus suis rotam, cum præsentis vitæ volubilem conversationem, per vestigia bonorum operum suis sequacibus convertit ad exemplum; qui sollicitudinem gerit sibi commissorum, ut bonorum operum insistant actibus; qui suis factis infirmorum roborat operationem, et humilitatis atque mansuetudinis eis præbet exempla; qui cordis sui totam voluntatem ad hoc ponit, ut quidquid asperum sit in moribus subditorum, lenitatis suæ leniat documento; ad hocque omnem vigilantiam suam impendit, ut in cordis fornace igne excoquens charitatis totam operationem discipulorum, flamma consolidet dilectionis; quia totum opus casus sui habet detrimentum, si charitatis illud non coadunat glutinamentum. »

Vers. 35 et 36.

35 et 36. OMNES HI IN MANIBUS SUIS (alii vertunt; *in manus suas*) SPERAVERUNT; ET UNUSQUISQUE IN ARTE SUA SAPIENS EST : SINE HIS OMNIBUS NON ÆDIFICATUR CIVITAS. — Est conclusio, *q. d.* Omnes hi, puta agricolæ, sculptores, fabri, figuli, cæterique mechanici et opifices, ad veram illam et sublimem sapientiam, quæ consistit in studio S. Scripturæ, legum rerumque divinarum, non assurgunt; sed tamen ejus quamdam imitationem et participationem habent : nam « in manibus suis speraverunt, » id est sperant; quia manuum opere sibi et familiæ ad victum et vitam necessaria comparant. « Et unusquisque in arte sua sapiens est; » quia agricola sapienter colit agrum, sculptor sapienter statuas exsculpit, faber sapienter fabricat gladium, figulus sapienter fingit vas figulinum. Atque hæc omnia necessaria sunt ad vitam communem hominum. Nam « sine his omnibus civitas ædificari » nequit. Unde Tigurina vertit : *Horum omnium quisque fretus suis manibus, opere suo consumit quod habet sapientiæ*; et Syrus : *Omnes isti propter felicitatem suam, et omnes homines in opere artis eorum fiunt docti, etc.*; *verum ad concilium populi non sedebunt.*

Vers. 37.

37. ET NON INHABITABUNT, NEC INAMBULABUNT, ET IN ECCLESIAM NON TRANSILIENT. — Ita hæc dispungunt et conjungunt Biblia Latina Romæ correcta, idque exigit ordo et nexus verborum, quæ omnia sunt ejusdem numeri, personæ, modi et temporis, scilicet futuri. Quare minus recte Jansenius et alii ea conjungunt præcedentibus, *q. d.* Sine his opificibus nec ædificari civitas, nec inhabitari potest, ita ut homines in ea degant et inambulent. Unde Tigurina vertit : *Sine his quidem non colletur urbs ulla, nec inhabitabitur, nec perambulabitur.* Igitur genuinus hujus loci sensus petendus est ex Græco. Nam pro *non inhabitabunt*, græce est παροικήσουσιν, id est *non erunt parœci et accolæ*, qui scilicet templum aliquod vel curiam accolunt. Unde παροικία, id est *parœcia*, vocatur curia, et viciniæ conventus, accolarum coitio ad templum vel curiam : juxta illam enim olim habitabant senatores et primarii cives; fabri vero et opifices, ne suo strepitu et sordibus turbarent senatores et cives, ad suburbia vel ad remota urbis loca ablegabantur. Ita agricolæ non in urbe, sed rure habitant : figuli quoque extra muros in arenariis degunt, ubi argillam suam effodiunt, ut eam ad manum habeant. Olim quoque fabri in suburbiis vel remote a cœtu populi habitasse videntur, æque ac cælatores juxta sua marmora et lapicidinas. Ita Palacius. Huc facit quod Cicero, lib. IV,

Academ., ex sententia Lycurgi et Solonis asserit « non esse urbes aut civitates, nisi quæ essent sapientium. » Unde addit : « Ego tibi, Carneade, prætor esse non videor, quia sapiens non sum : nec hæc urbs, nec in ea civitas. »

NEC INAMBULABUNT,—quasi judices, magistratus, vel censores, inquit Palacius, qui urbem obambulent, et considerent ne quid in ea male geratur. Adde otiosorum esse, non opificum laboriosorum, per urbem ambulare. Sic sæpe alibi in Scriptura *perambulare* est senatorum et principum, notatque principatum vel magistratum, puta actum visitandi, inquirendi, perscrutandi, disponendi res omnes, uti ostendi *Zachar.* cap. I, 11. Unde explicans, subdit :

ET IN ECCLESIAM NON TRANSILIENT.—Ut scilicet saliant in ecclesiæ prima et altiora subsellia, puta ut dignitatem senatorum, sacerdotum vel doctorum obtineant, ut in ecclesia emineant, ejusque sint primores et capita. Aut « in ecclesiam, » id est in cœtum et concilium sapientium » non transilient. » Unde Complutensia addunt : *In concilio populi non requirentur* ; et Tigurina : *Attamen nec sententiam rogabuntur in consultatione populi, nec in concione eminebunt.* Hinc et explicans subdit : *Super sellam judicis non sedebunt*, etc. Sic dicitur *Deuter.* XXIII, 1 : « Non intrabit eunuchus ecclesiam Domini, » ubi Oleaster et Cajetanus per *ecclesiam* intelligunt primores ecclesiæ et cœtus Judæorum, *q. d.* Eunuchus non erit e magistratu Judæorum.

Nota : Pro ὑπεραλοῦνται, id est *transilient*, aliqui legunt ὑπερκαλοῦνται, id est *advocantur*. Unde vertunt : *Nec in concionem* (concilium) *populi advocantur*. Nota : Hoc ordinarie fiebat, et fit etiamnum in magnis urbibus (nam in parvis etiam fabri, et sartores, et sutores sunt senatores et consules) ; extraordinarie tamen subinde ex hisce vilibus opificiis nonnulli conscenderunt ad primas reipublicæ dignitates. Sic Agathocles ex figulina conscendit thronum regni, factusque est Siciliæ rex ; unde cœnabat in vasis testaceis, ut meminisset semper se esse figuli filium. Hinc Ausonius de eo canit :

Agatocles ex figulo rex.

Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Sensus igitur est, *q. d.* Agricolæ et opifices esto in sua arte sapientes sint, et necessarii ad urbes et domos ædificandas ; tamen ad sapientiam et honorem primariorum civium non assurgent, ut scilicet civitatis sint rectores, judices, doctores. Quare non inhabitabunt primarias urbis partes, puta juxta templum et curiam, sed ad remota urbis, vel extra urbem loca amandabuntur : nec inambulabunt in ea, quasi consules vel magistratus, quia « in ecclesiam, » id est ecclesiæ consilium et regimen, puta ut in ea præsideant et præsint, « non transilient. » Unde explicans, subdit :

38. SUPER SELLAM JUDICIS NON SEDEBUNT, ET TESTAMENTUM JUDICII NON INTELLIGENT, NEQUE PALAM FACIENT DISCIPLINAM ET JUDICIUM, ET IN PARABOLIS NON INVENIENTUR. — Duo opificibus negat : *primum*, « sellam judicis, » id est auctoritatem et potestatem judicandi cives, *q. d.* Opifices non erunt judices civitatis. Rationem subdit : « Et » id est quia, « testamentum judicii, » id est ritus, decreta, leges et constitutiones judiciales, « non intelligunt, » *q. d.* Quia non sunt jurisperiti, utpote qui non juri, sed incudi studuerint. Hebraicum enim ברית *berit*, et Græcum διαθήκη, id est *testamentum*, per catachresin extenditur, ut non tantum constitutionem et ordinationem testamentariam, hoc est ultimam voluntatem, et decretum morituri vel mortui, sed et quamvis aliam ordinationem et constitutionem significet, præsertim judicii, juxta quam scilicet, quasi jus et justum civitatis, judex in judicio judicare et ferre sententiam debet. Unde aliqui vertunt, *et rationem judicii non intelligent*. Tigurina : *Nec sedebunt pro tribunalibus, nec ritum judiciorum intelligent.* Vers. 38.

Secundum est : « Neque palam facient disciplinam et judicium, » *q. d.* Opifices non erunt magistri et doctores, ut doceant alios « disciplinam et judicium, » id est justitiam, æquitatem et honestatem in moribus et humana vita ac conversatione servandam ; « et » id est quia, « in parabolis, » id est gravibus et eruditis sapientium sententiis perdiscendis non occupantur, cum totos eos occupet cura suæ artis et opificii. Olim enim apud Hebræos, Syros aliosque Orientales magnus erat usus quærendi parabolas, id est tum similitudines, tum proverbia, tum ænigmata, tum graves sententias, in iisque quasi veterum sapientia consistebat, ut patet ex libro Job, ex Parabolis Salomonis, ex Ecclesiastico, ex regina Saba, quæ venit tentare Salomonem in parabolis, III *Reg.* X. Hinc et Christus, more gentis suæ, suam doctrinam docuit per parabolas. Significat duo esse officia quæ in republica eminent, ad quæ non assurgunt opifices, scilicet rectoris vel judicis, et doctoris ; eo quod hæc eminentem requirant sapientiam, ideoque ingens studium poscant, ac consequenter otium et vacationem ab operibus mechanicis.

Idem sanxit Plato, lib. VIII *De Legibus*, ubi hanc primam civitati dat legem : « Primum, inquit, ut ne civium quispiam (qui cura civitatis incumbit) opificio ulli operam navet : » Causam subdit : « Quippe cum hoc tributum est a natura muneris, ut publicam civitatis salutem et publicum ornamentum tueatur ; atque adeo non perfunctoria opera satis ei sit ad tanti muneris procurationem. Duas autem artes, aut duo instituta commode tractare non potest ulla humana natura ; nemo etiam vel uni arti satis vacare potest, et simul aliam exercenti præesse. Hoc igitur in nostra republica firmum ratumque sit, itaque velut primordium ponatur, uti ne quis duabus rebus

Platonis lex ne magistratus sint opifices.

una vacet, veluti, ne quis faber ærarius lignariam artem exerceat. » Subdit pœnam, scilicet infamia notandum eum qui secus faxit. Additque : « Si quis peregrinus duas artes tractet, vinculis, mulctis pecuniariis, exilio plectitor ; ut is pœnis coercitus discat se unum esse, non autem multos una homines : » et, ut superius ait, ut sciat quod sit ἁπλοῦς non διπλοῦς id est *simplex* non *duplex*.

Pro παιδείαν, id est *disciplinam*, ut legunt Complutensia et Noster, Romani et Tigurina legunt δικαιοσύνην, id est *justitiam*. Unde vertunt : *Neque palam facient justitiam et judicium ;* Tigurina : *Neque vero de jure pronuntiarint aut æquo, nec arcana dictorum eruerint*, quasi hæc pertineant ad præcedentia de officio judicis.

Vers. 39. 39. SED CREATURAM ÆVI CONFIRMABUNT, — *q. d.* Opifices res hujus mundi creatas a Deo, homini ad vitam tuendam necessarias, arte sua reficiunt et restaurant. Pro *creaturam*, Noster legit cum Romanis κτίσμα, quod Tigurina vertit : *Sed opificia mundi firmant ;* alii : *Sed opificium sæculi stabiliunt.* Clarius enim αἰῶνος quod Noster vertit « ævi, » vertas *sæculi* ; Complutensia legunt κτῆμα, unde vertunt : *Sed possessionem sæculi firmabunt. Possessionem*, id est res quas homo in hoc mundo possidet, ut illum in earum possessione stabiliant et confirment. Cum enim omnes res creatæ sint fragiles, caducæ multisque alterationibus et corruptionibus obnoxiæ ; ut huic malo mederetur Deus, instituit artifices, qui illas repararent et restaurarent, ut illæ partim in se, partim in sui similibus nove ab opifice fabrefactis, per continuam tot sæculorum successionem usque ad finem mundi perdurent, hominisque necessitatibus et usibus serviant.

Aliter Palacius : Nam per *creaturam ævi*, sive sæculi, accipit hominem, sicut et S. Gregorius intellexit illud *Marci* ultimum : « Prædicate Evangelium omni creaturæ, » id est homini, inquit. Omnis enim creaturæ aliquid habet homo, estque ipse velut omnium creatorum participium. Est igitur homo *creatura sæculi*, utpote propter quem sæculum conditum est, et cui omnia in sæculo serviunt. Mechanicorum enim et agricolarum est hominem confirmare, id est homini servire. Totum enim eorum opus in commodum hominis cedit. Ita ipse.

ET DEPRECATIO ILLORUM IN OPERATIONE ARTIS. — *q. d.* Preces et vota opificum sunt pro felici exercitio artis suæ, ut opera talia efficiant, qualia ars cujusque exigit, ad vitam hanc commode transigendam. Hoc enim unum cogitant, hoc optant, hoc orant assidue. Unde Tigurina vertit : *Et pro exercitio artis vota faciunt* ; alii : *Et votum eorum in operatione artis.*

ACCOMMODANTES ANIMAM SUAM, ET CONQUIRENTES IN LEGE ALTISSIMI, *q. d.* Opifices ita vacant arti et opificio suo, ut tamen stato tempore accommodent et applicent « animam, » id est animum suum, ad audiendam, vel legendam legem Dei ; illam enim perquirunt, ut eam cognoscant, et cognitam opere perficiant ; utpote cum hæc una sit via, quæ animam ad salutem et felicitatem æternam in cœlis perducat. Huic latinæ sententiæ et sensui adaptes Græca, quæ sic habent : Πλὴν τοῦ ἐπιδιδόντος τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ διανοουμένου ἐν νόμῳ ὑψίστου, id est : *Præter dantem animum suum, et conquirentem in lege Altissimi.* Nam pro ἐπιδιδόντος Noster rectius legens ἐπιδιδόντος, vertit « accommodantes ; » et pro διανοουμένου, legens διανοουμένους vertit « conquirentes : » quanquam licet legas ἐπιδιδόντος, id est *accommodantis* ; et διανοουμένου, id est *conquirentis*, in genitivo, ut aliqui legunt, apte id referas ad « artis » quæ præcessit, eodem sensu : τὸ πλὴν vero omisit Noster quasi encliticum, ac proinde in Latina versione non necessarium : πλὴν enim idem est quod *præter, præterquam, nisi, verumtamen, cæterum*. Unde sic clare vertas et explices, *q. d.* Opifices toti vacant arti suæ : *verumtamen* stato tempore accommodant animam suam legi divinæ : aut *præterquam*, vel *nisi quod* statis diebus se accommodent vacentque legi Dei. Qui sensus prorsus convenit cum Latina Vulgata. Quare mirum est Jansenium et alios Græca aliter interpretari, iisque Latinam versionem accommodare, sed violenter. Vertunt enim : *Præter eum qui dat animum suum, et cogitat in lege Altissimi* ; sicque exponunt, quasi hæc verba non pertineant ad opificem, sed ad sapientem in otio vacantem sapientiæ, *q. d.* Illa quæ superius dixi, scilicet quod in civitate erunt rectores, judices et doctores, qui « sedeant super sellam judicis, » et « palam faciant disciplinam, » etc., non pertinent ad opifices, qui toti vacant suo opificio, sed ad sapientem, qui se totum dat legi Dei, et in ea assidue meditatur. Aut brevius, *q. d.* Non est artificum veræ sapientiæ operam dare, sed tantum illius qui animam suam dat ad pervestigandam legem Dei. Unde quod Latinus vertit : « Accommodantes animam suam, et conquirentes in lege Altissimi, » Græcæ lectioni et sensui jam dicto adaptant, subaudiendo τὸ *hi soli illa quæ dixi, præstabunt.*

Verum hæc violenta sunt, et multa subaudiunt, quæ vix ulli in mentem venient. Quare standum est Latino interpreti, illique Græca plane accommodanda sunt eo modo quo dixi. Explicat enim sapientiam opificum, de qua dixit vers. 25 : « Qua sapientia replebitur, » et vers. 35 : « Unusquisque in arte sua sapiens est, » maxime consistere in studio legis divinæ. Esto enim opifici non tanta, nec tam plena legis Dei cognitio necessaria sit, quanta est doctori ; tamen aliquali indiget, ut scilicet sciat ea quæ ad ipsum pertinent, et ad quæ obligatur, nimirum quid explicite credere, quid agere, quid omittere debeat, ut salutem æternam consequatur. Et in hoc ejus sapientia consistit.

Porro Tigurina, ut aliorum difficultates effugiat, hæc verba refert ad initium capitis sequentis. Unde cum eo illa connectens sic vertit :

Solus qui ad legem Altissimi adjunxit animum, et in meditatione ejus versatur, qui explorabit sapientiam antiquitatis, et Prophetarum oraculis vacabit, is conservabit disputationes virorum celebrium. Sic et Syrus : *Opifices,* ait, *non percipient disciplinam sapientiæ, quia in facturis sæculi splendidi evadunt, et meditatio eorum in opere artis eorum. Verum qui applicat se ad timendum Deum, et ad intelligendum legem vitæ, sicut sapientiam omnium antiquorum inquiret.*

Opificum sapientia est in cultu Dei.

Moraliter discant hic opifices, omnem suam sapientiam consistere in cultu Dei, si nimirum eum assidue deprecentur, ejusque legi aures, mentem et manum accommodent, præsertim ut omnia sua opera Deo offerant, eaque ad ipsius honorem et gloriam operentur et perficiant. Meminerint artem virtuti esse cognatam. Sicut enim ars est ratio faciendorum, ita virtus agendorum. Nam, ut ait S. Augustinus lib. IV *De Civit. Dei,* cap. XXI : « Ars ipsa bene recteque vivendi, virtus a veteribus definita est. Unde ab eo quod græce ἀρετή dicitur *virtus,* nomen artis Latinos traduxisse putarunt. » Si enim hæc præstiterint, Deus eorum opificium prosperabit, facietque ut in sua arte eximii, indeque celebres et locupletes evadant ; ac insuper eis augmenta gratiarum suggerat, quibus magnos in cœlis gloriæ thesauros nanciscantur. Artes enim sunt dona Dei, communiter quidem naturalia, subinde tamen supernaturalia et singulariter a Deo infusa, uti ars fabricandi tabernaculum a Deo infusa fuit Beseleel et Ooliab, de quibus ait ipsemet Deus, *Exodi* cap. XXXI, vers. 2 : « Ecce, vocavi ex nomine Beseleel, » etc., et implevi eum spiritu Dei, sapientia, et intelligentia, et scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, et argento, et ære... Dedique ei socium Ooliab... Et in corde omnis eruditi posui sapientiam : ut faciant cuncta quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis, et arcam testimonii, et propitiatorium, » etc. Deus enim est ipsa ars essentialis et increata, a quo omnis ars creata velut rivulus a fonte, scaturit et dimanat. Sic angeli docuerunt Jacob artem procurandi, ut oves parerent agnos diversicolores scilicet virgas populeas diversicolores in conceptu eis proponendo : qua arte ipse ditatus est, ut dixi *Gen.* XXX et XXXVII. Ita S. Eligius singulari Dei ope evasit insignis aurifaber, adeo ut Clotharius rex Francorum eum sibi aurificem asciverit, ac Dagobertus rex per eum S. Martini thecam magnis expensis confici curarit, quam ille miro opificio ex auro et gemmis construxit ; uti et S. Dionysio, S. Germano, S. Quintino aliisque Sanctis similes adornavit : unde postmodum creari meruit Episcopus Noviomensis. Ita Audoenus in *Vita* ejus lib. I cap. V et XXXII ; exstat apud Surium, die 2 decembris. Ita S. Claudius, Nicostratus, Symphorianus et Castorius sua pietate et signo crucis evaserunt insignes sculptores et marmorum cæsores ; qua de causa Diocletiano Imperatori fuere valde accepti. Id videns et invidens Simplicius, adhuc paganus : « Adjuro vos, inquit, ut mihi dicatis, quis iste Deus sit in cujus nomine tam bene operamini. » Cui Symphorianus : « Si potes credere, inquit, in Jesum Christum, mox artem consequeris, sed et vitam æternam habebis. » Credidit Simplicius, artemque adeptus, eisdem illustris martyrii factus est socius. Omnes enim a Diocletiano occisi sunt, eo quod nollent Æsculapii idolum sculpere. Eorum memoriam recolit Ecclesia die 8 novembris.

Porro ars fabrilis directa a mathesi, mira et stupenda efficit. Fabrilis enim mathesin a theoria ad praxin deducit, eamque ex speculativa practicam et mechanicam efficit : in qua excelluit Archimedes, qui per eamdem solus Syracusas contra Romanos defendit et propugnavit. Archimedem secutus est Severinus Boetius, princeps senatus Romani, illustrissimus prosapia, doctrina, sanctitate, martyrio, qui omnia Græcorum dogmata et mechanica interpretando ad Romanos transtulit. Unde Theodoricus, Gothorum rex, apud Cassiodorum, lib. I, *epist.* 45 mire ejus omnigenam scientiam dilaudans : « Translationibus tuis, inquit, Pythagoras Musicus, Ptolemæus Astronomus, leguntur Itali. Nicomachus Arithmeticus, Geometricus Euclides audiuntur Ausoniis. Plato Theologus, Aristoteles Logicus, Quirinali voce disceptant. Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidisti. Et quascumque disciplinas vel artes fecunda Græcia per singulos viros edidit, te uno auctore, patrio sermone Roma suscepit. » Mox mathesis hujus mechanicæ, sive fabrilis, mira recensens opera : « Facit aquas, inquit, ex imo surgentes, præcipites cadere ; ignem ponderibus currere ; organa extraneis vocibus insonare ; et peregrinis flatibus calamos complet, ut musica possint arte cantare ; » ut patet in organis cæterisque instrumentis hydraulicis vel anemicis, quæ scilicet vi aquarum, vel aeris et venti omnis generis modulos et harmonias edunt. Subdit Theodoricus : « Madentes fabricæ in aqua marina siccantur ; dura cum fuerint, ingeniosa dispositione solvuntur ; metalla mugiunt ; Diomedis in ære grues buccinant ; æneus anguis insibilat ; aves simulatæ fritinniunt (uti videmus Tusculi in hortis Aldobrandinis, et Tibure in Estensibus), et quæ propriam vocem nesciunt, ab ære dulcedinem probantur emittere cantilenæ. » Denique subjicit artem sphærarum, in quibus cœlorum, solis, lunæ siderumque motus, ortus, occasus, eclipses repræsentantur arte mechanica ad vivum. Hæc et plura Theodoricus, qui deinde, utpote arianus, amorem in odium vertens, Boetium velut catholicum metuens, ne Justini imperatoris arma contra se in Italiam evocaret, eumdem carceri Ticinensi mancipavit, in quo aureos *De Consolatione Philosophiæ* libros, ad sui et similium afflictorum solatium conscripsit ; ac tandem eumdem capite mulctans nobili martyrio decoravit.

Boetii laus a mathesi mira operante.

A martyrio.

ferunt Boetium caput sibi amputatum, instar S. Dionysii in manus accepisse, ac ad ecclesiam detulisse. Audi Jullium Martianum, in *Vita Boetii*, quæ ejus operibus præfigitur, et ex eo Baronium, anno Domini 525: « Ticini incolæ semper a majoribus traditum constanter asseverant, Severinum, cum regius spiculator lethale vulnus intulisset, utraque manu divulsum caput sustinuisse; interrogatumque a quonam se percussum existimaret? ab impiis, respondisse; atque ita cum in vicinum templum venisset, et flexis genibus ante altare sacra percepisset, post paululum exspirasse. »

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur probatque id quod dixit capitis præcedentis, vers. 25, sapientiam in otio quærendam, non in negotio. Igitur primo, duo tradit media ad comparandam sapientiam. Primum, studium, et lectionem Prophetarum, aliorumque sapientium; item conversationem cum eis, ac ad eos peregrinationem. Secundum, orationem, qua a Deo quis flagitet lumen, et donum sapientiæ. Deinde docet, quis sit fructus, laus et præconium sapientiæ et sapientis. Secundo, vers. 16, usque ad finem capitis, sapienter contemplatur potentia Dei opera, tum beneficentiæ, tum vindictæ, quibus omnes ad Dei laudem invitat.

1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit. 2. Narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit. 3. Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur. 4. In medio magnatorum ministrabit, et in conspectu præsidis apparebit. 5. In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim et mala in hominibus tentabit. 6. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. 7. Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur. 8. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: 9. et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino: 10, et ipse diriget consilium ejus, et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur. 11. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur. 12. Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque in sæculum non delebitur. 13. Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. 14. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, et laudem ejus enuntiabit ecclesia. 15. Si permanserit, nomen derelinquet plus quam mille: et si requieverit, proderit illi. 16. Adhuc consiliabor, ut enarrem: ut furore enim repletus sum. 17. In voce dicit: Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate. 18. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. 19. Florete, flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. 20. Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis labiorum, et citharis, et sic dicetis in confessione: 21. Opera Domini universa bona valde. 22. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries: et in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum: 23. quoniam in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute ipsius. 24. Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. 25. A sæculo usque in sæculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus. 26. Non est dicere: Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur. 27. Benedictio illius quasi fluvius inundavit: 28. quomodo cataclysmus aridam inebriavit; sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditabit. 29. Quomodo convertit aquas in siccitatem, et siccata est terra: et viæ illius viis illorum directæ sunt: sic peccatoribus offensiones in ira ejus. 30. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona et mala. 31. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimen-

tum. 32. Hæc omnia sanctis in bona, sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur. 33. Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua : 34. in tempore consummationis effundent virtutem : et furorem ejus, qui fecit illos, placabunt. 35. Ignis, grando, fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt; 36. bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et rhomphæa vindicans in exterminium impios. 37. In mandatis ejus epulabuntur, et super terram in necessitatem præparabuntur, et in temporibus suis non præterient verbum. 38. Propterea ab initio confirmatus sum, et consiliatus sum, et cogitavi, et scripta dimisi. 39. Omnia opera Domini bona, et omne opus hora sua subministrabit. 40. Non est dicere : Hoc illo nequius est : omnia enim in tempore suo comprobabuntur. 41. Et nunc in omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. **1. SAPIENTIAM OMNIUM ANTIQUORUM EXQUIRET SAPIENS, ET IN PROPHETIS VACABIT.** — Græce, ἐν προφητείας ἀσχοληθήσεται, id est, *in prophetiis occupabitur*; Tigurina : *Sapientiam antiquitatis explorabit, et Prophetarum oraculis vacabit, q. d.* Sapiens, qui posthabitis opificum negotiosis exercitiis, otioso vacat studio sapientiæ, eamque in otio litterario pervestigat; hic exquiret omnium antiquorum sapientiam. Ad hoc enim opus est otio, et vacatione a cæteris rebus et negotiis. Igitur sicut capite præcedenti vers. 26 usque ad finem, descripsit exercitia corporalia opificum, sic hic describit exercitia mentalia sapientis, id est studiosi sapientiæ, qui sapientiam acquirere satagit. Unde Syrus sapientem mechanico componens et anteponens : *Meditatio eorum* (opificum), inquit, *in opere artis eorum; verum qui applicat se ad timendum Deum, et ad intelligendum legem vitæ, sicut sapientiam omnium antiquorum exquiret, et ad Prophetas veteres convertetur.* Per *sapientiam* accipit Philosophiam et Theologiam, præcipue Ethicam, quæ hominis mores format, adeo plene et ample, ut et familiam, ac subinde totam etiam rempublicam regere queat per œconomicam et politicam, quæ ethices generatiter sumptæ sunt partes et species. Sapientem igitur, id est ethicum, œconomicum et politicum, hic instruit Siracides, ac primum ei exercitium assignat « exquirere sapientiam omnium antiquorum ; » ut non solum sacras Litteras evolvat, inquit Palacius, sed et profana scrinia scrutetur ; nec contentus Peripatetica Aristotelis philosophia, etiam Platonicam videat et Stoicam. Nam Aristoteles, Plato et Socrates floruerunt paulo ante Siracidem, scilicet sub Alexandro Magno, post quem 40 circiter annis sub initium regni Ptolemæi Philadelphi, hæc scripsit Siracides. Cum enim humana sapientia sit lumen quoddam ex divinitatis luce procedens, non solum hæc quærenda est in schola Peripatetica, sed ubilibet eam reperiamus, veneremur oportet, quod S. Paulus docuit, sententias ex Poetis adducens, *Actor.* cap. XVII et alibi. Hæc Palacius.

Platoni studuere Hebræi.

Hinc et olim S. Augustinus cæterique Patres studuere Platoni, adeoque Plato in Academiis Christianis prælegebatur, uti nunc prælegitur Aristoteles. Sic Seneca, Plutarchus, Epictetus et similes magnam morum docent honestatem. Idem fecere prisci Hebræi. Ut alios taceam, Philo Judæorum doctissimus, teste S. Hieronymo, Platonem volutavit et imbibit. Unde illud celebre : « Aut Philo platonizat, aut Plato philonizat. »

Sed maxime sapientiæ studiosus « Prophetis vacabit, » ut, scilicet, eorum prophetias, ut habent Græca, perscrutetur ; hæ enim cum dictatæ sint a Spiritu Sancto ad hominum instructionem, et morum confirmationem, utique verissimæ, utilissimæ, efficacissimæ et divinissimæ sunt.

Nota τὸ *omnium*, quia aliquid singuli habent peculiare vel sapientiæ, vel eloquentiæ, quod ab iis ediscas. Omnes ergo legas oportet, ut omnimodam haurias sapientiam. Audi Sidonium Apollinarem, lib. IV, *epist.* 3, ubi laudans Claudianum Mamercum, eumque comparans priscis Sapientibus, tam Gentilibus quam Christianis, singulorum propria ita argute et punctim assignat : « Sentit, inquit, ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles ; ut Æschines blanditur, ut Demosthenes irascitur, vernat ut Hortensius, æstuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Cæsar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Julius. Jam si ad sacrosanctos Patres pro comparatione veniatur, instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius, astruit ut Augustinus, attollitur ut Hilarius, summittitur ut Joannes, ut Basilius corripit, ut Gregorius consolatur, ut Orosius affluit, ut Ruffinus stringitur, ut Eusebius narrat, ut Eucherius sollicitat, ut Paulinus provocat, ut Ambrosius perseverat. »

Propriæ cuique veterum sapientum dotes.

Per *Prophetas* intellige totam S. Scripturam synecdochice : nam major et difficilior pars Sanctæ Scripturæ sunt Prophetæ. Hebræi enim S. Scripturam dividunt in tres partes, scilicet in legem, prophetias et hagiographa. Lex continetur Pentateuchio Mosis, hagiographa numerant Job,

Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica, Paralipomenon, Danielem, Esdram et Esther: Prophetas dividunt in priores et posteriores. Priores vocant Josue, Judices et quatuor libros Regum: posteriores, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, et duodecim Minores Prophetas. Ita S. Hieronymus in *Prologo Galeato*, qui Bibliis præfigitur. Prophetæ ergo majorem et potiorem sacræ Scripturæ veteris partem occupant, ac proinde per eos omnes scriptores hagiographi, sive Canonici intelliguntur. Hi enim docent veram et divinam sapientiam, a Deo dictatam ad hominum institutionem.

Pari modo studium Prophetarum et S. Scripturæ fidelibus, veræ sapientiæ studiosis, commendat S. Petrus, *epist.* II cap. I, 19: « Habemus, inquit, firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.» Idem Timotheo commendat S. Paulus, *epist.* II, cap. III, 15: « Ab infantia, inquit, sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.» Vide quæ illis locis annotavi.

Essæi studiosi S. Scripturæ

Sic Essæi, sive Judæi, sive Christiani, sapientiæ et sanctitatis opinione celebres, « summum studium veterum scriptis adhibent, inde quæ animæ et corpori expediant eligentes,» ait Joseph lib. I. *De Bello Judaico*, cap. VII. Idipsum magno labore et studio præstiterunt prisci Rabbini et Masoretæ, qui exacte omnes S. Scripturæ varias lectiones et scriptiones, omnes voces, earumque varietates et sensus, ad conservandam S. Scripturæ integritatem, annotarunt, ideoque opus suum vocarunt *Masoret*, id est *traditio*, a radice מסר *masar*, id est *tradidit;* ut *masoret* idem sit quod *cabala*. Rursum, *masoret* potest deduci a rad אסר *asar*, id est *colligavit*, et יסר *iasar*, id est *correxit*. Nam, ut notant Lexicographi, *masar*, *asar* et *iasar* sunt affinia uti voce, ita et significatione, et ab hisce tribus deduci potest vox *masoret*. Si a *masar*, id est *tradidi*, derives, significat *traditionem*: si a *iasar*, significat *correctionem*, *castigationem*, scilicet erratorum in describendis Bibliis admissorum; si ab *asar*, significat *colligationem;* quia eo libro ita collegerunt et colligarunt verba et voces omnes S. Scripturæ, ut ipsa dissolvi, corrumpi et interire nequeat. Et hoc significat *masoret*, *Ezech.* XX, 37: « Inducam vos in vinculis (hebraice, *in masoret*) fœderis, » *q. d.* Vos mihi fœdere constringam et devinciam.

Masore qui?

In eodem, longe magis post Christum, desudarunt Patres omnes, et Ecclesiæ Doctores, Nam, ut ait S. Ambrosius *epistola 44 ad Constantium*: « Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem prophetiarum, ænigmatum. » Et S. Augustinus lib. XII *Confess.* cap. IV: « Mira, ait, profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris.» Quocirca idem, *epist.* 119, cap. XXI: « In ipsis, ait, S. Scripturis multo nescio plura quam scio.» Denique S. Nazianzemus *in Distichis*: « Divinis, ait, oraculis mentem assidue patere, utilissimum est; hac enim ratione divinarum legum scientia comparatur. Scito autem, pietatis magistrum patris loco tibi colendum esse. » Nam, ut ait S. Gregorius, *Præfat. in Job*: « In S. Scriptura agnus (humilis) natat, et elephas (superbus) mergitur. »

Vers. 2. 2. NARRATIONEM VIRORUM NOMINATORUM CONSERVABIT, ET IN VERSUTIAS PARABOLARUM SIMUL INTROIBIT. — Per *narrationem*, græce διήγησιν, id est enarrationem, explicationem, intellige tum ipsam doctrinam sapientium, v. g. scripta Mosis, Salomonis, Davidis, Isaiæ, et cæterorum Prophetarum ab ipsis proposita et explicata; tum Rabbinorum, qui in eos commentati sunt, explanationes; hæ enim proprie vocantur διηγήσεις, ut habent nonnulli codices. Generatim per *narrationem* accipe quævis virorum sapientia celebrium dicta vel scripta. Unde Tigurina vertit: *Is conservabit disputationes virorum celebrium* (alii, *clarorum*), *et penetrabit in dictorum reconditorum involucra;* Syrus: *Narrationes cujuscumque de mundo discet, et quæ profunda sunt cogitabit.* Per *versutias*, græce στροφάς, id est argutias et involucra, *parabolarum*, accipe quasvis acutas gravesque veterum sententias de moribus componendis, de vita recte et prudenter instituenda. Hasce enim Hebræi vocant *misle*, Græci et Latini *parabolas*, sive illæ veræ sint parabolæ, id est similitudines, sive proverbia, sive ænigmata, sive quælibet aliæ obscuræ, ingeniosæ aut graves sententiæ, ut alibi dixi. Hasce ergo indagare, intelligere et memoriæ mandare debet sapientiæ studiosus. Hæ enim dicuntur et στροφαί sunt στροφαί, id est versutiæ, a στρέφω, id est verto, torqueo, flecto, inflecto: tum quia acutæ sunt et obscuræ, ideoque versant et torquent animum studiosi; tum quia ad varias res et actiones verti, inflecti et accommodari queunt; tum quia occulte et callide sæpe alio vertunt mentem intelligentis, quia aliud significant quam prima fronte repræsentant, ut patet in Hieroglyphicis Ægyptiorum, in ænigmatibus et parabolis Syrorum; tum denique quia voluntatem legentis vertunt et inflectunt a malo ad bonum, scilicet ad studium et praxin virtutis. Idem inculcavit Siracides, cap. VIII, vers. 9.

στροφαί quæ?

Exempla studen-

Id præstitere SS. Ecclesiæ Doctores. Audi S. Hieronymum, *Præfat. in epist. ad Ephes.* «Nunquam

tium libris priscorum

ab adolescentia aut legere, aut doctos viros quæ nesciebam interrogare cessavi, aut meipsum habui magistrum. Denique nuper ob hanc vel maxime causam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, et ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam, dubia sciscitarer. » Audi Ruffinum, lib. XI *Histor.* cap. IX, de S. Basilio et S. Gregorio Nazianzeno : « Ambo, inquit, nobiles : ambo Athenis eruditi, ambo collegæ, per annos tredecim, omnium Græcorum sæcularium libris remotis, solis divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, eorumque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex majorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat. » Plures citavi Procœmio *in Pentateuchum*. Audi Rabanum hoc loco : « Exquirit homo Ecclesiasticus, et diligentius discit sapientiam Patriarcharum et Prophetarum, et ad scripta eorum meditanda vacat ; narrationem virorum nominatorum, hoc est Apostolorum et Evangelistarum, recte credendo et bene operando conservat ; in parabolis quoque Evangelicis diligenter scrutando versatur, et mysticum sensum in sententiis divinis exquirens, latentem allegoriam in historica narratione investigat ; ut sciat quid luculentus sermo juxta moralitatem et fidei regulam utilitatis habeat, quidve juxta allegoriam et anagogen spiritaliter accipiendum insinuet. Hic ergo in medio magnatorum ministrabit, cum inter Catholicos doctores disciplinaliter conversatur, et in Ecclesiasticis officiis strenue ministrat ; et hoc non ut laudem humanam appetat facit, sed ut coram oculis interni inspectoris, qui præsidet cœlo et terræ, et dominatur omnium creaturarum, placeat. » Denique S Hieronymus, epist. *ad Paulinum* : « Paulus Apostolus, inquit, ad pedes Gamalielis legem Moysis et Prophetas didicisse se gloriatur, ut armatus spiritalibus telis postea diceret confidenter : Arma nostræ militiæ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivantes omnem intellectum ad obediendum Christo, et parati subjugare omnem inobedientiam, » II *Cor.* X.

Vers. 3.

3. OCCULTA PROVERBIORUM EXQUIRET, ET IN ABSCONDITIS (græce ἐν αἰνίγμασι, id est *in ænigmatibus*) PARABOLARUM CONVERSABITUR. — *parabolæ* apud Hebræos sæpe idem significant quod *proverbia* : ut idem dicatur posteriori hemistichio cum eo quod dictum est priori ; quia pleraque proverbia parabolam, id est similitudinem vel metaphoram habent admixtam. Possunt tamen distingui, ut ea distinguunt Græci et Latini. *Proverbia* enim, græce παροιμίαι, sunt sententiæ graves omnium opinione receptæ, et vulgo usurpatæ ; item allegoriæ, quæ alio alludunt, aliudque innuunt. *Parabolæ* vero sunt similitudines et comparationes, quibus una res alteri comparatur et assimilatur : et quia subinde res quæ comparantur, sunt occultæ, aut certe modus eas comparandi est occultus ; hinc pariter *parabolæ* sensus sæpe sunt occulti et reconditi ; ideoque magno egent scrutinio et expositione, ut patet in parabolis et allegoriis S. Scripturæ, quæ proinde per parabolas hic accipi possunt ; unde et nonnulli hic vertunt, *in ænigmaticis allegoriis versabitur*. Sic et Lyranus ac Rabanus, cujus verba paulo ante recitavi. Sic Essæi olim qui totos sé sapientiæ et contemplationi addixerant, assidue rimabantur allegoricos et symbolicos S. Scripturæ sensus, teste Philone et Eusebio lib. VIII *De Præpar. Evangel.* cap. IV, atque hac ratione ingentem sapientiam sibi compararunt. Syrus : *Sapientiam proverbiorum discet, et omnia abscondita intelliget.*

Vers. 4.

4. IN MEDIO MAGNATORUM MINISTRABIT, ET IN CONSPECTU PRÆSIDIS (græce, ἡγουμένου, id est præsidis, principis, ducis, gubernatoris ; Complutensia legunt ἡγουμένων, in plurali ; unde vertunt : *Coram ducibus* vel *principibus*) APPAREBIT — græce ὀφθήσεται, id est *conspicietur*. Est hic novus et secundus modus parandi sapientiam. Ad eam enim non sufficit legere et meditari scripta sapientum, sed insuper opus est eorum experientia et praxi. Hæc autem cernitur et discitur, tum in aulis Prælatorum et principum sapientum (hi enim multos habent sapientes viros et consiliarios), tum in subselliis et tribunalibus judicum. Igitur Philosophus, id est studiosus sapientiæ, « in conspectu præsidis apparebit ; » ut scilicet, tum principi se sistat, tum judici, ut coram eo vel suam vel alterius agat causam. Nam agere causam quodcumque, quantumvis hebes, acuit ingenium, ait Palacius. Rursum in aulis discitur modus conversandi cum quolibet hominum genere, isque politicus et civilis. Denique τὸ *ministrabit* non tantum significat « serviet, » sed et « publica munia obibit ; » qua in re magna acquiritur experientia et prudentia. Unde Tigurina vertit : *Inter proceres obibit munia, et principibus apparebit*. Sic regina Saba venit ex Æthiopia in Judæam ad Salomonem, ut audiret et disceret ab eo sapientiam, III. *Reg.* X. Unde Syrus vertit : *Inter principes ambulabit, et inter reges et magnates serviet.*

Secundus est audire alios sapientes.

Allegorice, vir Ecclesiasticus apud « magnates, » id est Episcopos et Prælatos, in Ecclesiasticis officiis strenue ministrat ; ut « in conspectu præsidis, » id est Dei inspectoris, qui cœlo et terræ præsidet, decenter et cum laude appareat. Ita Rabanus et Glossa.

Allegorice.

Vers. 5.

5. IN TERRAM ALIENIGENARUM GENTIUM PERTRANSIET : BONA ENIM ET MALA IN HOMINIBUS (ita Romana et Græca, quæ habent ἀνθρώποις : male ergo nonnulli pro *hominibus* legunt *omnibus*) TENTABIT. — Aliqui hunc versum et præcedentem accipiunt, ut describat non officium, sed præmium sapientis, *q. d.* Sapiens hisce præmiis donabitur, ut coram principibus ministret, et publica honorum munia obeat : insuper ab eis mittetur legatus

ad alienigenas gentes, ut negotia publica cum iis pertractet; quia ipse bona et mala in hominibus ἐπείρασε, id est *tentavit*, ut legit Rabanus, *q. d.* Ipse per longam experientiam didicit explorare et cognoscere hominum mores, ingenia, cogitationes, consilia; ipse pervidet quid in eis boni sit, quid mali; unde scit cum quibus, qua ratione et modo agere, et negotia sibi commissa tractare debeat, ut ea ad optatum a principe, qui eum misit, finem deducat. Verum præmia sapientis assignabit Siracides, vers. 9 et seq.; hic vero dat modos et media parandi sapientiam.

Tertius est peregrinatio.

Igitur tertius modus eam parandi est peregrinari per varias gentes, in eisque audire, colloqui et versari cum viris sapientibus; nulla enim est gens quæ non aliquid boni in sensu et moribus habeat. Igitur sapiens in gentibus quibusque explorabit, num quid boni habeant, illudque sibi accerset; si quid vero mali deprehendat, ab eo sibi cavebit: bona ergo scrutabitur, ut sectetur; mala, ut evitet. Possunt quoque per « bona et mala, » accipi prospera et adversa, *q. d.* Sapiens in omnibus tentabit quid utile, felix et prosperum, quidve noxium, infelix et adversum sit, ut utile et prosperum sectetur, noxium et adversum fugiat et caveat. Unde Tigurina vertit: *Peragrat terras gentium alienigenarum: etenim bona simul et mala experitur inter homines;* Syrus: *In civitatibus mundi ambulabit, bonum et malum in hominibus occultabit, q. d.* Sua bona vel mala non prodet, sed abscondet, ne ob ea aliquod discrimen incurrat.

Exempla.

Ita S. Hieronymus peragravit Italiam, Galliam, Germaniam, Græciam, Syriam, ubique adiens, et audiens viros doctos, itaque sibi tantam sapientiam comparavit. Audi eumdem rationem et causam hujus sui facti reddentem in Prologo Galeato, epist. *ad Paulinum*: « Legimus, inquit, in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria transisse: ut eos, quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Ægyptum et Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragravit: ut qui Athenis magister erat et potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus; malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere. Denique dum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus a piratis et venumdatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vinctus et servus; tamen, quia philosophus, major emente se fuit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus: et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi, aliud extra urbem quærerent. Apollonius, sive ille magus, ut vulgus loquitur, sive philosophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit: et ad extremum, latissimo Phison amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, et de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Ælamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reversus Alexandriam, perrexit in Æthiopiam, ut Gymnosophistas et famosissimam solis mensam videret in sabulo. Invenit ille vir ubique quod disceret, et semper proficiens, semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo voluminibus Philostratus. » Hucusque S. Hieronymus. Galli ab olitanis sæculis filios domo amandabant foras, ut severius et studiosius educarentur. Audi Cæsarem, lib. VI *De Bello Gallico*: « In reliquis, inquit, vitæ institutis hoc fere a reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverint, ut munus militiæ sustinere possint, palam ad se venire non patiuntur; filiumque puerili ætate in publico conspectu patris assistere turpe ducunt. »

Hac de causa institutæ sunt Academiæ, ut eas studiosi sapientiæ adeant, ibique audiant doctores et viros in omni scientia et sapientia illustres. Qua de causa SS. Basilius et Gregorius Nazianzenus adiere Athenas, alii Alexandriam, ut Origenem, Pantenum, Haraclam aliosque doctores viderent et audirent. Adde sæpe apud exteros plus esse libertatis, quietis et otii ad studendum quam domi, ubi magni temporis fures sunt parentes, amici, familiares. Unde Hugo Victor, lib. III *Didascal.* cap. III, recitat celebrem de modo et forma discendi sententiam, sex puncta præscribentem:

> Mene humilis, studium quærendi, vita quieta,
> Scrutinium tacitum, paupertas, terra remota (extera);
> Hæc reserare solent multis obscura legendo.

Ac subjicit: « Ab omnibus libenter disce quod tu nescis; quia humilitas commune tibi facere potest, quod natura cuique proprium fecit. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores fiunt. Audi Chrysippum in Proverbiis »

> Quod tu nosti, fortassis novit asellus.

Apposite Plinius, lib. XV, cap. XXX: « In ludo sphæræ, ait, simul discunt et mittere et excipere commode: at in doctrina prius est bene accipere quam mittere, quemadmodum concipere prius est quam parere. Audiendum igitur prius, » juxta illud *Proverb.* I: « Audiens sapiens, sapientior erit. » Auditus enim est sensus disciplinæ, ait Philosophus.

6 et 7. COR SUUM TRADET AD VIGILANDUM DILUCULO AD DOMINUM, QUI FECIT ILLUM, ET IN CONSPECTU

Vers. 6 et 7.

ALTISSIMI DEPRECABITUR. APERIET OS SUUM IN ORATIONE, ET PRO DELICTIS SUIS DEPRECABITUR. — Syrus : *In corde suo ponet ut oret, et a Domino petat misericordiam. Aperiet os suum in oratione, et pro peccatis suis precabitur bona.* Est hoc medium ad sapientiam ordine quartum, sed dignitate et necessitate primum, ideoque cæteris « diluculo » et primo mane præmittendum, ut ait Siracides. Sensus ergo est, *q. d.* Dixi media ad sapientiam esse studium, lectionem, auditionem, peregrinationem et conversationem cum sapientibus; nunc addo præcipuum, scilicet orationem, sine quo jam dicta frustra adhibeas. Oratio enim impetrat lumen, quo et utiles libros doctoresque ab inutilibus secernas, quoque illa, quæ legis, audis et vides, intelligas, in sinum memoriæ recondas et in tuum usum convertas : oratio igitur cæteris præeat, illaque dirigat oportet.

Quartus est oratio.

Nota : τὸ *pro delictis suis deprecabitur*. Significat enim in exilio isto sapientiam, id est justitiam, non eo usque progredi, ut nunquam homo peccet, sed ut nunquam in delicto perseveret, quin illud agnoscat, veniamque a Deo precetur.

Porro hæc oratio affectuosa et contenta sit oportet, adeo ut cor ei non commodetur, sed totum « tradatur » et dedatur, idque « diluculo, » cum cor et mens maxime valet vigetque, idque « ad Dominum qui fecit illum ; » illius enim solius est dare sapientiam, qui dedit essentiam. Unde Hebræi תושיה *tuscia* vocant tam sapientiam quam essentiam, ut innuant eumdem esse fontem sapientiæ et essentiæ, scilicet Deum, adeoque essentiam, animam, vitam et spiritum hominis, qua homo rationalis est, quasi consistere in sapientia. Ex corde vero pleno, tum sapientiæ desiderio, tum orandi pro ea affectus, hæc oratio ad os dimanat, seque per illud in preces vocales magno affectu effundit. Hoc innuit τὸ *aperiet os suum in oratione ;* hæc enim oris apertio ingentis spiritus, affectus et desiderii est indicium, juxta illud : « Dilata os tuum, et implebo illud. » Denique « in oratione pro delictis suis deprecabitur, » ut scilicet amoveat impedimenta sapientiæ; hæc enim sunt peccata et delicta, quæ obscurant et excæcant mentem hominis, præsertim practicam, ac Dei illuminationem avertunt, juxta illud : « In malevolam animam non introibit sapientia, » *Sap.* I. Unde Tigurina vertit : *Instituit animum mane ad Dominum creatorem suum salutandum, et precatur ad Altissimum, os suum aperit ad orandum, peccataque sua deprecatur ;* alii : « Cor suum applicat ad quærendum studiose Dominum factorem suum, et coram Supremo precatur, » etc.

Audi nostrum Alvarez de Paz hæc verba expendentem, tomo III *De Oratione mentali*, lib. II, parte I, cap. VII : Egregium, inquit, sapientis elogium, mane, id est ante omnia alia opera, orationis opus assumere. Is orationi se tradit, nimirum strenue et diligenter in orationem incumbit. Aliis operibus minime tradendum est cor, sed moderate applicandum, ne in infimis hæreat, ne rerum visibilium amore mergatur. At orationi tradendum est; quia idem omnino sunt, cor orationi tradere, et illud Deo, cui oratione jungimur, consecrare. Cor suum tradet ad vigilandum; nam oratio non sommolentia, sed vigilia est; non ignavia, sed sollicitudo; quia sollicite et diligenter cor divinis intendit, et intellectu apprehendit, ut affectu ac voluntate degustet. Merito autem sapiens (et hic non est alius quam justus) quasi in orationem mergitur, et, aliis curis sepositis, vigili cura contemplationi dicatur, quia factorem suum alloquitur, et Deo altissimo se præsentat, a cujus benignitate omne bonum exspectat. Res vero tanta non debet negligenter assumi, sed strenue et gnaviter usurpari.

Moraliter, hic disce, diluculo mox ut evigilas, primitias cogitationis et operationis per orationem dandas esse Deo, eumque invocandum, ut ipse studia cæterasque actiones omnes ad suam gloriam, nostramque et aliorum salutem dirigat. Unde Psaltes, *Psalm.* LXII, 1 : « Deus, Deus meus, inquit, ad te de luce vigilo. » Idem inculcat crebro Siracides, ut cap. IV, 13 : « Qui vigilaverint ad illam (sapientiam), complectentur placorem ejus ; » et cap. XXXII, 18 : « Qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. » Id omnes hauserunt a Mose, imo a Deo, qui per Mosen Hebræis ita sancit, *Deut.* VI, 7 : « Meditaberis in eis (verbis Dei et sapientiæ), sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. » Vide ibi dicta. Quocirca S. Basilius ad filium spiritalem, hoc ei dat documentum : « Quodcumque opus inchoaveris, primo invoca Dominum, et ne desinas gratias agere, cum perfeceris illud. Quære Dominum, et invenies eum : nec dimittas, cum tenueris, ut copuletur mens tua in amore ejus. Hoc stude in vita tua, ut orationem puram offeras Deo. » Idem, epist. 1 *Ad Gregorium Theologum* : « Ecquid beatius, quam hominem in terra concentum Angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire? in hymnis et canticis Creatorem venerari? exinde sole jam dilucescente converti ad opera, nusquam sine oratione? denique canticis tanquam sale condire actiones? » Plures citavi, *Deut.* VI, 7, ad illud : « Dormiens atque consurgens. » Quocirca Paulinus (vel, ut alii, Ausonius) in cantico, sive precatione matutina, ita diluculo precatur, et alios precari docet :

Moraliter, de oratione matutina.

Quæ mane a Deo petenda.

Da, Pater, hæc nostro fieri rata vota precatu :
Nil metuam cupiamque nihil; satis hoc rear esse
Quod satis est; nil turpe velim, nec causa pudoris
Sim mihi; nec faciam cuiquam, quæ tempore eodem
Nolim facta mihi; nec vero crimine lædar,
Nec maculer dubio; paulum distare videtur
Suspectus vereque reus; male posse facultas
Nulla sit, et bene posse adsit tranquilla potestas.
Sim tenui victu atque habitu, sim charus amicis;
Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.

S. Bernardus vero, *Epist. ad quemdam*, quid a nobis requirat Deus : « Nihil dignius, ait, cogitari potest, quam cor ad eum referre, qui, ut viveres, mori voluit : nam et justus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum. Vigilatio cordis justa, et cogitatio ejus justa est, ut meditetur assidue quid accepit in bonis naturæ, quid in bonis gratiæ, quid in Dei Filio pro nobis humanato, passo, mortuo. » Et anterius docens Deum a nobis requirere cor, idque totum et in solidum, juxta illud : « Filii, da mihi cor tuum : Tunc siquidem, inquit, cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat et circumflectitur super eum, et nihil vult possidere penitus præter eum. Sicque colligato sibi animo eum diligit, ut sine ipso amarus sit omnis amor. »

Mane cor Deo offerendum.

Mane ergo offerendum est Deo cor, omnesque cordis per diem cogitationes et actiones. Porro, Aristoteles in *Œconom.*: « Surgere de nocte, inquit, et ad sanitatem et ad philosophiæ studia prodest quamplurimum. » Hac de causa Religiosi plerique noctu surgunt ad meditandum et psallendum; idque sanitati conducere docent medici, experientia et ratio. Cantus enim expectorat et consumit phlegmata post concoctionem reliqua, cæteramque digestionem adjuvat, calorem et spiritus excitat, membraque corroborat. Idem a Mose et Prophetis didicerunt philosophi et poetæ. Unde illud : « A Jove principium ; » et illud : « A te principium, tibi desinet. » Hinc Plato in Protagora docet poetas id repræsentasse per fabulam vel apologum Promethei, quem fingunt e cœlo fuisse furatum ignem, ut illum hominibus a se efformatis inderet, itaque eos sapientes et divinos efficeret. Atque hac de causa hominem esse Deo cognatum, ut ob hanc cum Deo cognationem, Dei cognitionem, metum et cultum sibi quasi a natura insitum habere videatur.

Promethei apologus.

Quocirca philosophi, poetæ, legislatores, suæ doctrinæ et inventionis auctorem Deum perhibuerunt, quamvis illum diversis nominibus appellarint. Orpheus Calliopen, Musæus Uraniam, Pindarus Polymniam, Homerus Clionem, Hesiodus Terpsichorem, Linus Phœbum, Virgilius Thaliam, Ovidius Euterpen sui poematis auctores profitentur, iisque insalutatis nil magnum aggrediuntur. Summus ille legislator Trismegistus Mercurio, Zaleucus et Zamolxis Vestæ, Charondas Saturno, Lycurgus Appollini, Solon Minervæ, Minos et Plato Jovi, Numa Egeriæ, Mahumetus Gabrieli, Moses ineffabili Deo suarum legum inventionem tribuerunt.

Vers. 8.

8. SI ENIM DOMINUS MAGNUS VOLUERIT, SPIRITU INTELLIGENTIÆ (Tigurina, *sapientiæ*) REPLEBIT ILLUM. —Syrus : *In spiritu intelligentiæ sapiens fiet*; volet autem, si humili et ardenti prece rogetur et implorétur, juxta illud : « Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ. » Ipse enim est Dominus magnus, non tantum sapientiæ et intelligentiæ, sed et potentiæ, clementiæ et liberalitatis, ut tanquam Dominus potentissimus, clementissimus et liberalissimus, spiritum sapientiæ et intelligentiæ in postulantes effundat, juxta illud *Jacobi* cap. I : « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter. » Vide ibi dicta. Τὸ *magnus* indicat magnum esse donum sapientiæ, quod non nisi magnis a magno Deo datur, uti datum est Salomoni, illud præ cæteris optione sibi facta postulanti, III *Reg.* III, 5.

Vers. 9

9. ET IPSE TANQUAM IMBRES MITTET (græce ἀνομβρήσει, quod Complutensia vertunt, *distillabit;* alii, *sicut imbrem effundet*; alii, *depluet*; Syrus : *Ipse proferet proverbia in dupla, et laudabunt eum in consiliis ejus*) ELOQUIA SAPIENTIÆ SUÆ, ET IN ORATIONE CONFITEBITUR DOMINO. — Hucusque tradidit media in comparandam sapientiam : nunc ejus effectus et fructus recenset; inter quos primus est, quod « tanquam imbres, » id est copiose et abundanter, æque ac suaviter et utiliter, « emittet eloquia sapientiæ suæ, » in primis ad Deum, deinde ad seipsum ut iis se dirigat, ac tandem ad proximum ut eum instruat, de quo vers. 10 et 11. Ad Deum, ut « in oratione ei confiteatur, » id est ejus immensam gratiam, potentiam, bonitatem, sapientiam laudet, celebret, ac pro collata sibi sapientia gratias agat, postulans ut eam augeat et perficiat. Primum enim eloquium sapientiæ dandum est Deo sapientiæ auctori, ut eum quasi sapientissimum sapienter, pie et magnifice celebremus, juxta illud : « Psallite Deo, psallite, etc., psallite sapienter, » *Psal.* XLVI, 7. Atque hic pariter est *primus* orationis fructus, ut scilicet per eam impetremus donum laudandi Deum, eique gratias agendi, per quod disponamur et gradum faciamus ad cætera Dei dona percipienda : qua de causa S. Paulus orationi subjungere solet gratiarum actionem, ut patet I *Timoth.* II, 1. et I *Thessal.* V, 17 et 18.

Sapientiæ et orationis fructus primus.

Alludit ad *Deuter.* XXXII, 2 : « Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat utros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina. » Imber ergo notat eloquii et sapientiæ, *primo*, copiam; *secundo*, suavitatem; *tertio*, fecunditatem, quod fructum e cordibus audientium producat similem illi, quem imber producit e terra; *quarto*, quod e nube sapientiæ proferatur quasi e re non terrena, sed cœlesti, adeoque ejus originem esse a Deo in cœlis. Porro ad Deum hæc eloquia sapientiæ *primo* et principaliter spectare, patet ex eo quod addit : « Et in ore Domino confitebitur ; » et ex eo quod de eloquiis quibus proximus instituitur, agit, vers. 11. Unde Tigurina vertit : *Verba sapientiæ effundet, et Dominum oratione sua celebrabit.* Hinc Doctores a S. Gregorio vocantur Hyades, id est stellæ pluviæ ; ejus locum et verba recitavi capite XXXIII, 27.

Imber detat qtatuor dotes sapientiæ.

Vers. 10. Secundus.

10. ET IPSE DIRIGET CONSILIUM EJUS, ET DISCIPLINAM, ET IN ABSCONDITIS SUIS CONSILIABITUR. — Secundus est hic fructus sapientiæ, æque ac orationis.

Lyranus per τὸ *ipse* intelligit Deum, *q. d.* Deus « diriget » et fortunabit consilium ejus, qui sapientiæ est studiosus, ut felicem habeat successum, ac « in absconditis suis » eloquiis consilium illi suggeret ad prudenter et feliciter agendum omnia quæ animo destinat. Lyrano favet versio Tigurina, quam mox citabo. Sic et Rabanus : « Dat Dominus, inquit, fideli suo oratori spiritum intelligentiæ, ut sciat quando, ubi, et quomodo divina eloquia proferre debeat, ipseque dirigit consilium bonæ voluntatis, et disciplinam rectæ conversationis ejus, et interna inspiratione illum consolatur ac roborat, ut divina præcepta inter adversa mundi fiducialiter prædicare valeat. »

Verum ex Græco liquet τὸ αὐτὸς, id est *ipse*, referre sapientem, non Deum ; repetit enim τὸ αὐτὸς, scilicet initio vers. 9, 10 et 11, ut significet quod ipse sapiens per eloquia sapientiæ, quæ quasi imbres emittit, tres insignes proferat fructus : primum Deo, eum sapienter laudando; secundum sibi, scilicet seipsum sapienter dirigendo juxta consilium et disciplinam Dei; tertium proximo, eum sapienter instituendo.

Dirigimus consilium Dei tripliciter. Primo.

Sensus igitur est, *q. d.* Ipse, scilicet sapiens, non sat habet sapientiam Dei mente imbibisse, sed et « diriget consilium ejus » Dei, quod scilicet Deum consulere vel e Scripturis, vel e Doctoribus et Pastoribus cognovit), « et disciplinam, » græce ἐπιςήμην, id est scientiam, *q. d.* Sapiens diriget Dei consilium, et dogmata ad praxim, ut scilicet ea quæ Deus consulit et docet, prudenter opere exsequatur, et in mores conferat, ac juxta ea vitam omnem instituat et conformet ; hoc enim significat hebr. יְכוֹנֵן *iechonen*, Græcum κατευθυνεῖ, quod Noster vertere solet, « dirigere, » scilicet ex mente in opus, ac efficere ut opus sit rectum, integrum, firmum, stabile et constans, ut nulla adversitatum vel tentationum vi operans a recto se dimoveri patiatur. « Dirigere » ergo est directe exsequi, hoc est recte, plene, fortiter et feliciter exsecutioni mandare consilium et disciplinam Dei, uti fecit Christus, de quo proinde ait Isaias, cap. LIII, 10 : « Voluntas Domini in manu ejus, » id est per eum, « dirigetur, » id est exsecutioni mandabitur.

Secundo.

Rursum per hypallagen « dirigere consilium » Dei, est dirigere mores et vitam juxta consilium Dei, eosque rectos et integros efficere. Sic Joannes Baptista clamabat : « Dirigite viam Domini, » *Joan.* I, 23, id est, ut Isaias ait, cap. XL, 3 : « Rectas facite semitas Dei nostri. »

Tertio.

Denique per metonymiam, « dirigite, » id est rectum ostendite consilium Domini. Dum enim sapienter, recte, et juste juxta Dei consilium vivimus, reipsa ostendimus toti mundo consilium Dei esse sapiens, rectum et justum. « Et in absconditis suis » græce αὐτοῦ, id est ejus, scilicet Dei qui præcessit (nisi αὐτοῦ accipias pro ἑαυτοῦ, id est *suis;* sed eodem redit sensus; nam eadem sunt abscondita sapientis, quæ Dei ; sapiens enim totus regitur a Deo), *q. d.* Sapiens ut sapienter dirigat se suosque actus juxta consilium Dei, assidue abscondita Dei præcepta, consilia et judicia considerabit et consulet, in iisque « consiliabitur, » græce διανοηθήσεται, id est *meditabitur,* ut juxta ea vitam omnem instituat. Sicut Moses aliquid novi cum populo acturus, præsertim dubium, vel difficile, prius adibat Tabernaculum, ibique consulebat Deum quid facto foret opus. Unde Tigurina : *Ipse consilium ejus et scientiam instituet, ut de arcanis ipsius meditetur.* Sicut S. Paulus raptus in cœlum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, II *Corint.* XII. Sic Psaltes profitetur de se *Psal.* L, dicens : « Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. » Idem faciunt viri religiosi, sapientes et sancti, qui in omnibus consulunt Deum, cum eoque consiliantur. Imo ego novi virum, inquit Palacius, de quo fama erat omne consilium, quod aliis dabat, a Deo per revelationem accepisse : an non hic consiliabitur in absconditis Dei? Unde Syrus vertit : *Ipse intelliget proverbia et sapientiam, ipse intelliget abscondita.*

Vers. 11. Tertius.

11. IPSE PALAM FACIET DISCIPLINAM DOCTRINÆ SUÆ, ET IN LEGE TESTAMENTI DOMINI GLORIABATUR. — Tertius est hic fructus sapientis, scilicet quod per eloquia sapientiæ suæ in aliis « palam facit, » græce ἐκφαινεῖ, id est exerit, patefacit, promit, edit, et palam profert arcana sapientiæ divinæ, quæ in corde abscondita continet, puta « disciplinam » græce παιδείαν, id est institutionem « doctrinæ suæ, » quam scilicet præclara doctrina, et ad mores conformandos insigni instructus sit. Adeo vero hæc palam faciet, ut publice et assidue « in lege testamenti Domini » glorietur, tum celebrando legis divinæ magnalia, puta ejus summam æquitatem, sapientiam, pietatem, sanctitatem, etc., tum gratias agendo Deo, quod ejus cognitionem tantam sibi communicarit, ut et alios eamdem docere possit. Sic Apostoli in Pentecoste promulgantes legem Christi, variis linguis loquebantur ejus magnalia, *Act.* II. Unde Tigurina vertit : *Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, ut lege pacti Domini glorietur;* Syrus : *Ipse profert sapientiam doctrinæ, et in lege vitæ cogitabit.*

Dicitur « lex testamenti, » quia lex est conditio testamenti, id est fœderis et pacti, quod Deus tam in Veteri quam in Novo Testamento pepigit cum hominibus, puta cum fidelibus. Pepigit enim fœdus cum eis se eorum fore Deum, id est boni omnis datorem, sub hac conditione, si ipsi legem ejus observarent.

Vers. 12. Externi sapientiæ fructus. Primus.

12. COLLAUDABUNT MULTI SAPIENTIAM EJUS, ET USQUE IN SÆCULUM NON DELEBITUR. — Tres fructus quasi internos sapientis et sapientiæ hucusque recensuit ; nunc totidem, externos recenset : primus est, quod, sicut ipse auditoribus communicavit suam sapientiam, sic vicissim illi rependent ipsi laudem, honorem et gloriam, eamque perennem, ut « usque in sæculum, » id est in omne ævum,

non delentur. Cum enim perennis, semperque durans sit ejus sapientia, perennes pariter habitura est discipulos et laudatores. Notat discrimen veræ sapientiæ et falsæ, sive verorum philosophorum et falsorum, quod vera sit, stabilis et æterna, ideoque transeat ad posteros per omnia sæcula, apud quos proinde laudem sui suorumque doctorum suscitat; uti Prophetæ, Apostoli, virique apostolici prædicarunt doctrinam divinam et Evangelicam, quæ per omnia sæcula hucusque durat et floret, durabitque usque ad finem mundi, imo per omnem æternitatem cum æterna eorum laude et gloria. Falsa vero sapientia ad tempus sui admirationem excitat; sed mox ejus falsitate patescente negligitur, vilescit, confutatur, cum jugi tum ejus, tum doctorum ejus probro et ignominia. Unde Syrus vertit: *Discent multi de sapientia ejus, et in mundo non ibit in oblivionem nomen ejus.*

Id patet in scholis philosophorum, et sectis hæreticorum, quæ omnes evanuerunt, et passim jam ab omnibus damnantur ut vanæ, erroneæ, fallaces et perversæ. Ubi facta Simonis Magi, Menandri, Carpocratis, Apellis, Novati, et cæterorum hæresiarcharum? ubi schola Protagoræ, Diagoræ, Hermippi, Diogenis, Empedoclis, Anaxagoræ, cæterorumque philosophorum? Evanuere omnes ut fumus, ut caligo coram luce Evangelii, ut cera liquata ab igne charitatis Christi. Ita Apostolus, I *Corinth.* I, 19: « Scriptum est, inquit, *Isaiæ* XXVIII, 14; Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? »

Vers. 13. 13. NON RECEDET (ita Romana, et Tigurina, et alii: perperam ergo Complutensia legunt affirmative, ἀποστήσεται, id est *recedet*) MEMORIA EJUS, ET NOMEN EJUS REQUIRETUR (legit ζητήσεται, jam legunt ζήσεται, id est *vivet*) A GENERATIONE IN GENERATIONEM. — Syrus: *Non deficiet memoria ejus usque in sæculum, et nomen ejus oblivioni non tradetur a generatione in generationem.*

Secundus. Secundus est hic externus fructus sapientis, *q. d.* non tantum ipsa sapientis sapientia transibit ad posteros sæculorum omnium, sed et ejus memoria cum laude perennabit in ævum, et nomen ejus « requiretur, » id est in memoriam revocabitur et commemorabitur, ut laudetur et celebretur per omnes mundi generationes, uti videmus celebrari nomen sanctorum Doctorum, Pastorum et Præsulum per memoriam et festum annis singulis recurrens, per elogia publica, per conciones, per cathedras, etc. Qua de causa Ecclesia apposite hæc verba iisdem attribuit, ideoque ea legit in festo eorumdem, pro prima lectione Officii Ecclesiastici et Missæ. Tigurina hunc versum et præcedentem ita vertit: *Multi perpetuo laudabunt hujus intelligentiam, nec memoria ejus deficiet aut abolebitur, sed nomen ejus vigebit per sempiternas sæculorum ætates.*

Vers. 14. 14. SAPIENTIAM EJUS ENARRABUNT GENTES, ET LAUDEM EJUS ENUNTIABIT ECCLESIA. — Aliqui legunt: « Ecclesia sanctorum, » sed τὸ *sanctorum* delent Romana, Græca, et Syrus, qui habet: *Sapientiam recensebunt ecclesiæ, et laudes ejus dicet populus.* Tertius est hic externus sapientis fructus, scilicet quod ejus sapientia, et consequenter fama et laus angustis Judææ et Synagogæ finibus non concludetur, sed eos transiliens, penetrabit usque ad Gentes infideles et atheas, easque ad sapientiam, fidem cultumque veri Dei pelliciet, ut ecclesias Deo vero erigant et consecrent, in quibus proinde laudem ejus perpetim enuntiabunt et celebrabunt. Id fieri cœpit tempore Siracidis, cum Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti excitus fama sapientiæ Hebræorum, e Judæa accersivit Septuaginta Interpretes, qui vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum converterent, ut a Græcis, id est Gentibus, legi posset: quo factum est, ut Gentilium multi S. Scripturam legemque Judæorum avide legerent, suspicerent, et ut sanctam colerent, ideoque illam amplecterentur, fierentque proselyti. Plenius id factum est tempore Apostolorum, qui sapientiam Christi prædicantes Gentibus, illas omnes ad Christum converterunt, plurimasque fundarunt ecclesias, in quibus perenniter Christus, ejusque Apostoli laudantur et celebrantur. Unde Tigurina vertit: *Gentes prædicabunt hujus scientiam, et quivis cœtus laudem ejus evulgabit.* Tertius

Porro Apostoli et doctores suam sapientiam communicarunt Gentibus tum verbo, tum scripto: verba enim transeunt, sed scripta permanent in ævum. Quocirca omnes gentes et Ecclesiæ per omnia sæcula enarrant et celebrant sapientia scripta S. Petri, S. Joannis, S. Pauli, S. Augustini, S. Gregorii, S. Ambrosii, S. Chrysostomi, S. Bernardi, S. Thomæ Aquinatis, cæterorumque Patrum et Doctorum, quia ex eis quotidie magna hauriunt sapientiæ documenta, et virtutum incrementa.

Vers. 15. 15. SI PERMANSERIT, NOMEN DERELINQUET PLUS QUAM MILLE: ET SI REQUIEVERIT, PRODERIT ILLI. — Ita legendum et dispungendum cum Romanis et Græcis, ut comma ponatur post « permanserit, » ac τὸ *nomen* sit suppositum verbi « derelinquet, » *q. d.* Si sapiens permanserit in vita, « nomen derelinquet plus quam mille, » id est nominatior et famosior evadet, quam mille alii e vulgo; quia plus lucis et fructus attulit orbi, quam mille etiam fideles religiosi, etiam prædicatores. Quis enim id non concedat S. Augustino, S. Bernardo, S. Thomæ Aquinati, etc. Sin defunctus per mortem requieverit, hæc quies « proderit illi » tum ad famam in terris, tum ad vitam gloriamque æternam in cœlis adipiscendam. Unde pro « proderit illi, » græce est ἐμποιεῖ αὐτῷ, id est « acquirit sibi, » scilicet celebritatem et nomen. Porro Græci codices nonnulli hæc inverterunt, sicque verba transponunt: *Si requieverit, nomen relinquit celebrius quam mille alii; et si permanserit in vita, acquirit sibi.* Quæ distributio, inquit Jansenius, con-

venientior est; quia morienti proprie competit relinquere nomen post se, viventi vero acquirere sibi famam.

Verum codices Græci Complutenses et Romæ emendati legunt ut Vulgata Latina. Accedit et Tigurina, quæ sic vertit : *Si manserit, nomen plus quam mille reliquerit; sin exolverit* (exoleverit, et temporum lapsu oblivioni traditum sit ejus nomen et fama) *penes seipsum redegerit*, id est ut Vatablus interpretatur, *ad se receperit sibi profuturum*. Alii sic explicant : Si permanserit nomen ejus et fama, relinquet plus quam mille, scilicet discipulos, et suæ doctrinæ sectatores. Ita Palacius, qui citat S. Ambrosium. Sic et Rabanus : Bonus, inquit, doctor si vita longiore vivat, multos lucratur, et plurimis fit causa salutis : si autem obierit, ad æternam requiem migrabit, ubi merces condigna meritis illius a justo judice reddetur, juxta illud Pauli, II *Timoth.* IV : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. » Et : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. » Porro Syrus hoc refert ad doctrinam sapientis : *Si complacuerit*, inquit, *in mille laudabitur; et si tacuerit, in populo exiguo.*

SECUNDA PARS CAPITIS.

CELEBRAT SAPIENTIA ET POTENTIA BENEFICENTIÆ ET MALEFICENTIÆ SIVE VINDICTÆ DEI OPERA, OMNESQUE AD EA CELEBRANDUM INVITAT.

Vers. 16. 16. ADHUC CONSILIABOR, UT ENARREM : UT FURORE ENIM REPLETUS SUM. — Solet Siracides a thesi ad hypothesin descendere, nimirum post encomia et præcepta sapientiæ generalia descendere ad particularia de particularibus virtutibus. Ita fecit cap. XIII, cap. XV, cap. XVI, cap. XXIV et XXV. Idem hic facit. Dicit igitur : « Adhuc consiliabor, ut enarrem, » id est rursum, quasi resumpto spiritu plura commentatus et meditatus edisseram et eloquar : « Consiliabor » ergo, id est consilia tractabo, meditabor : græce enim est, ἔτι διανοηθεὶς ἐκδιεγήσομαι, id est *adhuc cogitans enarrabo*. Ita Complutensia, Romana, Tigurina et alii. Pro « furore » græce est δίχομηνία, quod Complutensia vertunt : *Luna semiplena*; δίχα enim idem est quod dupliciter, bipartito, bifariam, divisim : unde διχοτομέω, est disseco in duo, seco, divido in duas partes : μήνη vero est luna, *q. d.* Instar lunæ semiplenæ et crescentis, satago crescere ad plenam perfectamque sapientiam et virtutem. Alii vero δίχομηνία, vertunt, *luna dupla*, id est *luna plena*; ita Romani : *Tanquam pleniluniun*, inquiunt, *repletus sum*; Syrus : *Intelligite, et dicam doctrinam meam sicut luna in die quarto decimo*, puta in plenilunio; Tigurina : *Quoniam instar lunæ plenæ* (quæ jam dimidium mensem exegit, ideoque a novilunio progressa excrevit in plenilunium) *refertus sum, q. d.* Sicut luna in plenilunio plena est lumine, ita ego a Deo donatus perfecta sapientia, ad ejusque culmen deductus illa plenus sum, imo supereffluens, ut cogar eam in alios docendo et scribendo effundere. Noster pro μήνη, vel μηνία, legit μανία, id est mania, furore, insania, *q. d.* Ego enthusiasmo et spiritu Dei afflatus, ac quasi sacro furore plenus, ab eo impellor, et pene cogor hæc verba sapientiæ, quæ mihi suggerit, enuntiare et eructare. Est enim quadruplex furor, sive insania, ait Plato in *Phædro : prima* vatum, *secunda* mystarum, *tertia* poetarum, *quarta* amantium. Sic sacro zelo et furore insaniebat Paulus, cum ob eum audivit a Festo præside : « Insanis, Paule. » Cui ipse : « Non insanio, optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor, » *Actor.* XXVI, 25. Et cum ipse de se ait : « Sive mente excedimus (Chrysostomus, *si insanimus*) Deo, » II *Corinth.* V, 13. Vide ibi dicta. Et Jeremias, cap. XX, 8, cum ait : « Factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die. Et dixi : Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius : et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans claususque in ossibus meis : et defeci, ferre non sustinens. »

Quadruplex furor.

Vers. 17. 17. IN VOCE DICIT : OBAUDITE ME, DIVINI FRUCTUS, ET QUASI ROSA PLANTATA SUPER RIVOS AQUARUM FRUCTIFICATE. — Ita legendum cum Romanis; alii initium aliter legunt. Rabanus et Jansenius omisso τῷ *dicit*, τὸ *in voce* referunt ad versum præcedentem hoc modo : « Furore enim repletus sum in voce. » S. Augustinus in *Speculo* legit : « In voce dicito; » alii : « In voce dicam. » Græca hæc verba plane omittunt. Vide Franciscum Lucam in Notis hic.

Porro : « In voce dicit, » scilicet ipsa sapientia, vel spiritus me afflans, sive sacer ejus furor, *q. d.* Sacer ille spiritus divini furor, quo repletus sum, corde meo concludi se non sinit, sed in vocem me erumpere cogit, ac dicere, imo contenta voce clamare : « Obaudite me (audite me, mihique obedite) divini fructus; » exaudite me, filii sancti (filius enim est fructus et propago patris) : ita nuncupat Israelitas, sive fideles; hi enim sunt sancti, quia vocati ad sanctitatem, et reipsa sanctificati in circumcisione, æque ac nunc Christiani in baptismo. Hos invitat ad laudandum Deum, ut scilicet laudem, quasi thymiama et rem odoratissimam Deo offerant. Ait ergo : « Quasi rosa fructificate, » id est proferte Dei laudes, quasi fructus rosarum odoratissimos : ut sicut frutex rosæ plantatus juxta aquas profert copiose rosas mire fragrantes, sic vos e corde vestro promatis

Dei encomia et laudes, quasi rosas Deo odoratissimas et gratissimas. Unde S. Augustinus in *Speculo*, legit : « Obaudite me, divini fructus aquarum (sapientiæ) et quasi rosa plantata super rivum fructificate. » Cætera vero quæ hic sequuntur usque ad 27, ibidem plane ad verbum legit S. Augustinus, uti vertit legitque Noster. Unde colligas quam antiqua sit Vulgata Latina versio Ecclesiastici, utpote qua utatur S. Augustinus, quasi suo ævo recepta et communi. Pro *super rivos aquarum*, græce est ἐπὶ ῥεύματος ὑγροῦ, id est *super fluxum humidum*, id est, ut Tigurina : *Audite me, filii sancti, et quasi rosa juxta flumen aquosum nascens pullulate.* Romana pro ὑγροῦ legunt ἀγροῦ, id est *agri;* unde vertunt : *Ut rosa nata juxta fluvium agri germinate;* græce est βλαστήσατε, id est pullulate, germinate, producite frondes, flores et fructus, scilicet tum charitatis, patientiæ, humilitatis et aliarum virtutum, tum maxime gratiarum actionis, confessionis et laudis divinæ, ut, sicut rosetum sole oriente plurimos producit aperitque rosarum calices, ita et vos mane evigilantes, considerantesque tot nocturna et diurna, eaque nova in vos Dei beneficia, ex intimo corde erumpatis in continuas Dei hymnodias et laudes, quæ Deo accidunt suavissimæ, æque ac rosæ sunt hominibus, juxta illud Anacreontis de rosa :

> Rosa flos odorque divum,
> Hominum rosa est voluptas :
> Decus illa gratiarum.

Vide quæ de rosa dixi cap. XXIV, 18, et *Act.* XII, 13. Denique Syrus : *Audite*, inquit, *me justi, et germinabit caro vestra sicut rosa, et sicut cedri, quæ plantatæ sunt juxta aquas, et sicut aromata bona olebit odor vester.*

Porro Palacius sic totum hunc locum explicat : Ego, inquit, hic intelligo nostrum Auctorem ira et zelo commotum contra impios, qui eo tempore misere Judæos torquebant. Quos consolari cupiens, ait : Furore plenus sum contra impios; et is furor non consistens in corde, sed prodiens ad vocem, dicit : Audite me, vos pii Judæi, qui estis fructus divini : ut tu, lector attentissime, percipias mundum totum esse velut campum plantatum cœlis, elementis, plantis et animalibus : ut hæc omnia proferant viros pios, velut fructus Deo dignos. Vocantur vero « divini, » quia Deus est eorum cultor, et quia Deus est in eis, et quia Deus erit eorum, et ipsi Dei. Vos igitur, o pii, audite et in mediis tribulationibus, ne deficiatis, imo felicius bona opera edite, ut rosa facit juxta rivos aquarum plantata. Quasi thus (quod vocatur Libanus) odorem in hoc tribulationis igne proferte, florete ut lilium, emittite gratiosas frondes : ut quo magis premit vos impietas, hoc magis vireat pietas vestra. Collaudate Deum etiam in pressura; magnificum eum in ea prædicate; ac tum in labiis, tum in citharis hymnum sequentem dicite. Hæc Palacius.

S. Sophiæ tres filiæ quasi rosæ.

Ita S. Sophia (id est *sapientia*) genuit tres filias, quasi tres rosas, easque educavit ad virginitatem et martyrium, quod gloriose obierunt sub Adriano Imperatore : nomina earum sunt Fides, Spes, Charitas, sive, ut Græci græce eas in *Menologio* vocant, Pistis, Elpis, Agape. Cum enim Antiochus præfectus eas blanditiis et minis a Christo abducere conaretur, animose responderunt : « Nos neque tuas in hac vita delicias expetimus, neque tormenta formidamus : quid enim Christiania potest esse jucundius quam pati pro Christo? » Quare flagella, ignes, sartagines, equuleos fortiter superantes, tandem capite abscisso martyrium lætabundæ consummarunt, cum Fides esset duodennis, Spes decennis, Charitas novennis, anno Christi 122. Exstat earum Vita apud Surium Calendis augusti.

Allegorice, Rabanus per aquas accipit baptismum, per rosas rubeas martyrium, *q. d.* « Obaudite, id est attendite ad doctrinam meam, per baptismum regeneratæ uberes electorum mentes, et fructum martyrii in discursu mortalis vitæ gignere non formidate : quia odorem suavissimum, et sacrificium acceptabile Domino inde profertis. Unde subjungitur : Quasi Libanus odorem suavitatis habete, florete flores, quasi lilium, » etc.

Symbolice, totum hunc Siracidis locum apposite accommodat Rosario B. Virginis, utpote matris æternæ Sapientiæ, Josephus Stephanus, lib. *De Rosario*, cap. IV; quot enim Salutationes angelicas, tot rosas mysticas annumeramus B. Virgini, iisque quasi corona eam ornamus : unde a rosis hisce nuncupatum est Rosarium. Atque hæ rosæ fructificant juxta rivos aquarum, compunctionis scilicet, lacrymarum, et intimæ devotionis. Sed audi Josephum : Rosarium vel florem ipsum significat, vel locum rosis consitum, ubi plures rosæ enascuntur. Quod nomen globulis precatoriis, vel calculis benedictis impositum, summam animi pietatem, et ingentem in Virginem devotionem denotat. Nam cum ipsa Virgo sit venustissima Gratia, et splendens omnium rerum Aurora; nihil tam ex animo ipsi futurum esse arbitrati sunt pii Christiani, quam si Virgini rosarum copiam deferrent, vel sertum mysticis contextum floribus, ex Evangelicis conflatum vocibus, et odoriferis precum salutationisque flosculis consertum apportarent : sunt enim divinæ preces tanquam suavissima odoramenta, quæ in Dei nares spirant, et tanquam lectissimi flores, quibus divini oculi grato spectaculo pascuntur. Purpurantes violæ, candida lilia, rutilantes rosæ nunc aureis, nunc variis, nunc luteis coloribus depictæ, Dei prospectum oblectant, earumque odore et suavitate maxime Dei animus afficitur. Sic et orationes Sanctorum, quæ agri uberrimi odorem exprimunt, Dei oculis oblectamento esse solent : cum ex florum et rosarum pulchritudine, qua campi egregie depinguntur, animus noster ad divinas preces porrigendas, ab Ecclesiastico,

Rosarium ex rosis salutationis Angelicæ.

cap. XXXIX, acrius excitetur : « Obaudite me, inquit, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. »

Vers. 18. 18. QUASI LIBANUS ODOREM SUAVITATIS HABETE. — Ita Romana quæ τὸ *Libanus* scribunt per L majusculum, quasi sit nomen proprium montis, qui abundans pinis, cedris, cypressis, aliisque arboribus resinosis et odoratis, ex iis suavem exspirat odorem ; sic accepit et Syrus dum vertit : *Odor vester sicut odor Libani in cedris suis.* Jansenius tamen et alii τὸ *Libanus* scribentes minuscula l per cum accipiunt thus : hoc enim hebraice vocatur לְבוֹנָה *lebanon*, et græce λίβανος, uti dixi cap. XXIV, 21. Unde Romani vertunt : *Et quasi thus odorem suavitatis emittite* ; Tigurina et alii : *Odore suavi in mundo thuris fragrate. Tertio* et optime, *libanum* accipias ut nomen proprium arboris thuris, sive quæ thus profert : sic enim τὸ *Libanus* accepit Siracides cap. XXIV, 21, dicens : « Et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam ; » eo enim hic alludit. Τὸ enim *vaporavi habitationem meam*, idem, vel quasi idem, est cum eo quod hic ait : « Odorem suavitatis habete. » Eodem omnes hæ expositiones redeunt ; arbor enim thurifera per thus odorem suavitatis exspirat. Sensus ergo est, *q. d.* Vos, o filii mei, o philosophi, o philomusi, inquam, sapientiæ, instar thuris vaporem suavem tum virtutum cæterarum, tum præsertim laudis et gratiarum actionis, uti explicat versu sequenti, exspirate, et sursum ad Deum quasi thymiama Dei, illi odoratissimum emittite. Quare, sicut olim Aaronicus sacerdos quotidie mane et vespere in altari thymiamatis adolebat Deo thymiama : sic fidelis, præsertim sacerdos et Religiosus, quotidie mane et vespere, imo crebro per diem, laudis divinæ thymiama Deo, ex corde religione et devotione pleno exhibeat et offerat oportet.

Vers. 19. 19. FLORETE FLORES, QUASI LILIUM, ET DATE ODOREM, ET FRONDETE IN GRATIAM, ET COLLAUDATE CANTICUM, ET BENEDICITE DOMINUM IN OPERIBUS SUIS. — « Florete flores, » id est florendo emittite et producite flores. Est enim significatio hebræa conjugationis activæ *hiphil*. Sic dicimus ridere risum, lacrymari lacrymas, germinare germen. « Frondete in gratiam, » id est ad gratiam, gratiose, ut gratiosas et speciosas frondes proferatis. « Collaudate canticum, » id est laudando Dominum canticum ei canite. Unde Complutensia vertunt : *Producite florem quasi lilium, mittite* (Romani, *diffundite*) *odorem, et laudate canticum, benedicite Dominum in omnibus operibus ejus* ; Tigurina : *Florem ut lilium mittite, spirate odorem, et cantate laudem, Dominumque propter omnia opera sua celebrate* ; Syrus : *Sicut radix lilii regii attollite vocem, et laudate simul, et confitemini Domino super omnibus operibus ejus.* Alii per ablativum clare vertunt : « Florete flore sicut lilium, mittite odorem, et laudate cantico, benedicite Domino de omnibus operibus ejus. » Sensus est, *q. d.* Vos, o studiosi sapientiæ et virtutis, vos, o filii sancti, producite flores virtutum, ac laudis divinæ, ut instar lilii efflorescatis candore castitatis et puritatis vitæ, ac detis odorem et fragrantiam bonæ famæ, atque frondeatis gratiose per morum compositionem et modestiam ; ut in iis instar lilii resplendeatis miro fulgore virtutum, ac præsertim magnanimitatis animique excelsi sursum, instar lilii, inter prospera et adversa, per fortitudinem et spem in Deum erecti. Harum enim virtutum omnium symbolum est lilium, uti fuse ostendi *Osee* XIV, 6, ad illud : « Germinabit ut lilium. » Ita fiet, ut laude tam reali virtutum quam mentali et vocali jubilationis collaudetis Deum, cantetisque ei juge canticum, ac benedicatis eum in omnibus operibus suis. Nominat « lilium, » quia lilium symbolum est virginitatis heroicæ. Virgines autem in cœlis cantant canticum novum, sequentes Agnum quocumque ierit, *Apocal.* XIV, 3. Hi nimirum sunt Susannæ, id est liliatæ (שׁוֹשַׁן *sosan* enim hebraice est *lilium*), quæ sua castitate de mundo, carne et diabolo triumphantes, perenne virginitatis, instar lilii candicantis, epinicion canunt Deo et Agno. De his dicitur, *Cant.* cap. II, 2 : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. » Ubi Theodoretus : Lilium, ait, cum exteriore decore splendet, tum aureum intus flosculum continet : sic et sancta virgo justitiæ splendore circumdatur, et spiritale sapientiæ cognitionisque Dei donum in intimis penetralibus gestat. Tunc ergo florent flores sicut lilium, id est, mores virginei omni gloria et ornatu fulgent, nitent animi, omnique decore et pulchritudine quasi frondibus vestiuntur. Tunc optimæ cogitationes (ut ait Paulus, *Philip* IV, 4) et sensus optimi efflorescunt. Tunc flores fructus parturiunt (ut *Cant.* VIII legimus) et cœlestia nobis ubera porriguntur, amorque divinus in nos diffunditur. Tunc citharis et canticis omnia personant, in laudem Dei abdita cordis erumpunt, et omnia quæ intra nos sunt nomini sancto ejus confitentur, quoniam in æternum misericordia ejus. Inde labia nostra (ut *Cant.* V legimus) tanquam lilium incipiunt stillare myrrham primam, cum omnes cogitatus, omnesque labores ; qui nos sæpe conficiunt, in Dei curam transmittuntur ; sperantes tandem futurum esse aliquando, quod Deus omnis gratiæ (ut ait S. Petrus I, *epist.* cap. V), qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Etenim languidus divino amore animus, haud secus oratione firmari, quam animi deliquium florum odoribus revocari solet ; ut sponsa, *Cant.* II, testatur, dicens : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Hinc sicut lilium accedenti ad se suum impertit odorem, ut per aliquod temporis spatium odorem lilii redoleat : sic et sanctus plenus amore et laude Dei, eumdem aliis qui cum eo versantur, impertit, ut eum redoleant et exspirent.

Lilium typus virginitatis.

Tropologice Rabanus : « Quoniam, inquit, sicut rosæ martyrium, ita et lilium castitatem significat; ut ostendat utrumque nostro conditori acceptabillimum fore, dicit : Florete flores quasi lilium; ac si patenter dicat : Date flores jucundissimos cum castitate cœlestium virtutum, quarum odor et frondes spargant per totum orbem ad exemplum animabus fidelium; hoc est quippe laudare canticum, et benedicere Dominum in operibus suis, ut corde, ore simul et opere pro bonis suis totus homo gratias suo referat conditori. »

Anagogice, noster Pineda, lib. VI *De Rebus Salom.* cap. v, hæc verba Siracidis refert ad gloriam et jubilum Beatorum in cœlo. Lilium enim est symbolum stolæ candidæ, resurrectionis et dotis claritatis : candidus enim fulgor est velut divinitatis ornamentum. Unde angeli post resurrectionem Christi, ut eam sua specie adumbrarent, apparuerunt in vestibus liliatis, id est candidis et splendidis, *Matth.* ult. 3, et *Marci* ult. 5. Hinc S. Hilarius, in *Matth.* VI, 28, docet lilia esse symbola angelorum et angelicæ claritatis. Et psalmus XLIV inscribitur hebraice *sosannim*, id est *pro liliis*, ut vertit S. Hieronymus; Symmachus vero, *triumphus pro floribus*; canit enim Epithalamium Christi et Ecclesiæ, cum allusione ad nuptias Salomonis cum filia Pharaonis. Salomonis enim vestes regales liliatas, id est liliorum effigie insignitas, fuisse docet Pineda. Noster Interpres legit שושנים *sesannim*; unde vertit, *pro iis qui commutabuntur*; scilicet a bono in melius, inquit ibidem S. Basilius, et a corruptione in incorruptionem. Salomon ergo verus, id est Christus, « triumphum acturus pro floribus aut liliis, » ut dixit Symmachus, id est triumphans, triumphantemque Sanctorum Ecclesiam sponsam sibi perpetuo adsessuram, comitem ducens in cœlestem regiam, liliata gloriæ veste splendidius, opportune dicit : « Refloruit caro mea. » Ecclesia vero assistens a dextris, simili veste circumdata varietate, jam post resurrectionem imbuta audiet canticum : « Florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam; et collaudate canticum, et benedicite Deum in operibus suis. » Sic Psalmus ille habet in titulo *ad intellectum*, id est ad eruditionem et doctrinam, et in Salomonis liliatis vestibus, atque liliorum candore arcanam futuræ resurrectionis figuram et adumbrationem. Hæc Pineda. Hinc et *in Officio Ecclesiastico* Martyribus accinit Ecclesia : « Sanctorum velut aquilæ juventus renovabitur; florebunt sicut lilium in civitate Domini. » Et *tempore Paschali* : « Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te, Alleluia. »

Lilium symbolum resurrectionis.

Vers. 20 20 et 21. DATE NOMINI EJUS MAGNIFICENTIAM, ET CONFITEMINI ILLI IN VOCE LABIORUM VESTRORUM, ET IN CANTICIS LABIORUM, ET CITHARIS, ET SIC DICETIS IN CONFESSIONE : OPERA DOMINI UNIVERSA BONA VALDE. — « Date magnificentiam, » id est magnifice magnificentiam ejus celebrate et magnificate. « Confitemini in voce, » id est voce eum laudate, puta « in canticis labiorum, » æque ac in « citharis » cæterisque instrumentis musicis, ut dicatis « in confessione, » id est ex animo pleno laude Dei, avidoque ad ei totis præcordiis æque ac vocibus et organis jubilandum : « Opera Domini universa bona valde; » quia nihil in aliquo eorum est mali, id est manci, mutili, vitiosi, defectuosi; sed omnia et singula quaquaversum sunt « bona valde, » id est integra, perfecta, irreprehensibilia; ut ex iis debeamus agnoscere et celebrare Deum auctorem ipsorum. Opera intellige tum creationis, tum conservationis, tum gubernationis, tum beneficentiæ, tum vindictæ, ut, cum nos aliosque ob peccata castigat. Hæc omnia sunt bona valde, tum Deo, tum nobis, tum toti universo; ut proinde in nullo etiam nobis adverso et molesto Deo obmurmurare, sed in omnibus eum laudare et glorificare debeamus. Vide dicta *Genes.* I, 31, eo enim alludit hic Siracides. Ita Tigurina, quæ clare sic vertit : *Tribuite homini ejus magnificentiam, suisque laudibus prædicate eum tam canticis oris quam citharis*; alii : *Et celebrate eum laude sua, tam odis labiorum quam citharis. Porro ita laudatione vestra dicetis : Omnia opera Domini præclara sunt*; Syrus : *Enumerate eminentiam ejus in laudibus, et confessione in voce alta, et sic dicite : Omnia opera Dei pulchra simul, et unaquæque ad ministeria sua creata sunt.*

Præclare S. Bernardus, serm. 11 *in Cantic.* : « Nihil ita proprie quemdam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, Scriptura dicente : Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te. » Vide quæ de laude Dei dixi, *Apoc.* IV et VII.

Mystice Rabanus : « Cithara, inquit, est lignei ventris in imo sita concavitas; quæ sursum chordarum fila transmittens, sonis dulcissimis percussa proloquitur. Quæ ideo tale nomen accepit, quoniam cita iteratione percutitur. Huic merito comparantur opera, quæ de terrenis rebus ad supernam gratiam porriguntur. Id est, dum esurientem pascimus, dum nudum vestimus, dum ægrotum visitamus, et cætera. Quæ licet videantur carnalia, divinitatis tamen amore peraguntur. Citharizamus quoque, cum in passionibus nostris vel damnis securi ac læti dicimus : Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. » Cithara etymon juxta Rabanum.

Græca Romæ correcta addunt : *Et omne præceptum in tempore suo erit* (Complutensia addunt : *Non est dicere : Quid est hoc?*); *omnia enim tempore suo quærentur*; Syrus : *Non est qui dicat : Hoc ad quid, et hoc ad quid? quia omnia secundum convenientiam creata sunt; et non est qui dicat : Hoc bonum est, et hoc malum est : quia omnia in tempore suo roborata sunt*; Vatablus : *Omne imperium ejus*

suam habet opportunitatem. Nihil est cur dicas : Quid hoc est? aut quorsum hoc? nam hæc suo tempore quærentur, id est declarabuntur, scilicet fuisse bona et proba. Unde vers. 40, ait : « Omnia in tempore suo comprobabuntur. » Quibus verbis significatur Deum sicut in operibus suis se bonum, sic in iisdem se potentem et efficacem ostendere, ut nullus iis obsistere, vel ea impedire aut remorari valeat. Duo igitur hæc, scilicet bonitas et potentia, maxime celebranda sunt in operibus Dei. In his duobus enim elucet mira Dei sapientia, qui ea licet disparata, imo in speciem adversa, combinare et conjugare valet, ac efficaciam suavitate, judicium misericordia, severitatem clementia, iram mansuetudine adeo apte contemperat, ut vix unum inveniatur sine altero, imo unum illustret et commendet alterum, indeque Deus vocatur Optimus, Maximus, ait Jansenius, juxta illud : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine, » *Psal.* C, 1. Hoc est quod de Deo, Deique sapientia ac providentia celebrat *Sapiens*, cap. VIII, 1 : « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. » Hæc autem suavitas tum in aliis elucet, tum in eo quod faciat omnia opportuno tempore, ut vertit Tigurina, ut discant mortales se suumque judicium subdere Deo, cum vident impios dominari grassarique in pios, sciantque Deum opportuno tempore, esto hominibus id longum videatur, castigaturum impios pro demeritis, pios vero liberaturum et præmiaturum pro meritis. Magna ergo sapientia est, magna virtus in omnibus Dei operibus, sive nobis prospera, sive adversa videantur, laudare Deum, Deique bonitatem et justitiam, providentiam et potentiam, sanctitatem et fortitudinem, clementiam et magnificentiam. Qui id jugiter agit, hic sapiens, hic sanctus, hic Deo charus, hic perfectus, hic beatus est. Talis fuit regius Psaltes canens *Psal.* XXXIII, 1 : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. »

Vers. 22. 22. IN VERBO EJUS STETIT AQUA SICUT CONGERIES, ET IN SERMONE ORIS ILLIUS SICUT EXCEPTORIA AQUARUM. — Pro *congeries*, græce est θημωνία, id est acervus, cumulus. Rursum pro ἔστη, id est stetit, alii legunt ἔσται, id est erit, existet. Unde Tigurina vertit : *Jussu ejus unda existit instar acervi, et aquæ ad verbum oris ejus se recipiunt*; alii : *Dicto ejus stetit aqua sicut acervus, et verbo oris ejus receptacula aquarum. Exceptoria* enim, græce ἀποδοχεῖα, vocantur receptacula, et quasi utres aquarum, in quæ Deus initio mundi aquas vastissimas toto orbe sparsas deduxit et conclusit. Nam initio mundi primo creavit Deus cœlum, terram et abyssum, id est molem immensam aquarum, quæ a terra usque ad summum cœlorum porrigebatur. Deinde secundo die mundi, fecit firmamentum, quasi interstitium dividens aquas quæ infra cœlos sunt, ab aquis quas supra cœlos collocavit, sive ad temperandos ignes cœlestes, ut voluere veteres, et nonnulli moderni. Quin et S. Augustinus, lib. II *De Genesi ad litteram*, cap. IV et V, docet Saturnum idcirco esse frigidum, quod aquis hisce super cœlestibus infrigidetur, sive aliis de causis, quas recensui *Genes.* I, 6. Tertio vero die mundi, Deus aquas infra cœlos, quæ totam terram operiebant, in certos alveos et cavitates (quas idcirco tum in terra, tum sub terra tunc produxit, quæ hic vocantur exceptoria) derivavit, ut terra appareret arida, posset-que inhabitari ab hominibus et animalibus. Hoc enim est quod dicitur *Genes.* I, 9 : « Dixit vero Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum : et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, Terram, congregationesque aquarum appellavit Maria. » Siracides enim alludit ad genesim mundi, ut patet ex eo quod dixit versu præcedenti : « Opera Domini universa bona valde. » Et quia inter hæc opera unum e præcipuis fuit aquarum divisio et distributio, utpote ex quibus cætera deinde formata sunt, indiesque formantur, hinc illius præ cæteris hic meminit. Ita Rabanus et Palacius.

Secundo, Lyranus, Jansenius et alii hæc accipiunt de aquis maris rubri et Jordanis, quas Deus divisit, ut Hebræi per illas sicco pede transirent. Hac enim divisione etsi proprie non faceret cavitates in terra, quæ aquas divisas exciperent; miraculose tamen sermone, id est præcepto et jussu suo, eas in cumulum sustulit, fecitque ut aquæ juxta alveum intumescerent, itaque tumidas et quasi in alto pendulas ne defluerent, conservavit, perinde ac si eas in utre suspendisset, juxta illud *Psalm.* LXXVII, 13 : « Statuit aquas quasi in utre. » Hoc enim miraculum transitus maris Rubri et Jordanis, ut rem portentosam et omnibus sæculis inauditam, sæpe celebrat Scriptura; unde et mox hic sequitur. Porro Syrus pro *aqua* substituit *solem*, sic enim habet : *Verbo suo oriri facit solem, et verbo suo occidere eum facit.* Deinde addit : *In lætitia voluntatis ejus factus est, et non est qui retardet præceptum ejus*; pro quo Noster habet id quod sequitur :

Vers. 23. 23. QUONIAM IN PRÆCEPTO IPSIUS PLACOR FIT, ET NON EST MINORATIO IN SALUTE IPSIUS. — « Placor, » græce εὐδοκία, id est beneplacitum, benevolentia, placabilitas, favor, et, ut Rabanus legit, *placatio*. « Minoratio, » id est, imminutio, defectus, *q. d.* Cum Deus vult, et præcipit aliquid in commodum, vel salutem hominum, illico hic ejus « placor, » id est hæc ejus benevolentia, exsecutioni mandatur, ac reipsa existit; quia nemo est qui salutem ab ipso decretam et præstitam imminuere possit. Unde Complutensia vertunt : *In præcepto ejus omnis complacentia, et non est qui minuat salvationem* (Romani, *salutare*) *ejus*; Tigurina : *Omnis favor constat imperio ejus, nec est qui salutem ipsius minuat*; alii : *In mandato ejus est omnis benevolentia, nec est qui ejus salutem imminuat.* « Salutem » vocat, id quod homini et ani-

malibus est commodo et saluti, quale fuit aquas secernere a terra, ut in ea degerent viventia; ac dividere mare rubrum, ut per illud transeuntes Hebræi liberarentur a manu Pharaonis persequentis, et salvarentur.

Aliter Palacius : Quia, inquit, aquæ a Deo conclusæ alveis maris et fluminum, in iis non stant invitæ, sed sponte sua; hinc in præcepto Domini placor fit et beneplacitum; nam aquis beneplacet sic ad præceptum Domini stare. Neque rursum quia stant, minuitur ejus salus, imo aquæ salvæ ac integræ manent, ac si juxta specialem naturam fluerent : sic pariter cum Dei præcepto suspenditur piorum felicitas, ne more solito fluat, pii felicitatis impedimentum boni consulant, scientes id sibi non in minorem, sed in majorem salutem cessurum. Verum hic sensus mysticus potius est, quam litteralis. Unde Rabanus eumdem affert pro mystico.

Vers. 24. 24. OPERA OMNIS CARNIS (id est hominis qui carne et anima constat) CORAM ILLO, ET NON EST QUIDQUAM ABSCONDITUM AB OCULIS EJUS. — Syrus : *Opera omnium filiorum carnis coram eo, et non est qui abscondatur a conspectu ejus.* Celebravit Dei bonitatem et omnipotentiam : nunc celebrat omniscientiam, eamque inculcat hominibus, quia nullus major iis est stimulus ad bene agendum, et peccata cavendum, quam scire et cogitare se omnia agere in conspectu Dei judicis et vindicis, qui omnia conspicit, singulaque est judicaturus, et bona præmiaturus, mala vero acerrime puniturus, juxta illud Boetii : « Magna nobis injecta est necessitas bene agendi, quia in conspectu judicis cuncta cernentis omnia agimus. » Nihil enim in cubiculis, nihil in latebris, nihil in tenebris, nihil in cordibus et mentibus est absconditum ab oculis ejus; sed omnia etiam abditissima et secretissima prævidet lucidissimus Dei oculus, neque tantum præsentia, sed et præterita ac futura.

Vers. 25. 25. A SÆCULO ENIM USQUE IN SÆCULUM RESPICIT. — Græce ἐπέβλεψε, id est *respexit*, scilicet ab æterno; Deus enim in sua æternitate permanens et constans, omnes temporum differentias, et quæcumque in eis geruntur, quasi coram se gerantur, aspicit et intuetur. Æternitas enim est centrum circa quod omnia tempora volvuntur. Sicut ergo, qui in axe rotæ consistit, videt circum se volvi omnes rotæ partes : sic et Deus in axe æternitatis suæ consistens, videt circum se volvi omnes partes temporis. Et sicut qui in alto monte consistit, videt omnia quæ infra circa montem fiunt.... Vide dicta cap. XXIII, 27.

Æternitas est centrum temporum.

Porro Deus non ita a sæculo in sæculum respicit, quasi omnia etiam præterita et futura realiter sint præsentia æternitati, in illaque etiam nunc realiter existant, eique coexistant: ut intuitive ea videat Deus, ut nonnulli Theologi opinati sunt. Quomodo enim præteritum quod fuit, et amplius non est; ac futurum, quod erit et nec-dum est, potest nunc existere realiter esseque præsens æternitati? sed quod objective omnia sint Deo præsentia, quodque Deus tam perfecte præterita et futura videat objective, quam perfecte præsentia videt intuitive.

QUARE NIHIL EST MIRABILE IN CONSPECTU EJUS, — tum quia ipse, sicut sua æternitate transcendit omnia tempora, sic sua potentia transcendit omnia possibilia et factibilia, ac sua scientia transcendit omnia scibilia et cognoscibilia; tum quia omnes creaturæ respectu Dei sunt instar vermiculi, imo minutissimi puncti; tum denique quia admiratio oritur ex eo quod videatur effectus, cujus non videtur causa, inquit Aristoteles. Unde ab admirari cœperunt homines philosophari : Deus autem omnes rerum causas non tantum cognoscit, sed et ordinat ac procurat : unde nihil miratur. Sic et sapiens et magnanimus, qualis erat Cyrus, inquit Xenophon in *Cyripædia*, nihil miratur : pueri vero et rustici omnia mirantur.

Secundo, « nihil est mirabile, » id est difficile et arduum, « in conspectu ejus. » Est metalepsis; quod enim difficile est et arduum, hoc est mirabile. Unde utrumque significat Hebraicum פלא *pele*. Quocirca Tigurina vertit : *Ei patent opera universæ mortalitatis, nec datur oculos ipsius fallere*; alii : *Nec licet occultari ab oculis ejus; ab ævo in ævum prospicit* (alii, *inspicit*, vel *introspicit*), *nec quidquam conspectui ejus mirum est*; Syrus : *sive parum, sive multum, coram eo; sive robustum, sive durum, coram eo.*

Vers. 26 26. NON EST DICERE : QUID EST HOC, AUT QUID EST ISTUD? OMNIA ENIM IN TEMPORE SUO QUÆRENTUR. — Solent homines ignorantes, curiosi et superbi mirari et judicare nonnulla Dei opera, quorum ipsi causam, usum et finem non intelligunt, quasi inutilia, supervacua, imo impertinentia. Unde dicunt : « Quid est hoc? aut quid est istud? » *q. d.* Quis est hujus vel rei istius usus et finis, quid commodi hoc istudve affert? Retundit eorum ignorantiam, curiositatem et fastum hic Siracides, causamque subdit : « Omnia enim in tempore suo quærentur. » S. Hieronymus, in cap. III *Eccles.*, legit, « requirentur, » scilicet ad suos usus, cum iis opus erit. Unde Græca habent : *Omnia enim ad usus ipsorum creata sunt*, *q. d.* Omnia suum habent usum, et ad eum suo tempore quo iis opus erit, requirentur. Hinc et S. Augustinus, quæst. II *ad Simplician.*, legit : « Collaudemus canticum, et non dicamus. Quid hoc, quid hoc? omnia in tempore suo (ad tempus suum, quo eorum usus erit necessarius) creata sunt. » Idem tamen Augustinus, in *Speculo*, legit ut Noster : « Omnia enim in tempore suo quærentur; » Tigurina : *Nil est cur quis dicat, Quid hoc est? aut quonam hoc?* alii : *quorsum hoc?* Græce enim est εἰς τί, id est *ad quid? omnia enim in usus suos creata sunt.*

Secundo, τὸ *quærentur* per metalepsin accipi

potest cum Jansenio pro *cognoscentur*, vel declarabuntur, ac cognita *comprobabuntur*, ut ait vers. 40, *q. d.* Omnia suo tempore cognita et manifesta erunt, ad quem usum a Deo creata sint; et si is hominibus modo incognitus sit. Simili metalepsi « quærere » sumitur pro quæsitum invenire, et « interrogare » pro interrogationi respondere; vel interrogatum cognoscere, ut *Psalm.* X : « Dominus interrogat justum et impium; interrogat, » id est interrogando cognoscit, vel tam plene cognoscit ac si omnia interrogasset et examinasset. Et cum ait S. Petrus, *epist.* I, cap. III, 21 : « Conscientiæ bonæ interrogatio, » id est, responsio vel declaratio. Vide ibi dicta : nam plura ibidem exempla similia attuli.

Vers. 27. 27. BENEDICTIO ILLIUS QUASI FLUVIUS INUNDABIT. — Ita Romana. Addunt Græca moderna, Jansenius et alii : *Et quomodo cataclysmus terram inebriavit*, *q. d.* Benedictio Dei instar diluvii terram bonis omnibus cumulat et inebriat. Unde Tigurina vertit : *Eamque fecundat velut inundatio.* Sed hæc verba cum Romanis rejicienda sunt ad versum sequentem. Plane enim « cataclysmus, » id est diluvium tempore Noe peractum, repræsentat iram Dei, quæ sequitur, non autem ejus benedictionem. Tigurina : *Aspiratio ejus terram quasi fluvius operit*; græce est εὐλογία, id est benedictio, id est beneficentia, qua Deus terræ aspirat. Significatur abundantia beneficentiæ divinæ in terram, quod instar fluvii exundantis terram beneficiis suis obruat, dum ex ea tot genera herbarum, arborum, florum, fructuum, animalium et hominum producit, alit, conservat, propagat; quo facit, ut terra sit blanda mater et nutrix omnium viventium. Benedictio Dei, ait Palacius, est velut perennis fluvius a throno Dei usque in centrum terræ decurrens, ac omnia complectens, irrigans, fecundans, alens, gubernans, promovens. Unde Syrus vertit : *Benedictio ejus sicut fluvius fluit*, id est perfluit, affluit, influit.

Porro Siracides proprie loquitur de benedictione tum temporali, tum spiritali, quam Deus ubertim instar fluvii effundit in fideles et pios, sicut iram instar cataclysmi effundit in infideles et impios, ut ipse subjungit, juxta illud Christi : « Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, » *Joan.* IV, 13; et cap. VII, 38 : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Ita Rabanus.

Anagogice : Benedictio beatitudinis in Beatos effunditur a Deo instar fluvii aquæ vitæ, splendidi instar crystalli, procedentis de sede Dei et Agni, qui irrigat lignum vitæ, ut fructum proferat per singulos menses, *Apocal.* XXII, 1. Vide ibi dicta.

Vers. 28. 28. QUOMODO CATACLYSMUS ARIDAM INEBRIAVIT : SIC IRA IPSIUS GENTES, QUÆ NON EXQUISIERUNT EUM, HÆREDITABIT. — Ita hæc dispungunt et nectunt Biblia Romæ emendata, et passim Latina correctiora, licet Græca, ut dixi, priorem partem referant ad versum præcedentem. Sed minus apte; nam « cataclysmus, » licet significet quamvis exundationem, tamen cum absolute ponitur, per antonomasiam significat diluvium generale, quo obruta fuit tota terra tempore Noe, ut patet cap. XL, 10, cum ait : « Et propter illos (peccatores) factus est cataclysmus. » Hoc autem cum ira Dei apte comparatum, non autem cum Dei benedictione; quia ipsum processit ex summa ira Dei in peccata et peccatores. Adeo enim in eos ira exarsit, ut omnes, uno Noe cum familia excepto, diluvio merserit, simulque cum eis cætera animantia, arbores et plantas, quas in usum hominis creaverat. Licet Syrus, sicut benedictionem Dei comparavit fluvio, sic eidem comparat maledictionem. Ait enim : *Sicut fluvius sæcula irrigat, ita in furore suo populos judicat, et convertit terram irriguam eorum in salsuginem.* Sensus ergo Vulgatæ Latinæ est, *q. d.* Sicut tempore Noe ob peccata hominum diluvium totam terram obruit, inebriavit, possedit et quasi hæreditavit per integrum annum : sic pariter ira et vindicta Dei, tum sæpe in terra, tum semper et perpetuo in gehenna, instar diluvii exundans gentes infideles et impias, quæ Deum non exquirunt, id est agnoscere et colere nolunt, obruet, inebriabit et hæreditabit; sicut ex adverso benedictio et beneficentia Dei instar fluvii obruet, inebriabit et hæreditabit Judæos, omnesque fideles et pios, uti præcessit, juxta illud *Psalm.* XXXV, 9 : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Meminit cataclysmi, ut similem pœnam exspectent peccatores, ideoque illius memores horreant peccata quæ cataclysmum toti orbi induxerunt. Ita Lyranus, Palacius et alii. Sicut enim diluvium supervenit hominibus secure vacantibus gulæ et ventri, eosque inopinato obruit : sic et suo tempore Dei ira hæreditabit impios, qui nunc sine metu secure voluptuantur et triumphant, quia eos defunctos accipiet ira et vindicta Dei in perennem hæreditatem, ut in eorum animas et corpora per ignem gehennæ sæviat in æternum. Unde Palacius : Digna, inquit, notatu res, iram Dei esse hæredem impiorum, quæ mortem eorum exspectet, ut ipsos in hæreditatem suscipiat. Quam inexspectatus impiis et noxius hæres iste! Ex adverso hæres piorum erit misericordia, gratia et gloria æterna. Juxta versionem Syriacam, Deus tam iratus quam propitius comparatur fluvio : quia sicut fluvius lenis et placidus rigat et fecundat arva, exæstuans vero ea obruit, mergit et suffocat : sic et Deus justis placidus, eos fovet et fecundat; in impios vero ira exæstuans eosdem demerget in tartara. Hujus symbolum est fons Solis, qui per diem dulcis et frigidus, noctu vero fervens et amarus. Audi Plinium lib. II, cap. CIII : « In Troglodytis, inquit, fons Solis appellatur dulcis, et circa meridiem maxime frigidus; mox paulatim tepescens, ad noctis media fervore et amaritudine infestatur. » Sic Deus et Christus in die hujus

vitæ omnibus dulcedinem misericordiæ præbet : in nocte vero extremi judicii omnem iræ amaritudinem in impios ejaculabitur.

Vers. 29. 29. QUOMODO CONVERTIT AQUAS IN SICCITATEM, ET SICCATA EST TERRA : ET VIÆ ILLIUS VIIS ILLORUM DIRECTÆ SUNT : SIC PECCATORIBUS OFFENSIONES IN IRA EJUS. — Ita Romana, licet Græca hæc combinent cum posteriore parte versus præcedentis, hoc modo : *Sic ejus iram gentes hæreditabunt, sicut convertit aquas in salsuginem : viæ ipsius rectæ sunt sanctis, sicut iniquis offendicula* ; Tigurina : *Ita (quæ non coluerunt eum) gentes iram ejus percipient, ut aquas convertit in siccitatem,* etc. Hebræum enim מלחה *melecha,* et Græcum ἅλμη proprie significat salsuginem, et terram salsuginis : sed abusive significat terram siccam ; quia talis est terra salsuginis, sive salina, puta locus aridus ex cujus terra colligitur sal. Nam, ut ait Plinius lib. XXXI, cap. VII : « Omnis locus, in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit. » Sal enim terram exsiccat : ad generationem autem opus est humore.

Igitur Græca habent hic duas disparatas sententias, ac priorem sic exponit Jansenius : Ira Dei, inquit, ejusque severitas et ultio in gentes incredulas comparatur conversioni aquarum in siccitatem ; vel, ut habent Græca, in salsuginem, hoc est, cum Deus efficit, ut, ubi erat aquarum copia, fiat siccitas et sterilitas : quia in eis quibus Deus irascitur, sublato omnis gratiæ ejus humore, maxima fit siccitas, et ad bonum aliquod proferendum sterilitas. Itaque his sententiis, sicut et sequentibus, ostenditur, quomodo differenter se Deus habeat erga electos et reprobos, quamque sit efficax ejus tum beneficentia, tum severitas, misericordia atque justitia.

Noster vero Vulgatus Interpres aptius duas sententias in unam conjunxit. Quam *primo* Rabanus exponit de cataclysmo, sive diluvio, de quo sermo præcessit, *q. d.* Quomodo post diluvii effusionem aquæ ibant euntes et redeuntes, ut iterum appareret arida, et terra fructus suos germinaret : ita etiam post exstinctionem impiorum data est facultas electis Dei, ut proferrent fructus bonorum operum. Quod autem dicit vias Domini viis illorum esse directas, ostendit retributiones illius secundum merita ipsorum esse dispensatas. Viæ enim Domini sunt judicia ejus : viæ autem hominum opera illorum. Unde Dominus (qui justus est in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, et reddit unicuique secundum opera sua) custodit omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet. *Secundo,* aptius Lyranus et Palacius hanc sententiam referunt ad transitum Hebræorum per mare Rubrum a Deo divisum, quod deinde in suum alveum rediens mersit sequentes et persequentes Ægyptios, de quo sermo præcessit vers. 22 et 23. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut Deus convertit mare Rubrum dividendo illud in duas (vel, ut Hebræi tradunt, in duodecim, juxta numerum duodecim tribuum Israel, ut quælibet tribus per illud suam haberet propriam viam et semitam) partes, ac medium alveum siccando, itaque terra alvei, per quem transituri erant Hebræi, siccata est ; quo factum est, ut viæ illæ Dei, quas in mari aperuit Hebræis fidelibus et piis, essent « directæ, » græce εὐθεῖαι, id est rectæ, planæ et commodæ, ut scilicet per eas directe, plane et commode transirent in terram adversam, itaque effugerent manus insequentis Pharaonis : « sic » « pariter peccatoribus offensiones in ira ejus, » supple, existunt vel paratæ sunt ; quia scilicet Ægyptii insequentes Hebræos offenderunt et impegerunt in eodem mari Rubro, dum ira Dei revolvit super eos aquas maris, iisque eos mersit et absorpsit. Idem facit et faciet cæteris peccatoribus, præsertim in die judicii.

Significat Deum eadem re quasi instrumento uti ad liberandum pios, et ad castigandum impios, sicut mari Rubro liberavit Hebræos et mersit Ægyptios, ac sicut eadem concione vel miraculo convertitur unus, induratur alter. Unde Græca sic habent : Αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ εὐθεῖαι τοῖς ὁσίοις, οὕτως τοῖς ἀνόμοις προσκόμματα. Quod Complutensia et Romana vertunt : *Viæ illius sanctis rectæ* vel *directæ, sic iniquis offensiones.* Noster pro ὁσίοις, id est *sanctis,* legit ὁδοῖς, id est *viis illorum,* scilicet piorum, puta Hebræorum, qui sicco pede Deo duce transierunt mare Rubrum. Hoc enim suppositum velut ex circumstantiis notum, et ex materia celebre more Hebræorum Siracides subaudiendum relinquit : opponit enim pios impiis, ut in istos Dei misericordiam, in hos Dei iram et vindictam ostendat. Unde Syrus : *Viæ justorum directæ sunt in conspectu ejus, etiam impiis ipsæ retribuentur ;* Tigurina : *Ut viæ ejus planæ sunt sanctis, ita injustis salebrosæ* ; alii : *Viæ ipsius rectæ sunt sanctis, et iniquis offendicula ;* hæc enim proprie sunt προσκόμματα. Hæc sententia multis modis accipi potest.

Primo, proprie de Hebræis in mari Rubro, ut dixi, *q. d.* Viæ maris Rubri directæ, id est perviæ, planæ, commodæ et salutares fuerunt Hebræis piis, quia illis dederunt effugium et salutem ; eædem vero Ægyptiis impiis fuere offendicula, quia in eis corruerunt et submersi sunt. Æsopus, ut ferunt, obambulans rogatus a magistratu quo pergeret, respondit se nescire. Cumque magistratus irrisum se æstimans, indigne id ferret, eum in carcerem conjecit. Tunc Æsopus : « Jam bene igitur nescire me dicebam quo irem ; nesciebam enim quod in carcerem iturus essem. » Ita nescit homo quo vadat, idcirco roget Dominum cum Psalte : « Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea, » *Psal.* XVI, 5.

Secundo, ut τὸ *directæ* accipias moraliter, *q. d.* Viæ, id est præcepta, consilia, judicia et providentia Dei, sanctis videntur esse recta et æqua, quia sentiunt se iis dirigi rectissime ad salutem : contra hæc eadem peccatoribus videntur esse iniqua et distorta, quia eis sunt scandalo et offensioni ; illa enim violando, vel iis obmurmurando,

corruunt in mortem præsentem et æternam : in quo patefit ira divina extensa super eos. Hoc est quod ait Osee cap. XIV, ult.: « Rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis : prævaricatores vero corruent in eis. » Ita Jansenius : Viæ, inquit, Dei piis sunt rectæ, sic peccatoribus sunt offendicula, hoc est, piis placent viæ Domini, easque approbant, at eædem viæ Domini displicent peccatoribus, eisque offenduntur, et in illas impingunt. Dicitur ergo quod viæ Dei sunt directæ, hoc est rectæ, viis bonorum, quia ipsi suis actionibus suaque vita declarant se probare vias Dei, hoc est et mandata ejus, quæ hominibus præcepit, et universa ejus facta atque judicia, quibus mundum gubernat, dum ei sedulam sine murmuratione obedientiam præstant. Peccatoribus autem viæ Domini sunt offendicula et scandala, quia impingunt et in ejus mandata, quæ ipsis majoris lapsus sunt occasio, et in illius facta atque judicia, contra quæ murmurant tanquam injusta. Id autem fit in ira ejus, nimirum quod ejus gratia destituantur, qua de his quæ bona sunt recte sentire valerent.

Tertio, viæ Dei sanctis sunt « directæ, » id est, prudentes et prosperæ ; quia eos prudenter dirigunt ad felicem exitum, eosque prosperant, felices et beatos efficiunt; ac vero eædem impiis sunt tortæ, quia illi, cum sint imprudentes, se suaque secundum eas prudenter dirigere nolunt, ideoque eos miseros et infelices efficiunt, suntque eis occasio ruinæ in mala præsentia et æterna. Igitur viæ, id est, leges et judicia Dei piis videntur rectæ, impiis curvæ et tortæ : *primo*, quia piis sunt planæ et faciles, impiis arduæ et difficiles; *secundo*, quia piis videntur æquæ et sanctæ, impiis iniquæ et tyrannicæ; *tertio*, quia piis sunt prosperæ et felices, impiis noxiæ et infelices, adeoque scandala et offendicula, per quæ cadunt et ruunt in mortem et gehennam. « Diligentibus » ergo « Deum omnia cooperantur in bonum, *Rom.* VIII, 28, uti non diligentibus omnia cooperantur in malum, ait S. Augustinus. Mala ergo bonis sunt bona, malis vero mala. Sic crux Amani ipsi fuit crux, quia in ea suspensus fuit ; Hebræis vero fuit salus et vita, *Esther.* VII, 10. Tam solers, tam potens, tam efficax est providentia Dei. Unde S. Augustinus, *Enchir.* cap. C : « Magna, inquit, opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro et ineffabili modo non fiat, præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem; quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. »

Viæ Dei piis sunt rectæ, impiis tortæ tripliciter.

Vers. 30. 30. BONA BONIS CREATA SUNT AB INITIO, SIC NEQUISSIMIS BONA ET MALA. — Græca delent τὸ *bona et*, sicque habent : *Bona bonis creata sunt ab initio, sic peccatoribus mala.* « Nequissimos » enim Noster vocat peccatores, partim quia superlativum per metonymiam ponit pro positivo, « nequissimos, » scilicet pro nequam; partim quia peccatum in Deum est summa nequitia, majorque quam ulla sit ex illis quæ in homines committuntur. Lectio Græca plana est, *q. d.* Deus ab initio creavit bona, puta cœlum et æternam felicitatem, bonis; mala vero, puta gehennam et æternas pœnas creavit et destinavit peccatoribus. Rursum et potius, *q. d.* Deus ab initio creavit, id est ordinavit, disposuit, destinavit, ut bonis omnia, etiam mala, cederent in bonum; peccatoribus vero omnia, etiam bona, converterentur in malum; quia illi ipsis abutuntur in suam perniciem. Hoc enim intendit hic probare, ut dixi in fine versus præcedentis. Unde allatis exemplis aquæ, ignis, salis, panis, etc. concludit vers. 32 : « Hæc omnia sanctis in bona, sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur. »

Latina vero lectio, *sic nequissimis bona et mala*, difficilis est explicatu : sic tamen explices, *q. d.* Impiis Deus creavit « bona, » quia omnes homines, etiam impios, destinavit ad beatitudinem; « et mala, » quia hæc peccatis eorum in pœnam præparavit, *q. d.* Deus ex se suoque amore immenso bona præparavit tam bonis quam malis; at mali suo abusu et malitia ea sibi convertunt in mala : quo fit ut bona solis bonis fiant bona, cedantque in bonum. Ita Lyranus. Accedit Rabanus : « Bona, inquit, malis creata et præparata sunt, si se converterint a peccatis suis, et egerint pœnitentiam; mala autem, si perseveraverint in errore et delictis suis, et pœnitentiam agere neglexerint. »

Addit Palacius. Deum malis primo præparare bona, deinde mala, quia in hac vita dat eis opes, honores, delicias, ut hic habeant suum paradisum; in futura vero dabit eis mala pro meritis, puta ignes gehennæ æternos. Latinæ consentit Syrus : *Bonum*, inquit, *ab initio bonis creatum est, et etiam impiis sive bonum, sive malum.*

Vers. 31. 31. INITIUM NECESSARIÆ REI VITÆ HOMINUM, AQUA, IGNIS, ET FERRUM, SAL, LAC, ET PANIS SIMILAGINEUS, ET MEL, ET BOTRUS UVÆ, ET OLEUM, ET VESTIMENTUM. — « Initium » aliqui accipiunt pro principio, *q. d.* Initio mundi hæc quasi necessario ad vitam hominis creavit Deus. Unde colligunt nonnulli ab initio mundi fuisse uvas, imo et sanguinem uvæ, ut habent Græca, id est vinum, etsi Noe primus vitem excoluisse, ad vinum copiosius et delicatius exprimendum legatur, *Genes.* IX, 20. Verum pro « initium » græce est ἀρχὴ, quod non tantum principium, sed et principatum, primas, caput, summam significat, *q. d.* Inter necessaria vitæ hominis hæc decem primas tenent, vel, ut Tigurina : *Summa omnium ad vitam hominis necessariorum constat aqua, igne, ferro, sale, simila frumenti, melle, lacte, sanguine uvarum* (id est vino), *oleo, vestituque* ; Syrus : *Primum omnium eorum quæ necessaria sunt vitæ hominum, aqua, et ignis, et ferrum, et sal, et tritica, et adeps, et lac, et mel, et uvæ, et vinum, et oleum, et operimentum, et vestis.* Sic cap. XI, 3, dixit de ape : « Initium, » id est prin-

cipatum, primas, « dulcoris habet fructus illius, » quia mel est dulcissimum, et inter dulcia primas obtinet.

Decem hominum vitæ necessaria,

Porro, hæc decem homini necessaria, non simpliciter (nam mel, uva, oleum non sunt absolute homini necessaria), sed secundum quid, id est, opportuna valde, et utilia (unde græce est χρεία, id est indigentia, usus, necessitas, commoditas, utilitas, puta res qua opus est ad usum) esse liquet. Nam aqua et ignis ad coquendum, calefaciendum, bibendum, lavandum, etc. sunt necessaria; ferrum ad solidandum, compaginandum, fabricandum.

Primum aqua. Secundum ignis. Tertium, ferrum.

Audi Plinium, lib. XXXIV, XIV, qui cum ferrum vocasset optimum pessimumque vitæ instrumentum, causam subdit dicens : « Siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere : hoc exstruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia non cominus solum, sed etiam missili volucrique nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato : quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem ut ocius mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus. Quamobrem culpa ejus non naturæ fiat accepta. Idem, cap. XV, docet e ferro fieri medicinas, quibus alopecia, podagra, profluvia, fistulæ, hæmorroides, pluresque alii morbi curentur. Porro Cassiodorus, lib. I *Variar.* epist. 30, primum ferri, puta ferreorum armorum ad usum belli, auctorem facit Belum, indeque dictum bellum, cum prius pugnis certaretur, unde nomen pugna.

Quartum sal.

Sal necessarium est, ut panis et herbæ condiantur; quæ alioqui essent insulsæ et noxiæ. Unde illud celebre citatum a Plinio, lib. XXXI, cap. IX : « Totis corporibus nihil est utilius sale et sole; » et cap. VII : « Quin et pecudes, inquit, armentaque et jumenta sale maxime sollicitantur ad pastum, multo largiore lacte, multoque gratiore etiam in caseo dote. Ergo vita humanior sine sale nequit degere, adeoque necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sales appellantur, omnisque vitæ lepos et summa hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo constat. » Mirum est, quod viri graves mihi asseruere, Cozakos pro lege habere, ut abstineant sale, idque ad castitatem, ut vivant ἄγαμοι et cœlibes, totique vacent armis, nec cura uxoris et liberorum distrahantur. A sale enim, uti dicta est, ita et provenit salacia. Sal enim, quia calidum et mordax, stimulat ad Venerem. Qua de causa Ægyptios sacerdotes cum essent castissimi, adeo sale abstinuisse, ut pane quoque insulso vescerentur, tradit Plutarchus, lib. III *Symposiac.* quæst. X. Qui et addit salem ab Homero divinum vocari, eo quod sal condimentum sit jucundissimum, adeoque condimentorum omnium condimentum, eis suavitatem concilians; et quod utilissimus sit, omnibusque rebus humanis interveniat : « Etenim, inquit, ab hominibus ea quæ vulgata sunt, suisque per totum genus humanum pervadunt usibus, quam maxime divinitatis titulo dignantur, ut aquam, ut salem, ut anni tempestates. » Natura enim pene rebus omnibus salem immiscuit, ut alibi ostendi; tum denique quia sal res a corruptione conservat, et quodammodo æternat; hoc autem est opus divinum. Hinc et Plato, in *Timæo,* salis corpus diis amicum et sacrum esse dicit. Hinc et Isidorus, lib. XVI *Origin.*, cap. II, sal derivat a saliendo, quod in ignem injectum exsiliat; aut potius a salo et sole, quod in salo, id est mari, vi solis coalescat et concrescat. Quocirca sal symbolum est sapientiæ, discretionis et prudentiæ, juxta illud Christi, *Marci* IX; 49 : « Habete in vobis sal. » Et omni victimæ adhibebatur sal, uti dixi *Levit.* II, 13; vide Pierium, *Hierogl.* XXXI, cap. IX et seq. Scripsit de salis usibus et encomiis libros quatuor Bernardinus Gomesius, Archidiaconus Saguntinus, atque initio lib. II : « Salem » vocat, « quoddam mensæ numen. » Quia, inquit, « hoc condimento non solum gustatui suavitas, atque ex suavitate voluptas accrescit appetitui; sed ex his etiam, tum stomacho concoctio, tum in membra omnia ex concoctione digestio, atque universo corpori robusta consequitur sanitas et firmitudo. » Ibidem, num. 7. salem vocat uberrimum naturæ fontem, et horreum bonorum. Numer. 18, sal majore, inquit, quam vinum hilaritate cor recreat et delectat, et perinde ac vinum cordi est vitalis. Nam juxta Plinii aliorumque sententiam adversus serpentum morsus, qui recta cor petunt, diligenter admotus venenum omne antevertit et enecat. Num. 20, in sale igneam ac regiam inesse potestatem ostendit ex eo, quod Annibal sale et aceto saxa et rupes Alpium excavarit, ac per eas antea invias exercitum traduxerit. Num. 70, docet salem epulantibus temperantiæ leges præscribere, ipsumque esse fontem et originem omnium condimentorum, eo quod admotus linguæ gustuique mordeat, excitet, siccet, astringat, contrahat, detergat et urat. Lib. III, num. 9, asserit salem esse magnam quamdam mensæ animam, imo salem esse quasi solem. Lib. IV, num. 48, ostendit Hispanos olim ea reverentia salem habuisse, ut religio eis fuerit ipsum digitis e salino excipere, gladiis ergo suis eum excipiebant. Unde proverbium : « Salem cur manu excipis, qua virum (alii dicunt *Maurum*) non occideris? » Cum enim essent bellicosi, et a Mauris impeterentur, indignus cibo et sale habebatur, qui Maurum non occidisset. Hinc illud Livii de Cantabris : « Ferox gens, nullam vitam rati sine armis esse. » Denique num. 83, ostendit sale benedicto, quod ex decreto Alexandri I Pontificis aquæ lustrali inditur, fugari dæmones; quod illo-

Sal a sale et sole.

Salis usus multiplex.

rum fœdissimam impuritatem lustrali aqua, crassissimam vero ignorantiam sale sapientiæ mirabiliter revincamus. Denique veteres Ascetæ olim ad panem non aliud obsonium quam salem adhibebant. Unde illud Sisois Abbatis, in *Vitis Patr.*: « Victus monachi, panis et sal.

Quintum lac. Lac est cibus naturalis et quasi coævus hominis; infans enim mox ut nascitur, sugit ubera matris, æque ac agnelli, vituli, hinnuli, cæteraque animalia : « Lac, inquit Plutarchus, lib. *De Sanitate tuenda*, usurpandum pro potu non est, sed ut cibus, vim validam et ad nutriendum copiosam habens. »

Sextum, panis. Panis similagineus, græce *similago frumenti*, puta ex simila et farina, est communis hominum cibus; panis enim confirmat cor hominis.

Septimum, mel. Mel « ad innumeros valet usus, » ait Plinius, lib. XXII, cap. XXIV : « Aculeos et omnia infixa corpori extrahit, tubera discutit, dura concoquit, dolores nervorum mulcet, ulceraque jam desperantia cicatrice includit. Mellis quidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat; jucundo sapore atque non aspero, alia quam salis natura. Faucibus, tonsillis, anginæ, omnibusque oris desideriis utilissimum, arescentisque in febribus linguæ. Jam vero peripneumonicis, pleuriticis decoctum; item vulneribus a serpente percussis. Et contra venena fungorum. Paralyticis in mulso, quanquam suæ mulso dotes constant. Mel auribus instillatur cum rosaceo; lendes et feda capitis animalia necat. Usus despumati semper aptior, stomachum tamen inflat, bilem auget, fastidium creat, et oculis per se inutile aliqui arbitrantur. » Porro Plutarchus, lib. VII *Sympos.* quæst. III, docet mellis imum, vini medium, olei summum esse optimum, causamque assignat. Idem Plinius, lib. XI, cap. XIV, mel vocat nectar divinum : « Non alia, ait, suavitas, visque mortalium malis a morte vocandis, quam nectaris divini. » Paulo ante : « Medicamenta, non mella, gignuntur, oculis, ulceribus, internisque visceribus dona cœlestia. »

Octavum, uva. Botrus uvæ, æque ac sanguis uvæ, ut habent Græca, valde nutrit, confortat, exhilarat.

Nonum, oleum Oleum est cibus, lux et medicina. Vide S. Bernardum, serm. 15 *in Cant.*

Decimum vestis. Vestitus tegit nuditatem, et tuetur corpus a frigore et aeris injuriis.

Nota : Hic non nominantur carnes, ova, pisces, nec in Latina Vulgata vinum; quia hæc non sunt necessaria ad vitam. Unde usque ad diluvium iis abstinuisse videntur homines, ut dixi *Genes.* IX, vers. 3, ac tantum comedisse botros, fructus, lac et mel. Ea fuit priscorum frugalitas. Ita S. Gregorius Nazianzenus vivebat pane, aqua et sale. Audi eum Carm. IX.

Brevis atque voluptas
Ærumnas multas comites habet. At mihi cordi
Est panis rigidus, mihi grata obsonia præbet
Sal purum, simplex, nullisque instructa labore
Mensa, dein latices mihi sobria pocula fundunt.
Hæ mihi divitiæ summæ, Christusque salutis
Auctor, qui nostras vehit ad sublimia mentes.

Et S. Bernardus, serm. 66 *in Cantic.* : « Abstineo a vino, quia in vino luxuria est : aut, si infirmus sum, modico utor, juxta consilium Pauli. Abstineo a carnibus, ne, dum nimis nutriunt carnem, simul et carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat, et ne improperet etiam mihi Propheta, quia panem meum comederim in saturitate. Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distensio ventris usque ad titillationem pertingat libidinis. » Idem, epistola *ad Robertum nepot.* : « Prudenter, inquit, sobrieque conversanti, satis ad omne condimentum sal cum fame. » Idem, *in Formula vitæ* : « Sicut ad crucem, inquit, sic accedas ad cibum, id est nunquam voluptate, sed necessitate pascaris : et fames, non sapor provocet appetitum. » Ita S. Anachoretæ ad cibum non adhibebant nisi panem, aquam et sal. Idem erat pœnitentium cibus. Unde XXXIII, quæst. II, cap. VIII, Stephanus V Papa Aistulfo, qui uxorem occiderat, inter alia hanc quoque pœnam injungit : « Ut omnibus diebus, inquit, quibus pœnitere debes, vinum et siceram non bibas : carnem nunquam comedas, præterquam in Pascha et in die Natalis Domini : in pane et aqua et sale pœnitentiam age. »

Decem necessaria ad vitam spiritalem. Mystice, decem dotibus et virtutibus inchoatur, conservatur, promovetur et perficitur vita spiritalis. Nam *primo*, aqua est baptismus et compunctio lacrymarum. *Secundo*, ignis est spiritus, etc., ejusque charitas et zelus, quem Apostolis et fidelibus inspiravit in Pentecoste. *Tertio*, ferrum est patientia et constantia, quæ necessaria est ad innumeros hujus vitæ labores et ærumnas fortiter et constanter superandos; ferrum enim omnes mallei tunsiones fortiter et constanter patitur, ut iis vas pulchrum efformetur. Idem viderunt Gentiles, qui Herculem formavere e ferro. Unde Plinius lib. XXXIV, XIV : « Est in eadem, inquit, urbe (Thebis) ferreus Hercules, quem fecit Alcon, laborum Dei (Herculis) patientia inductus. » Patientia ergo Herculem fecit Deum. *Quarto*, sal symbolum est discretionis, quæ instar salis omnia facit sapida, cum sine ea omnia sint insipida et insulsa. Unde Christus : « Habete in vobis sal, » *Marci* IX, 49. *Quinto*, lac est innocentia, simplicitas, morumque candor, juxta illud *Isaiæ* VII, 15, de Christo parvulo : « Butyrum et mel comedet. » Et illud S. Petri, *epist.* I, cap. II, 2 : « Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite. » *Sexto*, panis est Eucharistia, qua, ut ait Christus, *Joan.* VI, nutritur anima in vitam æternam. *Septimo*, mel est castitas, quia mel a castis apibus producitur; et oratio, quæ a Deo impetrat cœlestes consolationes et bona omnia, sicut mel e cœlo depluit, estque suavissimum. *Octavo*, botrus uvæ est memoria passionis Christi,

quæ nos corroborat contra omnia mala, et ad omne bonum confortat: in ea enim Christus pressus et calcatus omnem pro nobis effundit sanguinem, sicut uva pressa et calcata in torculari omne suum effundit vinum. *Nono*, oleum est misericordia, eleemosyna, omnisque beneficentia. *Decimo*, vestimentum est modestia, quæ omnes virtutes jam dictas quasi vestis conservat, ornat, et perficit, facitque aliis conspicuas, ut easdem imitentur et induant. Hic est ergo decalogus virtutum, æque ac præceptorum Dei, in quo salus et perfectio nostra consistit.

Paulo aliter noster Alvarez de Paz, lib. II, part. I *De Mortificat.*: « Ad vitam spiritalem, ait, necessaria est aqua compunctionis, qua lavemur; ignis Spiritus Sancti, quo accendamur; ferrum tribulationis, quo domemur; sal mortificationis, quo a putredine servemur; lac puritatis, quo exornemur; panis virtutum, quo sustentemur; mel consolationis, quo roboremur; botrus zeli, quo bona adepta custodiamus; oleum charitatis, quo emolliamur; et vestimentum gratiæ, quo operiamur. » Sic fere et Hugo. Huc facit illud S. Gregorii magnifice de S. Augustino modeste et humiliter de se suisque scriptis sentientis, *epist.* 52, lib. VIII: « Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini opuscula legite, et ad comparationem similaginis illius nostrum furfurem non quæretis. » Sapiens est, qui e scriptis librisque Doctorum pollinem colligit, furfurem relinquit.

Vers. 32. 32. HÆC OMNIA SANCTIS IN BONA, SIC ET IMPIIS ET PECCATORIBUS IN MALA CONVERTENTUR. — « In mala, » tum culpæ, quia creaturis Dei abutuntur ad luxuriam, gulam, superbiam, et cætera; tum pœnæ, quia per quæ quis peccat, per hæc et punitur; idque sæpe in hac vita, et semper in futura. Quot enim impii perierunt, pereunt et peribunt aqua, igne, ferro, etc. In gehenna vero torquebit eos ignis, aliæque creaturæ, vel in se, vel in sui memoria. Torquet enim damnatos mirifice, quod creaturis Dei abusi provocarint in se iram Creatoris, ac consequenter creaturarum omnium, et idcirco ab omnibus crucientur et torqueantur in gehenna. Hinc et in judicio extremo omnes creaturæ, quasi lictores astabunt Christo judici, ut insiliant in reprobos, eosque affligant et plectant, juxta illud *Sapient.* V, 21: « Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, etc. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos. » Unde Syrus vertit: *Hæc bonis bona evadunt, et malis in maledictionem convertuntur.*

Huic sententiæ Siracidis parallela est illa Salomonis *Sapient.* XIV, 11: « Creaturæ Dei in odium factæ (id est ab impiis conversæ) sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. » Unde Origenes, in cap. III *Josue*: « Peccatori, inquit, omnis creatura hostis est, justo serviunt omnia. » Antistropha vero est illa Platonis *in Theæteto*: « Illum, ait, dico sapientem, qui ea quæ cuipiam nostrum videantur et sint mala, illorum natura commutata efficiat ut et bona videantur et revera sint bona. » Unde concludit: « Quamobrem danda est opera, ut hinc illuc (ab humana societate ad divinam) quam celerrime fugiamus; fuga autem est, ut Deo, quam proxime fieri poterit, assimilemur atque conformemur: Deo autem nos assimilat justitia et sanctitas cum sapientia conjuncta. » Qua de causa ait Beda in *Proverbiis*: « Invocandus est Deus jugiter, ut voluntatem simul et facultatem bene agendi nobis præstare dignetur. »

Vers. 33. 33. SUNT SPIRITUS QUI AD VINDICTAM CREATI SUNT, ET IN FURORE SUO CONFIRMABUNT TORMENTA SUA. — Ita Romana, licet Jansenius et alii legant *flagella sua*; hæc enim proprie significat græcum μάστιγας. Sed eodem redit sensus. Syrus: *Sunt spiritus, qui ad retributiones creati fuerunt, et in furore suo montes eradicant.* Pergit ostendere quam impiis bona in mala convertantur, quia scilicet Deus ob peccata omnia eis convertit in flagella et castigationem, ut demonstret quanta sit Dei severitas et ira in impios, æque ac clementia et beneficentia in pios. Creavit ergo, id est destinavit et deputavit impiis spiritus ad vindictam, dictante id justitia, « quæ non permittit, » ait, ex S. Augustino Lyranus, « dedecus » culpæ « sine decore » justitiæ.

Quæres, quinam hi « spiritus? » Respondeo: aliqui accipiunt ventos, procellas, typhones, ecnephias, presteres, turbines, grandines, fulmina, tonitrua, etc., quibus olim sub Mose Deus percutit Ægyptum, et sæpe percellit impias provincias et regna, juxta illud *Psalm.* X: « Pluet super peccatores laqueos: ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. » Et *Psalm.* CXLVIII: « Ignis, grando, nix glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus. »

Secundo et potius, per « spiritus » accipias angelos, tum bonos, qui sunt administri divinæ justitiæ, ideoque percusserunt Sodomitas igne cœlesti, Ægyptios decem plagis sub Mose, Assyrios quoque sub Sennacherib, *Isaiæ* XXXVII, 36, tum potius malos, puta dæmones; hos enim creavit, id est creatos a se, sed in peccatum prolapsos, deputavit et auctoravit carnifices et lictores hominum impiorum, ut eos castigent et puniant, juxta illud *Psalm.* LXXVII: « Misit in eos iram indignationis suæ; indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per angelos malos. » Sicut enim a rege creantur præsides, consules et magistratus: sic dæmones a Deo creati sunt vindices, carnifices et tortores impiorum. Vel proprie « creavit, » quia licet primario et per se eos creavit ad bonum suum, et totius universi; secundario tamen et quasi per accidens, scilicet, si peccarent, uti prævidebat eos peccaturos, creavit eos ad vindictam impiorum. Ita Dionysius.

Ergo tum in hoc aere, inquit Palacius, tum in aquis, tum in terrarum cavernis, tum denique in inferno consistunt dæmones, qui impiorum hominum scelera ut Dei ministri castigent; ut quibus voluntarie impii se subdiderunt in culpa, eis involuntarie subjiciantur in pœna, ait Lyranus. Sic et Rabanus : « Postquam, inquit, homo a Deo conditus per diaboli suggestionem seductus est, juste in ejus potestatem traditus est : quia Domini sui mandata transgrediens, inimici nefandi perversis suasionibus consensit. Et ita Deus omnipotens (qui est summe bonus, imo summum bonum, universorum ordinator optimus) homines superbientes sub dominio superborum angelorum subegit, ut ab ipsis correpti discerent, quantum distat inter veri et piissimi domini, et inter tyranni crudelissimi servitutem. »

Dæmon futura prædicit: unde?

Atque hæc est causa, cur dæmon subinde futuros eventus, v. g. morbos, mortes, neces per suos divinos, sagas et magos prædicat, dicendo, v. g. illi, qui eos de sorte et morte sibi eventura consulit : Tu morieris aqua, tu igne; tu tali anno incides in febrim, phthisin, pestem; tu tali anno, tali modo morieris; quia scilicet dæmon prædicit id quod ipse facturus est, nimirum quod eis tali anno talem morbum vel mortem illaturus, aut procuraturus sit; Deus enim eos qui consulunt dæmonem, illi subjicit, illique in eos potestatem dat ad castigandum eorum a Deo apostasiam.

ET IN FURORE SUO CONFIRMAVERUNT TORMENTA SUA. — Ita Complutensia et Romana legunt αὐτῶν, id est *ipsorum*, hoc est *sua*. Aliqui tamen legunt αὐτοῦ, id est *ejus*, scilicet Dei. Nonnulli id explicant de dæmonibus, qui ex desperatione acti in furorem et rabiem contra Deum, et homines tanquam Dei imagines et peculium, eos tentant ad peccatum; ut secum pertrahant in gehennam, itaque confirmant et augent tormenta sua, præsertim quia damnati in inferno rugiunt instar canum, invicemque lacerant maledictis, quin et dentibus manibusque, *q. d.* Dæmones « in furore, » id est per inconvertibilem et obstinatam suam aversionem a Deo meruerunt irrecuperabiliter condemnari. Est enim in eis amens furor, ait S. Dionysius Carthusianus. « Nam sicut peccatum eorum est irremediabile, sic et tormentum interminabile, » ait Lyranus. Et, ut inquit Rabanus : « Dæmones confirmant tormenta sua, quia ipsi in futuro judicio pro nequitia propria, et humani generis seductione supplicia subibunt æterna. » Quod accipe cum grano salis. Nam dæmones omnem pœnam damnationis essentialem meriti sunt et acceperunt per nequitiam propriam, puta per superbiam, qua Deo rebellarunt. Quare pœnam hanc augere nequeunt per seductionem hominum, præsertim quia ipsi amplius non sunt in via, sed in termino, puta non sunt in statu merendi vel demerendi, sed in statu pro demeritis patiendi : per seductionem ergo hominum augent duntaxat sibi pœnam accidentalem. Ita S. Thomas et Scholastici I part. *Quæst.* LXII, art. 9 et *Quæst.* LXIV, art. 2. Errat ergo Magister Sententiarum in II dist. XI, littera D et G, ubi censet angelos, etiam bonos, proficere in merito et præmio usque ad diem judicii.

Alii hunc locum interpretantur de dæmonibus non solum in homines, sed etiam in se invicem per objurgationes, exsecrationes, et quoscumque alios modos, quibus possunt, irruentibus et insultantibus. Id colligunt ex τῷ *firmaverunt tormenta sua*, *q. d.* Dæmones non tantum aliena, sed etiam propria tormenta sibi invicem adhibuerunt, ut ita dæmones per dæmones, quibus possint modis, torquerentur. Verum hic sensus huic loco impertinens et incongruus est. Agitur enim hic de pœna non dæmonum, sed hominum, quos Deus castigat per dæmones. Dæmones ergo in hominibus impiis « in furore confirmant tormenta sua, » quia ex odio, quo flagrant in Deum et homines, in eos furunt, ideoque ex furore « confirmant, » id est firmiter et constanter exsequuntur et vibrant in eos sua flagella et tormenta, ut nemo eis resistere valeat. Unde Tigurina vertit : *Sunt spiritus ad vindictam creati, qui furiosi vibrant flagella sua*; Vatablus : *Qui furore suo flagella sua roborant*; vel *animo suo supplicia instituunt*; alii : *Sunt spiritus qui ad ultionem creati sunt, et in excandescentia sua firmant flagella sua.*

An damnati crucientur per dæmones?

Porro Dionysius Carthusianus : Quidam, inquit, exponunt hæc de punitione reproborum in inferno, quod scilicet puniendi sint per dæmones. Communiter tamen dicunt Doctores, quod post diem judicii cessabit exsecutio et punitio illa per obsequium dæmonum, et quod tunc communi igne punientur homines et angeli reprobi; quia, ut ait Apostolus, I *Corinth.* XV, 24, tunc Dominus « evacuabit omnem principatum et potestatem. » Sic et Franciscus Suarez, tract. *De Angelis*, lib. VIII, cap. XVIII, num. 1, asserit dæmones nulla ministeria nullasque actiones habere in inferno circa animas damnatas, sed tantum circa viatores in hac vita, ut eos tentent. Neque damnatos, inquit, proprie puniunt, quia circa pœnam ignis nullum peculiare ministerium habere possunt. Idem tamen, cap. XX, num. 1, idipsum limitat ad pœnam essentialem, scilicet ignis; nam possunt, inquit, esse ministri pœnæ accidentalis, ut ad deferendas animas damnatorum violenter et ignominiose in infernum, ac ad detinendas, seu custodiendas illas, vel etiam ad illas suo aspectu, conviciis, et recordatione malorum suorum affligendas : denique ut ab uno loco in alium, ab una pœna in aliam, ab uno equuleo et tormento in aliud illas transferant, illudque ipsis violenter applicent. De qua re plura vers. 35. Porro Apostolus, I *Corinth.* XV, 24, tantum negat fore subordinationem et obedientiam inferiorum ordinum ad superiores in dæmonibus post diem judicii, quia hæc tantum ab illis constituta est

communi consensu ad tentandum homines in hac vita; cum hoc tamen consistit, dæmones semper fore tortores hominum, utpote quibus homines in hac vita consentiendo et peccando sponte se subjecerunt. Cum enim ex revelationibus constet eos ante judicium a dæmonibus torqueri, cur et post judicium ab iisdem non torqueantur? Lege historiam Udonis Magdeburgensis.

Vers. 34. 34. IN TEMPORE CONSUMMATIONIS EFFUNDENT VIRTUTEM (græce ἰσχὺν, id est vim, robur, fortitudinem suam) : ET FUROREM EJUS, QUI FECIT ILLOS, PLACABUNT. — Ita Romana. Minus recte Jansenius et alii pro *placabunt*, legunt *confundent;* sicque exponunt, *q. d.* Spiritus ad vindictam creati « confundent furorem Dei, » id est cum magna rerum confusione exsequentur Dei furorem, omnia involventes et perturbantes. Græce enim est κοπάσουσι, id est sistent, sedabunt, conquiescere facient. Ita Complutensia et Romana, quod Noster vertit, *placabunt*. Cum enim vindicta de peccatis sumitur, tunc placatur et sedatur furor Dei. Sic et hominum ira sedatur et satiatur ultione et sanguine hostium; hæc enim ultio ingens eis affert gaudium. Hoc est quod ait Deus, *Isaiæ* I, 24 : « Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. » Sic de Phinees e zelo occidente principem tribus fornicantem cum Madianitide, itaque sedante iram Dei, ait Psaltes, *Psal.* CV, 30 : « Stetit Phinees, et placavit : et cessavit quassatio. »

Diem « consummationis, » hebraice כליון *killaion*, vocat diem consumptionis, peremptionis, finis, interitus, et necis, quo Deus eos succidere, finire, perdere et consumere decrevit, quoque suam in eos justitiam et vindictam consummare, pleneque effundere constituit, *q. d.* Cum tempus fini, perditioni et interitui eorum a Deo destinatum advenerit, tunc illico spiritus ad vindictam creati effundent in impios omnes suas vires, omneque robur castigandi et affligendi; atque hac ratione placabunt furorem Dei factoris sui. Unde Tigurina vertit : *Hi tempore perimendi vim effundunt, et consummant iram creatoris sui;* Syrus : *In tempore furoris vim suam ostendunt, et spiritum ejus qui creavit eos quiescere faciunt.*

Anagogice Rabanus, « in tempore consummationis, » id est in fine mundi sub diem judicii, omnia elementa, omnesque creaturæ, quasi iratæ omnes vires suas effundent in impios, puta plagas illas horribiles, quas recenset S. Joannes, *Apoc.* cap. VIII et IX, et Christus, *Matth.* XXIV. Græcum enim συντέλεια, proprie significat consummationem, finem, terminum. Atque, ut ait Damascenus, duplex est συντελείας μερικὴ καὶ κοινή, id est partialis et communis : partialis singulorum συντέλεια, est θάνατος, id est mors : communis universorum est ἡ κοινὴ ἀνάςασις, id est universalis resurrectio.

Vers. 35 et 36. 35 et 36. IGNIS, GRANDO, FAMES, ET MORS, OMNIA HÆC AD VINDICTAM (Tigurina, *supplicii causa*) CREATA SUNT; BESTIARUM DENTES, ET SCORPII, ET SERPENTES, ET RHOMPHÆA VINDICANS IN EXTERMINIUM IMPIOS. — Tigurina : *Ac gladius exitialem pœnam irrogans impiis;* alii : *Et gladius ulciscens ad internecionem impios.* Pro *grando* legit χάλαζα cum Romanis Tigurina et aliis. Jam Complutensia legunt θάλασσα, id est *mare*. Pro *serpentes* legit ὄφεις; jam legunt ἔχεις, id est *viperæ*. Alludit ad illud Mosis, *Deut.* XXXII, 23 : « Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo : dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor. »

Primum genus vindicum Dei, fuere spiritus ad vindictam impiorum creati, vers. 33.

Secundum hic assignat, scilicet ignem, grandinem, famem et mortem. Nam ignis fuit sexta plaga Ægypti; Moses enim igneum cinerem e camino ardenti acceptum projiciens in aerem, per eum producebat ulcera in Ægyptiis, *Exodi* IX, 8. Grando fuit septima plaga Ægypti, ibidem vers. 18. Fames fuit nona; nam locustæ immissæ a Deo depastæ omnes segetes et gramina, induxerunt famem Ægypto, *Exodi* cap. X, 4 et 5. Mors primogenitorum tam hominum quam animalium, fuit decima plaga Ægypti, *Exodi* XI, 5. Eadem sæpe aliis sæculis impiis immisit Deus, et etiamnum sæpe immittit. Mors enim præmatura hic intelligitur, vel pestis sive mortalitas.

Tertium genus vindicum, sunt bestiæ et feræ, puta leones, lupi, ursi, pardi, etc., item scorpii, serpentes, et gladius hostilis, quæ omnia Deus immisit impiis Hebræis ob rebelliones, murmura, idololatriam, aliaque scelera eorum in deserto. Unde et ea comminatus illis fuerat Moses, *Deuter.* XXXII, verbis paulo ante citatis, et *Ezechiel.* cap. V, 17, et cap. XIV, 21, ubi hasce omnes plagas ad quatuor revocat : « Si quatuor, inquit, judicia mea pessima, gladium, et famem, ac bestias malas, et pestilentiam, immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus. » Quocirca Syrus vertit : *Ignis, et grando, et lapides mortis, omnia hæc ad judicium creata sunt : bestiæ, et scorpiones, et serpentes, gladius vindictæ ad perdendum impios.*

Porro hæc flagella immittit Deus impiis non tantum in hac vita, sed et eadem, vel illis similia, immittit damnatis in gehenna. Licet enim Lyranus et Dionysius censeant solum ignem esse formaliter in gehenna, qui virtutem habeat cruciandi eos, ut gladius, scorpii, serpentes, etc.; tamen alii probabiliter censent etiam alia ibi formaliter fore, quibus damnati crucientur, idque insinuat hic Siracides, æque ac cap. VII, 19, uti ibidem ostendi. Idem confirmant apparitiones damnatorum, revelationes et visiones Sanctis exhibitæ, quas recenset Venerabilis Beda et alii.

Favet B. Petrus Damianus, serm. *De S. Nicolao,* In

na non ignis, sed et alia tormenta.

ubi de pœnis inferni sic ait : « Ille est ignis, qui non succenditur; vermis, qui non moritur : frigus horrendum. » Et inferius : « Ibi alternantia mala impios sine fine discerpunt. » Sequitur S. Thomas, in IV, dist. 50, *Quæst.* II, art. 3, quæstiunc. 1, ubi in corpore dicit damnatos non solum pœnam ignis, sed et plures alias sentire. Et Paludanus ac Durandus ibidem affirmant non solum ignem, sed etiam omnia elementa fore instrumenta divinæ justitiæ ad torquendos damnatos. Sic et S. Bonaventura, in IV, dist. 44, part. II, *Quæst.* II, docet non solum ignem, sed et omnia elementa cruciare damnatos, ut injurias sui creatoris ulciscantur, ac concludens ad 4, ait : « Unde ibi erit ignis ardens, et aqua congelans, et aeris inquietudo et perturbatio, et terræ fœtor. Unde S. Gregorius : In inferno erit frigus importabile, ignis inexstinguibilis, fœtor intolerabilis. » Hæc S. Bonaventura. Idem docet Richardus, in IV, dist. 44, art. 10, probatque ex *Sapient.* cap. VI, 21, et *Job* cap. XXIV, 19 : « Ad nimium, inquit, calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius. »

Denique Franciscus Suarez, tract. *De Angelis*, lib. VIII, cap. XII, num. 29 : Sane, inquit, verisimillimum est, quod D. Thomas supra in IV, dixit, post diem judicii plura futura esse corpora in inferno, quæ crucient damnatos homines in eorum corporibus. Quia purgato hoc sublunari mundo per ignem conflagrationis, omnia illius excrementa et corpora putida, ac male olentia in locum inferni congregabuntur. Et fortasse ex speciali Dei ordinatione multa denuo fient, ut loci horrorem et fœtorem augeant. Et ita multa recensentur a Patribus citatis, præsertim a Cyrillo Alexandrino in oratione *De Exitu animarum*. Semper tamen est differentia, quia pœna ignis est quasi essentialis inter pœnas sensus; aliæ sunt accidentales. Et ideo in tormento ignis non credo esse vicissitudinem aut cessationem aliquam, sed perpetuitatem in eodem statu et intensione. In aliis autem erit fortasse aliqua mutatio pro locorum varietate, vel per aliam occasionem nobis ignotam. An vero ibi futura sit nix vel aqua, et similia corpora igni contraria, magis incertum est propter repugnantiam, quanquam Deus facile possit omnia componere si voluerit.

Nota : « Ignis, grando, etc., ad vindictam impiorum creata sunt; non quod hic fuerit primarius finis creationis eorum, ut censuit Origenes, Deum, scilicet, ea condidisse, ut per ea puniret peccata animarum commissa ante earum incorporationem; sed quia ex malitia hominum in hunc usum convertuntur et assumuntur a Deo, et ideo ad iniquorum terrorem, dicuntur ad illum effectum creata. Et ita respondet Manichæis S. Ambrosius, III *Hexaem.* cap. IX, et S. Augustinus, lib. *De Genesi Manich.* cap. XVI, ac ex iis Franciscus Suarez, lib. I *De Opere sex dierum*, cap. I, num. 16.

Adde subinde primario et per se hæc a Deo creari ad vindictam impiorum, ut cum ignem gehennæ creavit ad cruciandos damnatos; cum grandinem, ciniphes, locustas, pestem, aliasque plagas produxit, ut eas infligeret Pharaoni et Ægyptiis. Sic et hodie sæpe producit procellas, grandines, fulmina, locustas, pestes, etc., hoc solo fine, ut castiget peccata hominum.

Denique apte sic puniuntur peccatores ob peccata. « Ignis » nimirum castigat et punit eorum luxuriam et voluptates sensuum, quibus contra Deum Deique legem indulserunt. « Grando » sternit eorum fastum et superbiam. « Fames » cruciat eorum gulam et crapulam. « Mors » debetur eorum vitæ impiæ et scelestæ. « Bestiarum dentes » congrue puniunt eorum violentiam et tyrannidem, qua pios pauperesque oppresserunt, et quasi dentibus suis devorarunt. « Scorpius » plectit eorum noxas, pugnas, verbera et cædes. « Serpentes, » vel, ut græce est, viperæ, eorum virulentiam, invidiam, malignitatem ac parricidia, quibus contra Deum, angelos, parentes, cognatos, amicos ingrate et nequiter insurrexerunt, eisque mortem aliaque mala machinati sunt. Viperæ enim, quia nascendo perhibentur enecare matrem, fuere olim pœna et tortores parricidarum. « Rhomphæa » corpus perpetim transfigens, lanians, discindens, facit ut mortem æternam jugiter patiantur, nec tamen emoriantur, uti optant, nunquamque sint mortui, sed continuæ et æternæ morti ac gehennæ, tanquam pabulum perenne reserventur et alantur. Vide hic quantum malum sit peccatum, quod tantas pœnas meretur, nec tamen iis expiari potest, sed perpetim durat, ideoque perpetim cruciatur. Dum ergo peccatum te ad se invitat, intuere hosce ejus comites et satellites, qui te illico invadent, ideoque fuge a peccato quasi a facie colubri. Sapienter S. Augustinus, serm. 250 *De Tempore* : « Libidinis, ait, momentum, æternum parit animæ infelici opprobrium et tormentum. »

37. IN MANDATIS EJUS EPULABUNTUR, ET SUPER TERRAM IN NECESSITATEM PRÆPARABUNTUR, ET IN TEMPORIBUS SUIS NON PRÆTERIENT VERBUM. — Tria dicit de plagis jam recensitis. *Primum*, quod « in mandatis » Dei, quibus Deus ea mittit ad peragendam vindictam impiorum, « epulabuntur, » græce εὐφρανθήσονται, id est gaudebunt, exsultabunt : tum proprie; nam serpentes, bestiæ, scorpii gaudent cum pascuntur carnibus occisorum, quasi epulis sibi gratis et delicatis, uti gaudent vermes, lumbrici, bufones, cum pingues carnes hominum, qui in vita gulæ et luxuriæ vacaverunt, depascuntur : tum metaphorice, quia omnia animalia omnesque plagæ, quasi creaturæ Dei, naturali appetitu quasi delectantur et gaudent, perinde ac si laute epularentur, quod obsequuntur creatoris sui voluntati et vindictæ. Sic sæpe alibi per prosopopœiam gaudium tribuitur rebus inanimis vel irrationalibus. *Secundum*, quod « in Vers. 37.

necessitatem » a Deo « præparentur : » ut scilicet cum necesse fuerit eis uti ad ulciscendum scelera, illico ad id parata sint, seque quasi lictores Deo judici sistant. Ita pestis stitit se Deo ad puniendum David, quod contra Dei voluntatem numerasset populum, I *Paral.* XXI. Et mors se stitit Deo ad occidendum Philistæos, quod aream Dei detinerent; et Bethsamitas, quod eam intuiti essent, I *Reg.* cap. V, 19. Pro *in necessitatem* legit cum Romanis εἰς χρείας; jam Complutensia legunt εἰς χεῖρας, id est *in manus*, ut scilicet Deo ad manum sint. Rursum pro *in mandatis* cum Romanis legit ἐντολῇ, jam Complutensia legunt ἐν ἀνατολῇ, id est *in ortu*.

Tertium, quod stato tempore jussa Dei exsequentur adamussim, nec latum unguem ab iis recedent, sed præcise et punctim ea opere perficient. Hominum, etiam judicum et principum, jussa sæpe detrectant milites, lictores, feræ, gladii, ut cum olim tyranni in B. Theclam et Martyres immitterent leones, tigrides, serpentes, qui Martyrum pedes venerando osculabantur et lingebant. At Dei jussa efficacia nullus est qui detrectet, aut detrectare valeat. Unde Tigurina vertit : *Gaudent imperio ejus, et accingunt se in terra ubi opus est, nec jussa temporibus suis prætereunt;* alii : *Præcepto ejus lætantur, et in terra ad necessarios usus præparantur, et suis temporibus non transgrediuntur sermonem;* Syrus : *In tempore quo præcipit eis lætantur, et in omnibus diebus suis non resistunt verbo ejus, quia ab initio creata sunt.*

Vers. 38. 38. PROPTEREA AB INITIO CONFIRMATUS SUM, ET CONSILIATUS SUM, ET COGITAVI, ET SCRIPTA DIMISI. — Quia, inquit, sic se res habet, ut dixi, nempe quod omnia opera ejus summæ sunt potentiæ et benignitatis erga bonos, justitiæ et severitatis erga malos; ideo « ab initio » atque jam pridem et firmiter apud me ita esse statui, et meditata mente ita esse cognovi, ideoque et reliqui scripta ea, quæ modo dixi, verba; quæ et repeto, ut quæ maxime inculcata esse velim, et quæ summum dictorum continent; nempe quod omnia opera Domini sint bona, etc. Pro duobus illis, *consiliatus sum* et *cogitavi*, unum est verbum διενοήθην, quod jam aliquoties vertit *consiliari* pro meditari et cognoscere. Pro *scripta dimisi*, græce est ἐν γραφῇ ἀφῆκα, hoc est, in scriptura reliqui, scilicet quod sequitur, et præcedentis carminis fuit principium, inquit Jansenius. Unde Græca habent : *Propterea ab initio firmatus sum, et meditatus sum, vel cogitavi, et in scriptura reliqui.* Tigurina : *Quapropter confirmatus jam inde ab initio, meditatus sum hæc, scriptisque mandavi.*

Vers. 39. 39. OMNIA OPERA DOMINI BONA, ET OMNE OPUS HORA SUA SUBMINISTRABIT. — Ita legendum cum Romanis, non *subministravit*, *q. d.* Omnia opera Dei sunt bona, quia ipse quodlibet opus necessarium vel utile subministrat, et exhibet in suo tempore et hora, cum scilicet est opportunum, resque ipsa exigit. Unde Græca habent : *Omnia opera Domini bona, et omnem usum in tempore suo præbebunt;* Tigurina : *Opera Domini bona sunt omnia, ipseque suo tempore subministrat quæcumque postulat necessitas;* alii : *Et quæcumque necessaria suo tempore suppeditabit.* Ut, v. g. Esto Deus ad tempus differat pluviam, hominesque imperiti censeant eam nimis diu differri; tamen suo tempore, quod ipse in sua sapientia videt esse aptissimum, si non huic vel illi loco, certe toti universo juxta æternas providentiæ suæ rationes et dispositiones, eamdem exhibebit.

Vers. 40. 40. NON EST DICERE : HOC ILLO NEQUIUS EST : OMNIA ENIM IN TEMPORE SUO COMPROBABUNTUR, — *q. d.* Deus nihil fecit nequam, id est malum et reprehensibile, sed omnia bona et laudabilia. Quare non licet dicere : Hoc illo pejus est, cum omnia sint bona; ac licet id hominibus rudibus vel cupidis non videatur, tamen « suo tempore » illa « comprobabuntur, » scilicet non esse nequam et mala, sed bona et utilia, v. g. quod pii hic affligantur, impii prosperentur, ditescant et exaltentur, videtur hominibus malum; at in die judicii Deus ostendet optime se id fecisse, optimasque ad id faciendum rationes habuisse. Unde Tigurina vertit : *Non est dicere : Hoc illo pejus est, nam omnia suo tempore laudem inveniunt.* Nemo ergo dicat : Nostra tempora pejora sunt prioribus, quia miseriora ob bella, famem, pestem, etc. Deus siquidem suo tempore ostendet omnia fuisse optima et probatissima, optimeque per suas ætates, dies et horas a se disposita. Præclare Boetius, lib. IV. *De Consolat.* : « Sola, inquit, est divina vis, cui mala quoque bona sunt, cum eis competenter utendo alicujus boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur; ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in alium, tamen in ordinem relabatur; ne quid in regno providentiæ liceat temeritati. » Soli Deo mala bona sunt.

Vers. 41. 41. ET NUNC IN OMNI (id est toto : ponitur totum universale pro toto integro, per metonymiam) CORDE ET ORE COLLAUDATE, ET BENEDICITE NOMEN DOMINI. — *Et* idem est quod *igitur*, *q. d.* Igitur nunc auditis tot encomiis Dei, ac divinæ sapientiæ, bonitatis et justitiæ; toto corde, toto scilicet animi affectu et spiritu, indeque toto ore collaudate et celebrate nomen Domini, hoc est ipsum Dominum sapientissimum, optimum, justissimum, etc. Ita Tigurina. Ipse enim est absolutus tuus rerumque omnium Dominus, imo Rex regum et Dominus dominantium. Unde S. Bernardus in *Sententiis* : « Ecce, ait, in januis est qui fecit cœlum et terram; etiam creator tuus est, tu creatura; tu servus, ille dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, illi præcipue Domino, qui te et fecit et benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fecunditatem terræ, fructuum ubertatem, » etc. Porro Syrus totum hunc locum a vers. 38 hucusque sic reddit : *Intelligite, filii hominum, quia in scriptura scripta sunt omnia hæc,*

et omnia opera ejus bona, et universa pro tempore suo creata sunt, et non est qui dicat, quia hoc melius est illo; quia omnia collecta sunt in thesauris ejus, et in instanti temporis eorum confirmantur. Itaque in toto corde vestro benedicite Deum, et laudate nomen ejus.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit grave jugum ærumnarum hujus vitæ ex peccato ortum. Secundo, vers. 19, per varias et elegantes gradationes docet, quæ aliis sint potiora et præeligenda. Tertio, vers 29, agit de fugienda inopia.

1. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium. 2. Cogitationes eorum, et timores cordis, adinventio exspectationis, et dies finitionis : 3. a residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatum in terra et cinere : 4. ab eo qui utitur hyacintho, et portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo : furor, zelus, tumultus, fluctuatio, et timor mortis, iracundia perseverans, et contentio, 5. et in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam ejus. 6. Modicum tanquam nihil in requie, et ab eo in somnis, quasi in die respectus. 7. Conturbatus est in visu cordis sui, tanquam qui evaserit in die belli. In tempore salutis suæ exsurrexit, et admirans ad nullum timorem : 8. cum omni carne, ab homine usque ad pecus, et super peccatores septuplum. 9. Ad hæc mors, sanguis, contentio, et rhomphæa, oppressiones, fames, et contritio, et flagella : 10. super iniquos creata sunt hæc omnia, et propter illos factus est cataclysmus. 11. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur, et omnes aquæ in mare revertentur. 12. Omne munus et iniquitas delebitur, et fides in sæculum stabit. 13. Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, et sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt. 14. In aperiendo manus suas lætabitur : sic prævaricatores in consummatione tabescent. 15. Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, et radices immundæ super cacumen petræ sonant. 16. Super omnem aquam viriditas, et ad oram fluminis ante omne fenum evelletur. 17. Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet. 18. Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, et in ea invenies thesaurum. 19. Filii, et ædificatio civitatis confirmabit nomen, et super hæc mulier immaculata computabitur. 20. Vinum et musica lætificant cor : et super utraque dilectio sapientiæ. 21. Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis. 22. Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus, et super hæc virides sationes. 23. Amicus et sodalis in tempore convenientes, et super utrosque mulier cum viro. 24. Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, et super eos misericordia liberabit. 25. Aurum et argentum est constitutio pedum : et super utrumque consilium beneplacitum. 26. Facultates et virtutes exaltant cor, et super hæc timor Domini. 27. Non est in timore Domini minoratio, et non est in eo inquirere adjutorium. 28. Timor Domini sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum. 29. Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas : melius est enim mori, quam indigere. 30. Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione victus : alit enim animam suam cibis alienis. 31. Vir autem disciplinatus et eruditus custodiet se. 32. In ore imprudentis condulcabitur inopia, et in ventre ejus ignis ardebit.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. OCCUPATIO MAGNA CREATA EST OMNIBUS HOMINIBUS, ET JUGUM GRAVE SUPER FILIOS ADAM, A DIE EXITUS DE VENTRE MATRIS EORUM, USQUE IN DIEM SEPULTURÆ, IN MATREM OMNIUM, — scilicet dum orimur,

morimur, id est mori incipimus, et ad mortem tendimus : « In terra orimur, in terra morimur, revertentes in eam unde sumus assumpti, » ait S. Bernardus in *Festo S. Martini*. Quocirca S. Gregorius, lib. XI, epist. 26 *ad Rusticiam* : « Ego, ait, in tanto gemitu et occupationibus vivo, ut ad dies quos ago, me pervenisse pœniteat, solaque mihi consolatio sit mortis exspectatio. Unde peto ut pro me debeatis orare, quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis laboribus diutius torquear. » Capite præcedenti descripsit Dei magnificentiam, potentiam, clementiam in pios, severitatem in impios, ut eam proni colamus et veneremur; jam apte subnectit considerationem miseriæ et fragilitatis humanæ, ut eam considerans homo sub Deo suo se magis humiliet, ejusque opem et gratiam efflagitet. Ita Lyranus. Solet Siracides combinare opposita et contraria, ac ab uno transire ad aliud; quia contraria juxta se posita magis elucescunt. Sic hic a contemplatione majestatis divinæ transit ad contemplationem infelicitatis humanæ, ut homo miser utramque contemplans, dicat cum Psalte : « Abyssus » meæ miseriæ, « abyssum » divinæ misericordiæ « invocat, » et cum S. Francisco : « Quis tu, Domine, quis ego? » Tu abyssus sapientiæ, bonitatis, potentiæ et bonorum omnium : ego abyssus ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, et malorum omnium. Exaggerat ergo hominum miserias, ut pii discant eas patienter et fortiter ferre, utpote omnibus hominibus communes, ac in pœnam peccati originalis, quod ab Adamo omnes contrahimus, omnibus impositas (pœnitentia enim peccatori a Deo imposita patienter ferenda est, ut culpam luat et diluat), præsertim quia illa magis tangunt impios, ut præ illis pii felices et beati esse videantur.

Occupatio pro molestia.

Pro *occupatio*, græce est ασχολία, id est molestia, inquietudo, ærumnæ, *magna*; tum gravitate tum multitudine, tum amplitudine, quia ad omnes se extendit; tum duratione, quia per omnem vitam porrigitur. Pro *sepulturæ* legit cum Romanis ἐπιταφῆς, jam Complutensia legunt ἐπιστροφῆς, id est *reversionis*. « Matrem omnium » vocat terram; terra enim est mater omnium viventium, atque ex illa primitus a Deo formatus homo, *Genes.* II, moriens iterum in eam revertitur. Ita S. Gregorius, II *Moral.* XI : « Quia vero, ait, nos omnes terra genuit, hinc non immerito matrem vocamus. Unde scriptum est : Grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque ad diem sepulturæ omnium. » Hinc Junius Brutus, duobus Tarquinii filiis oraculum Apollinis Delphici consulentibus, quisnam ex ipsis Romæ regnaturus esset, audiensque eum regnaturum, qui ante omnes matri osculum dedisset, illico in terram procumbens, eamque osculans primus Romæ consul creatus est. Ita Valerius Maximus, lib. VII, cap. III. Hoc facit ad consolationem mortalium in morte, quod per eam redeant ad communem matrem, puta terram, ex qua prodierunt. Quæque enim res gaudet ad suum redire principium, æque ac filius ad suam matrem.

Sensus ergo est, *q. d.* Molestia magna creata, id est destinata et deputata est omnibus hominibus, etiam parvulis et innocentibus : « ac jugum, » id est onus et pondus, « grave, » multiplicium magnarumque ærumnarum, « super filios Adam, » ad puniendum primum Adæ peccatum, quod ipse ad posteros omnes propagine vitiata et damnata transmisit, idque a primo die quo de ventre matris in hunc mundum prodeunt, usque in diem ultimum quo moriuntur, et sepeliuntur, ut in terram ex qua a Deo formati sunt redeant. Une Tigurina vertit : *Molestia magna cuique homini destinata est, et grave jugum posteris Adami, jam inde a die quo matris utero emerserunt, usque ad eum quo communi omnium matre conduntur*; Arabicus : *Jam creavit multa et genera plurima, et devinxit homines ex quo geniti sunt in ventre matrum suarum, donec revertantur in viam vitæ*; Syrus : *Res magnas creavit Deus, et genera valida super filios hominum, a die quo egressi sunt de ventre matris eorum, usque dum recumbant in terra viventium, laus eorum, et cogitatio cordis eorum, et finis verborum eorum, usque ad diem mortis eorum.*

Jugum Adæ quotuplex.

« Jugum » hoc ergo pœnarum et ærumnarum intellige, sub quibus omnes assidue per totam vitam suspiramus et gemimus. S. Augustinus tamen, lib. V *Hypognost.* (vel quisquis est Auctor; hic enim liber non habet phrasim S. Augustini, neque a Possidonio, vel Beda, vel alio vetere citatur nomine S. Augustini), per « jugum » accipit ipsum peccatum originale; jugum enim culpæ secum traxit jugum omnis pœnæ. Additque illud apte vocari « jugum, » eo quod ex duobus, Adame scilicet et Eva, illud trahamus, sicut jugum boum a duobus trahitur. Sane plenior erit sensus, si utrumque jugum hic accipias, explicesque ipsum esse peccatum cum sua prole et prosapia, puta cum suis effectibus et pœnis; peccato enim proprie videtur convenire, vers. 2, 5 et 9. Sed audi S. Augustinum : « Quod est hoc grave jugum nisi peccatum? Et quare est dictum jugum, nisi quia ex duobus, Adam et Eva, veniat; vel duorum premat et conterat colla, id est masculi et feminæ, malorum videlicet atque impiorum, quia in utroque sexu jugum sunt. Ideo ait generaliter : Grave jugum super filios Adam. Dicendo ergo, super filios, ætates non discrevit vel sexus; et comparando jugum peccato, propter Christum, qui ut cæteri, ex usu conjugatorum natus non est, omnes cæteros esse peccatores æquavit. Hoc jugo, id est originali peccato, revincti majores atque minores, vitio ex ipso orti, tanquam aratrum trahimus, quamdiu sumus in mortis corpore : cujus cupiditatis vomere proscinditur, hoc est corrumpitur, terra nostra. Propter quod in libro Sapientiæ dictum puto : Corpus autem quod corrumpitur, aggravat animam. A cujus jugi la-

bore et onere, vel aratri corruptione ut requiescat, nemo solvitur propria voluntate et potestate, nisi ab illo juste judicante et indebite miserente, qui ait : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. »

Atque ex hoc loco probat, parvulos ex Adamo contrahere peccatum originale; quia hoc jugum Adæ etiam parvulis incubat : « Dum multis, inquit, ærumnarum generibus affliguntur, et in his omnibus, cum quid patiantur, hoc dicere non possint; tamen pœnis se cruciari variis quodammodo loquuntur, cum aculeo puncti dolorum confusos vocum ejulatus emittunt. Qui si minime stimulo peccati protoplastorum percussi, ex quorum peccatrice carne peccati caro sunt, patiuntur secundum errorem vestrum, Deus qui talem facit naturam, ut pœnalibus anima passionibus connexetur, crudelis est, aut certe injustus, ut innocentiam sanctam, et nullius penitus erroris obnoxiam, tantis permittat urgeri periculis, et in ipsis nonnunquam vita privari. Quod nisi eos peccati originalis causa pati credideritis, sine dubio Deum, qui valde bona omnia fecit, arguitis. »

Hoc jugum Deus intentavit Adæ post peccatum, omnibusque in eo posteris, dicens, *Gen.* III, 17 : « Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Unde bene dicitur jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum positum esse, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, » inquit Rabanus. Qui et addit : « Huic ergo loco simile est illud, quod in Job scriptum est : Militia est vita hominum super terram. Quietus homo possidere carnem potuit, si bene ab auctore conditus, possidere voluisset; cumque se erigere contra conditorem studuit, in semetipso protinus carnis contumeliam invenit; sed quia cum culpa simul ab origine etiam pœna propagatur, inserto infirmitatis vitio nascimur, et quasi nobiscum hostem deducimus, quem cum labore superemus. Ipsa ergo hominis vita tentatio est; cui ex semetipsa nascitur, unde perimatur; quæ etsi semper ex virtute succiderit quod ex infirmitate generat, semper tamen ex infirmitate generat quod ex virtute succidat. Sic itaque humana vita tentatio est, ut, etsi jam ab iniquitatis perpetratione compescitur, in ipsis tamen bonis operibus, modo malorum memoria, modo seductionis caligine, de intentionis suæ interruptione fuscetur. » Audi S. Bernardum, serm. 2 in *Septuagesima* : « Grave, inquit, jugum super filios Adam; non autem in principio super Adam, sed nunc jam super filios ejus. Quid non grave miseris, quibus et vivere labor est? Quibus et (quod pauci videntur advertere, sentire penitus nemo) ipse quoque sensualitatis usus invenitur oneri, adeo ut nequeat sustineri, nisi alternæ requie foveamur. Quid non labor et dolor, afflictio spiritus ex omnibus quæ sub sole sunt, quando et illud ei gravissimum est quo potissimum delectatur, vegetatio scilicet et sensificatio carnis? Nimirum quam sit ei dulce consortium, triste divortium manifestat, dum vix tandem avelli potest, cum corruptio ipsa corporis penitus intolerabilis est vegetanti. Sane non simpliciter corpus, sed corpus quod corrumpitur, aggravat animam, ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noveris exstitisse, donec adhuc corpus gereret incorruptum. » Hinc et Gelasius Papa, epist. 1 *Contra Pelagianos*, probat parvulos nasci cum peccato originali, omnesque homines egere gratia Christi, ut hoc jugo Adæ liberentur : « Grave jugum, inquit, super filios Adam, a die exitus de ventre matris, etc., de qua (captivitate jugi) non nisi solus Dominus noster Jesus Christus commercio suæ redemit passionis, et mutata nativitate nos eruit. Solus utique venit quærere et salvare quod perierat, ut libertas, quæ per temeritatem fuerat dejecta superbiam, instauretur reparata per gratiam; mutuaque vice humanæ voluntatis arbitrium, sicut sequendo diabolum, captivitatem meruerat sempiternam, sic reformatæ subsequendo libertatis auctorem, amissum rediret ad præmium. Hinc est quod ipse Dominus ait : Cum vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. »

Jugum Adæ quanta complecatur.

Igitur hoc jugum complectitur omnes omnium hominum infirmitates, indigentias, dolores, mœrores, curas, angores, labores, contradictiones, persecutiones, fastidia, injurias, rapinas, cædes, tentationes; quin et ipsas concupiscentias ac voluptates (unde Urbanus IV Pontifex, *Metaphrasi in Psalm.* I, sub medium : « Jugum hoc, inquit, concupiscentia est : » hæ enim innumeras molestias et afflictiones secum afferunt, ut vita hominis non aliud esse videatur, quam longa et perpetua mors; ac merito quisque condolens animæ suæ, dicat illud Epicteti : « Animula es, quæ cadaver gestas. » O jugum grave, o molestum onus corpus originali macula infectum, quod insidet cervicibus omnium filiorum Adæ, a primo die, quo lucis hujus usum accipiunt, usque ad diem quo mortali vitæ valedicunt! Imo hoc jugum miseram animam ab ipso suæ creationis momento incipit premere, a cœlestibus avocare, ad terrena degravare, et ad concupiscibilia, prava, vilissimaque inclinare. Anima igitur in corpore velut in ergastulo inclusa tenetur, et membris quasi compedibus prægravatur. Corpus enim animæ est pro nebula, quæ illam cœlum et cœlestia clare intueri non sinit; est ei pro illecebra, quæ ad malum lege Dei vetitum pertrahit; est ei pro catena, quæ eam affi-

Corpus est carcer, et catena animæ

tuum pennis ad Deum evolare non permittit, juxta illud *Sap.* IX, 15 : « Corpus quod corrumpitur, aggravat animam; » sed amore, non mole, ait S. Bernardus, serm. 81 *in Cant.*

Graphice hoc jugum depingit S. Job, cap. XIV, et ibi S. Gregorius, lib. XI *Moral.* cap. XXVI; S. Augustinus, in *Soliloquio animæ*, cap. II; S. Hieronymus, epist. 139 *ad Cyprianum*, in exposit. *Psalm.* LXXXIX, et S. Bernardus, lib. *Meditat.* cap. III, et lib. II *De Consider. ad Eugen.* cap. V et IX; Auctor sermonum *ad Fratres in Eremo* apud S. Augustinum, tom. X, serm. 65, denique simpliciter, sed vere et nervose noster Thomas Θεοδιδάκτος, *De Imitat. Christi*, lib. I, cap. XXII, et lib. III, cap. LIII. Vide Bellarminum, lib. VI *De Amissione gratiæ*, cap. XV, ubi decem miserias, quasi pœnas humanæ naturæ ob peccatum originale inflictas, recenset : *prima*, est ignorantia in mente; *secunda*, malitia in voluntate; *tertia*, concupiscentia; *quarta*, calamitas, labor et dolor in corpore; *quinta*, mors; *sexta*, ira Dei; *septima*, captivitas sub diabolo; *octava*, lites, rixæ, seditiones et bella; *nona*, inimicitia et rebellio bestiarum; *decima*, omnia mala quæ a cœlo, terra, mari vel ante prævisa, vel omnino inopinata hominibus accidunt. Atque hæc omnia censet significasse Ecclesiasticum cum dixit : « Grave jugum super filios Adæ, » etc. Quibus de causis plerique veterum Ethnicorum ita humanæ vitæ miserias deflent, ut vel naturam quasi novercam accusent, vel per has miserias puniri peccata animarum in alia vita commissa suspicentur. Unde S. Augustinus, lib. IV *Contra Julian.* cap. XII, ait eos rem vidisse, causam ignorasse. Vide Ethnicorum hac de re gnomas apud Theodoretum, lib. V *De Curand. Græcor. affect.* sub initium, et S. Augustinum, lib. IV *Contra Julian.* cap. XII, XIII, XIV, XV.

Decem pœnæ peccati originalis.

Moraliter, hinc collige quid, quale, quantum sit peccatum, quanta ejus malitia. Nam unum Adæ peccatum hoc miseriarum jugum non tantum illi, sed et posteris omnibus, innumeris, inquam, hominum millionibus, induxit, inducit et inducet usque ad finem mundi. Si Deus peccatum alienum, puta Adæ, ita punit in filiis, quomodo puniet propria singulorum? si unam Adæ inobedientiam ita castigat in parvulis innocentibus, imo in justificatis et sanctis in hac vita, quomodo castigabit tot libidines, invidias, cædes, hæreses, quas reprobi quotidie accumulant, in gehenna? Ad hoc jugum tolerandum magna opus est pœnitentia et patientia; hæc enim plane illud lenit. Nam, ut ait Boetius, lib. II *De Consol.* : « Nihil est miserum nisi cum putes, contraque beata sors omnis est æquanimitas tolerantis. »

Vers. 2. 2. COGITATIONES EORUM, ET TIMORES CORDIS, ADINVENTIO EXSPECTATIONIS, ET DIES FINITIONIS. — A thesi descendit ad hypothesim; particulatim enim explicat occupationem, et jugum grave posterorum Adæ, quod proposuit vers. 1, *q. d.* Occupatio illa et jugum grave filiorum Adæ, sunt *primo*, « cogitationes eorum, » quibus animum distrahunt et discruciant, ut bona hujus vitæ sibi accersant, mala vero omnia avertant; ex quibus sequuntur *secundo*, « timores » varii cor coarctantes, ne forte bona, quæ appetunt, non assequantur, et in mala, quæ aversantur, incurrant; *tertio*, « adinventio exspectationis, » id est adinventa et excogitata imaginatio imminentium bonorum vel malorum, quasi ipsa illos, aut potius illi ipsa, exspectent. Græce est ἐπίνοια προσδοκίας, id est *imaginatio exspectationis*, puta rerum deinceps exspectandarum; exspectatio enim et spes rei desideratæ graviter diuque desiderantem affligit et torquet. Romani vertunt, *consideratio exspectationis*; alii, *commentum exspectationis*; sæpe enim spes revera non est spes, sed commentum spei, quod scilicet homo sibi comminiscitur, et in mente fingit et pingit. Idem dico de timore. *Quarto*, « dies finitionis, » id est dies obitus et mortis, quo finitur hæc vita, omneque ejus gaudium et voluptas. Unde Tigurina vertit : *Cogitationes eorum dico, metumque animi, tum rerum exspectandarum imaginationes, et diem obitus.* Porro mirum est quam imaginationes hominem torqueant, etiam rerum vanarum et nunquam futurarum. Sic legimus ex imaginatione alios amentes esse factos, alios canos, alios mortuos. Qui ergo sapit, illas a se amoveat, aut certe compescat alioque inflectat. Imaginatur ille et exspectat prælaturam, hic beneficium, alius hæreditatem, alius locuples matrimonium. Tota fere vita nobis exspectando dilabitur, ait Palacius, vivimus et pascimur ut chamæleontes aura spei, reipsa nunquam fruituri. Quanta sit imaginationis vis, docet Galenus, lib. III *De Interioribus*, sive *De Affectis locis*, et Rhodiginus, lib. XVII *Variar. lect.* cap. II.

Vers. 3 et 4. 3 et 4. A RESIDENTE SUPER SEDEM GLORIOSAM, USQUE AD HUMILIATUM IN TERRA ET CINERE : AB EO QUI UTITUR HYACINTHO, ET PORTAT CORONAM, USQUE AD EUM QUI OPERITUR LINO CRUDO, — *q. d.* Ærumnæ hujus vitæ jam recensitæ sunt communes omnibus, tam summis quam imis, adeoque incipiunt a residente super sedem gloriosam, puta a Pontifice et Imperatore, indeque per omnes medios descendunt usque ad infimos, qui humiles et abjecti sedent in terra et cinere. Rursum incipiunt « ab eo qui utitur hyacintho, » id est veste hyacinthina (hac enim olim utebantur reges et principes, uti dixi *Ezech.* XVI, 10), puta a rege et principe, qui gestat coronam et diadema, usque ad vilissimum et pauperrimum, qui vestitur veste e « lino crudo, » id est recenti, rudi, grosso, duro (sic Hippocrates, Galenus, Aetius probant frictiones ex lino crudo, quod Græci ὠμόλινον vocant), quæ proinde signum est extremæ paupertatis; adeo ut nec regi parcatur propter sublimitatem, nec imus evadat aut prætereatur propter suam vilitatem. Unde Tigurina : *Ab eo qui in solio sedet cum majestate, usque ad eum qui humi recumbit et in pulvere : et ab eo qui gestat hyacinthina et coro-*

nam, usque ad eum qui humi recumbit in lino crudo, juxta illud Poetæ :

> Pallida Mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
> Regumque turres...

Syrus : *A sedentibus in sedibus regiis usque ad sedentes in terra et cinere, et a gestantibus diadema usque ad eos qui induti sunt veste paupertatis.*

Incipit a Pontificibus et regibus, quia majorum majores sunt curæ et molestiæ, ac maximorum maximæ. Sapiebat hoc Adrianus VI, sapiens sanctusque Pontifex, dum diceret : « Pontificiam sedem spinosam esse, iter undique obsitum sentibus. » Proinde in ejus sepulcro Romæ inscriptum legimus : « Adrianus VI hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit. » Sapuit idem nuper Philippus III, Hispaniarum rex, cujus hæc cycnea fuit in morte vox : « Ad nihil aliud confert esse regem, quam ut in morte pœniteat fuisse, » uti ipsum pœnituit. Hasce regum ærumnas graphice recenset Lucianus in suo illo somnio, quo Gallum divitem Mycillo pauperi suam quietem invidentem, potentiumque ægritudines enarrantem inducit : « Metus, inquit, curæ mordaces, suspiciones, odium, quo regem persequuntur ii qui cum illo vivunt, insidiæ, atque eas ob res somnus rarus, et hic ipse pertenuis, et plena tumultus insomnia, cogitationes perplexæ, spes semper improbæ, ac otii penuria, et occupationes, judicia, expeditiones, edicta, fœdera, consultationes : quibus rebus fit, ut ne per somnium quidem aliqua re suavi frui liceat. Verum ut omnibus de rebus solus despiciat necesse est, milleque negotia sustineat. »

Regum maximæ molestiæ.

> Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat
> Somnus; multigenas versantem pectore curas :

Idque cum reliqui omnes Achivi sterterent.

Vers. 4 et 5. 4 et 5. FUROR, ZELUS, TUMULTUS, FLUCTUATIO, ET TIMOR MORTIS, IRACUNDIA PERSEVERANS, ET CONTENTIO, ET IN TEMPORE REFECTIONIS IN CUBILI SOMNUS NOCTIS IMMUTAT SCIENTIAM EJUS. — « Tempus refectionis » vocat, non tempus comestionis, sed tempus quietis (hanc enim significat Græca vox ἀναπαύσεως), quo per somnum reficiendi et restaurandi sunt spiritus animales et vitales, pervigiliam et laborem fessi vel exhausti, *q. d.* Non tantum in vigilia per diem, sed etiam tempore nocturnæ quietis, quo per eam reficienda sunt membra, ipse somnus sæpe vexat et perturbat scientiam et imaginationem hominis. Suggerit enim ei somnia et phantasmata, quæ eum vel ingenti metu percellunt, vel magna spe inflant, vel magno amore, ira aut odio concitant. Unde Syrus vertit : *Et in tempore quo quiescunt in stratis suis in tempore noctis.* Sic pariter, et magis, per diem « scientiam, » id est mentem, cognitionem et affectum hominis « immutat, » et quasi dementat : *primo*, « furor, » græce θυμός, id est indignatio, excandescentia : hæc enim facit, ut homo non videatur uti ratione, sed furere et insanire; *secundo*, « zelus, » id est æmulatio et invidia, qua quis invidet proximo, eumque superare et supplantare conatur : hæc enim mentem excæcat livore et odio; *tertio*, « tumultus, » græce ταραχή, id est turbatio, perturbatio, tumultus, quem concitat furor vel invidia : hæc enim facit hominem tumultuari interius in corde, et exterius in opere; concitat enim seditiones, lites, rixas et cædes; *quarto*, « fluctuatio, » græce σάλος, id est commotio, agitatio, fluctuatio, qua animus indignatione, invidia, metu, aliave passione agitatus, fluctuat, ut nunc hoc velit, nunc illud; nunc hoc consilium capiat, nunc illud, itaque pendulus hæret, suisque cogitationibus discerpitur et lanilatur. Sic S. Augustinus, lib. IX *De Civit.* cap. VI, ex Apuleio dicit, cor « mentis salo per omnes cogitationum æstus fluctuare. » *Quinto*, « timor mortis : » hujus enim plurimæ in dies occasiones et causæ offeruntur, adeo ut homo non habeat unum annum, imo nec unum diem certum vitæ, quin potius omni die et hora mortem occulte instantem, vel sibi insidiantem timere possit et debeat; *sexto*, est « iracundia perseverans : » hæc enim est quasi fel continuo pungens, amaricans, rodens et exedens animum instar tineæ. Legit Noster cum Romanis, Tigurina et aliis μνησικακία, vel μνησικακία, id est ira diuturna, inveterata, odium, inimicitia ulciscendi tempus observans. Jam Complutensia legunt μιμῆμα, id est imitatio, simulacrum; sed minus congrue, ut videtur. *Septimo*, « contentio; » hæc enim est quasi erynnis, quæ turbat mentem, eamque inquietam efficit, agitque in mille jurgia, lites, verbera et neces. Hæ igitur septem passiones et perturbationes sunt septem partes et species jugi gravis hominibus tam summis quam imis incubantis per diem, quæ æque ac somnia per noctem immutant, agitant, alterant, lacerant hominis mentem, et, ut vertit Tigurina : *ingenium cujusque varie afficiunt.* Quocirca ipsæ sunt quasi totidem animæ carnifices, eam lancinantes; unde et passiones ac perturbationes nuncupantur, quod animam perturbent, et passionibus diris excrucient, quas proinde in sapientem non cadere censebant Stoici. Audi S. Augustinum, lib. XIV *De Civit.* cap. VIII : « Quas Græci appellant εὐπαθείας, latine autem Cicero constantias nominavit, Stoici tres esse voluerunt pro tribus perturbationibus in animo sapientis, pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem, pro ægritudine vero vel dolore, quem nos vitandæ ambiguitatis gratia tristitiam maluimus dicere, negaverunt esse posse aliquid in animo sapientis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum quod facit sapiens. Gaudium de bono adepto est, quod ubique adipiscitur sapiens. Cautio devitat malum, quod debet sapiens devitare. Tristitia porro quia de malo est, quod jam accidit. Nullum autem malum existimant posse accidere sapienti; nihil in ejus animo pro illa esse posse dixerunt. Sic ergo illi loquuntur, ut velle, gaudere, cavere negent nisi sapientem : stultum

autem non nisi cupere, lætari, metuere, contristari. Et illas tres esse constantias : has autem quatuor perturbationes ; secundum Ciceronem plurimas autem passiones. Græce autem illæ tres, sicut dixi, appellantur εὐπαθείαι : illæ autem quatuor παθή.

Verum hanc Stoicorum sententiam, quod scilicet passiones jam dictæ in sapientem non cadant, refutat S. Augustinus, lib. IX *De Civit.* cap. IV, docens sapientem non tantum quatuor posterioribus, sed et tribus prioribus, adeoque omnibus septem passionibus esse obnoxium; sed nosse eas frenare et regere. Has impiorum passiones, pavores et angores egregie describit Sapiens toto capite XVII.

Anagogice, Rabanus hæc omnia adaptat damnatis in gehenna : « Furor enim, inquit, et zelus ostenditur in vindicta, quando peccatores pro delictis suis cruciabuntur in pœna : ubi tumultus est et fluctuatio, quia nullus ordo, sed perpetuus horror ibi inhabitat : ubi timor mortis est, et iracundia perseverans, et contentio. Vere ibi timor est mortis, ubi continuum incendium est gehennæ ignis ; iracundia perseverat et contentio, quoniam nulla pax ibi est, et nulla doloris mitigatio. » Et inferius : « Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, et dolores vulnerum nunquam finire ? In hujus vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati jam cœperit quod metuebat. Inferni ignibus reprobi traditi, et in suppliciis dolorem sentiunt, et in doloribus angustia, pulsante semper pavore, feriuntur : ut quod timent tolerent, et rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant. Hic flamma quæ succendit, illuminat : illic ignis qui cruciat, obscurat, hic metus amittitur, cum tolerari jam cœperit quod timebatur : illic et dolor dilaniat, et pavor angustat. » Et paulo post : « Tempus refectionis dicit tempus remunerationis, quando corpore condito in cubili sepulcri, anima locis pœnalibus pro peccatis suis deputatur. Tunc somnus mortis immutat scientiam ejus, quia longe aliter tunc sentit de actibus suis, quam ante in hac vita sentiebat : quia tunc omnia manifestabantur quæ prius fuerunt occulta : atque a malignis spiritibus ei in memoriam reducuntur quæ hic negligebantur, aut oblivioni tradebantur. » Et post nonnulla : « Tunc modicum tanquam nihil est in requie, quia licet caro mortua et insensibilis a doloribus ad tempus requiescere videatur in terra ; anima tamen vivens ante judicii diem sentit dolorem, et in die resurrectionis ipsum corpus per quod peccavit, immortale recipiens, in pœnas vivet sempiternas. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate : sic videlicet, a damnatis sentiri pondus summæ æquitatis debet ; ut quia voluntate conditoris nequaquam sunt veriti discrepare dum viverent, in eorum quandoque interitu ipsa a suis qualitatibus etiam tormenta discordent, quatenus quo se impugnent, cruciatus augeant : et cum varie prodeant, multipliciter sentiantur. Ita miseris fit mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu ; quia et mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit. »

In gehenna mors semper viva.

6 et 7. MODICUM TANQUAM NIHIL IN REQUIE, ET AB EO IN SOMNIS, QUASI IN DIE RESPECTUS. CONTURBATUS EST IN VISU CORDIS SUI, TANQUAM QUI EVASERIT IN DIE BELLI. IN TEMPORE SALUTIS SUÆ EXSURREXIT, ET ADMIRANS AD NULLUM TIMOREM. — Vers. 6 et 7. Syrus : *Quod promittitur in visione noctis, sicut vir qui fugit a facie persequentis : expergiscitur, et videt quod non habet quidquam.* Comparat somnium excubiis, et somniantem excubitori : unde pro *in die respectus*, græce est ἐν ἡμέραις σκοπιᾶς, id est *in diebus speculæ*. Sicut enim vigil, qui foris in monte contra hostes excubat, sollicitus est et pavidus, ac anxie circumquaque respectat num quem videat adventantem : et, si videat hostem, illico fugit ad suos in urbem, vel arcem : sic prorsus facit et somnians. Sensus ergo est, quasi dicat : Somnians, esto in lecto quiescat et dormiat, tamen modicum et quasi nihil est in requie, parumque requiescit : et « ab eo, » scilicet modico, quo fuit in requie, *q. d.* Post modicam somni tranquilli et insomniis vacui quietem, mox somniare incipit, atque « in somnis quasi in die respectus, » id est prospectus, quo instar vigilis in specula excubantis anxie circumquaque respicit et prospicit quid agatur, subaudi, sollicitus est et pavidus, quasi dicat : Somnians sollicite pavideque quasi vigilat et excubat ad illa, quæ somnium ingerit vel minatur. Quare sæpe « conturbatus est in visu cordis sui ; » puta in visione et phantasmate imaginationis suæ : somniavit enim se circumdatum hostibus, putavitque se fugere « tanquam qui evaserit, » græce ἐκφυγών, vel, ut alii, ἐκπεφευγώς, id est « qui effugit, » in præterito, « in die belli, » *q. d.* Somniavit se esse obsessum hostibus, ideoque eos fugere, adeoque vive id sibi visus est facere, ac si reipsa fugisset, et assidue fugiendo tandem effugisset manus hostium, salvusque evavisset. Quare « in tempore salutis suæ exsurrexit, » id est quando somniavit se fuga lapsum evasisse esseque salvum, præ gaudio e somno evigilans surgit, et admiratur se fuisse conturbatum et anxium « ad nullum timorem, » id est ubi nihil erat timendum; quasi dicat : Admirans videt, et agnoscit omnia fuisse vana phantasmata somnii, nec in re quidquam fuisse belli vel hostium, quod expavesceret et fugeret : nam, ut ait Sophar, « velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna, » *Job* XX, 8. Unde Vatablus clare vertit : *Parum ac pene nihil datur quieti : deinde in somnis animi, quasi quo tempore quis in speculis excubat, perturbantur imaginatione, et velut qui ex conspectu prælii aufugerit, excitantur*

tempore salutis suæ, vanumque terrorem admirantur. id maxime verum experimur in ephialte, quem Latini Incubum vel Incubonem vocant, quo quis somniat se a mole quapiam vel ab hoste invadi, opprimi, suffocari et strangulari, nec posse se effugere : unde angitur, gemit, sudat. Oritur id vitii ex crapula, et continua ventriculi cruditate; unde vapores crassi et frigidi elati cerebri ventriculos replent, prohibentque spiritus cerebri per nervos diffundi. Ita Paulus Ægineta, lib. III, cap. XV. Hoc somniorum ludicrum, sed grave ludibrium, expertus Job dicebat, cap. VII, vers. 14: « Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea. » Et S. Augustinus, lib. X *Confess.* cap. XXX, lugens sua somnia inhonesta : « Et tantum, inquit, valet imaginis illusio in anima mea et in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt. » Idem tamen Augustinus, lib. XII *De Genesi ad litter.* cap. II, fatetur somnium subinde sibi somnianti visum fuisse somnium, non rem veram : « Quanquam, inquit, mihi accidisse scio, et ob hoc etiam aliis accidere potuisse, vel posse non dubito, ut in somnis videns, in somnis me videre, sentire, illasque imagines, quæ ipsam nostram consuetudinem ludificare consueverunt, non esse vera corpora, sed in somnis ea præsentari : firmissime etiam dormiens tenerem atque sentirem. » Sed etiam tunc sæpe aliquid falsi, vel quod revera non existit, somnio admiscetur, uti ibidem subdit S. Augustinus.

Somniorum ludicra ludibria.

Somnium S. Augustino visum somnium.

Anagogice, Rabanus hæc omnia adaptat damnatis, qui « æstimaverunt, inquit, per prosperitatem mundi quasi per somnium delusi, quod tempus pacis esset, et non belli. »

Vers. 8. 8. CUM OMNI CARNE, AB HOMINE USQUE AD PECUS, ET SUPER PECCATORES SEPTUPLUM, — *q. d.* Hæ ærumnæ et passiones jam recensitæ obveniunt omni carni, id est animanti, tam hominibus quam pecoribus : nam et pecora somniant, suisque somniis percelluntur, ut docet Aristoteles *De Divin. per somnium*, cap. I, et Plinius, lib. X, cap. ult. : « Præter hominem, inquit, somniare equos, canes, boves, pecora, capras palam est. Ob hoc creditur, et in omnibus quæ animal pariunt. De iis quæ ova gignunt, incertum est; sed dormire ea, certum. » Verum peccatoribus hæ ærumnæ accidunt « septuplum, » id est longe amplius. Hos enim exagitat ira, furor, zelus, cæteræque passiones, indeque somnia turbulenta et pavida, uti de Ægyptiis docet Sapiens, cap. XVIII, dicens : « Visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenientes insperati. » Causæ sunt multæ. Prima, quod Deus persequatur et affligat peccatores; secunda, quod pii patientius ferunt mala, quam impii, utpote destituti gratia Dei, et pleni cupiditate, superbia, impatientia; tertia, quod pii ad Deum quasi ad asylum in tribulatione confugiant, Deus autem solatur eos sperantes et invocantes se : neutrum obtingit impiis. Unde Tigurina vertit : *Hoc omni conjunctum est animanti, tam homini quam pecudi : at scelerosis septies tanto amplius*; alii : *Omni hæc adsunt carni, tam hominibus quam jumentis; et peccatoribus insuper septuplo plura.* Nota : τὸ *septuplum* significat copiam et plenitudinem horum flagellorum, quæ obvenit impiis. Sic *Gen.* IV, 15 et 24 : « Septuplum, ait, ultio dabitur de Cain : de Lamech vero septuagies septies. » Ubi Procopius : « Septenarius, inquit, perfectionem pœnæ denotat. » Unde illud *Levit.* XXVI, 28 : « Corripiam vos septem plagis. » Et *Psal.* LXXVIII, 12 : « Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum. » Vide Delrio, *adagio* 10. Porro Syrus vertit : *Cum omnibus filiis carnis curæ eorum sunt, et divitiæ timore expergefaciunt eos.*

Ærumnæ magis crucient impios quam pios, ob ves causas.

9 et 10. AD HÆC MORS, SANGUIS, CONTENTIO, ET RHOMPHÆA, OPPRESSIONES, FAMES, ET CONTRITIO, ET FLAGELLA : SUPER INIQUOS CREATA SUNT HÆC OMNIA, ET PROPTER ILLOS FACTUS EST CATACLYSMUS. — Pro *ad hæc* græce est πρὸς ταῦτα, quod Romani, Tigurina et alii referunt ad « septuplum, » quod præcessit : unde vertunt, « septuplo plura. » Dixit de ærumnis homini intrinsecis : jam recenset extrinsecas, et a foris homini advenientes, quas omnes asserit communes quidem esse omnibus, sed tamen maxime tangere peccatores. Tales sunt mors ab alio violenter illata, effusio sanguinis, contentiones, rhomphæas, id est gladius feriens et lædens, oppressiones, fames, contritio, id est vastatio hostilis, et flagella quælibet. Hæc omnia omnibus quidem obveniunt, sed maxime affligunt læduntque peccatores. Unde et propter eos orbi inductum est a Deo diluvium, sive cataclysmus tempore Noe. Peccatoribus enim hæc Deus proprie immittit ut flagella culpæ, ad ulciscendum eorum scelera; justis vero tantum ad probationem et augmentum virtutis et meritorum : quare eis inferuntur non ut mala, sed ut bona, inquit Jansenius. Unde Tigurina vertit : *Mors, cædes, dissidia, gladius, oppugnationes, fames, clades, supplicia : simul omnia hæc in injustos creata sunt, et propter ipsos a Deo diluvium exstitit.* Igitur hæc flagella proprie propter peccatores, ad castiganda eorum peccata, a Deo creantur, id est producuntur et immittuntur; sed per concomitantiam tangunt quoque bonos, qui cum peccatoribus habitant et commixti sunt : perinde ac sol, pluvia, grando, gelu, frigus, calor tangunt omnes loci incolas, ideoque bonos cum malis. Quare prudenter monet Sapiens :

Vers. 9 et 10.

> Gaudere parce oportet, et sensim queri :
> Totam quia vitam miscet dolor et gaudium.

11. OMNIA, QUÆ DE TERRA SUNT, IN TERRAM CONVERTENTUR, ET (id est *sicut*, est enim *et* comparationis, comparans aquam terræ) OMNES AQUÆ (scilicet vivæ, hoc est mobiles et fluentes, non Vers. 11.

stantes vel stagnantes) IN MARE REVERTENTUR ; — ex quo scilicet primitus prodierunt, *Gen.* I, 10, *q. d.* Omnia redeunt ad suum principium ; scilicet quæ ex terra prodierunt, redeunt ad terram ; quæ ex aquis, ad aquas et mare. Nominat mare, quia initio mundi Deus omnes aquas quæ sub cœlo sunt, segregavit a terra in locum unum, « congregationesque aquarum appellavit maria, » *Genes.* I, 9. Quare mare tunc constituit principium, imo conceptaculum et receptaculum aquarum omnium ; ut scilicet ipsum per cuniculos et venas subterraneas per totam terram sparsas, perque vapores quos evaporat in aquam pluviamque resolutos, esset matrix et origo omnium fontium et fluminum, uti dixi *Genes.* cap. I, 9, et pluribus dicam, *Eccles.* cap. I, 7, qui sic habet : « Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat : ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant. » Eo enim alludit hic Siracides : ubi vide nostrum Pinedam. Unde Græca habent, καὶ ἀπὸ ὑδάτων εἰς θάλασσαν ἀναχάμπτει, id est *ex aquis*, scilicet nata, *in mare*, puta in aquas (quarum matrix est mare) « reflectuntur, » vel deflectunt ; Tigurina : *Quæcumque e terra constant, in terram redeunt, et e mari orta in mare remeant.* Ubi adverte, quod in Proœmio monui, Tigurinam non verbum verbo, sed liberius sensum, quem auctor ejus in mente sibi efformavit, reddere ; unde eum non tam interpretem, quam commentatorem agere. Nam pro *ex aquis* (ut est in Græco), ipse vertit, *ex mari ;* quia censuit omnia flumina prodire e mari.

Hæc generalis sententia commode exponenda est, « omnia, » id est pleraque omnia, plurima : nam non omnia omnino ex terra nata in terram convertuntur : domus enim, arbores et ligna, quæ comburuntur, convertuntur in ignem, fumum et aerem, non in terram : sic pariter non omnes omnino aquæ in aquas et mare redeunt, ut patet in iis quæ radiis solis calefactæ in exhalationes, indeque in ignem vel aerem convertuntur, ac in iis quæ terra mixtæ in lutum et terram convertuntur ; sed plurimæ et maximæ, ut ingentia flumina in mare decurrunt et remeant. Unde et viri docti censent mare Caspium, licet plane ab aliis appareat separatum, occulte tamen per arcanos meatus jungi Oceano, et in illum decurrere.

Dicit hoc Siracides, vel ut explicet mortem, de qua dixit vers. 1, 4 et 9, quæ est præcipua pars jugi incumbentis posteris Adæ, vers. 1, *q. d.* Jugi hujus potior pars et terminus est mors, per quam homines e terra nati (ut et cæteræ res omnes) in terram revertuntur, juxta legem in eos latam ; *Genes.* III, 19. Quin et impii per mortem non tantum secundum corpus, sed et secundum animam in terram, cui illam affixerunt, revertuntur : abeunt enim in gehennam, quæ est in centro terræ. Vel potius, hanc sententiam quasi exordium, ad sequentia referas : per eam enim ostendit Siracides jugum et stultitiam impiorum, qui cum proni in terram velut pecora terræ bonis incumbunt, ut coacervent opes, familias, filios, nepotes, mox iisdem privantur ; eo quodo omnia in terram e qua prodeunt, revolvantur et relabantur : cum pii cor suum affigentes fidei et virtuti, coacervent opes cœlestes in æternum duraturas, juxta illud : « Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. » Ergo, o insipiens et infelix homo, cur affigis humo divinæ particulam auræ ? cur non potius animam tuam Deo tuo reddis, ut cum eo in æterna gloria perennet ? Unde idipsum applicans et explicans subdit : « Omne munus et iniquitas delebitur. » Hoc voluit Syrus dum vertit : *Omne quod de terra est, in terram revertitur, et quod de excelsis, in excelsum.*

Audi S. Hieronymum, in *Eccles.* cap. I, vers. 7 : « Omnia flumina (vel *torrentes*, ut ipse vertit) intrant in mare. » Putant quidam, inquit, « aquas dulces quæ in mare fluunt, vel ardente desuper sole consumi, vel salsugine maris esse pabula : Ecclesiastes autem noster, et ipsarum aquarum conditor, eas dicit per occultas venas ad capita fontium regredi, et de matrice abysso in sua semper ebullire principia. Melius autem Hebræi sub torrentium et maris nomine, per metaphoram, de hominibus significari arbitrantur, quod in terram de qua sumpti sunt, redeant ; et torrentes vocentur, non flumina, eo quod cito intereant, nec tamen impleatur terra multitudine mortuorum. »

Hunc hominis ex humo exitum et reditum, sive ortum et occasum, passim illi refricat et ob oculos ponit S. Scriptura, ut *Genes.* cap. III, 19 : « Donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. » *Job* cap. X, 9 : « Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. » *Job* XXXIV, 15 : « Homo in cinerem revertetur. » *Psal* CIII, 29 : « Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. » *Psal.* CXLV, 4 : « Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam. » *Eccles.* XII, 7 : « Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. » Qui ergo sapit, jugiter hunc sui reditum cogitat, præsentia despicit, futura suspicit, vivit æternitati.

Citat hæc Siracidis verba Concilium Triburiense, cap. XVI, et habetur XIII, *Quæst.* II, can. XIV, ex iisque probat, Ecclesiasticam terræ sepulturam non esse pretio vendendam, quod terra jure naturæ sit omnibus communis, imo omnium mater, quæ proinde filios suos uti nascentes, ita morientes gremio suo sponte suscipit : « Terram, inquit, teris, terram geris, et in terram converteris, qui de terra sumeris. » Vers. 12

12. OMNE MUNUS, ET INIQUITAS DELEBITUR, ET FIDES IN SÆCULUM STABIT. — Est hendyadis. « Munus et iniquitas, » hoc est munus iniquitatis, munus iniquum, munus datum vel acceptum

ad patrandam iniquitatem, *q. d.* Sicut omne, quod e terra ortum est, perit et in terram revertitur, sic pariter omne munus terrenum datum inique, v. g. ad corrumpendum judicem, adeoque omnis iniquitas cum suo auctore, scilicet homine, peribit, et in terram quasi originem suam redibit : « fides » vero, id est fidelitas, veritas, sinceritas, justitia, integritas, qua quis a recto nec prece, nec pretio se divelli sinit (hanc enim significat Hebræum אמת *emet*, et Græcum πίστις) in æternum stabit; quia æternam a Deo laudem et gloriam consequetur, *q. d.* Ex omnibus rebus terrenis nil constat et perennat, nisi justitia et virtus, cætera omnia abolentur, et in terram, unde prodierunt, relabuntur. Qui ergo quærit bona stabilia et perpetua, non sectetur opes et honores hujus vitæ, utpote non plus quam vita ipsa duraturas; sed studeat integritati et virtuti, quæ etiam in cœlo per omnia sæcula permanebit. Quocirca Tigurina vertit : *Omnis largitio et injustitia abolebitur, et integritas manet perpetuo;* Syrus : *Omnis qui peccat et mentitur, peribit, et felices in sæcula etiam ipsi suscitabuntur.* Unde explicans subdit :

Vers. 13. 13. SUBSTANTIÆ (græce χρήματα, id est pecuniæ et opes) INJUSTORUM SICUT FLUVIUS SICCABUNTUR, ET SICUT TONITRUUM MAGNUM IN PLUVIA PERSONABUNT. — Ita legendum cum Romanis et Græcis, non *siccabitur* et *personabit*, uti legit Jansenius; Rabanus vero et quinque manuscripti apud Franciscum Lucam pro *personabunt*, legunt *manabunt*, quia Græci codices nonnulli, teste Pagnino, pro ἐχηχήσει, id est *personabunt*, legunt ἐκχύσει, id est *manabunt*, effundent. Sensus est, *q. d.* Opes iniquorum affluunt instar torrentis subito excrescentis; sed sicut torrens, mox ut cessat pluvia, detumescit et siccatur : sic pariter et opes iniquorum mox decrescunt et evanescunt. Rursum, sicut tonitru cum pluvia horrendo fragore resonat, sed et personat, id est perstrepit, et sonando pertransit et abit : sic pariter opes iniquorum magna pompa strepituque famulorum, equorum, curruum, tubarum, etc., resonando pertranseunt et dilabuntur. Unde Syrus vertit : *Bona mendacii sicut torrens dilabentur, et sicut flumina quæ replentur a nubibus levibus, cum illæ cessant deficiunt, et germen hominibus impiis non erit;* Vatablus vero breviter et clare : *Facultates injustorum in modum fluminis exarescent; et ut ingens tonitru cum pluvia detonabunt*, id est, « tonare desinent et fastum deponent, vel per tumultum dissipabuntur, et quasi impetu profundentur. » Alludit ad *Prov.* x, 25 : « Quasi tempestas transiens non erit impius : justus autem quasi fundamentum æternum. Iniquorum ergo thesaurus, ait Rabanus, sicut inopportune et indiscrete colligitur, ita valide et velociter dissipatur : qui ad tonitrui similitudinem in impetu avaritiæ tempestatem facit, sed cito in ipso tumultu fatiscit. Unde scriptum est *Psalm.* IX 7 : Inimici defecerunt framææ in finem : et civitates eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum sonitu. » In tonitru ergo notatur tum celeritas, tum impetus et violentia, tum strepitus et fragor ruinæ impiorum.

Vers. 14. 14. IN APERIENDO MANUS SUAS LÆTABITUR : SIC PRÆVARICATORES IN CONSUMMATIONE TABESCENT. — *Primo*, Lyranus, Hugo, Dionysius, Emmanuel Sa, et alii plane et clare sic explicant, *q. d.* Sicut injustus, de quo vers. præcedenti, ad modicum tempus, quo aperit manus suas ad accipiendum munera, lætatur : sic peccatores tandem « in consummatione, » id est consummate, plane et perfecte, « tabescent, » id est, ut Græca habent, ἐκλείψουσιν, id est deficient, peribunt et interibunt in æternum. Opponit enim brevem eorum lætitiam, quæ non plus durat quam apertio manus, longo et pleno eorum interitui : « Gaudent quippe, ait Rabanus, ad tempus in prosperitate mundana, cum aperiunt manus suas ut rapiant aliena : sed quia prævaricati sunt Dei præceptum, quo ait, Non concupisces rem proximi tui, in consummatione tabescent, quando vacui bonis operibus pro peccatis suis demergentur in infernum. » Totus enim hic locus pingit velocem transitum interitumque abundantiæ et felicitatis impiorum.

Secundo, Tigurina vertit : *Cum quis manus aperuerit, gaudebunt dilabi : sic prave agentes prorsus deficient.* Supplet enim et subaudit τὸ *dilabi*, quod non est in Græco, ut sensus sit, *q. d.* Sicut aquæ pluviæ manibus contractis exceptæ gaudent quodammodo, cum aperta manu dilabi sinuntur in terram, quia tendunt ad centrum suum, ad quod naturali appetitu feruntur ut in eo conquiescant : sic pariter gaudebunt omnes boni, imo omnes creaturæ cum prave agentes deficient, ut redeant ad terram, et ad gehennam; hæc enim debetur eorum pravitati, qua perturbarunt ordinem totius universi : quare hac sua pœna satisfacient scandalo, quod dederunt toti mundo, et perturbationi, quam in eo fecerunt; quia per hoc eorum supplicium justamque vindictam redintegrabitur ordo universorum, quem ipsi turbarunt, ideoque de eo quasi gaudebunt omnes creaturæ. Peccatum est perturbatio universi.

Tertio, Palacius hæc refert ad tonitruum; unde nonnulli vertunt, « cum ipsum (scilicet tonitruum) manus aperuerit, lætabitur, » etc. *q. d.* Injustus est velut tonitruum magnum, magnum edens fragorem et sonitum; at non lætatur, nisi dum aperit manus, id est non durat, nisi dum radios velut manus extendit. Loquitur enim de tonitruo fulguri mixto, quod non durat, nisi fere dum suam explicat lucem : ita prævaricatores, licet videantur sonare et fulgere, brevi tamen in sua consummatione tabescent. Verum obstat, quod Græcum αὐτὸν, id est *ipsum*, utpote masculinum, nequeat referri ad βροντὴ, id est *tonitruum*, utpote feminini generis.

Quarto, Jansenius αὐτὸν, referens ad ὕδατι, id est pluviam, unde et Romani vertunt : *In aperiendo*

ipsam, scilicet pluviam, *manus suas lætabitur*, sic exponit, *q. d.* Cum pluvia aperuerit manus suas, hoc est sese largiter super terram effuderit, lætabitur quod terrorem, scilicet tonitrui, superaverit, et hominibus ademerit, quos et lætari facit suo in terram defluxu; quia pluvia copiose cadente, cessant tonitrua et fulgura, et minus timentur. Unde dicitur in Psalmis : « Fulgura in pluviam fecit. » In hac ergo parte adhuc persistitur in similitudine vers. præcedenti proposita, eaque hic absolvitur. Et per prosopopœiam tribuitur pluviæ aperire manus suas et lætari, quemadmodum et in Psalmis dicitur : « Flumina plaudent manu. » Significatur ergo, quod quemadmodum torrens aliquis exsiccatur per calorem solis, et tonitruum superatur per pluviæ defluxum : ita et opes divitum simul cum ipsis subito deficiunt per supervenientem eis ultionem divinam, qua tanquam imbre eos obruente superatur omnis eorum terror, quem opibus suis confisi inferebant : sicque lætabitur justus ab eorum terrore liberatus. Unde subjicitur : « Sic prævaricatores in consummatione tabescent, hoc est ita deficient, ut penitus consumantur. Hic sensus magis connexus, nervosus et appositus est, sed obscurior et intricatior, cum primus sit facillimus et planissimus.

Vers. 15. 15. NEPOTES IMPIORUM NON MULTIPLICABUNT RAMOS, ET RADICES IMMUNDÆ SUPER CACUMEN PETRÆ SONANT. — Dixit opes impiorum esse caducas et fragiles, nunc idem dicit de stirpe et posteris, *q. d.* Nepotes impiorum non habebunt multos filios, nec sicut arbor bene fundata ramos longe lateque multiplicat, ita ipsi multam generabunt filiorum propaginem, quæ per multa sæcula continuetur, sed in tertia vel quarta generatione succidentur, uti Deus minatus erat Judæis, *Exodi* XX, 5. Sic Deus succidit familiam Saul, II *Reg.* XXI, et familiam Hielis, qui reædificavit Jericho, III *Reg.* XVI. 34, ac familias Jeroboam, Jehu, Manahem, Phacee, cæterorumque impiorum regum Israel, uti fuse narratur lib. III et IV *Regum*.

ET RADICES IMMUNDÆ SUPER CACUMEN PETRÆ SONANT, — *q. d.* Impii parentes sunt instar radicis non in terra profunde, sed in petra leviter et tenuiter fundatæ, quæ proinde cum arbore ex se prodeunte facile ventis agitatur, ventoque agitata in ramis perstrepit et resonat : sed simul cum ipso sonitu convellitur et eradicatur. Simili enim modo impii pompose perstrepunt et resonant ad modicum tempus : sed quia radices non habent a Deo fundatas, hinc brevi ab eo succidentur et evellentur cum tota sua stirpe et posteritate. Græca hoc loco non habent τὸ *sonant*, sed illud rejiciunt ad initium versus sequentis. Unde sic habent : *Nepotes impiorum non multiplicant ramos, et radices immundæ super duram petram, q. d.* « Et, » id est « quia » ipsi sunt velut radices impuræ male fundatæ super petram; ac proinde multam ex se sobolem emittere nequeunt. Unde Complutensia vertunt : *super præcipitem petram* : quæ scilicet secum radicem et arborem in se fundatam in præceps trahit, ac deorsum præcipitat; Tigurina : *Non multiplicabit ramos soboles impiorum, nec impuræ radices in rupe excelsa.* Græcum enim ἀκροτόμου, et duram et excelsam, et præcipitem rupem significat. Verum ex Græco excidit τὸ ἠχεῖ, vel dorice ἀχεῖ, id est sonant; eo quod ἀχεῖ immediate sequitur, sed aliud significans : unde scriptores imperiti putantes alterum esse superfluum, illud hoc loco omiserunt, cum tamen sensus id exposcat : alioqui enim deest verbum, quod sensum expleat.

Alludit ad *Sapient.* IV, 3 : « Spuria vitulamina (græce μοσχεύματα, id est propagines, stolones, sive novi surculi ex arbore præcisi et in terra plantati. Græcizat Interpres; derivat enim « vitulamen » a vitulo, sicut Græci derivant μοσχεύματα a μόσχος, id est *vitulus*) *non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita a vento commovebuntur, et nimietate ventorum eradicabuntur.*

Vers. 16. 16. SUPER OMNEM AQUAM VIRIDITAS, ET AD ORAM FLUMINIS ANTE OMNE FOENUM EVELLETUR. — Subaudienda est vox comparativa *sicut*, quam Hebræi in parabolis et similitudinibus sæpe subticent et subaudiunt, *q. d.* Impiorum soboles, propago et prosperitas est sicut viriditas, id est viride gramen, quod « super » id est juxta, « omnem, » id est quamlibet, « aquam, » ob humoris copiam cito enascitur et germinat quidem, sed et cito ante omne aliud fœnum, id est gramen vel herbam demetitur, vel proteritur, vel evellitur; quia situm « ad oram fluminis, » quam homines ambulando pedibus calcare, et animalia depasci solent, utpote locum omnibus patulum et pervium. Pro *viriditas* græce est ἔχει, vel ἄχη, vel ἄχει, quod Romani retinent. Unde vertunt, *achi, super omnem aquam. Achi* est vox Hebræa significans paludem, ait S. Hieronymus *in tradit. in Genes.* Alludit enim Siracides ad Septuaginta qui *Genes.* XLI. 1, pro eo quod Noster cum Aquila vertit, « pascebantur in palustribus, » retinentes Hebræam vocem *achu*, vertunt, « pascebantur in *achi*. » Scoliastes ἄχος, inquit, est « plantarium tenue et herbosum. » Noster, *Job*, VIII. vers 11, Hebræum *achu*, vertit *carectum*, quem secuti nonnulli hoc loco sic vertunt : « Carex juxta quamvis aquam, et labra fluminis, ante quodlibet gramen evellitur. » Porro Tigurina pro ἄχει, legens ἄχνη, id est tenuissimus cauliculus ille, qui primum e radice plantarum pullulat, indeque Latinis pullus dicitur, sic vertit : *Pullus eorum super quamvis aquam, aut oram fluvii; ante omnem herbam elidetur.* Eodem redit sensus, quanquam liberius, et contra fidem codicum, pro ἄχει, Tigurina substituat ἄχνη. Idem facit subinde alibi, ut monui in Proœmio; quod in Cicerone, Plauto, Terentio faciunt nostri Critici, ut vitium scriptoris conjectando, vocemque vici-

nam substituendo corrigant : quæ audacia in profanis forte ferenda, at non in sacris et hagiographis. Syrus : *Radix enim peccatorum sicut spica quæ germinat in crepidine rupis, et sicut germen quod germinat ad oram fluminis, quod ante omnem viriditatem arescit.*

Alludit ad *Job*, cap. VIII, 11 : « Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum, » Hebraice *achu*, quod Siracides hic græce vertit, ἄχι) sine aqua? Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit : sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit. » Et vers. 17 : « Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, et inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicet : Non novi te. »

Vers. 17. 17. GRATIA SICUT PARADISUS IN (Complutensia, *cum*) BENEDICTIONIBUS, ET MISERICORDIA IN SÆCULUM PERMANET. — Multi hæc accipiunt de gratia Dei. Ita Rabanus : *Gratia Dei*, inquit, *quæ superabundat in fidelibus et electis Dei, sicut paradisus fructificat diversas species virtutum.* Et Lyranus : *Sicut paradisus*, inquit, *est locus amœnus et bonis fructibus plenus, sic gratia Dei gratiosam facit animam ad Dei habitationem, et bonis operibus plenam.* Et Dionysius : *Impiis*, inquit, *modo prætacto deficientibus, gratia Dei collationibus ejus ita pulchrificat, stabilit et delectat justos, sicut paradisus ille terrestris, locus amœnissimus, est semper tranquillus.* Ideo ait Apostolus, *Hebr.* XIII : « Optimum est gratia stabilire cor. » Et Sapiens, *Proverb.* X : « Benedictio Domini divites facit, et non sociabitur eis afflictio. » Hæc magna est consolatio justo, licet afflictissimo, quod scilicet sit in gratia Dei, quæ instar paradisi eum cumulat omni jucunditate, decore, fructu et benedictione spiritali; adeoque eum efficit habitaculum hortumque voluptatis Dei, in quo Deus cum homine familiariter agit et colloquitur. Ita Palacius. Unde Syrus vertit : *Opera rectorum in momento benedicentur, et opera justorum in sæculum subsistent ; et qui appropriat ad eos, sicut qui invenit thesaurum.*

Eleemosyna est paradisus. Verum melius per gratiam accipias beneficentiam, tum quia gratia hic opponitur injustitiæ impiorum, de qua vers. 13 et 15, tum quia jungitur cum misericordia : posterius enim hemistichium more Hebræo explicat et perficit prius. Sensus ergo est, *q. d.* « Gratia, » id est benignitas, beneficentia et misericordia in indignos et pauperes, est « sicut paradisus » a Deo benedictus, proferens fructus optimos et immortales, qui in æternum permanent : tale enim est augmentum gratiæ, meriti et gloriæ, quod causatur a beneficentia, æque ac bona opera, quæ a pauperibus per eleemosynam sustentatis fiunt : quæ omnia quoad meritum et mercedem in æternum permanent. Unde Vatablus clare vertit : *Benignitas instar horti fortunati est, et beneficentia permanet in perpetuum.* Sicut enim paradisus erat locus perpetuo virens, florens et fructificans omni fructuum decore et genere : sic et misericordia in se et in suis effectibus fructibusque semper viret et floret.

Huc alludit Apostolus, II *Corinth.* cap. IX, vers. 6, ubi Corinthios exhortans ad eleemosynam ait : « Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, » etc.

Moraliter : Nota quantum bonum sit beneficentia et eleemosyna, utpote quæ æquetur paradiso Dei. Quare bona omnia a Deo data paradiso, quæ recensui *Genes.* II, 8, tropologice recte attribuas beneficentiæ.

18. VITA SIBI SUFFICIENTIS OPERARI CONDULCABITUR (Rabanus legit, *indulcabitur*), ET IN EA INVENIES THESAURUM. — Versu precedenti miseræ vitæ injustorum opposuit beatam vitam misericordis et eleemosynarii : nunc eidem opponit vitam operarii, quæ inter beatas ordine secunda est. Sensus ergo est, quasi dicat : « Vita sibi sufficientis, » græce αὐτάρκους, id est sua sorte contenti (alii, *cui est quantum sufficit*), « operarii ; » qui operando manibus victum sibi parat, « condulcabitur, » id est dulcis, quieta, jucunda et suavis operatio apparebit, et revera erit : « et, » id est quia, in « ea invenies » tu, qui eam sequeris vel amplecteris, « thesaurum, » id est opes ingentes, tum quietis et lætitiæ, tum bonæ et sanctæ conscientiæ, tum etiam divitiarum temporalium. Hæ enim per diurna lucra quotidiana mire accrescunt, præsertim quia Deus iis tam justis et justo labore partis benedicit, easque auget et multiplicat. Unde S. Paulus, I *Tim.* VI : « Est autem, inquit, quæstus magnus, pietas cum sufficientia, » græce αὐτάρκεια, id est animo sibi sufficienti, suisque contento.

Porro Græca aliter, nimirum sic habent : *Vita sufficientis sibi operarii condulcabitur, et super utraque qui invenit thesaurum ;* quasi hic incipiat ternarius comparationum, quem Noster inchoat vers. sequenti, ita ut tria hic inter se conferat Siracides, scilicet, *primo* operarium ; *secundo*, sibi sufficientem ; *tertio*, eum qui invenit thesaurum, et hunc tertium duobus prioribus anteferat, *q. d.* Beatus est, *primo*, operarius ; *secundo*, sibi sufficiens, id est sua sorte contentus ; sed utroque beatior est tertius, scilicet qui invenit thesaurum. Huic enim sine opere et labore, quasi dormienti felici fortuna advolant opes, ob quas non tantum sibi sufficiens, sed et copiosus ac abundans evadet.

Verum hic non tres, sed duo comparantur. Nam operarius, et sibi sufficiens non duo sunt, sed unus idemque : alioqui Siracides addidisset copulam « et, » eaque duos denotasset dicendo : « Vita sufficientis, et operarii condulcabitur. » Idipsum vidit Tigurina, unde copulam addidit, vertitque : *Vita sorte sua contenti, operaque sua viventis habet suavitatem ; sed utraque majorem qui thesaurum adeptus est.* Quod Vatablus explicat :

Id est, cui res est relicta, non labore parta, juxta illud Martialis :

> Vitam quæ faciunt beatiorem,
> Jucundissime Martialis, hæc sunt :
> Res non parta labore, sed relicta, etc.

Sed Tigurina copulam *et* ex se addidit contra fidem codicum Græcorum, qui omnes illa carent. Quare nostra lectio Vulgata, uti congruentior, ita et verior est, juxta quam gaudeant operarii et artifices vita sua et opere manuali ; si enim ea contenti vivant, erunt felices, in eaque invenient thesaurum. Quocirca merito hic exclamat Palacius : Quid quæritis, homines, mercaturam ? cur officia in domibus regum ? quærite vitam operarii, qui sibi non divitias, sed quod sufficit, quærit : hæc vita dulcissima est, hæc thesaurus est, hæc vita naturalis est vita, quam instituit in paradiso Deus, est vita nulli noxia, est vita a mundi malis aliena, est vita comparando cœlo maxime commoda.

Felix vita operarii.

Quocirca sapienter Plato, lib. V *De Republ.*, citat laudatque illud paradoxum Hesiodi : « Dimidium plus toto, » applicatque tyrannis avaris et ambitiosis, qui omnibus volunt dominari et suos fines undequaque dilatare, cum satius esset suis paucisque vivere contentum. Idem, lib. III *De Legibus*, ut ostendat infinitam principum potentiam, nullisque finibus determinatam, esse præsentem pestem omnium imperiorum ; subdit id ideo accidere, quod ignorent principes cupidi et ambitiosi Hesiodum recte dicere : « Dimidium sæpe toti præstare, quandoquidem damnosum est, rem totam accipere ; dimidium tantum accipere, moderatum est ; moderatum vero immodico et immoderato, tanquam potius priori, sane antecedit. » Sic in litibus avari actores, qui totam rem cupiunt, nolentes dimidio cum parte adversa transigere, sæpe totam perdunt, quibus sane utilius fuisset petere dimidium quam totum ; cum ob dimidium, quod recusarunt, perdant totum, quod avare ambierunt.

Dimidium plus toto.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DAT VARIOS RERUM TERNARIOS IN QUIBUS TRIA INTER SE COMPARAT, SED TERTIUM DUOBUS ANTEPONIT ; HÆC ENIM FUIT VETERUM ELEGANTIA, ET QUASI RHYTHMUS HEBRÆORUM.

Vers. 19. 19. FILII, ET ÆDIFICATIO CIVITATIS CONFIRMABIT NOMEN, EN SUPER HÆC MULIER IMMACULATA COMPUTABITUR. — Ita legendum cum Romanis et Græcis, scilicet, *filii, et ædificatio* ; non *filii ædificatio*. Rursum legendum *super hæc*, non *super hanc*, uti legit Jansenius et alii. Tria enim hic inter se comparantur ; nam hic incipit ternarius comparationum, quo Siracides imitatur Salomonem, *Proverb.* cap. XXX, 15, 18, 21, 29, tria inter se confert, et tertium duobus præfert. Sensus ergo est, *q. d.* Duo sunt quæ « confirmant nomen, » id est quæ celebre faciunt nomen, et diuturnum, quæque famam longævam cuipiam conciliant, scilicet *primo*, filii ; *secundo*, « ædificatio civitatis, » si quis scilicet civitatem ædificet, uti Ninus Niniven, Nemrod Babylonem, Alexander Alexandriam, Romulus Romam ; sed utrique præferendum est tertium, scilicet « mulier immaculata, » græce γυνὴ ἄμωμος, id est uxor irreprehensibilis. Ita Tigurina : *Liberi*, inquit, *et exstructa civitas nomen stabile reddunt ; sed potior utrisque censenda uxor inculpata est.* Complutenses hic mutili sunt ; omittunt enim tertium membrum de muliere, unde illud supplent Romani. Porro Syrus pro una hac sententia dat duas : *Majestas et honor*, inquit, *statuent nomen, et plus utroque ille qui invenit sapientiam. Ædificatio et plantatio renovant nomen, et plus utroque mulier sapiens.*

Ternarii comparationum. Primus.

Igitur *primo*, « filii » in plurali (græce enim est τέκνα), id est copia filiorum celebrat et propagat nomen patris, utpote in quibus quasi superstes vivit et repræsentatur pater, juxta illud Euripidis : « Columnæ domorum sunt filii masculi. » Unde filii vocantur בנים *banim*, a בנה *bana*, id est ædificavit, quod ipsi ædificent domum et familiam patris. Quocirca Antoninus Pius Imperator biduo priusquam moreretur, admissis amicis de filio suo dixit, id quod Philippus de Alexandro, scilicet, se æquo animo mori, cum filium relinqueret quasi alterum se. Ita Capitolinus in *Antonino*. *Secundo*, celebrem facit « ædificatio civitatis, » vel physica, uti Cain primam mundi civitatem ædificavit, eamque a nomine filii Henoch vocavit Henochiam, *Genes.* IV, sive moralis et legalis, qua quis civitatem bonis legibus ordinat et instituit, eamque bonis moribus efformat, uti Solon leges dedit Athenis, Lycurgus Spartæ, Numa Romæ. Hi enim celebrantur quasi legislatores urbium. Verum his duobus præferenda est uxor inculpata. Quid enim prodest filiorum turba, quid nominis gloria, si tibi est uxor infida, impudica, rebellis, dicax, stulta, quæ te assidue cruciet, angat, vexet, enecet ? Uxor enim est socia thori, mensæ, domus ; quæ ubique te comitatur, tuoque lateri adhæret quasi altera tui pars, ut si illa sit nequam, ubique intime te affligat et discruciet, nec illam magis abjicere possis, quam dimidiam corporis tui partem a te resecare. Adde quod, sicut uxor honesta et prudens magnum decus et nomen marito conciliat, juxta illud : « Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ, » *Proverb.* XXXI. Sic ex adverso ingens et

indelebile marito est probrum uxor meretrix, aut maligna et nequam. Talis Antonino Imperatori fuit Faustina, Socrati Xantippe, Samsoni Dalila. Hæ sane eorum famæ plus nocuerunt, quam si illiberes et privati obiissent, nec reipublicæ gubernaculis præfuissent. Significat ergo, ut quis bonum nomen sibi paret, ante omnia curandum ut uxor sit inculpata; hæc enim ei ingens dedecus conciliabit. Denique uxor proba parit educatque filios probos, per quos ædificat domum et familiam, ac consequentur civitatem. Igitur in ea simul habes hæc tria, quæ sane uni soli, vel duobus præstant.

Mystice Rabanus : « Constructio, inquit, bonorum operum confirmat nomen Christianum, quia ille vere Christianum se esse probat, qui Christi mandata recte credendo et bene operando servat : et super hæc mulier immaculata, hoc est anima munda, sancta et incoinquinata computatur. Præcipuum ergo et supremum in meritis electorum virginitas habet præmium ; quia et Angelis sociatur in cœlis, et Agnum sequitur, quocumque ierit. »

Vers. 20. 20. VINUM, ET MUSICA LÆTIFICANT COR, ET SUPER UTRAQUE DILECTIO SAPIENTIÆ. — Hæc enim est spiritalis, divina, animæque intima, eam illuminans, sanctificans et perficiens ; quare multo magis animam delectat, quam vinum et musica, quæ exterius tantum aures et palatum corporea delectatione afficiunt, titillant et mulcent. Tigurina : *Vinum et musica cor exhilarant, sed utroque magis studium sapientiæ.* Apposite confertur et præfertur dilectio sapientiæ vino et musicæ, quia ipsa est spiritale vinum mentem inebrians, et spiritalis musica animum oblectans. Porro Syrus pro sapientia substituit amicitiam : *Vinum vetus*, inquit, *lætificat cor, et melior eo est amicitia amici.*

Nota : « Dilectio sapientiæ » proprie est dilectio virtutis. Inter virtutes autem primas tenet charitas ; vera enim sapientia consistit in timore et amore Dei, juxta illud cap. I, 14 : « Dilectio Dei honorabilis sapientia ; » vide ibi dicta. Posset quoque « dilectio sapientiæ » accipi pro sapientia dilectionis per hypallagen, quæ est sapientia diligendi; summa enim sapientia est scire diligere Deum ; aut « dilectio sapientiæ, » id est dilectio sapiens, charitas enim debet esse prudens. Simili phrasi Apostolus II *Thess.* II, 10, vocat « charitatem veritatis, » id est veram.

Moraliter de vi charitatis. Moraliter : Quanta sit vis et energia sapientiæ et charitatis, disce ex eo quod conferatur et præferatur vino et musicæ, quæ potentissima sunt ad animos excitandos, et quaquaversum flectendos. De vino res nota est, de musica patet ex dictis cap. XXXII, 5 et 7. Unde S. Justinus Martyr vim musicæ sacræ, puta hymnodiæ et psalmodiæ Christianorum sapientiam et charitatem excitantis, celebrans Quæst. CVII *ad Orthodoxos* : « Excitat, inquit, hæc cum voluptate quadam animum ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, desiderium ; affectiones et concupiscentias carnis sedat ; cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, amolitur ; mentem ad fructificationem divinorum bonorum rigat ; pietatis decertatores generosos et fortes, per constantiam in rebus adversis efficit ; omnium rerum, quæ in vita tristes et luctuosæ accidunt piis, affert medicinam. » Id expertum se profitetur S. Augustinus, lib. IX *Confess.* cap. IV, ubi Deum alloquens : « Quas, inquit, tibi voces dabam in psalmis illis, et quomodo in te inflammabar ex eis, et accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum adversus typhum generis humani. » Lege quæ sequuntur. Quocirca Clemens Alexandrinus, *Exhort. ad Gentes*, cantorem suum, id est Christum in Scripturis et psalmis canentem, præfert Orpheo et Amphioni, qui feruntur saxa et lapides traxisse canendo, sed fabulose : « Solus, inquit, cantor meus difficillimas feras mansuefacit, volucres quidem, nempe eos qui sunt leves ; serpentes, eos qui deceptores ; leones, eos qui sunt animosi et ad iracundiam concitati ; sues, eos qui sunt voluptati dediti ; lupos, eos qui sunt rapaces ; lapides autem et ligna, qui sunt insipientes. » Unde concludit : « Vide quantum potuerit novum canticum : homines ex lapidibus, et homines fecit ex feris. » Rursum S. Justinus, orat. 2 *ad Gentes*, eos invitans ad Christi fidem et sapientiam : « Estote, inquit, sicut ego, quia et ego sicut vos, » *Gal.* IV, 12 : « Accedite, inquit, Græci, docemini. Estote ut ego, quoniam et ego eram ut vos. Hæc me ceperunt, et doctrinæ vis enthea (hoc est vis divina) et sermonis efficacitas. Quoniam sicut incantator peritus formidabilem serpentem fugat, postquam fecit ut e suo latibulo eriperet ; sic sermo ex intimis animi penetralibus formidabiles sensuum affectus expellit, ac primum cupiditatem, ex qua quidquid formidabile est nascitur. » Idipsum se expertum profitetur B. Petrus Damianus, serm. *De Christi Natali* : « Olim, inquit, mihi Tullius dulcescebat, blandiebantur carmina poetarum, philosophi verbis aureis insplendebant, et sirenes usque in exitium dulces, meum incantaverant intellectum. Lex, Prophetæ, Evangelium, Epistolæ, et omnis gloria sententiarum Domini mei et servorum ejus, aut parva videbantur, aut nulla. Nescio modo quid dulcius immurmuret filius Jesse, qui vario sermonum et sententiarum concentu omnes illos, quos diligere consueveram, ineloquentes reddit et mutos. » Hæc est ergo divinæ sapientiæ harmonia, quæ omnes musicorum concentus suavitate et efficacia superat et transcendit. Denique « dilectio sapientiæ » increatæ, puta Dei, est reciproca, ideoque vera amicitia. Nam, ut ait Christus : « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, » *Joan.* XIV, 21. Magnum bonum, magna suavitas est diligere Deum, sed longe major est scire se diligi a Deo. Quem enim Deus diligit, hunc in filium adoptat, hæredem regni

cœlestis instituit, gratia et gloria donat, omnique bono cumulat et beat.

Secundum. Hæc est secunda trias delectabilium, in qua palma datur dilectioni sapientiæ, quæ sane est charitas, vel charitatis effectus; hanc enim significat Græcum ἀγάπησις. Sequitur tertia huic affinis.

Vers. 21. 21. TIBIÆ ET PSALTERIUM SUAVEM FACIUNT MELODIAM, ET SUPER UTRAQUE LINGUA SUAVIS. — Syrus, *munda*; Tigurina : *Fistula et psalterium suavem edunt cantum; at lingua suavis utrumque superat, q. d.* Sermo suavis magis mentem afficit et delectat, quam melodia instrumentorum musicorum, tum quia sermo hic ab ore et anima prodiens, est vivus et vitalis, cum illa sint mortua et inania; unde ille hisce efficacior est. Sermo enim suavis secum quasi vehit mel internum et suavitatem animæ a qua promanat, eamque defert in aures et cor audientis, itaque suo vitali divinæ dulcedinis melle eam imbuit et dulcorat, juxta illud *Proverb.* XVI, 24 : « Favus mellis, verba composita; » tum quia hic sermo est sensatus, secumque vehit prudentiam et sapientiam, atque eam infigit animo audientis; quæ ibi hærens eam diu movet, afficit et pascit; cum concentus musicus illico cum sono transeat, nec quidquam post se relinquat. Hinc fit, ut lingua suavis iram sedet, tristitiam profliget, omnesque passiones quasi excantet, ac quidvis audienti persuadeat. Id visum fuit, et etiamnum videtur in Apostolis et Apostolicis prædicatoribus, quorum lingua suavis medetur contritis corde, *Isaiæ* LXI, 1. Item in pacificis, qui dissidentes animos conciliant, juxta illud : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, » *Matth.* V. Unde Rabanus sic explicat utrumque versum : « Vinum, inquit, et ars musica cum instrumentis suis per vocis sonoritatem naturaliter delectant et movent humanum animum; sed dilectio sapientiæ, et lingua suaviter docens multo plus confortat cordis intellectum.» Sic videmus confessarios suaves ad se pœnitentes allicere et flectere quocumque volunt, sic et concionatores suaves magis influere in animos audientium quam austeros et minaces.

Tertius est lingua suavis dulcior tibia et psalterio.

Ratio.

Rursum apposite confert et præfert linguam suavem tibiæ et psalterio, quia ipsa est animata et rationalis tibia et psalterium, quæ non nisi dulcem edit melodiam. Pierius, *Hierogl.* 7, *De cervo* cap. I, tradit cervum, licet fugacissimum animal, ita melodia detineri, ut consistens capi necarique se patiatur : quanto magis hominem rationalem fugitantem detinebit et amicabit sermo comis et blandus? Ratio a priori est, quod dulcedo sit amica naturæ, illique quasi mel et nectar, quo illa pascitur, ducitur, capitur. Hinc capitur dulcedine lactis, mellis, sacchari, etc., quæ dulcem efficiunt sanguinem, indeque dulces spiritus tam amandi quam loquendi. Quocirca Plutarchus, in *Artaxerxe*, asserit Persis solemne fuisse, ut mel lacti permixtum darent in potum, quia sanguinem efficit dulcissimum, hic autem dulces et amabiles parit amores et mores, æque ac sermones. Hinc sponsus ait *Cant.* IV, 11 : « Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. » Et *Proverb.* XVI, 24 : « Favus mellis, composita verba : dulcedo animæ, sanitas ossium. » Et cap. XV, 4 : « Lingua placabilis, lignum vitæ. » Et vers. 1 : « Responsio mollis frangit iram. » Sic Nestorem commendat Homerus, quod ex ore ejus melle dulcior flueret oratio. Memorabile est quod scribit Valerius Maximus, lib. VIII, cap. IX, Valerium plebis Romanæ contra senatores rebellionem suavi oratione sedasse; ac L. Antonium tempore seditionis Marianæ missos ad se obtruncandum milites ita suaviloquentia obstupefecisse, ut districtos jam et vibratos gladios cruore vacuos vaginis redderent. Sic Cicero, lib. II *De Republ.*, concordiam, quam parit suavitas eloquii, comparat tibiis et concentui musico : « Ut in fidibus, inquit, ac tibiis, atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, unus tamen efficitur et congruens : sic summis, et infimis, et mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata naturæ civitas concentu dissimillimorum consistit, et quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, quæ sine justitia nullo pacto esse potest. »

Cervus capitur musica.

Vers. 22. 22. GRATIAM ET SPECIEM DESIDERABIT OCULUS TUUS, ET SUPER HÆC VIRIDES SATIONES, — id est viridia sata, viridia germina. Aliqui manuscripti legunt, « viride sationis; » græce χλόην σπόρου, id est *viriditas seminis*; Syrus : *Decor et pulchritudo, concupiscentia oculorum, et plus utroque spicæ agri*; Tigurina : *Oculus tuus desideret venustatem et pulchritudinem; sed virens seges est utroque gratior.* Igitur « virides sationes » proprie sunt virides segetes; hæ enim valde virent, suoque virore, et spe opimæ messis intuentium oculos animosque mire recreant, imo hæ solæ proprie sunt virides. Unde Simon Porcius, *Comment. de coloribus*, colorem viridem distinguit ab herbaceo. Extensive tamen per virides sationes accipe omnia viridia germina, et folia etiam herbarum cæterarumque plantarum. Ab auribus transit ad oculos. Est ergo hic trias objectorum quæ oblectant oculos, *q. d.* Venustas rerum, et species sive formositas corporum recreant visum; sed multo magis id facit viriditas camporum; hæc ergo maxima est venustas et formositas, idque multas ob causas.

Quartus.

Viridia sata summe oblectant oculos, cur? Causa prima.

Prima est, quod illa rerum venustas, et corporum formositas sæpe sit arte facta et fucata, ut cum pictores res venuste pingunt, vel sculptores sculpunt; aut cum feminæ stibio, cerussa et purpurisso faciem colorant, vel vestibus artificiosis se ornant : viriditas autem plantarum sit sincera et simplex, utpote a natura illis indita. Natura enim superat artem, et naturalis pulchritudo arte factam, juxta illud Christi de liliis, *Matth.* VI : « Dico vobis, quoniam nec Salomon in omni

gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. »

Secunda. Secunda est, quod forma corporum sit illecebrosa, illiciatque ad turpem cupiditatem : viriditas autem sit pura, illibata et casta, similemque delectationem oculis ingerat.

Tertia. Tertiam dat Palacius, sic explicans : Gaudet oculus videns grata et decora ædificia, aut videns venustatem et pulchritudinem feminarum : at vero, tu fili, desidera campos tuos tritico seminatos atque virentes. Recte enim Quintilianus : « Stultum est plus æstimare rubentes violas, quam fructibus oneratas olivas. Ex illis paleas, ex his collige grana. »

Quarta. Quarta est, quod inter omnes rerum species et colores, quibus pascitur oculus, emineat color viridis, præsertim naturalis camporum, idque tum quia viridis maxime contemperatus est visui, ac consistit in medio quodam visui valde proportionato. Nam albus color nimis disgregat, dispergit et dissolvit visum ; ex adverso niger visum congregat, stringit, coarctat et contristat : viridis vero inter utrumque medius ; nec nimis disgregat, nec nimis congregat ; sed æqua quadam ratione afficit visum. Causa est, tum quod albus multum habeat lucis, quæ disgregat, niger multum opacitatis, quæ congregat. Ex commixtione enim lucidi et opaci oriuntur omnes colorum varietates, ut docet Aristoteles et Philosophi, lib. III *De anima* ; viridis autem lucem opacitate congruenti habet temperatam, ita tamen ut visum acuat, excitet, delectet, corroboret. Unde pictores ex colore luteo et cæruleo contritis et commixtis, viridem efficiunt ; luteus enim et cæruleus mire lucem cum opacitate contemperant, tum quod plurimæ et quasi infinitæ sint species viriditatis, adeoque quælibet herba et planta proprium habeat virorem discriminatum a cæteris, ita ut intuens quis campum vel hortum plantis refertum, videat viriditatis plurimas varietates et species, alias magis magisque albicantes, alias magis magisque nigricantes ; alias obscuras, alias claras, alias etiam splendentes et fulgidas ; quæ omnia simul intueri, mirum est quam recreet oculos. Ita Aristoteles, in *Problem.* sect. XXXI, num. 20, docet oculum viridibus recreari et meliorem effici, tum quia viridis color medium est albi et nigri, tum quia humidior est et moderatior : « Oculi, ait, cum ad res solidas contendunt, laborant lassanturque ; cum ad humidas mollesque, quod nihil sibi obstat, passim oberrant, et licentia perliquescunt ; cum ad virides, quod istæ ut solidæ mediocriter sunt, ita satis humoris continent, neque ullo detrimento afficiuntur, et ad immorandum in hisce amplius innituntur, eo quod coloris hujusmodi habitus modice sese conspectui offert. » Insuper virides plantæ sunt quasi tapetes et aulæa Dei, quibus hanc mundi aulam camposque convestit, quæ sane eos magis ornant, quam peristromata aurea ornent palatia principum. Viror enim ex humore oritur ; ideoque viror est vigor, et quasi vita plantarum, quia ejus alimentum est humor ; unde omnes herbæ ob humorem vitalem, habent virorem, et herbaceus vividusque color, est viridis. Ex adverso quæ siccantur et emoriuntur, virorem deponunt. Quare quam varius, varieque cum terrestri materia commixtus est humor, tam varius oritur viror. Hoc autem plurimis et quasi innumeris fit modis. Hinc viror rei vigorem significat, adeoque Latinis viror a vigore nomen sumpsit : unde dicitur viridis ætas, viridis senectus, virides animi, id est vivaces, vigentes et vegeti. Denique smaragdi decor est a virore. Audi Plinium, lib. XXXVII, cap. I : « Nullius coloris aspectus oculis jucundior est. Nam herbas quoque virentes frondesque avide spectamus ; smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis, viret. »

Viridis seges est tapes campi.

Allegorice, Rabanus : « Gratiam et speciem, inquit, superant virides sationes ; cum ornatum templi, et culturæ diversitatem, cæremoniarumque et festivitatum observantiam, quam prior (Judaicus) populus sub lege habuit, Evangelii prædicatio in toto orbe terrarum seminata, fide gentium, et bonorum operum viriditate excellit. »

Virides sationes sunt vigor et zelus.

Tropologice : Virides sationes sunt virores et fervores juvenum, v. g. Novitiorum incipientium Deo pie et religiose servire ; hi enim omnem rerum venustatem et speciem superant, magisque oculos intuentium oblectant ; plus tamen iis mentem pascit matura solidaque virtutum seges, quæ in viris senibusque sanctis conspicitur. Huc facit illud :

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Rursum virides sationes fuere primi Christiani, ac præsertim S. Stephanus cæterique Christi discipuli et diaconi, qui ætate virentes et spiritu vigentes, mire oculos Dei et hominum sua virtute et fervore recrearunt : unde ex hac satione tanta deinde Virginum, Martyrum, Religiosorum, cæterorumque fidelium messis succrevit. Similiter virides sationes fuere pueri, puellæ et juvenes, qui vigorem ætatis, puta pueritiam vel adolescentiam, per gratiam menti suæ a Deo insitam consecravere Deo per martyrium, votum virginitatis, religionem, quales fuere S. Agnes, S. Cæcilia, S. Prisca, S. Pancratius, S. Vitus, S. Laurentius, S. Vincentius, et innumeri alii, quorum viror virtutis omnibus fuit oblectationi et admirationi.

Unde S. Augustinus, lib. II *De Genesi contra Manich.* cap. III, per « herbam virentem » vel « viride agri, » quod Deus die tertia mundi produxit, *Genes.* I, 11, mystice accipit « spiritalem atque invisibilem creaturam, propter vigorem vitæ, » quales sunt angeli, quibus virgines comparat et adæquat Christus, *Matth.* XXII, 30. Unde subdit S. Augustinus : « Quia et nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram id est cum fac...

animos reviviscere per verbum suum, sed de nubibus eos irrigat, id est de Scripturis Prophetarum et Apostolorum. »

Sic et S. Ambrosius, lib. III *Hexaem.* cap. VII, per herbam virentem accipit « vitæ viriditatem, quæ hilarioris vitæ quasi flos prætendit jucunditatem, puta adolescentem pubescentis ætatis viriditate florentem. » Et capite sequenti graphice depingit admirabilem germinationis modum : « Inde, ait, cum se granum resolverit, herbam germinat, grata ipsa jam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus satum similitudine sui prodit. Pascuntur oculi grato spectaculo. » Addit talia esse seminaria virtutum. Denique mira satorum remedia subjungit : « Cervus æger, inquit, ramusculos oleæ mandit et sanus fit. Locustas quoque folia oleæ arrosa liberant ab ægritudine. Rubi folia superjacta serpenti interimunt eum. Culices non tangunt te, si absinthii herbam cum oleo coquis, et eo te perunxeris. »

Accedit S. Bernardus, serm. 60 *in Cant.*, qui per vineas virentes et florentes, de quibus *Cant.* II, 13, accipit novitios : « Vineæ, inquit, florentes odorem dederunt, quod nihilominus appropinquantis fructus indicium est. Hic odor serpentes fugat. Aiunt florescentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum, quod voto attendant novitii nostri, et fiducialiter agant, cogitantes qualem spiritum acceperint, cujus primitias dæmones non sustinent. Si sic novitius fervor, quid erit absoluta perfectio? Perpendatur ex flore fructus, et saporis virtus ex vi æstimetur odoris. Vineæ florentes odorem dederunt. » Et inferius : « Cæterum si vinea anima, flos opus, odor opinio est, fructus quid? martyrium. Et vere fructus vitis, sanguis est martyris. Cum dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris. Propemodum dixissem, fructus vitis ; quidni sanguinem uvæ, dixerim meracissimum sanguinem innocentis, sanguinem justi? quidni mustum rubens probatum, pretiosum, plane de vinea Sorec, torculari passionis expressum? Denique pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. »

Rursum S. Gregorius, lib. XXX *Moral.* cap. XV, explicans illud *Job* cap. XXXIX, 8, de onagro : « Virentia quæque perquirit, » sic ait : « Arentia quippe sunt omnia, quæ temporaliter condita, venturo fine a jucunditate vitæ præsentis quasi æstivo sole siccantur. Virentia autem sunt vocata, quæ nulla temporalitate marcescunt. Huic ergo onagro virentia perquirere, est sancto cuique viro despectis rebus transitoriis in æternum mansura desiderare. »

S. Hieronymus vero, epist. 137 *ad Cyprianum*, explicans illud, *Psalm.* LXXXIX : « Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat ; Omnis, inquit, humana conditio somnio comparabitur. Sicut enim mane virens herba, et suis floribus vernans, delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens amittit pulchritudinem, et in fenum, quod conterendum est, vertitur : ita omnis species hominum vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris, et repente dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extensa contrahitur ; et extremo fine, quod hic dicitur vespere, id est senectute, vix moveri potest, ita ut non cognoscatur quis prior fuerit, sed pene in alium commutetur. » Unde concludit : « Æternitati comparata brevis et omnium temporum longitudo. Omne quod in sæculo longum videtur, apud te, Deus, breve est ; dies enim et anni, quibus humana vita contracta est, si comparentur æternitati, reputabuntur pro nihilo. » Quarta est hæc trias comparationum; sequitur quinta.

23. AMICUS ET SODALIS IN TEMPORE CONVENIENTES (subaudi, grati sunt, et sese delectant), ET SUPER UTROSQUE MULIER CUM VIRO. — Pro *in tempore convenientes*, græce est εἰς καιρὸν ἀπαντῶντες, id est ad tempus occurrentes, *q. d.* Pergratum est cum amicus amico, vel sodalis sodali multo tempore non visus, in tempore, præsertim necessitatis vel commoditatis, cum ejus opera indiget, occurrit : at longe gratior est uxoris cum viro continua, perpetua et indissolubilis unio. Per hanc enim non tantum tempore necessitatis, sed et quovis alio alter alteri occurrit et succurrit, consulit, solatur, adeoque quasi dimidium jugi et oneris alterius portat ; unde et vocantur conjuges et conjugati, juxta illud *Genes.* II, 24 : « Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem (multo magis sodalem et amicum), et adhærebit uxori suæ. » Unde Tigurina : *Ut amicus commode congruat cum amico, vir tamen et uxor concordes utrique præferendi sunt.* Hi enim sunt intime amici et sodales. Syrus : *Amicus et socius in momento benedicuntur, et plus utroque mulier bona.*

Vers. 23. Quintus.

Præclare ex S. Basilio S. Ambrosius, lib. V *Hexaem.* cap. VII, conjugibus concordiæ et benevolentiæ exempla et stimulos dat bovem, equum, quin et viperam : « Comparem, inquit, suum et bos requirit, et equus diligit : et si mutetur alius, trahere jugum nescit compar alterius, et se non totum putat : tu jugalem repudias tuum, et putas sæpe mutandum ; et si uno defecerit die, suspicaris rivalem, et statim incognitam quasi cognitam pudoris exsequeris injuriam. Vipera absentem requirit, absentem vocat, et blando proclamat sibilo ; atque ubi adventare comparem senserit, venenum evomit, reverentiam marito deferens, verecundata nuptialem gratiam : tu mulier advenientem de longinquo maritum contumeliis repellis. Vipera mare prospectat, explorat iter conjugis : tu injuriis viam viro obstruis ; tu litium moves venenum, non rejicis ; tu conjugalis amplexus tempore dirum virus æstuas, nec erubescis nuptias, nec revereris maritum. Sed etiam tu vir (possumus enim etiam sic accipere),

Concordiæ exempla in bove, equo, et vipera.

depone tumorem cordis, asperitatem morum, cum tibi sedula uxor occurrit; propelle indignationem, cum blanda conjux ad charitatem provocat. Non es dominus, sed maritus; non ancillam sortitus es, sed uxorem; gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. »

Medium ad concordiam.

Porro medium efficax ad hanc viri et uxoris unionem suggerit Apostolus, *Ephes.* v. 33, dicens: « Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat (revereatur) virum suum.» In quæ verba commentans S. Chrysostomus, *homil.* 20, notat inter virum et uxorem esse conditionis dissidium, eo quod statu sint impares, cum vir sit caput, uxor sit subdita, quæ virum suspicit et reveretur, sed per amorem hoc dissidium tolli, eosque fieri pares; amor enim viri facit quasi æquilibrium reverentiæ uxoris. Cum enim uxor reverenter se deprimit et subdit viro, amor viri se ad eam demittit, eamque elevat et attollit, sibique facit parem et æqualem. Amor ergo viri ex æquo respondet reverentiæ et subjectioni uxoris, cum eaque facit æquilibrium, sic ut inter virum et uxorem in quadam inæqualitate sit æqualitas, et in dissimilitudine ponderum æquilibrium. Alludit autem S. Chrysostomus ad græcam vocem σύζυγος quæ conjuges significat: est autem ζυγὸς vox anceps, jugum atque libram significans, ita ut συζύγους sicut *conjuges*, sic et *collibres* aut *equilibres* vertere liceat. Sicut ergo æquilibrium in bilance facit lancium æqualitatem et concordiam: sic amor faciens æquilibrium viri et uxoris, eorum inducit parilitatem, unionem et pacem. Sed audi Chrysostomum: « Alterum principatus locum habet uxor, proinde neque ipsa honoris æqualitatem appetat; est enim sub capite, ne ille tanquam subjectam contemnat, corpus namque est. Et si caput contempserit corpus, et ipsum simul peribit. Sed dilectionem inducat, quæ obedientiæ ac subjectioni ex æquo respondeat, quale est quando manus, pedes et reliqua omnia membra capiti serviunt, illud vicissim eorum curam et providentiam agit, omnem sensum in ipsis habens. Nihil isto conjugio melius. Et quomodo potest esse dilectio, inquit, præsente timore? tum sane potissimum potest. Quæ enim timet virum, diligit etiam; quæ diligit, timet ut caput, diligit ut membrum; quandoquidem et caput membrum est totius corporis. Propterea mulierem Deus subjecit, virum vero illi præfecit, ut pax sit. Nam ubi honoris est æqualitas, aut ubi familia dominatur, vel omnes principatum gerunt, ibi nunquam poterit esse pax; sed necesse est unum esse principatum, atque id ubique in rebus corporalibus. »

Tropologice, optima et gratissima est unio, qua in homine pars inferior superiori, puta portio concupiscibilis rationali, ac sensus menti, quasi uxor viro se subjicit, illique per omnia unitur et concordat; hæc enim est summa amicitia, sodalitas et conjugium. Vide quæ de concordiæ bono dixi cap. XXV, vers. 2.

Vers. 24. 24. FRATRES IN ADJUTORIUM IN TEMPORE TRIBULATIONIS (subaudi, adveniunt, vel accurrunt), ET SUPER EOS MISERICORDIA LIBERABIT. — Græca pro *in adjutorium*, habent *et adjutorium*. Unde Syrus: *Frater et auxiliator in tempore tribulationis, et plus utroque eleemosyna redimit.* Et Tigurina: *Fratres* Sextus. *et auxilia profuerint tempore calamitatis; sed misericordia præstantior utrisque liberatrix est, q. d.* Fratres in tempore tribulationis fratri afflicto occurrunt, ut illi opitulentur, eumque liberent; at longe magis misericordia exercita in miseros a misericorde, illi, si in miseriam aliquam inciderit, occurret, ut illum ex ea liberet; quia scilicet impetrabit a Deo auxilium et gratiam, quæ eum eruat et salvet, juxta illud *Tobiæ*, cap. IV: « Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. » Vide dicta cap. III, 34. Monet parabola, inquit Jansenius, plus fidendum esse in præsidio bonorum operum, quam in præsidio hominum, quantumvis amicorum. Nam gratissimum quidem, tutissimum et validissimum est auxilium, quod in tempore tribulationis frater fratri impendit; sed superat auxilium eleemosynæ præstitæ: hoc enim auxilium ex Deo est, illud ex hominibus.

Est hæc sexta trias comparationum, sequitur septima. Siracides enim multiplicat triades, ut in iis adumbret mysterium SS. Trinitatis; hæc enim, utpote essentialis, increata et immensa, est origo et fons triadis creatæ et finitæ, adeoque in illa se exprimit et repræsentat; atque hac de causa rebus omnibus ternarium quemdam, vel potentiarum, vel operationum, vel similium rerum, quasi sui imaginem inseruit, uti ostendi, *Amos.* cap I, 3, sed ita, ut ipsa omnes et singulas in immensum superet.

Vers. 25. 25. AURUM ET ARGENTUM EST CONSTITUTIO PEDUM (græce ἐπιστήσουσι πόδα, id est stare faciunt, statuunt, erigunt, firmant et stabiliunt pedem): ET Septimus. SUPER UTRUMQUE CONSILIUM BENEPLACITUM,—subaudi est; hoc est bene placet, gratum est et acceptum. Græce enim est βουλὴ εὐδοκιμεῖται, id est *consilium approbatur, q. d.* Opes auri et argenti firmant hominem, ejusque statum, ut firmiter in eo consistat, nec ab eo facile dejici possit, utque in eo fidenter et securus obambulet: at longe magis approbatur et perplacet sanum consilium; hoc enim longe magis eum firmat, gressusque ejus dirigit, ut stabiliter obambulet sine metu cadendi vel offendendi. Unde Arabicus vertit: *Aurum et argentum stabiliunt* (Syrus, *confirmant*) *pedem: et melius his omnibus consilium bonum;* Tigurina: *Aurum quidem et argentum statum cujuspiam constabilierint; sed prudentia est utroque commendabilior.* Nam, ut ait Isocrates ad Demonicum: « Sapientia sola possessionum immortalis. Arbitrare optimum esse, a diis quidem bonam fortunam, a nobis ipsis autem bonum consilium. » Sed accipe

hoc cum grano salis, scilicet quod consilium sit a nobis, juvante tamen Deo ; bona vero fortunæ, fere sint a solo Deo.

Consilii præstantia quantum.

Ratio a priori est, quod aurum et argentum inanima sint et externa, consilium autem sit rei intimum, ejus quasi basis, imo anima. Sicut enim ratio dirigit hominem, ut rationaliter agat et vivat : sic consilium dirigit actiones et res, ut prudenter fiant et firmiter consistant. Consilium enim suggerit omnia rei adminicula et fulcra, atque amovet omnia ejus obstacula et firmitati contraria. Quocirca regna, respublicæ, urbes, collegia, cœtus, qui consilio reguntur, firmi consistunt, crescunt et exaltantur, juxta illud *Proverb.* XI, 14 : « Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia. » Sicut enim salus et cursus navis pendet a perito gubernatore et gubernaculo : sic salus reipublicæ a sapiente consiliario et consilio. Et cap. XX, 18 : « Cogitationes consiliis roborantur : et gubernaculis tractanda sunt bella. » In bello enim plus valet consilium quam plurimi milites. Sic Romani « possederunt omnem locum consilio suo et patientia, » I *Machab.* cap. VIII, vers. 3. Alexander Magnus rogatus qua ratione tam brevi tempore orbem debellasset, respondit : « Consiliis, eloquentia et arte imperatoria, » teste Stobæo, *serm.* 54. Unde Vegetius, lib. III, cap. IX, duci exercitus maxime commendat sapientum consilia. Passienus Crispus, Neronis Imperatoris vitricus, dicere solebat se quorumdam hominum consilium malle quam beneficium. Antoninus Pius Imperator nihil agebat in re bellica vel civili, nisi ex prudentum consilio, dicens: « Æquius est ut ego tot taliumque amicorum consilium sequar, quam ut tot talesque amici meam unius sequantur voluntatem. » Ita Julius Capitolinus in ejus *Gestis*. Memorabilis est gnome Euripidis : « Unicum consilium rectum magnam militum manum vincit. » Plus enim possunt modicæ vires consilio armatæ, quam magnæ consilii expertes. Paulus Æmilius aiebat: « Imperatorem si minus ætate, certe moribus et consilio senem esse oportere. » Denique Antonius in *Melissa*, part. II, serm. 60 : « Qualis, inquit, est civitas cujus diruta sunt mœnia, talis est vir qui non omnia agit cum consilio. » Sic Chusai suo consilio plus erexit Davidem, quam si multa talenta auri ei dedisset. Nam eum profugum a facie Absalomi regno restituit, II *Reg.* XXVII. Idem fecit consilium, quod Jethro dedit Moysi, *Exodi* XVIII.

Gnome

Mystice, Hugo per consilium accipit Evangelicum, v. g. paupertatis, *q. d.* Melior est magisque placet Deo et Sanctis paupertas Evangelica, quam omnes opes auri et argenti ; scriptum est enim : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V.

Octavus.

Sequitur trias octava, vel ut alii (qui primam numerant, vers. 18 : « Vita sibi sufficientis operarii, etc.) computant, nona, ultima scilicet et perfectissima, timoris Domini; sicut nonus angelorum, puta Seraphinorum, chorus, est summus et perfectissimus; quia ipsi summe timent, id est reverentur, amant et glorificant Deum. Unde ab amoris ardore vocantur « Seraphim, » id est ardentes et inflammati, aliosque inflammantes.

26. FACULTATES (græce χρήματα, id est pecuniæ, divitiæ) ET VIRTUTES EXALTANT COR ; ET SUPER HÆC TIMOR DOMINI. — Virtutes, græce ἰσχύς, id est vires, robur, fortitudo; perperam ergo in Rabano legitur *victus* pro *virtus*. Syrus : *Fortitudo et robur exaltant cor, et plus utroque timor Dei*. Sensus est, *q. d.* Opes et vires erigunt homini cor, eumque faciunt animosum et audacem, ut neminem metuat; at longe magis erigit cor facitque animosum timor Domini; licet enim timor humanus cor contrahat, enervet et deprimat; tamen timor Dei cor dilatat et extollit, viresque auget; tum quia timor hic facit hominem Deo obedientem, ejusque leges exacte servantem, quem proinde quasi suum fidelem famulum tutatur Deus; tum quia timor hic causat spem in Deum, quæ hominem, utpote Deo innixum, facit intrepidum, imo quasi omnipotentem, ut dicat cum Apostolo : « Omnia possum in eo qui me confortat ; » tum quia timor hic vel est amor, vel includit amorem Dei; Deus autem sui amantes quasi amicos et filios carissimos redamat, protegit, defendit contra omnes hostes, et quævis adversa. Denique timor Dei exaltat cor, quia dat lætitiam cordi, dat longitudinem dierum, dat omnem et in vita et in morte benedictionem, ut dictum est cap. I et II. Unde Tigurina vertit : *Erigunt quidem animum opes et potentia; sed utroque præstat religio Domini*. Timor enim Dei est Dei veneratio, religio, cultus, obsequium, obedientia et amor. Ita timor Dei exaltabat cor Davidis, ut in mediis periculis, undique obsessus a Saule et hostibus, fidens, securus et alacer caneret : « Dominus illuminatio mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo, » *Psalm.* XXVI. Sic videmus apostolos et viros apostolicos timore Dei armatos magnanime maxima tentasse, et feliciter confecisse; ac in dies tentare et conficere ut reges, principes, sapientes et divites sibi subjugent, provincias et regna convertant, totumque orbem Christo subdant.

Vers. 26.

Animi celsi fortitudo.

Quocirca S. Basilius, in illud *Psalmi* XIV, 4 : *Ad nihilum deductus* (græce, *annihilatus*) *est in conspectu ejus malignus* (improbus); *timentes autem Dominum glorificat*, sic scribit : « Magno prorsus et præstanti animo opus est, et qui in nullam se sinat deflecti partem humanarum rerum, quique virili fortitudine præditus ad summum jam pervaserit justitiæ habitum, suum jus ut cuique pro dignitate dispertiat ac distribuat, et maligne agentes noverit ad nihilum deducere; quantolibet magistratu isti polleant, quantislibet referti opibus se venditent, sint licet generis claritudine

conspicui et illustres, quamlibet sui nominis splendorem sustollant ac celebrent; tantum si in his deprehendatur ulla vitæ malignitas; hos, inquam, ad nihilum deducere, hoc est, ne tantilli quidem æstimare, excelsi est prorsus et præstantis animi. Contra vero timentes Dominum, ut hi pauperes sint, ignobiles, idiotæ sermone, corpore debiles; hos gloria et laudibus attollere, ac beatos existimare addecet eum qui, spiritali doctrina eruditus, tales didicerit plane esse beatos. Ejusdem namque bene institutæ mentis fuerit, et agentem iniqua, quamvis clarum et potentem, nihili pendere, et timentem Dominum glorificare, quamvis tenuem, pauperis ac despicabilis vitæ, nec quidquam externorum possidentem, quæ nos invitent ad illius commendationem. »

Vers. 27. 27. NON EST IN TIMORE DEI MINORATIO, ET NON EST IN EO INQUIRERE ADJUTORIUM. — Ita Latina Romana et Græca Complutensia, licet ea quæ Romæ correcta sunt habeant φόβῳ, id est *timori*, pro *in timore*. Persistit in encomio timoris Dei, quasi apicis sapientiæ omnisque boni, ac de more in ejus laudes excurrit. Ait ergo : *Non est in timore Dei minoratio;* græce ἐλάττωσις, id est diminutio, defectus, inopia, *q. d.* Nihil deest timori Dei, ut hominem salvet : ipse enim sufficit, esto cætera desint; quare non est opus ut quis inquirat adjutorem vel adjutorium, quod scilicet adjuvet timorem ad salvandum hominem; quasi is per se sit diminutus et insufficiens ad hoc, egensque alterius auxilio. Timor enim cæteras virtutes et bona vel complectitur vel impetrat a Deo. Unde Syrus : *Non est in timore Dei defectus, et non est opus quærere cum illo adjutorem;* et Vatablus : *Religioni Domini nihil deest, nec opem in ea desideres*, juxta illud *Psalm.* XXXIII : « Timete Dominum, omnes sancti ejus; quoniam nihil deest timentibus eum. Divites eguerunt, et esurierunt; inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. » In omnibus aliis auxiliis et rebus est diminutio et defectus; ac proinde omnes egent ope et auxilio alterius; at secus est in timore Dei; quia hic nititur Deo, omniaque habet et potest in Deo, juxta illud Jacob ad Joseph, *Genes.* XLIX, 24 : « Sedit in forti arcus ejus, etc. Deus patris tui erit adjutor tuus. » Et illud Jacob ad Aser, *Deuter.* XXXIII, 26 : « Ascensor cœli auxiliator tuus; magnificentia ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna; ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere. » Vide ibi dicta. Timens Deum ergo nullius opis indiget, quia Dei ope juvatur et fulcitur.

Vers. 28. 28. TIMOR DOMINI SICUT PARADISUS BENEDICTIONIS, ET SUPER OMNEM GLORIAM APERUERUNT ILLUM, — scilicet timorem Domini. Dixit versu præcedenti timorem amovere omne malum; nunc dicit conciliare omne bonum, *q. d.* Timor Dei est « sicut paradisus benedictionis, » id est benedictus a Deo, cui scilicet Deus benedixit, id est benefecit, omni amœnitate, omni fructuum genere, copia et præstantia eum decorans et locupletans. Sicut enim paradisum omni fructuum, sic timentem se omni virtutum genere cumulat, ac præsertim pascit eum ligno vitæ, id est Eucharistia, quasi pane immortalitatis; qui scilicet veram et beatam immortalitatem ipsi conciliat, uti promisit Christus, *Joan.* VI, 52. Simili modo, vers. 17, « gratiam, » id est beneficentiam, comparavit paradiso benedictionis. Sicut ergo infernus est ubi peccatum mortale est; ita paradisus et cœlum est ubi gratia et timor Dei est, ubi scilicet nullius criminis reatus conscientiam mordet : timor enim Dei beatam facit animam, uti dixi cap. XXXIV. Hinc Sancti qui timent Deum in Scriptura vocantur Cœli, juxta illud *Psal.* XVIII, 1 : « Cœli enarrant gloriam Dei. » Et *Psal.* LXXXVIII : « Confitebuntur cœli mirabilia tua. » Et *Apocal.* XII : « Lætamini, cœli, et qui habitatis in eis. » Quocirca « super omnem gloriam, » id est præ omni decore et gloria tam Deus, quam homines et angeli, « operuerunt, » id est convestierunt et ornarunt timorem Domini; dum timentem Deum præ omnibus laudant, honorant, celebrant, exaltant, magnificant, non tantum verbis, sed et rebus; quia eum suis donis, gratiis, honoribus, dignitatibus, privilegiis, statibus, gradibus, adeoque omni gratia et gloria condecorant. Unde Syrus : *Timor Dei super omnia exaltatus est; apprehende illum, fili mi, et ne dimittas illum; quia non est sicut ipse. Timor Dei in tempore benedictus, et super omnem honorem ipse laudatur.* Et Vatablus : *Religio Domini instar horti fortunati est, in quo contegendo omnis est superata magnificentia.* Noster legit ἐκάλυψαν, id est operuerunt, in plurali. Jam Complutensia et Romana legunt in singulari ἐκάλυψεν, id est *operuit*, vestivit, supple, Deus paradisum, æque ac timorem et timentem Deum. Alii vertunt : *Timor Domini similis est felici paradiso, cujus operimentum omnem gloriam exsuperat.* Timor Dei ergo est gemmea calyptra, aurea cyclas, diadema smaragdinum, regium paludamentum, quod longe magis timentem Deum exornat, quam omnes purpuræ et sceptra exornant reges et principes. Alludit ad benedictiones et beneficia data Patriarchis timentibus Deum, *q. d.* Has et plures obtinebis, iisque coronaberis, si timueris Deum. Præsertim vero alludit ad illam quam Jacob imprecatus est Josepho, *Genes.* XLIX, 25 : « Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus; donec veniret desiderium collium æternorum; fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos. » Similia tribui Joseph imprecatur Moses moriturus, *Deuter.* XXXIII, 13. Quam ergo lætari, exsultare et jubilare perpetim debet justus tot Dei benedictionibus circumvallatus, et quasi obrutus! quam in adversis et arduis esse secu-

rus, constans, magnanimus, quem Deus undique coronat sua misericordia et miserationibus! Porro Syrus addit hic duas gnomas quæ desunt in Græcis et Latinis : *Fili mi*, ait, *ei qui poscit te ne deneges. Ne sis bonus ad occidendum, sed esto bonus ad vivificandum.*

TERTIA PARS CAPITIS.

DE CAVENDA INOPIA.

Vers. 29. 29. FILI, IN TEMPORE VITÆ TUÆ NE INDIGEAS; MELIUS EST ENIM MORI, QUAM INDIGERE. — Redit ad id quod dixit vers. 18 : « Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur; » ut ostendat quam cavendum sit otium, quod est causa inopiæ, quamque amplectendus sit labor et operatio, quæ est causa opum et abundantiæ. Utrumque enim docet timor Dei, juxta illud Pauli ; « Est quæstus magnus pietas cum sufficientia, » 1 *Timoth.* VI.

Pro *indigeas* et *indigere* græce est ἐπαιτεῖν, id est mendicare : quia indigentia est causa mendicitatis. Est ergo metonymia. Noster enim Interpres solerter expressit causam pro effectu, qui ordinarie ex tali causa consequitur; unde Græca eleganter sic habent : Τέκνον ζωὴν ἐπαιτήσεως μὴ βιώσῃς κρεῖσσον ἀποθανεῖν ἢ ἐπαιτεῖν, id est, ut Complutensia : *Vitam mendicitatis* (Romana, *mendicationis*; alii, *mendicam ne vivas*; *melius est mori, quam mendicare.* Tigurina : *Fili, cave ne vivas mendicato; mortuum esse præstat, quam mendicare, q. d.* Fili, ne otio et desidia te in summam egestatem et necessitatem assidue mendicandi conjicias; indigentia enim et egestas hic non quælibet, sed gravis et continua, quæ hominem cogat vivere mendicato, intelligitur. Alioqui nemo est, ne rex quidem, qui non quandoque alicujus rei sit indiguus. Causa est quod vita mendicorum sit pauperrima, miserrima, sordidissima, onerosissima tam aliis, quam sibi; ac proprie quod apud Judæos erat infamis; erat enim signum iniquitatis et vitæ sceleratæ. Ad hanc enim castigandam Deus Judæis comminatus erat, et reipsa infligebat rerum penuriam et mendicitatem; sicut ex adverso justis, legemque suam servantibus promiserat opes, rerumque copiam, ut patet *Levit.* XXVI, toto pene capite, ac *Deuter.* XV, 4 : « Omnino indigens et mendicus non erit inter vos. » Unde et Psaltes inter cæteras maledictiones impii hanc quoque assignat : « Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent, » *Psal.* CVIII. Inter benedictiones vero pii hanc : « Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem, » *Psal.* XXXVI. Verum Christus hanc infamiam sustulit, adeoque beatos pauperes spiritu pronuntiavit, ipseque paupertatem hanc amplexus, Christianis, præsertim Ecclesiasticis et Religiosis perfectionis avidis eam sectandam proposuit. Hæc enim est paupertas non coacta, sed voluntaria, sponteque ad exercitium humilitatis, patientiæ, pœnitentiæ suscepta, utque homo liber a desideriis curisque terrenis totus vacet Deo et contemplationi rerum cœlestium, ac per hoc opibus maximis in cœlo a Deo beetur. Talis enim non respicit in mensam alienam, ut sequitur, sed in Deum ipsum, qui sibi servientibus, regnumque cœlorum quærentibus promisit se temporalia adjecturum. Talis quoque orando, prædicando, dicendo, etc., utilior est reipublicæ quam si laboraret manibus. Unde Apostolus, 1 *Corinth.* IX : « Si nos, inquit, vobis spiritualia seminavimus, multum est si carnalia metamus. » Imo Christus, *Luc.* X : « Dignus est operarius cibo suo. » Unde S. Franciscus, in *Regula*, cap. VIII, paupertatem suis impense commendans : « Fratres, inquit, nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini et advenæ in hoc sæculo in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari; quia Dominus pro nobis se pauperem fecit in mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos carissimos fratres meos hæredes regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium; cui totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis. » Celsitudo paupertatis spiritualis.

Tropologice, Rabanus apposite hæc accipit de acedia et inertia ad exercendas virtutes, et conquirenda bonorum operum merita et lucra : « Admonet, inquit, nos Sapientia ne per otiositatem perdamus tempus nobis indultum, sed magis laboremus recte credendo, intente legem Dei meditando, atque bene operando; ut hic habeamus opes virtutum, et in futuro vitam æternam. Melius est enim a præsenti vita cito decedere, quam hic diu inutiliter vivere; quia otiositas diuturni temporis majorem in tormentis habebit vindictam. » Citat deinde exemplum virginum fatuarum, quæ, carentes oleo, dum illud emendicant et quærunt, exclusæ sunt a nuptiis cœlestibus; et servorum, qui, talenta domini laboriose expendentes, æternam ab eo mercedem receperunt, *Matth.* XXV. Tropologice.

Vers. 30 et 31. 30 et 31. VIR RESPICIENS IN MENSAM ALIENAM, NON EST VITA EJUS IN COGITATIONE VICTUS; ALIT ENIM ANIMAM SUAM CIBIS ALIENIS. VIR AUTEM DISCIPLINATUS ET ERUDITUS CUSTODIET SE. — Pro *non est vita ejus in cogitatione victus*, græce est, οὐκ ἔζησεν αὐτοῦ ὁ βίος ἐν λογισμῷ ζωῆς, id est *non est vita ejus in æstimatione*, reputatione, computu, « vitæ, » *q. d.* Talis vita non est æstimanda et censenda vita, sed mors

potius longa et assidua; quia assidue eget, famet, mendicat, despicitur et ridetur. Unde a Græcis talis vita vocatur ἀβίωτος βίος, id est vita sine vita, vita non vitalis, vita miserorum morientium potius quam viventium. Sic quoque Noster accipi posset; sæpe enim victus ponitur pro vita, quia hæc victu et cibis sustentatur, ut sit metonymia. Planius tamen Nostrum et consequenter Græca sic exponas, *q. d.* Mendicus qui, cum non habeat mensam et cibum, quo se alat, cogitur respicere in mensam alienam, ut ea pascatur; hic, inquam, vitam agit otiosam et inertem, nec cogitat de laborando, ut sibi victum paret: *Alit enim animam*, id est vitam, *suam cibis alienis*. Pro *alit* græce est ἀλισγήσει, id est *contaminabit*; quia mendicorum vita est spurca, misera, inops, vilis, sordida, stolida et infamis, imo bestialis et canina; canes enim mendicant ad mensam heri, jugiterque ad eum respiciunt, ut sibi os aliquot projiciat quod rodant; unde mendicus vitam non habet propriam, sed alienam; vita enim ejus est in potestate non sua, sed divitis, in quem respicit, quique eum alit; ut ille, si nolit eum alere, vita privandus et fame conficiendus sit; perinde ut incarcerati pendent a manu et ore præfecti carceris, ut ab eo victum vitamque recipiant, vel fame conficiantur, et mori cogantur. Quare « vir disciplinatus et eruditus, » id est prudens et sapiens, « custodiet se, » ne in vitam tuam miseram sua inertia incidat; sed potius laborando comparabit sibi alimenta, ut vitam agat propriam, honestam, quietam, jucundam. Unde Tigurina vertit: *Viri mensam alienam spectantis vita non est pro vita deputanda; nam animum suum constristat* (Vatablus *inquinat*) *cibis alienis; quod cavebit vir prudens et eruditus.* Complutenses legentes, οὐκ ἔχει βίον, sic vertunt: *Vir, respiciens ad alienam mensam, non habet vitam in ratione vitæ; inquinabit animam suam in cibis alienis; vir autem sapiens et eruditus custodiet.* Romani vero legentes, οὐκ ἔστι αὐτοῦ ὁ βίος, vertunt: *Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in computatione vitæ*, etc.; alii: *Ejus vita non est habenda vita*, etc.; *vir autem sciens et eruditus id cavebit.* Syrus: *Virum qui sperat in mensam alienam, nemo reputabit vivum. Odit animam suam, qui amat voluptates; et viro qui cognoscet eas, dolor viscerum sunt.*

Mendicorum vita mors potius quam vita.

ers. 32. 32. IN ORE IMPRUDENTIS CONDULCABITUR INOPIA ET IN VENTRE EJUS IGNIS ARDEBIT. — Ita Romani. Pro *imprudentis* græce ἀναιδοῦς, id est *impudentis*, et ita legit Rabanus, Jansenius et alii; quin et Syrus: *In ore impudentis*, inquit, *suavis erit mendicatio, et sicut ignis ardet in medio ejus.*

Pro *condulcabitur* perperam aliqui legunt, *conculcabitur*; græce enim est, γλυκανθήσεται. Per *inopiam* metonymice accipitur mendicitas, et vita mendica, cujus inopia et inertia est causa: hanc enim significat Græcum ἐπαίτησις. Nam alias hæc sententia esset adversa illi, cap. XIII, 30: « Nequissima paupertas in ore impii. » Sensus ergo est, *q. d.* Homo imprudens et impudens, qui caret prudentia æque ac pudore, dulcem sibi æstimat mendicitatem; quia mavult iners inverecundo ore mendicare, quam honeste manibus laborare, ut victum sibi comparet: præfert enim inertiam labori, suavitatem honestati, inverecundiam pudori. Quocirca pœnam damnumque sentiet: « Nam in ventre *et stomacho* ejus ignis, » id est fames ex calore stomachi excitata, exardescet, eumque affliget et cruciabit; qui si laborare voluisset, famem omnem abunde depulisset, ac simul suo pudori, famæ et honestati consuluisset. Unde Arabicus vertit: *Quæstio* vel *petitio impudentis, timor in ore illius; veluti ignis in ventre illius ardet*; Tigurina: *Ori impudentis suavis est mendicitas* (alii, *mendicatio*); *ignis ardet in ventre ejus.* Ita videmus homines viles et errones vagabundos, imprudenter et impudenter mendicare malle, quam laborando victum quærere: ex hac impudenti inertia et inopia aguntur sæpe in furta, rapinas, latrocinia aliaque scelera, uti experientia constat. Qua de causa multæ urbes recte moratæ, in quibus viget politia, non permittunt mendicos, sed cogunt pauperes, si vires habeant, laborare: sin viribus ob ætatem vel morbum careant, sintque indigenæ, alunt eos in nosocomiis vel hospitalibus: exteros vero ad suas civitates et pagos relegant. Hac de causa Plutarchus, in *Laconicis*, laudat Lacedæmonios, quod mendicos habebant velut infames, et mendicitatem velut probrum; eo quod et otium odissent, et minimo essent contenti. Benignitas autem in mendicos est quidem actus magnæ virtutis: sed ea piorum hominum bonitas alit plurimorum malorum luxuriosam ignaviam. Unde Lacon, inquit, rogatus a mendico ut sibi daret eleemosynam, respondit: « Si quid dedero, magis es futurus mendicus; atque istius probrosæ vitæ tuæ auctor fuit qui tibi primus dedit, teque fecit inertem. » Quocirca Salomon, mortalium sapientissimus, mendicitatem deprecatur, *Prov.* XXX, 8, dicens: « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. »

Tropologice, Rabanus pergit hanc sententiam adaptare inerti ad bona opera, cui suavis est sua pigritia: sed ob hanc igne gehennæ cruciabitur. « Cui enim, inquit, modo placet magis desidiæ otio torpere, quam verbo doctrinæ proximis prodesse; hic in futura pœna ardens, etiam pœnitentiæ doloribus in animo æstuante sine remedio cruciabitur. »

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit ad initium, cap. XL, agitque de ultima parte jugi posteris Adæ incumbentis, puta de morte. Igitur primo, vers. 1 usque ad 8, docet quibus amara sit mors, quibus jucunda; secundo, a vers. 8 ad 17, agit de filiis probrosis, de maledictione impiorum, deque pulchritudine ac cura boni nominis; tertio, a vers. 17, ad finem varia recenset, de quibus est erubescendum. Porro congruo ordine hæc prosequitur: ex primo enim sequitur secundum, ex secundo tertium. Primo enim docet mortem amaram esse divitibus, qui in hac vita deliciis et prosperitate affluunt, dulcem vero esse pauperibus et afflictis; ut inde ostendat mortem in se non esse adeo amaram et terribilem, ut multi autumant; sed id pendere ex affectu et dispositione hominum, scilicet amaritudinem mortis provenire ex nimio affectu vitæ suavis et deliciosæ. Ubi enim hic affectus non est, ut in pauperibus et afflictis, ibi non amara sed dulcis est mors. Ex quo concludit non esse metuendam mortem, quod illa commune naturæ sit debitum, ideoque ex necessitate omnibus nullo excepto subeunda. Cum igitur nulli semper vivere liceat, hinc secundo colligit curandum cuique esse, ut moriens bonum sui nomen et famam posthumam, in qua semper vivat, relinquat. Unde tertio disserit de bono nomine, in quo illud consistat, docetque consistere in eo si quis nil committat pudendum, cujus, scilicet, eum pudere, et de quo erubescere merito debeat: quænam autem illa sint sigillatim recenset.

1. O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis; 2. viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum! 3. O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti et qui minoratur viribus, 4. defecto ætate, et cui de omnibus cura est, et incredibili qui perdit patientiam! 5. Noli metuere judicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt et quæ superventura sunt tibi! hoc judicium a Domino omni carni. 6. Et quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi? sive decem, sive centum, sive mille anni. 7. Non est enim in inferno accusatio vitæ. 8. Filii abominationum fiunt filii peccatorum, et qui conversantur secus domos impiorum. 9. Filiorum peccatorum periet hæreditas, et cum semine illorum assiduitas opprobrii. 10. De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio. 11. Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi! 12. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. 13. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur: sic impii a maledicto in perditionem. 14. Luctus hominum in corpore ipsorum, nomen autem impiorum delebitur. 15. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni. 16. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum.

Dixit curam magnam esse habendam boni nominis: nunc apte subjungit et recenset ea quæ mali sunt nominis, malæque famæ ut homini verecundiam et infamiam pariant; ad hoc, ut studiosus boni nominis ab iis sibi caveat, et contraria, quæ bonam famam conciliant, accersat.

17. Disciplinam in pace conservate, filii. Sapientia enim abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? 18. Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam. 19. Verumtamen reveremini in his quæ procedunt de ore meo. 20. Non est enim bonum omnem reverentiam observare: et non omnia omnibus beneplacent in fide. 21. Erubescite a patre et a matre de fornicatione: et a præsidente et a potente de mendacio: 22. a principe et a judice de delicto: a synagoga et plebe de iniquitate: 23. a socio et amico de injustitia: et de loco in quo habitas, 24. de furto, de veritate Dei et

testamento: de discubitu in panibus et ab obfuscatione dati et accepti: 25. a salutantibus de silentio: a respectu mulieris fornicariæ, et ab aversione vultus cognati. 26. Ne avertas faciem a proximo tuo, et ab auferendo partem, et non restituendo. 27. Ne respicias mulierem alieni viri, et ne scruteris ancillam ejus, neque steteris ad lectum ejus. 28. Ab amicis de sermonibus improperii: et cum dederis, ne improperes.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. **O MORS, QUAM AMARA EST MEMORIA TUA HOMINI PACEM HABENTI** (græce, εἰρηνεύοντι, id est *pacifice viventi*) **IN SUBSTANTIIS SUIS; VIRO QUIETO** (græce, ἀπεριστάστῳ, id est indistracto, otioso, quieto),
Vers. 2. **ET CUJUS VIÆ DIRECTÆ SUNT IN OMNIBUS, ET ADHUC VALENTI ACCIPERE CIBUM,** — id est sano, vegeto et valido, cui sapit cibus, qui suis opibus et deliciis fruitur et deliciatur! *q. d.* O quam acerba est non solum ipsa mors, sed etiam mortis memoria diviti, qui pacifice opes magnas possidet, in iisque conquiescit; ut nullæ curæ, lites, molestiæ eum ab hac sua pace et quiete deturbent vel disturbent: «cujus viæ,» id est actiones, «directæ,» id est prosperæ et felices sunt in omnibus, cui scilicet omnia prospere succedunt, ut filias suas bene collocarit, filios ditarit, servos honestarit, etc., quique adhuc sanus valensque est, ut suis uti fruique possit! Mors enim hæc omnia ipsi adeo jucunda adimit cum vita; quare acerba ei accidit: quæ enim cum amore possidentur, hæc cum dolore avelluntur: ac quantus est amor, tantus est et dolor. Quocirca S. Chrysostomus, apud Antonium in *Melissa*: «Mors, inquit, hominis divitis et fortunati est duplex;» quia anima ejus æque adhæret divitiis, et felicitati, ac corpori: quare dum ab utrisque avellitur, duplicem quasi oppetit mortem. Unde multi in morte suspirant, quod suas opes relinquere debeant. Vis ergo ut mors ejusque memoria non te torqueat? vivens abdica a te delicias et opes, easque eroga in pauperes, uti faciunt religiosi, aut certe affectum ab eis averte, eumque in Deum confer, uti fecere Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David, cæterique sancti reges et patriarchæ. Unde Syrus vertit: *O mors, quam mala es viro diviti qui sedet in bonis suis, viro qui validus est, et prosper omni tempore, et motus in eo est, et facultas ad eligendum divitias vel mortem!* et Vatablus: *Quam amara est, o mors, tui memoria homini quieto in bonis suis* (alii, *pacate fruenti bonis suis*), *viro vacuo negotiis, felicique per omnia, et cibum adhuc sumere valenti!* Talis enim, inquit Dionysius, sensibilia et caduca plus diligit, quam divina et æterna. Idcirco amarum est ei non solum a præsentibus separari, sed etiam de ipsa separatione meditari. E contrario vere sapientes mortem assidue cogitant, et quod post eum non sit reditus ad vitam; sed mox tremendum Dei sequatur judicium, et pœnæ gravissimæ; quanta etiam molestia tunc sit tentationum morientes impugnantium, denique quam miserum sit non esse paratum ad mortem. Quocirca S. Basilius (quod et olim dixerat Plato) rogatus ab Eubulo: «Quæ est definitio Philosophiæ?» respondit: «Prima definitio Philosophiæ, meditatio mortis. Ille vero admirans ait: Quis est mundus?» ait: «Qui est super mundum,» uti refert Amphilochius in *Vita S. Basilii*.

Gnomæ. Huic Siracidis sententiæ parallelæ sunt philosophorum gnomæ: Senecæ *in Proverbiis*: «O vita misero longa, felici brevis!» Platonis: «Molestior est fortunatis mors, quam laboriose viventibus;» Secundi philosophi, qui teste Laertio, rogatus ab Adriano Imperatore quid esset mors, respondit: «Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somnii pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium;» B. Alcuini Flacci, disputatione cum Pipino Caroli Magni filio: «Mors est inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, lacrymæ viventium, testamenti firmamentum, latro hominis.»

Mors quid?

Allegorice, Palacius: Si huic, inquit, ita depicto viro tam est tristis memoria mortis in hoc mundo, viro sancto meliores, id est spirituales opes habenti, pace post multas pugnas comparata, vita sine animarum cura quadamtenus otiosa, cui omnia prospere cadunt; quam erit tristis, quam horrenda, quam intolerabilis mortis secundæ memoria! O quale est memorari fieri posse ut anima talis æternum sit sine Deo! Favet etymon mortis. Nam, ut ait S. Isidorus, lib. XI *Origin.* cap II: «Mors dicta est, quod sit amara; vel a Marte, qui est effector mortium, sive mors a morsu primi hominis, qui vetitæ arboris pomum mordens mortem incurrit.» Additque: «Tria sunt genera mortis, acerba, immatura, naturalis: acerba infantium: immatura juvenum: matura, id est naturalis, senum.» Præclare S. Gregorius Nazianzenus *in Distichis*: «Ossa nuda, inquit, spectata admonent nos ne quid hujus vitæ nobis proprium ac certum esse credamus.» Quocirca Sylvester Auximanus, viso adolescentis nobilis sepulcro, ejusque ossa contemplans, compunctus ait: «En ego sum quod hic fuit, et brevi ero quod hic est.» Quare, relictis omnibus, in eremum apud Fabrianum secessit, unique Deo vacans congregationem instituit, quæ ab eo Sylvestrina nuncupatur. Migravit in cœlum anno Domini 1267: ita habet Vita ejus, scripta ab Andrea monacho Fabria-

Mortis etyma.

nensi, S. Antonius in *Chronic.*, Ferrarius et alii.

Exemplum illustre hujus sententiæ est apud Damascenum in *Historia Barlaam et Josaphat*, cap. v, Josaphat enim filius regis Abenner, jussu patris in omnibus deliciis educatus, adeo ut nesciret quid esset mors, vel homines mori; cum a suis tandem idipsum didicisset, ingemuit dixitque: « Ergone mors me aliquando corripiet? Et quisnam erit qui mei post mortem meminerit, cum tempus omnia oblivione contriverit? Num præterea morte functus in nihilum dissolvar, an contra altera quædam est vita, et alter mundus? Quorum omnium veritatem et rationem edoctus a Barlaam, ad Christum conversus, tandem relicto regno eum in eremum secutus, vitam angelicam in terris egit, ac per felicem mortem transivit ad Angelorum immortalitatem. Barlaam enim moriens hoc ei documentum quasi testamentum reliquit: « Ad laborum duritiem, ac temporis diuturnitatem animo ita comparatus esto, tanquam quotidie discessum e vita exspectans; atque eumdem diem tibi vitæ monasticæ tum initium, tum finem esse existimans. Sic semper quæ a tergo sunt obliviscens, atque ad ea quæ a fronte sunt, teipsum extendens, ad destinatum persequere, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. »

Vers. 3 14. 3 et 4. O MORS! BONUM EST JUDICIUM TUUM HOMINI INDIGENTI, ET QUI MINORATUR VIRIBUS, DEFECTO ÆTATE, ET CUI DE OMNIBUS CURA EST, ET INCREDIBILI QUI PERDIT PATIENTIAM. — Ita Romana et Græca : male ergo Palacius et Jansenius et alii pro *patientiam* legunt *sapientiam*, quanquam hæc duo conjuncta sunt; patiens enim vere est sapiens, et qui perdit patientiam, perdit et sapientiam, quæ docet patienter omnia adversa tolerare: quare dum fit impatiens, fit pariter insipiens. Aliter Emmanuel Sa : « Qui perdit sapientiam, » inquit, est decrepitus, qui præ senio delirat, aut certe multorum oblitus perdidit quasi memoriam; hunc enim satius est mori, quam vivere.

Est antithesis versus præced., *q. d.* Sicut divitibus qui abundant opibus, deliciis, sanitate, pace, quibusque omnia prospere succedunt, acerba est mors : sic eadem jucunda est pauperibus, miseris et desperatis, quia ab his ærumnis liberat eos, juxta illud cap. XXX : « Melior est mors quam vita amara. » *Judicium* vocat tum decretum et sententiam Dei, quo omnes Adæ posteros damnavit ad mortem, *Genes.* III, tum morem, consuetudinem, necessitatem moriendi omnibus communem et inevitabilem, ac quasi fatum; hanc enim significat hebræum משפט *mispat*, id est judicium. Unde Tigurina vertit : *Quam jucundum est, o mors, fatum tuum homini egenti, defectoque viribus, decrepito, undique districto, desperabundo, patientiaque destituto!* Syrus : *Quam felix es viro qui fractus est, et deficiens animo, viro seni qui moritur omni momento, et caret alimento, et non est in eo vis ad operandum!* Insuper judicium morti datum significat mortem, quæ ante peccatum erat tyrannus, post peccatum factum esse justum judicem; tum quia ipsa est administra et exsecutrix divinæ justitiæ, et sententiæ mortis in hominem a Deo latæ; tum quia ipsa restituit terræ quod suum est, reducitque hominem in suam originem; tum denique quia ipsa miseris, quibus hæc vita iniqua est, quique in sola morte injuriarum et ærumnarum suarum solatium et remedium repositum habent, æque et juste succurrit eosque liberat. Igitur mors, mortisque sententia suavis accidit : *primo*, homini indigenti, qui scilicet gravi, continua et inextricabili rerum ad vitam necessariarum penuria laborat; huic enim satius videtur semel mori, quam continua fame cruciari, et lenta tabe emori : multo jucundior est mors pauperibus spiritu, qui ad vitam et opes cœlestes sibi a Christo promissas anhelant. Quocirca S. Franciscus, dato sibi a medico mortis nuntio, exclamavit : « Beneveniat soror mea mors, » jussitque Fratribus ut canticum gratiarum actionis Deo canerent. Cumque a F. Elia moneretur cuique fideli in morte esse lugendum et pœnitendum, magno fervore erumpens : « Sine me, frater, inquit, gaudere in Domino, in laude ejus, et in infirmitatibus meis; quia Spiritus Sancti cooperatione ita sum Deo meo unitus, ut libeat plane in Altissimo jucundari. » Igitur, vocatis cantoribus, summo jubilo cum eis cecinit canticum, quod ipse vocabat Solis, alta voce exclamans : « Lauderis, mi Domine, propter sororem nostram mortem, quam nullus vivens potest evadere. Væ illis qui moriuntur in peccato mortali! Beati illi qui hora mortis suæ inveniunt se conformes tuæ sanctissimæ voluntati; mors enim secunda non poterit eis nocere. Laudate et benedicite Dominum meum, et gratificamini, et servite illi, omnes creaturæ, magna humilitate. » Ita habet *Speculum Vitæ ejus*, cap. CI, et CII, parte I, ac Lucas Waddingus *in Annalibus Minor.*, anno Christi 1226, num. 22. Mors suavis est. Primo, indigenti;

Secundo, ei « qui minoratur, id est destituitur viribus » per morbum; qui scilicet assidue languet, infirmatur, dolet capite, stomacho cæterisve membris. Ab hisce enim cæterisque omnibus vitæ incommodis, ac fortunæ miseræ procellis liberat eum mors. Secundo, ægro.

Tertio, « defecto ætate, » græce ἐσχατογήρᾳ, id est, ut Complutensia : *In extrema senectute constituto*; Tigurina, *decrepito*. Nam, ut ait Psaltes, *Psal.* LXXXIX, 10 : « Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor. » Quare « senectus ipsa morbus est, » isque non unus, sed multiplex, ut graphice describit Ecclesiastes, cap. XII. Per senem ergo accipe decrepitum, tot miseriis quot annis onustum, cui nulla liberationis nisi in morte est spes. Nam alioqui senes communes, quibus adest aliqua in vita jucunditas, horrent mortem, eoque magis quo ipsa vicinior est. Sane vidi plures senes, etiam Reli- Tertio, decrepito :

giosos et Sanctos, qui ægerrime ferebant mortis et migrationis ex hac vita instantis sibi mentionem fieri. Est hoc inter alia senectutis vitium, ut vitam optent senes, cum vivere desinunt. Idipsum apologo mortis et senis festive repræsentat Æsopus : « Senex, inquit, incisa a se ligna cum ferret, multam ibat viam, ac ob multum laborem, deposito in loco quodam onere, mortem invocabat; sed mors, cum adesset, causamque peteret propter quam se vocaret, perterrefactus senex, ait : Ut onus mecum attollas. Fabula significat omnem hominem esse vitæ cupidum, licet infortunatus sit et mendicus. »

Præclare S. Augustinus, serm. 113 *De Tempore* : « Nonne audivimus, inquit, et vidimus homines in aliquibus tribulationibus et angustiis, conflictationibus et ægritudinibus dum sunt constituti, et vident se laborare, nihil aliud dicere : Deus, mitte mihi mortem, accelera dies meos; et, quando venit ægritudo, curritur, adducuntur medici, solidi et munera promittuntur. Dicit tibi ipsa mors : Ecce adsum, quam paulo ante a Domino petebas. Quid me modo fugere vis? inveni te falsatorem et miseræ vitæ amatorem. De his autem diebus quos agimus, Apostolus ait : Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Non ergo sunt mali dies quos agimus in corruptela hujus carnis, in tanta vel sub tanta sarcina corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tantas difficultates, ubi falsa voluntas, nulla securitas gaudii, timor torquens, cupiditas avida, tristitia arida? Ecce quam malos dies, et nemo vult finire ipsos dies malos, multumque hinc rogant homines Deum, ut diu vivant. Quid est autem diu vivere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu vivere, quam malos dies malis diebus addere? »

Quarto. anxie. *Quarto*, « cui cura est de omnibus, » græce περισσούμενῳ περὶ πάντων, id est circa omnia distracto, sollicito, anxio et districto, ut vertit Tigurina, ut scilicet necessaria vitæ sibi suæque familiæ comparet; aut, ut e lite difficili, principis indignatione, aliave re molesta et periculosa se extricet et expediat.

Quinto. *Quinto*, « incredibili, » græce ἀπειθοῦντι, id est diffidenti, desperanti, qui scilicet desperat de fortuna meliore, aut molestiam periculumve grave se posse evadere. Hic enim perdit ὑπομονήν, id est patientiam, sustinentiam, exspectationem melioris sortis, qua scilicet exspectando et sperando prosperam fortunam, patienter toleret, et sustineat præsentem sibi adversam. Hinc desperatio multos adigit ad laqueum; quocirca ipsa omnium miseriarum est miserrima; cæteras enim omnes homo sustinet per spem, quæ, si perdatur per desperationem, nullum miseriæ levandæ restat remedium; sed ea miser opprimatur et obruatur necesse est.

Nota : Asserit hisce ærumnosis non bonam esse, sed bonam videri mortem; ac proinde eos licet infelices, hac parte tamen feliciores esse prioribus, divitibus scilicet et felicibus, eo quod hi horreant mortem, illi exspectent, imo sæpe optent. Verum, sicut in his sæpe nimius est horror mortis, sic in illis nimius est ejusdem est appetitus; unde ut hominem ad mediocritatem deducat, doceatque qua ratione et moderatione mortem excipere debeat, subdit : « Noli metuere judicium mortis. »

Tropologice ergo Palacius : Tu lector, inquit, attolle in excelsum oculos, et dic : O quam bona est mors viro in spiritualibus diviti, sive juvenis sit, sive senex, sive curam habeat, sive cura careat; sive credat malis suis exitum fore, sive non credat! O quam felix fuisset Salomon, si cum Cantica scribebat, vita defunctus fuisset! Quam felix Judas, si, antequam pecuniam accepisset, vitam amisisset! Ergo mors bona bonis; malis vero mala; ut enim « mors peccatorum pessima, » ita « pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, » *Psal.* CXV.

5. NOLI METUERE JUDICIUM MORTIS. MEMENTO QUÆ ANTE TE FUERUNT, ET QUÆ SUPERVENTURA SUNT TIBI : HOC JUDICIUM A DOMINO OMNI CARNI. — Tigurina : *Fatum mortis ne metuas, sed superiorum memineris, et posteriorum hoc utique fatum a Domino injunctum esse omni mortalitati*; Syrus : *Ne timeas mortem, quia ea ipsa est portio tua. Recordare quod priores et posteriores apud te sunt; quia hic est finis omnium hominum coram Deo.* Vers. 5.

Mortem non esse metuendam Ratio prima. Probat mortem non esse metuendam, nec detrectandam, sex argumentis :

Primum est, quia ipsa est « judicium, » id est justa, non injusta; ob peccata enim justo judicio tibi infligitur; per culpam enim tum Adæ, tum tuam meritus es pœnam mortis.

Secunda. *Secundum*, « memento quæ ante te fuerunt, » quod scilicet in sæculis quæ ante te fuerunt, omnes sint mortui, nemoque a mortis lege fuerit exceptus : memento quoque « quæ superventura sunt tibi, » quod scilicet post te per omnia sæcula ventura omnes viventes morituri sint, ut merito tu ab hac universali mortis lege excipi nec possis, nec velle debeas. Unde Græca sic habent : Μνήσθητι προτέρων σου καὶ ἐσχάτων, quæ masculine accipiendo sic clare vertas : *Memento eorum qui te priores fuerunt, et novissimorum*, qui scilicet novissime futuri sunt; sicut enim priores omnes sunt mortui, sic novissimi ad unum omnes sunt morituri.

Tertia. *Tertium*, memento quod hoc « judicium » mortis sit commune « omni carni, » id est omni homini, imo omni animanti, *q. d.* Est hic mos, hæc sors, hæc natura omnis carnis, ut, cum ex se sit fragilis, corruptibilis et mortalis, aliquando corrumpatur et moriatur. Unde cum quis moritur, dicitur ingredi viam universæ carnis : « Ubi constituta est domus omni viventi, » *Job* XXX, 23; idque confirmatum et sancitum est a Domino universorum, qui vitæ et necis cujusque habet

potestatem, in pœnam peccati; cujus sententiam nemo prudens declinare possit, aut velit etiam Gentilis. Sic Anaxagoras, audita filii morte, dolorem stitit, dicens : « Sciebam me genuisse mortalem. » Idem, absens ad mortem damnatus, id nuntianti : « Jam olim, inquit, istam sententiam tulit natura æque in illos, atque in me. » Ita Laertius, lib. II, cap. III. Et Seneca : « Stultum est, inquit, timere quod vitare non possis. Stultum est dolere in ejus conditione se esse, in qua nemo non est. Solatium est grande cum universo una rapi. » Ita ipse, *De Providentia*, cap. V. Thales dicebat « nihil interesse inter vitam et mortem; quod utraque sit secundum naturam. » Cuidam obstrepenti : « Cur igitur tu non moreris? » respondit : « Ob hoc ipsum quia nihil refert. Potius enim habetur, quod accersitur. » Ita Laertius, lib. I, cap. I. Socrates ad mortem damnatus fugere noluit, dicens : « Liberi mei Deo, qui mihi eos dedit, curæ erunt; amicos hinc discedens inveniam vobis meliores, ne vestra quidem consuetudine diu cariturus; nam vos brevi eodem estis commigraturi. » Aristoteles dictitabat « optimum esse migrare e vita velut e convivio, neque sitibundum, neque temulentum. » Epictetus dicebat « præstare animæ quam corpori mederi; » cum præstet mori quam male vivere, uti refert Antonius, in *Melissa*, part. I, serm. 58. Æschines gloriose mori summam dicebat esse felicitatem, cum mors omnibus ex æquo sit fatalis, teste Stobæo, *serm.* 115, ubi et citat Gorgiam, qui rogatus an libenter moreretur : « Maxime, dixit; nam tanquam ex putri et diffluente domuncula non invitus discedo. » Agis, rex Lacedæmoniorum, rogatus « quo pacto quis libertatem suam tueri possit? Si mortem, inquit, contempserit. » Ita Plutarchus, in *Lacon.*, ubi et citat Agesilaum, qui rogatus « quæ via esset ad eximiam gloriam? Si mortem, inquit, contempseris. » Hic enim mortis contemptus hominem facit intrepidum ad heroica in bello omnique re facinora designanda. Et Callicratidam dicentem : « In bello aut vincere, aut mori, honestissimum; » hoc enim naturæ est, illud virtutis. Et Damindam exclamantem : « O semiviri, quid nobis acerbi poterit accidere, qui mortem contemnimus? » Isocrates ad Demonicum : « Mori, ait, omnium fatum decrevit; pulchre vero mori proprium bonis natura attribuit. Immortalia quidem sapias, magnanimus existendo; mortalia vero modeste præsentibus fruendo. » Lucianus : « Quid sunt homines? Dei mortales. Quid Dei? homines immortales. »

Exempla et gnomæ.

Tropologice, Hugo : « Memento quæ ante fuerunt, » id est, inquit, de quo factus es, scilicet de limo et de nihilo; « et quæ superventura sunt tibi; » id est ad quid devenies memento, *q. d.* Memento quia cinis es, etc., vel sic : « Memento quæ ante te fuerunt, » id est coram te, in præsenti, id est memento qualis est vita tua præsens; « et quæ superventura sunt tibi, » id est qualis erit vita futura, *q. d.* Considera ingressum tuum, quam immundus fuit; progressum tuum, quam laboriosus; egressum tuum, quam periculosus. Nativitas enim hominis immunda est, vita laboriosa, mors periculosa. Hinc nativitas plena est pudore, vita dolore, mors timore. Unde S. Bernardus : « Recole, homo, unde venis, et erubesce; ubi sis, et ingemisce; quo vadis, et contremisce. »

Tropologice.

6. ET QUID SUPERVENIET TIBI IN BENEPLACITO ALTISSIMI? SIVE DECEM, SIVE CENTUM, SIVE MILLE ANNI. — Ita Romana et Græca, licet Jansenius et alii notam interrogationis non ponant post τὸ *Altissimi*, sed in fine post τό *anni*. Græce tamen pro ὑπερβαίνῃ, id est *superveniet*, legunt ἀπαναίνῃ, id est *recuses*, renuas; sic enim habent : καὶ τὶ ἀπαναίνῃ ἐν εὐδοκίᾳ ὑψίστου, id est, ut Complutensia et Romana : *Et quid recuses*, vel *renuas in beneplacito Altissimi? q. d.* Nihil eorum quæ sunt in beneplacito Dei recusare voles aut vales : ergo nec mortem, nec statutum tibi a Deo moriendi tempus; hoc enim unum est inter infinita beneplacita Dei. Unde Tigurina : *Quomodo autem recuses, quod placuit Altissimo?* Vers. 6

Est hæc quarta ratio cur mors non sit detrectanda, quia scilicet illa cuique immittitur modo et tempore decreto et discreto a beneplacito Dei, cui omnis creatura se subdat, imo conformet oportet; Dei enim voluntas et beneplacitum est sanctissimum, sapientissimum, potentissimum, optimum et clementissimum. Quarto.

Nostræ Latinæ Vulgatæ sensus est similis, *q. d.* Quid tibi supervenire aut occurrere possit, quidve fingere vel excogitare queas, quo judicium et sententiam Dei de morte, certoque ejus tempore in te latam mutare, vel declinare, vel inflectere valeas? sive enim decem, sive centum, sive mille annos vitæ tuæ præfixerit : illo contentus sis oportet; nec enim vel horam, vel momentum ad hoc tempus a Deo præfixum addere, vel minuere potes, juxta illud : « Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt, » *Job* XIV. Et illud : « In manibus tuis sortes meæ; Septuaginta : « tempora mea, » *Psal.* XXX, 16.

Secundo, alii exponunt, *q. d.* Quid tibi supervenire, id est accidere et adjici, poterit ad decem vel centum, vel mille annos, quos judicium Dei tibi statuit et præfixit? *q. d.* Nihil. Nullus enim vel hilum adjicere potest ad id quod ipse decernit.

Tertio, Lyranus sic legit et exponit : « Et quæ supervenient tibi a beneplacito Altissimi, sive decem, sive centum, sive mille anni, » supple et repete ex versu præcedenti : « hoc judicium tibi est a Domino; » in quo proinde conquiescas oportet. Sic et Dionysius : « Quæ supervenient tibi in beneplacito Altissimi, » id est, inquit, tempora vitæ, quæ tibi restant secundum divinæ voluntatis præordinationem, « sive decem, sive centum, sive mille anni, » *q. d.* Hæc tibi sufficiant, et gra-

tanter ea accipias, ac fructuose expendas, et tuam voluntatem in hoc divinæ subjice voluntati. Qui id facit, ideoque longioris vitæ desiderium, ac mortis metum vincit, non effeminatus est; sed vir et herus, non vilis, sed sapiens, non puer, sed adultæ virtutis, ideoque hac sua animi fortitudine ac robore splendide refulget; sicut splendide refulsit Socrates, sibi paratam mortem hilari animo excipiens; refulsit Epictetus, qui destitutus fortunæ muneribus, tranquillam ducebat vitam; refulsit Anaxarchus, qui in mortario contusus exclamabat : « Contunde quantum velis, Anaxarchum nunquam contundes. » Tria sunt quæ maxime optari solent : a nauta portus, a peregrino patria, a servo libertas. Homo per mortem, quæ maximum est malorum corporis, ex mari et fluctibus mundi in portum tendit, ex dubia peregrinatione in patriam, ex carcere in libertatem prodit. Demum nihil reperitur quod nos magno honore, gloria et fama dignos reddat magis hac salutari victoria. Quæ quam sit jucunda, animoque ingenuo dulcis et grata, tantum abest ut possit exprimi verbis, ut vix possit concipi mente; nil enim animo recte formato jucundius contingere potest, quam sua prudentia vicisse fortunam; cæteræ videntur tantum, non autem revera sunt voluptates.

Hilariter excipienda est mors multis de causis.

Gnomæ. Huc faciunt sententiæ Diogenis, Diadochi, S. Chrysostomi et S. Basilii, quas citat Antonius, in *Melissa*, part. I, cap. LVIII; Diogenes enim videns quemdam lugentem, quod in peregrina terra moriturus esset, dixit : « Quid luges, o stulte! undecumque eadem via est ad inferos; » Diadochi : « Qui exeundi tempore laborat metu, non libere transibit principes inferorum. Est enim animæ timiditas, illorum malitiæ velut patrona et adjutrix. Anima vero, quæ in Dei dilectione exsultat tempore discessus, super omnes tenebrosos ordines elata cum Angelis pacis fertur; » S. Chrysostomi : « Gaudendum est morte; sive juvenis, quod statim liberatus sit hujus vitæ malis; sive senis, quod iis rebus quæ in vita exoptanda videntur, ad satietatem usque fruitus, abierit; » S. Basilii : « Sicut carceri inclusorum alii quidem diutius in afflictione vinculorum permanent; alii vero celerius liberantur : sic etiam animarum aliæ diu in hac vita detinentur, aliæ brevius, Creatore nostro providente nobis singulis sapiente profundoque consilio, quod humana mente indagari non potest, juxta mensuram cujusque dignitati convenientem. Non audis Davidem dicentem : Educ de carcere animam meam? Non audisti de sancto, quod soluta sit anima ejus? Simeon autem, Dominum nostrum ulnis complexus, nonne hæc verba protulit : Nunc dimittis servum tuum, Domine? Nam corporis conversatio ad superiorem vitam properanti, quavis afflictione et carcere gravior est. »

Vers. 7. 7. NON EST AUTEM IN INFERNO ACCUSATIO (græce ἔλεγμός, id est redargutio) VITÆ. — *Primo* et genuine, sensus est, *q. d.* Quisque debet contentus esse annis decem, vel centum, vel mille vitæ sibi a Deo præfixis et concessis; quia in inferno nemo redarguitur quod decem, vel centum, id est paucos, vel multos annos vixerit; sed quod sibi a Deo datos, sive paucos, sive multos, otiose transegerit, maleque vixerit. Rursum, nemo est in inferno, qui accusare possit brevitatem vel longitudinem vitæ, ac queri se nimis parum vel nimis diu vixisse, aut plures annos suæ juventuti et complexioni ex natura fuisse debitos, ut Deo condemnanti alleget et excuset brevitatem vitæ, dicendo : Si diu vixissem, multa bona fecissem, inquit Lyranus, ac peccata pœnitentia expiassem. Huc facit illud Senecæ, lib. *De Brevitate vitæ*, cap. I : « Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur; ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est, non accepimus brevem vitam, sed fecimus; nec inopes ejus, sed prodigi sumus : sicut amplæ et regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur; at quamvis modicæ, si bono custodi traditæ sunt, usu crescunt : ita ætas nostra, bene disponenti, multum patet. » Nam, ut ait Comicus : « Ætatis arctæ spatium extendit virtus. » Unde Alexander Magnus, apud Curtium, lib. IX : « Ego, inquit, me metior non ætatis spatio, sed gloriæ. »

Secundo, q. d. Deus in inferno non redarguet; nec puniet te quod multum vel parum vixeris; sed quod scelerate vixeris. Igitur non vitæ brevitas, sed malitia timenda est.

Tertio, alii, *q. d.* In inferno non est appellatio ad Plutonem, Ditem, Rhadamantum, aliosve deos vel judices, quos ponebant Gentiles; ut quis coram eis allegans se nimis parum vixisse, impetret reditum ad vitam, pluresque vitæ annos; aut vitam tam citam et fugacem accusans, cogat eam redire; aut anima defuncti ad eam redire velit et satagat, juxta illud Virgilii, VI *Æneid.*, ex Platone et Pythagora :

> Rursus et incipiant in corpora velle reverti.

Mystice, Dionysius : « Non est in inferno accusatio vitæ; » hoc est, inquit, nulla salubris reprehensio propriæ vitæ est in inferno, cum non sit ibi status aut tempus pœnitendi, vel merendi, juxta illud *Psalm.* VI : « In inferno autem quis confitebitur tibi? » nihilominus est in inferno pœnitentia sera, juxta illud *Sap.* V : « Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt. » Vide præcedentia et sequentia miserabilia, sed infructuosa. Quare qui sapit, ante mortem vacet pœnitentiæ salutari et exercitio bonorum operum. Hæc Dionysius. Sic et Lyranus ac Delrio, *adagio* 197, loco 38 : Damnatis, inquiunt, nec accusandi, nec

confitendi præteritæ vitæ peccata ullum tempus est reliquum; imo nec id faciendi flexibilis ulla voluntas. Adduntque hunc sensum esse litteralem; sed potius videtur mysticus, ut patet ex causali *enim*, et ex Græcis, quæ hæc nectunt cum centum et mille annis, de quibus vers. præcedenti.

Porro Græca hanc sententiam cum præcedenti combinant, sicque legunt : *Sive decem, sive centum, sive mille anni, non est in inferno accusatio vel redargutio vitæ;* Tigurina : *Sive decem habeas, sive centum, sive mille annos, vita nullam habet adversus orcum excusationem.* Quominus moriens ad eum descendat, sive cito, sive tarde juxta annos cuique a Deo præfinitos; vide hic rursum liberiorem esse versionem Tigurinam.

Quinta. Est hæc quinta ratio cur mors non sit detrectanda; quia scilicet frustra quis eam detrectet, cum in inferno nulla sit appellatio, nullus ad vitam reditus.

Meminit Siracides solius inferni post mortem, non cœli; quia ejus ævo omnes, etiam justi, descendebant ad infernum usque ad Christum, qui Sexta. suo sanguine cœlum reseravit. Atque ex eo sexta et potissima ratio non metuendæ mortis petitur, scilicet quod per eam transeamus ad meliorem Sancti optant mortem. vitam in cœlis. Mors enim Sanctis est janua vitæ beatæ et æternæ. Pii ergo mortem non timent, Exempla et gnomæ. sed amant et ambiunt. Ita Damascenus, in *Hist. Barlaam et Josaphat*, cap. IV, narrat duos monachos, quibus rex Abner mortem minabatur, intrepide respondisse : « Recte dixisti, o rex! qui mortem metuunt, id curant quonam pacto eam effugiant. Quinam autem hi sunt, nisi qui fluxis rebus intabescunt, easque ad stuporem usque mirantur? Qui quidem, cum in altera vita quidquam boni sese consecuturos esse desperent, a præsentibus divelli nequeunt, ob eamque causam mortem timent. At nos qui jampridem mundum, et ea quæ in mundo sunt, odio prosequimur, arctamque et angustam viam Christi causa gredimur, nec mortis metu, nec præsentium rerum cupiditate afficimur : verum futurarum duntaxat rerum desiderio tenemur. Quoniam igitur mors ea, quam nobis infertis, ad sempiternam et præstantiorem vitam transitus efficitur, idcirco cupiditati potius nobis est, quam terrori. »

Idem fecere cæteri ascetæ. Unde in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XLIV, ubi duodecim Anachoretarum quotidianæ meditationes, quasi stimuli ad virtutem recensentur; secundi hæc vox est : « Ego dixi, ex quo renuntiavi terræ, hodie renatus es, hodie cœpisti servire Deo, hodie hic inhabitare cœpisti; sic esto quotidie peregrinus, et crastino liberandus, hoc mihi quotidie consulebam; » quinti ista : « Ego Angelos aspicio ascendentes et descendentes ad vocationem animarum, et semper finem meum opperior, dicens : Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; » sexti ista : « Ego per singulos dies puto mihi a Domino dici : Laborate propter me, et ego quiescere faciam vos. Adhuc modicum decertate, et videbitis salutare meum, et gloriam meam. Si diligitis me, si filii mei estis, ad patrem rogantes revertimini. »

Alfonsus, Aragonum rex, teste Panormitano, et Ænea Silvio, in ejus Vita, adolescentem qui mortem horrebat, consolans : « Non est, inquit, cur mortem adeo timeas, cum hæc bene pureque morientibus sit vita, atque ejus vitæ principium, quæ neque doloribus, neque timori, neque invidiæ, neque ærumnis aliis subjecta est. » Quocirca apte pieque Palacius : Christiane, inquit, altior tibi Theologia est; non enim tuum est mortem timere, sed optare : cupere dissolvi et esse cum Christo; mori tibi multo melius; tuum est vitam habere in patientia, mortem in desiderio; tua conversatio non in terris est, sed in cœlis; tuum est dicere : « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. » Quo enim Dei amor ardentius viscera tua exurit, hoc impatientius est desiderium mortis. Vide S. Cyprianum, tractatu *De Mortalitate*, et S. Ambrosium, libro *De Bono mortis*.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE FILIIS PROBROSIS, DE MALEDICTIONE IMPIORUM, DE PULCHRITUDINE ET CURA BONI NOMINIS.

Vers. 8. 8. FILII ABOMINATIONUM SUNT FILII PECCATORUM, ET QUI CONVERSANTUR SECUS DOMOS IMPIORUM. — Legit Interpres per diæresim παρ' ἔχους, id est *secus*, vel juxta *domos*; jam legunt unica voce παροικίαις, id est parœciis, viciniis : unde Complutensia vertunt : *Filii abominabiles* (Tigurina *exsecrabiles*) *fiunt filii peccatorum, et qui conversantur in viciniis impiorum;* alii : *Qui versantur cum vicinis impiis;* Romani retinent Græcum *paræciis*, causamque addunt; Quoniam, inquiunt, non liquet an hic sensus sit : *Et filii impiorum sunt hujusmodi, ut quiescere non possint, sed frequentibus sedium mutationibus agitentur;* an ut in Vulgata : *Et qui conversantur secus domos impiorum.* Verum nobis sequenda est Vulgata; illa enim proprium Græcorum sensum expressit : unde eidem consentiunt Complutensia, Tigurina et cæteri, licet Syrus totam hanc partem prætereat; vertit enim : *Semen despicabile generatio peccatorum, et progenies vilis sibi generatio iniquorum.* Sensus ergo est, *q. d.* Filii peccatorum, qui scilicet vel physice ex peccatoribus nascuntur, ab iisque educantur, vel moraliter ab iis in vita et moribus efformantur, ut discipuli a magistris, subditi a prælato, cives

a magistratu, etc.; hi, inquam, fiunt « filii abominationum, » id est summe abominabiles : quia patres suos imitantur tum per se, tum instigati ab illis ipsis; patres enim suos mores et sensa filiis instillant. Idem dico de illis, « qui conversantur secus domos impiorum, » id est qui cum impiis domi et familiariter versantur : hi enim impiorum impios sermones actusque imbibunt; qua de causa fiunt apud homines abominabiles, ideoque infames. Quocirca Ben-Sira, alphab. 2, littera *Phe* : « Averte, inquit, faciem tuam a sociis malis; ne habeto cum eis iter (ne eas in via cum eis) : Cohibe pedem tuum ab eis, ne capiaris reti ipsorum. » Vide *Proverb.* I, 15.

Transit a morte ad mores et famam, ut innuat felicem esse mortem proborum, qui filios post se relinquunt bene institutos et moratos, in quibus ipsi post mortem quasi vivant, famamque et nomen ad posteros conservent et propagent; ex adverso infelicem esse mortem peccatorum, qui post se relinquunt filios impios, per quos eorum memoria et nomen fiat abominabile et infame; vitæ enim succedit fama posthuma; bonæ bona, malæ mala. Quare viventibus illius maxima habenda est ratio, ut in illa honeste et gloriose vivant; ideoque filios suos honeste instituere debent, ut ipsi hac eis famam bonam concilient.

Nota : Hæ et similes sententiæ significant quid sæpe fiat, non quid semper. Nam subinde mali et infames parentes bonos et gloriosos relinquunt filios; uti Achaz reliquit Ezechiam, Amon Josiam, Saul Jonatham; et vice versa boni parentes relinquunt perversos filios; uti David Absalomum et Adoniam, Josias Joakimum, Ezechias Manassem.

Vers. 9. 9. FILIORUM PECCATORUM PERIT HÆREDITAS, ET CUM SEMINE ILLORUM ASSIDUITAS OPPROBRII. — Græce ἐνδελεχτεῖ ὄνειδος id est *assidua est infamia*, continuatur, et permanet probrum; Complutensia, *continue manet improperium*. Τὸ *illorum* tam refer ad « filiorum, » quam ad « peccatorum, » *q. d.* Filii peccatorum non solum erunt abominabiles et infames, sed et bona sibi a parentibus relicta perdent vel lusu et luxu, vel per lites, naufragia et infortunia : quia sæpe injuste a parentibus sunt acquisita; ideoque Deus justus judex juste ea aufert, et ad alios transfert. Rursum non tantum ipsi sunt infames, sed et probrum suum ad suum « semen, » puta ad filios et nepotes, transmittunt; ita ut tota prosapia per futuras generationes perpetuo probro maculetur et notetur. Ita Tigurina : *Hæreditas*, inquit, *liberorum scelerosorum interibit, et opprobrium posteritatem eorum assidue comitabitur*. Huc facit illud *Ps.* VII, ubi recensitis impii sceleribus subdit et concludit : « Propterea destruet te Deus in finem, evellet te et emigrabit de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. » Porro Syrus habet : *A filio iniquo peribit imperium, et cum semine ejus habitabit egestas*. Ex dictis liquet quod patres sint velut pictores morum (consequenter et famæ), qui filiis imprimuntur : filii enim sunt quasi psittaci ac simiæ, qui quidquid audiunt a parentibus, quidquid in illis inspiciunt, hoc quasi naturali mentis instinctu mox in seipsis effingunt : sic loquuntur, sic operantur, uti a parentibus addiscunt.

Vers. 10. 10. DE PATRE IMPIO QUERUNTUR FILII; QUONIAM PROPTER ILLUM SUNT IN OPPROBRIO, — tum quia probrum patris transit ad posteros, estque probrum filiorum : tum quia probrosi mores filiorum prodeunt ex probrosis moribus parentum. Pro *queruntur* male aliqui legunt *quæruntur* per diphthongum : græce est μέμψεται, id est *accusabunt*. Unde Tigurina : *Liberi accusant patrem impium, quoniam propter ipsum veniunt in vituperationem;* alii, *probris afficiuntur*. Universi enim improperant filiis parentum suorum scelera; sicut Judæis probro æterno datur, quod patres eorum occiderunt Christum. Syrus : *Patrem iniquum filii recti maledicent, quia propter ipsum contempti fuerunt in mundo.*

Porro, si filii accusant parentes in hac vita, multo magis eos accusabunt in die judicii, cum propter eorum pravam educationem videbunt se cum eis damnari ad gehennam, ubi perpetuo eos culpabunt, imo maledicent dicendo : Maledictus sis, pater, qui me ad gehennam educasti. Merito igitur ait ex S. Gregorio Dionysius : « Unusquisque præsidens tot mortibus, tot æternis damnationibus dignus est, quot perditionis exempla subditis præbuit. » Hinc scriptum est *Sap.* IV : « Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes. » Verum filii magis seipsos quam patres accusare deberent, cum sua culpa imitati eos, gehennam meruerint; præsertim quia filii impietate sæpe superant parentes : « Accusans autem debet esse melior accusato, » ait Aristoteles, II *Politic.*

Vers. 11 et 12. 11 et 12. VÆ VOBIS, VIRI IMPII, QUI DERELIQUISTIS LEGEM DOMINI ALTISSIMI! ET SI NATI FUERITIS, IN MALEDICTIONE NASCEMINI : ET SI MORTUI FUERITIS, IN MALEDICTIONE ERIT PARS VESTRA. — Complutensia aliique Græci codices post τὸ *Altissimi* addunt : *Nam si multi fueritis, ad interitum eritis;* Tigurina : *Nam etiamsi feceritis accessionem, interibitis.* Verum hæc verba delent codices Græci Romæ emendati, æque ac Noster, nec cohærent cum sequentibus. Rursum Rabanus legit *nascimini* in præsenti; sed cum Romanis legendum *nascemini* in futuro : hoc enim significat Græcum γεννηθήσεσθε. Pro *in maledictione erit pars vestra*, græce est κατάραν μεριοθήσεσθε, id est *in maledictionem dispertiemini;* Complutensia, *divisi eritis;* Romana, *superabimini.*

Impii in maledictione nascuntur, quo sensu? Respondeo Primo

Jam quoad sensum, primo, Origenistæ, asseclæ Platonis, et Pythagoricæ, μετεμψυχώσεως, id est transmigrationis animarum, ex hoc loco et similibus docebant animas ante corpora præexstitisse, ac ob peccata tunc commissa mitti in corpora quasi in carcerem, ut in eo pœnas pec-

catorum luant, ideoque in maledictione nasci. Verum hic error jam pridem damnatus est. Rursum Calvinus ex hoc loco et similibus censet Deum ante omnem prævisionem operum pro libito hos elegisse et addixisse cœlo, illos maledixisse, id est reprobasse, et addixisse inferno. Verum hoc est blasphemum ejus fatum, quod omnes sanæ mentis exsecrantur. Nam inde Beza Calvinum suum secutus scribens in I *Joan.* cap. I, infert docetque nulla peccata esse reprobis venialia, neque ulla electis mortalia; adeoque pro reprobis non esse orandum, quæ omnia insana et impia sunt. Insuper Semipelagiani hinc contendebant reprobos in Dei maledictione nasci, eo quod Deus ob peccata eorum prævisa eos reprobarit, et ad maledictam nativitatem destinarit. Verum hoc implicat; prius est enim nasci, quam jam natum peccare; quare prius prædestinavit Deus ut reprobi nascerentur, quam præviderit eorum peccata, ac ob ea eos reprobarit. Si dicas peccata fuisse a Deo prævisa non absolute, sed conditionate, si scilicet eos crearet et nasci faceret, hoc pariter absurdum est : Deus enim neminem punit pœna absoluta ob peccatum ejus conditionate futurum; pœna enim absoluta requirit culpam actualem et absolutam. Vide S. Augustinum hanc sententiam refellentem lib. *De Prædest. Sanctorum*, cap. XIII et XIV.

Secundo. *Secundo*, alii hæc referunt ad peccatum originale : ob illud enim omnes nascimur filii iræ et maledictionis Dei, *Ephes.* cap. II. Verum hoc peccatum commune est omnibus, tam electis quam reprobis. Hic autem agitur de peccato impiorum, quod ipsi actu committunt, ideoque maledicuntur et damnantur.

Tertio. *Tertio*, Palacius hæc accipit non de prima nativitate, sed secunda et iterata, qua nonnulli jam nati et mortui ab Elia, Elisæo et aliis fuere revocati ad vitam, et quasi iterum nati, *q. d.* Si peccator jam mortuus resuscitetur, et iterum quasi nascatur, nascitur in maledictione; quia in maledictione mortuus est; nec enim post mortem agi potest fructuosa et salutaris pœnitentia. Verum hi resuscitati fuere admodum pauci; nec peccatores, sed parvuli innocentes.

Quarto. *Quarto*, Jansenius censet hic agi de derelictione reproborum in massa peccati originalis et damnationis; ac significari quod Deus ante prævisionem operum, ob peccatum Adæ, videns omnes ejus posteros eo infectos, decreverit hos inde eripere et salvare; illos in ea derelinquere, maledicere et damnare, juxta illud *Rom.* IX, 11 : « Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, etc.: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. » Sensus ergo est, inquit Jansenius, *q. d.* Deus reprobos et in nativitate et in morte maledixit. Decrevit enim eos in peccato originali, in quo nascuntur, derelinquere, ac in morte damnare. Verum dura et huic loco incongrua est hæc interpretatio : dura, quia Deus vult omnes Adæ posteros salvare; ideoque misit Christum, ut omnes salvaret : quare neminem reprobat ante prævisionem peccati finalis, in quo quis decedit et moritur, uti ostendi *Osee*, cap. XI, 9. Incongrua, quia hic non agitur de maledictione peccati originalis, sed actualis, ut patet ex præcedentibus et sequentibus; ac ex τῷ *qui dereliquistis legem Domini Altissimi*; utique per actum proprium. Adde proprie hic agi non de reprobis omnibus, sed de impiis peccatorum filiis; de his enim sermo præcessit. Unde :

Quinto. *Quinto*, idem Jansenius censet nomine maledictionis hic non significari æternam Dei reprobationem, sed miseriam et calamitatem aliquam in hoc mundo divinitus inferendam, sive ob parentum, sive ob propria peccata. Juxta quem intellectum etiam recte dicitur quod impii, cum nascerentur, propter prævisa eorum futura mala opera, nati sunt ad sustinendam Dei maledictionem, hoc est Dei ultionem in hac vita : sicut, et cum moriuntur, propter peracta mala opera, maledictionem Dei, hoc est damnationis ultionem, sustinere coguntur. Unde Syrus vertit : *Væ hominibus iniquis, quia infelicitas comitabitur eos usque ad diem mortis eorum!*

Sexto genuine. Dico ergo : Pro *in maledictione*, græce est εἰς κατάραν, id est *ad maledictionem*, quam scilicet vestris sceleribus, quæ patrabitis, vobis accersetis. Est prosopopœia. Abstrahit enim a nativitate impiorum, loquiturque impiis quasi necdum natis, quos scilicet Deus prævidit male acturos foreque impios, *q. d.* Væ vobis, impii impiorum filii, quos Deus prævidit impios parentum mores imitaturos, ac derelicturos legem suam! Misera est vestra sors et conditio : nam si nascamini (uti reipsa nascemini), ad maledictionem nascemini; quia a parentibus educabimini in peccatis, vivetisque scelerate, ob quæ Deus vobis maledicet : sin moriamini, ad maledictionem æternam, puta ad gehennam, transmittemini; ut pars et sors vestra sit cum damnatis, a Deo maledictis per omnem æternitatem. Ita Lyranus : « Væ, inquit, est comminatio maledictionis æternæ. Et si nati fueritis, id est nativitas vestra facta est ad maledictionem culpæ, et mors vestra ad maledictionem gehennæ, non ex auctore naturæ, sed ex defectu parentalis disciplinæ. »

Adde per nativitatem metonymice accipi posse vitam ad quam nascimur, *q. d.* O impii, et in vita et in morte eritis maledicti : quia vivetis in maledictione culpæ, moriemini in maledictione gehennæ. Unde Tigurina pro γεννηθῆτε, id est *nascemini*, legens γενηθῆτε, id est *fueritis, vixeritis*; vertit : *Væ vobis, viri impii, legis summi Dei desertores! Si vixeritis, eritis exsecrabiles : sin obieritis, itidem detestabiles.*

Insuper impiorum parentum generatio, et impiorum filiorum nativitas sæpe est vitiata et maledicta : quia impii parentes per sanguinem et

semen vitiatum suam crapulam, libidinem, iram, et cætera vitia, pravasque inclinationes transfundunt in filios; quocirca eorum filii nascuntur in maledictione, quia propensi ad omne malum. Adde quod Deus, generationi impiorum maledicens, maledicat sæpe filiis propter maledictos parentes, juxta illud Noe maledicentis Chanaan filio propter patrem Cham : « Maledictus Chanaan, » quia scilicet patris sui Cham impietatem sequetur, *Genes.* IX, 25. Hinc Deus Chananæos stirpitus excidi jussit per Hebræos; quia eorum semen et prosapia plane erat vitiata et incorrigibilis, uti docet Sapiens, cap. XII, 10 : « Non ignorans, ait, quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum; semen enim erat maledictum ab initio. »

Denique potest hæc sententia accipi in sensu formali, quo impii dicuntur nasci, quando peccant et impie agunt : tunc enim videntur quasi nasci ex impietate. « Impii » enim in Scriptura vocantur non omnes peccatores, qui in aliquod peccatum ex fragilitate labuntur; sed insignes et eximii duntaxat, qui scilicet habitum et callum peccandi sibi induxerunt, in eoque sunt obfirmati, ut ex certa et destinata malitia peccent : quales sunt infideles et athei, qui impie negant omne numen. Per prosopopœiam enim Scriptura tribuit tam impietati et peccato, quam virtuti et sanctitati suam generationem, posteritatem et prosapiam. Unde sicut vocantur filii obedientiæ, justitiæ, charitatis, misericordiæ, qui totos se addicunt obedientiæ, justitiæ, charitati, misericordiæ, ita ut ex ea prognati esse videantur; quomodo de Catone dixere Gentiles : « Cato et continentia ex eodem utero prognati videntur; » sic vicissim vocantur filii superbiæ, inobedientiæ, luxuriæ, impietatis, illi qui plane sunt superbi, inobedientes, luxuriosi, impii, ita ut ex utero superbiæ, luxuriæ, impietatis procreati videantur.

Alludit ad id quod dixit, cap. III, 1 : « Filii sapientiæ Ecclesia justorum, et natio illorum obedientia et dilectio. » Vide ibi dicta. Sic sensus erit, *q. d.* Væ vobis, impii, qui dereliquistis legem Domini! sive enim nascamini in vestra impietate, nascemini in maledictione : Deus enim impietati et impiis maledicit; sive moriamini in impietate, moriemini in maledictione; quia sicut vixistis in culpa, sic moriemini in pœna et gehenna. Huic sensui valde congruit id quod sequitur :

Vers. 13. 13. OMNIA, QUÆ DE TERRA SUNT, IN TERRAM CONVERTENTUR : SIC IMPII A MALEDICTO (græce, κατάρας, id est *maledictione*) IN PERDITIONEM, — *q. d.* Sicut e terra orta in terram redeunt et occidunt; sic impii nati ex maledictione, puta ex maledicto parentum semine, atque ex sua maledicta impietate, in morte redibunt in maledictionem, puta in perditionem et gehennam, ubi est quasi mare et receptaculum omnis maledictionis, id est omnis culpæ et pœnæ, omniumque impiorum et sceleratorum. Græca Complutensia delent τὸ *a maledicto*; sed illud restituunt Romana, Tigurina et alii. Unde Tigurina sic vertit : *Quæcumque e terra constant, in terram abibunt; itemque impii ab exsecratione ad interitum.* Simili sensu dicas : Impii in infernum redibunt; quia ex inferno prodierunt. Impii in gehennam post mortem revertentur, quia ex ea prognati sunt : nam prognati sunt ex culpa et impietate, cujus regia sedes et thronus est in inferno, cui insidet et præsidet Lucifer, qui suorum scelerum virus omnibus hominibus aspirat. Unde omnes impii vocantur « filii Belial, » id est filii dæmonis et Luciferi; ideoque cum eo maledictionis sententiam accipientes a Christo judice, audient : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, » *Matth.* XXV. Ita Rabanus, Lyranus, Dionysius et alii.

Vers. 14. 14. LUCTUS HOMINUM IN CORPORE IPSORUM : NOMEN AUTEM IMPIORUM DELEBITUR. — « In corpore, » id est propter corpus, puta propter corporis mortem et interitum. Est Hebraismus : Hebræi enim sæpe ב id est *in*, usurpant pro *propter;* Græca habent : *Luctus hominum in corporibus ipsorum; nomen autem peccatorum* (legendum enim cum Romanis ἁμαρτωλῶν, non cum Complutensibus ἀνθρώπων, id est *hominum*) *non bonum delebitur.* Verum τὸ *non bonum* delendum cum Nostro : vitiose enim additur, et sensum imminuit, imo intervertit : impii enim optant bonum suum nomen non deleri, malum autem et infame gaudent deleri. Jam *primo*, Lyranus hunc dat sensum : *Luctus hominum, puta humane et rationaliter viventium, in corpore ipsorum, q. d.* Si affligantur boni, hoc est in præsenti vita tantum, quamdiu sunt in hoc mortali corpore : *Nomen autem impiorum delebitur,* scilicet de libro vitæ, et sic cruciabuntur morte gehennæ. Hæc Lyranus, cui accedit Dionysius : *Luctus hominum in corpore ipsorum,* hoc est, inquit, homines boni et rationabiles in hac carne mortali valleque lacrymarum deplangunt se et sua, ac proximorum peccata, de quibus asserit Veritas : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, » *Matth.* V. Quin et Rabanus : « Hic homines, inquit, ponit pro sapientibus qui bene ratione animæ utuntur, et divinis obediendo subduntur mandatis. Hi in præsenti vita tantum luctum habent, postea autem in gaudio lætabuntur perpetuo. Unde scriptum est : Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. Cæterum nomen impiorum delebitur, quia in infernum demersi æternæ oblivioni tradentur. His enim dicturus est judex : Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem; amen dico vobis, quia nunquam novi vos. »

Secundo ergo, Jansenius plane ad litteram sic explicat, *q. d.* Lugentur homines, cum corpus eorum moritur et sepulturæ traditur; atque hujusmodi luctu memoria et nomen mortuorum

celebratur; sed hæc ad memoriam ejus servandam non proficient : quia nomen impiorum, quod sæpe celebre est in hac vita, post mortem statim delebitur, simulque cum corpore, aut paulo post sepelietur. Atque sic lugentur homines propter corpus ipsorum, cum illud moritur et sepelitur : at impii magis lugendi essent, quod simul cum corpore etiam eorum nomen et celebris memoria deleatur.

Unde Tigurina vertit : *Ut corpora suorum luctu prosequantur homines ; nomen tamen scelerosorum malum interibit.* Vis enim antithesis, quæ solet esse in proverbiis Salomonis et Siracidis, hoc loco in eo consistit, quod hominum vita intereat, ideoque lugeantur; at impiorum non tantum vita, sed et cum vita nomen et fama interiturum sit, ideoque magis lugendi sunt. Illo enim ævo cum obscura esset fides resurrectionis, beatitudinis et gloriæ cœlestis, omnes tam fideles quam infideles optabant et anhelabant ad famam et gloriam, ut in ea superessent, ac quasi superstites viverent; hinc procurabant sibi magnifica sepulcra, columnas, statuas, titulos, etc., quibus Roma et Italia est referta; quocirca mire dolebant, si putarent cito nomen suum et famam interituram. Unde pro ingenti pœna hoc eis intentat Sapiens, *Prov.* x : « Nomen impiorum putrescet, » et Psaltes, *Psalm.* IX : « Periit memoria eorum cum sonitu. » Et : « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. » Et rursus : « Nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi. » Huc accedit Palacius : Luctus cadaverum, inquit, durare solet, quantum sunt illa præsentia ; nam ex quo mandantur sepulturæ, solent lacrymæ deficere. At nomen et fama impiorum, quamvis reges sint et principes, deletur nonnunquam etiam antequam sepulturæ mandentur; nam ut audit plebs eos esse mortuos, eorum impietates recenset : cessat igitur eorum fama, incipit infamia.

Nomina sceleratorum olim vitabantur. Exempla.

Porro veteres Hebræi, Græci et Romani ita nomina sceleratorum detestabantur, ac oblivione sepeliebant, ut illa nec nominare, nec alicui suorum indere, nec quomodolibet usurpare sustinerent. Hinc apud Hebræos nemo sustinuit vocari Cain, Cham, Chanaan, Nemrod, Pharao; et apud Christianos nemo sustinet vocari Judas, ne Judæ proditoris nomen se suamque stirpem funestet. Apud Græcos, teste Strabone, lib. XIV, caverunt Ephesii nomen ejus qui Dianæ templum incenderat, pronuntiari : nec auditum esset, nisi Theopompus id vulgasset, quod erat Erostratus aut Eratosthenes. Romani caverunt ne nomina patriciorum male de Republica meritorum, et ob eam causam damnatorum, cuiquam ejusdem gentis patricio inderentur : familia Manliorum apud eosdem cavit ne quis suorum Marci prænomen haberet, postquam M. Manlius Capitolinus ob affectati regni suspicionem, de saxo Tarpeio præcipitatus est. Ita Plinius, *De Viris illustr.*, aut Suetonius. Antonini cognomen, quod Heliogabalus adeo celebre, ac usitatum aliis Imperatoribus, vitæ turpitudine infamavit, nullus post eum gessit; senatusque consulto ex omnibus publicis operibus deletum est, ac pro diro detestabilique repudiatum. Ita Sabellius, lib. VI, *Enead.* VII. Lucii prænomen abjecit gens Claudia, cum e duobus gentilibus eo præditis alter latrocinii, cædis alter convictus esset. Ita Suetonius, in *Tiberio*. Decrevit senatus, debellato M. Antonio, ne quis ex Antoniorum gente Marcus nominaretur, teste Plutarcho, in *Antonio*. Ita noster Lorinus, in *epist. S. Judæ*, vers. 1.

15. CURAM HABE DE BONO NOMINE : HOC ENIM MAGIS PERMANEBIT TIBI, QUAM MILLE THESAURI PRETIOSI ET MAGNI. — Syrus : *Reflecte super nomen tuum, quia ipsum comitabitur te plusquam millia thesaurorum fraudis*, id est per fraudem parta et acquisita. Dixit nomen malum impiorum esse delendum, ex quo hic infert curandum esse bonum nomen per bonas virtutis actiones; ne in hoc impiorum malum incidamus, perdamusque cum vita omne nomen et famam, *q. d.* Insiste bonis et heroicis virtutum actibus, ut per eos acquiras bonum nomen apud Deum, Angelos et viros probos, quin et apud improbos; improbi enim, etsi improbe vivant, in aliis tamen amant et admirantur probitatem et virtutem : tanta est virtutis amabilitas et claritas ! Rationem subdit, quod nomen bonum diutius permaneat quam mille thesauri : tum quia thesauri homini pereunt cum vita; nomen autem bonum ei permanet post vitam per multa sæcula; tum quia thesauri a furibus, latronibus et hostibus viventi et invito eripi possunt, ac sæpe eripiuntur; nomen autem bonum invito eripi nequit; quia quamdiu voles studere virtuti, tamdiu apud omnes bene audies. Vers. 15.

Appetitus famæ oritur ex immortalitate animæ.

Porro anima, quia immortalis est, uti in se semper vivit, ita pariter optat semper vivere per bonam famam in mente et memoria hominum. Quare hic appetitus famæ certum est indicium immortalitatis animæ. Si enim anima moreretur et interiret, ad quid prodesset ei nomen et fama apud homines? nullum enim haberet ejus sensum et gustum ; imo damnatos qui sunt in morte secunda, v. g. Alexandrum, Cyrum, Julium Cæsarem, philosophos non recreat, sed potius cruciat nomen et fama, quam obtinent apud homines; tum quia eis indecens et ignominiosum videtur, viros tam famosos et celebres ita cruciari et vilipendi in inferno; tum quia appetitus famæ et gloriæ fuit eis causa tyrannidis, rapinæ et scelerum, ob quæ damnati sunt. Græce est : *Habe curam nominis ; hoc enim tibi manebit potius quam thesauri mille auri.* Ita Vatablus.

Alludit ad *Proverb.* XXII, 1 : « Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ. » Nomen enim et fama est bonum altioris ordinis, quam sint opes. Sicut ergo omne argentum non potest æquari

auro minimo in dignitate, etsi in pretio ex æstimatione hominum æquetur : sic omnes opes non possunt æquari famæ minimæ in dignitate et præstantia, licet satisfactio famæ læsæ apud viles personas subinde fiat per aurum et argentum. Porro cura famæ incumbit quidem omnibus, sed maxime Pastoribus, Prælatis, item iis qui lucro animarum student, ac Religiosis : fama enim Religiosi est fama Religionis, ut tota Religio subinde male audiat ob infamiam alicujus Religiosi.

Gnomæ de cura boni nominis.

Unde Apostolus : « Providentes, inquit, bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, » *Rom.* XII, 17. Et : « Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus, » I *Corinth.* IV. Talis ergo si famam suam negligat, injustus est et crudelis.

Salomonem et Siracidem secuti philosophi idem scripto reliquerunt : Seneca, *De Remed. fortunæ* : « Bona, inquit, opinio hominum tutior est pecunia; » Isocrates, apud Stobæum, *serm.* 46 : « Plus tibi curæ sit ut honestam famam, quam divitias ingentes liberis relinquas; nam hæ mortales sunt, illa immortalis; Plautus, *in Mostell.* : « Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives. » Unde illud supplicium impiis intentatum : « Nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi, *Psalm.* IX, 6. Et *Proverb.* X, 7 : « Memoria justi cum laudibus (Septuaginta, *cum encomiis*), nomen impiorum putrescet. » Denique eleganter R. Simeon, in *Pirke avoth*, id est *in Sententiis Patrum*, cap. IV : « Tres, ait, sunt coronæ, scilicet corona legis, sacerdotii et imperii; verum corona bonæ famæ illustrior longe et pretiosior his omnibus est. »

Vers. 16.

16. BONÆ VITÆ NUMERUS DIERUM : BONUM AUTEM NOMEN PERMANEBIT IN ÆVUM. — Aliqui per *vitam bonam* accipiunt jucundam, hilarem, felicem, *q. d.* Felicitas hujus vitæ est numerata, ideoque finienda et brevis : at « nomen bonum » durat per multa sæcula. Sic enim « bonum » sæpe sumitur pro jucundo, « malum » pro tristi, ut : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! » Melius tamen magisque proprie per « vitam bonam » accipias honestam, probam, justam et sanctam. « Numerus dierum » est paucitas; pauci enim dies facile sunt numerabiles et mensurabiles, juxta illud *Psalm.* XXXVIII, 6 : « Notum fac mihi, Domine, finem meum et numerum dierum meorum. Quis est, ut sciam quid desit mihi? Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tanquam nihilum ante te. » Pro *mensurabiles*, S. Hieronymus vertit « breves, » hebraice enim est טפחות *tepachot*; Septuaginta παλαιστάς id est palmares, id est dodrantales, quatuor digitorum mensuram non excedentes; παλαιστὴ enim est mensura quatuor digitorum, quæ est tertia pars palmi, estque minima mensura inter eas quæ solent in manibus fieri et brachiis. Ita Hesychius, Theodoretus, Genebrardus, Jansenius et alii in *Psalm.* XXXVIII. Sensus ergo est, *q. d.* Dodrantali, id est minima, mensura dimensus es et definivisti dies vitæ meæ; paucissimos et quasi momentaneos decrevisti dies meos. Hinc Hebræi « viros numeri » vocant viros paucos, et « dies numeri » dies paucos, quasi exigui numeri, et facile numerabiles. Dicit igitur Siracides : Bona vita paucos habet dies, et cito numerabiles; at bonum nomen, quod per eam conciliatur, permanet in ævum. Ita Tigurina : *Dies*, inquit, *bonæ vitæ pauci sunt*: *nomen autem bonum manet in perpetuum*; alii : *Bona vita numero dierum finitur*; *sed nomen bonum in sæculum permanet.* Est hic acer stimulus ad bonam vitam et virtutem; quod scilicet per modicum brevemque ejus laborem paremus nobis nomen æternum, idque semper apud Deum, Angelos et Beatos in cœlo : apud homines vero non semper, sed frequenter. Sancti enim hic celant suas virtutes, cupiuntque soli Deo et Angelis innotescere : quorum proinde gloria major erit in cœlo. Parva enim est, ideoque parvi facienda fama hujus vitæ.

TERTIA PARS CAPITIS.

RECENSET EA DE QUIBUS EST ERUBESCENDUM.

Vers. 17 et 18.

17 et 18. DISCIPLINAM IN PACE CONSERVATE, FILII; SAPIENTIA ENIM ABSCONDITA ET THESAURUS INVISUS (id est, ut Jansenius legit, *occultus*), QUÆ UTILITAS IN UTRISQUE? MELIOR EST HOMO, QUI ABSCONDIT STULTITIAM SUAM, QUAM HOMO QUI ABSCONDIT SAPIENTIAM SUAM. — Solet Siracides subinde compellando excitare discipulum et lectorem ad attentionem, uti solent facere præceptores; præsertim ubi longior est oratio : tunc enim discipuli, ejus longitudine fatigati, tædio afficiuntur et indormiunt : unde ad utrumque præcavendum novo quasi exordio eos excitare, novamque eorum attentionem sibi conciliare student, maxime cum novum occurrit dicendi argumentum, uti hic occurrit. Hic ergo est prologus eorum quæ dicturus est de erubescentia, rebusque erubescendis, quo stimulat lectores, ut ad ea attendant, eaque menti imprimant et conservent.

Ait ergo : « Disciplinam in pace conservate, filii. » *Primo*, plane et simpliciter per « pacem » accipias animi tranquillitatem et quietem : hæc enim quasi dispositio requiritur in discipulo, ut præceptoris doctrinam excipiat, capiat et conservet. Qui enim animo sunt inquieto vel perturbato, incapaces sunt disciplinæ. Unde Aristoteles, in *Ethicis*, discipulum requirit, qui passiones habeat sedatas et compositas. Præsertim vero per pacem accipit animi demissionem et mansuetu-

dinem, quæ humiliter et pacifice excipit dicta magistri. Superbi enim et contentiosi, qui dicta magistri discutere et censere volunt, ac contra ea disputare et arguere, inepti sunt ad hauriendam magistri doctrinam. Tales sunt juvenes audaces, effrenes et insolentes, qui, cum a senioribus audiunt eis erubescendum esse de moribus tam liberis, audacibus, incompositis, respondent in iis nihil esse quod erubescant, sed senes esse imperiosos, morosos, scrupulosos, timidos; ideoque illis timenda et pudenda videri, quæ revera timenda et pudenda non sunt. Sensus ergo est, *q. d.* O filii, o discipuli, si vultis capere meam disciplinam, afferte animum quietum, humilem, pacificum : illo enim mea dicta capietis, intelligetis et conservabitis. Ego enim vestri causa vestroque commodo illa eloquor et conscribo : nolo ea mihi servare, nec in mente mea recondere; sed vobis tanquam sapientiæ thesaurum pandere et communicare. Sicut enim thesaurus, si abscondatur, nulli est usui : sic et sapientia, si a sapiente celetur, nulli prodest : cum ad hoc ei a Deo data sit, ut per eam non tantum se, sed et alios doceat dirigatque ad virtutem et salutem : ideoque melior est stultus, qui abscondit stultitiam suam, quam sapiens, qui occultat sapientiam suam. Vide quæ de utraque hac sententia dixi, cap. XX, 32 et 33. Ibi enim utraque habetur, et hic repetitur.

Eamdem humilitatis et pacis conditionem a suis fidelibus exegit Christus; unde ait : « Confiteor, tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia absconditi hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te, » *Matth.* cap. XI, 25. Quin et Pythagoras a discipulis non tantum pacem, sed et quinquennale silentium exegit. Unde illud, αὐτὸς ἔφα, « ipse, » scilicet Pythagoras, « hoc dixit : » ergo sine alia disquisitione credendum et faciendum est. Ita Lyranus, Dionysius, Jansenius et alii.

Secundo, sublimius : « disciplinam in pace, » id est pacis, vel de pace (Hebræi enim per ב, id est *in*, significant regimen genitivi) « conservate, filii, » *q. d.* Sequentia, quæ vos docebo de cavendis rebus pudendis et erubescendis, spectant ad pacem : ut scilicet pacem, gratiam et honestatem cum omnibus colatis. Hanc ergo disciplinam, cum sit pacis, et de pace, quæ omnibus est optabilis, studiose excipite.

Prospera mentem dissolvunt.

Tertio, « pax » Hebræis significat prosperitatem rerumque copiam et abundantiam, *q. d.* Disciplinam hanc meam servate, non tantum rebus adversis et tristibus, sed etiam secundis et lætis; dum affluitis opibus, deliciis omnique felicitate : hæc enim solent mentes disciplinæ tenacem laxare et dissolvere, ut ad ea adeo concupita dilabatur et diffluat. Unde S. Bernardus, serm. 2 in *Ramis palmarum* : « Licet, inquit, multos frangat adversitas, tamen multo plures extollit prosperitas, sicut scriptum est : Cadent a latere tuo mille, sinistro scilicet, per quod signatur adversitas; et, decem millia, id est multo plures, a dextris tuis, in quibus prosperitas designatur. » Idem, lib. II *De Consider.* cap. XII : « Est utique, si diligenter attendas, quam rarus semper exstiterit, qui non vel modice in prosperitate animum relaxaverit a sui custodia et disciplina. Quando hoc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad nivem vel glaciem. Sapiens David, sapiens Salomon fuit : sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus, qui incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia, nec minor, cui præsens felicitas, si arrisit, non irrisit. Quamquam facilius inveneris, qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. Præferendus ille, et magnus est, cui inter prospera saltem risus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior cura vestis vel corporis non irrepsit. »

Job vicit in stercore, Adam victus est in paradiso.

Quærunt doctores cur Job, gravi et multiplici tentatione pulsatus, victor evaserit; Adam vero una levique Evæ illecebra illectus succubuerit, seque et posteros omnes perdiderit. Causam assignat S. Augustinus, *in Psalm.* XLVII : « Vicit homo (Job), inquit, in stercore, victus est (Adam) in paradiso, » *q. d.* Jobum dolores et adversa non fregerunt, Adamum deliciæ et prospera subjugarunt. Quocirca dæmon magis homines tentat per prospera quam per adversa, ac tum sæpe certus est de victoria; cum, scilicet, delicias mundi et carnis blanditias dulci quodam, sed periculoso bello ducit in aciem, adversus hominem luteum et carneum, tunc crebro vincit et triumphat : caro enim capitur rebus prosperis et carnalibus; in adversis vero, quasi per antiperistasin, mens carnem erigit et corroborat. Hunc sensum expressit Tigurina : *Filii*, inquit, *conservate disciplinam rebus prosperis. Cum sapientia latet, et thesaurus est abditus, quid est in utrovis utilitatis? Homo celans stultitiam suam præstat homini sapientiam suam occultanti.*

Quarto, Palacius explicat, *q. d.* O filii, dum in pace vivitis, hanc quam vobis trado disciplinam servate.

Mystice Rabanus : « Disciplinam, inquit, in pace conservate, filii. Disciplinam ergo in pace conservat, qui secundum duo præcepta charitatis, in sanctitate et justitia vivere certat. De quo Paulus ad Hebræos scribens ait : Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Et quia non sufficit cuilibet per se bene vivere, si proximis suis in sana doctrina, quantum potest, non studuerit prodesse, protinus subjungitur : Sapientia enim abscondita, et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? » Et inferius : « Unde et bene per Salomonem dicitur, *Proverb.* XI : Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem

talis quisque maledicetur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Et : Anima, quæ benedicit, impinguabitur ; et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur : qui enim exterius prædicando benedixit, interioris augmenti pinguedinem recipit ; et dum vino eloquii auditorum mentem inebriare non desinit, potu multiplicati muneris inebriatus excrescit. Unde Isaias, cap. VI : Væ mihi, inquit, quia tacui ! Et Paulus, *Actor.* XX, 26 : Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium ; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. » Hæc sparsim Rabanus.

Vers. 19 et 22. 19 et 20. VERUMTAMEN REVEREMINI IN HIS QUÆ PROCEDUNT DE ORE MEO. NON EST ENIM BONUM OMNEM REVERENTIAM OBSERVARE : ET NON OMNIA OMNIBUS BENE PLACENT IN FIDE. — Ita Romana et Græca. Perperam ergo pro ἐντράπητε, id est *reveremini*, aliqui legunt, *revertimini*, et pro αἰσχύνην, id est pudorem, verecundiam, reverentiam, legunt contrarie *irreverentiam*. Pro *verumtamen*, græce est τοιγαροῦν, id est *ergo*, igitur, quocirca.

Sensus est, *q. d.* Dixi quod disciplina hæc mea sequens de verecundia a vobis, o discipuli, excipienda sit in pace mentis humilis, demissæ et quietæ ; igitur ut eam præstetis, « reveremini, » id est reverentiam, pudorem et verecundiam induite, circa ea quæ vobis dicturus sum esse reverenda et erubescenda. Nam non omnis omnium reverentia, id est pudor bonus est. Sunt enim quos pudet coram hæreticis profiteri fidem, coram libidinosis castitatem, coram gulosis sobrietatem, etc., qui pudor sane præposterus et perversus est. Rursus sunt alii quos pudet humilitatis, mortificationis, pœnitentiæ, zeli : quia frigidi et tepidi sunt, vitaque et virtute communi contenti ; unde non probant nova, rara et heroica opera virtutis. Quocirca « non omnia omnibus bene placent in fide, » id est fideliter, recte, juste et sancte facta, *q. d.* Horum tamen pudere non debet ; quia hic pudor non est bonus, ideoque non imitandus ; sed generose superandus et profligandus. Simili modo dixit cap. XXXVII, 31 : « Non des illi (animæ nequam) potestatem ; non enim omnia omnibus expediunt, et non omni animæ omne genus placet. » Quare ut bonum pudorem a malo et præpostero discernatis ; docebo, primo, quorum vos pudere ; secundo, quorum non pudere debeat. Unde dico : « Erubescite a patre et matre de fornicatione, » etc.

Revereri pro pudere. Ubi nota Latinum interpretem sæpe « reverentiam » usurpare pro pudore et verecundia, ac « revereri » pro pudere et erubescere ; ut *Psalm.* XXXIV, 26 : « Erubescant, et revereantur simul, qui gratulantur malis meis ; induantur confusione et reverentia, qui magna loquuntur super me. » *Psalm.* LXVIII, 20 : « Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam. » I *Corinth.* cap. XV, 34 : « Ad reverentiam (id est pudorem, ut vos pudeat) vobis loquor. »

Fides pro constantia. Rursum τὸ *in fide* significat fideliter, integre, recteque facta. Sic Deus dicitur fecisse « omnia opera in fide, » id est integre et perfecte, *Psalm.* XXXII, 4. Posset quoque « fides » accipi pro constantia, *q. d.* Non omnia quæ in fide, id est constanter et generose, fiunt, placent omnibus : multi enim politice mutant mores et sermones, ut se omnibus accommodent ; quia pudet eos virtutis constantiæ. Si Hebræi באמונה *beemuna*, id est « in fide » vocant id quod cum firmitate et constantia fit, sive quod firmiter, constanter et solide agitur. Sic Tobias ait cap. II, 18 : « Filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. » Et *Apocal.* XIII, 10 : « Hic est patientia et fides (constantia) sanctorum. » Hoc significatum sequitur Tigurina : sed sensum alio deflectit. Sic enim vertit : *Neque enim quavis verecundia teneri pulchrum est ; nec omnia solide probanda sunt in omnibus.* Aliter usurpat Apostolus τὸ *in fide*, vel ex fide, *Roman.* XIV, 23, scilicet pro eo quod fit juxta credulitatem et dictamen conscientiæ, qua quis credit hoc illudve sibi licere facere sine peccati scrupulo.

Porro Lyranus pro *reverentiam* legens *irreverentiam*, sic explicat : Non est bonum, inquit, discipulo, aliquam irreverentiam habere ad doctorem, ejus doctrinam contemnendo, vel negligendo. Et non omnia doctoris dicta omnibus discipulis « bene placent in fide, » id est licet sint fidei convenientia, tamen eis non placent, quia sunt imbuti opinione alia, *q. d.* Propter hujusmodi tamen displicentiam, ostendere non debent aliquam irreverentiam ; unusquisque enim in suo sensu abundat. Hæc Lyranus et Dionysius.

Palacius vero : Non est bonum, inquit, omnem inverecundiam et impudentiam habere ; non est bonum omnino carere verecundia, nec enim res impudenter factæ omnibus placent, ac si fideliter fierent. Pudeat igitur facere coram omnibus, quod non omnibus placebit, imo multis displicebit ; utpote quod non factum est fideliter et recte.

Mystice Rabanus : « Et non omnia omnibus placent in fide. Non enim una eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt ; quia et plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt ; et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat ; et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit ; et panis qui vitam fortiùm roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo Doctorum ; ut et ad sua singulis congruat, et tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat. »

Vers. 21. Sedecim res erubescere 21. ERUBESCITE A PATRE ET A MATRE DE FORNICATIONE. — Recenset sedecim res, quarum vel ob peccatum et scelus quod continent, vel ob indecentiam et inhonestatem, quemque pudere debet.

Prima, est fornicatio.

Prima est fornicatio; de hac enim omnes erubescere debent, sed maxime filii a patre et matre, id est coram patre et matre; idque quia parentes ægerrime ferunt filios fornicari; tum quia hoc ingens eis est probrum; tum quia signum est negligentiæ parentum, quod scilicet filios non satis recte casteque educarint et conservarint; tum quia cupiunt filios honesto matrimonio jungi, per quod legitimos nanciscantur nepotes, qui sibi in hæreditate succedant; non illegitimos, spurios et incertos; tum denique, quia si sint filiæ, et fornicentur, nulli honesto et pari eas in matrimonium elocare possunt: nemo enim vult ducere vitiatas et meretrices. Præclare Demades pudorem in femina aiebat pulchritudinis arcem esse. Et Demetrius Phalereus admonebat adolescentes, « ut domi parentes, in via obvios, in solitudine revererentur seipsos. » Pudor enim juvenes optime deterret a peccando, qui nusquam non adest, si quis revereatur seipsum. Ita Laertius, lib. V, cap. v. Socrates asserebat « Hospitalem Deum inter homines, qui justi pudoris participes sunt, versari. » Idem docebat discipulos, « ut hæc tria in omni vita servarent: in animo prudentiam, in vultu verecundiam, in lingua silentium. » Ita Maximus, *serm.* 41: Echereus « verecundis pudentibusque Jovem favere fulminatorem » dicebat. Democritus: « Malum, inquit, etiamsi solus fueris, neque dixeris, neque feceris. Disce autem teipsum multo magis quam alios revereri. » Ita Stobæus, *serm.* 29. Sapienter Isocrates Demonicum instruit dicens: « Nunquam quidquam turpe faciens, spera te latiturum. Nam ut alios lateas, tibi ipse conscius eris. Omnia videare facere, tanquam neminem lateas; licet enim nunc lateas, post tamen conspicieris. »

Gnomæ de pudore.

Secunda, est mendacium.

Secunda res, de qua erubescendum est: ET A PRÆSIDENTE ET A POTENTE DE MENDACIO. — Nota: Græcum ἀπὸ, quod Noster vertit *a*, accipitur pro *coram* vel *apud*; notat enim personam, coram qua, vel apud quam, sive cujus respectu, et propter quam (quod Hebræi dicunt מִפְּנֵי *mippene*, id est a facie, in conspectu) est erubescendum; sicut περὶ, id est *de*, notat objectum, sive materiam erubescendi. Unde Tigurina vertit: *Pudeat vos scortationis coram patre, aut matre; mendacii coram principe et potestatem gerente*; alii: *Pudeat vos fornicationis propter patrem ac matrem, et mendacii propter præsidem ac potentem.* Principes enim et præsides sicut amant veraces et veritatem, utpote necessariam ad recte judicandum, consulendum, regendum: ita ex adverso oderunt mendaces et mendacium; nolunt enim decipi, et in errorem induci; præsertim quia ipsorum dos et laus præcipua est sapientia, cui contraria est fraus et falsitas; et quia mendacium apud ipsos valde nocet reipublicæ et bono publico; unde videmus principes, dum falso ab adulatoribus informantur de reipublicæ et subditorum statu, pessime regere, et rempublicam perdere.

Vers. 22. Tertia, est negligentia in officio.

22. Tertia est: A PRINCIPE ET A JUDICE DE DELICTO. — Græce περὶ πλημμελείας, id est de negligentia, qua scilicet quis œconomus, procurator, advocatus, simileve officium apud judices vel principes obiens, in eo negligens est; ac per negligentiam omittit ea quæ officium ei commissum requirit; per hoc enim fit, ut judex judicium pervertere, vel certe incidere, aut remorari cogatur, æque ac princeps negotia publica; aut certe eorum edicta et mandata contemnuntur, dum prætores cæterique eorum officiales ea in praxim redigere, eorumque transgressores castigare negligunt.

Porro Palacius sic explicat, *q. d.* Cave delinquere in oculis judicis et principis; nam hic si te comprehendat in flagranti delicto, sine aliis testibus te castigabit et puniet; uti Moses castigavit Hebræos adorantes vitulum aureum, *Exodi* cap. XXXII. Alius, *q. d.* Ne principi vel judici detrahas, imputesve delictum, v. g. tyrannidem, injustitiam, avaritiam, etc., juxta illud Pythagoræ: « Nunquam in astrum digitum intende, hoc est, de supremis viris nil temere loquaris. »

Quarta, est iniquitas.

Quarta est: A SYNAGOGA ET PLEBE DE INIQUITATE. — Tigurina: *Pudeat te criminis coram cœtu et populo*; quia si coram cœtu populi et plebis agas quid iniquum contra ejus privilegia, leges (ἀνομία enim est id quod est contra leges, et ex lex), consuetudines; omnes in te concitabis; ut te odio probrisque persequantur, et opibus vel vita mulctent, juxta illud cap. VII: « Non pecces in multitudinem civitatis, neque te immittas in populum. » Nam si pecces in unum, unum timebis ultorem; at si in populum, eum totum contra te concitabis: unus placari potest, at quomodo placabis totam multitudinem? Hoc expertus Roboam regno decem tribuum excidit, II *Reg.* cap. XII. Sapienter ergo Isocrates Demonicum erudit, dicens: « Ex communibus procurationibus discede non ditior, sed gloriosior; multis enim pecuniis melior est profecta a multitudine laus. Vita calumnias, licet falsas; quia vulgus non tam ad veritatem quam ad famam respicit. Existima nihil esse humanum stabile. Sic enim neque fortunatus eris præter modum lætus, neque infortunatus præter modum tristis. »

Vers. 23. Quinta, est injustitia.

23. A SOCIO ET AMICO DE INJUSTITIA. — *Quinta* res, de qua pudere nos debet, est « injustitia coram socio et amico; » quia scilicet illi injuriam et noxam injuste inferimus; omnis enim injustitia est turpis et pudenda, sed maxime ea quæ irrogatur amico et socio; cui non tantum jus nomine justitiæ, sed et beneficium ratione societatis et amicitiæ debemus; præsertim quia ipse se suaque credit nobis, quasi fidis suis amicis. Præclare Isocrates ad Demonicum: « Similiter turpe judica, inquit, inimicorum vinci maleficiis, et amicorum superari beneficiis. »

Sexta, est furtum.

Sexta est: DE LOCO IN QUO HABITAS, DE FURTO. — Pro *de*, græce est præpositio ἀπὸ, quam, ut paulo

ante dixi, Noster vertit *a*, id est coram, apud, propter. Unde Complutensia et Romana vertunt *a loco*; Noster vertit, *de loco*; quia locus non est persona, uti sunt pater, princeps, judex, et cæteri præcedentes, quibus proinde præfixit præpositionem *a*, id est coram. Verum, quia per locum intelligit personas loci incolas, hinc commodius vertas, *a loco*. Tigurina : *Pudeat te furti in loco quem incolis*, *q. d.* Erubesce furari in loco, ubi habitas, tum quia turpe est domum viciniamque tuam commaculare furto, ut a vicinis audias fur, omnesque te velut infamem fugiant et exsecrentur; quis enim suis rebus non metuat a vicino fure? tum quia locus, v. g. patria, nos genuit, educavit, aluit alitque : quare fidelitatem summam a nobis poscit. Ergo indignum est, si illam furto vexemus et deprædemur. Quomodo ergo tu feras communem, qua te tui omnes notent, infamiam? quomodo vicissim cives tui patientur te publicum furem?

Porre quod addit : DE VERITATE DEI, ET TESTAMENTO, — Jansenius opinatur hoc membrum irrepsisse ex capite sequenti vers. 2, esseque delendum, eo quod non habeat adjunctam materiam, puta peccatum, de quo sit erubescendum. Verum illud constanter legunt codices Latini et Græci; quare referendum est tum ad furtum, tum ad quinque præcedentia, *q. d.* Erubesce de furto, et de quinque criminibus cæteris jam recensitis, *de* (græce ἀπὸ), id est coram, vel propter « veritatem Dei, et testamentum, » id est legem; quia scilicet Dei veritas, id est æquitas, justitia et lex illa prohibent, illisque graves pœnas intentant; ut hæc sex distinguat a sequentibus, in quibus quædam recensebit erubescenda, non quod crimina sint, sed quod inhonesta sint et dedecent. Tigurina vertit : *Pudeat vos coram veritate Dei, et pacto*; alii : *Propter veritatem Dei, et testamentum.*

Secundo, Lyranus : « De veritate Dei, et testamento, » inquit, transgrediendo debet homo erubescere; quia Deus videt ubique. Et Dionysius : Ubique, inquit, et semper, et summe verecundemini de violatione et inhonoratione veritatis legis divinæ, et præceptorum ipsius; quoniam ipse Altissimus omnia intuetur.

Aliter Palacius, qui hæc refert ad sequens « de discubitu in panibus. » Erubescite, inquit, a veritate Dei, et testamento ejus; ne discumbatis in panibus in cultum idolorum. Certum enim est olim idololatras habuisse usum comedendi idolothyta in deorum suorum cultum, juxta illud : « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere, » *Exodi* cap. XXXII. Imo, et fideles in veri Dei latriam comedebant, juxta illud : « Epulaberis coram Domino Deo tuo tu, et filius tuus, » *Deut.* XVI. Erubescite igitur discumbere ad comedendum coram falsis diis, cum veritas Dei, et testamentum, quod cum ipso pepigistis, id vobis prohibeat. Unus est verus Deus; ergo unum illum adorabis : rursum fœdus cum unico Deo pepigisti; cur fœdere violato deos falsos adoras?

Mystice hæc sex pudenda sic explicat Rabanus : Mystice.
« Altiore sensu, inquit, coram matre Ecclesia, et Patre Deo erubescit de fornicatione, qui idololatriam Gentilium, seu stultitiam sectatur hæreticorum; anima enim, quæ relicto Dei consortio sequitur perversorum errorem, spiritaliter fornicatur; unde et damnabitur. Erubescit autem a præsidente, et a potente de mendacio, qui coram oculis divinæ majestatis prævaricator esse convincitur sponsionis suæ, quam promisit in baptismi perceptione. »

24. DE DISCUBITU IN PANIBUS, ET AB OBFUSCATIONE DATI ET ACCEPTI. — Septima res erubescenda est « discubitus in panibus, » per quam *primo*, Palacius, uti paulo ante dixi, intelligit discubitum in idolis, esumque idolothytorum, puta panum et ciborum idolis immolatorum; *secundo*, Lyranus accipit primam sedem in mensa alterius (panis enim poni solet in capite mensæ, ubi residet paterfamilias) quam vetat Christus, *Luc.* XXIV, dicens : « Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, » primum enim locum accipere propria auctoritate, signum est ambitionis magnæ; *tertio*, Dionysius insuper accipit excessum in pane et cibo per gulam. Sic et Rabanus : « In die judicii, inquit, confusione dignus apparebit, qui comessationi et ebrietati semetipsum tradens turpiter incubuit. » Vers. 24. Septima, discubitus in panibus, quis?

Verum hæc vel parerga, vel mystica esse liquet ex Græco qui habet, καὶ ἀπὸ πήξεως ἀγκῶνος ἐπ' ἄρτοις, id est, ut Complutensia et Romana, *a fixione cubiti in panibus*; alii legunt ἐπ' ἄρτους, id est *supra panes*. Sensus est, *q. d.* In mensa pudeat te figere cubitum supra panem, illique incumbere, uti faciunt pagani et agrestes. Hoc enim *primo*, rusticum est et incivile : unde Grobbianus (ita vocatur libellus *De Civilitate*, vel potius incivilitate morum), inter alios rusticitatis et incivilitatis actus hunc nominatim assignat et taxat; *secundo*, hoc signum est irreverentiæ in Deum; illum enim in cibis et donis suis modesto gratoque ore et gestu revereri debemus; ipse enim iis nos gratis pascit a juventute nostra; *tertio*, hoc signum est superbiæ; qui enim incumbit pani, videtur esse dominus mensæ et convivii, omnibusque convivis velle dominari, quasi qui eos pane suo pascat, illumque eis negare possit, si velit; *quarto*, hoc signum est gulæ; sic enim gulones Hebræi suspirantes ad ollas carnium, dicebant Mosi : « Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate! » *Exodi* XVI, 3. Sic porci incubant siliquis, et boves pascuis.

Symbolice, discumbit in panibus dives, qui spes vitæ reponit in copia suarum frugum et opum, vel in excellentia artis suæ, uti faciebat ille qui ambitiose sibi dicebat : « Anima, habes Symbolice.

multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. » Quocirca dixit illi Deus : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt? » *Luc.* XII, 19. Hunc sensum innuit Tigurina, dum vertit : *Ne reponatis cubitum in victu parando*, *q. d.* Ne innitamini et præfidatis in arte parandi vobis victum et opes.

Octava est « obfuscatio dati et accepti; » obfuscatio est denigratio famæ, puta infamia, *q. d.* Erubesce de infamia, quam incurres si non possis justam reddere rationem et computum dati et accepti, si plus acceperis quam expenderis, si summam accepti non possis exæquare summæ dati et expensi; hoc enim te arguet vel furem, vel dissipatorem et prodigum rei alienæ tibi commissæ. Liber enim rationum dati et accepti clarus, non obfuscatus esse debet. Erubesce igitur si fuscedo quæpiam librum expensarum obfuscavit, ut rationem integram debiti reddere nequeas, ait Palacius. Rursum erubesce, si dederis vel acceperis munera ad pervertendam justitiam, aut ad rem turpem aliudve scelus perpetrandum. Item si beneficium acceptum indigna recompensatione fœdaris. Ita Lyranus, Dionysius, Jansenius. Pro *obfuscatio* enim græce est σκορακισμός, quod Complutensia vertunt, *contemptus*; alii, *denigratio* : κόραξ enim, id est corvus, dictus est a κόρον, id est nigrum, eo quod sit nigerrimus; alii, *repulsio contumeliosa;* Tigurina, *vituperatio* : *Ne vel dando*, inquit, *vel accipiendo subeatis vituperationem*; σκορακισμός enim, ait Hesychius, est χλευασμός ἀπάτη, φαυλισμός, ἀποδοκιμασία, id est vituperatio, denigratio, fraus, contumelia, impostura : σκορακίζω enim est idem quod vitupero, denigro, convicior, infamo, εἰς κόρακας ἀποτέμπω, id est ad corvos mitto, in malam crucem relego, profligo, ejicio, damno, odio prosequor. Hinc sensus esse posset, *q. d.* Noli corvum agere, noli esse furax, noli te denigrare rapacitate; corvi enim poma, etc., furantur, et in nidum inferunt, nec unquam referunt aut restituunt.

Mystice Rabanus hæc refert ad avarum : « Qui per paupertatem, inquit, ea proximis non tribuit, quæ cum cæteris omnibus communiter habenda a Deo accepit. »

Vers. 25 et 26. 25 et 26. A SALUTANTIBUS DE SILENTIO : A RESPECTU MULIERIS FORNICARIÆ : ET AB AVERSIONE VULTUS COGNATI. NE AVERTAS FACIEM A PROXIMO TUO, ET AB AUFERENDO PARTEM ET NON RESTITUENDO. — Nona res erubescenda est, *q. d.* Pudeat te de silentio a salutantibus; si scilicet te salutantes non resalutes, sed sileas, sileusque pertranseas. Hoc enim inofficiosum est, incivile, rusticum, animique aversi et arrogantis indicium. Tigurina : *Pudeat te silentii coram salutantibus.* Hoc vitium silentii cum quis non appellat, nec salutat amicum, Græci ἀπροσηγορίαν vocant; de quo Aristoteles, lib. VIII *Moral.* : « Quod si, inquit, diuturna fuerit absentia, videtur et necessitudinis oblivionem adferre. Unde dictum est illud : Multas amicitias silentium diremit. » Huc facit illud Alphii fenera-toris, apud Columellam : « Bona nomina nonnunquam mala fieri, si nunquam interpelles. » Per « nomina » intellige debita vel justitiæ, vel amicitiæ, quæ si nunquam interpellentur, id est reposcantur, in oblivionem abeunt et evanescunt.

Nona, est non resalutare salutantes.

Aliter noster Salazar, *In Prov.* cap. XXVII, num. 78 : Erubesce « a salutantibus de silentio; » hoc est, inquit, erubesce salutare alios « inter noctis silentia, » *q. d.* Noli esse antelucanus, sive nocturnus et importunus salutator, juxta illud *Prov.* XXVII, 14 : « Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit, » *q. d.* Quisquis intempesta nocte salutes inclamat, propter gravem molestiam, quam salutatis affert, somnum eorum interturbando, eosque percellendo; hic maledicentibus, et male precantibus nihilo dispar censebitur. Sic ergo « de silentio » idem est quod « de nocte, » sive nocte silenti. Verum hic sensus obscurior, minusque usitatus videtur. Adde, quod græcum περὶ, id est « de, » hoc loco notat non tempus, sed materiam, de qua erubescendum est; sicut, ἀπὸ, id est « a, » notat personas, uti dixi vers. 21.

Huc facit illud Isocratis *ad Demonicum* : « Moribus quidem sis facilis salutator, verbis autem bonus salutator. Est autem facilis quidem salutatoris, appellare obvios; boni autem salutatoris, verbis ipsis humaniter accipere. »

Porro Syrus hanc gnomen ita paraphrastice reddit : *Quicumque salutatur et silet, ipse est fraudator magnus : salutationem quam impertitus es ei, non reddit tibi; depositum quod das illi, ita reddit tibi.* Ita contingit, ut qui salutationem non reddunt, neque depositum reddant. Præclara est sententia : « Resaluta semper, imo saluta prior. » Sic B. Virgo prior salutavit Elisabetham, eamque cum prole implevit Spiritu Sancto. Sic Apostolus in omnibus epistolis fideles officiose salutat : « Salutate, inquit, omnem sanctum in Christo Jesu. Salutant vos qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, » *Philip.* IV. Ubi Ambrosiaster : « Salutatio fratrum, inquit, solatium vicem præstat : quasi imagines enim exhibet divisorum. » Denique honor (qualis est salutatio) est in honorante et salutante, non in honorato et salutato.

Oratio et salutatio.

Excipe casum unum, quando scilicet negotiis altioribus, ut precibus, contemplationi, sacrificio quis vacat; tunc enim ita Deo tota mens danda est, ut salutantes non resalutet, imo non audiat nec videat. Qua de causa Eliseus jussit Giezi, ut suscitaturus mortuum mentem totam in Deum ejus opem implorando colligeret, ac neminem per viam salutaret, IV *Reg.* IV, 29. Idem jussit Christus septuaginta duobus discipulis, cum eos misit ad prædicandum, *Lucæ* X, 4. Et S. Carolus Borromæus Romæ solitas septem basilicarum obiens stationes, ita precibus et Deo vacabat, ut

salutatus licet a parentibus et amicis neminem tamen resalutaret. Idem faciebat noster B. Aloysius Gonzaga. Idem plurimos fecisse Romæ, anno jubilæi 1625, magna animi voluptate conspexi. Simile silentium colebant Pythagoræ discipuli, ideoque pisces in honore habebant, quod hi natura sua sint silentes et muti. Unde Plutarchus, in *Symposiacis*, Pythagoricos ait a piscium esu abstinuisse ex reverentia, quod hos quasi disciplinæ suæ domesticos agnoscerent, propter ἐχεμυθίαν, id est silentium, quod inter animantium genera piscibus est proprium; cæteris enim quibusque sua est vox. Causam affert Aristoteles, lib. IV *Histor. anim.*, cap. IX, quod piscibus neque pulmo sit, neque guttur, neque arteria, quæ tria ad vocem requiruntur. Addit Athenæus Pythagoricos solos pisces non gustare, quasi sacros ob silentium, quod Pythagoras docuit. Igitur sicut is qui cum rege colloquitur, neminem licet se salutantem resalutat, vel interroganti respondet: sic multo magis idipsum facere debet qui cum Deo in oratione colloquitur. Hoc enim exigit Numinis majestas, honor et reverentia, coram qua omnis officiosa salutandi urbanitas facessat oportet.

Pythagorici non edebant pisces ob silentium.

Decima est: pudeat te « a respectu, » græce ὁράσεως, id est aspectu, inspectione, « mulieris fornicariæ; » Tigurina: *Pudeat te inspicere mulierem meretricem.* Hoc enim est signum animi impudici et fornicarii. Oculi enim sunt in amore duces, et ubi est oculus, ibi est amor, mens et animus. Unde Christus: « Ego autem dico vobis, inquit, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo, » *Matth.* V, 28. Pudet nos rem turpem, olidam et fetidam inspicere, in eaque oculos figere; multo magis pudeat inspicere meretricem, quid enim turpius et putidius meretrice? Memorabile est, quod in *Vita S. Ephrem*, de eo in hæc verba scribit Auctor. S. Ephrem ingrediens urbem Edessam rogavit Deum, ut in ingressu obviam haberet hominem, qui secum a S. Scriptura sermonem exordiretur. Occurrit ei meretrix, eumque attente intuita est. Ad quam Sanctus: « Dic, inquit, mihi, puella, cur ita intentis in me intueris oculis? » Cui illa: « Intueor te, quia ego mulier ex te viro sumpta sum. Tu autem ne me intuearis, sed terram, ex qua tu vir sumptus es. » Quæ cum audisset S. Ephrem, glorificavit Deum, quod per meretricem tam sapienter ex S. Scriptura se instruxisset.

Decima est aspectus meretricis.

Undecima est: Pudeat te « ab aversione vultus cognati, » hoc est « a cognato; » græce, ἀπὸ ἀποστροφῆς προσώπου συγγενοῦς (Complutensia legunt εὐγενοῦς id est *nobilis*), quod Tigurina vertit: *Pudeat te avertere faciem a cognato;* alii: *Pudeat te ob aversum vultum cognati.* Si enim tu ab eo vultum tuum avertas, ipse vicissim suum a te avertet. Aliter Jansenius: Monet, inquit, pudendum esse de aversione vultus cognati, hoc est, de eo quod vultus ejus et aspectus contemnitur. Sic enim dictum est « aversio vultus cognati, » sicut, *Psalm.* CXXXI: « Non avertas faciem christi tui; » pro non contemnas, nec asperneris faciem christi tui; aversio enim vultus signum est contemptus. Unde superbi, cum ex humili in altum assurgunt, dedignantur aspicere et salutare suos cognatos et propinquos, quem fastum hic taxat Siracides.

Undecima, aversio vultus a cognato.

Duodecima: « Ne avertas faciem a proximo tuo. » Hoc membrum deest in Græco; unde Jansenius suspicatur illud irrepsisse in Latino, atque ex versione vel commentario alicujus insertum esse contextui; videtur enim duntaxat esse expositio membri præcedentis. Verum Latini codices constanter habent hoc membrum; unde videtur id olim in Græco exstitisse, præsertim quia aliud est avertere faciem a cognato, aliud a proximo. Igitur postquam monuit a cognatis non esse avertendum vultum, monet idem non esse faciendum proximo cuilibet quantumvis extraneo, pauperi, vili et misero. Omnes enim proximi sumus, id est fratres, ab eodem Deo creati, ex eodem patre Adamo et matre Eva prognati, eodem Christi sanguine redempti, eodem baptismo renati, in eadem Ecclesia, fide, spe et charitate coadunati. Quare pudendum et indignum est, aliquem talem aversari, ab eoque vultum avertere.

Duodecima, aversio vultus a proximo.

Decima tertia: Pudeat te « ab auferendo partem, et non restituendo, » *q. d.* Pudeat te cognato vel proximo auferre partem jure hæreditario aliove simili illi debitam, eamdemque detinere, nec illi restituere; hæc enim continuá est violentia et injustitia. Proprie taxat eos qui ex eo quod inter plures dividendum est, aliquot partes auferunt, sibique usurpant, quasi postea illas restituturi, et in massam communem relaturi; at ubi eas consumpserunt, vel secure possident, de restituendo non cogitant.

Græca aliter habent, nimirum ἀπὸ ἀφαιρέσεως μερίδος καὶ δόσεως, id est *ab ablatione partis et donatione;* Tigurina: *Pudeat te parte sua aut dono defraudare quemdam;* alii: *Pudeat te ob ablatam partem donationemque, q. d.* Cum cognato vel proximo aliquid donatum, vel testamento relictum est, quod tecum dividat; tu noli eum sua parte et dono spoliare, ut totum tibi vindicare et occupare velis. Hæc enim tyrannis est, leonina societas, et publicum furtum. Noster pro καὶ δόσεως videtur legisse ἄνευ ἀποδόσεως, id est *sine redditione,* hoc est *non restituendo.*

Decima tertia, partem ablatam non reponere.

27. NE RESPICIAS MULIEREM ALIENI VIRI, ET NE SCRUTERIS ANCILLAM EJUS, NEQUE STETERIS AD LECTUM EJUS. — Clare sensum reddit Interpres; nam Græca hæc eadem phrasi qua præcedentia enuntiant: *A consideratione* (Complutensia, *ab animadversione;* græce enim est μετανοήσεως) *mulieris conjugatæ, a sollicitatione* (græce περιεργίας, quod Complutensia vertunt, *curiositate*) *ancillæ ejus;* supple

Vers. 27.

et repete, « erubesce, » vel pudeat te : *et ne steteris super lectum ejus* ; Complutensia : *Ne steteris ad cubiculum ejus* ; Tigurina : *Pudeat te concumbere cum muliere viro juncta, ad hæc ancillæ cujuspiam attentare pudicitiam, et ad lectum ejus accedere* ; alii : *Pudeat ob contemplationem maritatæ mulieris, ob curiosam sollicitationem ancillæ ipsius, et ne steteris ad lectum ejus.*

Decima quarta, est intuitus mulieris conjugatæ.

Decima quarta res valde erubescenda, est curiosus aspectus et intuitus mulieris conjugatæ ; hic enim est signum et initium adulterii, cujus tantum apud omnes gentes est probrum tanta in familiam et rempublicam injuria, ut mariti æque ac judices ubivis fere locorum illud morte vindicent. Huic affine est tentare ancillam ejus, honor enim ancillæ est honor dominæ, mariti et totius domus. Paulo aliter Palacius, *q. d.* Erubesce, ne concupiscas uxorem alienam, nec ab ejus ancilla scruteris quid sua domina faciat, eam ad lenocinium dominæ sollicitando ; neque noctu stes foris gyrans domum, ubi lectus ejus est, scilicet dominæ. Itaque Auctor deterret a concupiscentia uxoris alienæ, et a sollicitanda ejus serva, ut heram sollicitet ; et a circumeundo loco, ubi uxor aliena lectum habet.

Hic sensus valde commodus et appositus est, eumque innuit τὸ *ne scruteris*, ac solent lenones per ancillas parare sibi aditum ad heras.

Mystice, Rabanus : « Ancilla, inquit, est cupiditas carnalis, quæ subjici debuit spiritus imperio, juxta illud quod Dominus ad Cain ait : Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius, *Genes.* IV, 7. Sed ipsa versa vice dominatur, in reproborum conversatione. Idcirco prohibemur hanc ancillam scrutari, hoc est suggestionibus illius subjici ; et stare ad lectum ejus, in delectationibus videlicet illius accumbere. Unde sapientia in Proverbiis hanc mulierem in cubili suo luxuriantem, et ad sui commixtionem alios illicientem reprehendit, ipsiusque viis inniti nos prohibet, dicens : Nunc ergo, fili mi, audi me, et attende verba oris mei ; » *Prov.* VII : « Ne abstrahatur in viis illius mens tua : neque decipiaris semitis ejus ; multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus ejus, penetrantes interiora mortis. »

Vers. 28. Decima quinta, est exprobratio.

28. AB AMICIS (perperam aliqui addunt « cave, » hoc enim delent Græca et Latina Romana) DE SERMONIBUS IMPROPERII : ET CUM DEDERIS, NE IMPROPERES, *q. d.* Coram amicis erubesce improperare eis quippiam, et si quid eis donaveris, noli improperare ; hoc enim est incivile, probrosum, et amicitiæ injurium. Unde Glossa interlinearis : *Datum offuscat, qui improperat. Imitare Deum, qui dat affluenter, et non improperat* ; et Rabanus : *Obfuscat enim datum,* inquit, *qui malo improperii lacerat proximum ;* Tigurina : *Pudeat te appetere contumeliis amicos, aut quod donaris exprobrare.* Sapienter Isocrates Demonicum admonet : « Si quos, inquit, vis facere amicos, bonum quippiam dic de ipsis ad renuntiaturos ; principium enim amicitiæ laus, simultatis vero vituperatio. »

Decima quinta est hæc res erubescenda. Sequitur decima sexta initio cap. sequent., quam proinde Palacius, Tigurina et alii huic capiti annectunt.

Mystice hæc omnia sic explicat noster Alvarez de Paz, *De Mortificat. hominis inter.* lib. II, part. III, cap. III : Hæc, inquit, tibi confusionis sint occasio, si in conspectu parentum, scilicet Christi et Ecclesiæ, rem creatam immodice amans, fueris spiritualiter fornicatus : si fueris coram Deo omnium judice et omnipotente mentitus : si in aliquo in conspectu ejusdem judicis tui ac factoris delinqueris : si plebem aut congregationem, in qua vivis, iniquitate scandalizaveris : si socium injuria affeceris : si in domo tua de furto in legem Dei admisso notatus fueris : si in convivio superbiens primas sedes elegeris : si muneri tuo minime satisfaciens, tuam famam denigraveris : si salutantes te præ arrogantia non salutaveris : si intentis aut minus pudicis aut cautis oculis pulchram mulierem aspexeris : si ad ampliorem dignitatem evectus, propinquos aut amicos habitos in humili statu, contempseris. Pro his et aliis similibus, quæ peccata sunt, tibi erubescendum est : at pro illis, quæ a natura ex divinæ providentiæ ordine suscepisti, nulla est habenda confusio.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præcedenti docuit, de quibus erubescendum : nunc docet, de quibus non sit erubescendum. Igitur sicut ibi sedecim species pudoris boni assignavit, ita hic tredecim species pudoris mali assignat. Inde vers. 9 *usque ad* 15, *agit de custodia filiarum, et cavendis mulieribus. Denique a vers.* 15 *usque ad finem agit encomiastem sapientiæ et omniscientiæ Dei in admirabilis solis, maris, cæterorumque operum fabrica, dispositione et gubernatione.*

1. Non duplices sermonem auditus de revelatione sermonis absconditi, et eris vere sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum : ne pro his omnibus cor-

fundaris, et ne accipias personam ut delinquas . 2. De lege Altissimi, et testamento, et de judicio justificare impium, 3. de verbo sociorum et viatorum, et de datione hæreditatis amicorum, 4. de æqualitate stateræ et ponderum, de acquisitione multorum et paucorum, 5. de corruptione emptionis et negotiatorum, et de multa disciplina filiorum, et servo pessimo latus sanguinare. 6. Super mulierem nequam bonum est signum. 7. Ubi manus multæ sunt, claude; et quodcumque trades, numera, et appende: datum vero, et acceptum omne describe. 8. De disciplina insensati et fatui, et de senioribus, qui judicantur ab adolescentibus: et eris eruditus in omnibus, et probabilis in conspectu omnium vivorum. 9. Filia patris abscondita est vigilia, et sollicitudo ejus aufert somnum, ne forte in adolescentia sua adulta efficiatur, et cum viro commorata odibilis fiat: 10. nequando polluatur in virginitate sua, et in paternis suis gravida inveniatur: ne forte cum viro commorata transgrediatur, aut certe sterilis efficiatur. 11. Super filiam luxuriosam confirma custodiam: nequando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in civitate, et objectione plebis, et confundat te in multitudine populi. 12. Omni homini noli intendere in specie: et in medio mulierum noli commorari: 13. de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. 14. Melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens, et mulier confundens in opprobrium. 15. Memor ero igitur operum Domini, et quæ vidi annuntiabo. In sermonibus Domini opera ejus. 16. Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus. 17. Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua? 18. Abyssum, et cor hominum investigavit: et in astutia eorum excogitavit . 19. Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum ævi annuntians quæ præterierunt, et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum. 20. Non præterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo. 21. Magnalia sapientiæ suæ decoravit: qui est ante sæculum et usque in sæculum, neque adjectum est, 22. neque minuitur, et non eget alicujus consilio. 23. Quam desiderabilia omnia opera ejus, et tanquam scintilla, quæ est considerare! 24. Omnia hæc vivunt, et manent in sæculum, et in omni necessitate omnia obaudiunt ei. 25. Omnia duplicia, unum contra unum, et non fecit quidquam deesse. 26. Uniuscujusque confirmavit bona. Et quis satiabitur videns gloriam ejus?

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. Decimasexta, est revelatio secreti.

1. NON DUPLICES SERMONEM AUDITUS DE REVELATIONE SERMONIS ABSCONDITI. — Hæc pertinent ad finem capitis præcedentis. Est enim hic decima sexta et ultima res erubescenda. Unde Græca hæc eadem phrasi qua præcedentia enuntiant, hoc modo, ἀπὸ δευτερώσεως καὶ λόγου ἀκοῆς καὶ ἀποκαλύψεως περὶ λόγων κρυφίων, id est *ab iteratione, et sermone auditus, et* (τὸ *et* est exegeticum, idemque valet quod *id est*) *a revelatione sermonum absconditorum*, supple et repete, *erubesce;* Tigurina : *Pudeat te, quod auditione acceptum fuerit, enuntiare alteri, et res secretas effutire.* Igitur, « non duplices, » id est non iteres, « sermonem auditus, » quem scilicet audivisti ut secretum : quod tibi semel dictum et commissum est, secundo dicere, alterique revelare nolis. Unde explicans subdit : « De revelatione sermonis absconditi, » subaudi et repete, « erubesce, » *q. d.* « Duplicare sermonem auditus » non est aliud, quam revelare sermonem absconditum : cujus rei quemque pudere debet; habet enim speciem infidelitatis et proditionis. Huc facit illud Isocratis, *ad Demonicum:* « Diligentius serva verborum quam pecuniarum deposita. Oportet enim bonos viros morem juramento fideliorem præstare. » Laudat Maximus, *serm.* 20, Demosthenem, cui cum quispiam exprobraret oris graveolentiam, respondit : « Bene dicis, multa enim in eo secreta computruerunt. » Solent enim res in occulto congestæ computrescere.

ET ERIS VERE SINE CONFUSIONE (græce αἰσχυντηρὸς, id est pudibundus), ET INVENIES GRATIAM IN CONSPECTU OMNIUM HOMINUM. — *q. d.* Si hæc sedecim erubescenda, quæ jam recitavi, observaveris, deque iis erubescas, ac proinde ea caveas, utique eris pudibundus et verecundus, proculque ab omni confusione et ignominia, ideoque gratiosus apud omnes homines. Pudibundus enim studiose cavet omnia pudenda, quæcumque scilicet ei confusionem, id est pudorem et verecundiam, creare

possunt Sicut e x adverso impudens et invere-cundus multa facit audacter et impudenter, quæ ei confusionem et ignominiam afferunt. Tigurina: *Ita demum verecundus vere fueris, et gratiam inieris apud omnes homines.*

Tredecim species pudoris mali.

NE PRO HIS OMNIBUS CONFUNDARIS, ET NE ACCIPIAS PERSONAM UT DELINQUAS. — Est antithesis præcedentium. Hucusque recensuit sedecim res, de quibus est erubescendum: nunc a contrario subjungit tredecim, de quibus non est erubescendum. Quare hic proprie incipit, cap. XLII. Dicit ergo: « Ne pro his omnibus, » quæ scilicet jam dicturus sum, « confundaris, » græce αἰσχυνθῇς, id est pudefias, verecunderis, erubescas: ita ut ob pudorem ea omittas et negligas. Unde id explicans subdit: « Et ne accipias personam, ut delinquas, » *q. d.* Ne ex metu et verecundia adeo respicias et reverearis personam aliquam, ut propter eam aliquid contra legem, æquitatem, vel honestatem committas et pecces Perversus enim est pudor, qui ad peccatum cogit vel impellit. Tigurina: *In his omnibus ne des locum pudori: ne personæ cedas, ut delinquas*; alii: *Ne de his te pudeat; neve suscipias personam, ut pecces.*

Vers. 2.

2. DE LEGE ALTISSIMI, ET TESTAMENTO, ET DE JUDICIO JUSTIFICARE IMPIUM. — Repete, « ne confundaris. » Prima hæc res est, de qua non est erubescendum, *q. d.* Ne confundaris, neve te pudeat legis Dei Altissimi, quod scilicet eam serves vel defendas. Ipsa enim est « testamentum, » id est ultima voluntas Dei continens ejus pacta et promissa, quæ legem servantibus pollicitus est et præparavit. Multi enim ex pudore legem Dei publice coram hominibus mundanis et vanis servare non audent, quibus comminatur Christus: « Qui me erubuerit, et meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, » *Luc.* IX, 26. Tigurina: *Ne des locum pudori in lege, et pacto Altissimi, q. d.* Nullus te pudor astringat ad violandam legem et testamentum Dei; vel melius: si legem et testamentum Dei servasti, nulla propterea afficiaris verecundia. Jubet lex Dei pati injurias, offerre alteram maxillam percutienti unam, ministrare servis nostris. Si hæc facimus, injustum est ut propterea afficiamur verecundia, licet nobis id alii improperent. Imo vero adeo nos legis Dei pudere non debet, ut de ea exsultare et gloriari debeamus juxta illud, cap. XXXIX, 11: « In lege testamenti Domini gloriabitur. » Summa enim hominis gloria est, quod Deo suo obediat, obsequatur et serviat, juxta illud, cap. XXIII, 38: « Gloria magna est sequi Dominum. » Hugo per « testamentum » accipit novum, quod Christus instituit et sua morte sancivit, de quo S. Augustinus: « O mira dispensatio, a testatore fugiunt hæredes, et intuentur in cruce latrones! » In hoc testamento septem legavit, pauperibus regnum cœlorum, mitibus terram viventium, lugentibus consolationem, esurientibus justitiam satietatem, misericordibus misericordiæ consecutionem, mundis corde Dei visionem, pacificis Dei filiationem.

Prima, est pudor observationis legis Dei.

Secunda, est pudor veri judicii.

Secunda res non erubescenda, est veracitas judicii, *q. d.* Ne confundaris, id est pudore suffundaris; et ne accipias personam, ut propter respectum et reverentiam personæ cujuspiam, « de judicio, » id est in judicio, justifices impium: ita ut in gratiam potentis pervertas judicium, causamque ei qui jus habet, abjudices, et ei qui jus non habet, adjudices. Tigurina: *Ne des locum pudori: ne personæ cedas* (hæc enim in omnibus sequentibus repetenda sunt) *in judicio, quo secundum impium judices.* Causam dat S. Isidorus, lib. III *Sentent.* cap. LIII: « Qui enim, inquit, consanguinitatis vel amicitiæ favore, sive inimicitiarum odio, judicium pervertunt; sine dubio in Christum, qui est veritas et justitia, peccare noscuntur. » Hoc est, quod in sensu mystico taxat Deus per Ezechielem, cap. XIII, vers. 19: « Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt. » Nam, ut exponit S. Gregorius, hom. 27 *in Evang.*: « Non morientem interficit, qui justum damnat; et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur. » Pervulgatum est illud, judicem, si fieri posset, exoculatum esse oportere, ne quempiam litigantium agnoscat. Hinc Plutarchus in lib. *De Iside*: « Thebis, ait, judicum imagines visuntur absque manibus, et summi judicis oculi connivent, eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. » Item *Deuter.* I, 19, sic Deus judices informat: « Quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ait parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujuspiam personam, quia Dei judicium est. » Huc spectat illud Petri Ravennatis, apud Nanium, in *Judice*: « Nihil adeo gloriose lucet in judice sicut amare et exhibere justitiam sine omni acceptione personarum. Teste enim Tullio proverbialiter dicitur: Exuit personam judicis quisquis amicum induit. Æquitas, cui judex obsequitur, sinistram odii vel amoris dexteram odit. Nam talis esse debet juris minister, ut in ejus manu nullius auctoritate personæ titubet aut vacillet libra justitiæ. »

Judicium effigies sine manibus: Cur?

Vers. 3.

3. DE VERBO SOCIORUM ET VIATORUM. — Tertia res non erubescenda est: Ne confundaris « de verbo sociorum et viatorum, » græce, περὶ λόγου κοινωνοῦ καὶ ὁδοιπόρων. Quod *primo*, Tigurina vertit: *Ne des locum pudori in salutandis sociis et viatoribus*; Vatablus: *In compellandis sociis et hospitibus. Secundo*, Palacius: Solent socii, inquit, verba quædam dicere, quæ nos pudore suffundunt: solent idem et viatores, qui ut provocent ad risum, probra jaciunt in eum cui occurrunt. Monemur ergo, ne rubore perfundamur ex verbis sociorum, nec enim hostes sunt, qui injuriæ causa illa dicant: sed sunt socii, qui risus aut amoris causa nos

Tertia, est pudor joci amicorum.

provocant ad ruborem. Similiter ex verbis viatorum : nec enim illi ob contumeliam, sed ad alleviandum viæ laborem, scurrilia illa profundunt.

Tertio, alii melius λόγον, id est verbum, vertunt rationem, causam, litem, negotium, *q. d.* Ne confundaris in ratione, lite vel causa, quam socius tuus habet cum extraneis, quales sunt viatores, stare rectus pro veritate et æquitate ; ut ob socii tibi amicitia conjuncti metum et reverentiam, illi præter jus faveas et extraneos injuste condemnes; malens offendere Deum quam socium, ac violare justitiam quam amicitiam.

Secunda explicatio plana est, naturalis et obvia; sed tertia profundior, eamque exigere videtur τὸ *et ne accipias personam ut delinquas,* vers. 1, quod ad sequentes hosce casus referendum est. Aliter hæc explicant Rabanus, Lyranus et Dionysius ; sed sensus jam datus videtur genuinus.

Quarta, est pudor æquitatis in dividendo.

Quarta est : Ne confundaris DE DATIONE HÆREDITATIS AMICORUM, — græce ἑταίρων, id est sociorum et sodalium; qui scilicet in eadem hæreditate participant, et partem obtinere debent, *q. d.* In distributione et divisione hæreditatis æqualiter et fideliter inter socios et hæredes dividendæ noli ex pudore uni plus favere quam alteri, uni plus tribuere et dare quam alteri. Hoc enim est contra justitiam distributivam, et sæpe commutativam, quando scilicet hæredibus per testamentum, legatum, donationem, etc., ad hæreditatem jus acquisitum est. Unde Tigurina vertit : *Ne des locum pudori in hæreditate consortium partienda.*

Aliter Palacius, *q. d.* Si amicus fidei tuæ hæreditatem commendavit, quam scilicet alicui alteri dares; nulla inopiæ verecundia cogat te, quin fidem serves, et hæreditatem illi tribuas, cui ex fidei commisso debetur. Nam eam tibi usurpare rapinæ piaculum est.

Vers. 4. Quinta, est pudor justæ mensuræ.

4. DE ÆQUALITATE STATERÆ ET PONDERUM, DE ACQUISITIONE MULTORUM ET PAUCORUM. — Quinta res non erubescenda, est æqualitas et justitia stateræ et ponderum, *q. d.* Ne confundaris, nec pudeat te exactum esse in servanda æqualitate mensurarum et ponderum : etsi alios passim in ea fraudem facere cernas, ipsique te rideant quasi scrupulosum et imprudentem, qui non noris malis artibus occulte rem tuam augere, juxta illud *Psal.* LXI, 10 : « Mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. » Tigurina : *Ne des locum pudori in adæquanda libra, aut ponderibus,* græce περὶ ἀκριβείας ζυγοῦ, id est *in accurato examine stateræ ac ponderum.* Multi enim avari institores, etsi ex proposito non curent inæqualia pondera, tamen negligunt examinare an inæqualia sint: imo cum suspicantur ea talia esse, dissimulant gaudentque, putantes peccatum injustitiæ in hac inæqualitate tegi per inscientiam vel ignorantiam affectatam : qua in re graviter errant.

Mystica

Mystice Rabanus : « Statera dolosa, inquit, non tantum in mensuratione pecuniæ, sed et in judiciaria discretione tenetur. Qui enim aliter causam pauperis, aliter potentis; aliter sodalis, aliter audit ignoti; statera utique librat iniqua. Sed et is qui sua bene gesta meliora quam proximorum, suaque errata judicat leviora quam aliorum, trutina ponderat dolosa. Necnon et ille, qui onera importabilia imponit in humeros hominum, ipse autem uno digito suo non vult ea tangere. Ille etiam, qui bona in publico, et mala agit in occulto, pro iniquitate libræ dolosæ abominatur a Domino. At qui sinceriter agit in omnibus, qui causam et causam æqua lance discernit, is nimirum justi judicis voluntati et actioni congruit. » Mysticas alias septem stateras, quibus expendenda sunt singula cujusque opera, recensebo *Prov.* XI, 1. statera pravi Judicii.

Sexta : Ne confundaris « de acquisitione multorum et paucorum, » *q. d.* Non pudeat te quod alii injuste per dolosa pondera multum lucrentur, tu vero per justa lucreris pauca : quia melius et fructuosius est parum lucrari juste, quam multa injuste. Aut, *q. d.* Non pudeat te tuæ justitiæ, justæque fortunæ, sive multum, sive parum lucreris et possideas; sed sorte tua juste parta contentus esto. Pluris enim est justitia, quam opes immensæ : pluris est paupertas justa, quam abundantia injusta. Rursum non pudeat te sectari parva lucra, quia per parva multiplicata gradatim pervenitur ad magna. Unde Hebræorum est proverbium : « Melius est lucrari multa quinque, quam pauca decem; » quia multa quinque addita, majorem numerum efficient, quam pauca decem. Ita Palacius. Unde Tigurina : *Non pudeat te in possidendis sive multis, sive paucis.* Huc facit paradoxum mercatoris, cujus superius memini : « Ditatus sum emendo caro, et vendendo vili pretio. » Aliter Lyranus et Dionysius, *q. d.* Pudeat te multa lucrari per rapinam, pudeat item te pauca lucrari per tuam inertiam et desidiam. Verum prior sensus est genuinus. Sexta, est pudor pauci lucri justi.

Vers. 5. Septima, est pudor dissipati monopolii.

5. DE CORRUPTIONE EMPTIONIS ET NEGOTIATORUM, ET DE MULTA DISCIPLINA FILIORUM, ET SERVO PESSIMO LATUS SANGUINARE. — Septima res non erubescenda est : Non confundaris « de corruptione emptionis et negotiatorum. » Ita Rabanus, Lyranus, Dionysius : licet alii nonnulli pro *corruptione* legant *correptione*, hunc que dent sensum, *q. d.* Ne pudeat te corripere et redarguere fraudes et injustitias, quæ a mercatoribus in emptione et venditione committuntur. Ita legit et intelligit Jansenius, qui eidem alteram lectionem, quæ habet, *de corruptione,* sic adaptat et conciliat, *q. d.* Non pudeat te de reprehensa vel vitiata corruptione emptionis et mercatorum. Verum Romana, Rabanus, Lyranus, Dionysius et alii constanter legunt *corruptione, q. d.* Non pudeat te quod videas multos mercatores tui similes, corrumpere merces, quas vendunt, earumque pretia, itaque multum ditescere; cum tu integras vendas merces,

justoque pretio, ideoque parum ditescas. Pluris enim est integritas conscientiæ cum paupertate, quam corruptela conscientiæ cum magnis thesauris.

Aut potius, *q. d.* Non pudeat te corrumpere emptionem, græce πράσιν, id est venditionem, vel auctionem publicam negotiatorum, cum scilicet ipsi faciunt monopolium, et inter se, uti sæpe fit, vel tacite, vel expresse conspirant, ut merces pluris non emant, vel minoris non vendant; esto pretium plus justo augeant vel imminuant, *q. d.* Non pudeat te turbare et dissipare monopolia, et conspirationes iniquas mercatorum, quibus res vel pluris justo vendunt, vel minoris justo emunt; offerendo scilicet pretium majus in emptione, ac minus in venditione; illudque non rigidum, sed moderatum.

Huic expositioni favent quidam Græci codices, qui habent : *Non pudeat te* περὶ ἀδιαφθόρου πράσεως, id est *de emptione incorrupta*, hoc est bonæ fidei, quæ fit justo pretio. Communiter tamen legunt περὶ διαφόρου πράσεως, *q. d.* Non pudeat te de differenti venditione; quod, scilicet, in pretio differas a cæteris mercatoribus, plus æquo rigidis, tuasque merces moderato pretio divendas. Adde, διαφορέω (unde deducitur διάφορον) significare distrahere, divellere, perdere, resolvere, discutere; quod Noster vertit *corrumpere*, *q. d.* Non pudeat te distrahere et dissipare iniquas mercatorum conspirationes, quibus explicite vel implicite conspirant, ut merces minoris justo emant, vel pluris justo vendant; sic enim patrocinaberis justitiæ, ac in rempublicam justum mercium pretium induces. Per *emptionem* intelligitur venditio, ac vice versa per venditionem intellige quoque emptionem; hæc enim sunt correlativa; ac in actione publica, quam significat πράσις, æque ac alia quavis, utraque interveniat necesse est.

Aliter Jansenius, *q. d.* Non pudeat te in differentiis, controversiis et litibus (hæc enim significat τὸ διάφορον), quæ de venditione et emptione oriuntur inter mercatores, citra gratiam et verecundiam judicare pro æquitate; illique rem addicere, cui ex justitia debetur : esto partem adversam tibi amicam offendere debeas.

Porro codices Græci Romæ correcti pro διαφόρου, id est *differenti*, contrarie legunt ἀδιαφόρου, id est *indifferenti*, hoc sensu, *q. d.* Non pudeat te de indifferenti venditione, ut scilicet indifferenti et æquali pretio vendas omnibus, non pluris externis quam civibus, non pluris militibus quam rusticis, non pluris inimicis quam amicis. Unde Tigurina : *Ne des locum pudori in æquabili venditione mercium;* alii, *indifferenti venditione mercatorum*, id est, « quæ fit æquabilis nec varia, cujus ratio non sit diversa, ut res venalis pluris minorisve vendatur : » alius rursum vertit : *Non pudeat te de indifferentium*, id est *fortuitarum rerum mercatu et negotiatoribus;* alius : *Non pudeat te de indifferentis venditione*, ut fiat oppositio inter indifferentem, id est quemvis hominem et mercatorem, *q. d.* Non pudeat te æquabili pretio et indifferenter vendere eodem pretio plebeiis, rusticis, cæterisque qui mercatores non sunt ac ipsis mercatoribus.

Octava res non erubescenda est « multa disciplina, » græce παιδεία, id est institutio, correctio, castigatio « filiorum. » Sunt enim multi qui eam erubescunt et omittunt, ne habeantur nimis duri in filios, vel nimis minuti et scrupulosi : quo fit ut filii suæ libertati et concupiscentiæ indulgentes, fiant protervi, rebelles, obscœni, rixosi, et proni ad omne malum. Tigurina : *Ne des locum pudori in crebra liberorum castigatione.* Octava, est pudor castigationis filiorum.

Nona est : Non confundaris, nec pudeat te « servo pessimo, » græce πονηρῷ, id est pravo, perverso, malitioso, « latus sanguinare, » id est flagellis cruentare, et cædere usque ad sanguinem. Tigurina : *Ne des locum pudori in latere mali servi cruentando verberibus.* Durities enim servi duritia plagarum frangenda est, et malo nodo malus quærendus cuneus. Cavendum tamen ne id fiat ex ira, ideoque modus excedatur. Qua de causa Plato, ait Lyranus, servum suum delinquentem per se noluit castigare, sed castigandum alteri tradidit; ne iratus modum excederet, et notaretur crudelitatis. Nona, est pudor flagellandi servum malum.

Mystice, servus pravus est concupiscentia, et caro in gulam libidinemque prona : hæc disciplinis, ciliciis et verberibus castiganda est, etiam usque ad sanguinem, ut spiritui se subdat; uti fecere S. Dominicus fundator ordinis prædicatorum, qui singulis noctibus ter catena ferrea usque ad sanguinem se cædebat, scilicet *primo*, pro peccatis propriis; *secundo*, pro animabus quæ cruciantur in purgatorio; *tertio*, pro omnibus in peccato mortali existentibus. Item alter S. Dominicus Loricatus, qui quotidie disciplinas per integrum Psalterium faciebat; B. Petrus Damianus, S. Vincentius, qui publicas flagellantium se usque ad sanguinem processiones ubivis locorum instituebat; ac hoc anno Romæ Alexander Cardinalis Ursinus, qui tum alias, tum in profestis beati Virginis, in ejus honorem se usque ad sanguinem diverberare solebat, ut ei se suumque cruorem et vitam offerret. Exempla diverberantium se ad sanguinem.

6. SUPER MULIEREM NEQUAM BONUM EST SIGNUM. — Pro *signum* græce est σφραγίς, id est *sigillum*, sera, clausura. Decima est hæc res non erubescenda, *q. d.* Si uxorem vel filiam nactus es pravam et perversam, non pudeat te illi custodiam exactam adhibere; imo, si opus sit, eam concludere, et seris obserare; ne libidini habenas laxet, aliudve scelus perpetret, quod longe majorem pudorem et ignominiam tibi pariet, quam ejus clausura. Major ergo pudor minori propulsandus est. Tigurina : *Ne des locum pudori in nota malæ mulieri utiliter adhibenda;* alii : *Bonum est obsignari malam mulierem.* Vers. 6. Decima, est pudor custodiæ mulieris pravæ.

7. UBI MANUS MULTÆ SUNT, CLAUDE; ET QUODCUM- Vers. 7.

QUÆ TRADES, NUMERA, ET APPENDE : DATUM VERO ET ACCEPTUM OMNE DESCRIBE. — Undecima est hæc res non erubescenda, *q. d.* Ubi multi sunt homines et famuli, multæque manus, ut inter eas probabile sit aliquas esse furaces, res tuas claude et obsera, ne quis eas furetur. Cum vero supellectilem vel mensalem vel cubicularem similemve alicui tradere oportebit, ne quid ex ea vel furto vel negligentia deperdas, *primo*, eam numera, alterique adnumera, ut eodem numero tibi reddat et remuneret; *secundo*, si res est, quæ libra appenditur, ac pro pondere æstimatur, appende illam, ut rem eodem pondere tibi reddat et rependat; *tertio*, in libro rationum datum omne describe, æque ac acceptum; ut constet quid dederis, quidve ex dato receperis, quidve tibi recipiendum restet. Hæc enim exacta diligentia a viris prudentibus non vertetur tibi pudori et ignominiæ, sed prudentiæ et providentiæ : esto famuli furaces similesque idcirco te vocent avarum, tenacem, scrupulosum. Quocirca hac praxi utuntur œconomi industrii principum, cardinalium, ecclesiarum, monasteriorum, etc., eaque ratione res eorum integras conservant. Nam Hispanorum est proverbium, ait Palacius : « In arca aperta justus peccat. » Occasio enim facit furem.

Undecima, est pudor observandi res suas.

Tigurina, ut pari syntaxi hæc efferat, qua præcedentia, pro *claude* vertit *claudendo* : quia Hebræis, inquit, eadem est vox infinitivi et imperativi. Verum, etsi Hebræis sit eadem, Græcis tamen non est eadem, sed diversa : κλεῖσον enim tantum est imperativus significans *claude*, non vero infinitivus, ut significet *claudere*, vel *claudendo*. Sic igitur habet Tigurina : *Ne des locum pudori, claudendo* (quod claudas cellas et arcas) *ubi manus multæ sunt : in eo quod cuipiam traditurus es, ad numerum pondusque tribuendo, omniaque dando vel accipiendo syngraphis testata.*

Vers. 8. 8. DE DISCIPLINA INSENSATI ET FATUI, ET DE SENIORIBUS, QUI JUDICANTUR AB ADOLESCENTIBUS. — Duodecima res non erubescenda est « disciplina insensati ; » sed utra, activa, quam scilicet des et doceas insensatum; an passiva, quam scilicet accipias et discas ab insensato? Palacius passivam accipit, *q. d.* Si quid te fatuus docuerit, ne te pudeat ab eo discere :

Duodecima, est pudor castigationis stulti.

Quandoque est olitor verba opportuna locutus.

Et latet nonnunquam margaritum sub concha. Exemplo tibi sit Silenus Alcibiadis, et S. Augustinus etiam a puero doceri paratus. Ergo non adeo quis, quam quid dicat, est attendendum. Hæc Palacius.

Verum melius « disciplinam » accipias active : hæc enim proprie convenit insensato et stulto, *q. d.* Ne confundaris, nec pudeat te disciplinam dare, id est, corripere et castigare insensatum et stultum, ut a stultitia desistat : ab hac enim castigatione multos retrahit pudor, ne, scilicet, videantur, quod cum stultis agant, a quibus vicissim stulta dicteria et scommata audire et excipere debeant. Unde Tigurina vertit : *Ne des locum pudori insipientibus et stultis erudiendis;* Vatablus : *castigandis;* alii : *Ne te pudeat in castigatione dementis et stulti.*

Decima tertia, est pudor defensionis senum.

Decima tertia, et ultima est : Ne confundaris « de senioribus, qui judicantur ab adolescentibus : de senioribus, » scilicet adjuvandis et defendendis, ait Jansenius. Aut potius et germanius : Non pudeat te « de senioribus, » id est seniorum, græce ἐσχατογήρων, id est extreme senum, decrepitorum, silicerniorum. Hebræi enim *min*, id est *de*, cum ablativo, sumunt pro regimine genitivi, *q. d.* Non te pudeat extreme senum, ut eos tuearis, cum a junioribus petulanter judicantur, ridentur, vexantur. Non te pudeat decrepitorum causam agere, eisque patrocinari contra petulantiam adolescentium eos subsannantium. Noster τὸ ἐσχατογήρων, id est *senioribus*, immediate retulit ad περὶ, id est *de*, quod præcessit. Alii vero idipsum referentes ad παιδείας, id est *disciplina*, sic vertunt : *Non te pudeat de disciplina decrepitorum*, id est non te pudeat admonere et modeste corripere decrepitos, quando disceptant cum adolescentibus se quasi deliros irridentibus, dicendo : Bone vir, senex es et grandævus : noli curare quid juvenes isti insolentes dicant; pertransi, quasi non audias : ita lites et probra vitabis et sopies. Non convenit te decrepitum contendere cum juvenibus : hoc enim dedecet ætatem, gravitatem et prudentiam tuam. Unde Complutenses et Romani vertunt : *Ne confundaris de disciplina amentis, et fatui, et decrepiti litigantis cum adolescentibus;* Tigurina : *Ne des locum pudori, cum decrepitus jus cum juvenibus experitur*, ut scilicet vel decrepito vel juvenibus contra jus faveas, causamque iniqui iniquo foveas et defendas : sed ei, cui jus competit, sive is decrepitus sit, sive juvenis, illud ipsum tribuas et addicas. Alii vertunt : *Ne te pudeat, neve personam accipias in decrepito* sene (defendendo, vel admonendo, et dirigendo) *disceptante cum juvenibus.*

Porro Palacius hoc membrum, æque ac præcedens, passive accipit, *q. d.* Si etiam seniores te aliquid docent, tu ab illis disce, quamvis illi judicentur, aut etiam rideantur ab adolescentibus; est enim in canis prudentia. Qui et addit : Alius sensus esse potest : Si seniores pertrahantur ad judicium ab adolescentibus, te nihil pudeat contra senem justum ferre judicium; sicut Daniel, cap. XIII, licet puer judicavit et condemnavit senes adulteros insidiantes Susannæ.

ET ERIS ERUDITUS IN OMNIBUS, ET PROBABILIS (græce δεδοκιμασμένος, id est probatus) IN CONSPECTU OMNIUM VIVORUM. — Ita Romana; hoc enim significat Græcum παντὸς ζῶντος, id est *omnis viventis.* Perperam ergo Jansenius et alii pro *vivorum* legunt *virorum.* Sensus est, *q. d.* Si hæc sedecim erubescenda, quæ recensui, erubueris et caveris; ac vicissim tredecim non erubescenda, non eru-

bueris, sed audacter feceris; eris πεπαιδευμένος, id est recte institutus, bene moratus, vere sapiens et prudens, ac ut talis probaberis, laudaberis et celebraberis ab omnibus viventibus. Complutensia vertunt : *Et eris eruditus, verax et approbatus coram omni vivente*; Tigurina : *Ita demum eruditus vere fueris, omnique vivo commendatus*; Vatablus, *probatus.*

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE CUSTODIA FILIARUM ET CAVENDIS FEMINIS. HÆ ENIM PUDOREM ET INFAMIAM, DE QUA HACTENUS EGIT, HOMINI CONCILIANT.

Vers. 9. 9. FILIA PATRIS (græce πατρὶ, id est *patri* in dativo) ABSCONDITA EST VIGILIA, ET SOLLICITUDO EJUS AUFERT SOMNUM, NE FORTE IN ADOLESCENTIA SUA ADULTA EFFICIATUR, ET CUM VIRO COMMORATA ODIBILIS FIAT. — Sensus est, *q. d.* Filia patri suo affert occultam vigiliam; hoc est clam oportet patrem vigilare in statum et mores filiæ; adeoque hæc vigilia vigilansque et perpes sollicitudo, ut congrua ætate nuptui tradatur, nec a quopiam juvene decipiatur, vel pravi quid hauriat et addiscat, patrem ita coquit et affligit, ut sæpe noctu ei somnum adimat. Tigurina : *Filia patri occultam affert vigiliam, et somnum abigit sollicitudo ejus.* Porro prima patris de filia sollicitudo est illa, quam subdit : *Ne* in domo paterna *adulta* (ita legendum cum Romanis, non « adultera, » ut Jansenius, Palacius et alii) *efficiatur*, græce παραχμάσῃ id est *ne superadolescat*, ne florem ætatis (hunc enim significat ἀχμή) prætereat, ne senescat, ne vigore decrescat, ne marcescat ætate. Tigurina : *Ne maturitas ætatis ejus exolescat.* Romana : *Ne fiat superadulta* (minus recte Complutenses : *Ne forte abutatur flore ætatis*), ut jam flore juventutis præterito, et vigore ætatis deflorescente, minus speciosa minusque gratiosa sponsum sibi parem invenire nequeat, juxta id quod huc alludens Paulus ait, I *Corinth.* VII, 36 : « Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta (græce ὑπέρακμος quod idem est cum Nostro παρακμός), et ita oportet fieri : quod vult faciat : non peccat, si nubat. » Hinc rursum timet pater, ne filia sua adulta « cum viro commorata, » illi « odibilis fiat, » et ab eo repudietur. Sæpe enim transeunt flores juventæ, transit pariter amor; et quæ juvenculæ erant viris in deliciis, grandævæ sunt fastidio. Quocirca Hebræis permissus erat libellus repudii, quem dabant uxori exosæ, itaque eam a se ablegabant, cum ejus sæpe æque ac parentum ignominia et damno. Quocirca Syrus vertit : *Filia patri suo oneri est valde, et cura ejus aufert somnum ipsius in juventute sua, ne male audiat, et a marito suo ne spernatur.*

Patri filia custodienda.

Ratio a priori. Ratio a priori est, feminei sexus et ætatis levitas, infirmitas, inexperientia, inconstantia. Tritum est illud :

> Quid levius vento? fulmen. Quid fulmine? fama.
> Quid fama? mulier. Quid muliere? nihil.

Ratio extrinseca est, quia plurimi sunt Pharaones, Abimelechi, Sichemi, Thesei, Parides, Jasones plurimique alii puellarum pulchritudinis et pudicitiæ astutissimi exploratores, dolosissimi insidiatores, violentissimi raptores, et improbissimi corruptores, ut Argo centoculo custode opus sit ad tutandam contra eos filiarum virginitatem. Virginibus enim magis, quam corruptis, ab eis laquei tenduntur; idque astu diaboli, ut florem et decus virginitatis, qua filia nihil habet pretiosius, ei adimat et disperdat. Unde, ut ait S. Augustinus, *epist.* 5 : Olim « deorum probra non solum in fabulis audienda posuit, verum etiam in theatris spectanda proposuit, ubi crimina plura essent quam numina. » Huic Siracidis sententiæ antistropha est illa Ben-Siræ, alphabet. 2, littera *Teth* : « Thesaurus vanus (qui frustra et in vanum occultatur, cum occultari nolit; unde alii vertunt, absconsio vana) est filia patri suo, qui dum metuit, noctu non dormit. » Et littera *Iod* : « Dormit, non dormit (id est dormiendo non dormit; vix parumque, et anxie dormit) custos puellæ parvulæ : forsan in adolescentia sua decipietur, et adultior facta scortabitur. » Nam virgo vitium passa, ubi exoleverit, et nubiles annos egressa fuerit, fere meretrix evadit. Et littera *Cheth* : « Chari sunt cuivis homini mares : sed væ patri feminarum. » Quod Hebræorum Rabbini dicunt : « Beatus ille, qui filios habet masculos; sed væ patri femellarum. » Addunt iidem « totam mundi machinam lugere, quando puella nascitur; et contra gaudere, cum mas editur. » Sed hæc Rabbinorum sunt commenta.

Vers. 10. 10. NEQUANDO POLLUATUR IN VIRGINITATE SUA, ET IN PATERNIS SUIS (ædibus) GRAVIDA INVENIATUR. — Secunda patris sollicitudo de filia est, ne ante conjugium dum in paterna domo degit virgo, ab adolescente quopiam decipiatur et imprægnetur; quod ipsi ac patri ignominiosum æque ac damnosum erit : nemo enim honestus vitiatam ducere volet. Tigurina : *Ne stupro polluatur in sua virginitate, neve in domo paterna fiat gravida.*

NE FORTE CUM VIRO COMMORATA TRANSGREDIATUR; AUT CERTE STERILIS EFFICIATUR. — Tertia sollicitudo patris est, ne filia in conjugio cum viro degens prævaricetur, et transgrediatur fidem legemque conjugii per adulterium; neve sterilis evadat. Tigurina : *Ne quando viro juncta, faciat flagitium; aut ne in matrimonium data sterilescat.* Concinit

Ben-Sira, litter. *Caph* : « Cum nupta erit filia, inquit, tu anxius eris de ea valde, dicens : Forte liberos habebit, forte non habebit; et cum senuerit, ne forte veneficia exerceat. » Multæ enim senes et anus ob paupertatem, persecutionem, æmulationem, vindictam, aliamve molestiam, fiunt magæ et sagæ, deduntque se dæmoni, ut ab eo miseria liberentur, vel bonum concupitum assequantur. Huc facit illud Pollionis : « Qui multiplicat uxores, multiplicat veneficia. » Uxor enim zelotypa ut ad se pelliciat maritum, et ab æmula avertat, dabit ei philtrum, aut æmulæ toxicum ut eam perimat.

Porro τὸ *sterilis fiat* Lyranus exponit, et dat causam : Ex nimio, inquit, concubitu : hic enim facit sterilem; nam libido in tenera ætate nimiam appetentiam movet; hæc nimium concubitum : hinc prodit sterilitas. Potest etiam exponi sic, *q. d.* Aut certe in pœnam libidinis admissæ in domo paterna, Deus eam faciat sterilem in domo mariti.

Vers. 11. 11. SUPER FILIAM LUXURIOSAM CONFIRMA CUSTODIAM : NEQUANDO FACIAT TE IN OPPROBRIUM VENIRE INIMICIS, A DETRACTIONE IN CIVITATE, ET OBJECTIONE PLEBIS, ET CONFUNDAT TE IN MULTITUDINE POPULI. — Pro *luxuriosam* græce est ἀδιατρέπτῳ, quod Noster, cap. XXVI, 13, vertit : *Non avertentem se*, id est lascivam, procacem, impudentem, in libidinem pronam. Huic enim firma custodia adhibenda est; ne, si libere cum juvenibus agere permittatur, eis se prostituat, itaque patrem probro afficiat : « A detractione, » id est ob detractionem vicinorum et civium, qua tam familiæ ob lasciviam, quam patri ob negligentem ejus custodiam obtrectent; eumque vocent patrem meretricis : « Et objectione (ita legendum cum Romanis, non abjectione) plebis, » qua plebs palam filiæ fornicationem patri et tacitum in eam consensum improperet, et in os objiciat. Græce est : *Nequando faciat te* ἐπίχαρμα, id est risum, irrisionem, gratulationem, *hostibus*, λαλιὰν ἐν πόλει, καὶ ἔκκλητον λαοῦ, id est : *fabulam in civitate, famosum in populo.* Complutensia : *Ne faciat te ludibrium hostibus, loquelam in civitate, et appellationem populi.* Romana : *Nequando faciat te gaudium inimicis, fabulam in civitate et vocatum populi*, ut scilicet populus publice te vocet et appellet lenonem, cornutum, scortatorem, etc. Tigurina : *Filiæ inverecundæ custodiam adhibe; ne te in ridiculum faciat inimicis, civitatique fabulam; ne famosum in populo, neve in vulgus reddat ignominiosum.* Nam lege Mosis filia in domo patris fornicata, jubebatur ante ipsam domum patris lapidari, *Deut.* XXII, 21, quæ summa erat ignominia tam patri quam filiæ. Unde Syrus : *Fili mi, super filia tua constitue custodiam, ne faciat tibi nomen malum, et fabulam, et oblocutionem in populo, et in congregatione civitatis tuæ ignominiam inducat tibi in oblocutionem populi.*

Vers. 12. 12. OMNI HOMINI NOLI INTENDERE IN SPECIE : ET IN MEDIO MULIERUM NOLI COMMORARI. — *q. d.* Nulli homini intende (nam Hebræis *non omni*, idem est quod *nulli*), nullius faciem fixius intuere, in nullius specie oculos defige. Hoc enim curiosum est, et sæpe castitati periculosum; species enim et pulchritudo non tantum mulierum, sed et juvenum illecebrosa est, ac concupiscentiam exstimulat tum feminarum, tum marium. Porro Syrus sic habet : *Omni viro ne reveles quod est in corde tuo; et inter mulieres ne exornes sermones tuos*; Complutensia : *Omni homini noli intendere in speciem : et in medio mulierum noli considere.* Tigurina : *Ne contempleris quemquam hominem gratia pulchritudinis* (Vatablus : *Ne quem ex forma judices*); *neve inter mulieres desideas*; alii : *Ne intuere ullum hominem propter pulchritudinem; neve in medio mulierum consideto.* S. Cyprianus, *De Singular. Cleric.* : « In medio mulierum noli assiduus esse. » Ex assiduitate enim sequitur libertas, ex libertate protervia. Unde concludit : « Ubique gustanda est, non continuanda cum mulieribus præsentia; sed quasi transeunter feminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva. » Memorabile est quod de B. Hugone Gratianopolitano legimus, eum, cum per 52 annos fuisset ejus urbis episcopus, ac ordinarie matronarum confessiones, etiam crebrius confitentium, exciperet; nullam tamen ex facie, sed aliquas ex voce duntaxat agnovisse. Adeo continens, custosque erat oculorum; eosque demissos, non in vultum, sed in humum defigebat.

Oculorum custodia.

Sapienter S. Augustinus, in *Regula*, quæ habetur in fine tom. I, cap. XXI, de oculis ita sancit : « Oculi vestri etsi jaciuntur in aliqua feminarum, figantur in nulla. Neque enim quando proceditis, feminas videre prohibemini; sed appetere, aut ab ipsis appeti velle criminosum est. Nec solo tactu atque affectu, sed aspectu quoque appetitur, et appetit concupiscentia feminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos : quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cum se invicem sibimet, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur amore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet qui in feminam figit oculum, et illius in se diligit fixum, ab aliis se non videri cum hoc fecerit; videtur omnino, et a quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, et a nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminæ male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit feminam male videre. Illius namque et in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est : Abominatio est Domino defigens oculum. »

Oculorum colloquia.

13. DE VESTIMENTIS ENIM PROCEDIT TINEA, ET A MULIERE INIQUITAS VIRI. — Ita Romana cæteraque Latina Biblia; nam Græca omittunt τὸ *viri*; non-

nulla, ut Complutensia et Romana, pro *viri* substituunt *mulieris*. Unde Tigurina : *Nam ut tinea nascitur e vestimentis, ita a muliere iniquitas muliebris;* alii, *et a muliere malitia feminæ.* Syrus : *Quia sicut super vestem cadit tinea, ita zelus super mulierem ob malitiam sociæ ejus.* Verum lectio Latina multo congruentior et verior est, quam sequitur S. Cyprianus aliique Patres. Est hæc valde apposita similitudo, qua libido assimilatur tineæ.

Libido est tinea. Primo.

Nam *primo*, ut recte Jansenius, sicut tinea innascitur vestibus, atque ab eis suam trahit originem : ita in ipso mulierum aspectu et conversatione cum eis insita est iniquitas viri; quæ inde velut naturaliter progignitur, non minus mentem hominis corrumpens, quam tinea vestes. Sicut ergo vestes diligenter custodiendæ sunt, ne eis corrumpens tinea ingeneretur : ita et mens hominis vigili custodia munienda est, ne ei a mulierum consortio corruptio ingeneretur; quæ si semel admittatur, sicut ingenerata vesti tinea semper serpit, et totam vestem erodit, ita et libidinosa cogitatio in mente recepta paulatim prorepit, et totam ejus pulchritudinem exedit, nisi tempestive occurratur. Celebre est illud Musæi : « Pulchritudo feminæ acutior est veloci sagitta. Oculus vero via est; ab oculi ictibus vulnus dilabitur, et in præcordia viri ruit. » Et illud Philosophi : « Quid est pulchritudo? brevis tyrannis, blanda deceptio, eburneum detrimentum, regnum sollicitum, flos facile cadens, amica inimicitia, concors discordia, splendor fugax, dulcis sensuum laqueus. » Breviter, sed nervose noster Campianus in libello *Decem rationum fidei,* omnia mundi pulchra ita pingit : « Aurum, gloriam, delicias, veneres contemnite. Quid enim aliud ista sunt, nisi terrarum illa, canorus aer, popina vermium, bella sterquilinia? »

Pulchritudinis elogia.

Secundo.

Secundo, sicut naturale est ex veste oriri tineam, ita ex femina viri concupiscentiam : tibi nihil tale volenti nascitur in veste et e veste tinea : ita nihil tale volenti, imo repugnanti, nascitur ex femina desiderium. Scitum illud S. Hieronymo ascriptum : « Femina ignis, vir stuppa, diabolus flabellum; » sufflat enim, ut stuppa ignem concupiscentiæ concipiat, eoque deflagret.

Tertio, tinea insensibiliter in veste nascitur, et sine sensu eam erodit et consumit : sic et insensibiliter ex conversatione viri cum muliere oritur libido, etiam inter castos et Religiosos; ut se captos et accensos videant, antequam ignem ustionemque senserint.

Quarto.

Quarto, sicut tinea vestem et seipsam cum veste consumit, sic et libido se cum libidinoso interimit et perimit. Vide quæ de tinea dixi, *Osee* v, 12.

Audi S. Cyprianum, tract. *De Singularit. Clericorum,* hunc locum pertractantem, et Clericos ad fugam mulierum exstimulantem : « De carbonibus, inquit, scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo, nutritur morbus, aspides sibilant : et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens : De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. » Et mox : « Qui despexit vinculum nuptiarum, et aliter vinculis femineis obligatur, quamvis nullo concubitu misceatur; desiderio tamen, visu, colloquio, conjunctione semper oblectatur. Nam si desiderium feminæ non haberet, nunquam feminam suis oblectamentis assumeret. » Et inferius : « Cujus (feminæ) cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. » Ita sane videmus hodie nonnullos viros bonos, etiam Ecclesiasticos, feminarum quarum confessiones audiunt, vel quas in pietate promovere satagunt, sensim occulto amore si non carnali, certe sensuali ita subtiliter carpi, ut ipsimet se eo teneri nesciant. Unde Rabanus : « Periculose, inquit, tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. Nam impudici oculi non norunt animæ pulchritudinem, sed corporum. » Quocirca S. Hieronymus, *ad Nepotianum,* eum monet, dicens : « Omnes puellas et virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, et germana, vel mater, vel probatæ quædam apud omnes fidei. Scio quosdam convaluisse corpore, et animo ægrotare cœpisse. »

Mulier similis igni.

S. Basilius, *Admonit. ad filium spirit.* : « Vide, inquit, ne te seducat corporis pulchritudo, et decorem animæ tuæ amittas. Ne improbo oculo tuo intuearis speciem mulieris, ne intret mors per fenestras tuas. Non aperias aures tuas ad perficienda verba earum, nec concupiscas nequitiam in anima tua. Mulieris carnem non velis tangere; ne per tactum ejus inflammetur cor tuum, et spiritu tuo labaris in perditionem. Sicut enim fenum proximans igni comburitur : ita qui tangit mulieris carnem, non evadit sine damno animæ suæ; et licet corpore castus evaserit, mente tamen ac corde corruptus abscedit. Dic mihi, quæso, fili, quid sunt profectus animæ? amare carnis pulchritudinem? Nonne sicut fenum cum a fervore æstatis percussum fuerit, arescit, et paulatim pristinum decorem amittit? Similis est etiam species humanæ naturæ, succedente sibi senectute omnis decor pristinus deperit; et quos in amore sui antea concitabat, postmodum odium eorum efficietur.

magneti,

Idem, *De S. Virginitate,* feminam comparat magneti; sicut enim magnes trahit ad se ferrum, licet dissitum, sic virum ad se pellicit species et vox feminæ. Idem, in cap. III Isaiæ, mulierem comparat basilisco, qui visu eos quos intuetur necat : « Ipso enim contuitu, inquit, obscœnam denuntiat animæ impuritatem. Dum enim suaviter et blandis arridet ocellis, prolicit ad explendam libidinem. Jactu enim oculorum sagittam plane exitialem emittit; ejusmodi tandem obtinet

et Basilisco.

rumor de basilisci natura, quem dicunt solo aspectu corrumpere suos spectatores. »

Vers. 14. 14. MELIOR EST ENIM INIQUITAS VIRI, QUAM MULIER BENEFACIENS, ET MULIER CONFUNDENS IN OPPROBRIUM. — Hæc sententia paradoxa videtur et explicatu crebrituque difficilis; unde hæreticis docentibus planas et claras esse S. Scripturas, a Catholicis objici solet. Memini in Belgio hæreticæ cuidam in navi Antverpiensi, sese Biblicam et Bibliorum peritam impudenter jactitanti, Catholicum hæc verba in os objecisse, ut eorum sensum depromeret : mox illam, vel quod nesciret, vel quod erubesceret eum, utpote suo sexui verecundum, pandere, obmutuisse; itaque se omnibus deridendam proposuisse.

Iniquitas viri melior muliere benefaciente, quo sensu? Respondeo primo.

Primo igitur, Scholia Vatablo ascripta taxant Nostrum, cæterosque interpretes, quod eorum versio et sententia parum pia videatur. Quomodo enim, inquiunt, melior est iniquitas viri, quam beneficentia mulieris? Quocirca sic vertunt : *Melior est deformitas viri quam pulchra mulier.* Hebræum enim רַע *ra* et malum et deformem significat; sicut טוֹב *tob* notat tam pulchrum quam bonum, juxta illud : « Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum! » Verum Græcum πονηρία malitiam significat, non deformitatem; et ἀγαθοποιὸς significat benefacientem mulierem, non pulchram. Unde Josephus, licet Hebræus, lib. II *Contra Apionem,* citat hunc locum, ut habent Græca et Noster, atque Ecclesiasticum vocat legem divinam, et ex eo quasi ex divina lege testimonium citat, cum de nuptiis agit. Ait enim, γυνὴ δὲ χείρων, φήσεν (subaudi νόμος, id est lex, de ea enim agit), ἀνδρὸς εἰς τὰ πάντα, καὶ ἡ πονηρία αὐτοῦ ὑπὲρ ἀγαθοποιοῦ γυναικός. Quæ verba Josephi interpres partim male reddidit, partim præteriit;

Secundo. sic enim transferas oportet : *Mulier pejus est quiddam viro per omnia, et ipsius viri malitia præferenda est beneficentiæ mulieris.* Quod Ecclesiasticus hic ait totidem verbis : « Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens. »

Secundo, Lyranus limitat sententiam ad cohabitationem, *q. d.* Melius est cohabitare viro iniquo, quam mulieri benefacienti. Verum hæc limitatio nodum non solvit; neque additur a Siracide, nec addenda est; sive enim cohabitet, sive non cohabitet, melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.

Tertio. *Tertio,* alii passim per virum accipiunt rationem, per mulierem sensum et concupiscentiam, *q. d.* Melius est corripi et castigari a ratione, quam concupiscentiæ blanditiis deliniri et illici. Verum hic sensus mysticus est, non litteralis.

Quarto. *Quarto,* Levinus Lemnius medicus, lib. IV *De Occultis naturæ miraculis,* cap. XIII, fuse sic explicat : « Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens. » Cui sententiæ hunc, inquit, subesse sensum interpretor, ut vir etiam ignavus, iners, somniculosus, negotiandi omnisque mercaturæ ac rerum gerendarum rudis atque imperitus, paulo dexterius negotia sua perficiat, quam mulier præceps et temeraria, quæ inani sapientiæ persuasione, atque inconsiderata confidentia nihil non aggreditur, *q. d.* Mulier omnia quam vir deterius efficit. Vir enim sui diffidens, cunctanter ac circumspecte, aliorum fultus adminiculo, eos in consilium adsciscit, singula conficit atque exsequitur, ita ut successum optatiorem consequantur, quam si eadem a femina arroganti, ac sapientiæ opinione turgida, ut fere conspici solent, tententur. Siquidem hujusmodi mulieris conatus et industria magna ex parte in deterius devergit, quod ita efferri solet Belgico idiomate : Het quaetſte van een man is beter dan t'veſte van ene vrouwe, hoc est si quid operis muliebri industria absolutum perfectumque sit, minus laudis promeretur, quam viri rude et inchoatum, ob mentis scilicet et consilii inopiam, tarditatem atque hebetudinem, ob caloris naturalis defectum, et quod animus languidus humidæ materiæ incumbit atque immersus est, sic ut segnius se proferant facultates animæ, atque ad res gerendas sint inidoneæ, parumque appositæ. Quocirca Romani quibus summa fuit ornandæ stabiliendæque reipublicæ cura, matronas, Cicerone teste, propter naturæ infirmitatem, in tutorum potestate esse voluerunt, nec ulla civili administratione fungi. Paulus quoque, qui mentes hominum indefesso labore ad solidam fidem instruit, ac sedulo pietate informat, mulieri ob animi impotentiam, hoc est affectum a temperantia ac moderatione aversum, in cœtu consessuque solemni silentium imperat, I *Cor.* XIV, nec patitur vel concionandi munus obire, vel in comitiis quæstionem movere, aut suffragiis interesse, ullamque proferre sententiam.

Idem deinde aliam hujus loci subnectit expo- Quinto.
sitionem, *q. d.* Potior est nequitia viri, quam proba quidem mulier, sed quæ postmodum causa sit infamiæ, et ex cujus commercio nascatur dedecus, hoc est, præstat cum viro improbo contrahere aut negotiari, quam cum muliere fucata rem habere; tametsi enim in speciem primaque fronte probitatem ac decus præ se ferre videatur, nec aliquid fuci aut fraudulentiæ foris ostentare; postmodum tamen inconstantem experieris, versipellem, captiosam, lubricam, fallacem, fraudulentam, atque imposturæ intentam; ita ut si vir quispiam alicui imponat, aut in negotio quemquam defraudet, fraus et impostura viri justitia fit, præ mulieris nequitia ac fallacia. Hæc Lemnius, in cujus opere Censores nonnulla expunxerunt. Hæc posterior expositio propius ad veritatem, et genuinam hujus sententiæ mentem accedit.

Sensus ergo genuinus hic est. Dat causam (ut Sexto et
patet ex τὸ *enim,* quod habent Latina, etsi id de- genuino.
sit in Græcis) ejus, quod dixit : « In medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. » Quia scilicet mulier est res illicebrosa, periculosa et

damnosa, ut melior sit iniquitas, græce πονηρία, id est malitia, malignitas, maleficentia, viri, quam bonitas, benignitas et beneficentia mulieris. « Melius, » ergo, id est minus malum est; vel potius « melius, » id est satius est negotium habere, vel incidere in virum malevolum et maleficum, quam in mulierem benevolam et beneficam; tum quia vir maleficus est occasio patientiæ, humilitatis, mortificationis, aliarumque virtutum; mulier vero benefica est illecebra concupiscentiæ et peccati, eaque duplex. *Primo* enim illicit et illaqueat, qua mulier; *secundo*, qua benefica; amor enim, et beneficentia ingens est amoris illicium: tum quia a viro malefico, quasi ab hoste tibi caves, teque custodis et munis; a muliere vero benefica adeo non caves, ut velis nolis cogaris eam redamare, ideoque ipsa te tandem sibi subjiciet, teque amore sui ita captiyabit, ut tecum faciat quidquid volet; uti mulieres Salomonem deduxerunt ad idololatriam, Dalila Samsonem prodidit Philistæis, etc.

Igitur melior est « iniquitas, » id est malignitas, molestia, vexatio, injuria viri, quam mulier blanda et benefaciens; quia ipsa est dulce venenum, ac blandiendo et benefaciendo concupiscentiam viri incitat, eumque ducit ad opprobrium et exitium, juxta illud : Mulier, cui benefacit, ei se prostituit. Id graphice describit Salomon, *Proverb.* cap. VII, 10. Malitia autem, et injusta vexatio viri patientiam quidem exercet, sed non creat periculum; unde colligendum relinquit, quod magis cavenda sit mulier, præsertim benigna et benefica, quam vir austerus, molestus, rudis et ferus. Hunc esse sensum liquet ex eo quod subdit : « Et mulier confundens in opprobrium. » Nam τὸ *et* est causale, significans *quia*, *q. d.* Quia mulier benefica suis illecebris hominem sibi subjugat, eumque confundit, id est ignominia afficit, ducitque ad opprobrium præsens et æternum; idcirco præ viro maligno cavenda est. Ex quibus verbis liquet, ait Jansenius, Siracidem non absolute omnem beneficentiam mulieris rejicere; sed eam duntaxat, quæ occasio est confusionis et opprobrii. Nam alioqui beneficentia S. Cæciliæ saluti, honori et gloriæ fuit S. Valeriano; quia eum Christianum, sanctum et Martyrem effecit. Sic Clotildis sua comitate domuit Clodovæum, fecitque fidelem. Idem fecere multæ aliæ reginæ, sanctæque virgines. Unde aliqui ex Græco sic vertunt : « *Potior est malitia viri, quam mulier benefica; mulier enim pudenda probro est;* Tigurina : *Melior est nequitia viri, quam mulier benignam se præstans; mulier quæ eadem auctor est probrosæ turpitudinis.* Quod Vatablus exponens « Melior, » inquit, id est, « minus mala, » *q. d.* « Ad turpes amores plus est periculi a benignitate etiam et comitate mulierum, quam ab aperta virorum nequitia. »

Ita Palacius : Melius est, inquit, versari cum viro iniquo, quam cum femina blanda. Illius enim iniquitas te ejicit et repellit a se; hujus autem blandimenta provocant et attrahunt ad se. Iniquum virum omnes odiunt, blandam feminam vix est qui non amet.

Et Dionysius : Melior est, inquit, iniquitas viri, quam mulier benefaciens, non directe, sed occasionaliter, id est, minus periculosus et nocens est vir iniquus, quam mulier bona; quoniam minus allicit ad concupiscentiæ inflammationem; quanto enim melior et facetior est mulier, tanto est concupiscibilior. Hunc esse sensum patet ex eo quod subditur : « Et mulier confundens in opprobrium, » id est ad confusibilem libidinem trahens, et ad grande opprobrium, quod inde consequitur. Hæc Dionysius.

Vide Anastasium Nicenum in *Quæst. S. Script.* Quæst. LXIII (exstat. tom. I *Biblioth. SS. Patrum*) ubi inter alia ex S. Chrysostomo hæc mulieri dat vel elogia vel epitheta : « Quid est mulier? in terra naufragium, fons sceleris, thesaurus cædium, lethalis occursus, lapsus oculorum, animarum exitium, cordis lancea, juvenum pernicies, sceptrum inferorum, præceps desiderium. Quid mulier? sanctorum calumnia, quies serpentis, diaboli solatium, ægritudo inconsolabilis, fornax succensa, eorum qui servantur scandalum, vitium immedicabile, diurnæ nugæ, prodigorum hospitium, officina dæmonum. Quid mulier? malum amatorium, medicamentum impudens, fera inexpugnabilis, impetus ac appetitio, os effrenatum, triumphus mysteriorum, dux tenebrarum, magistra delictorum, scelerata oblectatio, cupiditas insatiabilis, simul dormiens intemperantia, simul expergiscens sollicitudo, vestita vipera, quæ sua sponte eligitur pugna, diurnum damnum, domus tempestas, viri naufragium, immitis fera, adulterorum receptaculum, arma diaboli, rabies quæ concupiscitur, mors totius mundi. Merito dicebat Sapiens : Parva est omnis malitia ad malitiam mulieris. » Mulieris epitheta.

Subdit deinde remedium concupiscentiæ illius esse, si quis serio cogitet mulierem esse sepulcrum dealbatum, quod sub pelle colorata et rubicunda tegat stercora, menstrua, sordes, omnemque putredinem; quæ post modicum tempus in senio et morte, undique ex oculis, auribus, naso, totoque corpore, cum intolerabili fœtore et horrore distillabit.

Idem experientia docti docuere Philosophi, Socrates : Cum se, inquit, diligere et appetere te dixerit mulier, tum ab illa magis metuendum est, quam dum convitiatur. Unde ipse suam Xantippen convitiantem, quin et verberantem, maluit, quam aliam sibi applaudentem. Idem dictitabat se tria mala assecutum, grammaticam, paupertatem, et perniciosam uxorem; quorum duo effugisset, tertium effugere non potuisset. Pythagoras interrogatus cur inimico filiam nuptui dedisset? Quia, inquit, nihil ei dare poteram deterius. Plautus, in *Truculento* : « Mulieri, ait, ni- Gnomæ Philosophorum.

mio male facere melius est onus quam bene, » *q. d.* Multo facilius mulier male faciet, quam bene.

Mystice, primo. Mystice S. Augustinus, lib. *De Spirit. et Anima*, cap. XI, vel quisquis est auctor; non enim videtur revera esse S. Augustinus; nam, cap. XXXVII, citat Boetium, qui fere centum annis fuit S. Augustino posterior; est tamen pius et eruditus. Hic, inquam, auctor per virum accipit rationem superiorem in homine, quæ regit; per mulierem vero rationem inferiorem, quæ regitur. « Est itaque, inquit, in ratione quiddam ad superna et cœlestia intendens, et id dicitur sapientia; et est quiddam ad transitoria et caduca respiciens, et id vocatur prudentia. Hæc duo ex ratione sunt, et in ratione consistunt. Et dividit se ratio in duo, scilicet in sursum et deorsum : sursum in sapientiam, deorsum in prudentiam, quasi in virum et mulierem; ut vir sit superior, et regat; mulier inferior, et regatur. Unde dictum est : Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Melior siquidem est, qui per cœleste desiderium accensus, carnem, necessaria etiam ei subtrahendo, affligit; quam qui per carnalem affectum resolutus, per omnia quæ commoda sunt, ei satisfacere contendit. »

Secundo. *Secundo*, S. Gregorius, lib. XI *Moral.* cap. XXVI, quem sequitur Rabanus hic et Glossa, per virum accipit mentes fortes et discretas, per mulierem vero infirmas et indiscretas : « Melior, inquit, est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Vir etenim, fortis quilibet et discretus vocatur; mulier vero, mens infirma vel indiscreta accipitur. Et sæpe contingit, ut etiam discretus quisque subito labatur in culpam; atque indiscretus alius et infirmus bonam exhibeat operationem. Sed is, qui indiscretus atque infirmus est, nonnunquam de eo quod bene egerit, amplius elevatur, atque gravius in culpam cadit; discretus vero quisque ex eo quod male se egisse intelligit, ad districtionis regulam arctius se reducit; et inde altius ad justitiam proficit, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Qua in re recte dicitur : Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier; quia nonnunquam etiam culpa fortium occasio virtutis fit, et virtus infirmorum occasio peccati. »

Tertio. *Tertio*, S. Bernardus, serm. XII *in Cant.* per virum accipit prædicatores, et eos qui aliorum salutem procurant; qui licet aliquando peccent, meliores tamen sunt mulieribus, id est auditoribus et discipulis sibi soli sancte viventibus, animæque suæ benefacientibus. « Nam tu quidem, inquit, in tui custodia vigilans benefacis; sed, qui juvat multos, melius facit et virilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est, absque quadam inæqualitate vitæ et conversationis suæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum. » Quare melior Deoque gratior est vir apostolicus, etsi in defectus aliquos labatur, quam solitarius vel monialis sibi soli Deoque vacans, ideoque defectuum vitæ activæ expers. Sicut melior est canis venaticus, qui lepores capit, etsi aliquando currendo per sentes pedes cruentet; quam catellus speciosus, qui heræ suæ sinu continetur, ab eaque delicate pascitur, uti cuidam Sanctorum Christus revelavit.

Quarto, noster Alvarez de Paz, lib. IV *De Dignit. perfect.* cap. XVI, per viros accipit perfectos, per mulieres imperfectos et tepidos; quorum bonitas, inquit, ideo illorum iniquitati supponitur, quia perfectus ex modico casu magnam humilitatem capit, et imperfectus ex bono opere sæpe in gloriam inanem et superbiam erigitur. Denique melior est vir iniquus, id est publicus pœnitens, quam mulier benefaciens, id est Pharisæus de suis jejuniis et precibus se jactans. Quarto.

Moraliter, discant hic Christiani, etiam sacerdotes et Religiosi, quam sibi a feminis etiam benefacientibus, piis et devotis (imo magis ab his quam ab aliis) cavere debeant; ne ex igne hoc vel flammam, vel certe fumum concipiant. Sciebat hoc S. Franciscus, qui (uti habent *Annales Waddingi*, anno Christi 1219, num. 43 et 47.) prævidens pericula famæ et spiritus suis fratribus ex cura et familiaritate Clarissarum imminentia (quæ paulo post sub Urbano IV rei probavit eventus), ab ea suos absolvi enixe petiit et impetravit a Cardinale Hugolino, qui postea creatus Pontifex, dictus est Gregorius IX. Quin et suos ab eis retrahens, sæpius turbato animo dicebat : « Timeo ne, dum Deus nobis abstulerit uxores, diabolus nobis procuraverit sorores. » Imo quemdam e suis moniales visitantem increpans, jussit in fluvium, ut erat vestitus, immergi frigidissimo anni tempore in decembri, addens : « Exstingue hac aqua scintillas, quæ in te lenis et mitis, sed periculosus ignis accendit; lava et absterge his undis secretas sordes, quæ te inscio tibi forte adhæserunt. » B. Richerius, socius S. Francisci, donum eximiæ castitatis a Deo acceperat, et tamen studiose vitabat mulieres. Rogatus, cur? respondit : « Nisi id facerem, forsan justo Dei judicio tam præclaro munere privarer. » Ita *Annal. Wadding.* anno Christi 1220, num. 8. Idem dixit et fecit S. Thomas de Aquino, uti habet *ejus Vita*. Memorabile exemplum exstat in *Annalibus* ejusdem, anno Domini 1217, num. 24. Sancia, inquit, soror Alphonsi II, regis Lusitaniæ, habebat in aula puellam nobilem et devotam, cui nomen Maria Garcia; hæc quemdam Patrem Franciscanum pium et religiosum (adeo ut post mortem, S. Antonius de Padua viderit ejus animam in cœlum conscendere) convenire, ejusque piis colloquiis pasci desiderabat; dumque frequenter cum lacrymis idipsum expeteret, Pater importune rogatus ad illam accessit, ignem una, paleas altera manu ferens; quas ut igni admovit, illæque subito conflagrarunt, adjunxit : « Domina, ideo tuum quantumvis pium recuso consortium, Moraliter, de fuga feminarum.

et familiare colloquium; quia idipsum quod paleæ ex accessu ad ignem nactæ sunt, nanciscuntur etiam Religiosi, qui cum feminis sæpius aut familiarius colloquuntur; ingentemque illum perdunt fructum, quem ex sancta oratione et divino alloquio possunt percipere. » Quo facto dictoque pedissequa rubore perfusa discessit, nec amplius viri Religiosi alloquium expetiit. Notent hoc et imitentur nostri cœnobitæ et sacerdotes.

S. Ludovicus, ex eodem Ordine S. Francisci, indeque creatus Archiepiscopus Tolosanus, adeo feminas fugiebat, ut ne cum matre quidem familiarius solusque colloqui sustineret. Mirantibus et objicientibus : « Quomodo feminas fugis, qui de femina natus es? » Respondit sapienter : « Ideo eas fugio, quia ex una earum natus sum; » ne scilicet ad eas redire me exstimulet naturalis cupiditas, quæ suam amat revisere originem. S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, ut ait Ribadeneira in ejus *Vita*, lib. V, cap. XI, omnium quidem mulierum familiaritatem, etiam earum quæ spiritales sunt, aut videri volunt, vitandam esse dicebat; sed earum maxime, quæ ætate, conditione, statu periculosiores sunt. Quarum ex consuetudine plerumque aut fumus sequitur aut flamma. « De vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. » Idem omnibus suæ Religionis asseclis severe curam Monialium interdixit, ut habet Ribadeneira, lib. XIII, cap. XIV. S. Franciscus Xaverius dictitabat mulieres adiri majori periculo, minore fructu. Vide Tursellinum, in ejus *Vita*, lib. VI, cap. XVII.

TERTIA PARS CAPITIS.

CELEBRAT MAGNALIA SAPIENTIÆ ET OMNISCIENTIÆ DEI.

Vers. 15. 15. MEMOR ERO IGITUR OPERUM DOMINI, ET QUÆ VIDI ANNUNTIABO. — Est conclusio operis, et libri de morum præceptis (ut patet ex τῷ *igitur*) ; illa enim concludit Siracides doxologia et laude Dei, uti viri Religiosi solent opera sua concludere gratiarum actione et glorificatione Dei : inter quos excellit Titelmannus, qui singulos Physicæ suæ libros pio concludit hymno, quo res physicas illo libro pertractatas inducit celebrantes magnalia sui Creatoris. Sensus ergo est, *q. d.* Absolvi meam Ethicam, finivi mea de moribus præcepta; superest ut Deo, qui hæc mihi suggessit, eadem offeram et referam. Igitur, ut concludam, commemorabo et celebrabo opera Dei, Deumque in suis operibus. A Deo cœpi, in Deo finiam, eique dicam: « A te principium, tibi desinet. » Id patet ex Græco, qui pro *igitur* habet δέ (vel, ut alii volunt, δή), quæ est vocula transitus ab una materia et parte orationis ad alteram, significans *porro, denique, sane, jam, age, cæterum, tandem, equidem.* Unde Tigurina vertit : *Equidem commemorabo facta Domini;* alii, *Recordabor nunc operum Domini;* alii : *Porro, tandem,* vel *denique recensebo opera Domini, et quæ vidi enarrabo.* « Quæ vidi, » hoc est quæ oculis inspexi, vel in libris legi, vel mente contemplatus et intuitus sum, vel ab aliis audivi et didici. Visus enim, quia sensuum præcipuus, pro quolibet sensu ponitur, uti sæpius monui. « Vidi » ergo, idem est quod « cognovi. »

IN SERMONIBUS DOMINI OPERA EJUS. — Ita dispungendum cum Romanis et Græcis, ut hic nova sententia incipiat et finiatur. Subaudi « creata sunt, conservantur et gubernantur, » *q. d.* Verbo jussuque Domini omnia ejus opera creata sunt, et, ut ab eo creata sunt, ita pariter ab eodem conservantur et reguntur. Conservatio enim creaturæ nihil aliud est quam creationis ejus continuatio. Unde creaturæ singulis momentis, quibus a Deo conservantur, quasi a Deo creantur; pendent enim jugiter ab influxu Dei, qui eis suum esse dat et dando conservat, sicut radii pendent ab influxu solis, ita ut, si sol se subducat, illico radii evanescant : sic pariter, si Deus suum influxum subduceret, illico totus mundus in suum nihilum, ex quo per creationem a Deo eductus est, rediret et relaberetur. Hoc est quod canit Psaltes, *Psal.* XXXII, 6 : « Verbo Domini cœli firmati sunt : et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Et vers. 9 : « Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. »

Jansenius et alii hanc sententiam nectunt cum præcedentibus hoc modo et sensu : « Annuntiabo quæ vidi in sermonibus Domini opera ejus, » hoc est, prædicabo opera Domini quæ ego vidi in sermonibus ejus, id est in Genesi, cæterisque sacris libris descripta. Aut : Annuntiabo non tam meis quam Domini sermonibus ea opera quæ vidi et observavi. Unde Tigurina vertit : *Quæ vidi edisseram verbis divinis opera illius,* quod Palacius explicat de prophetia, indeque colligit Siracidem fuisse Prophetam, *q. d.* Edisseram ea quæ mente per propheticum lumen illustrata vidi. Sic ait Isaias, cap. I, vers. 1 : « Visio Isaiæ quam vidit, » etc. Verum dispunctio Romana et Græca priorem sensum jam datum exposcit.

16. SOL ILLUMINANS PER OMNIA RESPEXIT (græce ἐπέβλεψε, id est inspexit, hoc est inspicit, intuetur), ET GLORIA DOMINI PLENUM EST OPUS EJUS. — Explicat τὸ *et quæ vidi annuntiabo, q. d.* Annuntiabo et celebrabo gloriosa opera Domini ; quia ea vidi per lumen solis ; sol enim omnia illuminans inspicit, ac a se illuminata omnibus inspicienda proponit, ex qua solis illuminatione fit, ut singulis appareant opera Domini, eorumque decor et pulchritudo ; ac proinde in iis Domini gloria et majestas resplendens clare a singulis cernatur et conspiciatur; ut omnes, si verum dicere velint, cogan-

tur exclamare : « Gloria Domini plenum est opus ejus ; » ac cum Seraphinis : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus, » *Isai.* VI, 3. Quos secutus Isaias cæterique Prophetæ idem exclamarunt, ac etiamnum viri sancti et religiosi ea contemplantes exclamant. Unde Tigurina vertit : *Sol lucidus collustrat omnia, et magnificentia Domini plenum est opus ejus.* Indicat finem et usum solis ; sol enim ad hoc inter alia creatus est a Deo, ut omnia ejus opera hominibus faciat conspicua, eorumque splendorem et gloriam iis demonstret, itaque eos excitet ad jugem Dei amorem et laudem, juxta illud *Psal.* XVIII, 6, de sole : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus. » Ita solis cœlique intuitu ad Dei laudem excitatus David canit : « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra ! Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos, etc. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum : lunam et stellas, quæ tu fundasti, » *Psal.* VIII, 1. Et *Habacuc* cap. III, 3 : « Operuit cœlos gloria ejus : et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus; » et vers. 11 : « Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. » Sane quoties solem intuemur, in has similesve Dei laudes erumpere deberemus.

Nota τὸ *respexit* : nam nonnulli veteres censuerunt solem esse animam, imo esse Deum, qui omnia respiciat ; inde vocatum oculum mundi. Hinc et Poeta Deum dixit esse solem, qui omnia videt et omnia audit. Quocirca Persæ adoraverunt solem quasi Deum, eumque vocavere Mithram. Romani prisci salutabant solem orientem ; quin et Manichæi SS. Trinitatem ita definiebant : « Dicentes Patrem in secreto quodam lumine habitare; Filii autem in sole virtutem, in luna sapientiam ; Spiritum vero Sanctum in aere, » ait S. Augustinus, lib. XX *Contra Faustum,* cap. VI. Idem, lib. I *De Genesi contra Manich.* cap. III : « Solem, inquit, illi (Manichæi) sic colunt, ut particulam dicant esse lucis illius, in qua habitat Deus. » Verum hic error, imo blasphemia. Metaphorice ergo dicitur respicere sol ; quia scilicet radios lucis suæ nunc in hunc locum, nunc in illum spargit, itaque eum collustrat et visibilem efficit.

Notat Palacius Deum non esse minorem in verme quam in sole et cœlo, licet in sole major hominibus appareat Dei gloria quam in verme : nam revera vermis, imo musca, præstantior est sole; quia musca animata est, sol inanimis. Ita S. Augustinus, lib. I *De Duabus animabus, contra Manichæos,* cap. III : « Atque hic, inquit, si forte turbati a me quærerent : Num etiam muscæ animam huic luci præstare censerem? responderem : Etiam, nec me terreret musca, quæ parva est, sed quæ viva firmaret. Quæritur enim quid illa membra tam exigua vegetet, quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpusculum ducat, quid currentes pedes in numerum moveat, quid volantis pennulas moderetur ac vibret? Quod qualecumque est, bene considerantibus in tam parvo tam magnum eminet, ut cuivis fulgori perstringenti oculos præferatur. »

Musca sole præstat.

Nota, *secundo* : Sol in aurora exoriens creaturas omnes, sed maxime aves, respiciens, excitat ad lætitiam, cantum, laudemque gloriæ Dei. Unde aves solares vocantur, præsertim luscinia, quæ aves cæteras suavissime modulando antevertit, ut homines a somno ad Dei laudem secum concinendam invitet. Unde S. Ambrosius, lib. V *Hexaem.* cap. XII : « Non dubito, inquit, quod inter canoras aves somnum sentire non possit, quin tali ad vigilandum gratia provocetur. » Et mox : « Unde mihi vocem psittaci dulcedinemque merularum? Utinam saltem luscinia canat, quæ dormientem de somno excitet. Ea enim avis significare solet diei surgentis exortum, et effusiorem diluculo deferre lætitiam. »

Aves canendo excitant homines ad Dei laudem.

Idem S. Ambrosius, serm. in *Malachiæ* cap. I, qui exstat in fine tomi II, docet nos instar avium tam mane quam vespere debere Deum laudare, eique gratias agere : « Nonne videmus, inquit, minutissimas aves, cum illucescentem diem aurora producit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, et id studiose agere priusquam procedant, ut Creatorem suum, quia loquela non possunt, suavitate demulceant? et quemadmodum unaquæque earum, quoniam confessione nequit, modulis prodat obsequium; ita ut videatur sibi devotius gratias agere, quæ dulcius personavit : hoc etiam peracto diei cursu similiter facere. Quid ergo sibi vult ista certis temporibus disposita cantilena et jugis intentio, nisi ut gratiarum quædam sit immoderata confessio? Pastori enim suo avis innoxia, quia sermone non potest, suavitate blanditur. » Et post nonnulla : « Aves ergo propter viles escas gratias agunt : tu pretiosissimis epulis pasceris, et ingratus es! Quis igitur non erubescat sensum hominis habens, sine psalmorum celebritate diem claudere, cum ipsæ aves ad gratificandum psalterii suavitate persultent? et ejus gloriam non versuum dulcedine personare, cujus laudem volucres modulata cantilena pronuntiant? Imitare ergo, frater, minutissimas aves, mane et vespere Creatori gratias referendo. Et si es devotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, et insomnem suscepti laboris industriam psalterii serie consolare. » Porro, quam mira in luscinia sit laudandi modulandique gratia, qua homines ad sui imitationem invitat, graphice describit Plinius, lib. X, cap. XXIX : « Primum, inquit, admiranda tanta vox tam parvo in corpusculo, tam

Luscinæ melodia.

pertinax spiritus. Deinde in una perfecta musicæ scientia modulatus editus sonus : et nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto; promittitur revocato, infuscatur ex inopinato; interdum et secum ipse murmurat; plenus, gravis, acutus, creber, extensus, ubi visum est vibrans, summus, medius, imus. Breviterque omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. Visum jam sæpe, jussus canere cœpisse, et cum symphonia alternasse. »

Allegorice, Rabanus : « Sol, inquit, est Christus, qui et lumen sapientiæ divinæ est, et splendor justitiæ. De quo alibi legitur : Orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. Ipse est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et omnia conspicit; quia non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; gloria enim Domini plenum est opus ejus, quoniam sapientia ejus lucet in factis ipsius. Unde per Prophetam dicitur : Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti. »

Denique Syrus per *gloriam* accipit misericordiam Dei. Sic enim vertit : *Sicut sol qui oritur super omnia, manifestatæ sunt misericordiæ Domini super omnia opera ejus.*

17. NONNE DOMINUS FECIT SANCTOS ENARRARE OMNIA MIRABILIA SUA, QUÆ CONFIRMAVIT DOMINUS OMNIPOTENS STABILIRI IN GLORIA SUA? — Sic legendum cum Romanis et Græcis Romæ correctis per interrogationem, licet Complutensia hæc legant assertive vertantque : *Non induxit sanctos Domini, ut enarrent omnia mirabilia sua.* Omnia enim nemo enarrare sufficit, quia sunt inenarrabilia, juxta illud *Job* v, 9 : « Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. » Verum ut dixi, legenda sunt hæc per notam interrogationis; licet enim sigillatim opera Dei enarrare, et pro dignitate celebrare nemo sufficiat, quisque tamen sufficit ut ea generatim, sive per sua genera et species illustriores enarret et celebret. Pro *confirmavit* græce est ἐστερέωσε, id est firmavit, stabilivit; unde στερέωμα vocatur firmamentum. Pro *omnipotens*, græce est παντοκράτωρ, id est omnia vincens, omnia continens, omnia potens omnibus dominans. Pro *stabiliri* græce est, στηριχθῆναι τὸ πᾶν, hoc est *ut stabiliretur universum.* Minus recte ergo Rabbinus, Dionysius et Lyranus pro *stabiliri* legunt *stabilis.* Igitur sensus est, *q. d.* Deus omnipotens non fluxa, sed firma, stabilia et perdurantia fecit opera sua, ut in iis firmaret et stabiliret gloriam et magnificentiam suam per totum universum. Pro « sua » enim græce est αὐτοῦ, id est *ipsius*, scilicet Domini. Unde Vatablus clare vertit : *Nonne Dominus sanctis prædicanda constituit omnia miracula sua* (omnia enim Dei opera sunt mirabilia, ideoque quasi miracula), *quæ fundavit Dominus idem omnipotens, gloriaque sua cuncta constabilivit?* alii : *Nonne effecit in sanctis Dominus, ut possint enarrare mirabilia ejus, quæ firmavit Dominus omnipotens, quo universum hoc ipsius gloria stabiliretur?*

Porro gloria hæc est gloriosa Dei potentia, sapientia et bonitas, qua res omnes et singulas uti ex nihilo creavit, ita conservat, auget, multiplicat. Phidias clypeo a se efformato suam adeo affabre inseruit effigiem, ut alterum sine altero eradi, vel aboleri non posset. Ita Deus singulis rebus creatis, ac præsertim homini, gloriosam hanc sui inseruit effigiem, ut eradi nequeat, imo ut opus hoc ejus videri nequeat; quin, si penitius inspicias, ipsum protinus invenearis operis auctorem, Deum creatorem. Vide dicta *Genesis* cap. I et II. Deus singulis suis operibus sui effigiem inseulpit.

Præclare S. Gregorius, XXVI *Moral.* VIII : « Si vigilanter, inquit, exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora revocamur. Vestigia quippe Creatoris nostri sunt mira opera visibilis creaturæ : ipsum namque adhuc videre non possumus; sed jam ad ejus visionem tendimus, si eum in his quæ fecit miramur : ejus ergo vestigia creaturam dicimus, quia per hæc quæ ab ipso sunt sequendo, imus ad ipsum. » Et paulo post : « Viæ, inquit, ad Creatorem sunt opera considerata Creatoris. Quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur : in istis viis a sapientia omni nobis providentia occurritur; quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur in omne quod mirabiliter factum videtur; et quocumque se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit per quæ reliquit; ejusque potentiam ex eorum consideratione noscit, quorum amore deseruit; et per quæ perverse cecidit, per hæc conversa revocatur. »

Anagogice, sancti Angeli et homines beati in cœlo jugiter enarrant mirabilia Dei, dicentes incessabili voce : « Sanctus, Sanctus, Sanctus, » etc. Si quæras : Quænam sunt hæc « mirabilia? » Respondeo : Sunt illa certe quæ Dominus omnipotens confirmavit ac stabilia fecit in gloria sua. Plane multa sunt in hoc mundo mirabilia Dei; sed hæc non confirmavit Deus ut stabilia essent; at gloria Beatorum, visio divinæ essentiæ, ejus amor, civitas cœlestis, cœli convexum, stellarum ordines, hæc sunt mirabilia, atque ut stabilia, ita dignissima, quæ a sanctis angelis continenter enarrentur. Habet hic Theologus causam quare Deus Sanctos crearit; scilicet ut hi enarrent mirabilia Dei. S. Paulus aliam dedit, scilicet ut in eos ostenderet divitias gloriæ suæ. Habet, *secundo*, Sanctos in gloria enarrare omnia mirabilia Dei, utpote qui cognoscunt in Deo omnes creaturas, quas Deus creavit. Tritum enim est in schola Beatos nosse omnia quæ Deus continet eminenter, licet non quæ formaliter continet, inquit Palacius; quod alibi discutiendum est. Denique Syrus vertit : *Non deficiunt Sancti Domini numerare gigantei-tates* (hoc est prodigiosas magnitudines) *porten-*

torum ejus. Fortitudinem dedit timentibus se ad standum coram gloria sua.

Vers. 18. 18. ABYSSUM ET COR HOMINUM INVESTIGAVIT, ET IN ASTUTIA EORUM EXCOGITAVIT, — id est astutias eorum excogitando cognovit. Est Hebraismus. Transit a Dei majestate, potentia et gloria ad celebrandam ejus sapientiam, omniscientiam et providentiam. Græci non habent τὸ *hominum;* unde τὸ *eorum* oportet ut referant ad « abyssum et cor. » Sic enim habent : Ἄβυσσον καὶ καρδίαν ἐξίχνευσε, καὶ ἐν πανουργεύμασιν αὐτῶν διενοήθη, id est *Abyssum et cor pervestigat, et astutias eorum intelligit et considerat;* Romani, *meditatur;* alii, *de calliditatibus eorum cogitat.* Quocirca per *astutias* nonnulli intelligunt subtiles rationes, et arcana sapientiæ et providentiæ divinæ consilia, quæ in rebus creatis, sed maxime in abysso et corde humano relucent, imo verius abscondita sunt. Lyranus per *abyssum* intelligit diabolum, *q. d.* Astutias eorum, scilicet tam diaboli, quam cordis humani pernovit Deus. Verum hoc mysticum est. Quare recte Interpres noster in Græco legit, vel certe subintellexit τὸ *hominum;* horum enim propriæ sunt astutiæ, id est astuta consilia, machinationes et fraudes, quas nemo nisi Deus penetrat et pervestigat. Aut certe τὸ *cor* ponitur distributive pro corde singulorum et omnium hominum, ut « cor » idem sit quod « corda. » Unde Tigurina vertit : *Profundum et corda pervestigavit, et pernovit technas eorum.* Per *abyssum* ergo intelligit quodvis profundum, ut centrum terræ, in quo est infernus, dæmones et damnati; sed maxime profundum aquarum et maris : hoc enim proprie vocatur abyssus, *Gen.* I, 2, quasi ἀβύθῳ vel βύσσῳ, id est sine fundo; quod maris fundus homini sit incognitus, et vix vestigabilis : Deus tamen eum investigat, id est cognoscit, et ad fundum usque penetrat et pervidet; scit enim Deus præcise quam profundum sit mare ubique et in omnibus locis, quot in eo sint guttæ aquarum, quot pisces, conchæ, gemmæ, etc., quid in ejus fundo sit, quod numero arenæ, lapilli, metalla, etc. Est metalepsis; « investigare » enim significat pervidere; quia ex investigatione et scrutinio homines perveniunt ad rei cognitionem et evidentiam. Sic « excogitavit » idem est quod cogitando cognovit, ut paulo ante dixi.

Similiter Deus investigat, id est penetrat et pervidet, cor hominis alias pravum et inscrutabile, ut ait Jeremias, cap. VII, 9, adeo ut omnes ejus latebras, sinus et angulos usque ad imum undequaque perspiciat et perlustret; ideoque omnes ejus astutias, id est dolos, fraudes, simulationes, calliditates, machinationes inspicit et pernoscit. Apposite cor hominis componitur cum abysso; quia instar abyssi profundum est, tenebrosum, obscurum et impervium, nullique hominum vel angelorum, sed soli Deo penetrabile et conspicuum. Unde aliqui ad litteram hic per *abyssum* accipiunt cor hominis, ut τὸ *et* sit exegeticum significans *id est, q. d.* Abyssus et (id est) cor hominis profundum et inscrutabile instar abyssi, a solo Deo vestigatur et intime cognoscitur. Unde Syrus vertit : *Abyssum et cor scrutatur, et omnia occulta hominum sicut sol manifesta sunt coram eo.*

19. COGNOVIT (Tigurina, *tenet, callet*) ENIM DOMINUS OMNEM SCIENTIAM, ET INSPEXIT IN SIGNUM ÆVI, ANNUNTIANS QUÆ PRÆTERIERUNT, ET QUÆ SUPERVENTURA SUNT, REVELANS VESTIGIA OCCULTORUM; — τὸ *enim* dat causam præcedentium, *q. d.* Deus cognoscit abyssum et corda hominum, quia ipse est omniscius et cognoscit omne scibile. Nam per *omnem scientiam* intellige omne scibile, sive omne quod scitur, aut sciri potest, sive ab angelis, sive ab hominibus; hoc enim omne Deus cognoscit, et uno mentis cernit in ictu. Est metonymia; ponitur enim habitus pro objecto, puta scientia pro scibili.

Signum ævi quod?

Quæres : Quodnam est « signum ævi » quod inspicit Deus? Isidorus Clarius et Palacius pro *signum* legunt *sinum;* sed græce est σημεῖον, id est *signum.* Complutensia legunt in plurali σημεῖα, id est signa.

Respondeo primo.

Primo Lyranus per *signum ævi* accipit decursum sæculi; et Rabanus : *Inspicit Dominus,* inquit, *in signum ævi, quia omnes ætates mundi tam præteritæ, quam etiam præsentes, sive futuræ in præsentia ejus sunt : quando apud illum nihil præteritum, nihil futurum est, sed omnia præsentialiter videt.*

Secundo.

Secundo, Dionysius per *signum ævi* accipit mensuram ævi, et per *mensuram* metonymice accipit mensurata omnia, quæ mensurantur ævo. « Inspexit in signum ævi, » hoc est, inquit, in mensuram æviternorum seu perpetuorum, cuncta quæ mensurantur ævo cognoscens; de quo ait Boetius : « Qui tempus ab ævo ire jubes. » Et *Job* cap. XXVIII, vers. 3 : « Universorum finem ipse considerat. » Unde Syrus vertit : *Manifesta sunt coram eo quæcumque eveniunt in mundo.*

Tertio.

Tertio, Palacius per *signum,* vel, ut ipse legit, *sinum ævi,* accipit æternitatem; hæc enim est sinus et signum omnium quæ fiunt per omne ævum et sæculum. Ubi nota, inquit, objectum intellectus divini æternitatem suam esse : æternitas vero est unum punctum indivisibile, in se tamen comprehendens omne ævum et omnia tempora; est enim velut sinus, ubi tempora et ævum omne concluditur. Eadem æternitas est signum ac punctum indivisibile, unde incipit et finitur omne ævum. Eadem igitur est objectum in quod Deus inspicit; eadem sinus ævi; eadem signa et signum ævi. Est ergo illustrissima Dei quarta laus, quod in æternitatem respiciat, in qua præsentissime omnia videntur. Unde quinta laus Dei procedit, scilicet quod « annuntiet » certo « ea quæ præterierunt, et quæ superventura sunt. »

Quarto.

Quarto, astrologi accipiunt signa cœlestia sive sidera, eorumque constellationes, puta concursum, motum et influxum stellarum in hæc inferiora. Unde nonnulli ipsorum censent Deum in stellis, quasi in signis descripsisse et præmons-

trasse omnes in terra futuras rerum mutationes et eventus : quare ipsi ex stellis, quasi prognosticis futura conjectant. Verum hic est error, quem refutavi *Genes.* I, 14. Fateor tamen, ut ibidem dixi, stellas esse signa quorumdam eventuum naturalium. Id enim dicitur *Genes.* I, 14, quo hic alludit Siracides.

Quinto genuine. *Quinto* ergo, sensus genuinus est, *q. d.* Novit Deus quo signo, vel quibus signis præviis sæcula et tempora resque omnes in iis commutentur, mutent vices, unaque alteri succedat. Deus enim suaviter sæculorum seriem disponens et connectens, statuit quædam signa sibi cognita, nobis autem incognita, quæ futuras rerum mutationes indicent, ad easque disponant et præparent, v. g. statuit Deus ut tali sæculo post tot annorum centurias vel millia veniret Christus, ac postea Antichristus ; designavit enim ipse ad hoc præcise sæculum, imo annum, mensem et diem quo id futurum esset. Ex anno ergo et sæculo a se designato, quasi ex signo a se præstituto, cognoscit Deus quo tempore veniret Christus, et quo venturus sit Antichristus. Sic in translationibus regnorum et monarchiarum Deus statuit cuique certam temporis et annorum mensuram, sive periodum, ex qua quasi ex signo cognoscit quando translatio hæc futura sit. Rursum in ipsis regnis statuit quædam signa futuræ translationis, statuendo v. g. ut, cum Assyrii, Græci, Persæ, Romani impleverint mensuram peccatorum suorum fini monarchiæ eorum a Deo præstitutam ; cumque inter se cœperint seditiones et schismata internecina concitare, tunc evertantur, et ad successores transeat monarchia vel regnum. Hæc enim naturalis et communis translationis regnorum fuit, et etiamnum est causa ac signum.

Ratio a priori. Ratio a priori est connexio universi omniumque in eo rerum ; Deus enim omnes res mundi et sæculi decurrentis apta et certa serie ordineque inter se connexuit, ut unum esset prævium signum, imo causa, sequentis et secuturi. Audi Boetium, lib. IV *De Consolatione*, pros. 6 : « Providentia, ait, est divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit ; fatum vero inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam Providentia suis quæque nectit ordinibus, etc. Ordo namque fatalis ex Providentiæ simplicitate procedit. » Et inferius : « Igitur uti est ad intellectum ratiocinatio, ad id quod est id quod gignitur, ad æternitatem tempus, ad puncti medium circulus ; ita est fati series mobilis ad Providentiæ stabilem simplicitatem, etc. Hæc actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit ; quæ cum ab immobilis Providentiæ proficiscantur exordiis, ipsas quoque immutabiles necesse est esse ; ita enim res optime reguntur, si manens in divina mente simplicitas, indeclinabilem causarum ordinem promat ; hic vero ordo res mutabiles, et alioqui temere fluituras propria incommutabilitate coerceat : quo fit ut, tametsi vobis hunc ordinem minime considerare volentibus, confusa omnia perturbataque videantur ; nihilominus tamen suus modus ad bonum dirigens cuncta disponat. » Et sub finem : « Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno Providentiæ liceat temeritati. » Hic ergo infallibilis ordo causarum rerumque connexio est signum ævi ; ex causa enim velut ex signo infallibili præeunte videt Deus quid certo secuturum et futurum sit ; certa enim est omnis Providentiæ ejus dispositio.

Porro per *signum* vel signa *ævi* sive sæculi, metonymice accipe ipsam designationem sæculi. Unde Tigurina vertit : *Consignationem ævi conspicit* ; designavit enim ab æterno Deus quid quovis tempore faciendum et futurum esset, atque ex hac suæ mentis designatione, secreto et decreto, quasi ex signo infallibili, imo quasi ex causa certissima cognoscit quid quovis tempore ubivis locorum futurum sit. Per designationem enim metonymice intelligit res designatas quovis sæculo futuras, puta decursum sæculi et rerum per singula sæcula, uti dixit Rabanus et Lyranus. Loquitur Siracides anthropopathōs, sive more humano, et alludit ad *Genes.* I, 14 : « Fiant luminaria (sol et luna, etc.), et sint in signa et tempora ; » unde ipse, capite sequenti, vers. 6, lunam vocat « signum ævi. »

Horoscopus astrologorum. Homines enim, præsertim rudi illo sæculo, censebant, quin et etiamnum nonnulli astrologi censent signa rerum futurarum præexistere in cœlo et stellis ; unde ex horoscopo, id est ex constellatione, quæ existit in cujuslibet nativitate, conjectant et divinant de ejus ævo, id est de omnibus quæ ei per omnem vitam obventura sunt : horoscopus ergo eis erat signum ævi. Hos enim redarguens Jeremias ait, cap. X : « A signis cœli nolite metuere quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt, » *q. d.* Gentes observant stellas eorumque concursum, aspectum et motum, quasi signa rerum futurarum, ut ex illis futura divinent. At errant ; signum enim, sive signa futurorum posuit Deus non in cœlis, sed in mente sua, puta in suo decreto. Ipse ergo solus ea nosse, ex iisque futura prænosse et prædicare potest. Unde explicans subdit : « Annuntians quæ præterierunt et quæ superventura sunt, » *q. d.* Deus solus ex signis, quæ posuit in mente sua, potest cognoscere futura æque ac præterita : ipse ergo solus ea prænuntiare potest. Unde Deus, per Isaiam disceptans cum idolis et idololatris de divinitate, hoc argumento convincit se solum verum esse Deum ; idola autem falsos deos : quod ipse solus certo vereque prænuntiet quæ futura sunt ; idola autem falso et mendaciter ea divinent vel conjectent. « Accedant, inquit *Isaiæ* XLI, et nuntient quæ ventura sunt ; priora quæ fuerunt nuntiate,

Rejicitur.

Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos. » Nam, ut ait Tertullianus, *Apolog.* XX : « Testimonium divinitatis est veritas divinationis. » Sola enim divinitas vim habet divinandi futura.

Denique idipsum plenius explicans Siracides, subdit : « Revelans vestigia occultorum (vitiose in Romanis Latinis e Græco traductis legitur *oculorum* pro *occultorum*), *q. d.* Deus solus novit rationes et modos, per quos quasi certa signa et vestigia vestigentur et cognoscantur res occultæ, quales sunt res futuræ, et arcanæ cordium cogitationes et intentiones, eosque revelat Prophetis aliisque Sanctis, quibus ipsi libuerit, ut ipsi ea prædicere, aliisque præsignificare queant.

Symbolice, signum ævi est Christus.

Symbolice, signum ævi est Christus Dominus, tum qua Deus; sic enim per eum quasi verbum et ideam Deus fecit, et consequenter ordinavit disposuitque sæcula, *Hebr.* I, 2, tum qua homo; sic enim per eum Deus prædestinavit et disposuit omnes Ecclesiæ, fidelium, sanctorum et electorum generationes. Unde ipse vocatur « pater futuri sæculi, » *Isaiæ* IX. Denique ipse positus est « in signum cui contradicetur, » uti prædixit Simeon, *Luc.* II, 34.

Vers. 20. 20. NON PRÆTERIT ILLUM OMNIS COGITATUS, ET NON ABSCONDIT SE AB EO ULLUS SERMO. — « Non omnis, » id est nullus. Unde Tigurina : *Non præterit eum ulla cogitatio, nec ullus sermo clam ab ipso est;* alii, *neque latet eum ullus sermo, q. d.* Deus omnes hominum cogitationes et sermones introspicit. Unde Sapiens, deterrens homines a murmuratione, hoc utitur argumento, quod omne murmur audiatur a Deo judice et vindice : « Quoniam renum, inquit, illius (maledici) testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum : et hoc (id est hic spiritus; sed dicit « hoc, » quia respicit ad Græcum πνεῦμα, id est spiritus, quod est generis neutri) quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non poterit latere, nec præteriet illum corripiens judicium, » *Sap.* I, 6. Sensus est, *q. d.* Spiritus Sanctus cum Patre et Filio omnia continet, id est per essentiam, præsentiam et potentiam complectitur, ambit et conservat omnes creaturas; omnia ergo sunt in Spiritu Sancto; quare omnes res et voces fiunt intra ambitum complexumque Spiritus Sancti, non foris : quocirca nihil illum latere potest, quin omnia quasi coram se, imo intra se facta videat et audiat.

Per *cogitatum* intellige quoque affectum : utrumque enim pervidet Deus. Nam, ut ait S. Bernardus, *De Interiori domo*, cap. XXXIX : « Ibi est cogitatio tua, ubi est affectio tua; ibi cor tuum, ubi est desiderium tuum; quoniam illud sæpius in cogitatione voluimus, cujus amore plus affecti sumus. » Vis ergo nosse quid ames? adverte quid sæpe cogites animoque volvas; hoc enim est quod amas.

Vers. 21 et 22. 21 et 22. MAGNALIA SAPIENTIÆ SUÆ DECORAVIT; QUI EST ANTE SÆCULUM ET USQUE IN SÆCULUM, NEQUE ADJECTUM EST, NEQUE MINUITUR, ET NON EGET ALICUJUS CONSILIO, — hoc est, ut habent Græca, μεγαλεῖα τῆς σοφίας αὐτοῦ, id est : *Magnifica operis sapientiæ suæ ornavit, qui est ante sæculum, et in sæculum; neque adjectum fuit, neque diminutum, neque indiguit ullius consilio;* Complutenses addentes διά, id est *per*, sic clare habent : *Magnalia* (magna opera sua) *per sapientiam suam decoravit, qui* (legunt ὃς pro quo Romani legunt, καὶ ἕως ἐστι, id est *et quatenus est*) *est ante sæculum, et in sæculum, neque additus est, neque diminutus est, et non indiguit alicujus consiliarii*; Tigurina . *Miracula sapientiæ suæ exornavit, et cum subsistat ex ante ævum in ævum perpetuum, neque auctus est, neque diminutus, neque ullius indiguit consiliarii.* Significat ergo, *primo*, Deum magnifica sua opera per sapientiam mire exornasse; nam, ut de Deo ait Sapiens, cap. XI, 21 : « Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti. » Ratio est, quia ipse est immensus uti essentia, ita et sapientia ac duratione. Existit enim ab æterno ante omnia sæcula, et idem perdurabit in sæcula sæculorum; quare omnia sæcula, resque omnes quæ in sæculis fiunt, sua sapientia in immensum transcendit, ambit et complectitur. Quocirca magnificis hisce Dei operibus per tot sæcula nihil adjectum est, neque imminutum, sed per tot sæcula eo modo, quo a Deo creata sunt, perseverant. Deus enim ea ita perfecit et perfecte ornavit, ut nihil eis addi possit : « Dei enim perfecta sunt opera, » *Deut.* XXXII, 4. Et : « Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona, » *Gen.* I, 31. Complutensia et Tigurina hæc vertunt masculine de Deo, *q. d.* Deus etsi sit tam antiquus, ut fuerit ante sæculum, et duraturus sit in omne sæculum; tamen per tot annorum spatia nihil ei accrevit, nihil decrevit, non accessit ei aliquid sapientiæ, virtutis et perfectionis, sed nec decessit. Ratio est, quia ipse per omnia est immensus et infinitus; infinito autem nihil addi potest. Denique cum ipsius sapientia sit infinita et increata, utique non indiget alicujus consiliarii, vel consilii. Huc allusit Apostolus, *Rom.* XI, 33 : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? »

Vers. 23. 23. QUAM DESIDERABILIA (græce ἐπιθυμητά, id est amabilia, jucunda, desiderabilia) OPERA EJUS, ET TANQUAM SCINTILLA, QUÆ EST CONSIDERARE! — Legit ὡς σπινθήρ id est *tanquam scintilla*; codices Romæ emendati legunt in plural, ὡς σπινθῆρες, id est *tanquam scintillæ*. Sensus est, *q. d.* O quam speciosa, utilia, amanda et admiranda sunt opera Dei, sive eorum speciem in se, sive usum et commoda, quæ hominibus afferunt, spectes! certe tam speciosa sunt, ut Psaltes dicat : « Delectasti me, Domine, in factura tua, » *Psal.* XCI. Sane quia ab illo

sunt, amanda sunt : et, quia ipse illa facit, vicissim summe amandus est. Quoniam ipsa sunt « tanquam scintilla » divinitatis, divinæque potentiæ, sapientiæ, amoris et beneficentiæ, ex qua velut ex igne ardentissimo et efficacissimo ipsa quasi scintillæ dissiliunt, quæ proinde operæ pretium est attenta meditatione « considerare. » Elementa ergo, cœli, stellæ, sunt quasi scintillæ divinitatis prosilientes ex illo Deo, qui ignis consumens est, *Deut.* IV. Sic Isaias, cap. XL, 15, eadem vocat « stillam situlæ, » quæ scilicet ex Deo quasi ex situla, imo quasi ex oceano distillat. Aliter Jansenius : Opera, inquit, Dei, « quæ est, » hoc est quæ licet nobis, « considerare, » sunt « tanquam scintilla; » quia minimam tantum partem operum Dei cognoscimus, juxta illud *Job* cap. XXVI, 14 : « Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus, et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? » Et mox capite sequenti dicit Sapiens : « Pauca vidimus operum ejus. » Jam Complutensia, Tigurina et alii tollunt τὸ *quæ* sicque legunt : Ὡς πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐπιθυμητὰ καὶ ἕως σπινθῆρος ἐστι θεωρῆσαι, id est : *Quam desiderabilia sunt omnia opera ejus, et usque ad scintillam est contemplari!* Tigurina : *Quam jucunda sunt opera ipsius, et ad scintillam usque spectabilia! q. d.* Omnia Dei opera magna, usque ad minimum eorum punctum, digna sunt consideratione et admiratione, adeo ut si vel culicem attente consideres, ejusque membra singula tam affabre distincta et composita, obstupescas, admiraus immensitatem sapientiæ divinæ in tam exiguo animalculo. Idem est de flosculo quolibet. Verissimum est illud :

Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Vide quæ de minimis dixi initio Procemii in Minores Prophetas, et *Zachar.* IV, 10. Alius vertit : « Quam desiderabilia sunt opera ejus, quæ spectare licet (duntaxat) ut scintillam ! » quæ versio congruit cum sensu paulo ante a Jansenio assignato.

Hinc disce quod mundus sit scintilla et stilla divinitatis. Quocirca ex scintilla hac ad ignem, ex stilla ad mare, puta ad Deum, ascendere debemus, eumque in singulis creaturis contemplari et admirari, ut faciebat S. Antonius, S. Augustinus in *Confess.*, S. Ambrosius, S. Basilius in *Hexaemer.*, S. Franciscus, S. Ignatius fundator Societatis nostræ, qui ex rebus minimis, ut flosculis, mente ascendebat ad Deum, ejusque sapientiam, bonitatem et potentiam admirabundus contemplabatur. Ideinque in Regulis nobis præscripsit et sanxit, ut satagamus in creaturis agnoscere Creatorem, eum in omnibus amando, et omnes in eo, juxta sanctissimam ejus voluntatem.

Deus enim opifex in omnibus rebus et operibus suis intime est præsens per essentiam, præsentiam et potentiam, quibus sicut illa creavit, sic eadem conservat, id est continuo quasi creat, ne in nihilum suum, ex quo creata sunt, relabantur et revolvantur. Quamobrem Deus est, ait S. Dionysius, *De Divin. nom.* cap. X, παντοχῆ ἑάτωρ, id est omnitenens, fundus et fundamentum omnium, quod sit omnium sedes, omnia continens et complectens, et cuncta stabiliens, fundans atque constringens, et universum in se insolubile præstans; et ex se veluti ex omnitenente radice cuncta producens, atque ad se ut ad omnitenentem fundum, universa convertens, et continens ut omnium sedes omnicapax; omnia contenta una præcellenti connexione communiens, neque sinens ea sibi excidere, ne tanquam exactissimo domicilio mota dispereant. » Et cap. XIII : « Pertingens ad omnia pariter, et super omnia indeficientibus largitionibus, et interminabilibus operibus. » Quocirca res omnes et singulæ intime et essentialiter pendent a Deo, imo magis pendent a Deo, quam a seipsis, multo magis quam radius pendeat a sole, a quo totum suum esse accipit; vel homo ab anima, a qua vitam et essentiam accipit. Unde Plato Deum dixit esse animam mundi; quia Deus assidue intimius influit in res omnes esse quod habent, quam anima influat in corpus illud animando, vivificando, et vitales operationes per illud exercendo. Hanc essentialem rerum omnium a Deo dependentiam significat S. Bernardus, lib. V *De Consider.*, dicens : « Qui item Deus, sine quo nihil est, tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se esse potest. Ipse sibi, ipse omnibus est : ac per hoc quodam modo solus est; ipse qui suum ipsius est et omnium Esse. » Ubi aperte essentialem a Deo dependentiam docet. Et infra : « Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, non seminabiliter; per quem omnia, ne alium auctorem, alium opificem arbitreris; in quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. » Quin et Apostolus de Dei Filio sive verbo loquens, *Hebr.* I : « Qui cum sit splendor gloriæ, ait, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ. » Ubi Anselmus : « Portat, inquit, omnia, id est sursum tenet ne decidant, et in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant; et sustentat ea non labore et difficultate, sed imperio suæ potentiæ. » Hac de causa S. Gregorius docet Deum esse supra et infra omnia, ut omnia contineat et sustentet. Sic enim ait II *Moral.* cap. XII : « Cœlum palmo metiens, et terram pugillo concludens, ostenditur, inquit, quod ipse sit circumquaque rebus cunctis, quas creavit, exterior. Per sedem ergo cui præsidet, intelligitur esse interius supraque; per pugillum quo continet, exterius subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia : et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem : sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interius penetrans : nec alia parte superior, alia inferior; aut alia parte

Res omnes essentialiter pendent a Deo.

exterior, atque alia manet interior, sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. » Hinc et Scholastici præcise et scholastice docent Deum, cum res conservat, eas continuo creare. Ita Scotus in II, dist. I, *Quæst.* V, asserit, « quod res dici potest semper creari quamdiu manet, quia semper accipit esse a Deo. » Et Gabriel Vasquez in I, disp. LXXIV, n. 17 : « Conservatio, inquit, rei secundum se totam est vera creatio et productio ex nihilo. » Et Ludovicus Molina, I Part. *Quæst.* X, art. 5, disp. I : « Per influxum eumdem indivisibilis actionis, inquit, qua primo contulit angelo esse, eum conservat, et confert illud idem Esse, toto decursu temporis, quod primo illi contulit; idque eo ipso, quod ab indivisibili actione, qua primo cœpit illi conferre Esse, non desistat. Sic et Suarez, in *Metaph.*, tota disp. XXI, idem fuse confirmat. Igitur in singulis rebus Deum latentem intimeque præsentem, ac quasi rei cujusque animam et spiritum intueri debemus, ac eum in suis operibus laudare et admirari, atque ex illis ad ipsum velut opificem assurgere, ipsiusque omnipotentiam, sapientiam et bonitatem cum Siracide contemplari et celebrare.

Vers. 24. 24. OMNIA HÆC VIVUNT, ET MANENT IN SÆCULUM ET IN OMNI NECESSITATE OMNIA OBAUDIUNT EI. — « Vivunt, » id est vigent; Tigurina : *Vigent hæc omnia et durant per ævum, adque omnes usus cuncta obediunt.* Græcum enim χρεία significat usum, necessitatem, opus, utilitatem, etc. Variis modis, inquit Jansenius, celebrat Dei opera, quæ sicut commendavit ab eorum pulchritudine, ita nunc ab eorum duratione et obedientia. Tribuit eis vivere, quia in suo esse et vigore persistunt. « Manere » dicit « in sæculum, » quia perdurant vel in seipsis, vel in sua saltem specie. « Obediunt » Deo « in omni necessitate, » quia per illa, quidquid Deus vult, præstatur ad omnem necessarium usum. Nam ut dicit Psalmista : « Omnia serviunt tibi. » Porro Syrus vertit : *Omnes facturæ ejus in sæculum in veritate firmæ, et in sanctitate glorificant, et vivunt, et consistunt in sæculum, et ad omnes voluntates ejus omnes ipsæ paratæ sunt.* Præclare S. Augustinus, lib. X *De Civit.* cap. XII : « Quidquid, inquit, mirabile fit in mundo, profecto minus est quam totus hic mundus, id est cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt; sicut autem ipse qui fecit, ita modus quo facit occultus est et incomprehensibilis Domini : quamvis itaque miracula visibilia naturarum videndi assiduitate viluerint; tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque majora sunt. » Idem in *Psalm.* CXLIV, 4 : « In eo quod vides, inquit, quid ibi laudatur? species, utilitas, aliqua virtus, aliqua potentia rerum istarum. Si pulchritudo te delectat, quid pulchrius faciente? Si utilitas laudatur, quid illo utilius qui fecit omnia? Si virtus laudatur, quid illo potentius, a quo etiam facta non dimittuntur, sed reguntur et gubernantur omnia? »

Mundi miracula.

25. OMNIA DUPLICIA, UNUM CONTRA UNUM, ET NON FECIT QUIDQUAM DEESSE. — Celebravit opera Dei a pulchritudine, ab usu, a duratione, nunc ea celebrat a diversitate et ordine, quod tam varia et difformia, imo adversa sint; et tamen apto ordine inter se composita et compaginata, ut ex discordi diversarum rerum quasi vocum concordia, pulcherrimam harmoniam efficiant. Ait ergo, « omnia duplicia, » græce διπλᾶ, id est bina vel gemina sunt, quorum unum contrarium est alteri, *q. d.* Deus ad ornatum universi fecit ut quæque res haberet suum par sibi compositum et oppositum. « Et non fecit quidquam deesse, » scilicet a suo contrario, hoc est non fecit quidquam habere defectum sui paris oppositi et antithesis, ut idcirco altero quasi pede deficeret et claudicaret; sed unicuique suum par apposuit et opposuit. Græce enim est, *non fecit quidquam* ἐκλεῖπον, id est, ut Complutensia, *defectuosum*; alii : *deficiens et mancum*, quod scilicet non habeat suum compar, cui comparetur et contrarietur. Sic carni opposuit spiritum, terram cœlo, aquam igni, aerem terræ, angelum corpori, hominem bruto, humilitatem superbiæ, castitatem libidini, et virtutes cæteras cæteris vitiis. Ita Franciscus Valesius, *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXVI, ubi ostendit hanc sententiam non tam de singulis rebus, quam de rerum generibus accipiendam. Patet hoc in arbore categoricæ substantiæ, in qua substantiam dividunt duæ differentiæ oppositæ, scilicet corporeum et incorporeum; ac simili modo quodlibet aliud genus continua serie duæ differentiæ oppositæ in duas species partiuntur. Idem videre est in serie cæterarum categoriarum. Imo in omnibus creatis est quædam dualitas opposita, scilicet actus et potentia, aut materia et forma, aut mas et femina. Vide dicta cap. XXXIII, 15, ubi hanc sententiam iteravit Siracides; ibi enim fuse eam explicui. Vatablus clare vertit : *Gemina sunt omnia, quorum alterum contrarium est alteri, nec factum mancum quidquam est*; alii : *Omnia bina sunt, unum alteri contrarium, nec fecit quidquam deficiens.* Porro Arabicus vertit : *Et creata sunt omnia duo et duo, unum est contra socium suum, non creans ex eis quidquam vane*, id est in vanum vel in vacuum. Vide Franciscum Valesium, loco jam citato, ubi hæc dat exempla : Ens, inquit, dividitur in duo opposita, scilicet in substantiam et accidens : substantia in corporeum et incorporeum, corporea in corruptibilem et incorruptibilem : corruptibilis in simplicem et mixtam : mixta in viventem et non viventem : vivens in sensibilem et sensu carentem : sensibilis in rationalem et irrationalem : simplex, puta elementum, aliud activum, aliud passivum; et utrumlibet horum duplex. Nam aliud calidum, aliud frigidum; aliud humidum, aliud siccum. Cætera omnia horum mixtura constant. Sic colores omnes constant mixtura albi et nigri;

Vers. 25.

In omnibus creatis est dualitas opposita.

Exempla.

et sapores, dulcis et amari; et soni, gravis et acuti : et si unum horum existit, necesse est et alterum illi oppositum existat, ut nihil desit ipsi totique universo. Quocirca Syrus vertit : *Omnes ipsæ binæ et binæ* (*combinatæ*), *altera opposita alteri; neque creavit quidquam illorum otiose, sed unam cum altera, binas et binas. Et quis satiatur intuendo decorem illarum?* Huc facit illud Ovidii, I *Metamorph.*, de prima rerum genesi :

> Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
> Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus :
> Hanc Deus, et melior litem natura diremit.

Tropologice, Auctor *Imperfecti in S. Matth.* apud S. Chrysostomum, *hom.* 15 : « Omnium, inquit, malorum prima et fortiora sunt tria mala, id est gula, avaritia et vana gloria (quibus proinde diabolus tentavit Christum in deserto), et vide quomodo adversus tria mala inventa sunt tria bona, id est eleemosyna contra avaritiam, jejunium contra gulam, oratio contra vanam gloriam. Omnia mala habent contraria bona, per quæ superentur, dempta vana gloria. Ideo quantavis bona feceris volens compescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam; et causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit : ideo non exstinguitur per bonum, sed magis nutritur. Ergo nullum remedium contra vanam gloriam esse potest, nisi oratio sola, et hæc ipsa vanitatem generat, nisi caute prospexeris, si forte bene oraveris. »

Solavana gloria bono non vincitur, sed incitatur.

Vers. 26. 26. UNIUSCUJUSQUE CONFIRMAVIT BONA. ET QUIS SATIABITUR VIDENS GLORIAM EJUS? — *q. d.* Deus uniuscujusque operis et rei a se creatæ bona et dotes firmiter tuetur et conservat per appositionem et oppositionem comparis contrarii. Unum enim contrarium firmatur ex altero : sic materia subsistit per formam, potentia per actum; pulchrescit album ex nigro. Senectus juvat juvenes consilio; juvenes juvant senes viribus; nobiles juvant plebem armis; plebs nobiles procurando illis panem, potum, vestem, etc. Ex adverso languescit et perit calor sine frigore, siccum sine humido, album sine nigro, etc. Contrarium enim sua oppositione excitat, acuit et intendit contrarium sibi oppositum. Atque hac de causa Deus cuique contrarium, quasi sui æmulum et antagonistam opposuit. Hunc esse sensum liquet ex Græco qui τὸ ἓν ex versu præcedenti repetit : ἓν τοῦ ἑνὸς ἐτερώσατ τὰ ἀγαθά, id est *unum* (ex binis et geminis sibi oppositis versu præcedenti) *unius*, id est alterius comparis *stabilivit bona*; Tigurina : *alterum commendat bona alterius.* Contraria enim juxta se posita magis elucescunt.

Quocirca hanc Dei sapientiam admirans exclamat : « Et quis satiabitur videns gloriam ejus? » Syrus, *illarum*, scilicet creaturarum Dei; Tigurina : *Et quis spectando gloriam Dei satietur?* alii : *Et quis expleatur videndo gloriam ejus? q. d.* Quis mortalium considerans tam gloriosa Dei opera, in quibus gloria bonitatis, sapientiæ et potentiæ divinæ adeo splendet et coruscat, ea se exsatiare queat? *q. d.* Nemo. Loquitur de viatoribus; nam in cœlo Beati omnes satiantur gloria Dei; quia eum vident facie ad faciem, sed ita ut satietas acuat desiderium, non creet vel augeat fastidium; satiantur enim videndo Deum, et tamen semper desiderant eum contemplari, juxta illud : « Satiabor, cum apparuerit gloria tua; » *Psalm.* XVI. Ut infinita taceam mirabilia Dei opera, unum duntaxat affero : In India, præsertim in Moluccis et Java, est avis dicta Manucodiata, pedibus plane carens, ideoque Apus cognominata, quod in aere perpetuo volet, indeque Avis cœli vel paradisi indigitata; imo nonnulli censuerunt eam volando dormire, comedere, generare. Sed hoc refutat Aldrovandus, lib. XII *Ornithol.* cap. XXII, eo quod nullum animal possit esse in perpetuo motu; et quia si in alto dormiret, utique sua gravitate in terram decideret. Igitur loco pedum habet duo fila in cauda, quibus quietis capiendæ tempore, arborum ramis se annectit. Hinc Manucodiata symbolum est animi cœlestis, jugiter in cœlo cum Deo et Angelis versantis. Quocirca Lucas Contiles, *Emblem.* LXXVIII, Manucodiatam in sublime expansis alis volitantem, capite cœlum aspicientem depingit, subjecto hoc lemmate : « Sine pondere sursum, » *q. d.* Animus humanus semper ad altiora aspirare debet, et terrena ista velut caduca ac fragilia contemnere. Etenim animus a corpore disjunctus cœlum petit, cadaver in cinerem vertitur. Emblematis istius venustate, ait Aldrovandus, pellectus, simile omnino in agello meo depingendum curavi, sed hoc lemmate : « Sic animus petat alta. »

Avissine pedibus.

Nota ex Scholasticis et Lessio, *De Perfectionibus divinis*, lib. XIV, cap. I : Duplex est Dei gloria : interna et externa. Interna rursum duplex est : objectiva et formalis. Objectiva gloria Deo intrinseca est ipsa divinitas, seu splendor et excellentia divinitatis et personarum divinarum; ob hanc enim dignissimus est qui ab omnibus cognoscatur, ametur, laudetur, etc. Sic passim in Scripturis excellentia divinitatis, et omnia hujus excellentiæ signa dicuntur gloria Dei. Formalis gloria Deo intrinseca est cognitio, amor et gaudium Dei de seipso : sive quod ipse a seipso infinite et adæquate cognoscatur, ametur et cum infinito gaudio ac suavitate gustetur. Infinite enim major est gloria Dei, quod ipsius bonitas et perfectio a se cognoscatur, ametur, æstimetur, quam si amaretur et laudaretur ab infinitis angelis et hominibus. In istis duobus sita est gloria Dei intrinsece, quam ipse ab æterno plenissime possedit : unde ad hanc acquirendam vel augendam mundum non creavit; sed propter aliam quamdam quæ ipsi extrinseca est, quæ etiam duplex est. Altera enim est objectiva, et consistit in excellentia et pulchritudine rerum creatarum, sed maxime filiorum Dei, ut sunt omnes Beati. Sicut

Gloria Dei objectiva.

Formalis.

enim gloria principis sæcularis dicitur consistere potissimum in splendore et pulchritudine aulicorum ; ita externa gloria Dei objectiva consistit potissimum in splendore et multitudine aulicorum cœlestium; secundario, in aliis rebus creatis. Altera est gloria formalis, quæ sita est in Dei visione, amore, gaudio et actibus hinc sequentibus; nimirum quatenus ipse a Beatis cognoscitur, amatur, gustatur, laudatur et benedicitur in omnem æternitatem. In hac re completur tota gloria Dei externa, et ad illam tota rerum creatarum species et pulchritudo ordinatur. Siracides hoc loco agit de gloria Dei externa, quæ ex creaturarum specie et decore resultat.

Homini servit omnis creatura, ut ipse serviat creatori.

Moraliter, opera Dei, quia pro nobis ab ipso creata sunt, magnam a nobis gratitudinem deposcunt, nimirum memoriam, amorem, servitutem seu obsequium, et perpetuam cum gratiarum actione laudem; Deus enim omnia quæ in mundo sunt, pro nobis non tantum creavit et conservat, sed et assidue laborare, nobisque servire facit. Nobis enim gyrantur cœli, splendet sol, lucent sidera, spirant venti, coguntur nubes, descendunt imbres, assurgunt montes, currunt flumina, moventur maria, germinat terra, fecundatur aqua, et parturit omnis rerum natura. Hæc omnia nostri causa, ut nobis serviant et commodent, Deus sic esse, sic moveri et operari jussit. « Ille solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Ille hominem constituit super opera manuum suarum. Omnia subjecit sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi : volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris. » Si ergo ille totam rerum naturam nostræ servituti mancipavit, omnis ratio postulat ut vicissim nos totos illius obsequio mancipemus. Si illius imperio et impulsu totus mundus sine intermissione pro nobis laborat, et nostris commodis noctes diesque servit; par est ut nos illi tota vita sine intermissione serviamus ; præsertim cum eo ipso quo res creatæ nobis serviunt, ipsemet nobis serviat, et pro nobis assidue in creaturis et per creaturas laboret. Illæ enim sunt instrumenta, ut quæ omnem vim suam ab ipso habeant, et sine ejus auxilio et cooperatione assidua nihil possint : ipse vero est principalis motor, director et auctor omnium commodorum, quæ nobis ex rebus creatis proveniunt. Itaque si Deus ipse continuo pro nobis laborat, ut nostris commodis serviat, qua fronte nos illi servire, et pro ejus gloria laborare recusabimus ? Unde S. Bernardus, serm. *De quadruplici debito* : « Ecce, inquit, in januis est qui fecit cœlum et terram, et creator tuus, tu creatura; tu servus, ille dominus ; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes : qui et te fecit et benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fecunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum, ne forte indignationis oculo te respiciat et despiciat, et conterat in æternum. » Et inferius post recensitum recreationis et redemptionis Christi beneficium : « Cum ergo, inquit, ei donavero quidquid sum, quidquid possum, numquid istud sic est, sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus et animam, vel potius unum minutum, voluntatem meam, et non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? alioquin si illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri, et audeo illius sanguinis non guttas, sed undas a quinque partibus corporis, in meum pretium detorquere? » Quocirca serviat tibi, Domine, omnis vita mea, intenta sit in gloriam tuam omnis cogitatio mea, omnis fortitudo, omne studium, omnis actio mea. Exhauriantur in tuum obsequium omnes vires animi ac corporis mei, ut aliquid saltem tuo rependam amori, nec omnino ingratus coram te inveniar. « Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus : qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus; qui replet in bonis desiderium tuum, » quando « renovabitur ut aquilæ juventus tua. »

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A thesi descendit ad hypothesim, puta a laude operum Dei in genere ad laudem particularium ejus operum. Celebrat ergo magnificentiam Dei ex pulchritudine cœli, vers. 1; solis, vers. 2; lunæ, vers. 6; et stellarum, vers. 9; iridis, vers 12; nivis, fulgurum, nubium, vers. 14; grandinis, tonitruorum, ventorum, turbinis, nimirum, vers. 16; pruinæ, gelu et glaciei, vers. 21; maris et insularum, vers. 25. Unde concludit Deum ex toto corde totisque viribus esse laudandum et celebrandum, quia ipse infinities major est omni laude.

1. Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est, species cœli in visione gloriæ. 2. Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile opus Excelsi. 3. In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris: 4. tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, et refulgens radiis suis obcæcat oculos. 5. Magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter. 6. Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, et signum ævi. 7. A luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione. 8. Mensis secundum nomen ejus est, crescens mirabiliter in consummatione. 9. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose. 10. Species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. 11. In verbis sancti stabunt ad judicium, et non deficient in vigiliis suis. 12. Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. 13. Gyravit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum. 14. Imperio suo acceleravit nivem, et accelerat coruscationes emittere judicii sui. 15. Propterea aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ sicut aves. 16. In magnitudine sua posuit nubes, et confracti sunt lapides grandinis. 17. In conspectu ejus commovebuntur montes, et in voluntate ejus aspirabit Notus. 18. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempestas Aquilonis, et congregatio spiritus; 19. et sicut avis deponens ad sedendum aspergit nivem, et sicut locusta demergens descensus ejus. 20. Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus, et super imbrem ejus expavescet cor. 21. Gelu sicut salem effundet super terram: et dum gelaverit, fiet tanquam cacumina tribuli. 22. Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua super omnem congregationem aquarum requiescet, et sicut lorica induet se aquis. 23. Et devorabit montes, et exuret desertum, et extinguet viride, sicut igne. 24. Medicina omnium in festinatione nebulæ: et ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum. 25. In sermone ejus siluit ventus, et cogitatione sua placavit abyssum, et plantavit in illa Dominus insulas. 26. Qui navigant mare, enarrent pericula ejus: et audientes auribus nostris admirabimur. 27. Illic præclara opera et mirabilia: varia bestiarum genera, et omnium pecorum et creatura belluarum. 28. Propter ipsum confirmatus est itineris finis, et in sermone ejus composita sunt omnia. 29. Multa dicemus, et deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus. 30. Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua. 31. Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. 32. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis: supervalebit enim adhuc et admirabilis magnificentia ejus. 33. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. 34. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis. 35. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? 36. Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus. 37. Omnia autem Dominus fecit, et pie agentibus dedit sapientiam.

PRIMA PARS CAPITIS.

FIRMAMENTUM.

1. 1. ALTITUDINIS FIRMAMENTUM PULCHRITUDO EJUS EST, SPECIES COELI IN VISIONE GLORIÆ. — Incipit a pulchritudine firmamenti : licet enim eo altius sit cœlum crystallinum, empyreum etiam speciosius; tamen hæc minus nobis in terra aspectabilia sunt, cum firmamenti species per stellas omnibus coruscet.

Pronomen « ejus, » *primo*, referre potest Deum; de Deo enim immediate præcessit : « Quis satiabitur videns gloriam ejus? » hæc autem Dei gloria maxime cernitur in pulchritudine firmamenti, quæ intuentem nunquam exsatiat; ut sensus sit, *q. d.* « Altitudinis, » id est altissimum, « firmamentum est pulchritudo ejus, » scilicet Dei, seu pulcherrimum opus, in quo pulchritudo Dei artificis relucet, juxta illud *Psal.* XVIII : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. »

Porro Palacius sic explicat : Firmamentum altissimum est pulchritudo Dei, id est maxima; quæ enim Dei sunt, maxima sunt. Sicut enim in *Psalmo* LXVII : « Montes Dei » vocantur maximi, et « homo Dei » vocatur homo divinus; et « filii Dei, » *Genes.* VI, vocantur sublimissimi aut sanctissimi : ita pulchritudo Dei vocatur « pulchritudo maxima; » *secundo*, commodius τὸ *ejus* referas ad τὸ *altitudinis*, per quam accepit altitudinem cœli et mundi, ut sensus sit, *q. d.* « *Altitudinis*, » id est cœli altissimi, pars nobilissima, puta « firmamentum, » sive cœlum stellarum, est « pulchritudo ejus, » scilicet altitudinis, hoc est cœli altissimi, *q. d.* Firmamentum altissimi cœli est ejusdem cœli decus et pulchritudo : sicut enim gloria est Dei, sic pulchritudo proprie est cœli et creaturarum, in qua gloria Dei refulget. Nihil enim ita ornat totam cœlorum machinam ac pulchritudo firmamenti, utpote quod tot quasi gemmis, pyropis et adamantibus, quot astris et stellis resplendet, indeque dictum est cœlum quasi sideribus cælatum, *Genes.* 1, 8. Imo quot astra, tot tedæ, tot lampades, tot igneæ faces in cœlo collucent, totique mundo præluccent. Adde stellarum ordinem, motum et influxum, varietatem, constantiam. Sane videtur stellarum, quasi militum Dei acies ordinata repræsentare exercitum ordinatissimum. Unde et Deus sabaoth, id est exercituum, scilicet angelicorum et sidereorum, nuncupatur.

Stellæ sunt gemmæ et faces cœli.

Posset quoque τὸ *ejus* referri tam ad firmamentum, quam ad altitudinis, *q. d.* Pulchritudo firmamenti est pulchritudo altitudinis; id est altissimi cœli, mundique totius.

Porro Græca jam clare et eleganter sic habent : γαυρίαμα ὕψους στερέωμα καθαριότητος, id est, ut Complutensia : *Superbia* vel *gloria altitudinis*, *firmamentum munditiæ*, *q. d.* Superba gloria altæ hujus mundi machinæ est firmamentum mundum, id est nitidum, purum, pellucidum. Romana : *Gloriatio altitudinis*, *firmamentum puritatis;* Tigurina : *Ornamentum altitudinis, puritatis firmamentum;* alii : *Exsultatio altitudinis*, *firmamentum purum;* γαυρίαμα enim idem est quod superbia, gloria, gaudium, exsultatio. Firmamentum enim stellis tot tantisque superbum et gloriosum, gaudium affert intuentibus, adeoque videtur esse gaudium et exsultatio Angelorum, hominum mundique totius, ut de eo gloriari posset cœlum, si sensus et gloriationis esset capax. Græcis nostram Latinam Vulgatam accommodare conatur Jansenius hoc modo : Similem sensum, inquit, habebit nostra lectio; si genitivus *altitudinis* non construatur cum *firmamentum*, sed cum substantivo *pulchritudo*, ut relativum *ejus* ex phrasi Hebraica redundet, sicut cum dicitur : « Dominus in cœlo sedes ejus, » pro Domini sedes in cœlo est. Itaque sic erit oratio distinguenda, ut post *altitudinis* fiat parvus punctus, ac deinde sequatur *firmamentum pulchritudo ejus est*, hoc est, firmamentum est pulchritudo ipsius altitudinis, quia ipsam altitudinem exornat. Verum hæc durior et obscurior est trajectio et interpretatio. Plane enim Noster videtur aliter legisse in Græco vel Hebræo, quam jam sit in Græco : nam omittit τὸ καθαριότητος, et illius loco substituit τὸ *ejus*. Rursum si ita legisset uti jam habent Græca, clare vertisset : *Gloria altitudinis est firmamentum munditiæ;* quorsum enim verba Græca tam ordinata et clara invertisset et obscurasset, vertendo : *Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est*; videtur ergo ipse in Græco sic legisse : ὕψους στερέωμα γαυρίαμα αὐτοῦ ἐστι, id est : *Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est;* quæ lectio sensum, quem secundo loco dedi, exposcit. Unde explicans subdit :

SPECIES COELI IN VISIONE GLORIÆ, — *q. d.* Species et pulchritudo firmamenti, quæ est species et pulchritudo totius cœli et mundi, est id in quo videtur gloria tum ipsius cœli, tum Dei, qui auctor et creator est cœli. Est hypallage invertens ordinem; recto enim ordine dicendum fuisset : *Visio gloriæ Dei est in specie cœli.* Huc pertinet expositio Palacii : Species cœli, inquit, est in visione gloriæ, id est, species cœli est visio gloriæ, hoc est, perinde est ac si gloriam videres. Sic dicitur *Psal.* LXXV : « Factus est in pace locus ejus, » id est pax est locus ejus. Hinc cœlum græce dicitur οὐρανὸς ab ὁρᾶσθαι, id est videri, quod oculorum visioni expositum sit, ait S. Basilius hom. 8 *Hexaem.*, aut quod visioni et visui sit pervium; vel, ut Aristoteles (sive Apuleius, ut alii

Cœli etyma.

volunt), lib. *De Mundo*, dicitur, οὐρανος, quasi ὅρος τῶν ἄνω, id est terminus supremorum corporum. Idem dicitur ὅλυμπος, quasi ὁλολαμπὴς, id est totus lucens. Lux enim et splendor est gloria cœli, quæ visum ad se rapit et oblectat. Aristoteli consentit Philo, lib. *De Mundo*; latine vero dicitur cœlum quasi cælatum, quod sigillis sit signatum et quasi sculptum, ait Sipontinus. Nam « species cœli gloria stellarum, » ait Siracides, vers. 10, aut proprie « visio; » hebraice מראה *mare*, sæpe metonymice significat ipsum objectum, puta rem visam aut visibilem, *q. d.* Species et decor cœli cernitur in visibili gloria, quam cœlum ostentat, puta in spectabili ostensione fulgoris et stellarum, ipsaque est *spectaculum cœli magnificum*, ut vertit Tigurina. Sic Jansenius : Per appositionem, inquit, jungitur « species cœli » cum « firmamentum, » ut sit sensus : Firmamentum, hoc est species cœli, in visione gloriæ, hoc est, habens aspectum gloriosum et præclarum; hæc, inquam, species et forma cœli est pulchritudo et gloria altitudinis.

Mystice cœlum est ipse Deus.

Metonymice et mystice, pulchritudo cœli, sive species et gloria firmamenti, repræsentat pulchritudinem, speciem et gloriam Dei, qui quasi cœlum increatum inhabitat cœlum creatum; ideoque cœli creati gloria et majestas tantum est umbra gloriæ et majestatis increatæ et immensæ SS. Trinitatis : hujus enim solium et thronus est cœlum; hujus pariter symbolum est unum, verum sive pulchrum, et bonum. Unum enim appropriatur Deo Patri, qui unus et primus est fons SS. Trinitatis : verum sive pulchrum Deo Filio, qui est « splendor gloriæ et figura substantiæ » Patris, *Hebr.* I, bonum Spiritui Sancto, qui est bonitas, amor et nexus Patris et Filii. Similiter Plato hæc tria unum, bonum, pulchrum explicat et conternat. Ipse enim, in Menone, Protagora et Alcibiade ita pulchrum definit : « Pulchritudo est vitalis fulgor ex ipso bono manans per ideas, rationes, semina et umbras effusus, animos excitans ut per bonum in unum redigantur. » Plato enim unum, bonum et pulchrum ita juncta esse censuit, ut unum sine altero reperiri non posse existimaverit. Deum dixit esse ipsum unum, ipsum bonum, ipsum pulchrum : hæc enim in Deo sunt ipsemet Deus : unum, est tanquam caput; bonum, essentia et finis : pulchrum, est splendor inde fulgens : Deus, ut unus, omnia dulcissime nectit; ut bonus, cuncta procreat ac perficit; ut pulcher, excitat, invitat et allicit. Pulchritudo, cum sit splendor, admirationem excitat : ideo Deus, ut pulcher, admirationem, amorem et desiderium parit; ut bonus, desideria explet, amoremque perficit; ut unus, cuncta eminentissime, quamvis apud nos pugnantia, felicissime ligat. Deus est ea eminentissima trinitas unius boni et pulchri, tanquam origo et principium : mens vero et singulæ ejus ideæ sunt tales per propriam formam; anima per rationes; natura per semina; demum umbræ in materia per imitationem et participationem. Primum ergo pulchrum absolute est ipse Deus, a quo suam pulchritudinem haurit angelus et homo, cœlum et terra, ceu radius a sole. Hominis autem pulchritudo sita est in mente, puta in sapientia et virtute : vestigium vero et umbra vel imago ejus resplendet in decore corporis, qui maxime decet reges et principes. Hi enim sunt Dei in terris vicarii et simulacra, ac velut dii quidam terreni.

Pulchrum corpus indicat pulchram mentem.

Quocirca Socrates, in *Phædro* Platonis, ait bonam corporis figuram bonæ mentis argumentum esse, aut certe adjumentum. S. Ambrosius, II *De Virg.* : « Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis. » Et anonymus in elegantissimo ad Constantinum *Panegyr.* : « Non frustra, inquit, doctissimi viri dicunt naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, et ex vultu hominis ac decore membrorum colligi posse, quatenus illo cœlestis spiritus intrarit habitator. » Eadem habet Latinus Pacatus, in *Paneg. ad Theodos.*, post quæ subdit : « Virtus tua meruit imperium; sed virtuti addidit forma suffragium; illa præstitit ut oporteret te principem fieri, hæc ut deceret. » Eodem spectat illud Porphyrii ex Euripide : « Priami species digna imperio. » Et Plinii, in *Panegyr. ad Trajanum* : « Jam, inquit, proceritas corporis, jam honor capitis, et dignitas oris longe lateque principem ostentat. » Sic et Claudianus, *De Stilicone* :

> Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibas,
> Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris,
> Membrorumque modus.

Allegorice est Ecclesia.

Allegorice, firmamentum repræsentat Ecclesiam in petra fundatam a Christo. Ita Rabanus : « Pulchritudo firmamenti, inquit, per claritatem siderum potentiam ostendit Creatoris; sed multiplicius decor Ecclesiæ in virtutibus et miraculis Sanctorum excellentiam manifestat Redemptoris, quia ipse solus æternus splendore suo illustrat credentes, et ardore judicii sui puniet peccatores. » Hinc cœli sunt Apostoli, qui enarrant gloriam Dei, *Psal.* XVIII, 1. Et celsus a cœlo dicitur, quasi sublimis et cœlestis, ait Isidorus, lib. X *Origin.*

Anagogice est cœlum empyreum.

Anagogice, firmamentum repræsentat cœlum empyreum; quot enim stellis firmamentum, tot Sanctis Sanctorumque dotibus et aureolis resplendet cœlum empyreum, juxta illud *Dan.* XII : « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Et I *Corinth.* XV, 41 : « Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum. » Huc ergo oculos mentis et corporis nostri, avulsos a terra, jugiter convertamus ac defigamus oportet, ut cum S. Ignatio de Loyola crebro cœlum suspiciente dicamus et suspiremus : « Quam sordet mihi terra, cum cœlum aspicio! »

Cœlum spectanti sordet terra. Exempla.

et cum Fulgentio contemplante splendorem et pompam aulæ Romanæ : « Si sic fulget Roma terrestris, quomodo fulgebit Jerusalem cœlestis? » Ita sancta Machabæorum mater animans filium ad martyrium : « Peto, inquit, nate, ut aspicias ad cœlum, etc. Ita fiet ut non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam, » II *Machab.* VII, 28. Sic pariter mater S. Symphoriani eum animavit ad martyrium, ei inclamans : « Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice, et ibi regnantem intuere; tibi enim vita non eripitur, sed immutatur in melius. » Quocirca adolescens, fortiter Jesu Christi causa carnifici cervices præbens, nobilem martyrii agonem obiit Augustoduni, die 22 augusti, quo die Ecclesia ejus memoriam quotannis redivivam celebrat.

Porro Tigurina hunc versum primum nectens cum secundo, censet hæc omnia esse elogia, non firmamenti, sed solis. Sic enim vertit : *Ornamentum altitudinis puritatisque firmamentum, ac spectaculum cœli magnificum est sol lucem annuntians*, etc. *q. d.* Sol est ornamentum altissimi cœli, et firmamentum ac fundamentum purissimæ lucis, atque spectaculum cœli magnificum. Verum cæteri omnes hæc accipiunt de firmamento sive cœlo stellato, non de sole : de sole enim sequitur. Libet hic exclamare cum magno sanctoque Boetio, lib. II *De Consolat.* in fine :

> O felix hominum genus,
> Si vestros animos amor,
> Quo cœlum regitur, regat !

Symbolice, S. Bernardus per firmamentum accipit B. Virginem; sic enim ait serm. 3 *in Salve regina* : « Fiat, inquit, firmamentum, et dividat aquas ab aquis; omnibus firmamentis firmius firmamentum tu domina; quæ eum quem cœli cœlorum capere non poterant, cepisti et concepisti, portasti et non defecisti, genuisti, aluisti, educasti. Tu in medio aquarum divisisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium. Posuit in hoc firmamento Deus solem et lunam, Christum et Ecclesiam; et stellas, prærogativas gratiarum multas. » Et paulo post : « Ipsa tabernaculum Dei, ipsa templum, ipsa cœlum, ipsa terra, ipsa sol, ipsa luna et stella matutina. »

Symbolice, cœlum pulchritudine sua omnes recreans, et influxu motuque suo omnia vivificans et fecundans, notat magnos et magnificos debere esse summe in omnes beneficos. Idipsum apposito cœli et terræ apologo, bellis gnomis velut cœlum stellis cælato et oculato, repræsentat Cyrillus, lib. III *Apolog. moral.* cap. XXI, cui titulus : *Quod liberalis omnibus quibus potest, donet* : « Aspiciens terra, inquit, quod primum mobile præter ipsam, divino motu omnibus communicato, cuncta secum visibilia raperet; locuta est ei dicens : Ut quid inquietas omnia? cur tibi non sufficis, motum tuum influere tantum uni? At ipsum respondens desuper dixit : Bene locuta es sicut terra, obscura dementia, tenacitate arida, cupiditate perpetuo sitibunda. Non attendis quod meum inquietare sit volitare, meum movere sit clarificare, ac meum rapere sit liberalissime donare? Omnibus enim quæ mecum moventur meam naturam communico, virtutem impendo, causalitatem distribuo : quod si forte uni vel paucis superabundans meum beneficium illiberaliter impertiri voluisti, tunc certe mihi, haud aliis, crudeliter invidisti. Considera, quæso, quod sicut universum recipit, sic universalis virtus communiter agit. Igitur quemadmodum vera justitia, ita et beneficentia libera ad omnes derivatur. » Idem deinde exemplo solis, hepatis et cerebri commonstrat : « Sic liberalissimo radio cuncta Titan respersit, nec unquam effusionis suæ splendoris terminos coarctavit. Hepar universis membris sanguinem cibalem distribuit, et cor vitalem vaporem per totum corpus diffundit. Cerebrum cunctis etiam membris sensum influit, et totum corpus sibi subditum anima vivum facit. Igitur qui liberaliter donat, quibus potest accommodat : quia non est personarum acceptor, sed communis beneficiorum largitor. Quibus auditis, verecunda terra obmutuit. »

Apologus beneficii.

Similia.

SOL.

2. SOL IN ASPECTU ANNUNTIANS IN EXITU, VAS ADMIRABILE, OPUS EXCELSI. — Arabicus : *Creavit solem, ut eo illuminentur, et glorificent eum patres* (est exclamatio)! *Admiratio, ars Excelsi;* Tigurina : *Sol lucem annuntians, cum emergit machina admiranda, opus Altissimi.* Syrus hæc refert ad cœlum sive firmamentum, de quo vers. 1; vertit enim : *Fecit cœlum ad videndum, et ad glorificandum, vas admirationis, opus Excelsi.* A firmamento transit ad solem, quasi primarium et magnificentissimum Dei opus. Participium *annuntians* pendet ex verbo *exurit*, vers. seq. Sed quid annuntiat sol? Respondet Jansenius, gloriam Dei; hanc enim subaudiri. Unde pro ἐν ἐξόδῳ, id est *in exitu*, Complutensia legunt ἐν ἐνδόξῳ, id est *in glorioso, q. d.* Sol annuntiat gloriosam summamque Dei gloriam; verum simplicius per Hebraismum sic exponas : *Sol in aspectu*, id est aspectum *annuntians;* Hebræi enim verba contactus tam mentalis, quale est annuntio, quam corporalis construunt cum ב, id est *in*, et ablativo. Sic dicunt : Credo in Deo, id est credo Deo. Jam per aspectum intelligit lucem et radios : hisce enim sol aspicit et illustrat terram. Sensus ergo est, *q. d.* Sol aspectum, id est lucem, auroram et diem, hoc est tempus operandi, annuntiat *in exitu*, id est in egressu et ortu suo. Ita Vatablus : *Sol*, inquit, *lucem enuntians, cum emergit.* Vers. 2.

Aut, quod eodem redit, *q. d.* « Sol in aspectu

suo, » id est in ortu suo quo incipit sua luce aspicere terram, « annuntiat in exitu, » id est exitum sive egressum et ortum suum, puta auroram. Tunc enim sol auricomus exoriens, et instar sponsi decore procedens ostendendo suam speciem, quasi salutat homines omnesque creaturas, eisque bene precatur tacite dicendo : Salvete, mortales, bonum diem vobis precor. En discussis noctis tenebris, vobis exorior; en vobis affero lucem, lætitiam et vitam. Surgite ergo, evigilate mecum. Flores, florete; frondes, frondete; arbores, fructificate; aves, canite Deo laudem; animalia, exite ad pascua; homines properent ad sua opera, juxta illud *Psalm.* CIII, 22 : « Ortus est sol et congregati sunt, etc. Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam. » *Exitus* ergo hic non occasum (ut vult Palacius, *q. d.* Sol in occasu suo annuntiat serenum, aut ventos, aut pluvias; hæc enim ex solis occasu cognoscuntur), sed ortum solis significat : hunc enim Hebræi vocant מוצה *motsa,* id est exitum sive egressum, juxta illud, *Psal.* XVIII, 6 : « Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus. »

In ortu enim et aurora sol apparet pulcherrimus instar sponsi, aurea purpureaque radiorum corona redimiti. Unde a Poetis vocatur ῥοδοδάκτυλος, id est roseos habens digitos, aureus, auricomus, flammeus, igneus. Ita Virgilius, *Æneid.* VII :

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Et lib. VIII :

Qualis ubi Occani perfusus lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit.

Tria nomina Solis.

Nota : Sol, hebraice, tria habet nomina. *Primo* enim vocatur שמש *scemes*, id est minister, a radice שמש *scamas,* id est ministravit, eo quod lucem omnibus administret, quodque a Deo statutus sit universalis minister lucis, per quam cuncta fovet, vegetat, fecundat.

Secundo, vocatur חמה *chamma*, a calore, quod omnia calefaciat, itaque vivificet : חמם *chamam* enim est calefacere.

Tertio, vocatur חרס *cheres*, ab ariditate et exsiccatione, quam calore æstuque suo efficit : *cheres* enim vocatur testa sicca et arida. Hinc de sole ait Ecclesiasticus hoc capite, vers. 3 : « In meridie exurens terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? » In sole ergo tria sunt admiranda : nimirum summa lux, summus calor, summa velocitas. Unde S. Ambrosius, IV *Hexaem.* 1 : « Sol, ait, oculus est mundi, jucunditas terræ, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ. »

Mystice noster Pineda; *in Job* cap. XXXVI, 33, ad illud : « Annuntiat de ea (luce) amico suo, quod possessio ejus sit. » Sicut Sapiens, inquit, scripsit : « Sol in aspectu annuntians in exitu. » Quid annuntiat exoriens Sol? Quidam putant annuntiari ab illo lucem; sed frigide : quid enim annuntiari indiget quod videtur? Illud verius, annuntiare gloriam Dei, quam cœli quoque enarrant. Sed quid existimas annuntiari a sole exoriente Dei gloriam, quam esse illum dominum et regem gloriæ? id est, in solis imagine et lucis splendore annuntiare Deum suis amicis, lucem ipsam esse Dei possessionem atque thesauros.

Sol est imago Dei.

VAS ADMIRABILE, OPUS EXCELSI. — Dionysius, cap. IV *De Divin. nomin.*, ait « solem esse significativam, expressam et evidentem divinitatis et divinæ bonitatis imaginem. » Sicut sol, sic longe potius Deus, inquit, « omnia illustrat, efficit, vivificat, continet, perficit, estque eorum quæ sunt, et mensura, et æternitas, et numerus, et ordo, et complexus, et causa, et finis. » Et paucis interjectis : « Clara, inquit, expressaque divinitatis imago est magnus hic sol, totus lucens ac semper splendidus; omnibus etiam quæ ejus lucem capere possunt collucet, habetque lumen per omnia diffusum sursum et deorsum, ac si quid est quod eo non participet, id ejus luminis tenuitati aut parvitati non est tribuendum, sed iis quæ, quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. Itaque illius radius immensa splendoris magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit, auget, absolvit, purgat, renovat; ac lumen mensura est atque numerus horarum, dierum, totiusque nostri temporis; colligit convertitque ad se omnia, quæ videntur, quæ moriuntur, quæ illustrantur, quæ calescunt, et uno nomine ea quæ ab ejus splendore continentur : itaque ἥλιος, id est sol, dicitur, quod omnia ἀολλέα ποιεῖ, id est, congreget colligatque dispersa eaque omnia eum expetunt quæ sensu percipiuntur, aut quod cernere cupiant, aut sentire, illustrari, calescere omninoque contineri a lumine. »

Est ergo sol « vas admirabile, opus Excelsi, » quia Deum non tantum clare repræsentat, sed divinitatis ejus thesauros in omnes terræ creaturas liberaliter effundit et dispertit.

Nota τὸ *vas.* Manichæi enim censuerunt solem esse quasi vas et navim, uti mox ostendam; verum sol dicitur « vas, » non quod habeat formam vasis aut navis, sed « vas, » id est instrumentum, organum. Sic enim Hebræi vocant כלי *kele,* id est *vasa,* hoc est instrumenta « belli; » sic Simeon et Levi vocantur « vasa, » id est instrumenta, « iniquitatis, » *Genes.* cap. XLIX, vers. 5; et S. Paulus vocatur « vas electionis, » id est instrumentum electum ad prædicandum, *Actor.* IX. Adde solem habere formam vasis rotundi, sive globi sphærici, qui quasi vas intra se continet vires rerum inferiorum, ait Palacius. Sensus ergo est, *q. d.* Sol est vas, id est organum et instrumentum Dei admirabile, adeoque opus excelsum dignum Deo excelso, ejusque majestate et magnificentia.

Sol vas admirabile. Primo

Idque *primo*, unitate : sol enim unicus est in mundo, quasi lucis arbiter et monarcha orbis, adeoque phœnix sæculorum : phœnix enim non est aliud quam sol, uti ostendi in Genesi. Hinc sol est symbolum Dei unius et solius, adeoque pulcherrimum Dei simulacrum, « quem, quia respicit omnia solus, verum possis dicere solem. » Unde et sol dicitur, eo quod solus ex omnibus sideribus sit tantus, vel quod solus, cum est exortus, obscuratis omnibus aliis appareat, ut ait Cicero, lib. II *De Nat. deorum*.

Secundo.

Secundo, puritate et splendore : quia sol non videtur esse aliud quam tota puritas, tota lux et claritas. Hinc omnium astrorum est dux et princeps. Unde Secundus Philosophus, interrogatus ab Hadriano imperatore : « Quid est sol? » respondit : « Cœli oculus, splendor sine occasu, diei ornatus, horarum distributor. » Et Alcuinus sive Albinus Flaccus, *Disput.* cum Pipino Caroli Magni filio : « Quid, inquit, est sol? splendor orbis, cœli pulchritudo, naturæ gratia, honor diei, horarum distributor. »

Tertio.

Tertio, magnitudine : quia sol centies et sexagies major est terra; unde 160 globos terræ in se caperet et complecteretur. Alii censent solem longe esse majorem. Audivi Romæ insignem mathematicum, qui asserebat solem octingenties majorem esse globo terræ, idque se certo per dioptras et instrumenta mathematica deprehendisse.

Quarto.

Quarto, altitudine : firmamentum enim distat a terra octoginta millionibus milliarium cum dimidio; inter firmamentum autem et solem tantum interjacent Saturnus, Jupiter et Mars. Cogita ergo quanta sit Solis altitudo, nimirum ut minimum sol a terra distet quatuor millionibus milliarium, ut ostendi *Genes.* I, 16.

Quinto.

Quinto, situ : situs est enim in medio planetarum, quasi rex omnes illuminans et dirigens. Unde Statius, lib. V :

> Sol operum medius summo librabat Olympo
> Lucentes, ceu staret, equos.

Moderni mathematici per tubum opticum deprehenderunt Mercurium et Venerem, quin et Martem, circa solem moveri et gyrari, ac quasi choream et triadem circa eum agere.

Sexto.

Sexto, motu et velocitate : quia sol quotidie 24 horis percurrit ambitum sui orbis, totiusque cœli vastissimi, ab Oriente per Meridiem in Occasum et Septentrionem.

Septimo.

Septimo, gyro : quia gyrat per omnes plagas mundi, ut omnes provincias, gentes, resque cæteras illuminet. Unde Virgilius, IV *Æneid.* :

> Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.

Octavo.

Octavo, efficacia : quia sol omnibus dat vigorem, motum et vitam. Unde illud Aristotelis : « Sol et homo generant hominem. » Ideoque abeunte sole per noctem et hiemem omnia flaccescunt, torpescunt, infirmantur et moriuntur.

Nono.

Nono, calore, qui tantus est, ut zonam torridam exurat; unde sol est imago SS. Trinitatis. Sicut enim sol ex se producit splendorem, et per eum calorem; sic Pater producit Filium qui est splendor Patris, *Hebr.* I, et per Filium producit Spiritum Sanctum, qui est calor et amor Patris et Filii.

Decimo.

Denique sole nihil in hoc aspectabili mundo est vel ad speciem pulchrius, vel ad rerum gignendarum commoditatem fecundius : qui vitalem vim ac salutarem stirpibus et animantibus communicat : qui hoc est in æthere, quod in animali cor : qui vices temporum, annumque novo semper flore redeuntem ex usu naturæ temperat, ejusque partes ita dividit, ut inter se non secus atque in choro nectantur : cujus vis et potestas motus reliquorum luminum constituta dimensione moderatur : qui longe lateque diffuso splendore supera omnia atque infera, et ipsos stellarum ignes collustrat : cujus influxus in abditissimos usque recessus penetrat, et terræ viscera irrorat, et aurum ac gemmas progignit : qui ut gigas summa celeritate cursum conficit, ut sponsus aspectus sui gratia omnia decorat : qui est veluti cor universi, mundi oculus, jucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia : quem denique Deus quasi pulcherrimum sui simulacrum in cœlo constituit.

Cor universi.

Unde Anastasius Sinaita, lib. I *Hexaem.*, Græcum ἥλιος, id est, *sol*, derivat ab Hebræo עליון *elion*, id est *altissimus*, qualis est Deus, quod sol altissimus sit, et Dei majestatem oculis corporeis suo splendore, calore et virtute repræsentet. « Sol » vero Latinis dicitur a « solus, quod solus ex omnibus sideribus sit tantus (scilicet centies et sexagies major globo terræ), vel quod solus, cum est exortus, obscuratis omnibus aliis apparet, » inquit Cicero, lib. II *De Natura deorum*. Hinc Persæ aliæque gentes solem coluerunt ut Deum, ac Manichæi censuerunt solem esse Christum. Varro vero, lib. IV *De lingua latina* : « Sol dictus, inquit, quod solum ita lucet, ut ex eo dies sit; luna, quod sola lucet noctu; itaque dicta Noctiluca, cui templum erat in palatio. » Verius Psaltes, *Psal.* XVIII, 6 : « In sole, inquit, posuit tabernaculum suum; » Chaldæus : « Soli posuit tabernaculum suum illuminationem in illis, » *q. d.* Deus in sole thronum claritatis suæ collocavit, ut inde fulgoris sui radios quaquaversum vibraret. Hinc prisci Gentium Theologi, ut Jamblicus et Macrobius, lib. I *Saturn.* cap. XXVII et XXX, omnia Gentilium numina in sole constituerunt. Denique sol est symbolum æternitatis, justitiæ et veritatis; unde illud Pythagoræ : « Contra solem (id est veritatem) ne loquaris. » Et Orpheus solem vocat oculum justitiæ : ac judices in Bithynia tribunal soli exponebant, quasi solis instar sincerissime judicaturi. Ita nostri Conimbric., lib. II *De Cœlo*, cap. V, Quæst. II, art. 2.

Plura de Solis encomiis vide apud Plutarchum, lib. *De Doctr. principum*, Macrobium, lib. I *Saturnal.* a cap. XVII ad XXIII, S. Ambrosium, lib. IV *Hexaem.* cap. I, S. Dionysium, *De Divin. nomin.* cap. IV, S. Gregorium Nazianzenum, orat. *De nova Dominica*, et orat. 2 *De Theolog.*, Eugubinum, in sua *Cosmopol.* cap. I *in Genes.* Hieroglyphica solis recenset Pierius, *hierogl.* 44. Ob hasce solis dotes tam eximias S. Franciscus composuit hymnum, quem ipse vocavit Solis, ad laudandum in sole Deum ejus opificem, quem quotidie a suis recitari voluit. Composuit eum accepta revelatione de sua prædestinatione et electione ad gloriam, in gratiarum actionem, puta biennio ante mortem, paulo post impressa sibi a Christo quinque vulnerum stigmata. Unde et moriens eumdem sibi præcini voluit. Hymnus sic habet : « Altissime, omnipotens, bone Domine, tuæ sunt laudes; gloria, honor, et omnis benedictio tibi soli referendæ sunt, et nullus homo dignus est te nominare. Lauderis, Domine Deus meus, propter omnes creaturas tuas, et specialiter propter honorabilem fratrem nostrum solem, qui diescere facit, et nos illuminat per lucem; pulcher est et radians, et magni splendoris, tuique, Domine, symbolum præfert. Laudetur Dominus meus propter sororem lunam, et stellas, quas in cœlo creavit claras et bellas. Laudetur Dominus meus propter fratrem ventum, aerem, nubes, serenitatem, et propter omnia tempora per quæ omnibus creaturis ministrat alimentum. Laudetur Dominus meus propter sororem aquam, quæ est multum utilis, humilis, pretiosa et casta. Laudetur Dominus meus propter fratrem ignem, per quem noctem illuminat; roseus est, rutilus, invictus et acer. Laudetur Dominus meus propter nostram matrem terram, quæ nos sustentat et alit, producitque varios fructus, varicolores flores et herbas. » Ita Waddingus, in *Annalibus Minorum*, anno Christi 1224, n. 32, qui et addit S. Franciscum recitato per suos hoc hymno coram Senensibus, eorum grave dissidium sedasse.

Hymnus S. Francisci.

Alleg. firmamentum est Ecclesia, sol Christus, luna B. Virgo, stellæ sunt Sancti. Ita Rabanus, nimirum :

Micat inter omnes
Virginis sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Vide dicta *Genes.* I, 14. Hinc de Christo dicitur, *Malach.* IV, 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. » Vide ibi dicta, et *Isaiæ* XLV, 1.

Porro facile est omnes dotes solis, quas jam recensui, mystice Christo accommodare. Præclare B. Damascenus, serm. *De Transfigur.*, quærit cur Christi facies in ea resplenduerit sicut sol; ac respondet quod sol expressum gerat typum Christi. Sicut enim in sole sunt duo, scilicet lux et corpus, sic in Christo est Verbum et caro, sive deitas et humanitas. Rursum sicut lux prior fuit sole, id est corpore solari, nam creata est die primo mundi, sol autem die quarto; sic deitas prior fuit humanitate. *Tertio*, sicut lux solis indefinita et incircumscripta est, corpus vero definitum et circumscriptum : sic et deitas in Christo immensa est, humanitas verò corporis loci quì terminis circumscripta; sicut ergo lux induit corpus solare, illudque lucidissimum reddit : sic Verbum induit carnem, illamque omni gratia et sapientia radiantissimam effecit. Adde : sicut sol omnia lucida facit, læta, vegeta et vivida; sic et Christus. Unde de eo ait Psaltes, *Psalm.* XVIII : « Non est qui se abscondat a calore ejus. » Plura de sole, qua typus est Christi, dixi *Apocal.* cap. I, 16. Hinc Christus apparuit S. Lutgardi non quasi unus sol, sed quasi mille soles. Audi Thomam Cantipratanum, *in Vita ejus*, apud Surium, 16 Junii : « Interroganti cuidam amico spiritali, cujusmodi Christi faciem in contemplatione videret, respondit : In momento apparet mihi splendor inæstimabilis, et instar fulguris video ineffabilem ejus glorificationis pulchritudinem, quæ nisi raptim subduceretur aspectu contemplationis meæ, mortalis vitæ hujus imbecillitas eam ferre nullo modo posset. Post eum autem fulgorem manet splendor intellectualis, et cum illo quæro eum, quem raptim videram, sed non invenio. Itaque dicebat oculos Christi tam ineffabili coruscare splendore, ut si splendor ille solis lumini infunderetur, in infinitum amplius ille solem obscuraret, quam solis radii stellarum lumen obtegant. Religiosus quidam sacerdos scire cupiebat quid sibi vellent ea verba : Pulchriores sunt oculi ejus vino. Vidit ergo in sancto calice, divina mysteria celebrans, Christi faciem, ejusque oculos tanto lumine radiantes, ut mundum universum, etiam in mediis tenebris, longe uberius quam vel mille soles possent illustrare. Nec facile credi posset quantum arserit Lutgardis Christum videndi desiderio. » Hucusque Cantipratanus omnium secretorum S. Lutgardis conscius et administer.

Sol typus Christi. Primo. Secundo. Tertio.

A Christo Sancti eximii participant, ut sint et vocentur Soles; quia ut soles sua sapientia et sanctitate illuminant et accendunt homines mundanos, ideoque ut soles cæteris Sanctis præfulgebunt, juxta illud Christi : « Fulgebunt justi sicut sol. » Hi ergo sunt soles soli, sali et cœli, ut de quolibet eorum dici possit : « Hoc est vas admirabile opus Excelsi; » quia excelsa Dei amore et gratia heroice superat tam agendo, quam patiendo. Sic S. Paulus fuit vas electionis Dei excelsi, *Actor.* IX. Christum tuum imitare, o Christiane, esto sol mundi instar S. Pauli : sol in templo, sol in platea, sol in schola, sol in foro, sol in mensa, sol in cubiculo, ubique vibrans radios virtutis tuæ. Ita S. Remigius, luce cœlesti instar solis ipsi incumbente, designatus est Episcopus Rhemensis, teste Hincmaro, in ejus Vita. S. Columbani mater, ex eo gravida, in somnis vidit a

Quarto, et sanctorum.

sinu suo rutilantem solem, nimioque fulgore micantem procedere, et mundo ingens lumen præbere, quod viri sapientes interpretati sunt, Columbanum sua doctrina et sanctitate illustraturum orbem. Hoc est quod canit Debbora, *Judic.* v: « Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. » Ita Jonas Abbas, in *Vita S. Columbani*, cap. II, exstat apud Surium, die 21 novembris.

Et B. Virginis.

Sed præ omnibus et super omnes vas Dei admirabile fuit B. Virgo. Audi S. Bonaventuram, *In Speculo* Virginis, cap. VII : « Maria, inquit, plena fuit resultatione, sive expressione divinæ gloriæ, juxta illud Ecclesiastici : Gloria Domini plenum est opus ejus. Antonomastice opus Domini mirabile est Maria, de qua dicitur in Ecclesiastico : Vas admirabile, opus Excelsi. Vere opus mirabile, quia nusquam invenitur simile. Unde de hoc dicitur : Non est factum tale opus in universis regnis, non in regno cœlestium, nec terrestrium, nec infernorum. Hoc enim opus plenum est Dominica gloria, quia supra omnem puram creaturam resultat et relucet plenissime in Maria. Nam præter assumptam a Verbo naturam nullum est opus, nulla creatura, in qua tanta divinæ gloriæ materia reluceat, sicut in Maria. » Et infra : « Plena est omnis terra gloria ejus, sicuti dicitur in Isaia : Plena est tota Maria, relucente in se plenissime divina gloria. » Hæc ille. Hinc et Christus S. Brigittæ fassus est dicens : « Mater mea est esca dulcissima, qua homines ad me traho. »

3. IN MERIDIANO (tempore) EXURIT TERRAM, ET IN CONSPECTU ARDORIS EJUS QUIS POTERIT SUSTINERE? — *q. d.* Sol in meridie, præsertim tempore æstivo, calefacit et exurit terram, adeo ut ardorem ejus vix ullus ferre et sustinere queat. Græce est: *In meridie ejus arefacit terram, et in conspectu* (id est conspectum) *ardoris ejus quis sustinebit?* Tigurina : *Cum is meridianus torret regiones, quis æstum ipsius sustineat?* Syrus : *In meridie urit terram, et coram ardore ejus quis potest stare?*

Ad litteram hoc est ænigma solis, mystice charitatis. Sol enim symbolum est ardentis charitatis et grandis beneficentiæ, quia suis radiis omnia calefacit et inflammat. Habet hac de re insignem apologum solis et noctis Cyrillus, lib. III *Apolog. moral.* cap. XXII, cui titulus : *Quod liberalis granditer donet* : « Ad solis præsentiam, inquit, facta die cum nox totaliter fuisset exclusa, statim ei lamentabiliter dixit : Ut quid tantam claræ lucis copiam effudisti, et me ex toto orbe habitabili propulsasti? Nonne sufficiebat te lumen ad visionis necessitatem profudisse? cui ille respondit : Nimirum infrigidativa es corporis, ac pectoris constrictiva, et propter hoc loqueris ut avara. Quid est virtus? nonne ultimum potentiæ a Philosophis definitur? Unde qui infra potestatis validitatem agit, nondum virtualiter egisse convincitur. Quare qui non quantum potuit, benefecit, aberrans a virtute defecit. Cæterum quid est aliud liberalitas, quam liberæ beneficentiæ magna voluntas? Homo nimirum deficientior est, si donat minus quam potest; voluntatis enim evidens signum est, beneficium traditum. In muneribus igitur largiendis non suscipientis attendenda est dignitas, sed donantis, quoniam in beneficiis virtus attenditur, non persona. » Profert deinde exemplum utriusque : liberalitatis Alexandrum, illiberalitatis Antigonum : « Antigonus cuidam talentum petenti illiberaliter denegavit; quia avaritiam suam indignitate Philosophi pallians : Plus, inquiebat, est quam tibi dari conveniat. At non sic Alexander Macedo, dum argueretur quod nimis ultra quam satis esset cuidam dedisset; mox liberaliter respondit, nimirum : Non aspexi personæ dignitatem, sed ad regalis munificentiæ granditatem. » Denique exemplar beneficentiæ Deum, liberalissimum in se suisque creaturis, præsertim in anima, bombyce et phœnice omnibus imitandum proponit : « Attende ad primarium liberalitatis fontem, unde bonitatis omnis vena trahitur; quantum realitatis mundo tribuit? quantæ pulchritudinis firmamentum fecit? et quantum in eo posuit splendoris? Numquid in universo reliquit aliquod punctum bonitatis suæ beneficio vacuum? Sic utique anima liberaliter agens, subjecto corpori tantum quantum potuit, tribuit. Sic liberalis vermiculus viscera propria in beneficium cuncta dedit. Sic largissima phœnix in generatione alterius, totam in seminarium pulverem semetipsam effundit. Vere igitur liberalitatis beneficium non est carum, sed carius; nec est majus, sed maximum; neque tantum, sed totum bonum. Quo dicto, magister veritatis quievit. »

Exempla.

Exemplar Dei.

Apologus charitatis.

4. FORNACEM CUSTODIENS IN OPERIBUS ARDORIS, TRIPLICITER SOL EXURENS MONTES. — Pro *custodiens*, græce legit φυλάσσων; jam legunt φυσῶν, id est *insufflans*; sed eodem redit sensus. Qui enim fornacem accensam vult servare et custodire, hic necesse est ut in eam sæpius insufflet, ac insufflando ardorem ejus excitet et acuat. Subaudienda hic est nota similitudinis « sicut, sic; » hanc enim sæpe subticent et subaudiunt Hebræi. Comparat enim ardorem solis cum ardore fornacis, et illum huic præfert, *q. d.* Sicut custos qui habet curam fornacis, ut eam accensam conservet ad opera ardoris, v. g. ad lateres ardore ignis coquendos, sæpe in eam insufflando ingentem excitat ardorem; sic pariter, imo « tripliciter, » id est, ut vertit Syrus, triplo magis sol suo ardore exurit terram, ac præsertim montes, quos a summo mane usque in vesperam assidue ignitis radiis ferit et verberat, *q. d.* Sol magis ardet et urit quam fornax, in qua vi ignis conflantur lateres, vitrum aut metella, ut ferrum, æs, stannum, campanæ, tormenta bellica. Sane vidi in montibus Ardennæ fornaces in quibus liquatur ferrum, adeo ardentes, ut speciem ignis inferni mihi repræsentarent; cogita ergo quantus sit ardor solis, qui fornaces omnes æstu superat.

Vers. 4.

Solis ardor similis fornaci.

Porro eum efficit sol, RADIOS IGNEOS EXSUFFLANS; ET REFULGENS RADIIS SUIS OBCÆCAT OCULOS, — « exsufflans, » id est emittens, vibrans, ejaculans. Legit Interpres cum Complutensibus ἐκφυσῶν, id est *exsufflans* : jam Romani legunt ἐμφυσῶν, id est *insufflans*; sed eodem sensu. Dum enim sol ex se emittit et exsufflat igneos radios, eos emittit et insufflat in terram. Pro *obcæcat* græce est ἀμαυροῖ, id est *obfuscat*, *q. d.* Tantus est calor solis, ut exurat montes; tantus vicissim ejus est fulgor, ut obfuscet, obtundat, et quasi occæcet aciem visus humani. Unde Vatablus clare vertit : *Ter tanto magis sol montes excalefacit, quam qui fornacem sufflat urendis operibus, et vaporem igneum exhalans, fulgore radiorum perstringit oculos.* Porro S. Augustinus, lib. II *De Moribus Manichæorum*, cap. VIII : « Sol iste, inquit, cui genu flectitis, quo vere nihil inter visibilia pulchrius invenitur, aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus et tenebrat; sed fit per consuetudinem, ut nos quoque in eo sine incommodo aciem figamus. »

Nota τὸ *tripliciter* : Manichæi enim censebant solem esse vas triangulum, simile navi. Sic et lunam, « quam repleri dixerunt, » inquit S. Augustinus, epist. 119 *ad Januar.*, « sicut repletur navis, ex fugitiva parte diei, cum magna pars diei magnis laboribus de inquinamento purgata, de toto mundo atque omnibus cloacis fugiens, reddetur Deo lugenti. » Idem, lib. XX *Contra Faustum*, cap. VI : « Solem, inquit, navim quamdam esse dicitis, ita non tantum, ut dicitur, toto cœlo erratis, sed et natatis. Deinde cum omnium oculis rotundus effulgeat, eaque illi figura pro sui ordinis positione perfecta sit, vos eum triangulum perhibetis, id est per quamdam triangulam cœli fenestram lucem istam mundo terrisque radiare. Ita fit ut ad istum quidem solem dorsum cervicemque curvetis; non autem ipsum tam clara rotunditate conspicuum, sed nescio quam navim per foramen triangulum micantem atque lucentem, quam confictam cogitatis, adoretis. Quam profecto faber ille non faceret, si, quemadmodum emuntur ligna, quibus navigiorum tabulæ componuntur, sic emerentur et verba, quibus hæreticorum fabulæ confinguntur. » Igitur hoc est eorum delirium.

« Tripliciter » ergo idem est quod multipliciter, aut potius idem quod triplo magis ardet sol quam fornax. Aliter Palacius : Sol, inquit, tripliciter operatur, siquidem exurit montes, igneos torrentes evomit, ac longissime refulget. Cujus rei testis est Ætna mons a solis exustus ardore, igneos amnes velut radios exsufflans, atque ejecta flamma refulgens. Nec Ætna solus, sed et alii montes quos, lib. II, cap. VI, Plinius multos refert. Demum sol radiis suis obcæcat oculos; tanta est illi clarissimæ lucis abundantia, ut nequeant mortales eam oculi non conniventes sustinere.

Mystice, sol exurens montes tripliciter est Spiritus divinus, vel ejus consolatio, quæ, *primo*, memoriam sanctis cogitationibus replet; *secundo*, illuminat intellectum; *tertio*, voluntatem inflammat; claritate autem obcæcat oculos, nam aucta in nobis luce cœlesti, quæ quam parum sciamus et simus, aperit, omnis antea concepta præsumptio evanescit. Ita S. Bonaventura, et ex eo Alvarez de Paz, *De Præconio humilitatis*, cap. VI.

Ex hoc loco et similibus nonnulli veteres, quin et moderni insignes Mathematici censuerunt et censent solem esse igneæ naturæ, adeoque ipsum vere esse ignem et fornacem cœlestem. *Primo*, quia id videtur dicere hoc loco Siracides; *secundo*, quia id videtur arguere ardor ejus, qui tantus est, ut omnem ignis ardorem superet; *tertio*, quia omnis lux, quæ ex se vibrat lumen et radios, est ignis : si enim lux ignis est flamma, ergo pariter lux solis est flamma et ignis; *quarto*, quia id arguere videntur maculæ et faculæ, quæ per tubum opticum assidue in sole volvi et revolvi cernuntur; sicut in fornace flamma cum fumo convolvitur et revolvitur. Qua de causa apposite videtur Siracides solem comparasse fornaci, quia sol non videtur esse aliud quam facularum et flammarum convolutio et revolutio. Unde Syrus vertit : *Vapor ab eo* (sole) *excitatus sicut vapor ignis.* Ob has ergo aliasque rationes multi censuerunt solem et astra esse igneæ naturæ, imo ignes, juxta illud : « Vos æterni ignes, et non violabile numen. » Ita prisci Ægyptii stellas esse ignes autumarunt : Anaximander docuit solem ignem esse purissimum : Anaxagoras solem esse candentem laminam, seu ferrum : Plato, in *Timæo*, necessarium esse docet, quia cœlum visibile est, ex igne constare, saltem potiore sui parte : Stoici item omnes docent sidera esse ignea, pascique et ali vaporibus ex aquis et terra sublatis, et ad se attractis; quod etiam sequitur et tuetur Balbus apud Ciceronem, lib. II *De Natura deorum*, et post eum Plinius, lib. II, cap. IX, Seneca, lib. VII *Natur. quæst.* Similia commemorat etiam Plutarchus, lib. II *De Placit. phil.*, addens, cap. XIII et XX, censuisse Diogenem sidera esse terrea et pumicea, et quasi mundi spiracula : Empedoclem putasse stellas inerrantes crystallo adnexas esse, errantes vero solutas : Xenophontem stellas efformasse e nubibus ignitis, quæ exstinguerentur interdiu, et ad nocturnas tenebras reviviscerent, quasi carbones; itaque ortus etoccasus accensiones et exstinctiones esse; Democritum et Metrodorum solem ferrum saxumve ignitum posuisse : Philolaum Pythagoricum, vitreum : Epicurum, terream densitatem ac montem e pumicea materia. Præcipue vero celebratur a scriptoribus opinio Anaxagoræ, qui, cum lapis ingens colore adusto in Ægos Thraciæ amnem e cœlo decidisset, quem ipse casurum prædixerat, affirmavit cœlum omne ex lapidibus constare; solemque ipsum candens saxum esse. Unde Euripides ejus discipulus, in *Phaetontis tragœdia*, solem auream glebam nominavit. Ejusdem lapidis me-

Multi censent solem esse ignem. Probant Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Auctores.

minit Plutarchus, in *Lysandro*, Damachus in iis quæ de religione scripsit, Plinius, lib. II *Natur. histor.* cap. LVIII.

Sed et S. Augustinus iisdem Stoicorum ac Platonis placitis insistens, pluribus locis indicat cœlum et astra constare natura ignea, ut notavit etiam Magister Sententiarum, lib. II, *dist.* XIV. Namque, lib. *De Genes. ad litteram*, cap. IV, cum Augustinus quatuor tantum agnoscat corpora simplicia, e quibus totus hic mundus coagmentatus est, terram, aquam, aerem et ignem, hunc maxime cœlo assignat.

Et lib. II *De Genesi ad litteram*, cap. III, ait : « Itaque super aerem purus ignis esse dicitur cœlum. Unde etiam sidera atque luminaria facta conjectant, illius videlicet igneæ lucis in eas formas, quas in cœlo cernimus, conglobata dispositaque natura. » Clemens Alexandrinus, lib. VIII *Strom.* : Stoici, inquit, dicunt solem esse ἄναμμα νοερὸν ἐκ θαλαττίων ὑδάτων, id est *esse intelligens vinculum ex aquis marinis*, ut aliqui vertunt ; sed perperam ; vertendum enim est, *esse aliquid accensum ex aquis marinis intellectu præditum;* ἄναμμα enim Græci vocant id quod accensum est. Chrysippus ἔκμμα vocat, quia Stoici censebant sidera marino humore pasci.

Favent eidem sententiæ plerique alii sancti Patres, quicumque aquas supra firmamentum existentes veras aquas, et ad refrigerandum temperandumque ardorem siderum in cœlo positas fuisse tradiderunt. Sed et aperte ipsum totum firmamentum igneæ esse naturæ sensisse videtur Gregorius Nyssenus, in *Hexaem.*, item Alcuinus, *Quæst.* XXIII *in Genes.* I, Anselmus, lib. I *De Imagine mundi*, cap. XXV, et Dionysius Carthusianus, *Enarrat. in Genesin*, art. XX.

Accedit ratio ex visu et intuitu; solem enim et astra non tantum lucida esse, sed etiam flammantis cujusdam et coruscantis naturæ, ex perpetua omnium fere stellarum scintillatione colligi videtur. Idem significat nomen Ætheris, ut de cœlo empyreo taceam, quod ab igne dicitur. Est ergo æther ignis, non elementaris, sed cœlestis. Huc accedunt illi quoque doctores, qui astra censent esse igneæ naturæ, cœlos vero ex aquis conflatos. Ita S. Cyrillus, *catech.* 9, diserte docet « aquam esse cœlum, et igneum in eo solem, et lunam, et sidera. » Idem docet Joseph lib. I *Antiq.* cap. I, Clemens Romanus, lib. II *Recogn.*, Theodoretus, *Quæst.* XI *in Genes.*, Gennadius, Severianus, Venerabilis Beda in *Hexaem.* Solem quoque ignem esse diserte asserit Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. VIII, in fine, S. Basilius, homil. 3 *Hexaem.* S. Ambrosius, lib. II *Hexaem.*, cap. III, Cæsarius, *Quæst.* LXVIII, S. Chrysostomus, homil. 6 *in Genes.* Procopius, in cap. I *Gen.*, Arnobius, lib. II et VIII *Contra Gentes*, Anastasius Sinaita, lib. II *Hexaem.*, Lactantius, lib. II, cap. VI, Alcuinus et Beda, *Quæst.* I *in Genes.*, Isidorus, lib. III *Orig.* cap. XLVIII, Hugo Victorinus, in *Genes.* cap. I. Hinc et Ecclesia in hymno ecclesiastico canit :

> Quarto die qui flammeam
> Solis rotam constituens.

Patrum jam citatorum verba recitat noster Salianus initio tomi I *Annal.*, in quarto mundi die.

Favet etymon Hebræum. Sol enim hebraice vocatur שמש *schemes*, *q. d.* שם אש *schames*, id est, *ibi ignis*, sicut cœli ex aquis conflati vocantur שמים *schamaim*, id est, *ibi aquæ*, uti dixi initio Genesis.

Denique recentiores nonnulli mathematici, qui per dioptras efficacissimas solem solisque figuram studiose multis annis observarunt, asserunt solem esse ignitum, idque colligunt ex maculis et faculis, ut dixi, quas in eo novas et novas conspiciunt, ut aliæ aliis assidue succedant. Idipsum confirmant ex eo quod, esto lumen possit esse sine igne, ut patet in lumine a sole in aere diffuso : tamen lux ipsa, quæ lumen diffundit, ubique videatur cum igne conjuncta, ut patet in luce candelæ, lampadis, ignis, etc. Ergo lux solis pariter est lux ignita, adeoque ignis. Idem colligunt ex effectu : sol enim sua luce et radiis calefacit totum orbem; calefactio autem et calor est propria actio et effectus ignis. Addunt aliqui ex hoc igne cœlesti proditurum ignem quo sub diem judicii conflagrabit mundus, sicut ex cœlo prodierunt aquæ quibus obrutus fuit mundus in diluvio. Quis enim alius ignis ad totum mundum exurendum sufficeret? Hæc illi.

Verum Aristoteles, quem sequuntur passim Philosophi et Theologi, docet cœlum et cœlos non elementa, nec igneæ, sed cœlestis esse naturæ; quam proinde ipse quintam essentiam vocat; ac proinde illos non actu, sed virtute esse calidos, quia vim habent calefaciendi. Vide Conimbricences cæterosque libros de Cœlo.

Allegorice Rabanus : « Sol iste, inquit, qui oritur timentibus Deum in aspectu, hoc est in præsentia incarnationis suæ, evangelizavit regnum Dei, cujus nativitas singularis admirabilis est; quia non ex viri semine, sed ex virtute Omnipotentis Verbum caro factum est. In conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? quia nullus corporalibus oculis divinitatis ejus splendorem potest sufferre. Ideo assumpsit velamen carnis, ut fragilitas hominum splendorem aliquo modo posset sufferre divinum. Hic fornacem custodit in operibus ardoris, quia supplicia præparat peccatoribus gehennæ ignis, tripliciter exurens montes, quando superbos pro cogitatione mala, pro loquela nefanda, pro operatione iniqua æterna excruciat flamma. Radiis suis pravorum excæcat oculos, quando mysticis verbis pro nequitia sua superbientium deludit intellectum, » *Matth.* XIII, 13. Allegorice de Christo.

5. MAGNUS DOMINUS QUI FECIT ILLUM, ET IN SERMONIBUS EJUS FESTINAVIT ITER. — « Festinavit » ac- Vers. 5.

tive capitur pro festinato acceleravit iter, *q. d.* Verbo et jussu Dei sol velocissime per iter suum decurrit, ut potius volare videatur, juxta illud de sole, *Psalm.* XVIII : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam; » nam sol qualibet hora motu suo conficit millionem milliarium, et insuper centum et quadraginta millia milliarium, quod tantumdem est, ac si terræ ambitum et gyrum circumcurreret quinquagies, uti ostendi *Genes.* I. Syrus : *Magnus est Dominus qui creavit eum, et in verbis Sancti acceleravit gressus suos;* Tigurina : *Magnus est Dominus creator illius, cujus jussu profectionem accelerat.* Porro pro κατέσπευσε, ut legunt Romana, Noster, Syrus, Tigurina et alii, id est *festinavit*, acceleravit; Complutensia contrarie legunt κατέπαυσε, id est *cessare fecit*, quod etiam verum habet sensum, *q. d.* Sol illico cessat a motu suo licet velocissimo, cum Deus id jubet. Sic Josue, cap. X, jussu Dei stitit solem, et Isaias, cap. XXXVIII, vers. 8, coram Ezechia solem retroegit per decem lineas.

LUNA.

Vers. 6. 6. ET LUNA IN OMNIBUS IN TEMPORE SUO, OSTENSIO TEMPORIS, ET SIGNUM ÆVI. — A sole transit ad lunam, ejusque miram lucem usumque celebrat; hæc enim sunt duo maxima luminaria cœli, sed sol est majus, luna minus, *Genes.* I. Sol enim centies et sexagies major est tota terra, luna vero trigesies et novies minor est globo terræ, ut docent astronomi; et tamen ipsa nobis in terra æqualis pene videtur soli, eo quod luna vicina sit et citima terræ, sol vero altissimus et remotissimus. Hinc luna est æmula solis, ac noctis decus, ideoque a Poetis vocatur Phœbe quasi Phœbi, id est solis, soror; ac luna quasi lucens una, quia sola nocte lucet, eam illuminans, uti sol diem. Pro *in omnibus* Interpres legit cum Romanis : ἐν πᾶσι; jam Complutensia legunt εἰς στάσιν, id est *in statum* vel stationem. Unde sic habent : *Lunam fecit in statum ad tempus suum, demonstrationem temporum, et signum sæculi;* alii : *Et lunam fecit ad stationem ad tempus suum, indicium temporum, et signum sæculi; stationes* vocat statas lunæ mutationes et vicissitudines, quibus nunc est nova, nunc crescens, nunc plena, nunc decrescens, idque per stata tempora. Syrus : *Luna stat in tempora, designatio temporum, et signum a sæculo;* Tigurina : *Lunam idem fecit, ut suo tempore existat indicium temporum, et signum ævi.*

Lunæ etymon et nomina.

Porro nostræ versionis sensum sic clare exponit Jansenius : Post solem, inquit, etiam « luna in omnibus, » hoc est apud omnes gentes, vel potius in omnibus suis mutationibus, quæ ei accidunt in tempore suo, est « ostensio temporis et signum ævi, » hoc est temporis : significat enim mensium exordia, et partes eorum sequentes; quia singulis mensibus suum circulum absolvit. Sol quidem etiam ostendit tempus; quia suo discessu et accessu ostendit æstatem, hiemem, ver et autumnum, et circulo suo absoluto ostendit annum esse absolutum. At peculiariter lunæ tribuitur quod sit ostensio temporis, quia celerius, sæpius et distinctius ex varia lunæ mutatione temporis frequens et continua percipitur mutatio.

Denique luna non tantum est signum sæculi et rerum sæcularium, sed et causa; nam dominatur humidis. Unde ab astronomis dicitur præesse infantiæ, argento et pituitæ; hinc et in plenilunio ostrea pleniora sunt. Rursus fluxus et refluxus maris causatur a luna; ac noctu lucente luna crescunt humida, ut ros, imbres, aquæ : « Aquæ magnæ plus fluunt de nocte, » ait Aristoteles, lib. III *Meteor.* Causa est luna, ut dixi, et absentia solis, qui per diem educens vapores ex aquis, ita aquas imminuit. Unde Palacius : Nota, lector, inquit, verbum illud : « Et luna in omnibus in tempore suo, » quod verbum summam habet philosophiam et summas lunæ laudes. Sensus enim est, quod omnia hæc inferiora fere subsunt lunæ, et gubernantur a luna. Vide æstus maris, plantationes, sectiones et insitiones arborum, collectiones fructuum, infirmationes lunaticorum, phlebotomias infirmorum, et demum nihil fere est in hoc orbe nostro, quod quadamtenus non pendeat a luna.

Porro Palacius τὸ *in signum ævi* sive sæculi accipit, quasi idem sit cum illo, *Gen.* I, 14 : « Fiant luminaria, etc., et sint in signa, » scilicet serenitatis, ventorum, pluviarum, caumatum, etc. Hinc Secundus philosophus, interrogatus ab Hadriano imperatore : « Quid est luna? » ait : Cœli purpura, solis æmula, maleficiorum inimica, solamen iter agentium, præsagium tempestatum. » Apuleius, *De Deo Socratis* : « Luna, inquit, solis æmula, noctis decus, est diei adjutrix, noctis oculus; stellæ sunt fata hominum. » Sed hæc fata sunt ficta Genethliacorum commenta. Et Alcuinus Flaccus, *Disput.* cum Pipino : « Luna est oculus noctis, roris larga, præsaga tempestatum; stellæ sunt pictura culminis, nautarum gubernatores, noctis decor. » Huc facit illud Astrologorum :

Lunæ ὁ logia.

> Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Vide de præsagiis solis et lunæ nostros Conimbricenses, tract. 7 *in Meteor.* cap. III.

Huc pertinet ænigma lunæ et lunationum, sive lunaris anni, quem suo per duodecim menses gyro luna describit, quod proposuit Cleobule filia Cleobuli Lindii, teste Gyraldo, in *Ænigmatibus* :

Ænigma lunationum et mensium.

> Est unus genitor (*inquit*) cujus sunt pignora bis sex;
> His quoque triginta natæ, sed dispare forma.
> Aspectu hinc niveæ, nigris sunt vultibus inde.
> Sunt immortales omnes, moriuntur et omnes.

Est autem hujusmodi ænigmatis solutio : Luna, vel annus lunaris duodecim habet lunationes sive menses, quorum quilibet triginta diebus,

luce et tenebris distinctis, perficitur. Sunt immortales generice, quia nunquam cessat dierum et noctium mensiumque successio; specifice tamen, vel potius individue, singuli moriuntur et desinunt. Quare Theodectes ænigma hoc sic proposuit : Duplices sunt, inquit, sorores, quarum una parit alteram, et ipsa quæ genita est gignentem interimit, gignitque alteram, a qua et ipsa interimitur. Dies enim prior gignit sequentem, et ab eo interimitur; quia ei locum cedit, et esse desinit.

Sophista vero Nectenabo regis Ægypti simile ænigma Æsopo proposuit : « Est, inquit, templum magnum, et in ipso columna duodecim habens urbes, quarum quælibet triginta trabibus sustinetur; has vero trabes duæ circumeunt mulieres. » Quod resolvens Æsopus : « Templum, inquit, est mundus, columna vero annus, urbes menses, trabes autem dies, et mulieres ipsæ duæ, dies et nox. »

Denique Albinus Flaccus, *Disput.* cum Pipino Caroli Magni filio : « Quid, inquit, est annus? quadriga mundi. Quis ducit? nox et dies, frigus et calor. Quis est auriga ejus? sol et luna. Quot habet palatia? Duodecim. Qui sunt prætores palatiorum? Aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, libra, scorpius, arcitenens, capricornus, aquarius, pisces. »

Vers. 7. 7. A LUNA SIGNUM DIEI FESTI, LUMINARE QUOD MINUITUR IN CONSUMMATIONE, — *q. d.* A luna nos Judæi accipimus signum et indicium diei festi. Nam festum Neomeniæ, id est novæ lunæ, incidebat in novilunium; festum vero Paschæ, a quo cætera computabantur, incidebat in plenilunium, puta in 15 lunam sive 15 diem primi mensis Nisan. Lunam vocat « luminare quod minuitur in consummatione, » id est in perfectione, puta in plenilunio; eo enim peracto luna mox minuitur, corniculatur et decrescit, cum sol semper idem plenusque in suo orbe permaneat. Unde alii vertunt : *Lumen in fine decrescens*, græce, φωστὴρ μειούμενος ἐπὶ συντελείας, id est, ut Romana : *Luminare quod minuitur super consummationem.* Complutensia, *in consummatione.* Syrus : *A luna enim signa festorum, luminare quod deficit in extremitate.* Tigurina : *Luna dies festus designatur luce decrescente donec deficiat.* Quare licet mirabile sit lunæ incrementum ex obscuro ad summam lucis gloriam, tamen totam mirabilitatem deprimit mutatio et casus. Hinc luna inconstantiæ et mutabilitatis est symbolum, juxta illud cap. XXVII, 12 : « Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur. » Idipsum repræsentat nomen Hebræum; stultus enim hebraice vocatur כסיל *kesil*, ob inconstantiam, *q. d.* Qui mente parum firma constat, neque semper est ejusdem consilii et propositi, sed vertumnus, qui mutatur in horas, et variis cupiditatibus agitatur; is simillimus est inconstantis lunæ, non semper eamdem faciem ostentantis, et non tam dierum damna sua celeritate reparantis, quam incrementa subinde perdentis.

Lunam imitantur margaritæ, quas et luna crescente plenas reperiri scripsit Dioscorides, et post plenilunium captæ cum tempore minuuntur et decrescunt, ut ex certis experimentis tradit Cesalpinus, libro II *De Metallicis*, cap. XXII.

Mystice noster Alcazar, in *Apocal.* cap. XII, vers. 1, notat. 2 : Luna, inquit, est B. Virgo, *primo*, quia lucem gratiæ majorem cæteris stellis, id est Sanctis, haurit a Christo, qui est sol justitiæ; atque per gratitudinem « omnem suæ lucis haustum eo regerit, unde accipit, » quod de luna pariter scribit Plinius; *secundo*, quia sicut luna maxime dominatur terræ et mari, sic et B. Virgo terrigenis, eisque in nocte hujus sæculi clara luce præfulget; *tertio*, quia sicut luna, teste Plinio, « humilis est et excelsa, quia alias admota cœlo, alias contigua montibus : » sic et B. Virgo in oculis suis erat humilis, sed in oculis Dei excelsa. Ipsa se ancillam Domini, dum ab Angelo salutaretur, nominavit; ideo facta est mater Dei. Itaque mirare in ipsa triplex conjugium rerum summe disparatarum, quod ipso ejus nomine Maria repræsentatur. Primum conjugium est humilitatis et celsitudinis sive majestatis, quod ipsa humilis et paupercula facta sit Deipara et regina Angelorum; utrumque significat nomen Maria. *Mariam* (sic enim pronuntiant Syri) enim significat « stillam maris; » מר *mar* enim Syris est gutta, sive stilla situlæ, ים *iam* est mare. Ecce humilitas. Quid enim stilla minutius? Rursum *Maria* dicitur quasi מרום *marom*, id est celsitudo. Ipsa ergo est stilla maris per humilitatem, ideoque ipsa pariter est celsitudo ac stella maris, uti eam nuncupat et invocat S. Bernardus, Euthymius, S. Hieronymus, totaque Ecclesia in hymno : *Ave, maris stella.* Denique ipsa est mare sapientiæ et gratiarum. Secundum conjugium est puritatis et pœnitentiæ sive crucis. Puritatem innuit rursum τὸ *stilla maris*; uniones enim, sive margaritæ (quæ symbolum sunt puritatis et virginitatis) ex stillis roris, in conchis marinis concrescunt. Rursum *Maria* hebraice idem est quod *myrrha* vel *amaritudo maris*, quæ symbolum est pœnitentiæ et crucis, quam B. Virgo tota vita subiit, præsertim astans Christo crucifixo, ut nos doceret, matrem puritatis et castitatis esse pœnitentiam et mortificationem. Tertium conjugium est paupertatis et opulentiæ. Nam B. Maria, id est « stilla maris, » sibi fuit pauperrima; eadem, ut « Mariam, » id est « domina maris, » ditissima facta est a Christo, adeo ut quasi מורה *more*, id est pluvia temporanea omnem gratiam e cœlo depluat in se invocantes. Sicut ergo luna « minuitur in consummatione; » sic B. Virgo humilis et minuta est in sua perfectione et exaltatione, ut, cum fieret mater Dei, ancillam se nuncuparet.

Mystica luna est B. Virgo multipliciter.

Triplex conjugium rerum disparatarum in B. Virgine.

Allegorice, Hugo per lunam accipit Ecclesiam. Vide eum singula Ecclesiæ adaptantem.

In luna habitare homines censent aliqui.

Porro Xenophanes, apud Ciceronem, lib. IV *Quæst. Academ.*, opinatus est habitari in luna, eamque esse terram multarum urbium et montium. Idem censent alii de Marte et aliis planetis, eo quod Mars per tubum opticum deprehensus sit habere circa vel supra se alias stellas, quæ ejus planum illustrent, sicut sol et luna illustrant terram ob ejus incolas et habitatores. Porro Plutarchus, lib. II *De Placitis Philosoph.* cap. XXX : « Pythagoræi, inquit, aiunt lunam terrestrem videri, quia sicut et nostra terra circumhabitatur a majoribus quidem et pulchrioribus animantibus, quinquies decies nostrorum quantitatem continentibus, neque ullum excrementum dejicientibus; tanta item diei longitudine. » Idem, tract. *De Facie in orbe lunæ*, de lunæ incolis fuse disserit, ac inter cætera ait : « Ego istos qui in luna incolunt, multo magis mirari existimo cum terram intuentur, tanquam fæcem et cœnum universi per tot humores, nubes nebulasque apparentem, locum obscurum, humilem, immobilem posse eam animalia producere et nutrire, motu, respiratione et calore prædita. » Verum hæc Philosophis sunt paradoxa.

Hanc gnomen et hoc ænigma tropologice apposito et erudito lunæ et simiæ apologo condecorat Cyrillus, lib. I *Apolog. moral.* cap. IX, cujus titulus : *Tantum æternum dilige, et nunquam dolebis* : « In plenilunio, inquit, simiæ cordis lætitia exsultanti vulpes mox astitit, et hæc dixit : Indica mihi, soror, cur sic exsultas, ut tecum gaudeam; hujus tantæ jucunditatis quæ ratio, et exsultationis quæ causa? At illa læta lætanter respondit : Nimirum lunari, quam amo, plena luce nunc fruor; quoniam hanc diligo, et qua cætera perfruuntur hac lætor. Ad hoc vulpes adjunxit : Putabam certe, charissima (ne turberis), manu, naso, vicinoque oculo, et æstimativa præclara, ad rationis naturam te præ cunctis animantibus accessisse; sed ut ex vana gratulatione cognosco, adhuc permanes de longinquo. Quanto enim magis a ratione sejungimur, tanto quidem ab homine plus discrepamus. Puto enim, ni fallor, quod amare lucem veram sit bonum, si tamen ejus sit stabile fundamentum; quia amare aliquid periturum, nihil aliud est quam finaliter dolere. Quantum enim id quod diligimus gaudemus esse habitum, tantum etiam mox dolemus, cum est amissum. Unde fit ut delectatio de re quæ est perdita, statim vertatur in dolorem, et amor atque juncunditas in mœrorem. » Id deinde explicans vulpes subjicit : « Igitur quod lumen diligis, laudo te; sed quod lunari lumine mutabili frueris, te non laudo. Hac enim nocte si plena luna lætaris, cum defecerit sequenti vespere, tristaberis. Impossibile enim est amato perdito non dolere; et sic quid tibi residuum erit de præterito gaudio nisi præsens dolor? Amatum siquidem rapit secum ubicumque gaudium; sed idem cum transierit, mox ejus fines occupat luctus. Verum non est sapientis gaudere ut doleat, sed ad tempus lugere, ut semper gaudeat. Infelix quippe est commutatio de jucunditate in luctum; de gemitu vero beata est in gaudium commutatio. Propter quod, charissima, ut tua sit gaudiosa dilectio et fruitio permansura, illam duntaxat diligas lucem, et ea fruaris, quæ dialis est, atque invariabilis, ac summa. Illius enim secura est lætitia atque plena. Propter hoc autem, sicut amamus, ita et sumus; habet enim amor contuitum chamæleontis, unde transimus cum amatis, aut sistimus; et cum eisdem vilescimus, aut chari sumus. Sed quid lugenti chamæleonti de colore aureo mutato in luteum sagax corvus responderit, non audisti? Claude, pone aurum, desuper lutum, et de cætero respice aurum. Quibus dictis, vale superaddens recessit. »

Apologus amanda esse æterna.

Sapientis gaudium quale?

8. MENSIS SECUNDUM NOMEN EJUS EST. — « Ejus » refer non ad mensem, sed ad lunam; græce enim est femininum αὐτῆς, quod non nisi lunam respicere potest. Unde Tigurina vertit : *Mensis nomen ipsius* (lunæ) *accipit*. Sic, cap. VI, 23, dixit : « Sapientia secundum nomen est ejus, » scilicet, aspera et difficilis, uti præcessit. Sensus est, *q. d.* Mensis uti a luna sui exordium, medium et finem accipit, ita pariter ab eadem sortitur et nomen. Nam hebraice (hebraice enim hæc scripsit Siracides senior, quæ junior in Græcum transtulit) mensis dicitur חודש *chodes*, id est *innovatio*, a nova luna, ejusque innovatione; radix enim חדש *chades* significat innovare. Sic pariter Græci novum mensem vocant νεομηνίαν, et Latini, novilunium a nova luna; quin et lunatio idem est quod mensis. Unde sequitur de luna, ejusque innovatione, quæ fit initio mensis.

Vers. 8.

Mensis etyma.

CRESCENS MIRABILITER IN CONSUMMATIONE. — Quia luna crescit et corniculatur varie et mirabiliter, donec consummetur, id est, consummatum plenumque lumen accipiat in plenilunio. Quocirca Vatablus vertit : *Et crescens mutationibus est mirabilis*. Vide Plinium, lib. II, cap. IX. Syrus : *Mensis secundum nomen ejus est, et crescit sublimiter in mutatione.*

Rursum « mensis » hebraice dicitur ירח *ierach*, a ירח *iareach*, id est luna, quod luna sua lunatione, id est per orbem suum decursu et circuitu describat mensem. Nam sol annum exigit in cursu et circuitu suo per zodiacum, luna vero mensem; hinc « mensis » a luna mensuram et nomen accepit; idem enim est quod lunatio. Sic et Græcis mensis vocatur μὴν, ἀπὸ τῆς μήνης, id est a luna; imo Macrobius Latinam vocem *mensis* derivat a Græco μήν, licet Cicero, lib. II *De Natura deorum*, mensem derivet a metiendo. Ait enim : « Qui, quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. » Sic pariter Belgæ et Germani e maen, id est luna, mensem vocant maent. Sic et Anglis *monat* vocatur mensis a *mon*, id est luna. Simili modo Auctor libri *De Spiritu et anima*, apud S. Augustinum, tom. III, cap. X, vocem *mens* de-

rivat a μήν, id est luna; quia « sicut luna, inquit, crescit et decrescit, et varia vicissitudine commutatur, in id tamen quod fuit quadam perfecta novitate se restituit : sic mens nunc caput summis inserit, nunc decidit in infimis, nunc sese inferens sibi veris falsa redarguit; modo ad corporalia regenda deflectitur, modo æternis rationibus inspiciendis vel consulendis adhærescit. Mens universorum capax, et omnium rerum similitudine insignita, omnia esse dicitur. » Idem tamen paulo post : « Mens, » inquit, dicitur, « quasi eminens, » quod in anima emineat, et ad divina contemplanda assurgat.

Pro *crescens mirabiliter in consummatione*, Complutensia legunt, ἀυξανόμενος ἐθαυμάςωσεν αλλοιώσει, id est *crescens*, vel auctus, *mirificavit mutatione*, id est, ut Tigurina : *Crescens mutationibus est mirabilis*. Romani pro ἐθαυμάςωσεν, cum Nostro legentes θαυμαςῶς, vertunt : *Crescens mirabiliter mutatione*; alii, *cum mutatione*. Luna enim sola inter stellas per singulos menses assidue crescit et decrescit, impletur et minuitur. Quocirca luna dejectis cornibus apud Ægyptios erat hieroglyphicum mensis, teste Pierio, *hierogl.* 44, cap. XVIII.

STELLÆ.

Vers. 9. 9. VAS CASTRORUM IN EXCELSIS, IN FIRMAMENTO COELI RESPLENDENS GLORIOSE. — Lunam vocat « vas castrorum, » id est instrumentum bellicum et castrense Dei : tum quia ipsa sua luce eminet inter stellas, quæ in Scriptura vocantur castra et militia Dei : unde Rabanus et alii legunt *resplendens gloriosa*, tum quia astrorum est quasi lux, imo sol, dux et antesignana, adeoque videtur esse nocturnus sol illustrans cœlum, stellas, totumque orbem. Unde inter eas incedit quasi regina gloria luminis et pulchritudinis præpotens et admirabilis; hinc et luna dicta quod luce luceat una per noctem, vel quod luce luceat aliena.

Alludit ad stationes nocturnas castrorum, quarum quatuor noctis vigilias, quibus mutabantur excubiæ et excubitores, dividebant juxta motum lunæ.

Luna est Ecclesia. Allegorice Rabanus : « Luna, inquit, est Ecclesia, quæ a Christo quasi a sole suum mutuatur lumen et gratiam, quæ modo persecutionibus videtur imminui, iterumque tranquillitate recepta clarissimi luminis hilaritate completur. Unde dicitur, quod crescat mirabiliter in consummatione. Ipsa sane est vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriosa; quia in ipsa animarum fidelium consistit turba, quæ in firmamento veritatis et divinæ prædicationis per totum orbem gloriosa resplendet. »

Stellæ sunt acies Dei. *Secundo*, per enallagen numeri « vas castrorum» accipi potest pro *vasa castrensia*, quales sunt stellæ, *q. d.* Velut instrumenta et arma bellica Dei sunt stellæ, quæ in firmamento resplendent gloriose; stellæ enim vocantur arma, imo milites et militia Dei; quia magno numero, ordinata et constanti serie quasi acie incedunt et procedunt quasi acies bellica ordinata a Deo. Ita Palacius et Jansenius : Vas castrorum, inquit, vocat totum illum, qui in cœlis videtur, astrorum apparatum instar castrorum pulchre ordinatum et dispositum. Unde et « militia cœli » dicitur, et exercitus Dei, quo Deus ad jussa sua complenda utitur. Est enim Græcis σκεῦος παρεμβολῶν, quod recte verti potest *apparatus, instructio,* vel *armatura castrorum*; a σκεῦος enim, quod vas significat, et quævis arma, derivatur verbum σκευάζω, quod est *paro* et *instruo*. Dicit ergo post solem et lunam esse etiam in excelsis insigne « vas castrorum, » hoc est veluti apparatum militarem resplendentem in firmamento cœli, qui et ipse mirabiliter Dei gloriam declarat. Unde Syrus vertit : *Vas exercitus in excelsis, quod resplendet in firmamento cœli;* Tigurina : *Apparatus castrensis in altitudine, in solo cœlesti, refulgens est decus cœli, gloria astrorum;* quod Noster versu sequenti vertit : *Species cœli, gloria stellarum*. Hic enim versus ad sequentem spectare, ibique expleri videtur.

Stellarum elogia. In stellis enim *primo*, mirus, et quasi castrensis est ordo, isque certus et constans. Unde et stella a stando dicitur, quod stellæ in cœlo stare videantur : « Bonum autem universi (et cujusque rei) consistit in ordine, » ait Aristoteles, lib. XII *Metaphys.*

Primum. *Secundo*, stellas flammeæ naturæ esse censet Cicero, lib. II *De Natura deorum*, Plato, Plinius et alii superius citati. Unde et ardentes a Poetis vocantur. Vere modernus Poeta : « Lucidæ, inquit, cœli lampades stellæ, naturæ foculi noctis oculi, lunæ famulæ, solis flammulæ. »

Secundum. *Tertio*, stellarum magna est multitudo, qualis est militum in castris. Plinius, lib. II, cap. XLV, asserit in firmamento esse 1600 stellas effectu visuque insignes. Astrologi vero numerant 1022, sed longe plures sunt, quæ vel non videntur, vel non nisi confuse, ut quæ in galaxia commixtam lucem exhibent, faciuntque viam lacteam. Unde « quo quisque acutius stellas intuetur, tanto plures videt, » ait S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXIII.

Tertium. *Quarto*, magnitudine eminent stellæ. Nam stella quælibet in firmamento longe major est tota terra. Distinguunt astrologi stellas in sex magnitudinis differentias, traduntque illas, quæ primæ et summæ magnitudinis sunt, continere magnitudinem terræ centies et septies; quæ secundæ, nonagies; quæ tertiæ, 72, quæ quartæ, 54, quæ quintæ, 39, quæ sextæ et infimæ, decies octies. Insuper astronomi stellas a se notatas in 48 constellationes, sive imagines, redegerunt. Est vero constellatio certus stellarum numerus alicujus animalis, sive alterius rei effigiem situ ordineve repræsentans. Hinc stella erat hieroglyphicum Dei, ait Horus Apollo. Hinc et Pan Deus (quasi

Quartum.

totius naturæ auctor et comprehensor) pingebatur stellis insignitus, de quo Orpheus :

Pana voco magnum, qui totum continet orbem.

Vide Pierium, lib. XLIV *Hierogl.* cap. XXIV.

Quoties ergo noctu cœlum tot stellis quasi gemmis distinctum et radians intuemur, mente assurgamus ad earum opificem Deum, eique cum Psalte gratulando concinamus : « Confitemini Domino dominorum : quoniam in æternum misericordia ejus. Qui fecit luminaria magna, etc. solem in potestatem (in dominium) diei : lunam et stellas in potestatem noctis : quoniam in æternum misericordia ejus. » Porro, quomodo ex sole, luna et stellis ascendere possimus ad Deum, ipsum contemplari, admirari et venerari, pie et erudite docet Cardinalis Bellarminus, lib. *De Ascensione mentis in Deum,* gradu 7, ut inde discamus cœlestia ambire, terrena despicere, fortia agere, fortia pati. Hac enim via itur ad astra, hoc iter ad empyreum. Hac via in cœlum ivere Sancti, qui idcirco in cœlo coruscant ut stellæ. Vide quæ annotavi *Danie* XII, 3; *Genes.* I, 16; *Apoc.* II, 28, ubi varias dedi analogias Sanctorum et stellarum. Deus enim in cœlo inter lucis aurum, adamantes et gemmas, Sanctos suos et electos velut stellas scalpro æterni sui decreti cælavit et insculpsit, juxta illud Christi : « Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis, » *Luc.* X, 20. Ad has stellas, eorumque hoc cœlum anhelans S. Martinus jam moribundus, cum æstuans febri supinus in illud suspiceret, ac discipuli suppliciter ab eo peterent, ut converso corpore tantisper, dum remitteret morbi vis, conquiesceret : « Sinite me, inquit, cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. » Quapropter ipse oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat, ait Sulpitius in ejus Vita.

Vers. 10. 10. SPECIES COELI GLORIA STELLARUM, MUNDUM ILLUMINANS IN EXCELSIS DOMINUS. — *q. d.* « Species, » græce κάλλος, id est pulchritudo; Syrus, *ornamentum cœli,* est *gloria,* id est gloriosa claritas, numerus et ordo *stellarum,* per quas Dominus habitans in excelsis mundum illuminat. Noster legit κόσμον φωτίζων, id est, *mundum illuminans;* jam legunt κόσμος φωτίζων, id est *ornatus illuminans.* Rursum Noster legit κύριος, id est *Dominus;* jam legunt κυρίου, id est *Domini,* in genitivo. Unde sic vertunt : *Pulchritudo cœli est gloria stellarum, ornatus illuminans in locis Domini supremis.* Complutensia : *In altissimis Domini.* Romana legunt : *Species cœli gloria stellarum, ornatus illuminans in excelsis Dominus.* Sed vulgata lectio Latina melius fluit, ideoque verior est. Tigurina : *Decus cœli gloria astrorum, ornatusque illustris in regione celsa Domini.* Hæc ultima verba significant causam cur stellæ exornent cœlum, quia scilicet in eis residet Dominus; dignum autem est Domini thronum his luminibus exornari. Porro quam hæc species cœli et stellarum pascat oculos, etiam philosophorum et gentilium, audi docentem Lactantium, lib. VI, cap. XX : « Aiunt, inquit, philosophi multo esse præclarius, et homine dignius, cœlum potius quam cælata intueri, et hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus, tanquam floribus adornatum, quam picta, et ficta, et gemmis distincta mirari. Sed cum diserte ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, et ad cœli spectaculum excitaverunt; tamen spectacula hæc publica non contemnunt. » Ex illis unum producam Senecam : « Dum oculi mei ab illo spectaculo, cujus insatiabiles sunt, non abducantur, dum mihi lunam solemque intueri liceat, dum cæteris inhærere sideribus, dum ortus eorum occasus, intervalla et causas investigare, spectare tot per noctes stellas micantes, dum cum his sim, et cœlestibus (qua homini fas est) immiscear dum animum ad cognatarum rerum conspectum tendentem, in sublimi semper habeam, quantum refert mea quid calcem? » Hæc Seneca, *Consolat. ad Albinam,* cap. IX.

Denique solem, lunam et stellas a Deo per intelligentias, id est angelos, qui, ut ait Apostolus, *Hebr.* I, Dei et divinæ gubernationis sunt administratorii spiritus, moveri, constans est philosophorum et Theologorum sententia, indeque manare tantam motus eorum constantiam et ordinem liquet. Ita docet S. Dionysius, *Cœl. Hierarch.* cap. V et VIII, S. Augustinus, lib. III *De Trinit.* cap. IV, Origenes, hom. 13 et 14 *in Numer.*, S. Gregorius, IV *Dialog.* IV, S. Thomas, *Opusc.* X, *Quæst.* III, Bonaventura, in II dist. XIV, art. 3, Quæst. II; *Plato,* lib. I *De Legibus,* Aristoteles XII *Metaph.* VIII, et alii. Vide Conimbricenses, lib. II *De Cœlo,* cap. V, quæst. V.

Vers. 11. 11. IN VERBIS SANCTI (minus recte Rabanus legit « sanctis ») STABUNT AD JUDICIUM, ET NON DEFICIENT IN VIGILIIS SUIS, — *q. d.* Stellæ quasi milites obedientissimi et promptissimi « stabunt, » id est stare solent, et continuo stant, « in verbis sancti, » id est jussu et præcepto Dei sanctissimi, « ad judicium; » ut, scilicet, ejus justam sententiam, sanctumque imperium vindicando hostes ejus, vel protegendo fideles ejus servos, inviolabiliter exsequantur. Deinde perpetuo vigilant et excubant, ac nunquam lassatæ deficiunt, ut quiescant, vel cessent a suis vigiliis et excubiis sibi a Deo commissis, uti in terra lassantur nostri milites et vigiles. Deinde pro κατὰ κρίμα, id est *ad judicium,* Complutensia per synæresin unica voce legunt κατάκριμα, id est illico, continuo, statim, *q. d.* Stellæ astant Deo promptæ, ut illico exsequantur ejus jussa; vel potius, ut Complutensia vertunt : *In verbis sancti sistent* (στήσουσι enim est activum, significans sistent, stare facient) *condemnationem, q. d.* Jussu Dei stellæ illico exhibebunt ejus condemnationis sententiam, ut vindictam et plagas ab eo decretas præsentes sistant. Per stellas intellige tum stellas, tum Angelos stellarum motores et rectores. Pro *non deficient* Noster legit μὴ ἐκλυθῶσιν

id est non dissolventur, non fatiscent, non deficient; Complutensia legunt μὴ ἐκκαυθῶσιν, id est *non accendentur, non exardescent, q. d.* stellæ, esto continuo vigilent, luceant et ardeant, nunquam tamen exardescunt et inflammantur incendio, multo minus ira et impatientia, ut ordinem et stationem suam deserant, terramque accendant et comburant; uti fecisse Phaetontem, Solis filium e cœlo lapsum, fabulantur Poetæ. Aliqui codices Græci utrumque legunt; Tigurina : *Ad imperium sancti suo consistunt ordine, nec stationes suas defessæ deserunt.* Syrus : *Per verba sancti stabunt secundum præscriptum sibi, et in cursu suo non variabunt.* Alludit ad *Baruch.* III, 33 : « Emittit lumen, et vadit, et vocavit illud, et obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis (græce est eadem vox quæ hic, scilicet φυλακή) suis, et lætatæ sunt : vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. » Et ad *Judic.* V, 20 : « Stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt; » angeli enim stellarum motores e stellis et cœlo vibrantes et grandinantes lapides, tonitrua et fulmina in Sisaram, ejusque castra, ea disperdiderunt, æque ac ilsdem profligarunt Pharaonem et Ægyptios in mari rubro, *Exodi* XIV, 24.

Paulo aliter explicat Palacius, *q. d.* « In verbis sancti, » id est si Deus sanctus dixerit, ut stellæ stent, stabunt promptæ exspectantes Dei judicium et decretum, tenebuntque iter suum, licet cursu rapidissimo currant.

Mystice, Rabanus : « Ornatus Ecclesiæ, inquit, est sanctorum pulchritudo; hi in verbis sanctis, id est in doctrina veræ fidei, permanentes exspectant judicium Dei; nec adversitatibus istius sæculi franguntur, neque ad iracundiam excitantur; sed patienter omnia ferentes persistunt in custodia gregis sibi commissi, memores semper, illudque Dominicum sedulo in corde volventes : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis. Estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. In patientia vestra possidebitis animas vestras. » Allegorice.

SECUNDA PARS CAPITIS.

IRIS.

Vers. 12. 12. VIDE ARCUM, ET BENEDIC EUM QUI FECIT ILLUM : VALDE SPECIOSUS EST IN SPLENDORE SUO. — Post firmamentum, solem, lunam et stellas quinto loco exhibet et celebrat iridem, quasi opus speciosum Dei; ut inde ad Dei laudem excitemur, ac quoties iridem conspicimus, toties ad Deum assurgamus, et in iride Dei magnificentiam collaudemus. Dicit ergo : « Vide arcum, » scilicet cœlestem, puta iridem, « et benedic eum, » id est lauda et glorifica Deum, « qui fecit illum, » quia « valde speciosus est in splendore suo. » Nam iris est tricolor; triplicem enim colorem exhibet, eumque lucidum et splendentem, puta puniceum, viridem et purpureum, atque primum secundo, secundum tertio decore subordinatum et contemperatum, ut pulchram colorum harmoniam, et quasi musicam spectantium oculis exhibeat. Causam physicam cur iris fiat, sitque tricolor, dat Aristoteles, lib. III *Meteorol.* cap. III. Syrus hæc et sequentia usque ad caput XLIV omittit. Tigurina : *Contemplare arcum splendore* (alii, *fulgore*) *suo perelegantem, et auctori ejus gratulare*, dicendo : Benedictus sis, Domine, qui tam speciosam et fulgentem iridem creasti. Et si illa tam speciose fulget, quam speciosus, quam fulgidus es tu, Deus noster, qui in immensum speciem et fulgorem iridis omnisque creaturæ exsuperas, ut illæ tecum collatæ deformes, obscuræ et tenebrosæ videantur.

Iridis causa, et mirabilia.

Porro iridis causa est, reverberatio radiorum solis oppositi in nube rorida, opaca et concava. Quocirca licet tres primarii jam dicti sint iridis colores, multos tamen alios pro diversitate nubium, et reverberationis radiorum solis sibi adsciscit et induit, adeoque, ut ait Virgilius, V *Æneid.* : Primum.

Mille trahit varios adverso sole colores.

Idem lib. IX, iridem vocat decus cœli. Ovidius vero, VI *Metamorph.* graphice iridem describens, sic de ea canit :

Qualis ab imbre solet percussus solibus arcus
Inficere ingenti longum curvamine cœlum.
In quo diversi niteant cum mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.

Vers. 13. 13. GYRAVIT COELUM IN CIRCUITU (græce, ἐν κύκλῳ σου, id est in circuitione : ita Complutensia) GLORIÆ SUÆ : MANUS EXCELSI APERUERUNT ILLUM. — Celebravit iridem a specie et fulgore : nunc eamdem secundo, celebrat a figura, puta a curvatura per medium cœlum, dicendo « gyravit, » id est cinxit, ambivit cœlum « in circuitu, » id est per circuitum, « gloriæ suæ, » id est gloriosæ suæ pulchritudinis et splendoris. Iris enim instar magni arcus, curvando ambit totum hemisphærium nostrum, ac protenditur ab Ortu in Occasum, vel a Meridie in Septentrionem. Vatablus pulchre : *Gloriosa curvatura sua cœlum succingit circulo.* Iris ergo videtur esse gloriosus cœli balteus, zona et cingulum. Alii : *Ambit cœlum circulo glorioso*; curvatura enim iridis undequaque est tam præcisa et exacta, ut ad tornum circino adæquata et circinata videatur. Unde Manilius, lib. I : Secundum.

Utque suos arcus per nubila circinat iris.

Tertium. *Tertio*, celebrat iridem ab amplitudine, dicendo: « Manus Excelsi aperuerunt, » græce ἐτάνυσαν, id est explicarunt, extenderunt, « illum. » Unde Tigurina: *Manibus Altissimi eum extendentibus*; extenditur enim et porrigitur iris ab una cœli extremitate in aliam; quare nulla manus humana vel angelica, sed sola divina eum extendit. Hæc ergo tria sunt mirabilia et quasi miracula iridis.

Quartum. Adde quartum, nimirum constantiam. Iris enim nunquam mutat tres colores, splendorem, curvaturam in quacumque nubium diversitate, diversaque densitate, raritate, rorulentia, etc., cum tamen phænomena aeris et nubium ob diversam nubium dispositionem sæpe speciem, colorem, formam situmque mutent: sed iris in omnibus, ubique, et per omnia eumdem semper tenorem, colorem et formam servat, quod sane est admirabile, ac certum indicium eam Dei semper sibi constantis manu efformari.

Quintum. Quintum est, quod iris matutina portendat pluvias, vespertina serenitatem. Ita Julius Scaliger, *Exercit.* 80. Mane enim fit in nube roscida, et in aquam solvi parata. Unde Ovidius, I *Metamorph.*

Concipit iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Seneca vero, lib. I *Natur. quæst.* cap. VI: «Arcus, inquit, a Meridie ortus magnam vim aquarum vehit. Si circa Occasum refulsit, rorabit et leniter impluet. Si ab Ortu circave surrexerit, serena promittit. » Aliqui pro *rorabit* legunt *tonabit*; unde ex Seneca censent iridem a Meridie nascentem pluvias augurari, a Septentrione ventum, ab Occasu tonitru, ab Oriente serenitatem.

Sextum. Sextum est, quod iris sit imbrifera, ac per imbrem, quem affert, terram fecundet. Adhæc iris fit ab opposito sole, velut in terram despectante, æque ac in nubem; sed ita, ut terra sit media quasi inter nubem et solem; unde fit, ut quo sol est humilior et occasui propinquior, eo iris sit sublimior; et quo superior, eo iris demissior; quia soli est opposita. Ita Valesius *Sacræ Philosophiæ*, cap. LXXVIII.

Septimum. Septimum, quod iris, ut docet Aristoteles, lib. V *Histor. animal.* cap. XXII, multum conferat ad generationem mannæ, sive mellis aerii. Insuper Plinius, lib. XII, cap. XXIV, et lib. XVII, cap. XV, docet iridem miram suavitatem et odorem aspalatho, aliisque herbis et plantis aspirare. Laertius asserit saluberrimo iridis imbre afflatas rosas, fragrantius redolere.

Octavum. Octavum, est ordo colorum; in iride enim sunt tres trium colorum semicirculi. Primus et summus est puniceus sive citrinus: medius est viridis, infimus est purpureus. Causa est, quod radius lucis cum exigua opacitate, efficit colorem puniceum, cum mediocri viridem, cum majore purpureum. Talis autem opacitatis varietas et ordo est in nube, cum in ea fit iris. Hinc dicitur « Iris quasi aeris, quod per aerem ad terras descendat, » ait Isidorus, lib. XIII *Origin.* cap. X. Quocirca Plato, in *Theæteto*, irim Thaumantis filiam propter admirationem dictam censuit. Unde Ovidius, IV *Metamorph.*:

Roratis lustravit aquis Thaumantias iris.

Nonum est, quod iridis colores non sint veri, sed apparentes; ex transparentia enim lucis solaris per nubem et aquam, causatur hæc apparentia colorum. Sic apparens, non verus, color multicolor est in collo columbæ, in halonibus, virgis, pareliis, aliisque phænomenis, quæ in aere et nubibus apparent. Quocirca physici ita iridem definiunt: « Iris est arcus multicolor in nube rorida, opaca et concava, ex radiorum solis oppositi reflexione apparens oculis spectantium. » Hinc iris quoque fit et apparet juxta fontes, cum mane radiis solis verberantur. Item juxta lumen lucernæ, cum illud fuligine et fumo refrangitur. Hac de causa iris non cadit sub nostrum aspectum, nisi simus inter nubem in qua iris splendet, et solem ipsum constituti; quia ipsa nubes est quasi speculum, a quo fit ad oculos reflexio, ut docet Aristoteles lib. III *Meteor.* cap. IV.

Decimum. Decimum est, quod plures simul fieri possint irides, idque dupliciter. *Primo*, si utraque iris directe fiat a sole, v. g. si sol sit in medio cœli, et utrinque, ad Ortum scilicet et Occasum, sit nubes apta ad impressionem iridis; tunc enim iris una apparebit ad Ortum, altera ad Occasum. *Secundo*, cum ex reflexione primæ iridis fit secunda, quæ idcirco est debilior; et ex reflexione secundæ fit tertia, quæ proinde est maxime debilis, ita ut vix videatur.

Undecimum. Undecimum, et maximum est, quod iris sit signum divinæ clementiæ et beneficentiæ, et pacti cum Noe et hominibus, quod deinceps nullum orbi inducturus sit diluvium; sic enim cum Noe pactus est Deus, *Genes.* IX, 13. Atque hac de causa ob iridem maxime benedicendus et glorificandus est.

Iridis elogia. Hinc et iris a viris sapientissimis concordi elogiorum celebrata est calculo: a Chrysostomo nuncupatur Dei hominibus reconciliati chirographum, ab Hieronymo supernæ clementiæ simulacrum, cœlestium induciarum pignus, a Damasceno, ab Augustino divinæ amicitiæ tessera, sempiterni fœderis obses a Bernardo, ab Ambrosio inviolabilis virtutis Dei et multiformis gratiæ specimen, cœlestis benignitatis typus a Cypriano, a Gregorio Sancti Spiritus idea, benevolentissimi Numinis testimonium a Nazianzeno, a Basilio pacis sequestra, a Beda divinæ propitiationis symbolum, deorum Mercurius ab Ethnicis, ab Anaxagora serenitatis præludium, Thaumantis sive admirationis filia a Platone, divini splendoris imago a Pythagora, multifarium lucis decus a Philone, a Macrobio benignissimum cœli prodigium, astrorum lingua ab Homero, ab aliis denique divina quædam astrologa, superum legata, felicitatis index, tranquillitatis præco, lætitiæ

præambulatrix. Porro a moderno Poeta hisce elogiis salutatur :

Illustrissima lucis pupula, aeris alumna,
Edita patre sole, patria cœlo.
Prodiga luminis, nuntia numinis.
Legata serenitatis, præsaga felicitatis.
Obses fœderis, hospes ætheris, civis sideris.
Pacis pincerna, naturæ lucerna.
Diei spectaculum, Dei miraculum.
Cœlorum progenies, colorum congeries.
Mille luminum irradiata facies, variata maculis.
Calorum imperatrix, eademque temperatrix.
Illustri parente illustrior soboles.

Quid iris mystice et symbolice significet, fuse dixi *Genes.* IX, 13; *Apoc.* IV, 3, et *Ezech.* I, 28.

Iris est typus crucis Christi. Quibus adde iridem esse symbolum crucis Christi; in cruce enim quasi in arcu extentus et distentus Christus, validissimas orationis et amoris sagittas sursum ad Deum Patrem ejaculatus est; quibus cor ejus vulneravit, ut nostri misereretur, nobisque peccata remitteret; quin et nos sibi in filios et hæredes adoptaret.

Denique apposite S. Basilius, epist. 43 *ad Gregorium* Episcopum Nyssenum fratrem de differentia οὐσίας καὶ ὑποστάσεως, SS. Trinitatem comparat iridi. *Primo*, quia sicut iris est una et tamen tricolor : sic Deus est unus in essentia et trinus in personis ; *secundo*, sicut iris trinos hosce colores efficit per refractionem radiorum solis in nube : sic Trinitas personarum oritur ex Solis divini, id est Patris æterni, intellectione, quæ vim generationis habet et spirationem ; *tertio* : « Sicut in iride, inquit, colorum discrimina clare cognoscimus, et tamen alterius ad alterum dissidium sensu percipi nequit : ita et proprietates trium hypostaseon, perinde ac flos quidam eorum colorum qui in iride visuntur, in singulis personis quæ in S. Trinitate creduntur, separatim relucent; ejus vero proprietatis quæ secundum naturam est, nulla alterius personæ ad alteram differentia excogitari potest ; sed in communicatione τῆς οὐσίας, notiones propriæ in unaquaque communiter resplendent. » Huc usque S. Basilius.

Iris SS. Trinitatis symbolum. Primo. Secundo. Tertio.

TERTIA PARS CAPITIS.

NIX, FULGURA, NUBES, PRUINA.

Vers. 14 **14. IMPERIO SUO ACCELERAVIT NIVEM, ET ACCELERAT CORUSCATIONES EMITTERE JUDICII SUI.** — Pro *coruscationes*, græce est ἀστραπάς, id est fulgura et fulmina. Pro *acceleravit*, Complutensia legunt κατέπαυσε, id est *cessare fecit*. Verum Græci codices Romæ correcti, et cæteri habent κατέσπευσεν, id est *accelera-vit*. Unde Tigurina : *Idem imperio suo nivem urget* (ut celeriter in lucem prodeat) *et fulgetra pro judicio suo concitat*. Sensus est, *q. d.* Deus non longo molimine, uti faciunt homines, sed celeriter et pene in instanti producit et emittit nivem tam densam et copiosam, ut totum aerem suis floccis impleat; adeo ut radios solis, ipsumque cœlum aspectui nostro intercipiat. Nix enim, ut et aliæ res, ita obedit Deo, ut verbo jussuque ejus evocata, illico ei se existentem et præsentem sis-

Commoda nivis. tat : tanta est verbi Dei efficacia, tanta nivis erga Deum vocantem obedientia. Porro non frustra, sed ad magnum terræ hominumque commodum

Primum. Deus mirabiliter emittit nives. Nam *primo*, emittit nives, quasi aves aeris, ut per eum volando, eum purgent et purificent; quot enim sunt flocci nivis, tot quasi aves sunt cœli, tot quasi plumæ

Secundum. candidæ cycnorum; *secundo*, nix solvit frigus; incidit enim rigorem aeris frigore constipati, et

Tertium. quasi conglaciati; *tertio*, nix fecundat terram. Unde Hispani hoc habent proverbium : « Annus nivosus, annus fertilis et copiosus. » Denique Psaltes, *Psalm.* CXLVII : « Qui dat nivem, inquit,

Quartum. sicut lanam. » Nix enim in candore, levitate, densitate, calore et mollitie, ait Theodoretus ibidem, similis est lanæ. Nam nix quasi lana terram tegit ad eam fovendam, calefaciendam et fecundandam ; dum halitus et exspirationes terræ cohibet, et intus repellit; dumque resoluta, liquata instar sacchari sensim terram irrorat et impinguat. Quocirca exstat hoc nivis ænigma :

Candidior cycni plumis, sum filia brumæ,
Dura minus glacie, sed nec minus algida :
Rarior, ac fluidum in laticem tabesco tepore.
Signo novem, fuerit si littera prima recisa :
Cor mihi si jungas, vix est avis atrior ulla.

Mystice, nix symbolum est tentationis et tribulationis, qua probatur et roboratur virtus fidelium. Unde S. Ephrem, in *Serm. ascet. ad imitationem Prov.* : « Tempore nivis, inquit, pervestigatur fera, et tempore tentationis investigat Satanas monachum ; probatio autem monachi in tentationibus apparet. » Et anterius : « Multi habitu monachi, at pauci certatores ; tempore autem certaminis monachi probatio apparet. »

Rursum multo magis « accelerat » Deus « coruscationes » et fulgura ; quia quasi in momento fulgur apparet, transitque ab Oriente in Occidentem. Simile, sed efficacius est fulmen, quod non est aliud, quam exhalatio ex nubium collisione ignita, indeque magno impetu erumpens vel excussa.

Mirabilia, et quasi miracula fulminis sunt hæc : *primo*, ejus celeritas ; *secundo*, ejus ignea natura, item efficacia, nihil enim est tam validum, quod non sternat ; *tertio*, varietas, fulmen enim aliud terebrat, quia videlicet valde subtile est et flammeum ; aliud dissipat, quia valde conglobatum, et spiritus coacti admixtione conflatum, tertium adurit, quia ignitum ; *quarto*, quod fulmina fe-

Mirabilia fulminis. Primum. Secundum. Tertium.

Quartum. riant sæpius altos montes et prælatas turres. Causa est quod cum oblique ferantur, celsissima quæque obviam fiant, ideoque in ea frequenter impingant. Unde Claudianus, *ad Hadr.* :

> Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis,
> Nec parvi frutices iram meruere Tonantis :
> Ingentes quercus, annosas fulminas ornos.

Quintum. *Quintum* tradit Plinius, lib. II, cap. LV, lib. XXXVII, X, fulmine non ici laurum, nec aquilam, nec corallum, nec vitulum marinum. Sed hæc fabulosa, vel certe dubia videntur. Nam laurum fulmine tactam narrat Vicomercatus, in lib. III Sextum. *Meteorol.* cap. X. *Sextum,* quod fulmen rara et mollia non lædat; quia celerrime per ea transit, densa vero ac dura, quæ resistunt, feriat et sternat. Ratio est quod in duris, ut eorum contumaciam vincat, diutius moretur, omnesque vires suas colligat et expromat, inquit S. Damascenus in *Physicis,* cap. XVII. Sic fulmen illæsa vagina ensem inclusum liquat; bursa intacta aurum, æs et argentum inclusum conflat inviolato ligno circa pila ferrum dissolvit; integra carne ossa comminuit. Albertus Magnus, lib. *De Tonitruo,* cap. XXI, refert dolium fulmine correptum frangi et comburi, ipsum autem vinum subito concretum stare, ita ut rigor ille triduo duret. Ferunt autem vinum, quod fulmine concretum fuit, cum ad liquorem redit, potum exanimare, vel dementiam inducere. Ratio est, quia fulmen habet in se noxias qualitates sulphuris, aut alterius similis materiæ, quibus vinum inficit. Denique pervulgatum est, venenata interdum post fulminis ictum, plagam deponere; et e contrario quæ nihil antea veneni habebant, ipsum concipere. Ratio est, quia illis fulmen venenum exurit; his vero sulphuream noxiamque qualitatem imprimit. Ita Conimbricenses tract. 2 *in Meteora,* cap. VI.

Fulgura sunt judicii divini. Porro « coruscationes » dicit esse «judicii sui,» scilicet divini.

Primo. *Primo,* quia Deus secundum suum, non hominum, nec angelorum judicium, cum scilicet ei videtur, creat, mittitque fulgura.

Secundo. *Secundo,* quia per fulgura, sua judicia, id est minas et vindictas, exercet; dum per ea peccatores metu percellit, et subinde morte percutit; idque significat etymon fulguris et tonitrui. Nam, ut ait S. Isidorus, lib. XIII *Orig.* cap. VIII et IX : « Tonitruum dictum, quod sonus ejus terreat; nam tonus, sonus, fulgur et fulmen, ictus cœlestis jaculi, a feriendo dicti; fulgere enim ferire est ac percutere. » Hinc illud Poetæ :

> Fulgura, et humanas motura tonitrua mentes.

Vide ibi dicta, cap. XVI, XVIII.

Tertio. *Tertio,* quia dies judicii frequentissimis et vehementissimis coruscationibus horribilis erit, juxta illud *Psalm.* XCVI : « Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ.» Idem patet in *Apocal.* cap. VIII, 5, et cap. XVI, 18.

Quarto. *Quarto,* τὸ *judicii sui* significat Deum non temere, sed magna consideratione, judicio et ratione emittere fulgura. Ita Vatablus. Mirabile vero Dei judicium est, quod fulmen alta et dura sternat, demissa et mollia pertranseat, uti paulo ante dixi.

Mystice, nix est purgatio peccatorum per pœnitentiam et lacrymas, juxta illud *Isaiæ* cap. I, 18 : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. » Ita S. Hieronymus *in Psalm.* CXLVII. Unde David, *Psalm.* L : « Asperges, inquit, me, Domine, hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor. »

Vers. 15. 15. PROPTEREA APERTI SUNT THESAURI, ET EVOLAVERUNT NEBULÆ SICUT AVES. — Pro *nebulæ,* græce est νεφέλαι, id est *nubes,* quia nebula est nubes demissa, sive inferiorem aeris regionem occupans. Tigurina : *Propter hoc penetralia recluduntur, et nubes volucrum more provolant.* Thesauros enim vocat cellas et apothecas, in quibus recluduntur nummi, fruges et opes; non quod Deus vere tales habeat apothecas, sed quod nubes et nebulæ in Deo, Deique voluntate et omnipotentia, quasi in thesauro et cella reconditi sunt, et ad ejus nutum, quasi aperta cella in lucem edantur, ac in aerem prosiliant, juxta illud *Job* XXXVIII, 22 : « Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli? » Per « nebulas » intellige tum quaslibet; nam etiam illæ, quæ in media regione aeris sunt, volant quasi magnæ aves, et ex illis evolant nives, pluviæ, grandines, etc., quasi aves minores; unde de illis statim subdit : « In magnitudine sua posuit nubes. » Tum peculiariter intellige nebulas, et pruinas; hæ enim sunt quasi canæ et candidæ aves hiemis, quæ in aspero gelu volant per aerem, insidentque arboribus et herbis. De quibus Psaltes, *Psalm.* CXLVII : « Nebulam (hebraice כפור *kephor* (id est ut, S. Hieronymus vertit, *pruinam*), sicut cinerem spargit. » Pruina enim similis est cineri colore, copia et virtute; nam instar cineris exurit et consumit nimium terræ humorem, itaque eam fertilem et fecundam efficit. Nam alioqui nebula proprie dicta est illa pars nubis, quæ ad aquam gignendam inidonea, post nubem in pluviam resolutam, quasi nubis excrementum remanet. Unde Aristoteles, lib. I *Meteor.* cap. IX, « nebulam » vocat nubem sterilem, eamque serenitatis futuræ signum esse asserit. Hinc mystice, pruina est dolor de peccatis, et compunctio. Hæc enim mentem dolore æque ac amore urit; itaque eam expurgat, et gratiæ capacem, virtutibusque fertilem efficit. Ita S. Hieronymus, *in Psalm.* CXLVII.

Nubes quasi aves Dei

Secundo, valde apposite Palacius : Quia, inquit post coruscationem grandis solet descendere pluvia, merito dicit « propterea, » id est propter co-

ruscationem, « aperti sunt thesauri, » et in mari et in aere, ut inde pluvia ruat. Unde sequitur : « Evolaverunt nebulæ sicut aves; » dictu enim mirum, quomodo coruscationibus evanescentibus, et pluvia cessante, nubes avolent ut aves, cœlo effecto sereno, ac si tempestas non præcessisset, juxta illud : « Post tempestatem, tranquillum facis, » *Tobiæ* III, 22.

QUARTA PARS CAPITIS.

GRANDO, TERRÆ MOTUS, TONITRUA, VENTI, TURBO, NIX.

16. IN MAGNITUDINE SUA POSUIT NUBES (græce ἐν μεγαλείῳ αὐτοῦ ἴσχυσε νεφέλας, id est *in magnificentia sua fortificavit,* vel *corroboravit nubes;* Noster pro ἴσχυσε, id est corroboravit, videtur legisse ἔστησε, id est stitit, posuit); ET CONFRACTI SUNT LAPIDES GRANDINIS. — Tigurina : *Nubes exauget magna potentia sua ut elidat lapides grandinis.* Præterita, *posuit, corroboravit,* more Hebraico sumuntur pro præsenti, *ponit, corroborat.* Sensus est, *q. d.* Deus magna sua potentia « ponit, » id est sistit, stipat, densat, firmatque nubes; ac ex iis ita densatis confringit quasi frustatim lapillos et globulos grandinis, non quod nubes immediate in grandinem convertat, ut vult Isidorus; sed quod nubes resolvat in aquæ guttas, quæ vi frigoris statim constringantur, et in globulos grandinis congelascant. Ita ex Artistotele Valesius, *Sacræ Philosophiæ* cap. LIV : Grando, inquit, videtur quibusdam fieri ex nubibus, primum quidem in glaciem duratis; deinde ventorum frigore comminutis in frustula, aut etiam calore solis : itaque esse grandinem frustula decisæ glaciei, ea vero fieri in ipso descensu rotunda, longo illo præcipitio velut convoluta. Fuit hæc sententia inter antiquos philosophos, Epicuri; inter Christianos, D. Isidori Hispalensis; cui videntur suffragari illa verba capitis XLIII *Ecclesiastici* : « In magnitudine sua posuit nubes, et confracti sunt lapides grandinis. » Hæc enim aperte videntur innuere, confractis lapidibus (ex glacie scilicet) factam esse grandinem. Cæterum Aristoteles evidenter satis refutavit hanc sententiam, cap. XII I *Meteor.* his verbis : « Absurdum præterea suspicari, aquam superiori in loco congelascere; quandoquidem fieri non potest ut id consequatur, antequam reddatur aqua, neque ullo tempore aqua suspensa permanere potest; » hæc Aristoteles. Ex quibus palam fit, ex nube aquæ guttas fieri prius, his deinde seorsum cadentibus et gelascentibus fieri grandinem, et ipsarum guttarum figuram retinere. Illud vero Ecclesiastici ita intelliges, confractos esse lapides grandinis, hoc est decisos ex nube, non quidem gelata prius, sed per particulas in guttas abeunte; verum enim ita etiam est lapides grandinis ex nube esse decisos; etsi non sint decisi facti jam lapides, sed post decisionem lapidaverint. Hoc est quod Deum celebrans Job ait, cap. XXXVIII, 30 : « In similitudinem lapidis aquæ durantur, » scilicet in glacie et grandine; hæc enim est aqua frigore constricta et lapidescens. Et Psaltes, *Psalm.* CXLVII, 17 : « Mittit crystallum suam sicut buccellas, » *q. d.* Deus emittit grandinem conglaciatam instar crystalli, « sicut buccellas, » id est sicut frusta et fragmenta. Crystallus enim græce dicitur a κρύος, id est frigus, et στέλλω, id est contraho, constringo. Unde et gemma crystallus Plinio nihil aliud est quam glacies sub terras nimio frigore sic constricta et indurata, ut resolvi nequeat, de quo vers. 22.

Grandinis formatio.

Porro grando fecundat terram; grana enim grandinis instar granorum sacchari, terram edulcorant, humectant et nutriunt. Idem magis faciunt nubes, dum in pluviam resolutæ in terram depluunt, eamque imprægnant et fecundant, juxta illud *Psalm.* CXLVI, 8 : « Qui operit cœlum nubibus : et parat terræ pluviam. Qui producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum. Qui dat jumentis escam ipsorum. » Et *Psalm.* CIII, 13 : « Rigans montes de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra, etc., ut educas panem de terra : et vinum lætificet cor hominis : ut exhilaret faciem in oleo. » Terra enim per pluviam imprægnata, producit frumentum, vinum, oleum, omnesque fruges, herbas, arbores et plantas.

Grando fecundat terram.

Mystice, grando significat minas gehennæ, iræ et vindictæ Dei, quas nemo ferre potest, has liquefacit Deus, cum eas suis consolationibus et promissionibus lenit et mulcet; itaque terram cordis nostri edulcorat, humectat, nutrit, et bonorum operum fertilem efficit. Ita S. Hieronymus *in Psal.* CXLVII. Item grando sunt persecutiones; talis fuit grando lapidum, qua impetitus Stephanus, Saulum eos grandinantem sua prece convertit, ex eoque fecit Paulum. Unde Prudentius *Peri Stephan.*:

Mystice, grando sunt minæ Dei.

Item persecutiones.

> Martyrum semper numerus sub omni
> Grandine crevit.

Hi sunt thesauri Dei in nive et grandine persecutionum, ait Rabanus, qui et addit : « Grando quoque est libera sanctorum increpatio. Grando enim veniens percutit, liquida rigat. Sancti autem viri corda audientium terrentes feriunt, et blandientes infundunt; nam quemadmodum feriunt, Propheta testatur, dicens : Virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt, et quemadmodum blandientes rigent, secutus adjunxit : Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et in tua justitia exsultabunt, » *Psal.* CXLIV, vers. 6 et 7. »

Apologus de tumultu superbiæ et pace humilitatis.

Symbolice, nubes sunt symbolum celsitudinis et ambitionis, quæ parit grandines tumultuum et humiliationum. Eleganti apologo nubium et terræ, id oculis subjicit Cyrillus, lib. II *Apolog. moral.* cap. XII, cujus titulus : *Contra appetitum mundanæ celsitudinis:* « Exorta, inquit, de tellure nubecula, statim cœpit innato desiderio sursum ferri. Cui terra mater dicit : Dic mihi ex quo, et ubi nata fuisti? nonne in me, et ex me? Cur ergo super matrem erigeris, et natale solum cunctis gratissimum, facta peregrina relinquis? Quin etiam sursum elata vel a tempestatibus involveris, aut ab æstu obvio consumeris. Rogo igitur, nata, quiesce, et in patrio salutaris humilitatis sinu recumbe. At illa minus prudenter respondit : Appetitus quidam desiderabilis celsitudinis sursum me cogit ascendere, cui contradicere si liceret, non placet. Ad hoc multum illi terra compatiens dixit : Dic mihi, quæso, quo erigi concupiscis? Cui nubes : Anhelo, inquit, pertingere in Aquilonis sublimio, ubi constituta, toti universo visibili sim prælata. Quo audito, mater tellus deridens caliginis cæcitatem, subjunxit : Satis patet, ut parum ante genita infantiliter es locuta. Nam minime positionis cœlestis ordinem didicisti, nec mundi situm mirabilem attendisti. » Idipsum hac ratione physica et astrologica demonstrat : « Respondе mihi quæ pars primo moveatur in cœlo, nonne Orientalis? Inde namque stella dialis ascendit, et quasi motu suo, ortis ibidem sideribus, recte Oriens appellatur. Igitur hæc pars dextera est cœli; quæ enim pars in animali prima movetur, hæc dextra vocatur. Igitur si, uti patet, Oriens cœli dextrum judicetur, necessario concluditur, ejus polum Antarcticum esse sursum. Ab eo enim tradunt Philosophi, Orientalis motus principium derivari. Quin etiam in corpore animalis pars illa dextra est, in quam caput primo influit. Cæterum primum motum cœlestis lationis ex Meridionali polo principium sumere, hac ratione dignoscitur : Quia nimirum vertice hominis versus illum situato, mox ejus dextra, si volvatur, ab Oriente movetur. Itaque si Meridionalis in cœlo polus sursum est, Aquilonaris erit per consequens deorsum. » Ex quibus concludit, et hoc epimythium quasi apologi scopum fructumque colligit : « Quare, charissima, si tuus fert animus versus ipsum ventilari, putans erigi, profundaberis; et cum credideris te ire sursum, tunc demergeris in mundi maximam abyssum, accidetque tibi sic cum superbis decipi, qui dum jactantiæ flatu se sursum elevari opinantur, ruunt deorsum ad ima inferni, et divinæ ictu justitiæ profundantur; et cum videntur altissime efferri, speculo decepti fallaciæ, tunc profundissime demerguntur. Qui enim contra verum mundi cursum erigitur, necessario locus ejus ex opposito in inferno præparatur. Ex conditoris autem providentia, superborum locus habitabilis Aquilonari loco supponitur, ut ex situ mundiali addiscant, illud quidem quod secundum mundanæ visionis aspectum videtur superius, in veritate fore inferius. Quamobrem fugientes hujus sæculi fallax sursum, ad verum humilitatis tendamus deorsum. Sic enim natura, ubi pari modo membra situaverat, tamen inferius collocato capite, de matris alvo infantulum mittit in hunc mundum, et humilitatis magistra cornu cordis, ac pedem propterea situat deorsum. His definitis quievit. »

Ratio physica.

17. IN CONSPECTU EJUS COMMOVEBUNTUR MONTES, ET IN VOLUNTATE EJUS ASPIRABIT NOTUS. — Græce, ἐν ὁπτασίᾳ αὐτοῦ, id est *in aspectu ejus, q. d.* Cum Deus irato, vel potenti et efficaci vultu aspexerit terram et montes, qui tanta tamque gravi mo' consistunt, solo aspectu nutuque illos concutiet, et terræ motum inducet, juxta illud *Psalm.* CIII : « Qui respicit terram, et facit eam tremere. » Ac rursum, cum voluerit blandiri terræ et hominibus, « in voluntate ejus aspirabit Notus, » id est Auster. Tigurina : *Montes ipso despiciente commoventur; et Auster flabit, cum ipse vult.* Alludit ad *Habacuc* cap. III : « Aspexit et dissolvit Gentes : et contriti sunt montes sæculi.» Et inferius : « Viderunt te, et doluerunt montes. » Est igitur terra instar pavidi servi, qui tremit, si iratior eum aspexerit herus, ait Palacius. Porro Complutensia hunc versum cum sequenti ita invertunt et combinant : *Vox tonitrui ejus dolere* (tremere) *facit terram; et in aspectu ejus commovebuntur montes,* per tonitruum et terræ motum : *In voluntate ejus stabit Notus, et tempestas Boreæ, et conversio spiritus, sicut aves volantes dispergit nivem.* Verum Græci codices Romæ emendati plane habent ut Latina Vulgata. Vers. 17.

Mystice Rabanus : Montes: inquit, sunt superbi: Notus, sive Auster, est gratia Spiritus Sancti, qui delicta mortis gelu constricta, sui caloris ardore discutit; itaque superbos Dei timore et amore concutit.

18. VOX TONITRUI EJUS VERBERABIT TERRAM, TEMPESTAS AQUILONIS, ET CONGREGATIO SPIRITUS. — «Vox tonitrui, » est sonus et fragor tonitrui; vel per hypallagen est tonitruum vocis, id est tonitruum vocale, et magna voce resonans; tam enim ipsum tonitru, quam ejus vox et fragor, verberat terram et terrigenas. « Verberavit, » id est verberat, hoc est verberare solet. Omnia enim hæc præterita more Hebræo sumuntur pro præsenti, et significant actionis divinæ morem et consuetudinem. Vers. 18.

Tonitru enim verberat terram, *primo,* quia oritur ex vehementi collisione nubium, quæ vehementem facit aeris impulsum, quo terra verberatur; *secundo,* quia hæc collisio horribilem excitat fragorem, qui verberat aures hominum; tanta enim est, ut mundi machina concuti, et a centro convelli videatur; *tertio,* quia ingenti metu percellit et percutit mentes audientium, etiam regum et Imperatorum, juxta illud : Tonitru verberat terram. Primo. Secundo. Tertio.

Humana motura tonitrua mentes.

Sane Augustus Cæsar ita percellebatur tonitruo : « Ut in locum abditum et concameratum se reciperet, ac semper et ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio, » ait Suetonius in ejus Vita, cap. xc. Sic et hodie multi, etiam fideles et sancti, valde percelluntur dum tonat, et tonitru tanto sono reboat. *Quarto*, tonitru ejaculatur fulmina et fulmineos lapides, qui non raro turres, montes, arbores, domos, homines et animalia sternunt et evertunt, uti sæpe vidimus.

Quarto.

Tonitrui quatuor causæ.

Porro tonitrui causa materialis, est exhalatio sicca et calida; formalis, est collisio nubium cum fragore et sonitu; efficiens, est pugna exhalationis e nube conantis erumpere; finalis, est metu tonantis numinis homines percellere, ut scilicet homines timeant Deum. Ita Aristoteles in *Meteor.* Unde Silius Italicus, lib. XVII, graphice hunc fulminis terrorem ita depingit :

Ut cum fulminibus permixta tonitrua mundum
Terrificant, summique labat domus alta parentis :
Omne hominum in terris trepidat genus ; ipsaque oborta
Lux atrox micat, et præsens astare viritim
Creditur intento perculsis Juppiter igne.

Ecquis non metuat fulminantem et altitonantem Omnipotentis dexteram?

Pro *verberavit*, græce est ὠδίνησεν, id est dolere et parturire fecit terram, hoc est eam ita commovit, quasi ingenti metu et dolore esset paritura, et fetum enixura. Ita Complutensia Romana, Jansenius et alii. Unde Tigurina : *Sonitu tonitrui ejus terram dolore commovet.* Est catachresis valde apposita; concussio enim terræ quasi ad tonitru Dei expavescentis, repræsentatur per dolorem et pallorem feminæ parturientis.

Pro ὠδίνησεν, aliqui legunt ὠνείδισεν, id est *increpavit.* Unde Rabanus legit : *Vox tonitrui ejus exprobravit terram.* Codex Vaticanus habet συνέσεισεν, id est *concussit*, percussit; quod magis consonat cum nostro *verberavit*. Porro tonitruum prius est fulmine, cum ejus sit causa. Tonitru enim est collisio et fragor nubium, qui fulmen elicit et exprimit; et tamen prius videmus fulmen, quam audiamus tonitru; tum quia visus celerior est auditu; tum quia sonus tardior est, tardiusque ferit auditum, quam species visibilis, præsertim fulgoris, feriat visum; tum quia verber tonitrui, quo aures perinde ac nubes aeremque verberat, adeo grave et ponderosum est, ut plusculum temporis requirat, lentiusque ad aures proserpat. Simile est in tormentis bellicis; prius enim videtur ignis, quam audiatur fragor ignem eliciens, ejusque vi globum ejaculans : unde milites viso igne tormenti, sat habent temporis ut se a globo, quem ejaculatur, subducant.

Simili schemate Psaltes Dei magnificentiam in voce tonitrui ejus celebrans toto *Psalmo* XXVIII : « Vox, inquit, Domini super aquas, Deus majestatis intonuit. Vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, etc. Vox Domini intercidentis flammam ignis. » Tonitru enim ejaculatur incisa et dissecta quasi fulmina, unum post aliud assidue. « Vox Domini præparantis cervos, » per terrorem ad partum; S. Hieronymus *obstetricans*; Symmachus et Aquila; *parturiens*; Chaldæus *parturire faciens cervas.* Cervæ enim vulvam habent angustam, quæ pavore tonitrui dilatatur, ut facilius pariant.

Vox ergo Dei horribilis, potens, magnifica, est tonitru. Nam nulla res ita magnificentiam Dei celebrat, eumque hominibus terribilem et metuendum facit, ac tonitru ejusque fulmen. Unde Job, cap. XL, 4 : « Si habes brachium, inquit, sicut Deus, et si voce simili tonas. » Et cap. XXXVIII, 35 : « Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus. » Sane Horatius, licet Epicureus, et contemptor deorum et numinis, tamen terrore tonitrui coactus agnovit et confessus est Deum. Audi eum, lib. I *Carm.* ode 34 :

Tonitru est vox Dei.

Parcus deorum cultor, et infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro; nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter
(*Id est Jupiter sive Deus*)
Igni corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum
Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx, et invisi horrida Tænari
Sedes, atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat Deus.

Quin et Lithuani, tempore Jagellonis anno Domini 1326, fulmen, quasi numen adorabant, teste Martiale Cromero, lib. XV *De Rebus Polon.*

Hinc Deus a Græcis vocatur ὑψιβρεμέτης, latine Altitonans; quia tonitru totum tremefacit olympum. Et Job, cap. XXXVII. 4 : « Post eum, inquit, rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ; et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia. » Favent etyma. Nam, ut ait Isidorus, lib. XIII *Origin.* cap. VII et seq., « Tonitruum dictum, quod sonus ejus terreat; nam tonus, sonus; qui ideo interdum tam graviter concutit omnia, ut cœlum discidisse videatur. Fulgur et fulmen ictus est cœlestis jaculi a feriendo dicti; fulgere enim ferire est ac percutere. Nebulæ, quasi nubila, et nubes ab obnubendo, hoc est, aperiendo terram; unde et nuptiæ, quod vultus suos velent; et Neptunus, quod nubat, id est mare et terram tegat. Pluviæ, quasi fluviæ, quod fluant. Grando, quia similis grano. Glacies a gelu et aqua, quasi gelacies, id est gelata aqua. Pruina a perurendo. Ros a Græco δρόσος, aut quia rarus est, non spissus ut pluvia. Caligo, quia calore aeris genita. Tenebræ, quod teneant umbras. Procella quod percellat, id est percutiat et evellat. Aqua quasi æqua, quod superficies ejus æqualis sit. Hinc et æquor appellatum, quia æqualiter

Etyma grandinis, fulminis, tonitru, etc.

sursum est. Ventus, quod sit vehemens et violentus. Fragor, a fractarum rerum sonitu. Aquilo, quod aquas astringat et nubes dissipet. Auster, quod hauriat aquas. Mare, quod amaræ sint ejus aquæ. » Hæc et plura S. Isidorus.

Anagogice est sententia dannationis.

Anagogice, vox tonitrui erit vox Christi judicis, qui cœlo Sanctos, inferno impios adjudicabit, dicens : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, » *Matth.* XXV. Hæc enim vox impios ita percellet, ut dicant « montibus: Cadite super nos; et collibus : Operite nos,» *Apoc.* VI; *Luc.* XXIII. Adeoque erit efficax, ut eos illico convolvat et deturbet in tartara. Si ergo ita formidamus tonitru illico transiens, quomodo formidare debemus tonantem vocem Christi, quæ fulmen æternæ damnationis in peccatores vibrabit et ejaculabitur? Tropologice, vox tonitrui fuit S. Joannes Baptista; ipse enim fuit « vox clamantis in deserto, » *Isaiæ*, XL. Vide S. Basilium totum Psalmum XXVIII, qui est de voce tonitrui, S. Joanni adaptantem.

Allegorice est prædicatio Evangelii.

Allegorice, vox tonitrui est prædicatio Evangelii, sive vox Christi et Apostolorum evangelizantium, quæ terram et aquas, id est populos multos, commovit ad pœnitentiam : cedros et montes, id est superbos tum dæmones, tum homines, confregit; intercidit, id est divisit, ignem, scilicet charitatis, dum Spiritum Sanctum specie ignearum linguarum dispertitarum in Pentecoste Apostolis immisit et indidit, concussit desertas Gentium regiones. Eadem cervas, id est timidos et tardos ad partum virtutum, pavore judicii Dei præparat; inducit diluvium, id est baptismum, in quo veluti cataclysmo universa peccata merguntur. Ita S. Basilius, Theodoretus, Didymus, Origenes, S. Augustinus, *in Psalm.* XXVIII. Audi et Rabanum hic : « In tonitruo, inquit, ipse incarnatus Dominus figuratur : quia ex antiquorum patrum conveniente prophetia ad notitiam nostram, quasi ex nubium concursione prolatus est; qui inter nos visibiliter apparens, ea quæ super nos erant, terribiliter sonuit. Unde et ipsi sancti Apostoli de ejus gratia generati, boanerges, id est filii tonitrui, sunt vocati : aliquando autem (sicut dictum est) tonitruum pro ipsa ejus prædicatione accipitur, per quam supernorum judiciorum terror auditur. Vox quidem tonitrui exprobrat terram, quando prædicatio divina carnalibus (qui terræ nomine rite censentur) increpando, innotescit sua vitia; ut his depositis, se præparent ad audiendum præcepta divina. De hoc quoque tonitruo scriptum est : Vox tonitrui tui in rota Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : commota est, et contremuit terra. Et hoc quoque comparative dicitur; quia tonitrui vox ita revolvitur, quasi de rotis venire perstrepentibus audiatur. Sic enim, cum de summo funditur, spatia cœlorum volubili murmuratione pertransit, ut rotatus atque sinuosus ipse sonitus sentiatur; sive magis in rota orbem terrarum debemus accipere, qui in speciem rotæ absoluta rotunditate concluditur. In rota ergo, id est in mundo, vox tonitrui ejus egressa est, quando prædicatores Christi circulum totius orbis verbis tonantibus impleverunt.

Ventorum vis.

TEMPESTAS AQUILONIS, ET CONGREGATIO SPIRITUS. — Græce, συστροφὴ πνεύματος, id est vertex venti, turbo, qui in orbem rotatus omnia secum rotat et gyrat, adeo vehemens et procellosus est, ut domos, naves, currus evertat, imo abripiat; qualis est ecnephias, prester, et turbo sive typhon, præcipua navigantium pestis; qui non vela tantum, sed ipsa etiam navigia contorta frangit, absorbet, ac nonnunquam in altum abrepta secum aufert; similiterque in terra evulsas arbores, et ingentia saxa aliorsum devehit. Unde Olympiodorus typhona dictum censet διὰ τὸ τύπτειν σφοδρῶς, id est, *quod valide et vehementer corpora, in quæ incidit, verberet et quatiat.* Porro cum ait : « Tempestas, » etc., repete « verberavit terram. » Ventus enim, præsertim Aquilonaris, terram ita verberat, ut eam rigore et glacie constringat; et, cum impetuosus est, segetes, arbores, quin et turres prosternat. Unde Albinus Flaccus, *Disput.* cum Pipino Caroli Magni filio : « Quid inquit, est ventus? Aeris perturbatio, mobilitas aquarum, siccitas terræ. Quid est gelu? persecutio herbarum, perditio foliorum, vinculum terræ, fons aquarum. »

Rursum Græci et Jansenius, aliique Latini hæc verba referunt ad τὸ *aspergit nivem*, quod sequitur : Aquilo enim affert nivem. Unde Tigurina hæc nectens cum versu sequenti vertit : *Aquilonaris procella, turboque venti more volucrum devolantium, nivem, in modum sidentium locustarum descendentem spargit; ut albentis pulchritudinem miretur oculus, et imbrem animus stupeat.*

Vers. 19. 19. ET SICUT AVIS DEPONENS AD SEDENDUM, ASPERGIT NIVEM, ET SICUT LOCUSTA DEMERGENS DESCENSUS EJUS. — Ita Romana Complutensia aliaque Latina, licet Græci, Jansenius et alii deleant primum *et*. Nam eo deleto hic versus cum præcedenti cohæret. Sensus est, *q. d.* Deus per Aquilonem spargit nivem in terram, ut eam tegat et foveat, sicut solent greges avium devolare, seque deponere et considere in terra, itaque eam tegere et operire. Aut sicut locustarum agmina demergunt se in terram, eamque operiunt : sic plane nix copiose descendens terram cooperit. Comparat enim densitatem et frequentiam floccorum nivis cum densis agminibus avium et locustarum; quia sicut hæc, sic et illi terram plane obtegunt. Addit Palacius : Deus, inquit, aspergit nivem super terram, velut si gallinam super ova collocaret; ut enim avis suo calore ova fecundat, ita nix suo in terram casu eam fovet et fecundam reddit; is enim annus felix est, qui nivosus est, scilicet nive terram fecundante, et descensus ejus est sicut locusta descendens; nam flocci nivis cadentes assimilantur locustis e sublimi in terram venientibus. Hunc esse sensum liquet ex Tigurina jam ci-

tata, et ex Græcis, quæ clare sic habent : *Spargit nivem ut aves volantes; ejusque descensus similis est locustæ divertenti;* Complutensia : *Et sicut locusta destruens, descensus ejus.* Græcum enim καταλύουσα et divertentem et destruentem significat; solent enim locustæ terram obsidentes eam depascere et destruere. Sed similitudini magis congruit prior significatio divertentis; nix enim, quæ hic comparatur locustæ, obsidens terram, eam non destruit, sed fovet, calefacit, irrigat et fecundat.

20. PULCHRITUDINEM CANDORIS EJUS ADMIRABITUR OCULUS, ET SUPER IMBREM EJUS EXPAVESCET COR. — Nix enim adeo candida est, ut fulgeat et splendeat, ac suo candore et splendore oculos intuentium hebetet et obtundat. Per imbrem figurate accipe copiam nivis; nix enim copiose quasi imber descendit et depluit. Aut « imbrem » vocat aquam, in quam liquatur et resolvitur nix, quæ tanta est, ut illico ingentes faciat torrentes, flumina duplicet, imo triplicet; adeo ut exundent, et campos, segetes, domos, armenta abripiant et obruant; quare merito hunc nivium imbrem expavescant corda hominum. Denique flumina pleraque vel oriuntur, vel valde increscunt ex nive liquata. Unde fluminum origo est in Alpibus, aliisque montibus nive oppletis; nix enim inibi densa et copiosa, radiis solis resoluta ingentes facit rivos et fluvios. Admiranda ergo nivis sunt hæc.

Nivis miranda.

Primum. *Primum* est candor eximius. Unde Christi, in transfiguratione, facies resplenduit sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba ut nix, *Matth.* cap. XVII.

Secundum. *Secundum,* copia, qua aerem et terram cooperit.

Tertium. *Tertium,* quod terram foveat et fecundet. Vide Plinium, lib. XVII, cap. II.

Quartum. *Quartum,* quod radio solis tacta liquetur.

Quintum. *Quintum,* quod liquata torrentes et fluvios ingentes efficiat. Unde nivis ænigma apud Symposium hoc exstat :

> Pulvis aquæ tenuis, modico cum pondere lapsus,
> Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
> Flumina facturus, tota prius occupo terras.

Huic simile est illud Cucurbitæ quod subdit :

> Pendeo dum nascor, rursus dum pendeo nascor;
> Pendens commoveor ventis, et nutrior undis;
> Pendula si non sum, non sum jam jamque futura.

Quocirca propter hæc similia quasi naturæ miracula, cum Psalte exclamare debemus : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti : impleta est terra possessione tua, » *Psalm.* CIII. Et : « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos, » *Psalm.* VIII. Et : « Laudate Dominum de terra, dracones, et omnes abyssi. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : quæ faciunt verbum ejus, » *Psalm.* CXLVIII.

Causa Audi nostros Conimbricenses nivis causas, ortum et qualitates describentes, in *Meteora* tract. VII, cap. V : Cum nubes, inquiunt, in media aeris regione ob vehementem frigiditatem, antequam in aquam solvatur, gelascit; nix efficitur. Itaque nix est nubes friabili densitate conglaciata; quæ nubes tanto majorem siccitatem obtinet, quam illa quæ in aquam mutatur, quanto valentioris frigoris efficientia concrescit; siquidem frigus dum stringit, humorem exprimit, et foras evocat. Est tamen nix mollior, quam pruina; quia pruina, sicuti prope terram oritur, ita majorem habet in se copiam excretionis terrenæ cujus vi magis durescit. Itaque nix siccior est quam aqua, ideo continuata decidit; et tamen est minus sicca quam pruina; unde in morem lanæ extenditur. Oritur autem candor in nive potissimum, merito earum partium quæ magis aereæ sunt. Ob quam item rationem albescit spuma, et aqua interfuso oleo, ut docet Aristoteles, II *De Genes. anim.* cap. II, ubi etiam nivem spumam quamdam esse ait; quod usurpavit deinde Plinius, lib. XVII *Natur. histor.* cap. II. Hic vero nivis candor, uti Albertus Magnus et nonnulli alii opinati sunt, non est color tantum apparens, ut in multis concretionibus aeris, sed verus et expressus; alioqui non ita diu perseveraret etiam in nive compressa, ac minime translucida. Et paulo inferius : Sed enim alia etiam causa prædicti candoris afferri solet, videlicet frigiditas, quæ in nonnullis rebus auctor candoris est. Argumento est, quod ii qui frigidas incolunt regiones, ut Septentrionales, candidiores sunt; est enim nix tanto candidior, quanto ejus spuma laxior; quia sic plus habet pellucidi elementi. Hæc Conimbricenses, qui et sub finem capitis invehuntur in eos qui nive abutuntur ad delicias potus, et ad sui stomachi servitutem concretæ aquæ reponendæ instruxere officinas. « Heu, inquit Plinius, lib. XIX *Natur. histor.* cap. IV, heu prodigia ventris! Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat. Decoquunt alii aquas, mox et illas hiemant. Nihil itaque homini sic, quomodo rerum natura placet. » Refert etiam Plinius, lib. XXXI, cap. III, Neronis inventum fuisse decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare.

nivis.

Causa candoris aer et frigus.

Symbolice Rabanus : « Tempestas Aquilonis et congregatio spiritus, » sunt varia tentamenta diaboli (ipse enim frigidus, ut Aquilo, omnia bona per frigus et acediam corrumpere satagit, qui voluit sedere in lateribus Aquilonis, *Is. i.* XIV, 13 : « Hic propter elationem cordis recte avi comparatur; quia aspergit nivem ad sedendum, cum per rigorem malitiæ, ubi insidat, præparat sibi habitaculum. Ipse quasi locusta ascensu suo demergit; quia quidquid viride vel fructiferum reperit, corrodere atque exstirpare contendit. Pulchritudinem vero ejus oculus admirabitur, cum se fingit ministrum esse luminis, et legatum pa-

eis per imbrem ejus expavescit cor, quando apertas persecutionum procellas movet; ut quos non potuit blanda fictione, hos seducat tormenti magnitudine. »

QUINTA PARS CAPITIS.

PRUINA, VENTI, GLACIES.

Vers. 21. 21. GELU SICUT SALEM EFFUNDET SUPER TERRAM: ET DUM GELAVERIT, FIET TANQUAM CACUMINA TRIBULI. — Pro *gelu* græce est πάχνη, quod proprie pruinam significat; uti vertunt Complutensia, Romana, Tigurina et alii. Porro pruina ab Aristotele, lib. *De Mundo*, definitur δρόσος πεπηγμένος, id est ros conglaciatus; dum enim ros frigore nocturno intensatur et conglaciatur, fit pruina. Recte tamen Noster vertit *gelu*; tum quia pruina est gelu; tum quia πάχνη non solum pruinam, sed quodvis gelu significat; unde παχνόω idem est quod denso, constipo, constringo, conglacio. Pro *gelaverit*, perperam Rabanus, Lyranus, et Dionysius legunt *flaverit*; græce enim est παγείσα, id est glaciata, a πήγνυμαι, παχνόω et πάχνη jam dictis.

Pro *cacumina*, minus recte Rabanus legit *acumina*; græce enim est ἄκρα, id est summitates, cacumina, culmina. Eodem tamen redit sensus, qui est, *q. d.* Deus effundit gelu et pruinam, quasi salem super terram; quæ dum conglaciata fuerit, adhæseritque tectis, arboribus, herbis, etc., fiet sicut « cacumina tribuli, » id est sicut summitates spinarum, scilicet aculeata et aspera : patet hoc in stiriis quæ in rigida hieme ex tectis longæ et acuminatæ, quasi acies lancearum continua serie ordineque dependent. Pro « tribuli » græce est σκολόπων, id est, ut Complutensia, *sudium*; Romana, *tribulorum*; alii, *palorum*; Tigurina : *Idem pruinam in modum salis humi fundit, quæ congelida palis imponant apicem*. Noster vertit « tribuli; » quia tribulus est spinæ genus a semine triangulari dictum, vel quod cuspidatum trifariam feriat; de quo Ovidius, *Metamorph.* :

...Lolium tribulique fatigant
Triticeas messes.

Pruinæ et roris generatio.

Pruinæ æque ac roris causam et generationem ita describunt nostri Conimbricenses, tract. 7 in *Meteora*, cap. VIII. Roris et pruinæ materia est vapor exiguus et subtilis; causa efficiens remota est eadem, quæ reliquarum impressionum, videlicet, calor cœlestis vaporem evocans; causa proxima efficiens est frigus serenæ noctis; quod si temperatum sit, vaporem in rorem cogit : si vehemens, congelat in pruinam. Docet Aristoteles, cap. X, lib. I *Meteor.*, rorem et pruinam in ima parte aeris generari; quia calor talem vaporem excitans imbecillus est; alioqui si vehemens foret, eum altius eveheret, vel omnino absumeret. Deinde iidem roris et pruinæ commoda æque ac damna ita describunt : Solent pruina et ros, si opportune obveniant, arvis non parum commodate. Namque pruina hiemali tempore calorem intus concludit, et in radices agit, atque eadem fere, quam nix, utilitatem importat. Ros terram madefacit irrigatque, et herbescentem segetum viriditatem evocat ac nutrit. Verum hæc eadem alienis orta temporibus plurimum nocent; quando quidem sera pruina adurit lactescentes germinum oculos, et invitatam verni temporis clementia stirpium et vinearum juventutem enecat; atque omnem interdum spem fructuum unius noctis spatio præripit; monente homines natura, quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere. Est autem intempestiva pruina nive perniciosior; quia nix, sicuti ob aereæ substantiæ commixtionem minus compacta est, ita minus premit ea, quibus incubat; ac proinde minus adurit. Fit hæc adustio, ut docet Theophrastus, lib. V *De Causis plantarum*, cap. XVI, exprimendo (consumpto prius calore, cui frigus directe adversatur) atque eliciendo foras totum humorem, quo exhausto necesse est arescere, tanquam igni flores, germina, aliaque ejusmodi. Exprimit autem frigus humorem, quia hinc inde coercet et comprimit : quæ vero comprimuntur, si humida sint, humorem reddunt.

Pruina similis sali.

Porro pruinam Siracides comparat sali, quia illi similis est : *primo*, colore, alba enim est, ut sal; *secundo* figura, quia grana pruinæ sparsa per terram parva et rotunda sunt sicut grana salis; adeo ut, si hæc per terram spargas, qui procul ea aspicit, discernere nequeat an grana salis sint, an pruinæ; *tertio*, quod, sicut ex aqua constricta et conglaciata fit pruina, sic et sal fit ex aqua marina constipata et condensata. Unde pruina, inquit Valesius, cap. LXXVII *Sacræ Philosophiæ*, eamdem habet cum nive generationem; hoc solum discrepans, quod circa terram consistit; habet enim se ad nivem pruina, sicut ros ad pluviam, et glacies ad grandinem. Cæterum in multis aliis sal toto genere discrepat a pruina. Sal enim, ait Valesius, insignem habet naturam vix ulli alteri similem; siquidem neque in metallis est, quia non dissolvitur calore; neque in lapidibus, quia dissolvitur aqua; neque in terræ generibus, quia totus dissolutione abit in aquam; non quidem in ea subsidens, sed solutus aquam crassiorem; neque vero est aqua, quia non absumitur ab igne, sed uritur potius, ut terra. Quid ergo illum esse dicas, nisi αὐτογενές, hoc est sui generis? Quod sit autem id genus, seu quis modus mixtionis, investigandum. Primum quidem salsum saporem remissione amari

Mira salis natura.

fieri, et amarum fieri terræ ustione, aperte indicat Galenus; nam exustis rebus superest cinis, qui nihil est aliud quam terrea exustarum rerum pars ignitionem retinens. Hic amarus sentitur, qui deposita in aquam ignitione fit frigida terra; aquam vero vertit in salsum lixivium, itaque amarum fit maxima terræ ustione; salsum hac ipsa abjectione humoris, aliquatenus attemperata. Sal vero est illud terreum ustum, quod cum aqua permiscetur facile, permixtum vero ipsam reddit salsam. Id aperte percipitur; quia ex aqua salsa quæ colligitur sive ex mari, sive ex salinis, per distillationem separatur sal; et fit succus potui aptus; quandoquidem igitur separationis salis dulcescit, permixtione illius erat salsa; estque sal terra illa exusta, quæ cum aqua facile permiscetur; non est autem usta usque ad amaritudinem, sed infra: argumento, quod ubi ustio plurimum crevit, mare ipsum pro salso est amarum, ut quod mortuum appellatur. Hæc Valesius.

Mystice gelu est frigus infidelitatis.

Symbolice Rabanus: « In gelu, inquit, frigus infidelitatis figuratur; in sale vero infecunditatis germinis. Gelu ergo sicut salem antiquus hostis super terram effundit, cum per frigus infidelitas terrenorum corda ac fructus bonorum operum inhabilia reddit: et dum tentationum procella flaverit, facit ea tanquam tribuli acumina, hoc est spinis vitiorum asperrima: ut in iis obdurentur quasi crystallus, id est glacies, uti sequitur. »

Vers. 22.

22. FRIGIDUS VENTUS AQUILO FLAVIT, ET GELAVIT CRYSTALLUS AB AQUA. — A pruina transit ad ventos, præsertim Aquilonem, qui pruinæ et crystalli, id est glaciei (græce enim κρύσταλλος idem est quod glacies) est causa. Aquilo enim suo frigore constringit aquam, quæ constricta fit estque glacies, juxta illud *Job* XXXVII: « Flante Deo concrescit gelu. » Hinc ænigma glaciei celebratur: « Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me. » Aqua enim quasi mater per frigus generat glaciem, quæ per calorem resoluta rursum redit in matrem, gignitque aquam. Aquilonem, æque ac nivem repetit et inculcat hic Siracides; quia Aquilo in ventis excellit, estque acerrimus, æque ac nix et pruina in vaporibus condensatis et conglaciatis. Porro summa naturæ mirabilia, et quasi miracula sunt hæc tria, scilicet tonitruum, fulmen et ventus; horum enim adæquatam claramque causam, quæ menti plane satisfaciat, Physici reddere nequeunt. Quocirca in varias ipsi de ventorum natura, origine et motu abeunt sententias.

Tria mirabilia naturæ.

Ventus quid?

Hippocrates, lib. II *De Victus ratione*, dicit ventos spirare a nive, glacie, gelu vehementi, fluminibus et stagnis, terraque humida et refrigerata. Anaximander etiam fluxum aeris, cujus tenuissimas maximeque humidas partes sol absumpserit, ventum esse agebat. Stoici ventum omnem fluentis aeris impetum vocabant, qui pro locorum et regionum diversitate varia nomina obtinent. Vitruvius, lib. I *Architect.* cap. VI, ventum dixit esse aeris fluentem undam cum incerta motus redundantia. D. Isidorus, lib. XIII, ventum definit aerem commotum; D. Damascenus, lib. II. *Fidei orthodox.* cap. VIII, aeris fluxum sive agitationem. Denique Astrologi aerem percitum ventum esse statuerunt, qui cum omnia ad siderum dominantium vim et aspectum referant, aiunt aerem dispari stellarum errantium ictu, radiorumque multiformi actu commoveri, tumque ventorum portas aperiri, cum Jupiter Solem et Lunam et Mercurium, aut eumdem Mercurium Mars diametrali radiatione inspexerit, vel ei quadrata fuerit conjunctus: vel ubi uterque in signis aereis fuerit, ut in Geminis et Libra: aut cum Luna et Jupiter in ariete et scorpione pariter fuerint constituti: deinde luna æquabili societatis potestate cum Mercurio coierit. Ita nostri Conimbricenses, tract. *De ventis*, cap. VI.

Procreationis autem ventorum a variis variæ redduntur causæ. Quidam enim putant causam ventorum esse nubes in aere extensas, sua mole, aerem hinc et inde prementes et impellentes; ex talique nubium motu et impulsu ventum fieri. Alii vero dicunt ventum procreari ex conflictu sinuum maris in quatuor terræ partibus: nam quando sinus Australis et Aquilonaris confligunt in Oriente, dicunt ex illo motu maris consurgere ventum qui vocatur Subsolanus: quando vero hujusmodi sinus confligunt in Occidente, agitato aere ex motu maris consurgere ventum, qui dicitur Favonius: si vero sinus Orientalis et Occidentalis conflictum emittant, in Meridie fieri ventum, qui dicitur Auster: si vero in Septentrione, procreari eum qui vocatur Boreas: ex aliis autem refluxionibus maris intermediis collaterales ventos proficisci. Nonnulli vero arbitrantur fieri ventos ex cavernis terræ, quod aer labilis sit naturæ, et penetret ejus cavernas, indeque egrediatur: et dicunt, cum pars altera conatur exire, alia vero subintrare, fieri conflictum, et moveri aerem, et hujusmodi aeris impulsum et motum, esse ventum: ideoque Æoliam regionem esse ventosam, quod sit cavernosa. Plura vide apud Fredericum Bonaventuram, toto libro *De Causa ventorum motus*. Porro Aristoteles, quem passim jam Philosophi sequuntur, docet materiam ventorum esse exhalationem calidam et siccam, idque multis argumentis evincit. Motum ergo ventorum in hunc modum effici: solis et aliorum siderum attractu multi halitus, qui (uti diximus) materia ventorum sunt, confertim in sublime elati ad mediam aeris regionem perveniunt: inde ab aere illo frigido et denso protrusi, refracto ac dissultanti impetu resiliunt: et quia pulsu deorsum aguntur, et ob insitam levitatem in superiora contendunt; dum neutra pars vincit, quasi partita contentione neque sursum, neque deorsum, sed oblique fluunt.

Hæc de ventis Philosophi, et nostri Conimbricenses, tract. 6 *in Meteora*, cap. III. Sed iidem sunt ar-

Venti

Arcanum Dei.

vere et sapienter addunt : Verum, ut ingenue fateamur, hoc unum est ex iis quæ in naturæ contemplatione magna ex parte latent : adeo ut ob id *Psalm.* CXXXIV, et *Jeremiæ*, X, dicatur Deus producere « ventos de thesauris suis; » id est de occultis naturæ causis, præsertim cum videamus tot ventorum species. Primarii enim venti sunt quatuor, scilicet Eurus qui flat ab Ortu, Zephyrus ab Occasu, Auster a Meridie, Aquilo a Septentrione. Sed secundarii sunt duodecim; quisque enim ex hisce quatuor tres alios habet sibi collaterales, ita ut universim sedecim sint species ventorum : quin imo nonnulli numerant 32; cuique enim primario non tres, sed septem collaterales assignant. Merito ergo Dei magnificentiam Siracides hic celebrat a productione ventorum, præsertim Aquilonis, quia acerrimus est.

Vers. 23. Crystallus est glacies.

ET GELAVIT CRYSTALLUS AB AQUÀ. — « Crystallus, » ut dixi, est glacies. Unde Complutensia vertunt, *et gelabitur ab aqua*, Tigurina : *glacie ex aqua coeunte;* alii : *concrescit aqua in glaciem*, κρύσταλλος enim Homero, Plutarcho, Thucydidi, et aliis Græcis idem est quod glacies; imo inde dictus est crystallus lapis, vel gemma illa pellucida ἀπὸ τοῦ ϛέλλεσθαι ἀπὸ τοῦ κρύους, id est ab eo quod gelu contrahatur, ut docet Plinius lib. XXXVII, cap. II : « Contraria huic causa crystallum facit, inquit, gelu vehementiore concreto : nec alicubi certe reperitur, quam ubi maxime hibernæ nives rigent, glaciemque esse certum est : unde et Græci nomen dedere. » Plinium secuti nostri Conimbricenses, tractat. *in Meteora*, cap. V, docent gemmam crystalli vere concrescere ex gelu et glacie, ideoque duplicem esse hanc gemmam, unam ex gelu congfaciatam, alteram metallicam et fossilem. Plinius, inquiunt, lib. XXXVII. cap. II, affirmat perfrigidis regionibus concrescere aliquando nives in crystallum; ideo nec eam reperiri nisi ubi maxime hibernæ nives rigent, ut in cautibus Alpium : unde ipsam plerumque a locis inviis fune pendentes extrahunt. Itaque ait crystallum esse glaciem : unde et nomen Græci dedere. Dicitur enim a κρύος, id est glacies, et ϛέλλω, id est contraho : quod ex glacie frigoris vehementia obdurescat in lapidem. Gigni vero ita crystallum confirmat præsens experientia : cum hoc etiam tempore e præaltis et frigidissimis rupibus, ut e Persinianis, quæ in extremis sunt Noricis, evehatur. Sed et intra terram, ut in venis tam metallicis quam propriis, ut alios pretiosos lapides, crystallus inveniri constat.

SUPER OMNEM CONGREGATIONEM (perperam Rabanus legit *contractionem*; græce enim est συναγωγὴν, id est *congregationem*) AQUARUM REQUIESCET (crystallus, id est glacies), ET SICUT LORICA INDUET SE AQUIS. — *q. d.* Glacies constringit et conglaciat omnem congregationem aquarum, adeoque subinde ipsa flumina licet maxima, in iisque quasi considet et requiescit firmiter et secure; quia aquis conglaciatis et condensatis quasi lorica se induit et communit, ut facilius sit loricam pertundere et rumpere, quam aquas profunde fortiterque conglaciatas. Aqua enim ex se est fluida, tenera et mollis; sed per glaciem indurescit sicut lorica ferrea. Ergo tunc gelu quiescit super omnem congregationem aquarum : nam congelantur lacus, adeo ut super ipsis carri transeant onusti, quin et bellica tormenta : congelatur denique mare : nam ideo mare Glaciale nuncupatur. Græce est, καὶ ὡς θώρακα ἐνδύσεται τὸ ὕδωρ, id est, glacies *quasi thoracem induet aquas;* scilicet concretas et conglaciatas. Ita Complutensia, ut τὸ ὕδωρ sit accusativi casus. Verum Romani accipiunt ut nominativi, unde vertunt, *et tanquam loricam induet aqua, q. d.* Aqua induit glaciem quasi loricam, eaque quasi lorica se obfirmat et communit contra alia elementa sibi inimica. Omnia hæc vera sunt, et eodem redeunt : nam et glacies induit se aquis concretis quasi lorica; et vicissim aquæ concretæ sese induunt glacie quasi lorica, aquæ enim concretæ reipsa non sunt aliud quam glacies. Porro Tigurina totam hanc sententiam ita reddit : *Tum frigidus spirando ventus, Boreas glacie ex aqua coeunte omnem aquarum collectionem obducit, quasi thoracem eis induens.* Sane mira est Dei potentia, quæ per glaciem aquas adeo labiles, caducas et fluxas ita constipat, condensat et roborat, ut lapidescant, lapidumque et loricæ ferreæ duritiem induant. Quod admirans Job, cap. XXXVIII : « De cujus utero, inquit, egressa est glacies? et gelu de cœlo quis genuit? » Ac tres pueri in fornace Babylonia : « Benedicite, inquiebant, rores et pruina, Domino : benedicite, gelu et frigus, Domino : benedicite, glacies et nives, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula, » *Daniel.* cap. III.

Glacies loricæ ferreæ.

Vers. 23. 23. ET DEVORABIT MONTES, ET EXURET DESERTUM, EX EXSTINGUET VIRIDE, SICUT IGNE. — Perperam Rabanus et alii legunt. *sicut ignem*; sicque exponunt, *q. d.* Glacies suo frigore exstinguit viride, sicut eadem per idem frigus exstinguit ignem. Græce, *exstinguit herbam sicut ignis*; Tigurina : *Montes depascitur, deserta perurit, et herbam velut ignis perimit, q. d.* Glacies omnia montium gramina, omnemque virorem desiccando devorat; simili ratione frutices, herbas, omniaque virentia deserti arefaciendo quasi exurit et exstinguit, perinde ac si igne virides herbas afflaret et exsiccaret. Est catachresis : ignis enim solus proprie urit; Aquilo vero et frigus improprie urunt : quia scilicet acriter sensum tactumque perstringunt et cruciant, similemque dolorem excitant ei quem excitat ignis, cum manum membrumque aliquod adurit : et quia herbas plantasque desiccant instar ignis : nimium enim frigus exstinguit in eis calorem nativum, qui humorem ad vitam et virorem necessarium attrahebat. Unde calore hoc exstincto, ideoque humore deficiente, siccantur et exarescunt. Hoc est quod ait Jacob, *Genes.*

Frigus urit, quatione.

XXXI, 40 : « Die noctuque æstu urebar, et gelu; » et Psaltes, *Psalm.* XCI : « Per diem sol non uret te, neque luna per noctem; » causando scilicet frigus nocturnum acre et exurens. S. Basilius, homil. *De Quadraginta Martyribus*, ait eos frigore totos exustos. Lucanus : « Urebant montana nives. » Hinc frigidus dicitur urens. Virgilius, I *Georg.* : « Boreæ penetrabile frigus adurat. » Et Tacitus, lib. XV *Annal.* : « Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt. » Unde Pompeius Festus : Pruina, inquit, dicitur a perurendo, quod frondes herbasque perurat : perinde ac Græci ἄῤῥον vocant pruinam et frigus matutinum ab αὔω, id est uro.

24. MEDICINA OMNIUM IN FESTINATIONE NEBULÆ : ET ROS OBVIANS AB ARDORE VEHEMENTI HUMILEM EFFICIET EUM, — crystallum scilicet, hoc est gelu et glaciem. Perperam Rabanus legit, *obvians ardori* : Græca enim et Latina Romana habent *ab ardore*. Sensus est, *q. d.* Remedium omnium incommodorum, quæ affert gelu et glacies, est nebula et ros subito flante Austro excitatus, ab humido calore et ardore vehementi : hæc enim humiliant, id est expugnant, humectant, et dissolvunt glaciem, coguntque ut in aquas, ex quibus concrevit, redeat. Græca habent : *Ros obvians a calore*, vel *post calorem exhilarat*; Complutensia, *lætificat*. Ros enim suo frigore temperans calorem, exhilarat homines et plantas. Tigurina : *Quorum omnium præsens remedium est nubes, et ros ab uredine succurrens eadem exhilarat*. Hinc Alcmanus Lyricus poeta rorem vocat Jovis et Lunæ filiam : quia noctu calore lunæ ex aere vapor elevatur, qui frigore nocturno concrescens labensque in herbas et gramina, fit ros, qui earum est quasi gemma. Unde Lucretius, lib. II : « Herbæ gemmantes rore recenti, » ac ovibus et pecoribus gratissima efficit pascua, juxta illud Virgilii, *Georg.* III :

> Et ros in tenera pecori gratissimus herba est.

Et Ovidius, lib. III *Fastor.* :

> Mollis erat tellus rorata mane pruina.
> Canuerant herbæ rore recente quater, etc.
> Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina
> Spargitur.

Hæc admirans S. Job ait cap. XXXVIII : « Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris? »

Symbolice Rabanus : Omne frigus et glacies Aquilonis, id est diaboli et peccatorum, curatur et pellitur rore, id est Christi incarnatione, doctrina et gratia : quam optans Isaias, cap. XLV : « Rorate, inquit, cœli, desuper, et nubes pluant justum. » Vide ibi dicta. Et Psaltes : « Descendet sicut pluvia in vellus : et sicut stillicidia stillantia super terram, » *Psalm.* LXXI, 6. Unde ejus typus fuit ros descendens in vellus Gedeonis, *Judic.* VI, 37. Rursum « stillæ roris, ait Rabanus, ipsi sancti prædicatores sunt, qui arva pectoris nostri inter mala vitæ præsentis, quasi inter tenebras sive noctis urentia, gratia supernæ largitatis infundunt : hic siquidem ros humilem fecit diabolum, hoc est defectum; quia occultas insidias ejus claro sermone produxit in manifestum; ut jam mundus ab idololatria et persecutionis tempestate cessaret, qui se diu illusum ab antiquo hoste sentiret. »

Ros est Christi incarnatio et gratia.

Tropologice noster Alvarez de Paz, tract. *De Mortificat.* sub initium, per nebulam accipit mortificationem, quæ omnium vitiorum est medicina. Frigiditatem enim animæ, et corporis gelu, quod solet herbas et flores sanctorum desideriorum absumere, mortificatio, quæ instar nebulæ subobscura est, et aliquid tristitiæ habens, non sine mirabili facultate dissolvit, et omnem ignaviam socordiamque repellit.

SEXTA PARS CAPITIS.

MARE ET INSULÆ.

Vers. 25. 25. IN SERMONE EJUS SILUIT VENTUS, ET COGITATIONE SUA PLACAVIT ABYSSUM, ET PLANTAVIT IN ILLA DOMINUS INSULAS. — Pro νήσους, id est *insulas*, aliqui legunt Ἰήσους, id est *Jesus*. Ita Græci codices Romæ correcti, et multi Latini, qui cum Jansenio sic legunt : *Et plantavit illum Dominus Jesus, q. d.* Abyssum, id est mare plantavit Christus, non qua homo, sed qua Deus, Deique Verbum : verbo Domini enim cœli firmati sunt; sic et mare, terra, omnesque creaturæ. Ita Rabanus : Verum corrigendum est cum Complutensibus cæterisque Græcis ac Latinis Romanis, νήσους, id est *insulas*. Sensus est, *q. d.* Deus suo sermone et jussu ventum licet validissimum sistit, inhibet, efficitque ut plane sileat. Idem « cogitatione, » græce λογισμῷ, id est sua cogitatione, sermone, jussu, hoc est cum cogitat, vult et jubet, « placavit abyssum; » hoc est mare undis æstuans, fluctusque in cœlum jactans sedavit, id est sedat, placidumque et tranquillum efficit. Idem in ea, scilicet abysso, id est mari, plantavit insulas, ut in media aquarum abysso et vastitate vel firmæ consistant, vel fluitent et natent : sunt enim in Belgio aliisque in locis insulæ in aquis fluitantes, quod sane mirabile est Dei opus. Complutensia : *In sermone ejus quievit abyssus, et plantavit in ea insulas;* Tigurina : *Profundum consilio suo tranquillat, et in ea fundat insulas;* alii : *Oratione sua sedat abyssum*, etc. Sic Christus imperavit ventis et mari, *Matth.* VIII. Nam, ut ibidem ait S. Hieronymus : « Omnes creaturæ sentiunt creatorem : quibus enim increpatur et imperatur, sentiunt im-

perantem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia; sed majestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt. » Sic et Rabanus. Mystice Hugo : Christus, inquit, placat et pacat abyssum cupiditatis et ambitionis humanæ. Nota : τὸ *plantavit* significat insulas in mari plantatas esse, et eminere quasi arbores. Sicut enim Deus, *Genes.* II, in paradiso plantavit varias arbores : sic idem in mari plantavit varias insulas, quæ mare ornent, sicut arbores paradisum : et sicut hæ paradiso, sic insulæ mari quasi Dei horto insertæ et quasi inoculatæ sunt. Rursum τὸ *plantavit* significat insulas firmatas et radicatas esse in mari, sicut plantæ radicantur in terra; quod sane mirum est : mare enim in perpetuo est motu et fluxu. « Unde mare a meando dictum est, ait Rabanus, quod semper eat ac redeat. » Denique τὸ *plantavit* significat insulas instar plantarum esse fertiles magnasque et multas frugum fructuumque species producere; circumfluuntur enim mari et aqua undequaque. Hinc « insulæ » dicuntur quasi « in salo, » id est mari, positæ, ait Sextus Pompeius, et S. Isidorus, lib. XIV *Origin.* cap. VI.

Porro, quantum in mari sit insularum decus, quamque ad miraculum admirabile Dei opus, ex earum regina, Sicilia inquam, docet Plinius, lib. III, cap. VIII : « Verum ante omnes claritate Sicilia, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, aut Triquetra, a triangula specie : circuitu patens, ut auctor est Agrippa, 638,000 passuum : quondam Brutio agro cohærens, mox interfuso mari avulsæ 12,000 in longitudinem freto, in latitudinem autem 1,500 passuum juxta columnam Rhegiam. Ab hoc dehiscendi argumento, Rhegium Græci nomen dedere oppido, in margine Italiæ sito. In eo freto est scopulus Scylla, item Charybdis, mare vorticosum, ambo clara sævitia. Ipsius Triquetræ, ut diximus, promontorium Pelorus vocatur, adversus Scyllam vergens in Italiam; Pachynum in Græciam 144,000 ab eo distante Peloponneso : Lilybæum in Africam 180,000 intervallo a Mercurii promontorio, et a Caralitano Sardiniæ 120,000. » Et mox : « Promontorium Drepanum, colonia Taurominium, quæ antea Naxos, flumen Asines, mons Ætna nocturnis mirus incendiis. Crater ejus patet ambitu stadiorum 20. Favilla Taurominium et Catanam usque pervenit fervens, fragor vero ad Maronem et Gemellos colles. Scopuli tres Cyclopum, portus Ulyssis, colonia Catana. Flumina Symethum, Terias. Intus Læstrygonii campi. Oppida, Leontini, Megaris, amnis Pantagies. Colonia Syracusæ, cum fonte Arethusa. »

Siciliæ elogia.

Mystice, Dominus Jesus pacat maria tentationum et tribulationum, imo ipsa maria procellarum viris Religiosis navigantibus in Indias, Japones et Sinas, ut ipsius fidem disseminent : atque in ipsis fundat insulas, puta Ecclesias fidelium, quæ cum undique mari infidelium et persecutorum cingantur, permanent tamen, solidæque consistunt ut insulæ, imo ut horti et paradisi omni gratiarum flore, omnibus virtutum fructibus vernantes. Eia ergo, Apostolice Argonauta, qui ad Indos navigas, qui immensa marium spatia Jesu amore et zelo emetiris, magnos cape animos. Non te percellat Oceani vastitas, non consternent fluctus ad sidera quasi sese attollentes : Jesus melior nauclerus quam Jason, tibi adest : illo duce quid trepidas? si æstus, si frigora, si malacia, si venti confligant et affligant; Jesum aspice, Jesum invoca : Jesus imperat ventis et mari. Si syrtes, si vada, si naufragia immineant, dicito : Tibi navigo, mi Jesu, tibi vivo, tibi morior. « Omnium periculorum Christus solutio est, » ait Cyrillus Alexandrinus. Si piratæ, si hæretici ingruant, dicito cum S. Athanasio : « Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego serabo. » Si mors, si carcer, si martyrium, si ignes immineant; hæc pro te sustinuit Jesus, ac rursum in te pro se et pro te sustinebit, si eum uti nomine, ita imitatione et opere referas et præferas. « Consortium enim meretur nominis, qui consortium meretur et operis, » ait S. Ambrosius, *serm.* 2. Socius es Jesu, socius esto tribulationum, socius laborum, socius vitæ et mortis, ut socius sis felicitatis et gloriæ : « Si enim compatimur, et conglorificabimur. » Et : « Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis, » II *Corinth.* I, 7. Ergo « quibus lorica est Christus, hostium vim non timent, » ait Ennodius.

Deus pacat maria tentationum.

26. QUI NAVIGANT MARE, ENARRENT PERICULA EJUS : ET AUDIENTES AURIBUS NOSTRIS ADMIRABIMUR, — cum ea enarrari audiemus. Ita Romana. Alii cum Græcis legunt *admiramur*, in præsenti; Tigurina : *Qui navigant mare, narrant pericula ejus, quæ nos miramur audita auribus nostris.* Alludit ad *Psalm.* CVI : « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Dei, et mirabilia ejus in profundo. » Vers. 26.

Hinc Cato, ait Plutarchus, aiebat se trium pœnitere : *primo*, quod ullo die in hac vita tam fragili et instabili mansisset intestatus; *secundo*, quod feminæ secretum credidisset; *tertio*, quod mari se commisisset, eoque navigasset, quo poterat terrestri itinere proficisci. Aliorum sapientum hac de re gnomas recitavi, *Thren.* II, 13.

Mystice Rabanus : Mare est hoc sæculum plenum tentationibus et periculis : « Ubi diabolicæ, inquit, sine numero serpere probantur insidiæ, malitiaque dæmonum velut quibusdam fluctibus, animarum instabilitas commovetur. Mare enim ipsæ reddunt, dum naufragare compellunt; quia non est dubium illum undas immanissimas pati, qui mergitur gurgite peccatorum. »

27. ILLIC PRÆCLARA OPERA, ET MIRABILIA; VARIA BESTIARUM GENERA, ET OMNIUM PECORUM, ET CREATURA BELLUARUM. — Græce, κτίσις κητῶν, id est *crea-* Vers. 27.

tura vel *natura cetorum* : hi enim ob vastitatem vocantur belluæ ; Complutensia pro κτίσις, legunt χρίσις, id est *discretio cetorum.* Pro *præclaræ* græce παράδοξα, *paradoxa.* Complutensia : *inopinata;* Romana : *incredibilia;* Tigurina : *miracula;* Græca Romana sic habent : *Illic incredibilia et admirabilia opera : varietas omnis animalis, creatura cetorum;* Tigurina : *Incredibilia sunt ibi miracula; omnigena varietas animantium, et natura cetorum.*

Cetorum mira natura. Primo. Noster forte pro κτίσις, legit φύσις, id est *natura cetorum.* Mira est enim eorum natura : *primo,* in magnitudine tam vasta; nam in Indico mari sunt balenæ « quaternum jugerum, » ait Plinius, Secundo. lib. IX, cap. III; *secundo* : « Ora balenæ habent in frontibus, ideoque summa aqua natantes in sublime nimbos afflant, » ait Plinius *ibid.* cap. VI; Tertio. *tertio,* mira est balenarum cum orcis pugna, Quarto. quam ibidem describit Plinius; *quarto,* mira est species cetorum; multæ enim, eæque valde diversæ sunt cetorum species, quas recensent Al- Quinto. drovandus et Rondeletius, lib. *De Piscibus* ; *quinto,* balena cum sit tanta moles carnea, gaudet tamen luce et sole : unde aliqui dictam censent balenam παρὰ τὸ εἰς φῶς ἅλλεσθαι, quod ad lucem advolet, et in luce solis apricari gaudeat : esto alii alia balenæ dent etyma, quæ recenset Aldrovan- Sexto. dus, cap. II *De Balena; sexto,* balenæ, utpote cæcutientis, iter dirigit musculus piscis, quem natura ei providit, ducemque viæ dedit : ita Plinius, lib. IX, cap. LXII : « Amicitiæ exempla sunt, inquit, balena et musculus : quando prægravi superciliorum pondere obrutis ejus oculis, infestantia magnitudinem vada prænatans demonstrat, Septimo. oculorumque vice fungitur; » *septimo,* balenæ Octavo. fistulam habent pro brachiis; *octavo,* balena cum fetus ob aquæ defectum terræ adhærent, aquam instar fluvii ore receptam in eos ejaculatur, ut natare possint, itaque eos periculo liberat : testis est Philostratus, lib. II *De Vita Apollonii; nono,* Nono. oculi balenæ capitis humani magnitudinem superant, et quatuor ulnis a se invicem distant; Decimo. *decimo,* balenæ nonnullæ in ventre continent ambram. Plura vide apud Aristotelem, Aldrovandum et Rondeletium.

Maris mira. Primum. Porro plura sunt mirabilia et quasi miracula maris, quæ Dei creatoris magnificentiam assidue nobis inclamant et celebrant. Primum inter ea est, immensa maris varietas, longitudo, scilicet latitudo et profunditas, ob quam vocatur abyssus, quasi profundum sine fundo.

Secundum. Secundum, maris tempestates et fluctus, qui aliquando in cœlum quasi ad sidera videntur assurgere, et mox subsidere, ac in profundum quasi barathrum demergi. Rursum fluctuum collisiones, rugitus et fragores; ut leones rugientes, vel tonitrua sese collidentia tibi audire videaris, qui sane navigantibus periculum æque ac horrorem creant.

Tertium. Tertium, quod in elemento tam instabili et fluxo stabilitæ sint insulæ.

Quartum. Quartum, quod illud ipsum ita fluidum, liquidum et tempestuosum sit navigabile, atque navibus quasi curribus velut solum solidum se substernat. Sane videmus naves maximas maximis oneribus onustas sulcare libere maria, et ab Occidente in Orientem vastissima Oceani spatia transmittere. Fuit patrum ætate Magalianus, qui inaudito a sæculis exemplo totum orbem triennio circumnavigavit, nuncque hos, nunc illos Antipodes lustravit, indeque navi nomen inditum *Victoria,* et fretum ab eo repertum Magalanicum appellatum.

Quintum. Quintum, quod in ea sint varia bestiarum genera, non tantum piscium, sed et cancrorum, concharum, ostreorum, amphibiorum, insectorum, zoophytorum, etc. Piscium species multi, ait Palacius, numerant 153, tot scilicet quot pisces S. Petrus reti conclusit jussu Christi, *Joan.* ult. Verum alii longe plures numerant; unde Psaltes, *Psalm.* CIII, 25, ait in mari esse « reptilia, quorum non est numerus; » quod non solum ad individua, sed etiam ad species referas.

Sextum. Sextum, quod in mari sint omnium pecorum genera, ut ait Siracides; omnia igitur pecora terrestria habent sibi similia quoad formam et figuram in mari : sed mare insuper plura alia profert, quæ non est reperire in terra. Mare ergo suos habet marinos canes, equos, vitulos, boves, vulpes, picos, simias, porcos, elephantes, salamandras, mustelas, hirundines, hircos, lepores, hinnulos, lupos, pardales, gallinas, gallos, grues, corvos, cuculos, passeres, perdices, phasianos, aquilas, etc., quorum effigies, naturam et indolem describit Ulysses Aldrovandus, et Guilielmus Rondeletius, lib. *De Piscibus.* Quin et in mari nascuntur herbæ et arbores aquatiles, imo lunæ et stellæ, viventia in eodem, teste Æliano, lib. XV, cap. IV; Plinio, lib. IX, cap. LX; et Aristotele, lib. V *Hist. animal.* cap. XV. Denique in mari sunt Satyri, sirenes, monachi, parasiti. Vide Pinedam, in *Job* cap. XXVI, vers. 5, in fine.

Septimum. Septimum, quod in mari sit « creatura belluarum, » id est cetorum; varias enim cetorum species et monstra producit. Porro ceti sive balenæ ita subinde grandes sunt et immanes, ut non tantum quatuor elephantes adæquent, sed et domos, palatia, ipsasque insulas repræsentent. Igitur pisces marini, ait Aldrovandus, maximi sunt inter animalia, aves minimæ, terrestria magnitudine sunt mediocria. Quia mare tam vasta corpora sustinere et alere potest, quæ non posset alere terra, multo minus aer; ideoque aves, quæ vivunt in aere, sunt minimæ. Insuper mira est indoles et sagacia piscium : ut alia taceam, delphin adeo civilis et ingeniosus est, ut homines amet quasi fratres, musica delectetur, in parentes sit pius, piscatorum socius, beneficis gratus, retia sua astutia evadat. Plura de ejus prudentia et sagacitate habet Aldrovandus. Delphinos tranquillo mari colludentes, tempestatem præsagire,

ait Plinius. Hinc poetæ fabulantur homines in delphinos transmutatos. Denique delphin rex maris nuncupatur. Cur? an quia velocissimus omnium animalium, ocior volucre ac telo, teste Plinio, lib. IX, cap. VIII?

Octavum, est maris motus. Nam mare ab Oriente in Occasum fluit. Deprehenderunt id Hispani ex Hispania navigantes in Indiam Occidentalem, quod iter conficiunt uno mense, quia secundo mari navigant : redeuntes vero ex India in Hispaniam, indigent spatio quatuor mensium, quia adverso mari et contra ejus nixum navigant. Habet et mare tres alios motus, quos recensent nostri Conimbricenses, tract. VIII *in Meteora*, cap. VIII. Porro motus maris ab Oriente in Occasum causa est motus solis et cœli totius ab Oriente in Occidentem : a sole enim et cœlo vis occulta in Oceanum influit; quæ mare versus eamdem partem rapit.

Nonum. Nonum est, æstus maris, quo mare reciproca agitatione nunc ad littus accedit, nunc in se redit subitque. Æstus hujus causa est luna; hæc enim mari et humidis dominatur : unde mare cum luna ab Ortu usque ad Meridiem fluit et crescit, refluit vero cum luna a Meridie ad Occasum declinat. Rursus cum luna ab Occasu sub terra ad noctis fastigium, sive ad punctum Meridiei oppositum procedit, crescit quoque fluitque mare; ac demum a noctis fastigio usque ad ortum cum eadem decrescit et refluit. Ita S. Basilius, VI *Hexaem.*, S. Ambrosius, IV *Hexaem.*, D. Thomas, Scotus, et passim Philosophi. Mirabilis est æstus Euripi, qui septies per diem fluit et refluit, cujus causam cum percipere nequiret Aristoteles, dicitur tædio et labore confectus, illic diem suum obiisse. Unde illud : « Aristoteles non capit Euripum, sed Euripus capit Aristotelem. »

Decimum. Decimum est, maris purgatio. Plinius, lib. II, cap. XCVIII, ait omnia maria purgari plenilunio, quædam statis diebus, intellige potissimum : nam maria quovis anni tempore tum alia, tum superfluitantia corpora in littus exspuunt. Cadavera enim recentia mari injecta primo ad vadum feruntur, deinde post aliquot dies emergunt et supernatant, donec fluctu volvente ad oram maritimam ejiciantur. Esto ergo mare ob sordes influentes sit impurum; qua de causa Pythagoras dixit mare esse Saturni lacrymas; tamen idipsum per se puritatis amans seipsum purificat et lustrat.

Undecimum. Undecimum est, quod mare locum situmque mutat. Unde loca nonnulla, in quibus olim fuit terra, nunc occupat mare; et vice versa. Sic Delos et Rhodus ex aquis denuo exstitisse dicuntur. Sic ultra Melon emersit Anaphe, inter Lemnum et Hellespontum sita. Sic nonnullæ insulæ factæ sunt, quæ antea cohærebant continenti : nam Sicilia ab Italia avulsa dicitur, Cyprus a Syria, Eubæa a Bœotia, Besbycum a Bithynia.

Duodecimum est, maris littus, quod mare intra alveum suum coercet, ut licet exæstuet, non tamen limites littoris sibi a Deo præstitutos transiliat, juxta illud *Job* XXXVIII, 8 : « Quis conclusit ostiis mare? » Et responsio, vers. 10 : « Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia; et dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. »

Mare mundi venter. Denique mare est quasi mundi venter. Id docent versus Macrobiani, qui ita mundi molem homini, ejusque membris adæquant :

> Cœlestis mundus caput est, mare venter opacum,
> Terra pedes, aures versantur in æthere summo,
> Lux oculi quam soli habet splendentis imago.

Igitur cœlum est magni hujus hominis caput, mare est venter, terra sunt pedes, auris est aer, oculi sunt radii solis. Sicut enim homo est microcosmus, sic vicissim κόσμος, id est mundus, est magnus homo.

Quocirca quoties mare videmus, audimus, legimus, attollamus mentis oculos ad Deum maris auctorem, ejusque in mari omnipotentiam, sapientiam, bonitatem contemplemur et admiremur, dicamusque cum Psalte : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti : impleta est terra possessione tua. Hoc mare magnum, et spatiosum manibus (sinibus) : illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis : illic naves pertransibunt. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei : omnia a te exspectant ut des illis escam in tempore, » *Psal.* CIII, 24.

Vers. 28. 28. PROPTER IPSUM CONFIRMATUS EST ITINERIS FINIS, ET IN SERMONE EJUS COMPOSITA SUNT OMNIA. — Græce σύγκειται πάντα, id est constant omnia. Lyranus et Dionysius hæc referunt ad littora maris, quæ mare continent et constringunt, ne exundet, *q. d.* « Propter ipsum, » scilicet abyssum (abyssus enim græce tam est nomen masculinum quam femininum), hoc est Oceanum, restringendum, « confirmatus, » id est firmiter positus, « est finis » et terminus « itineris, » quasi fluxus et motus illius; ultra quem non progreditur ut terram occupet, puta littus, juxta illud, *Psal.* CIII : « Terminum posuisti, quem non transgredientur : neque convertentur operire terram. »

Verum τὸ *propter ipsum*, vel, ut græce est, δι' αὐτὸν, id est *per ipsum*, potius refertur ad Deum : Deo enim, non mari competit id quod sequitur : « Et in sermone ejus composita sunt omnia. » Igitur « itineris finem » vocat finem creaturarum, ad quem scilicet singulæ suo quasi itinere continuo tendunt et pergunt; quia hic eis a Deo « confirmatus, » id est firmiter positus et stabilitus est, *q. d.* Omnes creaturæ sunt in perpetuo motu et itinere ad suum finem; firmiter enim et constanter ad finem suum tendunt, nec desistunt donec eum assequantur; nam, ut dixi, sol, luna et stellæ sunt in perpetuo motu : nix, ros, pruina, venti, etc., assidue descendunt vel perflant ter-

ram, idque ob finem cuique præstitutum et proprium; quod ergo ad finem sui itineris et motus firmiter tendant, eumque consequantur, hoc est per Deum tanquam causam efficientem, et propter Deum tanquam causam finalem, quia Deus est ultimus omnium creaturarum et motuum finis. Omnes ergo creaturæ per diversa itinera ad diversos fines proximos tendunt; sed omnia hæc tandem coeunt in Deo, qui est ultimus omnium finis, ut scilicet in omnibus eluceat et laudetur ejus bonitas, potentia, sapientia, justitia, etc. Hinc omnes creaturæ reipsa dicunt illud S. Augustini: « Creasti nos, Domine, ad te; et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. »

Unde pro *confirmatus est*, codices manuscripti legunt *consummatus est, q. d.* Deo duce omnia ab eo creata consequuntur suum finem, ad quem diriguntur, et instinctu naturæ sibi a Deo indito, suapte sponte quasi feruntur et currunt: ibi enim consummatur eorum creatio, natura et bonum. Quocirca explicans subdit: « Et in sermone ejus composita, » id est disposita, ordinata, « sunt omnia, » scilicet rerum omnium principia, media et fines inter se ita apte a Deo sunt composita, ut unum respiciat alterum, eoque firmetur, finiatur et perficiatur. Ita Palacius. Sensus, inquit, est, *q. d.* Iter creaturarum omnium confirmatur, et prospere succedit propter Deum. Quia enim Deus finis est omnium, ideo quæ in finem suum prospere veniunt, Dei causa veniunt: est enim ipse α et ω, principium et finis. Ergo confirmari finem itineris, est rem firmiter ad finem venire; si ergo veniunt arbores ad fructuum maturitatem, si segetes maturescunt, si animalia perficiuntur, propter Deum perficiuntur; ut scilicet ipsi grata sint, ejus obediendo voluntati. Dictum enim est: « Omnia propter seipsum operatus est Deus. » Addit Auctor, non solum Deum esse finem omnium creaturarum, sed et medium earum; quia in sermone et dicto ejus omnia sunt composita, constituta et stabilita. Ergo non solum Deus est principium et finis rerum, sed et medium, per quod vita rerum consistit. Igitur ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.

Mystice. Mystice Rabanus: « Propter ipsum, inquit, hoc est Filium Dei, confirmatus est ordo transeuntium rerum, et terminus constitutus est sæculi: quia sicut ab ipso verbo Dei universa originem acceperunt, sic et in ipso finiuntur. Ipse enim in *Apocalypsi*, cap. XXII, vers. 13, ait: Ego sum α et ω, principium et finis. »

Ad sensum jam datum accedunt Græca, quæ sic habent: δι' αὐτὸν εὐοδοῖ τέλος αὐτοῦ, id est *per ipsum bene dirigitur*, vel *prospere succedit, finis ejus*; Romani pro εὐοδοῖ legentes εὐοδία vertunt: *Per ipsum prosper successus finis ejus*, vel *propter ipsum finis ejus prosperitas est*; quod eodem redit, *q. d.* Per Deum omnia dirigentem opus quodlibet, sive res quælibet ab eo creata, prospere incedit, et in suum finem feliciter tendit, eumque assequitur. Tigurina: *Omnia per eumdem conseguuntur felicem finem suum, et constant ipsius imperio.* Noster pro αὐτοῦ legit ὁδοῦ, id est itineris; et sic pulchra est paronomasia inter εὐοδία et ὁδοῦ, *q. d.* Singulæ res Deo dirigente in sua ὁδῷ, id est via et itinere, habent εὐοδίαν, id est felix iter et prosperitatem, qua suum terminum et finem assequantur.

Aliter legunt Complutensia et nonnulli alii, nimirum sic: δι' αὐτὸν εὐοδοῖ ὁ ἄγγελος αὐτοῦ, id est *propter ipsum prosperatur et prosperat*, sive *bene recteque dirigitur et dirigit Angelus ejus, q. d.* A Deo et per Deum habet Angelus qui præest mari, vel Angelus qui præest toti universo, ut recte per se et suos Angelos, hominesque sibi subordinatos illud regat et gubernet: quia ipse vicissim regitur, gubernatur et prosperatur a Deo.

Verum prior lectio aptior verlorque est, eique conformis est Vulgata Latina. Videtur enim ex ultimo α quod est in εὐοδίαν, connexo cum τέλος, cum id non intelligeretur, conflatum et corruptum ἄγγελος. Suspicatur Vatablus in Hebræo Siracidis senioris fuisse מלאכתו *melactho*, id est *opus ejus*, scilicet feliciter succedit, pro quo in margine scriptum fuerit מלאכו *malachô*, quod *Angelum ejus* significat.

Porro Græci codices hic mire variant. Nam præter duas lectiones jam recensitas, Aldi Manucii codex habet: δι' αὐτῶν εὐωδεῖ τέλος αὐτοῦ, id est *propter ipsos*, vel *ipsa, finis ejus suavem odorem habet;* Germanicus: δι' αὐτῶν εὐοδεῖ τέλος αὐτοῦ, id est *propter ipsa prosperatur finis ejus;* alii: δι' αὐτὸν εὐοδοῖ τέλος αὐτῶν, id est *propter ipsum* (Dominum) *prospere dirigitur finis eorum.*

29. MULTA DICEMUS, ET DEFICIEMUS IN VERBIS. — Vers. 29. *q. d.* Licet multa dixerimus de operibus Dei, tamen deficiemus in iis recensendis, explicandis, laudandis et celebrandis. Vide novem consideranda et admiranda in operibus Dei, quæ recensui, *Genes.* I, 31. Porro quisque omnia et singula Dei opera considerare debet, ac si sibi soli ea fecisset: sic enim sibi serviunt, ac si soli servirent: atque Deus ita illi intendit, ac si soli intenderet, soliusque curam gereret, ait S. Augustinus in *Soliloquiis*, cap. XIV. Præclare S. Basilius, homil. 11 *Hexaem.*: « Universa, inquit, hæc mundi moles perinde est ac liber litteris exaratus, palam contestans ac deprædicans gloriam Dei, illiusque augustissimam majestatem enuntians tibi intellectuali creaturæ, ut scilicet in eo nunc Dei sapientiam, nunc bonitatem, nunc omnipotentiam, nunc alia attributa contempleris, admireris, colas et reverearis. »

CONSUMMATIO AUTEM SERMONUM, IPSE EST IN OMNIBUS, — *q. d.* Cum non possimus omnia Dei opera verbis enumerare et celebrare, finis et summa verborum et sermonum sit, quod Deus est in omnibus, adeoque Deus est omnia: quia omnium est principium, medium et finis, omnium est causa efficiens, conservans et finalis. Græce enim est, συντέλεια λόγων τὸ πᾶν ἐστι αὐτός, id est *finis autem*

dictorum, ipse est omne. Clare Tigurina : *Dixerimus multa* (de Deo Deique operibus), *nec tamen satisfecerimus : cæterum summa dictorum est ipsum esse omnia.* Deus ergo est πᾶν, id est omne, universum. Complutensia et Romana vertunt ut Noster : *Ipse est in omnibus,* quia, scilicet, Deus formaliter non est omne; Deus enim non est sol, non cœlum, non aer, non equus, etc., sed causaliter Deus est omne; quia in omnibus est præsens, ea efficiens, conservans, dirigens, movens, gubernans, et in omnibus mirabilem se exhibens. Jansenius vertit : *Consummatio verborum, ipse est universum,* hoc est summa dictorum et discendorum de operibus Dei est hæc: Deus est omnia, hoc est omnia ad ipsum referri debent, omnia ei tribuenda, et quod sunt, et quod perdurent, et quod aliquid perficiant : ipse est omnium principium, medium et finis; ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia, ipse est qui in omnibus est attendendus. Itaque in nostra lectione illud, « in omnibus, » non est jungendum cum sequentibus, ut multi distinguunt, sed cum « ipse est : » et est punctus faciendus post *Consummatio autem sermonum*; ut sit sensus : Summa omnium, et ut summatim dicam, ipse est in omnibus; quomodo et de Christo dicitur a Paulo, quod omnia in omnibus adimplet. In Græcis est maxima Dei laus : habent enim in hunc modum : « Consummatio verborum : ipse est omne, » sive « ipse est universum. » Quod verbum habes frequenter dictum a Mercurio Trismegisto : ut videre est in *Dialogo* IX et X, sed maxime V Pimandri, ubi ait : « Ut veritatem liquidam fateamur, Deum esse cuncta fatebimur. » Neque vero ab hac Theologia multum Paulus abhorret, cum ait : « Tunc Filius subjectus erit ei, ut sit Deus omnia in omnibus. » Et Joannes dicens : « Quod factum est, in ipso vita erat; » id est omnes res factæ, in ipso sunt vita. Allusit etiam huc Salomon, cum Spiritum Sanctum vocavit mundum subtilem. Qui locus explicat omnia. Sane mundus hic corporalis est, omnia corporalia corporaliter complectens. At Deus est mundus melior, omnia corporalia incorporaliter et immutabiliter continens : ut melius simus omnes in Deo, quam in nobis. Ideo Deus est omnia eminenter. Ideo est principium, medium et finis; ideo via, veritas et vita. Cum ergo noster Auctor ait : Summam omnium esse, quod Deus sit in omnibus, intellige, ut principium, medium et finis : rerum causa, scilicet efficiens, conservans et finalis universorum, ait Palacius : in quo tantum corrige, quod τὸ *mundus, Sap.* VII, 23, videatur accipere pro orbe vel universo, cum « mundus » ibi idem sit quod purus : græce enim est καθαρός, esto Sapiens *ibid.* vers. 16 et 18, satis significet Deum Deique sapientiam omnia quæ in mundo sunt continere et complecti, ac consequenter Deum esse mundum transcendentalem.

Hinc rursum Deus est consummatio uti rerum, ita et sermonum omnium : tum quia sermocinando et laudando res creatas, implicite sermocinamur et laudamus Deum eorum opificem et creatorem; tum quia omnium cogitationum, operum et sermonum nostrorum scopus, finis et centrum debet esse Deus; ut cum S. Dominico et S. Thomas Aquinate, « omnis sermo noster sit cum Deo, vel de Deo, » vel formaliter et expresse, vel virtute et implicite. « In manu enim illius, et nos, et sermones nostri, » *Sap.* VII, 16.

Symbolice, « Consummatio sermonum, ipse est in omnibus. » *Primo, q. d.* Deus est qui omnes sermones, id est omnes res quas sermone eloquimur, consummat, id est perficit. Rursum consummat, id est ad finem perducit, ut suo cursu peracto cessent, terminentur et desinant, juxta illud, *Psal.* CXVIII : « Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis, » *q. d.* Deus omnia consummat et finit, ac solus post omnia superest, quasi rerum omnium terminus et consummatio, in qua omnia finiuntur et desinunt, uti flumina labuntur et defluunt in mare. Unde græce est αὐτός ἐςι τὸ πᾶν, id est ipse est omnia. *Secundo*, proprie sermonum consummatio est Deus; quia omnes sermones de creaturis sunt inconsummati, imperfecti, mutili; quia ipsæ creaturæ sunt mutilæ et imperfectæ : at sermo de Deo est consummatus et perfectus; quia ipse in se quaquaversum est consummatus et perfectus, imo immensus et infinitus.

Nota : Deus est τὸ πᾶν, id est omne et omnia : tum quia Deus formaliter in se habet oceanum et plenitudinem entis, puta omne esse, omne vivere, omne sapere, omnem potentiam, omnem majestatem, omnem fortitudinem, omnem gloriam, etc. tum quia eminenter continet res omnes; tum quia causaliter est omne, omnia enim creat et efficit. Deus ergo est τὸ πᾶν, id est omne et omnia : quia ipse est τὸ ὄν, id est ens primum essentiale, immensum : a quo omnia alia entia necessario et essentialiter pendent, adeo ut, si per impossibile non esset Deus, impossibile foret omne aliud ens. Hinc fit ut omne ens pendeat a primo ente sive a Deo, sicut radii pendent a sole, calor ab igne, imo longe magis : adeo ut res quælibet magis pendeat a Deo et esse divino quam ab esse proprio. Sic ergo Deus est prima entitas, prima veritas, prima sanctitas, prima lux, prima bonitas, prima suavitas, prima vita, prima ratio, prima mens, etc., a qua cæteræ omnes quæ sunt et esse possunt, ita necessario pendent, ut, si illa non esset, nulla aliarum esse et existere posset; quia ab illa prima velut ab idea sua et causa essentiali fluit omnis creata entitas, veritas, sanctitas, vita, mens angelorum, hominum, et rerum omnium. Tanta est divinitas, tantus Deus noster, tanta creaturarum a Deo dependentia. Ipse ergo est τὸ πᾶν, ipse est omne esse tam suum, quam creaturarum omnium. Unde ejus nomen est « Jehova, » id est « qui est, » vel « ego sum qui sum, » *Exod.* III, 14, et VI, 3. Vide ibi dicta.

Deus est τὸ πᾶν, id est omne.

Hinc fit ut Deus sit fundus, anima, spiritus et quasi corpus rerum omnium, totiusque universi. Ipse enim creaturas quasi umbras conservat, continet, sustentat : quæ alioqui, nisi a Deo assidue conservarentur et continerentur, in suum nihilum, e quo a Deo eductæ sunt, relaberentur. Sicut ergo umbræ magis pendent a corpore illas spargente, quam a seipsis : sic multo magis creaturæ omnes pendent a Deo, quam a seipsis : at omnes illi confiteri et dicere debeant cum S. Francisco : « Deus meus et omnia, » tu es meum et rerum omnium πᾶν.

Primo. Igitur Deus est τὸ πᾶν *primo*, localiter, quia omnia universi loca permeat et occupat; utpote qui sit ubique per essentiam, præsentiam et potentiam. Unde ipse quasi est primum et increatum spatium, sive locus immensus recipiens et locans loca et locata omnia, uti pulchre docet noster Lessius, lib. II *De Attributis divinis*, cap. II, ex S. Dionysio, cap. I *De Divin. Nomin.*, ubi Deum vocat « sedem et fundum, in quo omnia firmantur et recumbunt. » Quare totus mundus est in Deo, sicut parvula spongia in vastissimo mari : vel sicut globulus vitreus in lumine solis; quia ab eo undique penetratur et ambitur.

Secundo. *Secundo*, Deus est τὸ πᾶν arithmetice : quia omnes rerum species, numeros, gradus, ordines in se continens, singulis suum numerum, speciem et gradum elargitur, juxta illud : « Omnia in mensura, et numero et pondere disposuisti, » *Sapient.* XI.

Tertio. *Tertio*, Deus est τὸ πᾶν, metaphysice : quia ipse est ens entium, essentia essentiarum omnium, actus actuans potentias rerum omnium. Audi S. Dionysium, *De Divin. Nomin.* cap. I : Deus, ait, est « omne principium, omnis finis, vita omnis, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis ordo, omnis concentus, omnis vis, omnis conservatio, omnis firmitas, omnis distributio, omnis intelligentia, ratio, sensus, habitus : omnis status et motus, omnis connexio, omnis temperatio, omnis amicitia, omnis convenientia, omnis divisio, omnis terminus, cæteraque omnia. »

Quarto. *Quarto*, Deus est τὸ πᾶν, physice, quia ipse est natura naturans naturarum omnium : ipse enim cuique suam naturam, naturæque dotes dispertitur : sicut enim lux a candela lumen, rivus a fonte aquam suam haurit : sic omnis res suam naturam a Dei natura emendicat et accipit. Unde Plato censuit Deum esse animam mundi, quem secutus Virgilius sic de eo canit :

> Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Quinto. *Quinto*, mathematice et optice. Si enim mente res abstrahas a materia, et fundum rerum omnium intuearis, videbis ibi latentem Deum qui omnia sustinet, ordinat, mensurat. Unde Poeta : « Jupiter est quodcumque vides; » non quod creatura sit Deus creator, sed quod Deus sit basis, fundus, columna, quantitas et substantia rerum omnium : quia singulis suam substantiam et quantitatem creat, conservat, sustentat.

Quocirca S. Dionysius, *De Divin. Nomin.*, asserit Deum esse centrum universi. Sicut enim centrum est basis circuli, sic Deus est basis universi. Rursum, sicut in centro coeunt et uniuntur omnes lineæ diametrales ad circumferentiam; quo vero illæ magis a centro, eo quoque magis a se invicem discedunt et distant : sic pariter omnes creaturæ coeunt et uniuntur in Deo : unde cum homines vel angeli a Deo per peccatum discedunt, pariter a sese invicem separantur, abeuntque in odia et schismata. Dum ergo intueris creaturam, acie mentis penetra ad ejus fundum, ibique latentem Deum intuere, admirare et venerare. Sed ad hunc lynceum visum lyncea acie opus : Deus enim licet in se clarissimus, nobis tamen est spiritus subtilissimus, et lucem habitat inaccessabilem. Aquilæ ergo et lynces sunt, qui lynceis oculis creaturas ad fundum usque penetrant, Deumque ibi residentem pervident.

Sexto, active et operative : Deus enim non tantum dat singulis rebus suam naturam, mensuram, dotes et qualitates, sed et operatur in eis omnia earum opera, juxta illud : « In ipso vivimus, movemur et sumus, » *Act.* XVII.

Dum ergo vides solem tanta velocitate cœlum percurrentem, orbemque illuminantem; cogita Deum, qui tam cursum quam illuminationem tribuit soli; adeoque solem impellit, agit et agitat, ut tam velociter procurrat, terramque illustret. Dum vides plantas pulchre frondentes, flores belle florentes, arbores insignes fructus producentes, etc., cogita Deum, qui has frondes, flores et fructus operatur et producit. Idem cogita in operationibus rerum omnium, ac præsertim animæ tum tuæ, tum cujuscumque : dum enim anima tua videt, audit, sapit, imaginatur, cogitat, ratiocinatur, intelligit, vult, recordatur; Deus est qui hæc omnia et singula in anima tua operatur. Deum ergo in anima tua tam præsentem et operantem intuere, ama et adora. Quocirca S. Bernardus, in *Sententiis* : « Hi, inquit, qui soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in angelis, quid in seipso, quid in reprobis; contemplantur quia Deus est mundi rector et gubernator, hominum liberator et adjutor, Angelorum sapor et decor, in seipso initium et finis, reproborum terror et horror : in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in angelis desiderabilis, in seipso incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis. » Plura hac de re vide apud eumdem, serm. 46 et 23 *in Cantica*.

Allegorice, Deus et Christus est τὸ πᾶν, quia omnis fidei, gratiæ, virtutis fidelibus omnibus est auctor et causa, juxta illud Pauli : « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus : et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus

Christus in gratia est nostrum πᾶν.

et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus, » I *Corinth.* XII, 4. Deus enim in Christo res omnes summavit et collegit, ut Christus sit anacephalæosis, perfectio, finis, epilogus, corona, summa et compendium non tantum legis et Prophetarum, sed et omnium Dei operum, ac totius universi, juxta illud : « Proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, » *Ephes.* I, 10. Hinc Christus vocatur « et ω, principium et finis, *Apoc.* I, 8. Vide ibi dicta. Unde et Christus moriens in cruce exclamavit : « Consummatum est. »

Deus Beatis est πᾶν.

Anagogice Deus et Christus in cœlo Beatis est τὸ πᾶν, id est omne bonum, omnis felicitas, omnis gloria, juxta illud I *Corinth.* XV, 28 : « Ut sit Deus omnia in omnibus. »

Dei descriptio pulchra.

Denique eleganter S. Bernardus τὸ πᾶν describit lib. V *De Consider.* cap. XI : « Quid, inquit, est Deus? Quod ad universum spectat, finis; quod ad electionem, salus; quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo. Creans mentem ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Quid est Deus? non minus pœna perversorum, quam humilium gloria : est enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconversibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique, cui illisa omnis pravitas conturbetur necesse est. »

Tropologice

Tropologice, o creatura, o homo, o anima fidelis, avoca spem et amorem tuum a creaturis, et confer in Deum, qui est tuus πᾶν. Ex nihilo venisti, ideoque multis, imo rebus omnibus indiges : frustra eas petis et emendicas a creaturis, cum ipsæ non sint τὸ πᾶν, sed ut tu τοῦ πάντος indigeant. Cur umbras, cur rivulos consectaris? Cur non adis fontem, imo oceanum bonorum omnium? si sapientia indiges; Deus est ipsa sapientia fontalis, a quo omnis sapientia dimanat : si sanitate et robore cares; Deus est ipsa immortalitas, sanitas et robur : si charitate, sanctitate, virtutibus es destitutus; Deus est ipsa sanctitas, charitas, et virtus. Omni re indiges? adi τὸ πᾶν. Undique doloribus, calumniis, paupertate, ærumnis vexaris? adi Deum; ipse est τὸ πᾶν, quod omni dolori, calumniæ, paupertati, ærumnæ medetur. Ipse uti est τὸ πᾶν majestatis, omnipotentiæ, omniscientiæ : ita pariter est τὸ πᾶν omnis patientiæ, omnis fortitudinis, omnis consilii, omnis gratiæ; ideoque pantheo omnis religionis, omnis obedientiæ, omnis timoris et amoris colendus et venerandus : omnes enim creaturæ quasi naturali sensu Creatorem sentiunt, venerantur, adorant, obediunt, timent et amant : ideoque, ut alia taceam, in passione Christi sol et luna atrati, Dei sui mortem luxerunt, petræ scissæ, monumenta aperta sunt, totusque orbis e suo centro convulsus contremuit. Quid ergo hic non faciet homo? utique Deum suum πᾶν toto corde amet, colat, obediat, metuat. Plus enim, ut ante dixi, pendet a Deo quam a se : ideoque magis bonum Dei, quam suum proprium diligere tenetur, pro eoque emori; et, si opus esset, annihilari : Dei enim bonum, est bonum cujusque et totius universi, idque magis quam sit bonum cuique proprium, vel commune toti universo. Si ergo timor hominis, v. g. regis vel tyranni, urgeat ad offensam Dei, magis timeat homo offendere Deum quam regem. Rex enim solum corpora, Deus vero corpus et animam perdere potest in gehennam, *Matth.* X, 28. Sicut enim Deus est πᾶν dulcedinis et gaudiorum electis, sic et est πᾶν amaritudinis et tormentorum reprobis : utpote qui omnibus, imo infinitis pœnis eos excruciare possit. Si amor creaturæ alliciat ad peccatum, dicat : Magis amo τὸ πᾶν quam guttam vel umbram boni : si sollicitudo, angor, cura mentem distrahat; eam conjiciat in Deum, qui est τὸ πᾶν, id est omnium provisor, curator et ordinator : si res ardua aggredienda viribus nostris superior; respiciat in τὸ πᾶν, dicatque cum Apostolo : « Omnia possum in eo, qui me confortat : » omnia possum in Omnipotente : Omnipotens enim suos in se sperantes facit omnipotentes, ait S. Bernardus. In hoc ergo Dei Oceano nata, sicut pisces in mari; vola, sicut aves in aere gyrant et regyrant, sicut atomi in radiis solis. Præclare S. Bernardus, serm. 18 *in Cantica* : « Nihil, ait, est in rebus humanis, quod possit replere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi charitas Deus, qui solus major est illa. » Et S. Anselmus : « Si aliquid diligo, quia bonum; quod millies melius, magis amare debeo. Cur ergo per multa vagaris, o homo, quærendo bona animæ tuæ et corporis? Ama unum bonum, quod omne bonum est, et satis est. Desidera simplex bonum, quod est summum bonum, et sufficit. Rivuli bonorum concupiscibilium diversi : fons unus omnium Deus : sed melior et concupiscibilior fons quam rivulus, causa quam effectus; imo incomparabiliter melior. »

Moraliter : Ergo consummatio et perfectio sapientiæ et virtutis tam hominis quam angeli est Deus, puta unio cum Deo, scilicet omnes cogitationes, intentiones et actiones nostras dirigamus in Deum, eumque in omnibus creaturis, et omnes in eo amemus, si eum jugiter præsentem nobis imaginemur. Anima enim in illa meridie sui Creatoris aspectu vulnerata, amore illo æterno accenditur, quo non tantum illum stringit charissimis amplexibus, sed omnia ad eum trahit, omnia in eo videt, et illum unum in omnibus intuetur, ad eum anhelat et suspirat, dicens : Quoties suspiro et respiro, ad te, o Deus meus, suspiro et aspiro. Quare ubicumque sit, quidquid agat, sive comedat, sive bibat, sive studeat, etc., eum aspicit, quem diligit : omnia propter eum agit, qui se dilexit : in eoque vivit, moritur et quiescit per quietem amoris et contemplationis, sedetque in pulchritudine pacis et requie opulenta. O Domine

Deus cordis mei, o ignis, qui dulciter ardes et secrete luces, suaviter odoras! occupa totam regionem mentis meæ, o Rex regum, rex æternæ gloriæ, ut te solum esuriam et sitiam, ad te suspirem, tuamque mellifluam faciem videre æstuanter concupiscam. Transfige, amabilis Jesu, medullas animæ meæ suavissimo dilectionis telo; perfode cor meum ignea charitate, ut prorsus langueat anima mea tui desiderio, et amore tota resolvatur, tota liquefiat, tota in te transeat. Separa, Domine, mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ut ipsa tibi soli libere intendat, tu solus illam ut proprius possessor inhabites : descendat in me suavissimus odor tuus; veniat mihi divinæ charitatis tuæ inenarrabilis fragrantia, quæ puras et sempiternas in me suscitet concupiscentias.

Gentiles Deum vocarunt Pan.

Hæc per umbram viderunt Gentiles, sed rem ipsam non perviderunt; ideo ad superstitiones detorserunt. Arcades enim finxerunt deum, cui nomen dedere Pan, quod universæ materiæ esset dominus. Pan, inquit Servius, deus est in naturæ similitudinem formatus; unde et Pan dictus est, id est omne; habet enim cornua in radiorum solis et lunæ similitudinem. Rubet ejus facies in ætheris imitationem, in pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem; pars ejus inferior hispida est, propter arbores, virgulta et feras; caprinos habet pedes, ut ostendat terræ soliditatem; fistulam septem calamorum gestat, propter harmoniam cœli in qua septem soni sunt: pedum habet, id est baculum recurvum propter annum, qui in se recurrit : quia hic totius naturæ deus est. A Poetis fingitur cum Amore luctatus, et ab eo victus; quia omnia vincit amor. Quocirca Eusebius, lib. III *Præpar. Evang.*, Pana universi symbolum esse affirmat : cornua ei data propter solem et lunam; pantheræ pellem propter varietatem cœlestium. Unde illud Orphæi :

> Pana voco, magnum qui totum continet orbem,
> Qui mare, qui cœlum, qui terras frugiferentes,
> Æternumque ignem : hæc Panos sunt omnia membra.

Homerus vero in *Hymnis* :

> Panaque dixerunt, quia cunctos juverit idem.

Plura de Pane habet Giraldus, *De Diis Gentium*, Syntagm. 75, et Natalis Comes, lib. V *Mytholog.* cap. VI. Igitur ob causas jam dictas a veteribus Philosophis vocatus est deus τὸ πᾶν, id est *universum*, ut docet Eugubinus, *De Perenni Philosophia*, lib. III, cap. VIII, quia universa quæ aliquo modo esse participant, complectitur. Et in oraculo illo « Magnus Pan mortuus est » (cujus meminit Plutarchus, in libro *De Oraculorum defectu*) Christus « Magnus Pan, » ut quidam volunt, quia est omnium dominus, et omnia in se continet; etsi alii aliter illud intelligant. Eodem juxta multorum interpretationem pertinet illud quod Dominus ait Moysi, *Exod.* XXXIII : « Ego ostendam omne bonum tibi; » nimirum quia in Deo sunt omnia. Quocirca B. Laurentius Justinianus, Patriarcha Venetorum, dictitabat : « Veram scientiam esse scire hæc dico, scilicet Deum esse omnia, et se esse nihil. » Ita habet ejus *Vita*.

Deus est omne, homo est nihil.

Denique, sicut Dei nomen est πᾶν, id est omne : sic hominis et creaturæ nomen est οὐδείς, et οὐδέν, id est nullus et nihil : quo nomine se vocans Ulysses, callide Polyphemi iras elusit, ejusque manus evasit, ut alibi recensui. Homo ergo dicat Deo : Quis tu, Domine, quis ego? tu πᾶν omnis boni, ego οὐδέν, id est nihil et nihilum, sive entitatem, sive sapientiam, sive potentiam, sive virtutem spectes. Tuum ergo est, o πᾶν, meum οὐδὲν implere. Ego ex me nihil sum, nihil scio, nihil possum, nihil valeo. Ex te sum aliquid, scio, possum et valeo tantum, quantum mihi communicare, et gratis elargiri tibi placuerit. Miserere ergo οὐδένος, id est nullius, o πᾶν, et ex tua bonorum abysso guttas aliquot bonitatis illi impertire, ut ex nullo et nihilo fiam aliquis et aliquid : itaque tuæ plenitudinis particeps, subditus, encomiastes et preco. Hæc est sapientia Sanctorum.

Vers. 30 et 31.

30 et 31. GLORIANTES (id est glorificantes) AD QUID VALEBIMUS? IPSE ENIM OMNIPOTENS SUPER OMNIA OPERA SUA. TERRIBILIS DOMINUS, ET MAGNUS VEHEMENTER, ET MIRABILIS POTENTIA IPSIUS. — Deinceps usque ad finem capitis hortatur omnes ad Dei creatoris laudem, ut totis animi corporisque viribus eum laudent et celebrent; eo quod ipse major sit omni laude, ejusque majestas et excellentia mente comprehendi, ideoque verbis exprimi nequeat. Græce δοξάζοντες, ποῦ ἰσχύσομεν, quod Romani vertunt, *glorificantes, quo valebimus? q. d.* Quantulum est quod nos possumus Deum glorificare? nam « glorificantes, » id est glorificando, eum, « quo valebimus pervenire? » utique nunquam pertingemus ad apicem majestatis ejus, imo vix tenuia ejus vestigia a longe assequemur. Ratio est quia Deum non nisi ex operibus ejus possumus agnoscere et celebrare. Opera autem Dei Deo in infinitum sunt minora et depressiora : « Ipse enim omnipotens » in immensum transcendit et imminet « super omnia opera sua. » Ipse est « terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius, » *q. d.* Deus vincit omnem gloriam quam illi dare possumus; tum quia est omnipotens et terribilis vehementer; nos autem parum possumus in laude, æque ac in omni alia re et actione; tum quia ipse est magnus vehementer; nos autem parvi, et præ eo ne formicæ quidem sumus. Quomodo ergo giganteam illam majestatem mente aut verbis dimetiri, digneque celebrare poterimus? Tum quia mirabilis est potentia ejus; unde eam admirari, at non effari, nec penetrare possumus : nam ex ignorantia oritur admiratio, ait Aristoteles, initio *Metaphysicæ*. Ita Tigurina : *Quantum*, inquit, *valebimus laudando! ipse enim major est omnibus suis opificiis. Terribilis est Dominus, et perquam magnus, potentiaque sua mirabilis*

Quocirca S. Gregorius Nazianzenus, *Hymno ad Deum*, ita eum celebrat :

O viva Trinitas! te unum canam monarcham,
Origo cui nec ulla est, versio nec ulla :
Excedit esse cujus sermonis omne robur,
Aciemque cujus omnem splendor fugit supremus.

Quin et Psaltes : « Magnus Dominus, ait, et laudabilis nimis : et magnitudinis ejus non est finis, » *Psalm.* CXLIV, 3. Quod explicans Rabanus hic : « Miranda complexio, inquit, vera prædicatio sic laudare Dominum, ut quantum est magnus, non æstimes explicandum ; sensus enim totius creaturæ deficit, et ad illa retractio semper excrescit. Nam, sicut nullo loco clauditur, ita nec eloquentia quamvis amplissima ejus possunt præconia terminari : virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis ; cujus vera definitio est, finem in sanctis laudibus non habere. »

Quocirca hoc proprium est Dei, ut quo plus cognoscatur, eo plura cognoscenda demonstret ; quo enim quis magis de Deo Deique potentia meditatur, eo magis immensitatem ejus conspicit, ac plura semper et plura in infinitum sibi scrutanda et meditanda advertit : sicut quo quis profundius ingreditur in mare, eo plura et profundiora in eo sibi emetienda superesse deprehendit. Nam Deus, ut ait Psaltes, *Psalm.* XVII, 12 : « Posuit tenebras latibulum suum. » Quocirca sapienter Nazianzenus, in *Apolog.* : « Quantum, inquit, Deus percipitur, tantumdem se subducit ; amantesque sui ex eo quod fugit, ac velut comprehensus se proripit, ad superna illicit. » Idem, *orat.* 49, quæ est de fide, Deum ita definit vel potius describit : « Certe, inquit, hoc est Deus, quod, cum dicitur, non potest dici ; cum æstimatur, non potest æstimari ; cum definitur, ipsa definitione crescit : quem omnia nesciunt, et metuendo sciunt. » Hoc est quod ait Sophar amicus Job, cap. XI, 7 : « Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies. Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari. » Et Psaltes : « Credidi, inquit, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis, » *Psalm.* CXV, vers. 1. In quem locum D. Chrysostomus : « Quisquis, inquit, indicibilem Dei majestatem oculo cordis contemplatur, et cognoscit Deum homine tanto sublimiorem, quanto cœlum formica sublimius : nil mirum si obstupescat intra se, et dicat : Ego autem humiliatus sum nimis. Unde et Abraham in comparatione Dei terram se esse et cinerem dicebat, » *Gen.* XVIII, 27. Et S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* cap. XXVII : « Sancti, inquit, omnes quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quod Abraham cinerem et pulverem se esse professus est, nisi cum habere Dei meruit collocutionem. Esse enim se aliquem fortasse crederet, si veracem essentiam, quæ super ipsum est, minime sensisset. » Neque vero id hominibus duntaxat accidit, sed et angelis, quin et Cherubinis ac Seraphinis. Idcirco enim duabus alis velant faciem tam Dei quam suam, *Isai.* VI, quod tantum jubar divinitatis quasi e vicino intuentes, illius fulgore immenso hebetentur, caligent et quasi excæcentur. Si ita mirabilis est Deus in operibus creationis, quanto mirabilior est in operibus redemptionis?

32. GLORIFICANTES DOMINUM QUANTUMCUMQUE POTUERITIS : SUPERVALEBIT ENIM ADHUC, ET ADMIRABILIS MAGNIFICENTIA EJUS (Malmundariensis codex, quem citat Franciscus Lucas, τὸ *et* præponens τὸ *adhuc*, sic legit : *Supervalebit, et adhuc mirabilis magnificentia ejus.*) BENEDICTE DOMINUM, EXALTATE ILLUM QUANTUM POTESTIS : MAJOR EST ENIM OMNI LAUDE. — « Glorifiantes, » id est glorificate Dominum. Est hebraismus ; ponitur enim participium pro imperativo, æque ac *Rom.* XII, 12. Sensus est, *q. d.* Glorificate Deum quantum potestis ; quia quantumcumque glorificaveritis, nunquam pro dignitate ejus id feceritis, nec adæquabitis ejus majestatem et gloriam ; sed ipsa in infinitum vestras laudes et præconia transcendet ; in immensum enim major est omni laude creata Creator omnium hominum et Angelorum. Vers. 32. Vers. 33.

Græca hos duos versus in unum conflant, hoc modo : *Glorificantes Dominum, exaltate quantum potestis ; excedet enim etiam adhuc ;* Complutensia : *excedet enim et amplius ;* alii : *adhuc enim supereminebit ;* Tigurina : *Quantum potestis extollite Dominum laudando ; siquidem semper laude major est.* Quare, sicut S. Bernardus, tractatu *De Diligendo Deo,* vere et sapienter dixit : « Causa diligendi Deum, Deus est : modus diligendi Deum, est sine modo diligere, » quia Deus infinite amabilis est : sic pariter vere et sapienter dicas : Modus laudandi Deum, est laudare sine modo : quia infinite laudabilis : quantumcumque ergo eum laudes, supervalebit adhuc. Quia quo quis plura cognoscit de Deo, eaque celebrat, eo plura in illo videt immensa et incomprehensibilia, multo magis laudanda et celebranda ; sicut quo montem altius ascendis, eo plures vides campos et terras, longiusque visus aciem porrigis, imo eminus videns montem excelsum putas quod cacumen ejus cœlum tangat ; et ubi eum conscenderis, vides quam longe a cœlo distet. Hoc est quod ait Nazianzenus, *Orat.* 1 : « Talis est Dei natura : tantum recedit, tantum capitur. » Hic verum est illud : « Abyssus » ignorantiæ « abyssum » sapientiæ Dei « invocat. » Et illud Psaltis, *Psalm.* LXIII, vers. 7 : « Accedet homo ad cor altum : et exaltabitur Deus. » Quod explicans S. Cyprianus, lib. *De Operibus cardinalibus* in prologo, pag. 3, 21, 25 : « Quidquid, ait, audiri, vel videri, vel sciri potest, non convenit majestati : hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum et caligat aspectus : hanc invisibilem lucem et inaccessibilem naturam sex alis, hinc

et inde Seraphim statu et volatu circumeunt et abscondunt, statu æternitatis immobilitatem monstrantes, volatu vero altitudinem ejus, sic in superioribus elevatam, ut quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus, et comprehensionis importunitatem evadat. » Et infra : « Gustamus, delibamus, adoramus et prope est : cumque « accesseris, longius abit. » Quo ergo altius ascendis ad Deum, eo magis vides quam Deus sit sublimis, eo altius super te tuamque cognitionem vides exaltari Deum sic quo magis colis et amas Deum, eo magis colendum et amandum censes, eoque magis colere et amare concupiscis. Idem est in perfectione; quo enim magis proficis in virtute, eo majores virtutis campos vides, in quos excurras; eo longius tu a virtutis termino et culmine abesse cernis, eo magis ad procurrendum in via perfectionis, ut ejus metam apicemque contingas, incitaris.

Immensitas Dei immensam posit laudem.

Alludit ad illud *Psalm.* CXLIV, 3 : « Magnus Dominus et laudabilis nimis, et (id est *quia*) magnitudinis ejus non est finis, » *q. d.* Quia Dei magnitudo sive deitatem, sive providentiam, sive potentiam, sive bonitatem, sive durationem, sive regnum et dominium in homines, angelos, totumque universum per omnia sæcula spectes, est quaquaversum infinita; hinc pariter infinita ei laus, æque ac servitus cultusque debetur. Ne ergo putes te sat laudasse et coluisse Deum, sat pro eo laborasse; quia ipse sua magnitudine omnem tuum laborem, cultum et laudem in immensum superat et transcendit. Satage ergo indies magis et magis eum laudare et colere, ut quod re non potes, conatu et desiderio infinite eum, ut meretur, laudandi et colendi, assequaris. Unde S. Augustinus in versum *Psalm.* CXLIV, jam citatum : « Ideo, inquit, dixit valde (sic S. Augustinus legit pro *nimis*), quia magnitudinis ejus non est finis, ne forte incipias velle laudare, et putes te laudando posse finire, cujus magnitudo finem non potest habere, etc. Ergo sicut ejus magnitudinis non est finis, sic tuæ laudis non erit finis. » Et S. Chrysostomus in eumdem versum : « Et magnitudinis ejus non est finis : quod alius interpres dixit, inventio (alius *investigatio*) : quod autem dicit est ejusmodi : Quoniam magnum habes Dominum, sis quoque tu excelsus, et te explica a rebus quæ ad hanc vitam pertinent. Sume spiritus, qui superent præsentium rerum humilitatem; non ut sis elato animo et insolens, sed magno et excelso, etc.; alto vero est animo, qui mente est humilis, et præsentis vitæ umbras nihil esse existimat. »

Vers. 34. 34. EXALTANTES EUM REPLEMINI VIRTUTE, NE LABORETIS : NON ENIM COMPREHENDETIS. — Pro *ne laboretis*, græce est, μὴ κοπιᾶτε : quod secundo verti potest, *ne lassescatis*.

Primo ergo Palacius, Dionysius, Glossa, Lyranus et alii cum Nostro vertunt *ne laboretis*; et sic exponunt, ut sit correctio, *q. d.* Si magno es ingenio, acumine et robore, indue virum, vires omnes exprome, exere lacertos, ut Deum pro dignitate collaudes. At ne labores incassum, volens Deum Deique laudes conceptis a te verbis et præconiis adæquare; non enim eum comprehendes nec adæquabis, quia ipse tuas laudes vincit et superat in immensum. Unde Glossa, Lyranus et multi Theologi ex hoc loco probant Deum esse incomprehensibilem, eo quod a nobis perfecte cognosci et comprehendi nequeat.

Secundo et planius, Tigurina, Jansenius et alii vertunt, *ne lassescatis*, *q. d.* Exaltate Deum quantum potestis : virtutem, id est vires omnes, in ejus laudes exerite, nec in eo totis viribus laudando lassescatis; quia quantascumque vires exerueritis, quantumcumque in eo laudando laboraveritis et delassati fueritis; nunquam tamen comprehendetis, id est nunquam plenam, perfectam, et adæquatam ejus dignitati laudem consequemini. Laborate ergo et lassate vos in ejus dilaudatione; quia omnis vester labor, omnis lassitudo, omnis dilaudatio non sufficit ad hoc, ut eum, prout meretur et dignus est, dilaudetis. Igitur τὸ *non laboretis* per catachresin et metalepsin idem est quod « ne in labore lassescatis; » sed in eo alacres persistite et crescite. Sic cap. XVI, 27, de cœlis dixit : « Nec esurierunt, nec laboraverunt (id est delassati sunt), et non destiterunt ab operibus suis. » Ita Tigurina : *Ergo*, inquit, *extollendo eo vires exercete, nec lassescatis; nec enim poteritis satisfacere*; alii : *Extollentes illum, roboris plurimum adhibete, ne defatigemini; nam ne sic quidem assequemini.* Rationem subdit Siracides, dicens : « Quis vidit eum, et enarrabit? »

Moraliter docet hic Siracides varios esse gradus tum intensionis, tum extensionis laudis divinæ, ac Dei cultorem per hos gradus sensim debere ascendere, ut indies magis et perfectius Deum laudet, ac, si fieri potest, modum inveniat, quo Deum laudando adæquet, eumque laudet tantum quantum laudabilis est. Nam multiplex est laus Dei, multisque modis et gradibus Deus a nobis laudari et glorificari potest, uti alia occasione obiter indicavi cap. XV, 9. Sed hic plenius pertractandum est.

Gradus laudandi Deum.

Primus est, quo omnes creaturæ muta voce suum Creatorem jugiter celebrant, dum in seipsis ejus potentiam, sapientiam, bonitatem omnibus commendant et ostentant, juxta illud *Psalm.* XVIII, 1 : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. » Hunc sibi arroget fidelis quisque invitando cum Davide creaturas omnes ad Dei laudem : « Benedicite, omnia opera Domini, Domino, » etc.

Primus.

Secundus, quo homines, præsertim fideles et sancti, in terra, considerantes immensam Dei majestatem, beneficentiam et perfectionem, eam mente et voce deprædicant; ac quia id in hac vita plene præstare nequeunt, aspirant ad alte-

Secundus.

ram, dicentes : Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te. » Ita S. Franciscus considerans perpetim immensam Dei pulchritudinem, ad eam aspirabat, et præ desiderio languebat, adeoque illi immortuus est dicendo : « Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo : me exspectant justi, donec retribuas mihi. » Testis est S. Bonaventura, *in ejus Vita*.

Tertius. Tertius est quo beati in cœlo homines et angeli, præsertim Seraphini ardentes amore et admiratione Dei, semper ei accinunt : « Alleluia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth : plena est omnis terra gloria ejus. » *Isa.* VI, *Apoc.* IV. Sicut ergo Philomelæ integros dies et noctes canunt, laudantque Deum initio veris, nec alia re quam cantu suo delectantur, eumque semper augere et intendere, aliosque omnes superare contendunt; adeo ut quandoque ex hac vocis contentione rumpantur et moriantur : sic et Beati ac Seraphini omnes vires suas exhauriunt in laudando Deum; et cum vident se eum digne, ut meretur, laudare non posse, sed in immensum eum esse pulchriorem et laudabiliorem; optant in immensum amplius eum laudare; sed quia se vinci ab eo vident, in eo gaudent quod tantus sit Deus, ut omni laude sit superior.

Quartus. Quartus est, quo B. Virgo et Christus laudant Deum. Beata Virgo enim, sicut omnes homines et angelos longe superat in gratia, ita in gloria ac visione Dei; unde magis penetrans Dei speciem et attributa, excellentius omnibus ea celebrat. Longe vero magis facit id Christus qua homo, cujus gratia et gloria est gratia et gloria capitis, a quo cæteri omnes suam gratiam et gloriam participant. Quis comprehendet quanto ardore, quanta perfectione, quanto jubilo Christus glorificet Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum in se, et in opere incarnationis, quod in se operatus est, sibique retribuit; ut scilicet hæc sua humanitas uniretur Verbo, ideoque hic homo hypostatice esset Deus, et Dei Filius, ac per eam operaretur redemptionem nostram et salutem totius universi? Hos omnes modos usurpare nobisque arrogare possumus, optando et gratulando Deo laudes omnium Sanctorum, omniumque Seraphinorum, Beatæ Virginis et Christi Domini; ac cum iis jungendo nostras voces et laudes, uti facit Ecclesia in Missa, in *Præfatione Canonis*. Verum nulla laus, ne Christi quidem, qua homo est, cum sit finita, adæquat dignitatem Dei, utpote infinitam.

Quintus. Quintus et adæquatus ergo modus laudandi Deum est, quo ipsa SS. Trinitas seipsam contemplans infinite laudat et glorificat ab omni æternitate in omnem æternitatem. Hanc Dei ipsius laudem crebro usurpat Ecclesia, imo singuli, dum in fine psalmi cujusque canunt : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. » Hic enim non intelligitur gloria creata, sed increata, essentialis et æterna Dei; quam ipse habet in se, per ipsum, ex seipso; et quæ est ipsemet Deus, ut patet ex eo quod subdimus : « Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen, » *q. d.* Semper laudetur et glorificetur Deus ea laude et gloria quam habuit ante omnem creaturam in sua immensa æternitate et æterna immensitate, qua scilicet Pater laudat Filium et Sanctum Spiritum; et hi vicissim laudant Patrem infinita, perpetua et intentissima laude. Quocirca S. Franciscus crebro jubilabat : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. » Hac enim ratione gratias reddebat ad singula Dei beneficia. Unde non poterat satiari repetitione hujus versiculi, quem summe omnibus commendabat; nominatim vero cuidam fratri laico valde tentato, et licentiam petenti ut litteris operam daret : « Addisce, inquit, frater charissime, versiculum hunc : Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, et sacram Scripturam omnem tenebis. » Quod ut fecit tentatus, nullam amplius sensit molestiam, et tentationem omnem litteras addiscendi superavit. Ita refert Lucas Waddingus, in *Annalibus Minorum*, anno Domini 1221, n. 30.

Doxologia S. Francisci. Siracidis Dei doxologias imitatus S. Franciscus, hanc ex Apocalysi et Psalmis composuit, quam ipse recitationi Horarum Canonicarum præmittere solebat, ut ferventius psalleret, Deique laudes personaret. Recitat eam ex Pisano, Firmiano et aliis, Lucas Waddingus, tomo I *Opuscul.* S. Francisci, pag. 103, estque hæc : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus noster omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. Dignus es, Domine Deus noster, accipere laudem, gloriam, et honorem, et benedictionem. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. » Versus : « Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu. » Resp. : « Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. » Versus : « Laudem dicite Deo, omnes servi ejus, et qui timetis Deum, pusilli et magni. » Resp. : « Laudate et superexaltate eum in sæcula. » Versus : « Laudent eum gloriosum cœli et terra. » Resp. : « Et superexaltent et laudent eum in sæcula. » Versus : « Et omnis creatura quæ in cœlo est, et super terram, et subtus terram, terra, et mare, et quæ in eis sunt. » Resp. : « Laudent et superexaltent eum in sæcula. » Versus : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. » Resp. : « Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. » Versus : « Sicut erat in principio, et nunc, et semper. » Resp. : « Laudemus et superexaltemus, » etc.

Præclare venerabilis Beda, in *Proverbiis* : « Opere, inquit, melius quam verbis Deus laudatur et prædicatur. » Utrumque ipse præstitit :

unde in festo Ascensionis Christi in vesperis decantans : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » spiritum doxologum Deo reddidit, ac cum Christo in cœlum ascendit, ibidem perpetim cum Beatis Deum laudaturus, anno a Christi Domini incarnatione 731. Ita Baronius in *Annalibus*, anno jam dicto.

Porro, sicut hymnus et laus mentalis æque ac vocalis, adæquans Dei dignitatem, non est alius, nisi hic unicus jam dictus : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, » etc., sic et hymnus ac laus realis eamdem adæquans, non est alius nisi unicus, scilicet sacrificium Eucharistiæ. In eo enim Deo offerimus victimam ei adæquatam, scilicet unigenitum ejus Filium, ad ejus laudem et gloriam in cruce immolatum, quasi divinum SS. Trinitatis holocaustum. Utraque ergo hæc Dei laus divinissima est, ideoque crebro usurpanda. Insuper sancti, non tantum corde et ore, sed et opere ac vita laudant Deum, ac laudare in dies melius et perfectius omni studio satagunt, idque tripliciter : *primo*, agendo; *secundo*, patiendo; *tertio*, prædicando. Agendo, quia continuo agunt opera virtutis, ut humilitatis, orationis, charitatis, quibus glorificatur Deus, aliique ad Deum glorificandum accenduntur : quare omnis eorum vita est continua Dei laus. Patiendo, quia omnia quæcumque patiuntur, sive a natura, sive a dæmone, sive ab amicis vel inimicis, sive a Deo, sive a seipsis, mortificando membra sua; omnia hæc referunt ad Dei laudem et gloriam. Et sane hæc uti aspera, ita fortis, realis et solida, ideoque mire Deo grata et jucunda est glorificatio. Ita Christus maxime glorificavit Deum, cum in cruce se illi in holocaustum ad ejus laudem obtulit. Et Martyres maxime glorificarunt Deum, cum equuleos, ignes, cruces, bestias, ungulas, scorpiones fortiter et alacriter sustinentes, canebant : « Benedicam Dominum in omni tempore. » Hinc B. Teresia : « Domine, ait, da pati, aut mori. » Prædicando, quia prædicatione vel sermone suo alios ad Deum convertunt, qui conversi Deum laudant, aliosque ad id inducunt. Igitur magna Dei laus est conversio et zelus animarum. Hi ergo sunt philomelæ cœlestes, imo Angeli qui jugiter laudant Deum; Beatorum enim otium est jugis doxologiæ Dei negotium.

Realis Dei laus summa, est sacrificium Eucharistiæ.

Sancti tripliciter laudant Deum.

Vers. 35. 35. QUIS VIDEBIT EUM, ET ENARRABIT? ET QUIS MAGNIFICABIT EUM SICUT EST AB INITIO? *q. d.* Quis vidit Dei majestatem et magnificentiam quaquaversum immensam, ut eam pro dignitate et veritate ex æquo enarrare valeat? *q. d.* Nemo : « Deum enim nemo vidit unquam; sed unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit nobis, » ait S. Joannes, cap. 1; non omnia, sed ea quæ Deus enarrari voluit, quæque ad fidem et salutem hominum sufficiunt. Et quis eum magnificare et celebrare poterit, « sicut est ab initio? » id est ea dignitate, ut eum ejusque majestatem quæ ab omni æternitate eadem semper immensa et beatissima subsistit, laudando exæquet? *q. d.* Nemo, etiamsi omnes omnium Angelorum et hominum voces et laudes in unum conspirarent. Ita Tigurina : *Quis*, inquit, *vidit, ut possit enarrare? Quis eum extollit pro dignitate?* Græce ad verbum est, *quis eum vidit, ut enarret?*

QUIS MAGNIFICABIT EUM SICUT EST? — Angeli et Beati vident quidem Deum, sicut est; unde et enarrando glorificant eum « sicut est, » id est intuitive eum vident et laudant; at non magnificant, « sicut est, » id est pro suæ essentiæ et majestatis dignitate et merito, quod intendit Siracides. Qui ergo laudant Deum, usurpant officium Angelorum, suntque quasi Angeli terrestres. Unde S. Bernardus, serm. 7 in Psalm. *Qui habitat* : « Solent psallentibus, inquit, quoque dignanter commisceri sancti Angeli, sicut Psalmista ait : Prævenerunt principes conjuncti psallentibus; unde et dicebat : In conspectu Angelorum psallam tibi. Usurpemus igitur et nos officium, quorum sortimur consortium. Dicamus eis : Psallite Deo nostro, psallite regi nostro, psallite. » Vers. 36.

36. MULTA ABSCONDITA SUNT MAJORA HIS (operibus Dei quæ paulo ante enarravi, quæque oculis videmus, aut mente concipimus) : PAUCA ENIM VIDIMUS OPERUM EJUS. — De Angelorum enim multitudine, natura, speciebus, choris, hierarchiis, dotibus, pauca scimus. Item de cœlis, sole, stellis; ac præsertim de iis quæ in cœlo empyreo Beatis præparavit Deus. Ad hæc, de iis quæ in maris et terræ visceribus abdita, aut apud exteras Gentes, et antipodes nobis incognita latent. Omitto possibilia : Deus enim potest infinitos novos mundos creare, qui non tantum hunc mundum nostrum, sed et sese invicem gradatim in immensum superent et antecellant. Si ergo opera Dei plurima ignoramus, utique ea laudare pro dignitate nequimus; multo minus eorum auctorem Deum, qui illis immensum perfectior est.

Vers. 37. 37. OMNIA AUTEM DOMINUS FECIT, ET PIE AGENTIBUS DEDIT SAPIENTIAM. — Hæc est conclusio, *q. d.* Summa dictorum hæc sit, quod omnes res existentes factæ et creatæ sint a Deo; etsi multas utpote absconditas nec videamus, nec cognoscamus; quodque « pie agentibus, » græce εὐσεβέσιν, id est piis, Deum colentibus, « dedit sapientiam, » non omnem, sed sufficientem ad hoc, ut ex operibus Dei Deum agnoscant, laudent, timeant, ament, ejusque præceptis obediant, itaque salutem, felicitatem, et vitam æternam, ad quam a Deo conditi et vocati sunt, consequantur. Hæc enim est practica veraque sapientia, quam solis piis dedit Deus. Impii enim, etsi multa speculative de Deo, deque rebus creatis, cognoscant, tamen, quia ex illis non assurgunt ad Dei amorem, timorem et cultum, ut ab eo beentur; idcirco vera et salutari sapientia sunt destituti.

Ex iis quæ hoc capite et præcedenti dicta sunt, collige quantum, quam vastum, amplum, im- Omnipotentia

Dei quinque mensuræ.

mensum sit omnipotentiæ Dei pelagus. Atque ut idipsum plenius perspicias et geometrice quasi dimetiaris, accipe quinos ex intima Theologia calamos pariter immensos, quos suggerit noster Lessius, lib. V *De Perfectionibus divinis*, cap. I.

Prima.

Primo enim immensitas omnipotentiæ Dei colligitur ex eo quod totum hoc universum omnia rerum genera complectens fecerit. Unde accidenter patet, illum alia similia sine fine efficere posse, sicut pictor, qui unam formam potest excellentissime depingere, potest etiam quasvis alias, quas animo complecti potest; et architectus, qui unam palatii ideam potest animo concipere, et opere exhibere, potest etiam alias quasvis. Igitur potest Deus alios et alios cœlos, alia et alia elementa, alios et alios Angelos, ac creaturas quaslibet, imo mundos innumeros distinctos ab hoc quem creavit, producere, idque sine fine et termino tum multitudinis, tum excessus et præstantiæ: potest enim mundum alium hoc quem condidit præstantiorem creare, et in eo alios Angelos, cœlos et creaturas præstantiores his, quos condidit, producere, atque hoc rursum alium præstantiorem, et tertio iterum hoc alium præstantiorem, idque continua serie in infinitum. Imo commune Theologorum axioma est : « Deus potest quidlibet efficere, quod contradictionem non implicat. »

Secunda.

Secundo, ex modo faciendi tum ex parte actionis, tum ex parte termini. Ex parte actionis; quia summa facilitate, nimirum solo verbo et jussu. « Ipse enim dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. » Nihil facilius verbo. Hæc summa facilitas signum est summæ potentiæ, ac proinde omnipotentiæ. Ex parte termini, quia ex nulla materia, sed ex nihilo, quod nunquam philosophi potuerunt vel animo concipere, quare et ex hac parte ejus potentia limite caret. Confirmatur, quia quo res longius distat ab esse, eo majore opus est potentia, ut retrahatur ad esse : atqui longissime distat ab esse, quod non latet in potentia materiæ, sed in puro nihilo solaque potentia objectiva; ergo ad hoc opus est maxima potentia, quæ sola est omnipotentia.

Tertia.

Tertio, colligitur ex infinitate essentiæ; potentia enim sequitur essentiam. Nam vel est ipsa rei essentia, considerata ut effectiva, vel quiddam sequens essentiam per modum naturalis proprietatis. Ergo cum essentia sit penitus infinita, potentia quoque omnino infinita erit; sunt enim hæc inter se commensa.

Quarta.

Quarto, ex participabilitate essentiæ; tanta enim est potentia, quanta est essentia in ratione participabilis ad extra : sed essentia infinitis modis est participabilis seu imitabilis; idque secundum singulos gradus rerum, qui sunt esse, vivere, sentire, intelligere; ergo potentia est infinita. Vide S. Thomam, lib. II *Contra Gentes*, cap. XXII, ubi similes aliquot rationes eleganter adducit.

Quinta.

Quinto, ex ratione sapientiæ; quia tanta est potentia, quanta est sapientia. Quidquid enim Deus per suam sapientiam potest concipere ut operabile, per suam potentiam potest efficere : sicut perfectus pictor quidquid potest imaginari, potest exterius depingere. Atqui infinitas rationes et species rerum infinita illa sapientia concipit; ergo potest omnes illas producere. Itaque omnia possibilia continentur in essentia divina tanquam in originali radice, et quasi in exemplari formali, in quo etiam existunt objective modo perfectissimo et illustrissimo; magis enim ibi fulgent, quam in suis naturis creatis. In potentia, tanquam in causa effectrice.

Hymnus omnipotentiæ Dei, ejusque synopsis.

Quocirca dictorum anacephalæosin colligentes, et hunc omnipotentiæ Dei oceanum gratulabundi et admirabundi venerantes, exclamemus : O adorandam, tremendam, et religioso silentio venerandam omnipotentiam tuam, Domine rex sæculorum, qui omnia per te potes, quidquid possunt omnes creaturæ tuæ; a qua omnis potentia, omnis vis, omnis energia rerum omnium est instituta et dependens; qui omnia ex nihilo solo verbo condidisti, et condita eodem substantifico influxu conservas, ex omnipotentiæ tuæ manu ea veluti suspensa tenens, ne in suum nihilum relabantur; coram quo totus mundus est instar pilæ modicæ, et omnes gentes instar stillæ roris antelucani. Qui reipsa potest efficere et præstare, non solum quidquid omnes homines et Angeli animo concipere, sed etiam quidquid sapientia tua infinita potest excogitare; par enim est potentia tua sapientiæ tuæ, et æque late se extendunt et diffundunt, cum hæc sola sit illius regula et mensura. Quam enim aliam habeat mensuram potestas immensa, nisi immensam? hinc non minus ea tenes et possides quæ non sunt actu in esse producta, quam quæ esse et speciem exterius receperunt. Delitescunt enim in thesauris potentiæ et sapientiæ tuæ, et ad minimum nutum tuum in esse foras prosilient, et dicent : Adsumus ad obsequium tuum. Non indiges laudibus et obsequiis nostris; si enim velis, infiniti tibi mox suppetent famuli, qui incomparabiliter te melius colant, et omni laude celebrent.

CAPUT QUADRAGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Incipit hic tertia pars libri. Nam (ut dixi ejus initio) prima parte, puta primo capite, tradidit elogia sapientiæ. Secunda parte, puta a capite secundo huc usque, tradidit præcepta sapientiæ. Nunc vero hac tertia usque ad finem libri dat exempla sapientiæ. Solent enim ethici sua præcepta per exempla illustrare et commendare.

Hoc igitur capite, primo, laudat Patriarchas, et viros sapientes in genere usque ad vers. 16. *Inde speciatim dilaudat Henoch, Abraham, Isaac et Jacob. Unde codices Græci Romæ correcti huic capiti titulum præfigunt, Hymnus patrum; et Tigurina, Majorum laudes. Simili modo Sapiens lib. Sapientiæ præmittit elogia sapientiæ, deinde, cap.* 10, *ejusdem subdit exempla, laudando Adam, Noe, Abraham, Loth, Jacob, Joseph, Mosen, Hebræos, etc. Et Apostolus, Hebr.* XI, *post fidei elogia, celebrat fidei athletas Henoch, Noe, Abraham, Mosen, etc.*

1. Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. 2. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo. 3. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentia sua prædíti, nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum, 4. et imperantes in præsenti populo, et virtute prudentiæ populis sanctissima verba. 5. In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum. 6. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. 7. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. 8. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: 9. et sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis. 10. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: 11. cum semine eorum permanent bona, 12. hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum: 13. et filii eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. 14. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. 15. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet ecclesia. 16. Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam. 17. Noe inventus est perfectus, justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. 18. Ideo dimissum est reliquum terræ, cum factum est diluvium. 19. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro. 20. Abraham magnus pater multitudinis gentium, et non est inventus similis illi in gloria: qui conservavit legem Excelsi, et fuit in testamento cum illo. 21. In carne ejus stare fecit testamentum, et in tentatione inventus est fidelis. 22. Ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum, 23. et ut stellas exaltare semen ejus, et hæreditare illos a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos terræ. 24. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus. 25. Benedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus, et testamentum confirmavit super caput Jacob. 26. Agnovit eum in benedictionibus suis, et dedit illi hæreditatem, et divisit illi partem in tribubus duodecim. 27. Et conservavit illi homines misericordiæ, invenientes gratiam in oculis omnis carnis.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. LAUDEMUS VIROS GLORIOSOS, ET PARENTES NOSTROS IN GENERATIONE SUA.—Præclare Origenes, lib. I *in Job*: « Sicut cœli luminaria, inquit, ac sidera cunctis indesinenter quæ sub cœlo sunt ful-

gent, etc. : sic et Sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones omnibus in perpetuum singulariter lucent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt. Apostolus enim ait : Stella a stella differt in claritate, etc. Sed et angelus ad Danielem : Tunc justi fulgebunt ut luminaria cœli, et tanquam sol et luna, et tanquam stellæ in sæcula. Sic itaque effulgent atque emicant. Alius fide fulget, ut Abraham ; alius castitate, ut Joseph, » etc. Idcirco ergo Deus per Siracidem hæc patrum exempla, viva vitæ sanctæ exemplaria nobis proponit, scilicet, ut ait S. Basilius epist. 1 *ad Greg. Nazianz.* : « Beatorum virorum vitæ litteris traditæ velut imagines quædam vivæ, divinæ reipublicæ ad bonorum operum imitationem propositæ sunt. » Et paulo post : « Quemadmodum pictores cum imaginem ex imagine pingunt, frequenter ad exemplar respicientes, lineamenta inde ad suum opificium transferre contendunt : sic oportet eum, qui studet seipsum omnibus virtutis partibus perfectum efficere, ad sanctorum hominum vitas, velut ad statuas mobiles et actuosas, oculos intendere, atque illorum bona per imitationem sua facere. » Concisius Ennodius, in *Vita sancti Epiphanii, Ticinensis Episcopi* : « Pingebat actibus suis paginam, quam legisset. Quid libri docuissent, vita signabatur. » Hinc Philo, lib. *De Abraham* : « Easdem, ait, vitas patrum leges et posterorum. » Et S. Isidorus Hispalensis, II *Sent.* cap. XI : « Si ad boni incitamentum, divina, quibus admonemur, præcepta deessent, pro lege nobis Sanctorum exempla sufficerent. Ad conversionem seu correctionem mortalium multum prosunt exempla bonorum : mores enim inchoantium non queunt proficere ad bene vivendum, nisi perfectorum informentur exemplis patrum. » Et post nonnulla : « Ob hanc utilitatem, scribuntur Sanctorum ruinæ et reparationes, ut spem faciant saluti humanæ, etc. Exempla Sanctorum, quibus ædificatur homo, varias faciunt consectari virtutes : humilitatis ex Christo, devotionis ex Petro, charitatis ex Joanne, obedientiæ ex Abraham, patientiæ ex Isaac, tolerantiæ ex Jacob, castimoniæ ex Joseph, mansuetudinis de Moyse, constantiæ de Josue, benignitatis de Samuel, misericordiæ de David, abstinentiæ de Daniel. » Et S. Basilius, in *Gordium Martyrem* : « Virorum, inquit, qui bene in republica versati sunt historia, velut lux quædam, his qui salvantur, ad vitæ viam præfulget. » Et rursum : « Exhortatio ad temperantiam est vita Joseph ; invitatio ad fortitudinem est Samsonis historia, » etc.

Est conclusio libri, qua a laude operum Dei transit ad laudem heroum Dei; quia hi inter opera eminent et excellunt. Hi enim sunt quasi oculi et soles animati, qui corde, ore et opere enarrant gloriam Dei. Hos ergo proponit et recenset hic Siracides, eorumque heroica facta pro Dei lege et virtute patrata celebrat : ut documentorum suorum de virtutibus huc usque traditorum det exempla, quibus ostendat illa practicatu esse possibilia, usu fieri facilia, fructu esse gloriosa ; ut ita omnes ad eos imitandos incitet et exstimulet. Unde Syrus vertit : *Et ego laudabo viros gratiosos, patres nostros, qui fuerunt in generationibus suis.*

Nota : Non quoslibet celebrat, sed *primo*, « viros, » qui scilicet animo sunt virili et excelso, qui viros se præbent in virtute, qui ardua aggrediuntur et superant. Feminæ enim, et homines feminei, qui effeminato sunt animo, ad magnam virtutem non assurgunt. Sub viris intellige viragines, quales fuere Sara, Rebecca, Anna mater Samuelis, Susanna, mater Machabæorum ; et in novo Testamento S. Helena, S. Pulcheria, S. Agnes, S. Cæcilia, S. Lucia, S. Agatha, et innumeræ aliæ, quarum dux et princeps fuit B. Virgo, uti omni virtute et gratia præ omnibus hominibus et Angelis plenissima, ita omni laude nostra superior. Hæ enim, cum sexu essent feminæ, virtute se viragines præstiterunt, virosque virilitate sua viceruntideoque majores præ illis laudes et coronas in cœlis æternas meruerunt.

Secundo, celebrat viros, non quoslibet, nec communis virtutis et famæ ; sed « gloriosos, » qui scilicet heroica et gloriosa fidei, spei, charitatis, patientiæ, fortitudinis, etc., facinora ediderunt, per quæ gloriam apud Deum, homines et angelos nunquam intermoriturum adepti sunt. Loquitur Siracides de gloria virtutum proprie, non miraculorum ; esto aliqui ex heroibus quos celebrat, miraculis quoque fuerint illustres, ut Moses, Josue, Isaias, etc. ; nam de multis nullum legimus miraculum. Quod enim miraculum patravit Adam, Sem, Seth, quos laudat, cap. XLIX, 19, Nehemias et Jesus filius Josedec ac Zorobabel, ibidem vers. 13, ac Simon Oniæ quem laudat toto capite L. Sic primis a Christo sæculis permulti canonizabantur sancti Martyres et confessores ob gloriam virtutum, non miraculorum. Virtus enim sanctum efficit, eaque, si heroica sit, gloriosum, non miracula ; cum hæc subinde patrari queant ab impiis in testimonium veritatis et fidei, ut patet *Matth.* VII, 22. Nunc tamen ea justis de causis in canonizatione requirit Ecclesia.

Tertio, celebrat « parentes » suæ gentis, id est patriarchas, principes et Prophetas Hebræorum : patriarchæ enim uti naturali generatione, sic et virtutis insignis exemplo fuere parentes posterorum Judæorum ; principes sapienter populum regendo, et contra infideles propugnando ; Prophetæ docendo, prædicando, magna miraque efficiendo, politici vel mystici fuere parentes Israelis : filiorum enim est ex filiali amore, gratitudine, pietate et reverentia, quam erga parentes gerunt, eorum præclara facta celebrare (honor enim parentum est honor filiorum), seque et contribules, cæterosque omnes ad eos imitandos accendere. Magnus enim virtutis stimulus est domes-

ticum patrum et avorum speculum, assidue oculos mentemque verberans.

Quarto, « in generatione sua, » id est quorum quisque vixit et luxit sæculo suo. Alii enim vixerunt primo ante diluvium sæculo, illudque suo valore illustrarunt, ut Henoch; alii sæculo diluvii, ut Noe; alii primo post diluvium sæculo, ut Abraham, Isaac, Jacob; alii secundo, ut Moses, Josue, Caleb; alii tertio, ut David, Ezechias, Josias, etc. Quisque enim sui sæculi fuit quasi lux et fax. Græce est τῇ γενέσει, id est *generatione*, quod cohæret cum τῷ *parentes*, *q. d.* Laudemus parentes nostros, qui nobis sunt parentes generatione, id est qui nos genuerunt vel naturali naturæ, vel morali virtutis propagine. Unde Tigurina : *Porro laudemus viros præclaros, et quibus prognati sumus majores nostros* : alii : *Laudemus nunc viros inclytos, patres nostros genere.*

Laudantur viri inclyti quatuor de causis. Primo. Secundo.

Porro laudat Siracides patres præclaros multis de causis : *primo*, quia laus patrum est laus Dei, qui eos ad tanta evexit, ut dicet versu 2. *Secundo*, quia laus patrum est laus filiorum, totiusque gentis; voluit enim Siracides apud Ægyptios, inter quos vivebat, cæterasque Gentes, celebrare suum populum, suosque Hebræos, alias multis nominibus Gentibus invisos et contemptibiles.

Tertio.

Tertio, quia virtus patrum hoc præconium merebatur : proprium enim virtutis præmium est laudis elogium; præsertim quia multi ex ipsis laudem omnem humanam quam merebantur fugerunt, et sponte abdicarunt, omnemque mundi gloriam calcarunt : quæ honoris fuga et gloriæ calcatio merita est hunc honorem et gloriam. Honor enim velut umbra sequitur fugientes, fugit vero sequentes et captantes se. Celebrari ergo eos hic voluit Deus, quia ipsi, dum viverent, nominis celebritatem fugerunt, studuerunt humilitati, latere elegerunt; imo multi idipsum non tantum in vita, sed et post mortem efficere conati sunt.

S. Ephrem vetuit funebrem sui laudem.

S. Ephrem in testamento, gravi interdicto vetuit, ne post mortem funebri oratione laudaretur : « Nulla Ephrem, inquit, cecineritis carmina, nullamque laudem adhibueritis; ne me cum pretioso sepeliveritis vestimento, neve privatum corpori meo constitueritis tumulum : mihi enim cum Deo convenit, ut inter peregrinos commorer. Advena quippe ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei. »

Et Paschasius.

Idem vetuit Paschasius Radbertus, Abbas Corbeiensis, qui scripsit *De Veritate corporis Christi in Eucharistia*, idemque obiit anno Domini 851; sic enim habet auctor vitæ, quæ operibus ejus præfigitur : « Nihil illustrius fuit summa animi ejus modestia et humilitate, qua de seipso, cum maximi ab omnibus fieret, modice omnino sentiebat. Itaque monachorum se omnium peripsema, Levitarumque ultimum appellare solebat : Diaconi gradu contentus, ad presbyterii honorem nunquam aspiravit. Quam sui despicientiam ut post mortem quoque singulari exemplo testaretur, convocatis sub vitæ finem discipulis edixisse fertur, ne quis de ipsius vita quidquam litteris consignaret. »

Et S. Marcianus.

Marcianus Anachoreta cum audisset plures expetere corpus suum post mortem, juramento obstrinxit Eusebium discipulum, ut occulte illud terræ mandaret, uti narrat Theodoretus, in *Histor. SS. Patrum*, cap. III.

Et S. Antonius.

Sic et S. Antonius moriens adegit suos, ut secreto corpus suum sepelirent, ne quis illi honos deferretur. Testis est S. Athanasius, in ejus *Vita*. Notum est ex S. Hieronymo quantum S Hilarion omnes honores et laudes fugerit. Tantus fuit in Sanctis mundi, laudis et gloriæ contemptus; tantus silentii et humilitatis amor, ut incogniti viverent, et incogniti morerentur.

Quarto.

Quarto, quia virtus laudata crescit. Rursum ad virtutis sequelam efficaciora sunt, magisque movent exempla quam præcepta et hortamenta. Quocirca S. Basilius, in *Asceticis*, sapienter admonet, virtutis studioso intuenda et exprimenda esse majorum exempla. Sic enim ait : « Sicut pictores cum imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta ejus transferre conantur magno studio ad suum opificium : ita qui sese meditatur omnibus numeris virtutis absolutum reddere, velut simulacra quædam spirantia et actuosa Sanctorum vitas respicere opus, probaque illorum opera sua imitando facere. » Nyssenus, in *Encomio S. Basilii* : « Oratione, ait, potior fuerit ea laus quæ per opera præstatur ac repræsentatur. Hoc vero quid est? ut per memoriam illius vita nostra melior quam esse solet efficiatur. Sicut enim sculpturæ in sigillo decorem nemo oratione illam laudando exprimit : sic efficacior est magistri laus quæ per vitam, quam quæ per orationem, repræsentatur. Sic igitur fratres etiam nos sobrietate sobrium imitantes, factis nostris virtutem pro dignitate laudemus; et itidem in cæteris omnibus miraculum sapientis participatione sapientiæ repræsentetur : laus paupertatis per hoc, ut etiam nos superfluarum facultatum materialium expertes simus : contemptus mundi hujus non modo dicatur quod sit laudabilis atque gloriosa quædam res; sed earum rerum, quæ per mundum probantur et expetuntur, contemptionis ac despicientiæ testis sit vita. Ne dicas solum quod ille Deo dedicatus et addictus esset; sed tu quoque teipsum Deo dedica atque addic : nec quod solum ei bonum atque possessio esset, ea quæ speratur requies; sed etiam ipse congrega tibi has divitias quemadmodum ille : licet enim transtulit ille de terra vitæ institutum in cœlum, transfer item tu. In sacrosanctis et a furum injuria tutis cœli ærariis suas divitias deposuit; imitare per hoc etiam tu magistrum. Perfectus enim erit discipulus, sicut magister ejus. »

Sancti ad imitandum.

Sic et Climacus, *gradu* 26, præcipit ut e plurimis optimos nobis ad exemplum proponamus,

Cum proponendi. Zeuxidis exemplo, qui picturus Junonem, Agrigentinis omnibus virginibus inspectis, quinque præcipuas elegit, ex quibus, quod esset in unaquaque præcipuum, imitaretur. Quin et S. Paulus, *Hebr.* XIII, 7 : « Mementote, inquit, præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. » Et : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi, » I *Corinth.* XI, 1. Hinc eamdem Sanctorum exemplorum speculam, ceu normam regulamque, valde commendant S. Augustinus, in *Psal.* LXXXVII, S. Hieronymus, *epist.* 102; Cassianus, *Collat.* II, cap. IV; S. Gregorius, XXIV *Moral.* cap. VI, et lib. XXXIII, cap. XXXVII; S. Ambrosius, II *Officior.* XX; S. Chrysostomus, *De Compunct. cordis;* S. Ephrem, tom. II, epist. *ad Joannem monachum;* S. Bernardus, serm. *De altitud. et bassit. cordis*, et serm. 54 *in Cantic.* « Armantur enim filiorum animi, dum patrum recensentur triumphi, » ait. S. Eucherius.

Porro patres veriores et præstantiores sunt qui spiritu, quam qui carne generant, qui scilicet, alios verbis et exemplis ad virtutem et sanctitatem efformant, Deique, qui summus est pater, filios hæredesque efficiunt. Unde S. Augustinus, *Collat. Carthag. tertia,* 242 : « Honorificentiæ causa, inquit, patres appellamus eos, qui nos vel tempore vel meritis præcesserunt. » Hinc iidem dicti sunt Papæ, de cujus vocis etymo sic scribit Papæ etymon. Primum. Remigius Antissiodorensis, *De Celebrat. Missæ* : « Papa, inquit, secundum quosdam dicitur admirabilis vel coronatus; sed, quod melius est, pater patrum, id est Episcoporum. » Et huc pluries alludunt auctores. Olim autem non soli Episcopi, sed omnes virtute præstantes clerici vocabantur Papæ. Unde Walfridus Strabo, *De Rebus Ecclesiasticis*, cap. VII : « Papa, ait, transiit in dignitatis nomen, ut clerici venerandi eodem nomine appellarentur. » Quare Coepiscopi Protopapæ dicti Papæ Episcopi. sunt, teste Balsamone, *Can. Apost.* 59. Deinde soli Episcopi nuncupati sunt Papæ. Sic in Ephesina Synodo, *Can.* I, Cyrillus vocatur Papa Alexandrinus, S. Hieronymus, in epist. *ad S. August.*, eum vocat Papam. Sidonius Apollinarius, lib. VI *epistol.* 1 et seq., Lupum, Leontium, Theoplastum, aliosque Episcopos vocat Papas. Addit Baronius, in *Martyrol.*, in Addit. ad diem 10 januarii, Episcopos nuncupatos esse Papas usque ad annum Domini 850. Exinde vero nomen Papæ soli adhæsisse Pontifici Romano, quod postmodum sanctione sua confirmavit Gregorius Septimus Pontifex, in Synodo Romana anno Domini 1073, qua statuit contra schismaticos, ut Papæ nomen unicum esset in orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum vel alium eo nomine appellare. Ibidem docet Baronius, *Papa* non esse idem quod *Pater patrum* : esto enim *Pa* pro *pater* positum in saliari carmine testetur Festus; tamen veteres distinguunt Papam a patre patrum, ut cum Synodus Epiri, in epistola *ad Hormisdam Papam*, ita scribit : « Synodus veteris Epiri, etc. Domino nostro per cuncta sanctissimo et beatissimo Patri Patrum, comministro ac principi Episcoporum, Hormisdæ Papæ. » Germana ergo interpretatio nominis Papæ est, ut a Græca voce πάππας, id est *pater*, descendat : licet alii deducant a πάππος, id est *avus*. Hæc Baronius. Accedit Eustathius, qui ait Romana lingua Papam significare patrem. Denique nonnulli eruditi linguarum periti censent tam Græcum πάππας, quam Latinum *Papa* a Chaldæo *Abba* (quod descendit ab Hebræo *Ab*), id est *pater*, derivari. Ita Petrus Gregorius, in *Syntagm. Juris universi*, part. II, lib. XV, cap. III, *De Abbatibus*, num. 1 : « Abba, inquit, idem est quod universe Papa. » Et Spiegelius, in *Lexico*, verbo *Abbas*, ait apud Græcos *Abbas* appellatos *Papas*, velut Moscovitæ pronuntiant popas. Parentes ergo prisci quos celebrat hic Siracides, fuere primi Abbæ et Abbates, πάπποι et πάπποις, Papæ et patres patrum. Secundum.

2. MULTAM GLORIAM FECIT (græce ἔκτισε, id est creavit, condidit) DOMINUS MAGNIFICENTIA SUA A SÆCULO. — Puta per *magnificentiam*, id est magnificam suam potentiam, sapientiam, bonitatem et operationem, quam habuit « a sæculo, » id est ab initio mundi et temporis, imo æternitatis. Complutensia addunt ἐν αὐτοῖς, id est *in ipsis*, scilicet viris gloriosis. Sic enim habent : *Multam gloriam creavit Dominus in ipsis magnificentia sua a sæculo;* Romani : *Magnificentiam suam a sæculo, q. d.* Dum Deus gloriam tantam creavit in Sanctis, hoc ipso ostendit et exhibuit magnificentiam suam, quam habuit a sæculo, id est ab æterno. Gloria enim Sanctorum est opus magnificentiæ Dei, adeoque ipsa est gloriosa Dei magnificentia; hæc enim non est aliud, quam gloria Dei magnifica; Syrus : *Multum gloriæ adjudicatum est illis, et omnis majestas eorum super generationes sæculi.* Vers. 1.

Nota : To *gloriam* respicit τὸ *gloriosos*, vers. 1, *q. d.* Patres nostri fuere viri gloriosi ob gloriam multam, quam eis contulit Deus. Multam dico. Nam *primo*, hæc gloria viros illos fecit gloriosos et inclytos; *secundo*, hæc gloriosum fecit sæculum ipsorum; Deus enim eos, quasi faces, imo soles orbi dedit, ut illum suo quisque ævo illustraret : v. g. dedit Henoch, ut ille quasi sol illustraret sæculum legis naturæ; dedit Noe, ut ille quasi sol illustraret sæculum diluvii; dedit Abraham, ut ille quasi sol illustraret sæculum primum post diluvium, et ita de cæteris : Deus enim pro sua magnificentia cuique sæculo successive hos heroes quasi stellas, imo soles, dedit, ut ejus ignorantiæ et vitiorum tenebras sua luce discuterent; *tertio*, hanc gloriam sibi ipsi creavit Deus; dum enim gloriam tantam Sanctis contulit, hoc ipso seipsum apud homines glorificavit, gloriamque suam ostendit et celebravit. Unde Tigurina vertit : *Dominus per hos multam gloriam sibi peperit, idque sua ab ævo condito magnificentia.* Gloria enim Sanctorum et heroum est gloria Dei eos sanctificantis et extollentis : sicut gloria operis est gloria opificis, et gloria imaginis est gloria exemplaris.

Igitur magnificentia fuit causa, cur Deus patres tam gloriosos effecerit; quia scilicet Deus magnificentissimus in ea volebat toti mundo ostendere suam munificentiam et magnificentiam.

Triplex hæc gloria fuit triplex causa quæ movit Apostolum, ut imitatus Siracidem, post elogia fidei, tantopere celebret tot tantosque heroes fidei, *Hebr.* XI. Rursum triplex hæc gloria fuit triplex causa, quæ movit Ecclesiam, ut Siracidem et S. Paulum secuta, celebret Sanctos illustres; sic enim a priscis temporibus Ecclesia Latina in *Martyrologio*, et Græca in *Menologio*, Martyrum Sanctorumque heroicos agones celebrat, posterisque imitandos proponit. Atque hæc fuit prima Martyrum Sanctorumque canonizatio, quam deinde secuta est particularis illa et solemnis, quæ de more fit a Pontificibus. Primus autem quem legimus a Pontifice solemni ritu canonizatum, fuit S. Suitbertus, Episcopus Werdensis, qui sub Carolo Magno canonizatus est a Leone III, anno Domini 803. Ita Baronius, Bellarminus et alii. Secundus fuit S. Udalricus, Episcopus Augustanus, qui canonizatus fuit anno Domini 993, a Joanne XV Pontifice, ut patet ex ejus Bulla canonizationis.

Canonizationis origo.

In canonizatione a pontifice ritus servantur.

Porro in canonizatione cujusque Sancti, duo facit Pontifex : *primo*, refert in Sanctorum catalogum, eumque ut talem Ecclesiæ colendum proponit et sancit; *secundo*, ejus festum, die quo obiit et in cœlum transiit, toti Ecclesiæ celebrandum indicit. In nonnullis quoque officium die eadem fieri præcipit. Sic in S. Bonaventuræ canonizatione, quæ fuit anno Domini 1480, ait Sixtus IV Pontifex : « Ipsum SS. Confessorum, Pontificum et Doctorum consortio solemniter aggregamus; mandantes Patriarchis, Archiepiscopis, etc., ut festum ipsius secunda Dominica mensis julii singulis annis solemniter et devote celebrent, divinum officium velut pro uno Confessore, Pontifice et Doctore, tam publice quam privatim, prout contigerit, persolventes. Franciscanis vero hujusmodi officium sub festo duplici et octava celebrandi concedimus facultatem. » Sic in canonizatione S. Bernardini anno 1450, ait Nicolaus V Pontifex : « Ipsumque canonizamus, mandantes festum in numero sanctorum Confessorum non Pontificum decantari. » Prima omnium, cui concessum fuit officium, fuit S. Brigida; nam Bonifacius IX, in ejus canonizatione, quæ facta est anno Domini 1391, sic ait : « Statuentes ut ab universali Ecclesia anno quolibet die obitus ejusdem, festum ipsius et officium, sicut pro una Sancta non Virgine nec Martyre, devote et solemniter celebretur. » Simili deinde modo Pius II, in canonizatione S. Bennonis statuit, ut ab universali Ecclesia quolibet anno festum ipsius, et officium sicut pro uno Confessore Pontifice, die 16 junii solemniter celebretur. Sic Clemens VII, canonizans S. Antonium, Archiepiscopum Florentinum, ejus festum indicit, ac officium divinum velut pro uno Confessore Pontifice celebrari sancit : Patribus vero Prædicatoribus sub ritu duplici. Sixtus V, in canonizatione S. Didaci : « Statuentes, inquit, ut ab universali Ecclesia anno quolibet die 12 novembris festum ipsius, et officium sicut pro uno S. Confessore devote celebretur. » Idem officium de S. Raymundo et S. Hyacintho indicit Clemens VIII, ac de S. Carolo Borromæo, et S. Francisca Romana Paulus V, in eorum canonizatione.

Neque hic recens canonizatos festo officioque colendi est mos, sed pervetustus ab ipsis Ecclesiæ primordiis. Sic enim S. Stephani Protomartyris, cæterorumque Martyrum festum celebrari sanxerunt Apostoli, teste S. Clemente, lib. VIII *Constit.* cap. XXXIII. Sic S. Cyprianus, *epist.* 37 : « Dies eorum (Martyrum) quibus excedunt, inquit, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. » Sic S. Augustinus, lib. XX *Contra Faustum*, cap. XXI : « Populus Christianus, inquit, memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. » S. Gregorius, *ad Eulogium*, epist. 29, lib. VII : « Nos, inquit, pene omnium Martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. » Unde liquet veteres festa Martyrum celebrasse quotannis in die martyrii eorum, Missam celebrando, in eaque eorum nomina commemorando et invocando; atque inde factum est, ut in Canone Missæ non nisi Martyrum nomina posita legamus, et quotidie commemoramus dum dicimus : « Commemorantes et memoriam venerantes in primis, » etc. Olim tamen etiam nomina Virginum et Confessorum non Martyrum recitabantur, teste S. Augustino, lib. *De S. Virginib.* cap. XLV : « Perhibet, inquit, Ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco Martyres, et quo loco defunctæ sanctimoniales recitentur. » Quocirca pridie diei natalis eorum annuntiabantur nomina in Ecclesia (ut hodie fit in Martyrologio) quorum natalitia recensenda essent die sequenti, quorumque una cum sacrificio foret commemoratio facienda. Has Ecclesiasticas tabulas Tertullianus, lib. *De Corona militis*, fastos appellat. Porro Missas has celebrabant in altaribus super corpora et sepulcra Martyrum, ad eorum honorem erectis, indeque ecclesias vocabant Martyria, quasi Martyrum sepulcra et monumenta. Pluribus hæc omnia demonstrat Baronius, *Præcapitul. in Martyrologium Rom.* cap. IV. Idem ab olitanis temporibus fecere Græci, Sanctos suos recolentes in Diptychis et Menologiis.

Porro Siracides hic æque ac Apostolus, *Hebr.* XI, proprie non intendit texere catalogum Sanctorum et electorum, sed tantum virorum illustrium. Esto enim plerique eorum fuerint sancti

et electi, de nonnullis tamen res dubia vel incerta est, ut de Salomone, Zorobabel, Jesu filio Josedec, Nehemia, et Judicibus Israel.

Vers. 3. 3. DOMINANTES IN POTESTATIBUS SUIS, HOMINES MAGNI VIRTUTE, ET PRUDENTIA SUA PRÆDITI, NUNTIANTES IN PROPHETIS DIGNITATEM PROPHETARUM. — Rabanus omittit τὸ *in Prophetis*, vel, ut Græca habent, *in Prophetiis*. Unde sic legit : *Nuntiantes dignitatem Prophetarum*. Hæc participia *dominantes, nuntiantes, imperantes*, etc., non possunt referri ad *laudemus* vers. 1; sic enim deberent esse accusativi casus; jam autem sunt nominativi, ut patet ex Græco κυριεύοντες, βουλεύοντες, απηγγελκότες; quare more Hebræo hæc participia accipienda sunt pro præteritis, *q. d.* Dominati sunt, nuntiarunt, imperarunt. Unde Tigurina vertit : *Qui regnis suis dominati sunt, viri potentia celebres; qui consilio ingenii sui valuerunt, qui prodiderunt oracula fatorum*; alii magis ad verbum vertunt : *Qui dominati sunt in regnis suis, et viri potentia celebres fuerunt, consultantes intelligentia sua, annuntiantes prophetias*. Similes hebraismos notavi II *Corinth.* x, 15; *Rom.* xii, 12.

Dat causam cur laudandi sint patres, laudisque materiam et objecta varia assignat. Primum est : « Dominantes in potestatibus suis, » græce, ἐν ταῖς βασιλείαις αὐτῶν, id est *in regnis suis*. Quod Noster vertit, *in potestatibus;* cuique enim regi in regnum, et principi in principatum competit jus et potestas regendi et dominandi juxta leges et jura cujusque regni et principatus : unde aliqui legunt, *in potestatibus suis*. Plerique enim patres quos laudaturus est Siracides, fuere Patriarchæ, judices, principes et reges Israel : Patriarchis enim in suas familias, utpote amplissimas, competebat jus principis et regis, uti ostendi, *Genes.* xxxviii, 24. Sensus ergo est, *q. d.* Laudemus patres nostros gloriosos; quia ipsi fuere insignes reges et principes, qui magna auctoritate, jure et imperio dominati sunt in Israel, eumque rexerunt juxta leges et jura a Deo sancita, præsertim ut eum in veri Dei fide, cultu et obedientia continerent, et ab infidelibus protegerent. Porro inter bona temporalia nullum gloriosius est regno et regia dignitate.

Tropologice, Rabanus : Rex magnus est, inquit, qui regit seipsum, qui dominatur animo suo, præsertim iræ et concupiscentiæ. Nam et prisci reges, inquit, « fuere facultatibus abundantes; sed majori potestate semetipsos regebant, cum ab illicitis concupiscentiis coercebant. »

Secundum est : « Homines magni virtute; » græce est, ἄνδρες ὀνομαστοὶ ἐν δυνάμει, id est viri nominati, famosi et celebres in potentia et robore; tum quia in regno fuerunt potentes; amplum enim, dives et potens habuerunt regnum, uti habuit David, Salomon et posteri; tum quia potentes et victoriosos habuere exercitus, quibus vicinos reges debellarunt, sibique subjecerunt; tum quia ingenti animi robore, magnitudine et generositate ad magna fortiter audenda et constanter perficienda excelluerunt; hos enim Hebræi vocant אנשי חיל *anse chail*, id est viros virtutis, id est strenuos, fortes, animosos; quales fuere Josue, David, Judas Machabæus, etc., bellica virtute clarissimi; tum denique quia magna in Deum fide præditi, stupenda patrarunt miracula et portenta. Unde Syrus vertit : *Ostenderunt in prophetia sua signa.*

Moraliter disce hic, virtutem consistere in animi vigore et robore ad ardua quælibet superanda; unde virtus a viro dicta, et proprie fortitudinem significat, quod viri maxime fortitudo sit, ait Cicero, *Tuscul.* I. Quocirca virtus a variis varie definitur vel describitur : « Virtus, ait Cicero, *Tuscul.* II, est perferendorum malorum fortis atque invicta patientia. » Idem, lib. V *De Finibus :* « Virtus est vis illa, qua res, cujus est virtus, perfecta redditur. » Idem, lib. II *De Invent.* : « Virtus est animi habitus, naturæ, modo, rationi consentaneus. » Idem, *ad Plancum*, lib. X, epist. 3 : « Omnia summa consecutus es virtute duce, comite fortuna. » Plato, in *Menone*, sive in *Dialogo de virtute*, quatuor dat ejus definitiones : « Prima virtus viri civilis est, ad civilium rerum administrationem congruenter paratum esse; secunda virtus est facultas, qua omnibus præesse valemus; tertia virtus est gaudere honestis; quarta virtus est appetitus honesti, et facultas illud assequendi. » Idem, in lib. *De Republ.:* « Virtus est habitus animæ, quo potentia naturalis ejus quam optime opus suum exercet.» Idem, lib. II *De Legibus* : « Virtus est obedire rationi. » Alcinous, *De doctrin. Platon.* cap. xxxi : « Virtus est affectio animæ perfecta et optima, ornatum, concordem et stabilem efficiens hominem. » Theages : « Virtus est habitus decori. » Rursum Plato, in *Theæteto*, dixit virtutem esse similitudinem cum Deo; et alibi : Optimum animi habitum per se laudabilem. Plotinus, *Enn.* I, lib. VI, cap. vi, ait esse animi purificationem. Aristoteles, in VII *Physicor.* context. xvi, esse perfectionem animi, et constitutionem ejus secundum naturam; in X *Moral. Nicomach.* cap. v, affirmavit virtutem esse omnium mensuram; et in I *Rhetor.*, esse facultatem comparandi quæ bona sunt, eademque servandi; ac insuper esse facultatem multa et magna in alios beneficia conferendi; esse facultatem quæ potest omnes omnibus in rebus adjuvare; esse habitum recte disponentem appetitum sensuum et actiones ejus. Alii dixerunt esse humani animi sanitatem. Stoici : « Virtus, aiunt, est vacuitas perturbationum, animique tranquillitas. » S. Augustinus, lib. *De Morib. Eccles.* cap. xi : « Virtus est rectissima animi affectio. » Idem, *De Quantitate animæ*, cap. xvi : « Virtus est æqualitas vitæ, rationi undique consentientis. » Additque virtutem similem esse circulo, quia per illam sapiens fit « in seipso totus teres atque rotundus. » Idem, lib. IV *De Civit. Dei*, cap. xxi : « Virtus est ars

Quid virtus. Ciceronis definitio.

Aristotelis.

Stoicorum. Augustini.

bene rectèque vivendi. Unde ab eo quod græce ἀρετή dicitur virtus, nomen artis Latinos traduxisse putarunt. » Idem, lib. XV *De Civit. Dei*, cap. XXII : « Virtus est ordo amoris, juxta illud, *Cant.* II : Ordinavit in me charitatem. » S. Ambrosius, lib. VIII *in Lucæ* cap. XVIII : « Virtus est nolle peccare, atque ita tenère perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam. » Idem, in *Psalm.* I : « Prima virtus est, ut non frangaris adversis, nec extollaris secundis. » Idem, lib. II *De Abel*, cap. II : « Perfectæ virtutes sunt, si sollicitudines sæculares, et corporales illecebras victor animus, delinimentaque voluptatis excludat, liber a sæculo, Deo deditus, nihilque de tramite rectæ intentionis imminuens, nec affectus sui tempora nunc luxuriæ dividens, nunc labori. » Nazianzenus in *Præceptis ad Virgines* : « Virtus in medio vitiorum sita est, velut rosa inter spinas. » Sic et Aristoteles, lib. II *Ethic.* cap. VI : « Virtutem definit esse mediocritatem. » Unde Horatius :

S. Ambrosius.

Nazianzenus.

Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.

Idem Nazianzenus, alibi : « Virtus est bonum quod per vim efficitur. Virtutis natura est ad unicum Dei cultum respicere ; virtus inclyta tacitis gradibus se tollit in altum. » Quocirca Stoici cæterique philosophi censuerunt, summum bonum hujus vitæ situm esse in virtute, idque demonstrant hisce rationibus : *primo*, summum bonum est in animo : in animo autem nihil est salutarius et præclarius virtute ; *secundo*, summum bonum id judicari debet, ex quo pendet universa nostra perfectio : virtus est hujusmodi, virtus enim perficit id cujus est virtus et opus ejus ; *tertio*, summum bonum id statui debet, quod cum ex se sit bonum, cætera omnia bona reddit : hujusmodi est virtus ; nam ejus beneficio munera fortunæ et naturæ redduntur bona nobis, quæ seorsum a virtute potius nobis obsunt quam prosunt ; *quarto*, summum bonum id judicari debet, quod (sejunctis cæteris omnibus) bonum reddit id cui convenit, et eo sejuncto ab aliis, derelinquit illud boni expers : hujusmodi est virtus ; ex eo enim quod homo est virtute præditus, etiamsi ei cætera omnia desint, statim dicitur vir probus ; si autem ea absit, adsint cætera omnia, nequaquam bonus et probus nuncupabitur ; *quinto*, summum bonum est maxime potens, omnia vincens, omnia superans, omnia cum eo pugnantia repellens : hujusmodi est virtus ; ea enim sola muniti, fortunam vincimus, naturæ incommoda rejicimus, munere continentiæ incontinentiam coercemus, heroica virtute feritatem prosternimus ; *sexto*, summum bonum debet esse firmum et constans : apud nos autem nihil virtute firmius et constantius reperitur ; dum enim extrinsecus fortunæ venti nos agitant, dum intus dimicant naturæ contrarietates ex quibus constamus, dum amici nos deserunt, dum prin[illegible]jus mundi nobis sunt adversi ; sola virtus intus revocata animum reddit tranquillum, sola nos intrepida comitatur. De qua id quod de Musis cecinit Ovidius, congruenter enuntiare valemus :

Virtus est summum bonum hujus vitæ.

Probatur Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

Has saltem nullus potuit pervincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

Et Seneca, *epist.* 93, dicebat : Hoc adversus virtutes valent calamitates, damna et injuriæ, quod adversus solem valent nebulæ, imo minus, quia virtus in calamitate refulget, et adversitate perficitur. Præterea summum bonum hujus est naturæ et conditionis, ut quatenus summum bonum est, non possit non prodesse : at hoc virtuti competit. Præclarum enim virtutis privilegium est (ut in primo Rhetorices monuit Philosophus), quod ea sola male uti non valeamus, ac insuper, quod admirabilius est, ea sola (dum nobis se offert necessaria occasio) non valeamus non uti ; de ratione enim virtutis moralis est, non solum ut agamus id quod oportet, verum insuper quando oportet. Insuper summum bonum id judicari debet, quod mensura et regula est cæterorum bonorum, ac Deo pro facultate nos reddit similes : hujusmodi est sola virtus ; ea ergo (ut dixit Philosophus X *Moral. Nicomach.* cap. V.) est mensura omnium (rectum enim judex est sui obliqui), ea sola nos maxime purgat, et purgatos evehit ad supera. Hinc Deus, tanquam amicum ac sibi similem, dicitur visitare virum probum ac sapientem. Demum summum bonum dicitur esse jucundissimum, honestissimum, utilissimum, semper consimile, naturæ hominis consentaneum, ordinem statuens inter partes animæ, ac hominem reddens similem magno mundo : hujusmodi est sola virtus.

Septimo.

Octavo.

Tertium est : « Prudentia sua præditi ; » græce, βουλεύοντες ἐν συνέσει, id est consultantes vel consiliantes ; intelligentes, id est prudentes et sapientes : prima enim et potissima prudentiæ pars est consilium. Prudens enim est, qui novit in quovis eventu, præsertim in re difficili et periculosa, sapiens dare consilium. Porro hæc prudentia triplex est : scilicet ethica, quæ hominem ipsum ; œconomica, quæ familiam ; politica, quæ rempublicam prudenter regit et administrat. Triplicem hanc prudentiam habuere patriarchæ et principes, quos hic celebrat Siracides ; nam ut sapienter ait S. Dionysius, epist. *ad Demophilum* : « Qui se rexerit, alterum etiam reget ; et qui alterum, etiam domum ; qui domum, etiam civitatem ; qui civitatem, etiam nationem. »

Quartum est : « Nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, » id est populo annuntiabant, commendabant et inculcabant in Scripturis Prophetarum, eorumdem dignitatem ; quantæ scilicet tum ipsæ prophetiæ, tum ipsi Prophetæ earum auctores sint dignitatis et auctoritatis, nimirum divinæ, quia a Deo dictatæ et inspiratæ fuere Prophetis ; ac consequenter quanta reve-

rentia et obedientia sint excipiendæ. Ita Lyranus et Dionysius. Sub Prophetis intellige legem et Pentateuchum; Moses enim fuit princeps uti principum et pontificum, sic et Prophetarum. Atqui Moses præcipit, *Deut.* XVII, 18, ut rex novus, mox ut inauguratur, habeat Deuteronomium, illudque assidue legat, ut juxta illud se et suos regat: « Postquam, inquit, sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. » Ita fecere pii reges et principes, ut Josias, IV *Reg.* XXII, 1, et Esdras, II *Esdræ* VIII, 18, ac similes, qui proinde uti pie et sancte, sic et prospere feliciterque Deo fortunante regnum administrarunt; Israelis enim regnum non erat mere civile et politicum, sed et Ecclesiasticum ac divinum: quare reges regere debebant populum juxta legem Mosis et oracula Prophetarum, sicut reges et imperatores Christiani regere debent populum juxta Christi legem et Evangelium. Qua in re excelluit Jagello Lithuaniæ et deinde Poloniæ princeps, qui Polonis et Lithuanis fidem Christi adeo ferventer instar doctoris et concionatoris prædicavit, ut eos ad Christum converterit; quare Polonorum tam Apostolus quam princeps exstitit. Ejus pietatem et zelum imitantur moderni Polonorum reges et principes, qui ab eo prognati Jagellonidæ nuncupantur, eoque titulo gloriantur. Floruit Jagello anno Domini 1390, tempore Tamberlanis. Ita Martinus Cromerus, *De Rebus Polon.* lib XV, et *Orat. funebri*, in morte Sigismundi primi.

Jagellonis zelus.

Secundo, Jansenius sic explicat, *q. d.* Nuntiabant, inquit, patres in libris Propheticis dignitatem Prophetarum, hoc est, eam suis scriptis et relictis post se divinis oraculis declarabant; nuntiabant ergo, id est reipsa ostendebant et exhibebant dignitatem prophetiæ, dum eam a Deo accipientes in libris conscribebant, ex quibus illa populo legeretur et annuntiaretur. Plerique enim patrum fuere Prophetæ, qui prophetias vel ore dictarunt, vel calamo scripserunt; itaque Dei oracula et voluntatem populo annuntiarunt. Unde græce est, ἀπηγγελκότες ἐν προφητείαις, id est *annuntiantes in prophetiis*, hoc est, ut Tigurina et alii vertunt, *annuntiantes prophetias et oracula*. Hebræi enim verba contactus tam mentalis, quale est annuntio, quam realis, construunt cum ב, id est *in*, et ablativo, uti jam sæpius monui. Unde noster Emmanuel Sa, subaudiens τὸ *secundum*, sic exponit, *q. d.* Annuntiantes prophetias secundum dignitatem Prophetarum, *q. d.* Majores nostri fuerunt Prophetæ, et prophetias ediderunt dignas Prophetis, ut merito inter Prophetas magnos censendi sint. Talis fuit Josue, de quo ait, cap. XLVI, vers. 1: « Fortis in bello Jesus Nave, successor Mosi in Prophetis, » *q. d.* Majores nostri non tantum prudentia fuere præditi, sed et prophetia ac spiritu prophetico clari; quare regimen eorum non tantum fuit prudens, sed et propheticum ac divinum; quia prudentia non tam humana quam divina rexere populum, utpote in dubiis omnibus consulentes oraculum Domini, ut fecit Moses et Josue, *Num.* XVII, 21.

Tertio, Palacius sic exponit, *q. d.* Majores nostri erant nuntiantes inter Prophetas dignitatem propheticam suam, quæ maxima laus est. Quam ut intelligas, id nota: Licet olim Deus multis dederit spiritum prædicendi futura, atque ideo ut essent suo modo Prophetæ, ut dedit Sibyllis et Balaam; tamen dignitatem propheticam et canonicam solis dedit Judæis, qui agnoscentes se Spiritu Sancto inspiratos loqui, asserebant se esse Prophetas; ac ideo suam dignitatem propheticam nuntiabant et pronuntiabant; et propterea horum prophetias Ecclesia ut canonicas suscepit et suspexit. Jam est sensus apertus: Parentes nostri erant inter Prophetas, qui prædicebant futura, dignissimi, nuntiantes suam propheticam dignitatem, id est dicentes se esse veræ Ecclesiæ Prophetas.

Rursum alii sic explicant, *q. d.* Nuntiantes non tantum plebeiis et rudibus, sed et ipsis Prophetis, id est viris doctis et sapientibus dignam Deo et se prophetiam, id est sapientiam. Unde Syrus vertit: *Sapientes didicerunt in sapientia eorum.*

Quarto, Franciscus Lucas, in *Annotat.* hic: Manuscripta duo, inquit, cum Rabani textu omittunt τό in *Prophetis*, leguntque: *Nuntiantes dignitatem Prophetarum*. Alia manuscripta tollunt non tantum *in Prophetis*, sed etiam *nuntiantes*, scribuntque quod reliquum est *in dignitate Prophetarum*. Harum lectionum altera videtur vulgari, quæ in *Notatione* hujus capitis collocata est, præferenda; ex Græcis enim docemur satis alterum superfluere, vel *dignitatem Prophetarum*, vel in Prophetis: ἀπηγγελκότες (habent codices Græci) ἐν προφητείαις, *qui annuntiarunt in prophetiis*; quod est, qui prophetias et divina oracula annuntiarunt. Utra autem præferenda sit non facile dixero: prior, « nuntiantes dignitatem Prophetarum, » Græco conformior est; posterior, « in dignitate Prophetarum, » ab alterius eruditionis suspicione alienior: cui si subaudias, constituti, vel quid simile; id significatur, quod auctor velle videtur: Prophetico spiritu excellentes. Possit in eumdem sensum prior lectio accipi, si per *dignitatem Prophetarum* intelligas prophetias, ob quas Prophetæ sunt in honore. Hæc Franciscus Lucas. Verum nobis sequenda est lectio Romæ correcta, quam passim continent codices Latini.

ET IMPERANTES IN PRÆSENTI POPULO. — Pro *imperantes* græce est ἡγούμενοι, id est duces, vel imperantes, ducentes, præeuntes, antegredientes, præsidentes. Ducis enim est præire militibus et populis: ita patres et principes isti Israel tam armis,

quam verbo et exemplo præibant Israeli; idque *in præsenti*, id est populo sui ævi, qui tunc illis præsens erat. Est ampliatio : *præsens* enim hic ampliatur ad præteritum; quia quod nobis est præteritum, patribus erat præsens.

Vers. 4. 4. ET VIRTUTE PRUDENTIÆ POPULIS SANCTISSIMA VERBA. — Intelligitur hic verbum; sed quod? Rabanus et Palacius subaudiunt *loquentes* vel *instruentes, q. d.* Non cedro, sed cœlo digna locuti. Lyranus, ex versu præcedenti, repetit *nuntiantes, q. d.* Patres loquebantur, vel nuntiabant populis sanctissima verba legis divinæ. Jansenius vero sine verbo sic explicat : Quoniam, inquit, durum est repetere ex alia sententia verbum *nuntiantes*, cum jam aliud intercesserit participium; et quia quod respondet illis dictionibus *sanctissima verba*, ponitur in nominativo apud Græcos (habent enim σοφοὶ λόγοι) ideo magis convenit sic accipere, *q. d.* Et per vim et efficaciam prudentiæ eorum fuerunt ipsis populis sanctissima verba, hoc est, per eos populus habuit sancta eloquia Dei. Multa scripta habent *populi sanctissima verba;* quæ lectio magis consentit Græcis, in quibus est genitivus λαοῦ, et nominativi σοφοὶ λόγοι *sapientes sermones*. Itaque sensus erit, quod patres illi *virtute prudentiæ* fuerunt *sanctissima verba* populi, hoc est fuerunt, per quos populus sanctissima verba a Deo percepit : ut causaliter dictum sit, quod patres fuerunt sanctissima verba populi. Verum hæc explicatio coactior et durior est. Dico ergo repetendum esse participium *imperantes*, græce ἡγούμενοι, id est *præeuntes, q. d.* Majores nostri imperabant et præibant populis sibi subditis sanctissima verba, dum eos verbo et exemplo incitabant ad observationem sanctissimæ legis Dei. Hæc est enim virtus prudentiæ, ut quod verbo doces et imperas, idipsum doceas et præeas exemplo; facta enim dant efficaciam verbo, exemplum dat auctoritatem imperio. Sic fecit Joseph juxta illud *Psalm.* CIV : « Misit rex et solvit eum, etc., ut erudiret principes ejus (Pharaonis et Ægypti) sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. » Sic David, Ezechias, Josias, etc., non solum Judæis, sed et aliis, quos subjiciebant, populis Dei præcepta tradiderunt. Nam ut ait S. Basilius, hom. 3 *Hexaem.* divinam doctrinam profanæ conferens et anteferens : « Quantum caste viventium mulierum pulchritudo meretriciæ formositati præponitur, tanto noster sermo dignoscitur prælatus esse illorum doctrinæ. »

Porro Noster aliter legit et dispungit in Græco, quam modo legitur; sic enim nunc legitur et dispungitur : Ἡγούμενοι λαοῦ ἐν διαβουλίαις, καὶ ἐν συνέσει γραμματείας λαοῦ. Deinde novo versu : Σοφοὶ λόγοι ἐν παιδείᾳ αὐτῶν, id est ut Complutensia et Romana : *Duces vel rectores populi in consiliis, et in intellectu litteraturæ populi. Sapientes sermones in disciplina eorum;* Tigurina : *Qui populo præfuerunt consilio, atque cognitione, peritia litteraturæ scribarum populi, quorum dictis sapientibus constitit eruditio.* Noster vero legit, ἁγίους λόγους id est *sanctissima verba*, eaque nexit cum « imperantes, » quod præcessit; Syrus : *Dicentes parabolas in libro virorum fortium.*

5. IN PERITIA SUA REQUIRENTES MODOS MUSICOS, ET VARRANTES CARMINA SCRIPTURARUM. — Pro « in peritia, » Rabanus, Lyranus et alii legunt, » in pueritia » (utrumque enim significat vox Græca ἐν παιδείᾳ), et sic vertisse nostrum Interpretem censet Jansenius. Videtur enim Siracides respexisse ad Davidem, qui a pueritia et juventute cœpit ludere cithara, et postea enarravit et dictavit carmina Scripturarum : atque ad filios Prophetarum, qui Deo canebant hymnos et carmina, I *Reg.* X. Verum legendum est, « in peritia : » sic enim legunt codices Romæ correcti et fere cæteri omnes. Notat enim non cantores, sed auctores psalmorum et sacrorum carminum, æque ac musices et modulationis, qua tum voce, tum psalterio, aliisque instrumentis psalmos et hymnos in templo canebant, et alios canere docebant : quales fuere David, Asaph, Idithun, filii Core. Vers. 5.

Sensus est, *q. d.* Nonnulli e majoribus nostris non tantum rexerunt populum, eumque docuerunt legem Dei; sed in sua peritia et scientia invenerunt modos musicos Deum laudandi et celebrandi; ac enarrarunt, dictarunt et compo- erunt « carmina Scripturarum, » id est carmina jam in S. Scriptura, præsertim in Psalterio descripta, ut hac ratione populum in Dei cultu firmarent, eumque laudare, invocare et adorare docerent.

Hunc esse sensum liquet ex Græco, qui sic habet : Ἐκζητοῦντες μέλη μουσικῶν, διηγούμενοι ἔπη ἐγγραφῇ. Alii per diastolen legunt ἐν γραφῇ, quod Complutensia vertunt : *Requirentes melodias musicorum, et enarrantes carmina scripta;* Romani, legentes ἐν γραφῇ, vertunt : *Carmina in scriptura;* alii : *Apponentes versus scriptos;* Tigurina : *Qui concentus musicos investigaverunt, qui carmina scriptis prodita explicavere;* ut laudet hic non solum cantores et psaltes, sed et doctores ac hymnorum et psalmorum interpretes. Hi enim sua expositione docent populum psallere intelligenter et sapienter; ut scilicet mente intelligant et affectu sapiant ea quæ psallunt : quod ingens Ecclesiæ et fidelium est bonum. Quocirca inter alias S. Gregorii laudes, hæc una non infima est, quod cantum hymnorum et psalmorum ad meliorem ordinem et melodiam, quæ ab eo Gregoriana vocatur, redegerit. Imo S. Paulus fideles ad melodiam hanc hortatur dicens : « Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri, » *Eph.* V, 18. Sic de S. Cæcilia legimus : « Cantantibus organis, Cæcilia Domino decantabat, dicens : Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar. »

Simili phrasi et elogio S. Basilius a S. Gregorio Nysseno vocatur *aurea dogmatum* ἀηδών, id est *philomela*, ita dicta quasi ἀεὶ ᾄδων, id est *perpetuo cantans*, ubi semel incœperit. Huic enim avi diebus ac noctibus quindecim continuis varius et suavissimas est sine intermissione cantus, teste Plinio, lib. X, cap. XXIX, et Aristoteles lib. VIII *De Natura animal.* cap. III. Sic enim assidue S. Basilius, instar philomelæ, Dei dogmata aurea voce omnibus occinuit. Sic S. Dionysius Areopagita vocatur « volucris cœli » a S. Chrysostomo, homil. *De Falsis prophetis* : S. Ephrem « sonora lyra Spiritus Sancti » appellatur a Theodoreto : S. Athanasius a S. Gregorio Nazianzeno nuncupatur «veritatis tuba. »

Porro prisci nationum fere omnium Theologi et Patriarchæ suam de Deo sapientiam, ac de moribus Ethicam modulato carmine posteris consignarunt, ut illa suavius in animos influerent, et memoriæ tenacius inhærerent, quæ musico carminis concentu crebro et aures et mentem demulcerent. Ita nimirum Deus veterum more Poetarum legem Gentibus ferens, per aurem blande lapsus in mentem, suavitate carminum imperium invasit animorum, ut eos ad cœli delicias amoremque Numinis amantissimi raperet. Ita Moyses carmen legis servandæ cecinit, *Deuter.* XXXII. Ita ante Moysen S. Job patientiæ magister, ac primus heroici carminis auctor, eodem opus suum conscripsit. Hos duces secuti Debora, David, Salomon, Ezechias, Isaias, cæterique Prophetæ, quin et B. Virgo, suos cœlestis doctrinæ et pietatis æstus melodica versuum harmonia ediderunt. Idem imitati sunt Gentium heroes et philosophi, ut Orpheus, cujus hymni de Deo exstant; Trismegistus, Pythagoras, Solon, Apollo, Homerus, Hesiodus, Sibylla, Hystaspes, priscus Persarum rex, Socrates, Plato, qui tragœdias, dithyrambos et epigrammata divino dicitur lusisse ingenio; Aristoteles, Numa Pompilius, Scipio Africanus, Cato, Cicero, Julius et Augustus Cæsares, aliique innumeri, qui sua de moribus dogmata numerosa carminum modulatione tradidere. Idem inter Christianos secuti sunt S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Magnus, S. Damasus, Clemens Alexandrinus, Maximus, Synesius, Amphilochius, Damascenus, Sophronius, ac nuper S. Franciscus Xaverius, Indiarum apostolus, qui ut Indos fide Christi imbueret, præcipua Christianæ doctrinæ capita metris Indicæ linguæ eleganter illigabat : illis primo informabat pueros; pueri deinde facto choro, præeunte Xaverio, eadem carmina in viis, in compitis, in agris templisque decantabant. Ad cantus inauditi novitatem et voluptatem undique concurrebant Indorum greges quibus rerum quæ canebantur admiratione suspensis, Xaverius singula explicabat : atque hac ratione Indos convertit. Idem vidit Plato, dum, lib. III *De Republ.*, docuit pueros primo docendos esse musicam, ac per eam ethicam bonosque mores.

Prisci Ethicam carmine tradiderunt, cur?

Exemplia.

Mystice, S. Augustinus *in Psal.* LVI, vers. 6, ad illa : « Exsurge, psalterium et cithara, » docet Christum esse musicum et citharœdum, qui suavia doctrinæ et pietatis carmina animæ accinat, idque ut carmen Deo nostro concinamus alacrius. Virginalis, inquit, illa Christi Domini caro pro nobis operans divina, psalterium est : ejusdem eadem caro pro salute hominum patiens humana, cithara est, chordis amoris in cruce concinne distensa; ideoque sonora et canora.

Christus citharœdus.

6. HOMINES DIVITES IN VIRTUTE, PULCHRITUDINIS STUDIUM HABENTES : PACIFICANTES IN DOMIBUS SUIS. — Græce est : *Homines divites subministrati*, vel *instructi robore* vel fortitudine; *pacifice viventes in habitationibus suis*, vel commorationibus et viciniis suis : græce enim Complutensia legunt κατοικίαις; alii, παροικίαις; Tigurina : *Viri divites, qui excelluere potentia, qui domi suæ prospere vixerunt.* « Pax » enim Hebræis significat prosperitatem rerumque abundantiam : nec enim semper bella gerebant, sed bello pacem sibi suisque quærebant et parabant. Syrus : *Quiescentes in robore suo.* Hic verum est illud : « Tibicen fortunæ virtus. » In Græco ergo majores a tribus bonis externis commendantur : scilicet *primo*, a divitiis; *secundo*, a virtute, id est robore tum corporis et animi, tum militum et exercituum; *tertio*, a pace et prosperitate. Latinus vero interpres addit quartum, scilicet « pulchritudinis studium habentes, » quod varie explicant : *primo*, Lyranus : « Pulchritudinis, » inquit, id est legis et Prophetarum, quorum studium est valde pulchrum, juxta illud *Genes.* XLIX : « Nephtalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis. »

Vers. 6.

Secundo, Palacius, nectens τὸ *pulchritudinis* cum « virtute, » sic explicat : « Studium habebant, inquit, in virtute pulchritudinis, » id est in pulcherrima virtute. Est enim phrasis Hebræa « altitudinis firmamentum, » dicere pro altissimo firmamento; ita « virtus pulchritudinis, » id est virtus pulcherrima, ad quam comparandam ejus pulchritudine illecti illi majores totum studium adhibebant.

Tertio, Jansenius, ut Latina Græcis adaptet : Significatur, inquit, eos in virtute, id est in fortitudine et robore, habuisse « studium pulchritudinis, » hoc est eos dixisse illud esse pulchrum studium et excellens, ut sibi comparent fortitudinem, et instructi essent viribus tum corporis, tum exercitus sui. Cum enim alii in deliciis et voluptatibus constituant pulchritudinis et excellentiæ studium, illudque pulchrum ducant, isti in robore habebant studium pulchritudinis, ut scilicet bene essent instructi contra hostes suos externos. Verum τὸ *pulchritudinis studium habentes* deest in Græcis : unde iis adaptari nequit. Rursum Biblia Romæ correcta et alia passim τὸ *virtute* per comma subjectum disjungunt a τῷ *pulchritudinis* : ergo hoc cum illo jungi nequit.

Dico ergo : sensus est, *q. d.* Majores nostri fuere

Decoris

studendum. studiosi pulchritudinis, ut scilicet pulchre templum et res sacras exornarent, utque τὸ πρέπον et decorum in omni re servarent, *q. d.* Erant decori in Dei cultu omnique actione : ideoque Deo Angelisque amabiles, et hominibus admirabiles. Ita Rabanus : « Pulchritudinis studium habentes, inquit, ut Moses et Salomon, qui tabernaculum et templum cum variis vasis et utensilibus Domino ædificarunt. » Et Dionysius Carthusianus : « Homines, ait, divites in virtute, id est potestative in spiritualibus et temporalibus opulenti; ut constat de David, Asa, Josaphat, Ezechia, Joathan et Josia, lib. *Reg.* et *Paral.*, pulchritudinis studium habentes, id est, diligenter intenti circa ornatum cultus divini et templi decorem. » Magna enim est illecebra pulchritudinis : valde enim alliciuntur homines ad Dei cultum omnemque virtutem, si in ea videant pulchritudinem. Unde S. Dionysius, *De Divinitatis nominibus* cap. IV : Καλλός, inquit, i. e. pulchritudo, dicitur, eo quod ad se καλεῖ, id est vocat illicitque omnia. Id videmus in ornatu templorum, altarium, vestium sacrarum, musica, organis, etc., quæ sua specie et decore rapiunt homines ad se Deique cultum. Sic Christus sua pulchritudine vultus, oris, sermonum et actionum omnes in sui amorem rapiebat, juxta illud, *Psal.* XLIV, vers. 4 : « Speciosus forma præ filiis hominum (Chaldæus : *Pulcher es animo et corpore, rex Messia, præ reliquis hominibus*). Diffusa est gratia in labiis tuis, etc. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. » Sic et Ecclesia ejus sponsa, de qua *ibid.* vers. 12, dicitur : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, etc. Et concupiscet rex decorem tuum. »

Vers. 7. 7. OMNES ISTI IN GENERATIONIBUS (per generationes, ætates et sæcula sibi continue succedentia) GENTIS SUÆ GLORIAM ADEPTI SUNT, ET IN DIEBUS SUIS HABENTUR IN LAUDIBUS, — id est in diebus suis dedere materiam laudis perpetuæ, ut tunc et deinceps a posteris omnibus laudarentur. Græce enim est: καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν καύχημα; quod Complutensia vertunt *et in diebus suis gloriationem*, supple et repete, « adepti sunt; » Romana : *et in diebus ipsorum gloriato;* alii, *et in diebus ipsorum est quo gloriemur;* Tigurina : *Omnes hi gloriam sunt adepti suis ætatibus, suisque temporibus laudi fuerunt;* Syrus : *Omnibus istis in generationibus fuit honor, et in diebus eorum laudes.*

Vers. 8. 8. QUI DE ILLIS NATI SUNT, RELIQUERUNT NOMEN NARRANDI LAUDES EORUM; — quia scilicet a sanctis patribus sancte educati, eorumque sanctos mores imitati dederunt posteris materiam laudis, tam suæ quam patrum. Legit Interpres : Οἱ εἰσὶν αὐτῶν κατέλιπον ὄνομα, id est (ut recte Noster vertit) : « Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen. » Laudat enim patres a sibi simili, sancta et felici prole ac sobole. Jam τὸ α postponentes, sic legunt : Εἰσὶν αὐτῶν οἱ κατέλιπον ὄνομα, id est : *Sunt ex iis ipsis, qui reliquerunt nomen ad laudum enarrationem.* Quasi hic duo genera piorum describantur, unum illustrium hoc versu, qui scilicet post se nomen et famam reliquerunt; alterum obscurorum versu sequenti, quorum scilicet nomen cum vita interiit; unde de iis ait : « Et sunt quorum non est memoria. » Verum illa verba ad impios, non ad pios pertinere, ibidem ostendam. Quare lectio Latina hic et alibi purior et verior est Græca moderna; quanquam et Græca juxta Latinam exponi possit hoc modo, *q. d. Sunt ex ipsis*, scilicet prognati filii, *qui reliquerunt nomen* ad laudem tam suam, quam parentum; hoc enim idem est cum eo quod Noster vertit : « Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Sic vive ne frustra te natum intelligas, » ait Tullius, in *Catone Majore.*

Vers. 9. 9. ET SUNT QUORUM NON EST MEMORIA; PERIERUNT, QUASI NON FUERINT; ET NATI SUNT, QUASI NON NATI; ET FILII IPSORUM CUM IPSIS. — Nonnulli, ut dixi, hæc accipiunt de altero genere piorum; eorum, scilicet, qui obscuri vixerunt et obierunt, ut post se sui famam non reliquerint. Unde Syrus Græcum secutus totam hanc sententiam sic effert : *Sunt ex eis qui reliquerunt post se nomen, ut fiat sermo in laudibus eorum. Et sunt in iis quorum non est memoria, et perierunt sicut perierunt.* Verum ad impios hæc pertinere patet ex phrasi verborum usitata in Scriptura, qua de impiis, non de piis, dicitur eos periisse, quasi non fuerint; quodque nati sint quasi non nati. Rursum id patet ex antithesi versus sequentis, qua hisce impiis patres pios opponens subdit : « Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt. »

Quæres : Quos impios perstringit hic Siracides? Jansenius censet perstringi Philistæos, Ammonitas et Moabitas, utpote infideles et hostes Israelis; quorum proinde nomen et posteritas plane interiit; sed hoc remotius æquo, et longius petitum videtur, nec satis connexum et oppositum versui præcedenti. (Hic enim versus pendet a præcedenti, ejusque est pars alterumque membrum, ut patet ex Græco et Latinis Romanis). Hasce enim gentes potius opposuisset patribus et Patriarchis, quam iis qui de illis nati sunt; et nomen, ideoque eam repræsentant; non autem filii eorum, præsertim cum inter filios eorum multi fuerint obscuri, imo impii.

Melius ergo Palacius censet hunc versum, æque ac præcedentem, pertinere ad natos sive filios Patriarcharum. Horum enim filiorum duo genera assignat : unum piorum, ideoque illustrium; alterum impiorum, ideoque oblivione sepultorum. Ne quis enim objiciat Patriarchas habuisse etiam filios perversos, ideoque ignobiles, qui nomen parentum non tam honorarunt, quam dehonestarunt; id præoccupat, dicens id verum esse; sed tales filios cum suis plane interiisse, ideoque eo statu esse quasi non fuissent. Unde quasi non existentes, imo quasi qui nunquam

in rerum natura fuerint, computari; qui proinde patrum et filiorum patres sequentium, gloriam obscurare non possint. Sensus ergo et antithesis hujus versus et præcedentis est, *q. d.* Ex illis viris gloriosis nati sunt filii digni, quorum laudes et nomina narrentur; nati sunt alii filii indigni memoria, qui perierunt, ac si non fuissent; non ipsi solum, sed et eorum filii. Nam ex sanctis illis et potentibus filii non solum boni et memoria digni, sed et mali, quos perpetua sepelivit oblivio, nati sunt : nec enim boni sunt omnes fructus quos fert arbor bona. Verum filiorum piorum laus et nomen superest, impiorum vero oblivioni traditum est; quare illud patrum gloriam commendat, hoc cum deletum sit, illi nocere aut detrahere nequit.

Porro maxime notat discretionem et disparitatem filiorum Abrahæ et Isaac cum posteris suis. Nam ex Abraham natus est Isaac, qui uti fidei et sanctitatis, sic et familiæ, opum et benedictionum Abrahæ fuit hæres. Ex eodem Abraham natus est Ismael, qui ex familia Abrahæ ejectus et exhæredatus, ita ab eadem factus est extorris et alienus, et posteri ejus Agareni et Saraceni infidelitate, pravisque moribus infames, fere fuerunt hostes populi Dei, puta olim Judæorum nunc Christianorum. Similiter Isaac genuit Jacob, eumque fidei, familiæ, terræ sanctæ, et promissionum sibi a Deo factarum reliquit hæredem; Esau vero a se pariter genitum, ejusque posteros Idumæos iis exclusit; unde Idumæi ita periere, ut ne nomen quidem eorum supersit.

Vers. 10. 10. SED ILLI VIRI MISERICORDIÆ SUNT, QUORUM PIETATES NON DEFUERUNT. — « Viri misericordiæ » vocantur non tam passive, qui misericordiam a Deo consecuti sunt (ut vult Rabanus) quam active, scilicet viri plane misericordes, adeo ut ex misericordia quasi matre geniti, ex eaque toti conflati videantur, qualis fuit Job dicens, cap. XXXI, 18 : « Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. » Hebraice vocantur אנשי חסד *anse chesed*, id est « viri pietatis, » id est, viri beneficentiæ, hoc est plane benefici; unde Vatablus vertit; « viri bene meriti; » Tigurina, *viri misericordia freti* : vel אנשי תחנדמום *anse tachnunim*, id est *viri miserationum*; quorum scilicet viscera et corda plena sunt commiseratione et misericordia. Posset quoque verti, *viri precum*, orationum vel deprecationum, id est ferventissimi deprecatores et oratores pro populo. Pietas enim duplex est : una erga Deum, scilicet ejus cultus, invocatio et oratio; altera in proximum, scilicet misericordia et beneficentia; præsertim, quia oratio justi est maxima beneficentia. Plus enim boni impetrat a Deo, quam dare possit homo.

Viri misericordiæ qui?

Pro *pietas* græce est δικαιοσύναι id est *justitiæ*; sed *justitiæ* in Scripturis sæpe significant opera misericordiæ, quæ Noster vocat *pietates*, quibus scilicet proximo vel dando, vel commodando, vel consulendo, vel docendo, vel regendo, vel defendendo, vel sanctas leges, ritus, ordines instituendo, vel quavis alia ratione subveniendo, benefacimus. Hæc enim beneficentia, pietatis, justitiæ et sanctitatis certum est indicium; quia certus individuusque ejus est comes et effectus. Unde patribus hoc præ cæteris dat elogium, quod fuerint viri misericordiæ, ac pii beneficique incessanter.

Pro *non defuerunt*, græce est, οὐκ ἐπελήσθησαν, id est, non sunt oblivioni traditæ. Unde Jansenius opinatur legendum, *non desierunt*. Sed Romani et alii legunt, *non defuerunt*, scilicet in hominum memoria, hoc est, non venerunt in oblivionem. Verum, quia hoc minoris est momenti, de eoque fuse in sequentibus agitur; hinc potius videtur Noster legisse, οὐκ ἐτελήσθησαν, id est non sunt finitæ, non defuerunt, non cessarunt, *q. d.* Viri hi adeo fuere pleni misericordia et pietate, ut eorum pia et benefica opera nunquam habuerint finem, vel terminum; sed alia aliis accumulando, imo adaugendo, ipsi semper sine modo et termino, tum singulis, tum omnibus benefacere studuerint, novosque benefaciendi modos excogitarint et usurparint. Favet Syrus, dum vertit : *Sed isti viri gratiæ et justitiæ; gratia eorum finem non accipiet.*

Apposite hæc SS. Apostolis Petro et Paulo adaptat S. Bernardus, serm. 3 *De iisdem* : « Merito, inquit, fratres, Apostolis sanctis attribuit mater Ecclesia, quod in Sapientiæ libris legitur : Hi sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt, cum semine eorum permanent bona. Sunt enim hi plane viri misericordiæ, sive quia misericordiam consecuti, sive quia misericordia pleni, seu quia misericorditer a Deo nobis donati sunt. Et vide quam misericordiam consecuti sunt. Paulum interroga de seipso, vel magis sponte confitentem ausculta : Qui fui blasphemus, et persecutor, et iniquus; sed misericordiam consecutus sum. » Et post multa asserit, « viros misericordiæ fuisse Apostolos, id est plenos misericordia, seu viros misericordiæ datos Ecclesiæ universæ; scimus enim quod viri isti nec sibi vixere, nec sibi mortui sunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus propter illum. Quantum enim proderit nobis eorum justitia, quando ipsa quoque, sicut ostensum est, tantum profuere peccata? pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, etiam et mors ipsa. Etenim in conversione continentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam nobis beati Apostoli contulerunt. Quartum usque hodie conferri non cessant misericordia pleni, quod est sanctarum fructus orationum. Quamvis et in ipsa eorum vita adhuc invenias, quod adnumeres, fiduciam scilicet, quam nobis miraculorum exhibitione præbuerant. Et quis enumeret quam multa nobis per eos beneficia prævenerunt? Bene ergo de eis Scriptura lo-

Apostoli viri misericordiæ duplices.

quitur : Quoniam hi sunt viri misericordiæ. »

Deinde S. Bernardus : Pro *quorum pietates non defuerunt*, legens cum Græcis : *Quorum justitiæ oblivionem non acceperunt*, idipsum sic singulis adaptat : « Vis ut nec tua accipiat oblivionem? A triplici cave periculo, et florebit in æternum ante Dominum. Legis enim : Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo, *Apocal.* III. Legis : Si averterit se justus a justitia sua, etc., omnium justitiarum ejus non recordabor, *Ezech.* XVIII. Legis quibusdam dicendum in judicio : Non novi vos, *Matth.* VII. Illis sine dubio, qui receperunt mercedem suam. Ergo omnis justitia tepida, omnis transitoria, omnis vendita erit in oblivionem coram Domino. Sed non ita Apostolorum justitiæ, quod ex eo satis apparet, quod sequitur : Cum semine eorum permanent bona. Manent enim usque hodie in nobis Apostolorum vestigia, et eorum religio, quia ex Deo est, non potest dissolvi. Itaque semen Apostolorum sumus per prædicationem, sed per adoptionem et hæreditatem semen Christi, et Apostolorum nepotes.

Vers. 11 et 12. 11 et 12. CUM SEMINE EORUM PERMANENT BONA, HÆREDITAS SANCTA NEPOTES EORUM. — Ita Romana; varia est enim hic lectio tam Latinorum, quam Græcorum codicum. Græci enim Complutenses legunt : *Cum semine eorum permanet bona hæreditas, nepotes eorum in testamentis.* Quod Vatablus explicat : *Quorum progeniei manet bona possessio, quorumque semen fœdere comprehensum est*; Syrus : *Cum semine eorum perseverans est felicitas eorum, et radix eorum in filios filiorum eorum*; Romani vero : *Cum semine eorum permanebit bona hæreditas, nepotes eorum*; Rabanus autem : *Cum semine ipsorum perseverant bona hæreditas sancta nepotum illorum*; Hugo, Jansenius et alii : *Et cum semine ipsorum perseverat bona hæreditas, et nepotum illorum semen in testamentis stetit.* Sicque legendum censet Franciscus Lucas, quod hæc lectio Græcis modernis sit conformior. Verum nobis sequenda est lectio Romana, uti communior, sic et aptior veriorque. Sensus ergo est, *q. d.* Quia patrum pietates non defuerunt, sed permanserunt, hinc earum merito Deus tribuit ut cum semine, id est posteris, eorum permaneant pariter bona quælibet tum temporalia, tum spiritalia; ac præsertim hoc quod jure maximum censeri debet, ut « hæreditas sancta *sint* nepotes eorum, » ut scilicet post se relinquant hæredes sanctos, puta sanctos nepotes, utque illi patres sanctos imitentur; ac sicut in possessiones opesque, sic et in sanctitatem ipsorum jure quasi hæreditario succedant; dat enim hoc Deus sæpe sanctitati patris, ut ejus nepotes sint sancti; est enim ipse misericors « in tertiam et quartam generationem, » *Exodi* XX. Magna sane Dei est benedictio patrum et familiarum, cum ob patrum documenta, exempla et merita, sanctitas ad filios et nepotes longa generationum serie transmittitur, uti fides cultusque Dei veri ab Abraham, Isaac, Jacob, Mose, etc., ad omnes posteros totumque Israelem transmissa est. Adde : Τὸ *sancta hæreditas nepotum illorum*, uti multi legunt, notat sancta Dei promissa de Messia, de protectione Dei, de justitia, gratia, gloria, etc., quæ Deus nepotibus patrum promisit et præstitit, eo quod fidem et sanctitatem patrum sint imitati; in hujusmodi enim promissionum jus, inquit Jansenius, patribus suis filii Patriarcharum successerunt velut jure hæreditario, fueruntque illæ promissiones eis velut bona hæreditas. Unde S. Paulus inter cætera dicit Judæorum fuisse promissa Dei; et monet ut imitatores efficiamur eorum qui fide et patientia hæreditabant promissiones, *Rom.* VII. Et subjungit de hæredibus pollicitationis : « Volens, inquit, Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, » *Heb.* VI. Et postea dicit Noe institutum hæredem justitiæ, quæ per fidem est, *Hebr.* XI. Hæc est ergo bona hæreditas, quæ transit ad semen Patriarcharum, non tantum carnale, sed multo magis spiritale.

ET IN TESTAMENTIS STETIT SEMEN EORUM. — Τὸ *et* est exegeticum et causale, *q. d.* Nepotes eorum fuerunt sancta patrum hæreditas, id est sancti eorum hæredes; quia ipsi qui fuere « semen, » id est filii et posteri eorum, « steterunt in testamentis, » id est perstiterunt in legibus et mandatis Dei; hæc enim vocantur « testamenta, » id est pacta; quia sub hac conditione Deus cum Patriarchis eorumque posteris iniit fœdus, si scilicet ipsi servarent ejus leges et præcepta. Hinc secundo, hæc sententia referenda est ad priorem partem versus præcedentis : « Cum semine eorum permanent bona; hæc omnia bona hic explicat, eaque vocat « testamenta, » *q. d.* Quia ipsi sancte perstiterunt in testamentis, id est in legibus, fœdere Dei sancitis; hinc pariter perstiterunt in testamentis, id est in bonis fœdere Dei promissis, *q. d.* Filii et nepotes successerunt in hæreditatem et bona, quæ quasi hæreditaria Deus promiserat patribus et posteris eorum; idque propter illos ipsos patres, quos filii imitantur, quibusque jure hæreditario tam in fide quam in bonis succedunt. Unde Tigurina et Jansenius sic explicant : Stetit in testamentis, id est fœderibus Dei, semen patrum, id est, in illis semen illorum usque in æternum futurum comprehensum est. Unde pro ἔστη, id est *stetit*, Complutensia legunt, ἔστι, id est, *est*; promisit enim Deus patribus se fore Deum non tantum illorum, sed et seminis ipsorum post eos in sempiternum, *Genes.* XVII, 7; idque propter patrum merita, juxta illud *Genes.* XXII, 18 : « Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. » Recte ergo hic dicitur : Et filii eorum steterunt, hoc est, comprehensi sunt in testamentis Dei propter illos. Unde et Græca idipsum repetunt, ac ex iisdem Tigurina iterando ita vertit : *Fœdere comprehensa est progenies eorum, eidemque succedens posteritas.*

Porro hoc semen patrum, tempore Siracidis,

erat carnale, puta Hebræi, secundum carnem prognati a patribus. Jam vero iis per infidelitatem et impietatem in Christum degenerantibus a fide et vita patrum, ideoque ab eorum hæreditate et benedictione exclusis; in eam succedunt filii spiritales, puta fideles et Christiani, qui secundum fidem sunt filii Abrahæ, ideoque ejus benedictionis, et promissorum de gratia et gloria æterna sunt hæredes, uti docet Apostolus *Rom.* IX, 8. Unde de his subdit :

13. ET FILII EORUM PROPTER ILLOS USQUE IN ÆTERNUM MANENT, (« filii » non tam carnales, puta Judæi; licet enim hi tempore Siracidis essent fideles, ideoque gloriosi, jam tam sunt infideles, ideoque inglorii, degeneres, viles, abjecti et infames ob occisum Christum : quam spiritales, puta fideles tam ex Gentibus, quam ex Judæis, qui fidem et religionem Abrahæ et Patriarcharum sequuntur. Hi enim in æternum permanebunt tum in cœlis per felicitatem, tum in terra per continuam fidelium propaginem et successionem. Ideoque « semen eorum » non carnale, sed spiritale, puta fidelium sanctorumque propago continua), ET GLORIA EORUM NON DERELINQUETUR. — Græce, οὐκ ἐξαλειφθήσεται, id est non delebitur, non obliterabitur; Tigurina : *Posteritas eorum manebit in perpetuum, nec gloria eorumdem abolebitur;* Syrus : *In testamento eorum stat semen eorum, et filii filiorum eorum in operibus bonis, et usque in sæculum permanens est memoria eorum, et gloria eorum oblivioni non tradetur.*

Vers. 14. Sancti mortui in pace. Primo.

14. CORPORA IPSORUM IN PACE SEPULTA SUNT; — Syrus, *collecta sunt : Primo :* « In pace, » quia mortui sunt pleni dierum, æque ac bonorum operum, in senectute bona, saturi vitæ hujus, avidi alterius melioris, uti de Abraham dicitur *Genes.* XXV, 8. Corpus enim tot tamque longis et continuis hujus ævi laboribus, doloribus, ærumnis, persecutionibus, hostibus, cum quibus assidue conflictatur, fessum et fractum, optabat per mortem iis omnibus liberari, ac requiescere in sepulcro, sicut anima in sinu Abrahæ, juxta illud *Job* III, 13 : « Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem, » etc.

Secundo. *Secundo,* « in pace, » quia habuerunt sua justa funebria, puta exsequias, planctum, pompam funeris, etc., tanquam in pace sepulti, quæ in bello sæpe negantur. Inter hæc juste autem computantur preces, eleemosynæ, et sacrificia pro defunctis, qualia Judæos credidisse et usurpasse liquet II *Machab.* XII, 43.

Tertio. *Tertio,* « in pace; » quia a suis et inter suos, cum quibus pacifice et amice vixerant, sepulti sunt. Hoc enim est naturale hominis desiderium, ut cum quibus amice vixeris, cum iisdem pacifice sepeliaris, ut inter amicos et consanguineos sit communio sepulcri in morte, uti fuit domus in vita. Hinc Abraham sepultus est cum Sara uxore in spelunca duplici, *Genes.* XXV, 10. In eadem sepultus est Isaac cum Rebecca; ideoque in eadem sepeliri voluit Jacob cum Lia, *Genes.* XLIX, 31. Hinc Joseph, moriens in Ægypto, ibidem sepeliri noluit, sed inter suos in Chanaan; unde adjurans suos : « Asportate, inquit, ossa mea vobiscum de loco isto, » *Genes.* L, 24. Hinc illa phrasis in Scriptura frequens : « Congregatus vel appositus est ad patres suos. »

Quarto, « in pace, » quia corpore quiescente in sepulcro, anima descendebat ad limbum patrum, ibique inter suos amice quiescebat in sinu Abrahæ. Unde Tigurina vertit : *In re placida sepulta sunt eorum corpora.*

Quinto. *Quinto,* « in pace, » quia sepulcra eorum non fuere turbata, nec violata, uti Gentiles sepulcra suorum turbabant, evocando manes defunctorum per divinos et magos. Sicut Saul per pythonissam evocavit animam Samuelis, qui proinde indignans ei dixit : « Quare inquietasti me ut suscitarer? » I *Reg.* XXVIII, 15.

Sexto. *Sexto,* « in pace, » quia exspectabant resurrectionem in qua corpus cum anima in pace et felicitate perpetua beatum et gloriosum degeret, juxta illud Psaltis : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Et illud Simeonis : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. » Hinc Romæ in introitu cryptæ S. Priscillæ, ubi plurima Sanctorum corpora sepulta sunt, inscriptum legimus : « Exspectamus hic requiem, » quam defunctis apprecatur Ecclesia, dicens : « Requiem æternam dona eis, Domine. »

Septimo. *Septimo,* « in pace, » id est in honore, decore et splendore, sive opulenter, splendide et magnifice (*pax* enim Hebræis opes, rerum copiam, omneque bonum significat) sepulta sunt; quia habuerunt monumenta, imo mausolea opulenta et magnifica, quale fuit Davidis, de quo audi Josephum, lib. VII *Antiq.*, sub finem : « Sepelivit autem eum filius Salomon Hierosolymis magnifice præter solemnia illa in regum funeribus, illatis etiam in monumentum ejus maximis divitiis, quarum magnitudinem facile sit conjectare ex hoc quod dicemus. Nam post annos MCCC Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret; nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Davidis, et prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit, sicut et alibi indicavimus. Ac rursum post multos annos elapsos Herodes rex alia cella aperta magnam pecuniam sustulit. »

Septimo. Davidis mausoleum.

Similia fuere aliorum Regum, Patriarcharum et Prophetarum monumenta, quæ posteri magna reverentia coluere et venerati sunt, juxta illud Christi : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum! etc., » *Math.* XXIII, 29. Sic Jacob erexit titulum in sepulcro Rachel uxoris suæ, *Gen.* XXXV, 20. Sic de Christo prædi-

xit Isaïas, cap. XI, 20 : « Et erit sepulcrum ejus gloriosum. » Sic Romæ et alibi videmus et veneramur gloriosa et magnifica S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Sebastiani, S. Cæciliæ, S. Agnetis, etc., monumenta. Ut alia taceam, quæ in hanc rem admiranda recensui, *Isai.* XI, 14.

Vide et mirare quam gloriosum sit Assisii S. Francisci humilis et pauperis (qui pro Christo orbis se ludibrium et prodigium effecit, adeoque moriens ex summa humilitate optavit, et quantum in se erat voluit sepeliri in colle inferni, puta in loco malefactorum suppliciis destinato) monumentum; unde eidem hoc epitaphium uncialibus litteris inscribi jussit Pontifex : « Francisci Romani celsa humilitate conspicui, Christiani orbis fulcimenti, Ecclesiæ reparatoris, corpori nec viventi, nec mortuo, Christi crucifixi plagarum clavorumque insignibus admirando, Papa novæ fœturæ collacrymans, lætificans et exsultans, jussu, manu, munificentia posuit, anno Domini Mccxviij. xvj. Calendas Augusti. Ante obitum mortuus, post obitum vivus. » Quia scilicet in vita mortificationem Jesu in corpore suo circumtulit; post mortem vero integro corpore stans, et vividis oculis respectans in cœlum, cum sacris stigmatibus sibi a Christo impressis, sanguine quasi recenti manantibus perseverat. Talem enim eum vidit Nicolaus V Pontifex anno 1449. Vide Waddingum in *Annal. Minorum,* anno Christi 1230.

Epitaphium S. Francisci.

ET NOMEN EORUM VIVIT IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM. — Tigurina : *Nomenque vivit per omnes ætates sæculorum,* tum in cœlo apud Deum, angelos et Beatos, tum in terra apud homines omnium terrarum et temporum. Per « nomen » intellige tum nomen et famam, tum metonymice rem nominatam, sive cujus est nomen, puta ipsos patres. Hi enim quoad animam tempore Siracidis vivebant feliciter in sinu Abrahæ; jam vero post Christum vivunt felicius in cœlo, ac resurrectione communi resurgentes in corpore et anima vivent felicissime ac gloria æterna donabuntur; quin et multi eorum jam cum Christo resurrexerunt, et in cœlum gloriosi ascenderunt, ut patet *Matth.* XXVII, 52. Corpori enim eorum, quod in pace sepultum esse dixit, opponit nomen quod maxime in anima consistit. Anima enim desiderat nomen et famam æternam, quia ipsa est immortalis et æterna, appetitque esse beata et felix in æternum; cujus beatitudinis comes et assecla est fama æterna. Hic ergo appetitus famæ et nominis æterni signum et effectus est immortalitatis animæ. Ex eo enim quod ipsa est immortalis, appetit immortale nomen, sed verum, non umbraticum, puta fundatum in immortali ejus felicitate et gloria. Quid enim prodest Alexandro, Pompeio, Julio Cæsari nomen æternum, cum anima eorum crucietur in gehenna, nec sensum hujus nominis et famæ habere queat, imo eam ignoret? vel, si cognoscat, id ei non ad voluptatem, sed ad majus tormentum cedit. Porro hujus nominis, famæ et gloriæ radix et causa est virtus eximia; hæc enim parit nomen et famam, fama parit gloriam. Hinc Romæ in templo S. Mariæ Angelorum sepulcro Cardinalis Alciati hoc epitaphium insculptum legimus:

Appetit anima nomen æternum, quia ipsa est immortalis et æterna.

> Virtute vixit,
> Memoria vivit,
> Gloria vivet,
> Fama per ora volat, spiritus astra tenet.

Magnus ille et felix, cui in veritate dari poterit hoc epitaphium!

15. SAPIENTIAM IPSORUM NARRENT POPULI, ET LAUDEM EORUM NUNTIET ECCLESIA. — Ita Romani, licet Jansenius et nonnulli alii pro *narrent* legant in præsenti *narrant*, et pro *nuntiet*, *nuntiat*. Sic et Tigurina : *Populi,* inquit, *prædicant sapientiam eorum, cœtusque laudes celebrant.* Græca habent in futuro : *Sapientiam ipsorum enarrabunt populi, et laudem* ἐξαγγελεῖ, (licet Complutensia et Romana alio accentu legant ἐξαγγέλλει in præsenti, id est *annuntiat*), id est *annuntiabit Ecclesia.* Omnia hæc eodem redeunt, *q. d.* Heroes hi ob sua facinora digni sunt ut eorum sapientiam et laudes perpetim celebret Ecclesia; ideoque hortor omnes ut id faciant, nec dubito quin multi id facturi sint : quare sicut nunc eos celebrant, ita deinceps omni ævo celebrabunt. Nam « sanctorum memoria est ad virtutem via, et sanctificatio stimulus, » ait S. Antonius, teste Athanasio, in *Vita* ejus, XXVIII. Vers. 15.

SECUNDA PARS CAPITIS.

CONTINENS ENCOMIA SINGULORUM PATRIARCHARUM.

ENCOMIUM HENOCH.

Vers. 16. 16. HENOCH PLACUIT DEO, ET TRANSLATUS EST IN PARADISUM, UT DET GENTIBUS POENITENTIAM. — Post communes omnium laudes, jam singulorum elogia orditur. Incipit ab Henoch omisso Adam, Abel, Seth, Enos; quia Henoch his omnibus cæterisque antecessoribus fuit illustrior, ideoque dignus qui quasi dux ducat hunc heroum chorum; præsertim quia Henoch non sibi tantum sancte vixit, uti Abel, Seth, sed et toti orbi sua sanctitate præluxit, ac multo magis prælucebit in fine mundi, quo a Deo reservatur et destinatur. Henoch enim « ambulavit cum Deo, » id est, ut Septuagnita, eosque secutus Siracides vertunt, « placuit Deo, » scilicet sicut servus carissimus suo placet hero, aut filius placet patri. Vide dicta *Genes.* V, 22, ubi et de translatione ejus dixi. Porro S. Irenæus,

lib. IV, cap. XXX : « Henoch, ait, sine circumcisione placens Deo, cum esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur, translatus est, et conservatur usque nunc testis judicii Dei; quoniam Angeli quidem transgressi deciderunt in judicium, homo autem placens translatus est in salutem. » Angelos vocat, quos Moses, *Genes.* VI, 2, vocat « filios Dei, » puta filios Seth, qui commixti ardenti concupiscentia cum filiabus hominum, puta Caini, ex eis procrearunt gigantes superbos et impios, ob quos proinde Deus induxit orbi diluvium, cum prius ad eos corrigendos misisset Henoch, sed frustra. Hos filios Dei et gigantes Irenæus, secutus Josephum, Philonem et alios, censuit, ut videtur, fuisse angelos vel bonos, vel malos, sive dæmones. Vide dicta *Genes.* VI. Causa ergo translationis Henoch fuit eximia ejus sanctitas, qua mire placuit Deo. Unde Nazianzenus, in carmine *De Laud. Virgin*:

Alma fides (*ait*) pietasque ad sidera vexit Henochum.

Et *orat.* 20 : « Omnis ejus vita, inquit, nil aliud quam translatio erat; » mentem enim a terra transtulerat in cœlum ad Deum, cum quo ambulabat. Et auctor *De Mirabil. S. Script.*, apud S. Augustinum, lib. I, cap III : « Henoch, inquit, sine morte, per totius pene sæculi tempus remotus ab hominum conversatione custoditur, ut in eo, qualiter homines, si non peccarent, generata prole commutarentur in vitam spiritualem sine morte, ostenderetur. »

Nota : To *in paradisum* jam non est in Græco, sed Noster id olim in Græco legit, uti censet Sixtus Senensis, Delrio et alii; aut certe in τῷ *translatus est* subintelligi intellexit, uti vult Jansenius. Communis enim Ecclesiæ et fidelium omni ævo sensus fuit, Henoch translatum esse in paradisum: quare cum dicebatur Henoch translatus, illico omnes intelligebant in paradisum esse translatum. Id ita esse liquet ex S. Athanasio, in narratione Nicenæ Synodi, ubi ait quod Henoch μετετέθη, id est translatus est, scilicet in paradisum, ut docte vertit ejus Interpres; comparat enim S. Athanasius Henoch Adamo in eo quod Adam positus sit in paradiso, Henoch vero μετετέθη, id est translatus sit in paradisum : nec enim alius locus ei cum Deo ambulanti, et jam a terris translato congruus assignari poterat. Quare de fide est Henoch esse translatum in paradisum; id enim expresse hic asserit S. Scriptura, puta Latina Vulgata, quam ut authenticam veramque S. Scripturam in omnibus recipiendam, Græcisque et Hebræis anteferendam esse sanxit S. Synodus Tridentina, *sess.* IV. Unde concors sententia Patrum et Interpretum, ac communis totius Ecclesiæ sensus est, Henoch translatum esse in paradisum, etsi nonnulli quis et ubi sit hic paradisus dubitent. Simili modo, *Psalmo* XCV, 10 : « Dominus regnavit, » Septuaginta olim addebant, « a ligno. » Sic enim legerunt S. Justinus, S. Cyprianus, Tertullianus, S. Augustinus, S. Leo, Arnobius, Lactantius, Cassiodorus, Theodulphus, ac etiamnum legit Psalterium Romanum, quin et hymnus ecclesiasticus de Passione, jam tamen nulli codices Græci vel Latini habent τὸ *a ligno*, imo nec S. Hieronymus, in Psalmorum editione juxta Septuaginta a se correcta, multo minus in versione sua ex Hebræo. In Hebræo enim non est τὸ *a ligno;* sed Septuaginta id addiderunt mysterii causa, ut Christi regnum merito crucis adeptum prophetarent, quod tamen jam excidit, et in nullis Bibliis reperitur; quin et Theodoretus idipsum non legit in *Comment. Psalm.*

Henoch translatus in paradisum.

Quæritur ergo quis sit paradisus, in quem translatus est Henoch. *Primo*, aliqui per paradisum accipiunt limbum patrum, sive sinum Abrahæ, de quo Christus in cruce dixit latroni pœnitenti : « Hodie mecum eris in paradiso. » Verum ante Christum limbus hic carcer erat inferni, non paradisus terræ aut cœli; Christus autem post mortem eo descendens, beansque patres, ac donans eos visione suæ divinitatis, carcerem hunc commutavit in paradisum. Quem? Respondeo primo.

Secundo, alii per paradisum accipiunt cœlum. Ita S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. III, ait Henoch raptum esse ad cœlum; et S. Hieronymus, in cap. IX *Amos*, asserit eum cum Elia ascendisse in cœlum. Sic et S. Gregorius, homil. 29 *in Evang.* Sic et Dorotheus in Synopsi ait eos cœlos penetrasse, ac cum angelis in cœlis agere. Et Alcimus Avitus, lib. IV. *De Diluvio*, cap. VI, canit eos: Secundo.

Terrenas liquisse domos, intrasse supernas.

Unde Procopius Gazeus, *in Genes.* II, et nonnulli alii inferunt eos esse beatos, et frui visione Dei; ac in corporibus gloriosis regnare cum Christo.

Verum huic sententiæ repugnat quod necdum sint mortui, ac redituri, ut pro Christo laborent et moriantur, itaque beentur et glorificentur. Certabunt enim contra Antichristum ab eoque occidentur. Pluribus eamdem sententiam refutavi, *Genes.* V, 22.

Porro S. Ambrosius, S. Gregorius et nonnulli alii jam citati exponendi sunt commode, scilicet quod per cœlum accipiant aerem; censuerunt enim paradisum esse loco terris altiore et aereo, idque ex eo quod Elias dicatur per turbinem raptus in cœlum, IV *Regum*, II. Quare sicut ille locus exponi potest, quod scilicet Elias raptus sit in aerem, ut per illum transferretur in paradisum : sic quoque eodem sensu exponi possunt Patres citati. Sic enim diserte se explicat S. Gregorius, homil. 29 *in Evangel.*

Tertio, esse terrestrem. probatur primo.

Dico ergo, paradisum hunc esse in terra, ac videri terrestrem illum, in quo primitus a Deo collocatus fuit Adam. Probatur id, *primo*, quia hunc in Scripturis significat communiter nomen « paradisus, » cum simpliciter nominatur; nam alias aliquid additur, quo determinatur ad quid aliud. *Secundo*, quia Elias et Henoch non sunt in

cœlo, cum necdum sint mortui, multo minus beati; non etiam sunt in inferno, quia ille est carcer et gehenna, non paradisus. Ergo sunt in terra. Si in terra, ergo sunt in paradiso terrestri, cum nullus sit locus melior et dignior eorum raptu et felici vita, tum ob loci puritatem et amœnitatem, tum ob aeris temperiem et benignitatem.

Tertio. *Tertio*, quia eo raptum esse Henoch, ac deinde Eliam, diserte docent plurimi Patrum et Doctorum, ac in primis S. Irenæus, lib. V *Contra hæres.* cap. v, ubi asserit se id accepisse ex traditione presbyterorum Asiæ, qui idipsum ab Apostolis acceperunt: S. Justinus Martyr (vel quisquis est auctor, non enim videtur esse S. Justini, quia citat Origenem, *Quæst.* LXXXI et LXXXIII, ac *Quæst.* LXXXVI, citat Irenæum, eumque vocat Martyrem, cum Justinus utroque fuerit antiquior), Quæst. LXXXV *ad Orthodoxos;* Victorinus, *in Apoc.* cap. XI; S. Athanasius, epist. *De recipienda Nicæna Synodo;* S. Ephrem, apud Barcepham, lib. *De Paradiso,* cap. I; S. Hieronymus, epist. 61 *ad Pammachium,* ubi Henoch et Eliam vocat « colonos Paradisi; » S. Augustinus, lib. I *De Peccat. merit. et remiss.* cap. III; Primasius, Haymo, Anselmus, Ribera, in cap. XI *ad Hebræos;* S. Isidorus, lib. *De Vita et morte Sanct.* cap. III; S. Thomas, III part. *Quæst.* XLIX, art. 5 ad 2, ubi addit probabile esse eos ligno vitæ ali et conservari; Lyranus, et Palacius hic Abulensis, in *Genes.* cap. v; Bellarminus, lib. *De Gratia primi hominis,* cap. XII, D. Soto, in IV, dist. 46, *Quæst.* I, art. 1; Gregorius de Valentia, tom. 1, disp. 7, *Quæst.* VI, puncto 2 ad 3; Tyræus, *De Filii Dei apparit.* Taborina, cap. III; Suarez, III part. *Quæst.* LIX, art. 6, disp. 56, sect. I; Malvenda, *De Paradiso,* cap. LXXXVII; Delrio, *adagio* 787. Hi auctores dicunt Eliam et Henoch non tantum raptos esse in paradisum, sed etiamnum in eo degere; unde Rabanus hunc Siracidis locum sic legit: « Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum. »

Dices: Paradisus post Henoch, tempore Noe, obrutus fuit aquis, indeque ejus amœnitas deperiit; ergo tunc in eo degere nequibat Henoch. Respondeo: Multi negant antecedens, alii in totum, alii ex parte. Quid enim vetat dicere, Deum partem aliquam paradisi a diluvio intactam servasse, ut in eo conservaret Henoch, qui uti a culpa erat immunis, sic congruebat ut esset et a pœna diluvii? Sed esto totus paradisus cataclysmo fuerit obrutus, is tamen aquis mox subsidentibus rursum emersit, cui proinde cum amœnitate suum civem Henoch, in aera tempore diluvii sublatum, restituit Deus. Hominis enim terreni locus est terra, non aer: in terra autem Henocho jam in gratia per raptum confirmato, et æternitatis candidato congruentior non erat locus, quam paradisus. Hæc valde probabiliter dicuntur; nihil tamen hic de fide certum est, ut docet S. Augustinus, lib. II *De Peccat. mer. et remiss.* cap. III. Quare nonnihil exorbitat Sixtus Senensis, lib. V *Biblioth.* annot. 36, dum asserit contra regulam rectæ fidei esse, negare Henoch et Eliam translatos esse in paradisum terrestrem; nam paradisus quemlibet locum amœnum significat, sive in cœlo sit, sive in aere, sive in terra. Unde S. Chrysostomus, homil. 21 *in Gen.*, S. Gregorius, homil. 29 *in Evangel.*, S. Cyprianus, *De Montibus Sina et Sion,* aiunt nesciri in quem locum translati sint Henoch et Elias.

Henoch æternitatis candidatus.

Symbolice τὸ *in paradisum* significat Henoch æque ac Eliam in magna corporis et animi quiete ac voluptate degere; paradisus enim est locus voluptatis. Ita S. Gregorius, hom. 29 *In Evangel.*, ubi docet Henoch et Eliæ raptum præsignasse ascensum Christi in cœlum. Nam uterque per raptum confirmatus est in gratia et in bono, ita ut non sint in periculo peccati ullius; sunt enim medii inter viatores et beatos, ac candidati beatitudinis. Rursum cum sint justi, et mereri non possint, utique æquum est ut nec possint demereri, alioqui esset iniqua, et ad malum quam ad bonum pronior, ideoque pejor eorum conditio. *Secundo,* hinc infert Suarez, loco citato, eos minime pati inordinatos fomitis motus, nec illam corporis corruptionem, quæ aggravat animam, et sensum deprimit multa cogitantem; tum quia ad perfectam animi puritatem et quietem hoc fere necessarium est; tum etiam quia, cum priventur perfecta felicitate, eamque Dei absentiam propter ipsummet Deum patientissime ferant, decet ut saltem fruantur maximis bonis et gaudiis tam in animo quam in corpore; neque enim corpora, quæ corrumpuntur, illorum aggravant animas; aut terrena inhabitatio sensus eorum tanquam multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambulasse noscuntur: latum est impedimentum omne de medio, occasio universa sublata, materies nulla relicta est, quæ eorum affectum aggravet, vel deprimat intellectum. Nam et priorem (id est Henoch) ob hoc raptum Scriptura commemorat, ne forte vincat malitia sapientiam, et ne intellectus ejus, vel anima, ultra decipi valeat aut mutari. *Tertio,* ex dictis colligit ibidem Suarez, eos maximis Dei consolationibus divinisque illustrationibus, ac frequentibus revelationibus gaudere, de iis saltem rebus quæ eorum statui consentaneæ sunt. Unde non dubito, inquit, quin adventum Christi, mundique redemptionem per ipsum jam consummatam agnoverint. Illius enim venturi expressam fidem prius habuerunt, ejusque adventum maxime desiderarunt; non ergo decebat eos in tenebris nunc et in errore versari; quin potius de Elia constat ex Evangelio, eum in die transfigurationis vidisse et allocutum fuisse Christum, atque idem existimari potest de Henoch, scilicet quod aliquando ipsum viderit. An vero nunc videat illum secundum humanitatem, incertum est. Unde S. Bernardus, serm. 6 *De Ascens. Domini*: « Felices, inquit, illi viri, per quos divina ascensio legitur præsignata, Henoch rap-

Henoch confirmatus in gratia.

Vita Henoch qualis?

tus, translatus Elias; felices plane qui soli jam Deo vivunt, soli vacant, intelligendo, diligendo, fruendo. » Et rationem addit, quam apud eumdem vide.

Religiosi similes Henoch.

Tropologice, Henoch cum Deo ambulantem et in paradiso versantem imitantur Religiosi, qui abdicatis curis sæcularibus totos se Deo consecrarunt, vacantque orationi et contemplationi. Talis fuit Bonosus, socius S. Hieronymi, de quo ipse, epist. 41 *ad Ruffinum* : « Quasi quidam, inquit, novus paradisi colonus incedit; nullus ibi agricolarum, nullus monachorum adhæret lateri comes. Solus ibi, imo jam Christo comitante non solus videt gloriam Dei, quam etiam Apostoli nisi in deserto non viderant. » Talis fuit quoque S. Marcella. Unde idem S. Hieronymus, epist. 18 *ad Marcellam* : « Habeat sibi Roma, inquit, suos tumultus, arena sæviat, circus insaniat, theatra luxurient : nobis adhærere Domino bonum est, et ponere in Domino spem nostram, ut cum tanta reperiamus in cœlo, parva et caduca quæsisse nos doleamus in terra. » Unde et addit : « Videri et videre, salutari et salutare, a proposito monachorum et a quiete alienum est. »

Henoch, id est, innovatio, typus resurrectionis.

Anagogice, Henoch typus fuit resurrectionis et renovationis mundi, unde Henoch hebraice idem est quod innovatio, inquit Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, lib. VII *Hexaem.* Et lib. X : « Henoch, inquit, primus tanquam placens Deo descripsit ac figuravit resurrectionem immortalis effectus, et a Deo translatus. » Et Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. LVIII, loquens de Henoch et Elia : « Æternitatis candidati, inquit, ab omni vitio, ab omni damno, ab omni injuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt. » Sic et Theodoretus, *Quæst.* XLV, docet Henoch fuisse præconem et typum resurrectionis. Et S. Gregorius, VIII *Moral.*, sub fin. : « Henoch, inquit, dedicatio dicitur : Iniqui ergo se in primordiis dedicant, quia in hac vita, quæ ante est, cordis radicem plantant, ut hic ad votum floreant, et sequenti patria funditus arescant. Ex justis vero septimus Henoch oritur, quia eorum vitæ festa dedicatio in fine servatur. » Hinc S. Epiphanius, in *Ancorato*, longiuscule ante finem, Henoch et Eliam vocat « duos primogenitos nostræ resurrectionis. » Et S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* cap. XIX : « Henoch, ait, translatio nostræ dedicationis (quæ fiet in resurrectione) est præfigurata dilatio. »

S. Julianus a B. Virgine palma donatus.

Henocho similis fuit S. Julianus secundus Conchæ in Hispania Episcopus, qui proinde morturus anno Domini 1208, die 28 januarii cinere et cilicio coopertus, vidit B. Virginem stipatam choris angelorum et virginum cantantium : « Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, » etc., ac B. Virgo ad eum conversa : « Accipe, inquit, serve Dei, palmam in signum virginitatis, quam jugiter intactam conservasti. » Unde post mortem astantes videre ex ore ejus prodeuntem palmam nive candidiorem, quæ concinentibus pariter angelis in cœlum ferebatur. Mira enim fuerat ejus vita, ac inter alia cum baptizaretur, apparuit mitra cum baculo portendens sanctum ejus episcopatum; in quo omnes suos proventus erogabat in pauperes, cum interim ipse vimina texendo victum sibi tenuem compararet. Quocirca jumenta cœlitus missa ad eum frumenta in pauperes eroganda deportarunt. Hæc et plura in ejus *Vita* refert Franciscus Escudero, sacerdos e Societate Jesu.

UT DET GENTIBUS POENITENTIAM. — Ita legendum cum Romanis et Græcis, scilicet *pœnitentiam*, non *sapientiam*, ut legit Rabanus et alii; licet eodem redeat sensus; vera enim peccatoris sapientia est pœnitentia. Sensus est, *q. d.* Translatus est Henoch, ut rediens det gentibus exempla, monita, stimulos et hortamenta pœnitentiæ, quibus ipsæ commotæ pœnitentiam agant pro peccatis, quæ in fine mundi per Antichristum, ejusque præcursores et asseclas toto orbe abundabunt, et instar diluvii exundabunt. Sicut enim S. Joannis Baptistæ, qui præcursor fuit primi adventus Christi, vox erat : « Pœnitentiam agite, » appropinquat Christus, « appropinquat regnum cœlorum, » *Matth.* cap. III, 2; sic multo magis eadem erit vox Henoch et Eliæ, præcursorum secundi adventus Christi venientis ad judicium.

Nota τὸ *gentibus*, Henoch enim fuit Gentilis, puta ante Abraham et Mosen, quibus data est circumcisio et judaismus : ipse ergo quasi Gentilis Gentilibus contribulibus, imo filiis (omnes enim homines sicut prognati sunt ex Noe, sic et ex Henoch, qui fuit atavus Noe) suis prædicabit pœnitentiam; sicut Elias, quasi Judæus, eamdem prædicabit Judæis, ideoque vestientur saccis, id est ciliciis, tanquam præcones pœnitentiæ, *Apoc.* cap. XI, 3.

Ex hoc Siracidis loco certum est Henoch æque ac Eliam rediturum sub finem mundi, ut homines ab Antichristo in infidelitatem, vitiaque omnia protractos, reducant ad fidem et virtutem. Hic enim est sensus et consensus Ecclesiæ omniumque orthodoxorum. Idem prædixit S. Joannes, *Apoc.* XI, 3, ubi et eorum vitam mortemque describit. Vide ibi dicta.

Porro Deus ex infinitis hominibus suo beneplacito hos duos elegit ad tantum opus, ideoque insigni Dei amore, religione et zelo eos induit et armavit. Idque congrue, quia Henoch fuit ante diluvium in lege naturæ ex priscis primisque orbis Patriarchis. Elias vero fuit Propheta in lege Mosis per sanctitatem, zelum et miracula notissimus, et Judæis exspectatissimus. Igitur illos, non alios, huic operi destinavit; tum ut mirabilior esset eorum prædicatio ac testificatio; tum ut ostenderetur idem Deus omnis legis, naturæ, scriptæ et gratiæ; atque idem Christus, eadem fides quæ ab initio mundi usque ad finem prædicatur, et in eadem Ecclesia militante perseverat.

Græci codices moderni hic, uti et alibi sæpe,

a Latina Vulgata dissentiunt. Habent enim : Ἐνὼχ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς, id est : *Henoch translatus est exemplum pœnitentiæ generationibus ;* Tigurina : *Henoch sublatus est exemplum emendandæ vitæ nationibus,* alii : *ætatibus,* ut scilicet ex ejus translatione, inquit Jansenius, omnes intelligentes Deo curæ esse eos qui illi student placere, etiam ipsi a mala sua vita convertantur et pœnitentiam agant, Deo se commendare studentes. Aut, *q. d.* Translatus est Henoch, quia, cum viveret, erat omnibus generationibus exemplum pœnitentiæ : ut significetur eum translatum, quia cum viveret, erat omnibus speculum pœnitentiæ ; nimirum quia sua sancta vita homines sui sæculi docebat pœnitentiam, et ad eam trahebat. Nostra ergo lectio, ut accedat ad lectionem originalem, sic videtur accipienda : Henoch translatus est in paradisum, hoc est in locum aliquem voluptatis soli Deo notum, ut hac sua translatione daret Gentibus pœnitentiam, hoc est ad meliorem vitam homines provocaret, intelligentes quam sint Deo curæ hi qui placent ei, et quam odiat peccatores, ex quorum consortio ante tempus suum famulum rapere studuit. De eo enim videtur peculiariter dictum illud *Sapientiæ*, cap. IV : « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. » Cum enim mundus jam cœpisset ex corruptione peccati Adæ, et exemplis filiorum Cain esse pestilentissimus, mille jam et centum exactis annis et amplius a condito Adam, 669 annis ante diluvium, Dominus huic Henoch indidit insigniter bonam mentem, et in timore Dei illum perfecit, ut ambularet in innocentia cordis sui ad omne beneplacitum Dei, ut esset velut lucerna ardens in tenebroso sæculo ; sanctissime enim vixit 355 annis, homines sui sæculi facto et verbo pœnitentiam docens : quem, cum non proficerent, rapuit ex hoc sæculo nequam ; tum ne malitia mutaret animum ejus ex pravitate pessimorum exemplorum ; tum ut ipsa translatione ostenderet Deus, quam sint illi curæ pii, et quam oderit impios, ex quorum consortio rapuit servum suum, tanquam quo dignus non erat mundus, sicque etiam eis pœnitentiæ daret occasionem.

Hæc Jansenius, qui proinde negat ex hoc loco efficaciter probari Henoch venturum in fine mundi, ut contra Antichristum dimicet. Verum plane alius est cæterorum Interpretum et fidelium sensus. Quocirca noster Interpres pro ὑπόδειγμα μετανοίας, videtur legisse ἵνα δῷ μετανοίαν, id est, *ut det pœnitentiam* : eamque lectionem secuti videntur veteres et recentiores passim, qui ex hoc loco unanimiter et constanter docent Henoch venturum cum Elia contra Antichristum ; non enim est alius in Scriptura locus qui clare idipsum significet, nisi hic. Igitur Latina Vulgata præferenda hoc loco, æque ac aliis, est Græcis modernis, planeque amplectenda ex decreto Concilii Tridentini, *sessione* IV. Quare non Latina Græcis, sed Græca Latinis adaptanda sunt, ut sensus sit : Translatus est Henoch, ut sit exemplum et documentum pœnitentiæ ætatibus futuris in fine mundi. Hoc enim arguit τὸ *translatus est*. Nam, ut suo sæculo esset vivum exemplar pœnitentiæ, non transferri, sed in vita superstes manere debuisset ; cum ergo translatus sit, signum est eum futuris sæculis reservari. Unde Tertullianus, lib. *De Anima,* cap. L, loquens de Henoch et Elia : « Morituri, inquit, reservantur, ut Antichristum sanguine suo exstinguant. » Et S. Augustinus (vel quisquis est auctor ; non enim videtur esse S. Augustini), lib. I *De Mirabilibus S. Scripturæ*, cap. III : « Henoch, inquit, adhuc sine morte in testimonium novissimi temporis reservatur. » Idem S. Augustinus, lib. IX *De Genesi ad litteram,* cap. IX, Eliæ venturo socium assignat Henoch : sic et S. Prosper, in *Dimidio temp.*, cap. XIII, Cæsarius, *Dialogo* III et V, in fine, S. Gregorius, XIV *Moral.* XI, et homil. 2 *in Ezech.*, Damascenus, lib. IV, cap. XXVII, atque alii passim, quos citavi, *Apocal.* XI. Imo S. Cyprianus, vel quisquis est auctor (stylus enim arguit non esse S. Cypriani Carthaginensis Episcopi), tractatu *De Sina et Sion*, asseruit inde vocatum esse Henoch, id est innovatum, « eo quod in consummatione mundi innovari habet in hoc mundo, ad confundendum et revincendum Antichristum. » Sicut enim ipse suo ævo mundum libidine et vitiis corruptum innovavit : ita idem in fine mundi rediens et quasi innovatus, eumdem jam senescentem, imo decrepitum, robore et vigore sui spiritus innovabit.

ut Antichristum profliget.

Hinc probabile est raptum hunc Henoch fuisse media luce et publicum, omnibusque conspicuum ; imo splendidum et augustum, v. g. ab angelis apparentibus in curru igneo, vel in nube, vel in corpore glorioso ; tum quia hoc merebatur eximia ejus sanctitas, ac conversatio cum Deo et Angelis ; tum quia per raptum statutus fuit a Deo pœnitentiæ et sanctæ vitæ exemplar hominibus sui ævi, æque ac futuris sæculis ; tum quia ex hoc publico raptu communis fuit hominum quolibet sæculo opinio et sermo Henoch raptum esse in paradisum, indeque rediturum ut contra Antichristum decertet ; tum denique, quia ejus socius Elias raptus fuit in curru igneo, IV *Reg.* II ; Henoch autem non fuit inferior Elia, imo Elias fuit filius Henoch, quia ab eo per Noe recta serie generationum prognatus descendit. Unde S. Ambrosius, *in Psalmum* CXVIII, octon. 7 : « Henoch, inquit, propter devotionem raptus ad cœlum, terrenæ malitiæ virus evasit. » Hinc idem S. Ambrosius, lib. III *in Lucam*, sub finem, docet Henoch fuisse typum Christi : « Henoch, inquit, nonne manifestum et pietatis Dominicæ et divinitatis indicium est, eo quod nec mortem senserit Dominus, et ad cœlum remeaverit, cujus generis auctor raptus ad cœlum est. » Idem rursum, lib. *De Paradiso*, cap. III : « Henoch, inquit, qui dicitur latine Dei gratia, raptus ad cœlum, » id est in aerem. Et mox : « Henoch carbunculus quidem est, lapis

Henoch raptus fuit publicus et augustus.

Henoch redibit

boni odoris, quem operibus suis sanctis Henoch detulit, gratiam quamdam factis et moribus spirans. Noe vero tanquam Prasius lapis, vitalem colorem prætulit. Siquidem diluvii tempore solus, ac veluti futuræ constitutionis vitale semen, in arca est reservatus. » Denique, lib. *De Isaac*, cap. VIII : « His alis (charitatis) evolavit Henoch raptus ad cœlum. »

TERTIA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM NOE.

Vers. 17. **17. NOE INVENTUS EST PERFECTUS, JUSTUS, ET IN TEMPORE IRACUNDIÆ FACTUS EST RECONCILIATIO.** — Rabanus addit, *ut det gentibus pœnitentiam;* sed nil tale habent cæteri codices Latini et Græci. Ab Henoch quasi primo pœnitentiæ in mundo vitiis cooperto præcone, progreditur ad secundum, Noe scilicet, qui Henoch fuit abnepos; Henoch enim genuit Mathusalem, qui genuit Lamech, cujus filius fuit Noe : quare, sicut Henoch fuit septimus ab Adam, ita Noe ab eodem fuit decimus, in eoque finitur prima decas generationum, primumque mundi sæculum. Rursum, Henoch raptus fuit anno mundi 987. Noe vero diluvium exstitit anno mundi 1656 : quare diluvium translatione Henoch posterius fuit annis 669, quibus cum homines gradatim magis magisque a fide et justitia deficerent, ac in omnia vitia ruerent, ita ut omnis caro corrupisset viam suam, Deus misit Noe, ut esset præco pœnitentiæ, ac comminando diluvium homines ad frugem reduceret. Verum, cum id frustra tentaret, hominibus in scelere obfirmatis, Deus iratus toti orbi immisit diluvium, quo omnes perdidit, uno Noe excepto. Τὸ *justus* jungi potest cum *perfectus;* unde Tigurina vertit : *Noe perfecte justus est inventus, q. d.* Noe perfectus fuit in justitia et sanctitate : vel si commate τὸ *justus* a τῷ *perfectus* disjungas, uti disjungunt Romani, Rabanus et alii; τὸ *justus* explicat τὸ *perfectus, q. d.* Noe fuit perfectus, quia fuit justus κατ' ἐξοχήν, id est per excellentiam, quia scilicet fuit justissimus et sanctissimus, adeoque sui ævi phœnix et sol justitiæ; ambulavit enim cum Deo, « et, » id est idcirco, « in tempore iracundiæ, » cum scilicet Deus iratus vellet totum genus humanum perdere, « factus est reconciliatio, » quia placavit Deum ut servaret genus humanum per se suosque filios in arca. Fuit ergo ipse naturæ humanæ et novi sæculi seminarium; unde et Janus bifrons est appellatus, uti dixi in Genesi : Janus, quia vitifer vinique inventor (יַיִן *iain* enim Hebræis est vinum); bifrons, quia vidit duo sæcula, unum ante, alterum post diluvium, adeoque, ut ait Nazianzenus : « Noe secundi mundi fuit pater. » Et in *orat.* 20 : « Noe, inquit, arcam fidei suæ commissam accepit, et secundi mundi semina parvo ligno credita, atque adversus aquarum vim conservata. » Idem, in Carm. *De vita Christi* : « O arca Noe, inquit, sola funestis aquis erepta, mundumque alterum in parva gerens semente, recta præditum et sana fide. » Aliter Lyranus et Dionysius; censent enim Noe vocari « reconciliationem, » eo quod Deum sacrificio conciliarit ad promittendum se amplius orbi non inducturum cataclysmum. Verum hoc Siracides dicit vers. 29.

Noe phœnix sui ævi.

Pro *reconciliatio* græce est ἀντάλλαγμα, id est commutatio, permutatio, redemptio et redemptionis pretium. Fuit ergo Noe pietas et sanctitas pretium, quo ipse a Dei justitia quasi redemit tum familiam suam, ne mergeretur communi diluvio, tum consequenter spem et propaginem generis humani. Ideo « dimissum est » ei « reliquum terræ, » id est semen reliquum in terra, quo ab exterminio servata fuit hominum soboles. Unde Noe fuit typus Christi redemptoris, qui suo sanguine quasi pretio genus humanum emit et redemit ab interitu. Vide dicta I *Petri* III, vers. 20 et 21. Et reconciliatio.

Rursum, Noe fuit ἀντάλλαγμα et ἀνταλλαγος, id est commutatus, permutatus, succedaneus, suppositicius; quia pro impiis sui sæculi hominibus pereuntibus diluvio fuit suppositus et substitutus ad servandum semen et propaginem hominum. Syrus : *Noe in tempore diluvii factus est recuperatio mundo, et propter eum facta fuit liberatio.* Minus recte Tigurina ἀντάλλαγμα vertit, *præmium;* vertit enim : *Cui* (Noe) *tempore supplicii contingit præmium.*

Noster ἀντάλλαγμα accipit pro κατάλλαγμα, id est conciliatio, reconciliatio, pacificatio, et sic accipiunt Complutenses Romani, et alii passim. Fuit ergo Noe reconciliatio, id est remedium, pretium, et instauratio generis humani ob scelera a Deo exitio addicti et adjudicati. Unde S. Ambrosius, *in Psal.* CXVIII, octon. 7 : « Noe, inquit, propter justitiam diluvii victor, generis factus est superstes humani. » Igitur, ut summatim jam dicta colligam, Noe in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, ut ob meritum justitiæ diluvium evaderet, et hominum genus, iratum Deum placando, velut redimeret et reconciliaret. Utrumque significat vox *reconciliatio*, græce ἀντάλαγμα, id est permutatio, redemptio, reconciliatio; seu pretium, quod ad redimendum seu reconciliandum offertur; aut res ipsa quæ commutatur ἀπὸ τοῦ ἀνταλλάττω, id est permuto, redimo. Hoc ergo fuit iræ Dei ἀντάλλαγμα : *primo*, quia dato velut quodam justitiæ suæ pretio ab interitu mundum redemit, ac seipsum cum suis quasi humanæ naturæ seminarium in arca servavit; *secundo*, quia

etiam dato ex holocaustis, quæ Deo obtulit, *Genes.* VIII, 20, « odore suavitatis, » quasi quodam pretio, seu commutatione pro fœtore peccatorum, Dei naribus oblata, mundum Deo reconciliavit. « Ideo » in gratiam Noe « dimissum est reliquum terræ, » puta reliquiæ tam hominum quam cæterorum viventium, quæ inundante omnia diluvio servata sunt in arca, et orbi terrarum permissa; τὸ enim τῇ γῇ, id est *terræ*, est dativi casus, *q. d.* Ipsi terræ, id est ipsis terrigenis, dimissæ sunt reliquiæ.

Vide hic quanta fuerit sanctitas Noe, ac quantum possit coram Deo unus eminenter sanctus; Noe enim sua sanctitate Deo volenti perdere totum genus hominum, restitit, manusque quasi ligavit, ut sibi et generi parceret. Tam potens est vel unus vir perfectus et eximie sanctus.

Noe significat Rectores.

Tropologice, Rabanus et Lyranus : Noe, inquit, significat rectores, qui inter fluctus sæculi arcam, id est Ecclesiam, regunt, et prædicant Baptismum pœnitentiæ, orationibus et sacrificiis Deum placantes humano generi. Sic et S. Augustinus *in Psalmum* CXXXII : « Noe, inquit, significat rectores Ecclesiæ, quia ipse arcam in diluvio gubernavit. »

Vers. 18.

18. IDEO DIMISSUM EST RELIQUUM TERRÆ, CUM FACTUM EST DILUVIUM. — « Reliquum » substantive hic capitur; idem enim est quod « reliquiæ; » has enim significat κατάλειμμα, *q. d.* Ob Noe sanctitatem, qua Deum iratum reconciliavit terræ et humano generi, dimisit Deus illi aliquid reliqui, id est aliquas reliquias hominum ad terram incolendam et colendam, atque ad propagandum genus humanum ne illud interiret, scilicet Noe cum filiis. Nam, ut ait S. Petrus I *epist.*, cap. III, 20, in arca « octo animæ salvæ factæ sunt. » Unde clare vertit Syrus : *Ideoque reliquus terræ factus est, cum exstitit diluvium*; alii : *Propterea exstiterunt reliquiæ in terra.* Simili phrasi et sensu ait Isaias, cap. I, 9 : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus, » scilicet periissemus ut Sodoma et Gomorrha. Pro *cum factum est diluvium*, minus recte Græca habent : *Idcirco factum est diluvium;* nec enim Noe servatus est propter diluvium, nec diluvium factum est propter Noe, nisi hoc sensu exponas, *q. d.* Ut Noe solus cum suis servaretur terræ reliquus, idcirco factum est diluvium; ut scilicet eo reliqui omnes mergerentur; Noe vero solus ex eo per arcam enataret, quod intendebat Deus. Hinc Hebræi aiunt Noe tres mundos vidisse et expertum esse : primum ante diluvium, corruptissimum; secundum in diluvio, jam mersum et perditum; tertium post diluvium, sed ex se et suis renascentem et reflorescentem. Quare accepit similem benedictionem sicut Adam : « Crescite, et multiplicamini, » etc., *Genes.* IX, 1. Hinc et diutissime præ cæteris, uno excepto Mathusalem, vixit, ut posteros tum propagaret, tum doceret, et in unius Dei fide cultuque institueret. Noe enim vixit annos 950; Mathusalem vero annis 969. Porro natus est Mathusalem anno mundi 687. Cum autem Adam vixerit 930 annis, hinc sequitur Mathusalem cum Adamo vixisse 242 annis, ut ab eo veram philosophiam et Theologiam plene audire potuerit. Rursum, Noe natus est anno mundi 1056, et versari potuit cum Mathusalem 600 annis, ab eoque omnem sacram et naturalem scientiam accipere, ut novo mundo ex se nascenti magister existeret. Unde S. Ambrosius *in Psalm.* XXXIX : « Noe, ait, ad semen futurorum est reservatus, ut ex illo justitiæ semina in hominibus pullularent. » Et lib. *De Noe*, cap. I : « Deus Noe ad renovandum semen hominum reservavit, ut esset justitiæ seminarium. » Allegorice Hugo : « Ideo, inquit, id est merito passionis Christi (qui tempore iracundiæ factus est reconciliator humani generis ad Deum Patrem, pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis) dimissum est reliquum terræ, id est salvatum est genus humanum, cum factum est diluvium, scilicet sanguinis et aquæ de latere Christi manantis. »

Noe post Mathusalem longævissimus: cur?

Vers. 19.

19. TESTAMENTA SÆCULI POSITA SUNT APUD ILLUM, NE DELERI POSSIT DILUVIO OMNIS CARO. — « Testamenta » vocat pacta « sæculi, » id est cum sæculo, hoc est mundo, puta cum Noe cæterisque hominibus ejus posteris a Deo inita, de non inducendo amplius orbi diluvio, quo rursum mergatur omnis caro hominum et animantium; vel pacta « sæculi » vocat pacta æterna, et in omne sæculum duratura, ut alludat ad τὸ *recordabor fœderis sempiterni quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem, Genes.* IX, 16, ubi hujus fœderis perpetui signum et confirmationem dat iridem. Vide ibi dicta. Unde Tigurina vertit non tam ad verbum quam paraphrastice : *Cum eo* (Noe) *initum est pactum sempiternum nunquam mortales omnes abolendos esse diluvio.* Sic et Syrus : *Et juravit Deus quod non erit ultra diluvium, juramenta quæ juravit illi in veritate, quod non peribit universa caro.* Diluvium aquæ intellige ; nam diluvio ignis peribit et cremabitur totus orbis sub die judicii, uti docet S. Petrus, *epist.* II, cap. III. Igitur Deus cum Noe quasi altero Adam totius generis humani capite pepigit fœdus æternum et nunquam violandum, de hominibus nunquam iterum diluvio exstinguendis. Hoc fœdus cum reliqua Dei cognitione, fide et cultu tradidit Noe posteris post diluvium (vixit enim post diluvium 350 annis), sed præsertim Abrahæ, qui cum Noe superstite adhuc vixit 58 annis; natus est enim Abraham post diluvium anno 292.

S. Basilius mundi columen ut Noe.

Similis Noe fuit S. Basilius, quem proinde in ejus epitaphiis hisce elogiis decorat S. Gregorius Nazianzenus : « Tu solus et vitam doctrinæ, et vitæ doctrinam æquasti : ut unus est Deus alte regnans, ita unum te, Basili, dignum pontificem nostra ætas vidit, veritatis vocalissimum nuntium,

clarissimum Christianorum oculum, animi multiplici pulchritudine lucentem, Pontique et Cappadocum etiamnum illustre decus et ornamentum. Te supplex oro, ut pro mundo stes, donaque oferas. » Et inferius : « Basili, magna Christi gloria, sacerdotum civitatisque, nunc in multas partes dissectæ, columen, etc. Tonitruum erat oratio tua, fulgur vita. »

QUARTA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM ABRAHÆ ET ISAAC.

vers. 20. 20. ABRAHAM MAGNUS PATER MULTITUDINIS GENTIUM, ET NON EST INVENTUS SIMILIS ILLI IN GLORIA. — Tigurina : *Magnus Abraham pater multarum gentium, nec exstitit ei gloria similis;* Syrus : *Abraham pater cœtuum populorum, et non reperta fuit macula in gloria ejus.* Tertius hic est Patriarcha, et orbis in fide et cultu Dei instaurator, nimirum « Abraham, » qui « magnus » exstitit electione, sanctitate, honore. Alludit ad etymon Abram et Abraham; initio enim vocatur *Abram* quasi אב רם *ab ram*, id est pater excelsus, deinde a Deo vocatus est *Abraham*, quasi אב רם המן *ab ram hamon*, id est pater magnæ multitudinis gentium ex eo partim secundum carnem (uti fuerunt Judæi), partim secundum fidem et spiritum (quales sunt fideles et Christiani, qui imitantur fidem Abrahæ) nascituræ et propagandæ. Vide dicta *Genes.* cap. XVII, vers. 5.

ET NON EST INVENTUS SIMILIS ILLI IN GLORIA, — tum ob eximiam ejus fidem et sanctitatem, qua factus dictusque est pater credentium, id est fidelium et sanctorum; tum quia Deus cum eo et posteris ejus iniit singulare pactum, eique novam dedit religionem circumcisionis et judaismi; tum denique quia ei promisit Messiam, quod scilicet ex posteris ejus nasceretur Christus, in quo benedicendæ essent omnes gentes. Plura colliges ex dictis *Genes.* cap. XII et sequentibus, unde S. Ambrosius, *in Psalmum* CXVIII : « Abraham, inquit, propter fidem, seminarium posteritatis suæ toto orbe diffudit : Israel (Jacob) propter laborum tolerantiam populum credentium proprii nominis signaculo consecravit. » Idem, lib. *De Abraham*, et alibi : « Abraham, inquit, pater fidei, princeps familiæ Gentium (fuit enim Abraham ante circumcisionem Gentilis), et generationis Domini, pater electionis piæ confessionis, per justitiam fidei factus mundi hæres, fortissimus ac patientissimus, fons devotionis et fidei, virtutum omnium exemplar. » Denique in Ecclesia prisca, puta in synagoga Judæorum, nullus tantam habuit venerationem et gloriam, quantam Abraham, utpote ejus pater, fundator et Patriarcha.

Porro Palacius sic explicat : « Non est inventus similis illi in gloria, » scilicet fidei. Credidit enim (cum jam grandævus esset, et emortua vulva Saræ) fore suum semen velut stellæ cœli, ut Paulus prosequitur. Tum *secundo*, non fuit similis, cum quo Dominus ita frequenter et familiariter loqueretur, et cui tanta promitteret; *tertio*, limbus vocatur sinus Abrahæ : tantus erat Abraham.

Simile elogium Theodoricus, rex Gothorum, dedit S. Epiphanio, Episcopo Ticinensi, qui illius ævo fuit pater et salus Italiæ, uti refert B. Ennodius, in ejus Vita. Sic enim de eo loquitur Theodoricus : « Ecce hominem, cujus totus Oriens similem non habet : quem vidisse præmium est, cum quo habitare securitas. Fortissimo muro civitas Ticinensis, incolumi isto, vallatur : quos oppugnantium nulla vis possit obruere, quos nequaquam Balearis fundæ transcendat excursus. Si qua necessitas inter undas certaminum accesserit, tutum est apud istum matrem familiasque deponere, et expeditum excursibus militare bellorum. » Ipse enim præter alia multa, Ticinum ab Odoacre rege diruptum et dirutum, quasi Papa, id est pater patriæ, reædificavit, eique Papiæ nomen indidit; in qua deinde Theodoricus regni sedem constituit. Elogium S. Epiphanii Ticinensis.

Simile elogium in *Pirke avoth*, id est in *Apophth. patrum Hebr.* cap II, R. Joseph dedit discipulo suo R. Eliezer, dicens : « Eliezer filius Hyrcani talis est, tamque cognitæ et perspectæ virtutis, ut de eo libere affirmare possim, etsi omnes sapientes Israel in una bilance stateræ ponerentur, ipsum solum in altera positum æquilibrium sapientiæ facturum. » Simile præ omnibus suis discipulis, innocentiæ, puritatis, candoris testimonium Alexander Alensis dedit discipulo suo S. Bonaventuræ, dicens : « Bonaventura adeo innocens est, ut non videatur peccasse in Adamo. »

QUI CONSERVAVIT LEGEM (Syrus, *verba*) EXCELSI. — Perperam Dyonisius legit, *conservaret;* codices enim Græci et Latini, æque ac Interpretes constanter legunt *conservavit*. Dyonisium secutus est auctor Epistolæ in Missa *De Communi Confessoris Pontificis* : « Ecce sacerdos magnus, » etc., quæ epistola conflata est ex variis hujus capitis et seq. versiculis, nonnullis additis, nonnullis demptis, scilicet ex hoc vers. 20 omisso τὸ *in gloria*, ex vers. 22 et 25, atque ex cap. seq. vers. 8, et 19 et 20; sed immutatis et Pontifici adaptatis.

« Legem, » tum naturalem, tum positivam, qua jussus fuit a Deo exire e terra et cognatione sua, peregrinari tota vita, immolare filium Isaac, Ismaelem cum Agar uxore sua domo expellere, circumcidere se et suos, etc.; in his enim cæterisque omnibus sibi a Deo imperatis, quantumvis difficilibus et arduis, Abraham prompte obedivit

Deo, eaque illico exsecutus est : idcirco Deo fuit charissimus, adeo ut cum eo peculiare pactum non semel sed secundo et tertio inierit, quo suam omnem illi promisit benedictionem. Unde de eo subdit :

ET FUIT IN TESTAMENTO (id est pacto) CUM ILLO, — *q. d.* Deus cum Abraham, quasi amico et socio, imo quasi par cum pari dignatus est pacisci, et fœdus inire. Primum fœdus fuit, *Genes.* XV, cum ad illud sanciendum Abraham immolavit vaccam, capram et arietem, eaque divisit per medium, ac Deus specie ignis per victimas fœderales ritu veterum medius incessit : unde, vers. 18, dicitur : « In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram ; » secundum fuit fœdus circumcisionis, *Genes.* XVII ; tertium addi posset, quando immolavit Isaac ; ob hanc enim immolationem Deus pacta et promissa illi facta innovavit et confirmavit, aliudque addidit longe maximum de Messia ex eo nascituro : « Benedicentur, inquit, in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ, » *Genes.* cap. XXII, vers. 18.

Ter Deus fœdus iniit cum Abram.

Secundo, τὸ fuit in testamento, exponi posset, *q. d.* Abraham pactis cum Deo initis stetit, hoc est conditiones pacti a Deo requisitas constanter implevit, scilicet Dei jussis per omnia obedivit, ut posterior versiculi pars pertineat eodem quo prior, nimirum ad conservationem legis Excelsi. Unde Tigurina vertit : *Is servavit legem Altissimi, et in pacto cum eo permansit* : per « pactum » intellige conditiones et leges pacti ; nam de ipso testamento, sive pacto, subdit vers. seq.

Denique, τὸ *qui* sumitur pro *quia* ; nam dat causam cur Abrahæ non fuerit « similis in gloria, » quia scilicet conservavit per omnia legem Excelsi. Unde Syrus : *Qui fecit decreta Excelsi, et iniit pactum cum illo.*

Vers. 21. 21. IN CARNE EJUS STARE FECIT TESTAMENTUM (Syrus : *In carne ejus constitutum fuit ei pactum*), ET IN TENTATIONE INVENTUS EST FIDELIS. — Duo, inquit Jansenius, commemorat hæc sententia, quæ in Abraham sunt præclara. Alterum, quod « in carne ejus stare fecit testamentum, » hoc est constituit pactum suum Deus, dum scilicet ei præcepit carnis circumcisionem in signum et confirmationem fœderis cum eo initi, idque valde apte et convenienter. Quia enim in pacto Dei continebantur quædam non ad ipsum tantum, sed etiam ad semen ipsius pertinentia, nempe quod esset Deus seminis ejus post ipsum, quod semini ejus daret promissam terram, quod semen ejus esset multiplicandum sicut arena maris, et quod in semine ejus essent benedicendæ omnes gentes terræ (quod non nisi per Christum ex ipso nasciturum perficiendum erat) recte in generationis membro signum fœderis illius constitutum est, ut hoc signo distingueretur a reliquis gentibus semen Abrahæ, ad quod promissiones illæ de semine pertinebant. Igitur Deus Abraham cum posteris, quasi servos suos stigmate circumcisionis signavit, ut velut servi a Deo signati ipsi soli servirent ; Deus vero vicissim eos quasi famulos suos aleret, protegeret, benediceret.

Nota : Pro *in carne ejus*, verti potest, *in carne sua.* Ita Tigurina : *Ratum*, inquit, *effecit in corpore suo pactum* ; alii : *Carne sua confirmavit fœdus.* Hoc enim ad insignem Abrahæ laudem pertinet, quod ad Deo obediendum fœdusque cum eo ineundum, ipse pro se totaque familia et posteris omnibus, tam duram fœderis conditionem ultro susceperit, ac suam suorumque carnem circumciderit, imo quod circumcisionem carnis velut signum pacti cum Deo initi passim deprædicarit, in eaque gloriatus sit.

Alterum præclarum Abrahæ facinus fuit, quod « fidelis inventus *sit* in tentatione, » qua Deus ejus fidem et obedientiam tentavit, jubendo sibi immolari filium Isaac, ex quo paulo ante numerosam sobolem, adeoque Christum Dominum promiserat : obedientiam, quia unicum filium sibi charissimum immolavit ; fidem, quia firmiter credidit Deum resuscitaturum Isaac, ut promissam ex eo posteritatem præstaret. Unde Apostolus, *Rom.* IV, 18, de eo ait : « Qui contra spem in spem credidit, » scilicet contra spem naturæ credidit in spem gratiæ et promissionis divinæ, quod Deus resuscitaret Isaac ; et *Hebr.* XI, 17 : « Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen : arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus : unde eum et in parabolam accepit, » eamque multiplicem, ut ibidem exposui. Quocirca vigorem animi strenuum ac virilem Abrahæ nemo satis laudaverit, quo paternum affectum tam fortiter vicit, ut nihil fleverit ; tam constanter jussa Dei exsecutus est, ut ne punctum quidem temporis intermiserit : tam viriliter sacrificium perfecit, ut gladium in cervices Isaac distrinxerit. Quocirca merito a S. Chrysostomo, hom. *De Abraham*, hoc elogio insignitur : « Martyr vivus et non vivus, mortuus et non mortuus. » Et Nazianzenus, *orat.* 41 : « Venerandus Abraham, inquit, patriarcha ille, illud charum et augustum caput, illud virtutum omnium domicilium, virtutis norma, sacerdotii perfectio, qui voluntarium Deo sacrificium offert, unigenitum nimirum suum, atque ex pollicitatione acceptum. »

Abraham Martyr vivus et mortuus.

Vers. 22 et 23.

22 et 23. IDEO JUREJURANDO DEDIT ILLI GLORIAM IN GENTE SUA, ET CRESCERE ILLUM QUASI TERRÆ CUMULUM, ET UT STELLAS EXALTARE SEMEN EJUS, ET HÆREDITARE ILLOS A MARI USQUE AD MARE, ET A FLUMINE USQUE AD TERMINOS TERRÆ, — *q. d.* Propter tantam fidem et obedientiam Abrahæ in immolatione filii ostensam, Deus omnia promissa illi præstita iteravit, et juramento confirmavit, ac novum maximumque addidit de Messia ex eo nascituro. Alludit, imo citat *Genes.* XXII, 16 : « Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia

fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. » Deinde adjungit promissionem maximam de Christo, dicens : « Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. » Unde Jansenius censet hanc significari hic cum ait : *Dedit illi gloriam in gente sua;* gloria enim summa Abrahæ fuit, quod in semine ejus benedicendæ essent omnes gentes, quia ex ipso Christus erat nasciturus, in quem ad imitationem fidei Abrahæ credituræ erant omnes gentes, et per fidem cum fideli Abraham benedicendæ. Unde Græca hoc loco habent : *Ideo jurejurando statuit,* vel *confirmavit, benedicere gentes in semine ipsius;* hanc enim benedictionem Noster vocat *gloriam in gente sua. Secundo,* « gloriam » hic accipias ampliorem, qua scilicet futurus erat pater numerosæ sanctæque gentis, puta pater fidelium et sanctorum, inter quos tamen primus et præcipuus erat Christus. Unde Rabanus legit : « Dedit illi semen in gente sua, » nimirum quod explicat, dum subjicit, « crescere, » id est ut cresceret, « quasi terræ, » scilicet arenæ, « cumulus, et ut stellas exaltare, » id est ut exaltaret, « semen ejus, » tum gloria, tum numero, tum opibus, tum regno, tum victoriis, tum templo, tum oraculis, etc., « et hæreditare illos, » id est ut hæreditarent, « a mari, » scilicet Occidentali, « usque ad mare, » scilicet Mortuum, « et a flumine magno, » Euphrate, « usque ad terminos terræ, » non totius, sed Palestinæ, in qua tunc consistebat Abraham, cujus gentes recensuerat *Genes.* XV.

Allegorice tamen id de tota terra verum est in Christo filio Abrahæ, qui omnes fines orbis terræ obtinuit, sibique et suæ fidei ac Ecclesiæ subjecit.

Porro Tigurina sic vertit : *Quapropter confirmatum est ei jurejurando, gentes per semen ejus beandas esse, ipsumque instar terreni pulveris* (Græcum enim χοῦν, tam pulverem quam terram significat) *multiplicandum, tum extollendos ad astra posteros ejus, atque a mari usque ad mare sedes habituros, et a flumine usque ad terminum terræ;* Syrus : *Propterea juramentis juravit illi Deus, quod benedicentur in semine ejus omnes populi, ad multiplicandum semen ejus sicut arenam maris, et ad dandum semen ejus supra omnes populos, ad hæreditare faciendum eos a mari ad mare, et ab Euphrate usque ad terminos terræ.* Hæc promissio impleta est in Davide, qui imperavit quasi universæ terræ hoc loco promissæ, ut colligitur II *Reg.* VIII. Et in Salomone, ut patet III *Reg.* IV.

Vers. 24. 24. ET IN ISAAC EODEM MODO FECIT (Syrus, *juravit*) PROPTER ABRAHAM PATREM EJUS. — Pro *fecit*, græce est ἔστησε, id est statuit, constituit, confirmavit, *q. d.* Juramentum quo juravit Deus dare Abrahæ et posteris ejus, *primo*, terram promissam; *secundo*, amplam posteritatem; *tertio*, benedictionem omnium gentium in Christo ex se nascituro : hanc ex Abraham moriente transtulit non in Ismael, sed in Isaac filium ejus ex Sara, illamque in capite Isaac constituit et confirmavit; uti illi hæc tria bona a Deo promissa cederent, in ejusque, non Ismaelis fratris sui, posteros derivarentur, idque fecit ob merita Abrahæ patris ejus. Isaaco enim sic loquitur Deus, *Gen.* XXVI : « Eroque tecum, et benedicam tibi : tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ. » Græca hunc versum cum sequenti nectunt; unde Tigurina utrumque ita vertit et nectit. *Cum Isaac similiter constitutum est propter Abram patrem ejus : omnes homines felicitate donandos esse, pactumque ad caput Jacob sancitum in quiete;* alii : *Et in Isaac stabilivit ista propter Abraham patrem ipsius, benedictionem scilicet omnium hominum, et pactum quod requievit super caput Jacob.*

Porro causa prima et principalis, cur ad Isaac, non ad Ismael, transtulerit Deus suum fœdus suaque promissa, fuit libera ejus voluntas et electio; accessoria fuere, prima, quod Abraham genuerit Isaac ex Sara primaria conjuge, Ismaelem vero ex Agar ancilla; jure gentium ergo Isaac succedebat Abrahæ, non Ismael. Secunda, quod Abraham Isaac præ Ismael diligeret. Tertia, fuit fides et obedientia Isaac, qua imitatus patrem Abraham illi volenti se Deo immolare consensit, ultroque se ei victimam obtulit; unde problema est, utrius virtus et obedientia fuerit major, Abraham filium immolantis, an Isaac immolati? Rationes in utramque partem recensui *Genes.* XXII. Porro id factum est in figuram passionis Dominicæ, inquit Rabanus, ut scilicet Abraham repræsentaret Deum Patrem immolantem Filium unigenitum Jesum Christum pro salute mundi.

Cur Isaac hæres Abrahæ, non Ismael? Causa Prima. Secunda. Tertia.

25. BENEDICTIONEM OMNIUM GENTIUM DEDIT ILLI DOMINUS, ET TESTAMENTUM CONFIRMAVIT SUPER CAPUT JACOB. — Syrus : *Benedictio omnium antiquorum requievit super caput Israel, quem vocavit, Filium meum primogenitum Israel, q. d.* Deus fecit ut ex Isaac, non ex Ismael nasceretur Christus, Abrahæ et semini ejus promissus, in quo benedicendæ, id est justificandæ et salvandæ, sive, ut Tigurina vertit, *beandæ* erant omnes gentes. Benedictio enim omnium gentium non est aliud, quam gratia et gloria omnibus gentibus in Christum credentibus, eique obedientibus, a Deo promissa et præstita, ut patet ex citatis locis Geneseos. Quare minus recte nonnulli « benedictionem » hic accipiunt active pro laude, qua scilicet omnes gentes laudaturæ erant Isaac, eumque benedicturæ ob promissa hæc Dei illi præstita.

ET TESTAMENTUM CONFIRMAVIT SUPER CAPUT JACOB, *q. d.* Deus pactum initum a se cum Abraham et

Isaac constituit in capite Jacob, non Esau fratris sui, et in Jacob ejusque posteris ratum et firmum esse voluit, græce κατέπαυσεν, id est quiescere fecit, juxta illud : « Dilexi Jacob, Esau autem odio habui, » *Malach.* I. Id Deus præstitit Jacob, *Genes.* XXVIII, 13, cum ille dormiens vidit scalam, per quam ascendebant et descendebant angeli, Deumque scalæ innixum sibi dicentem audivit : « Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ : dilataberis ad Occidentem, et Orientem, et Septentrionem, et Meridiem : et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ. »

QUINTA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM JACOB.

Vers. 26. 26. AGNOVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS SUIS, ET DEDIT ILLI HÆREDITATEM, ET DIVISIT ILLI PARTEM IN TRIBUBUS DUODECIM. — Syrus : *Dedit illi hæreditatem, et constituit eum patrem tribuum, et processit, et divisus est in tribus duodecim.* « Agnoscere » Dei non est nudum et otiosum, sed efficax et affectuosum, quia conjunctum cum favore, amore, benevolentia et beneficentia. Sic enim Deus agnoscit suos prædestinatos et electos, cum eis præparat et donat gratiam et gloriam, juxta illud : « Cognovit Dominus qui sunt ejus, » II *Timoth.* II, 19. Ex adverso in die judicii damnans reprobos dicet eis : « Nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem, » *Matth.* VII, 23. Simili modo pater agnoscit filium cum eum alit, docet, hæredem instituit : et ovis agnoscit suum agnum, cum eum ad ubera admittit, alienum excludit; et gallina pullos, cum legitimos sub alas recipit, adulterinos repellit.

« Agnovit ergo Deus Jacob in benedictionibus, » id est favit, fovit et amavit eum benefaciendo illi, dandoque hæreditatem terræ promissæ, puta Chanaan. Unde Tigurina vertit : *Aspiratione sua eidem Deus affuit, q. d.* Aspiravit Deus Jacobo suum favorem, gratiam et opem. *Secundo*, proprie « agnovit » Deus Jacob « in benedictionibus, » cum eum quasi legitimum Abrahæ filium et hæredem, benedictionum Abrahæ a se promissarum pariter hæredem instituit, et ab iis Esau quasi minus probatum exclusit, ideoque Jacobo, non Esau, dedit possessionem terræ promissæ; personæ, inquam, Jacobi dedit eam in spe et promissione, posteris autem ejus dedit eam per Josue in re et possessione.

Jacob quater benedictus a Deo.

Porro Deus sæpius benedixit Jacobo, *primo*, per patrem, cum scilicet ei Isaac benedixit, ac jus primogenituræ præ Esau attribuit, *Genes.* XXVII. *Secundo*, cum Deum scalæ innixum, sibique benedicentem vidit et audivit, *Genes.* XXVIII. *Tertio*, cum luctans cum angelo eique prævalens, ab eo benedictus est, et nuncupatus Israel, *Genes.* XXXII, 28. *Quarto*, cum abjectis domesticorum suorum idolis, Deum adoravit in Bethel, *Genes.* XXXV, 9.

ET DIVISIT ILLI PARTEM IN TRIBUBUS DUODECIM. Per *partem* Jansenius et alii accipiunt hæreditatem sive portionem hæreditariam, puta terram Chanaan, quæ fuit tota hæreditas Jacobo a Deo promissa; hanc enim Deus divisit in tribus duodecim ex 12 filiis Jacob progenitas et proseminatas. Unde Complutensia legunt : *Et divisit partem ejus in tribubus, quas divisit duodecim. Secundo*, per « partem » proprie accipi potest pars hæreditatis, sive terræ promissæ, quam cuique tribui jussu Dei divisit et admensus est Josue, cap. XV, *q. d.* Deus illi, scilicet Jacobo, divisit hæreditatem, partiendo eam in partes « in tribubus, » id est per tribus « duodecim, » ita ut cuique tribui suam partem, ex æqua totius terræ divisione illi proportionatam et debitam, assignaret; τὸ enim *partem* sumitur distributive; singulis enim tribubus suam partem æquo divisionis jure attribuit. Unde Græci, Romani et cæteri pro μερίδος, id est « partem, » legentes μερίδες in plurali, id est « partes, » sic habent : *Et divisit partes ejus, partitusque est in tribus duodecim*; fuerunt enim tot partes terræ, quot erant tribus, puta duodecim; Tigurina : *Distribuit partes ejusdem* (hæreditatis), *et divisit in tribus duodecim.* Licet enim tribus Levi, quia sacerdotalis, non habuerit partem Chananææ, sed Deus, id est Dei oblationes et victimæ, ejus fuerint pars et hæreditas; tamen loco Levi successit tribus Joseph, quæ in duas a Jacobo divisa, scilicet in Ephraim et Manasse, complevit numerum duodecim tribuum Israel, id est ex Jacob qui dictus est Israel, prognatarum, *Genes.* XLVIII, 13.

Vers. 27. 27. ET CONSERVAVIT ILLI HOMINES MISERICORDIÆ, INVENIENTES GRATIAM IN OCULIS OMNIS CARNIS, — *q. d.* Deus Jacobo hanc gratiam fecit, ut ex posteris ejus quolibet ævo aliqui viri misericordes existerent, qui suos contribules dirigerent, fovereent, alerent, protegerent, ac præsertim in vera fide et cultu Dei conservarent et promoverent. Tales fuere Moses, Aaron, Joseph, Phinees, de quibus cap. seq. Unde Syrus : *Et exierunt ab eo viri justi, et invenit misericordiam in oculis omnium viventium.* Græca legunt in singulari *hominem* et *invenientem*, idque referunt aliqui ad Joseph, qui fratres aluit et gratiosus fuit Pharaoni et Ægyptiis; alii ad Mosen, de quo proxime sequitur. Unde Tigurina et nonnulli alii hinc ordiuntur cap. XLV, sicque vertunt : *Et eduxit ex eo virum misericordem* vel *pium*; Tigurina : *Ex hoc virum*

procreavit adeptum misericordiam, omnium mortalium oculis gratiosum, Deoque simul charum et hominibus, Moysen, cujus beata est memoria. De Mose enim dicitur, *Exod.* XI, 3 : « Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti, coram servis Pharaonis et omni populo. »

Porro Rabanus in textu sic legit: *Et conservavit illi misericordiam invenientem gratiam in oculis omnis carnis.* In Commentario vero sic : *Conservavit illi misericordiam suam, et invenit gratiam,* etc. Quod secutus auctor Epistolæ : *Ecce sacerdos magnus,* etc., quæ in Missa legitur *De Communi Confessoris Pontificis,* legit : « Conservavit illi misericordiam suam, et invenit gratiam coram oculis Domini; » quæ verba ipse ex suo conceptu ita adaptavit, quasi Pontifici sancto magis convenientia, immutans τὸ *carnis* in τὸ *Domini;* eo quod omnes Pontifices gratiosi fuerint in oculis Domini; sed non omnes in oculis omnium hominum : nam multi castigantes vitia populi et principum (uti ex officio debebant), eis invisi et exosi fuere. Porro idem auctor totam illam Epistolam conflavit ex sententiis illustrioribus hujus capitis et sequentis; ac ea quæ dicuntur de Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Mose, Aaron et Phinees, ipse applicavit cuilibet sancto Pontifici, nonnullis tamen immutatis, perinde ac S. Bernardus sententias S. Scripturæ Sanctis adaptat. Henoch enim, Noe, Abraham, et cæteri omnes jam recensiti fuere sacerdotes et pontifices, utpote primogeniti, vel habentes jus primogenituræ, in quo continebatur jus sacerdotii.

Allegorice, Rabanus : « Confirmatum est testamentum super caput Jacob, hoc est Gentilis populi, qui posterior ad gratiam fidei et baptismatis regenerationem accessit. Cui tamen plenitudo benedictionis paternæ provenit; et dedit illi hæreditatem, supernæ videlicet patriæ; et divisit ei partem in tribubus duodecim, ut per duodecim Apostolos edoctus, simul cum illis regnum Dei possideret æternum. Huic conservavit Dominus misericordiam suam, ut haberet gratiam in oculis omnis carnis; quia Ecclesia Christi ab omnibus gentibus honoratur, et digna laude propter culturam veri Dei, universo mundo prædicatur. »

CAPUT QUADRAGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Laudat Moysen usque ad vers. 7. *Inde Aaronem usque ad vers.* 28. *Inde Phinees usque ad finem capitis. Laudat autem eos, tum ob præclara facinora, tum ob ingentia dona eis a Deo collata.*

1. Dilectus Deo et hominibus Moyses : cujus memoria in benedictione est. 2. Similem illum fecit in gloria sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. 3. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. 4. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. 5. Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem. 6. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel. 7. Excelsum fecit Aaron fratrem ejus, et similem sibi de tribu Levi : 8. statuit ei testamentum æternum, et dedit illi sacerdotium gentis : et beatificavit illum in gloria, 9. et circumcinxit eum zona gloriæ, et induit eum stolam gloriæ, et coronavit eum in vasis virtutis. 10. Circumpedes, et femoralia, et humerale posuit ei, et cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, 11. dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo, in memoriam filiis gentis suæ. 12. Stolam sanctam auro, et hyacintho, et purpura, opus textile, viri sapientis, judicio et veritate prædito : 13. torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri, et opere lapidarii sculptis, in memoriam secundum numerum tribuum Israel. 14. Corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctitatis, et gloria honoris : opus virtutis, et desideria oculorum ornata. 15. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem. 16. Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filii ipsius soli, et nepotes ejus per omne tempus. 17. Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidie. 18. Complevit Moyses manus ejus, et unxit illum oleo sancto. 19. Factum est illi in testamentum æternum, et semini ejus sicut

dies cœli, fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum suum in nomine ejus. 20. Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo : 21. et dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israel. 22. Quia contra illum steterunt alieni, et propter invidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan et Abiron, et congregatio Core in iracundia. 23 Vidit Dominus Deus, et non placuit illi, et consumpti sunt in impetu iracundiæ. 24 Fecit illis monstra, et consumpsit illos in flamma ignis. 25. Et addidit Aaron gloriam, et dedit illi hæreditatem, et primitias frugum terræ divisit illi. 26. Panem ipsis in primis paravit in satietatem : nam et sacrificia Domini edent, quæ dedit illi et semini ejus. 27. Cæterum in terra gentes non hæreditabit, et pars non est illi in gente : ipse est enim pars ejus, et hæreditas. 28. Phinees filius Eleazari tertius in gloria est, imitando eum in timore Domini : 29. et stare in reverentia gentis: in bonitate et alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israel. 30. Ideo statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum, et gentis suæ, ut sit illi et semini ejus sacerdotii dignitas in æternum. 31. Et testamentum David regi filio Jessæ de tribu Juda, hæreditas ipsi et semini ejus, ut daret sapientiam in cor nostrum judicare gentem suam in justitia, ne abolerentur bona ipsorum, et gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit.

PRIMA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM MOYSIS.

Vers. 1. 1. DILECTUS DEO ET HOMINIBUS (Syrus, *dilectus coram Deo, et etiam in oculis hominum*) MOYSES : CUJUS MEMORIA IN BENEDICTIONE EST. — Græce οὗ τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις, id est, *cujus memoriale in benedictionibus;* Tigurina : *Cujus beata est memoria;* alii : *Cujus memoria omnibus modis est benedicta;* Vatablus : *Est fausti ominis,* ut crebro Moysis fideles, puta Hebræi, meminerint, et quoties meminerunt, de eoque loquuntur, toties ei benedicant, id est eum laudent, glorificent, omnemque illi felicitatem et gloriam apprecentur. Hinc Rabbini usurparunt illam suam eulogiam, ut, quoties patrum vel virorum bene meritorum jam defunctorum meminerunt, dicant : *Zichronam libracha,* id est *memoria eorum sit in benedictione.*

Porro causa, cur Moyses Deo et hominibus fuerit dilectus et benedictus, fuit eximia ejus virtus, qua populum ex Ægypto salvum deduxit in terram promissam, ac præsertim mansuetudo; de ea enim dixit Siracides, cap. III, 19 : « Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. » Causas ibidem assignavi: « Moyses autem erat vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra, » *Num.* XII, 3. Sic eximia Davidis laus est, quod de eo dicatur : « Memento, Domine David, et omnis mansuetudinis ejus, » *Psalm.* CXXXI, 1. Igitur inter viros misericordiæ, quos Siracides in fine capitis præcedentis, dixit Deum conservasse Jacobo, primus et cæterorum antesignanus est Moyses. Vide quæ de laudibus Moysis dixi Procemio *in Pentateuch.* sectione III.

Tropologice, S. Bernardus hanc sententiam adaptat sancto, uti nomine, sic et re, Benedicto, serm. *De eo* : « Dilectus sane Deo, inquit, et hominibus, cujus non sola præsentia in benedictione fuit, sicut sunt multi dilecti Deo soli, quia soli Deo jam cogniti; sed et memoria ejus etiam nunc in benedictione est. Nam et usque hodie in triplicem amoris Dominici confessionem, triplici hoc fructu pascit Domini gregem. Pascit vita, pascit doctrina, pascit intercessione. Per quem incessanter adjuti fructificate et vos charissimi; quoniam in hoc positi estis, ut eatis et fructum afferatis. »

Quis dilectus Deo, quis proximo?

Porro dilectum Deo facit Dei amor, obedientia, oratio, contemplatio : dilectum proximo facit proximi amor, cura, beneficentia, cum scilicet quis proximo succurrit et opitulatur, ac præsertim cum e cœno peccatorum et inferno eum extrahit, et in viam salutis reducit. Dilectum Deo ergo facit vita contemplativa, dilectum proximo facit vita activa; utramque igitur jungat, qui utrisque cupit esse dilectus, uti utramque junxit Moyses, qui et in monte cum Deo versabatur, et in castris populum Dei legem edocebat.

Vers. 2. 2. SIMILEM ILLUM FECIT IN GLORIA SANCTORUM, ET MAGNIFICAVIT EUM IN TIMORE INIMICORUM, ET IN VERBIS SUIS MONSTRA PLACAVIT. — Syrus vertit : *Magnificavit* (vel *nutrivit*) *eum in benedictionibus, et corroboravit eum ad terrores.* Tria hic celebrat in Moyse : *primo,* quod « in gloria similem illum » fecerit « sanctorum, » id est similem sanctis, puta Patriarchis, Henoch, Abraham, Isaac et Jacob,

Octo Moysis elogia. Primum.

capite præcedenti celebratis; græce ὡμοίωσεν αὐτὸν δόξῃ ἁγίων, id est *similem fecit gloriæ sanctorum.* Ita Complutensia, Romana, Tigurina : *Hunc gloriæ sanctorum* (Vatablus : *hunc gloria sanctis*) *æquiparavit* ; alii : *Assimilavit eum gloria sanctis.* Magna hæc est laus Moysis, quod tanta ejus sit gloria, ut gloriæ et gloriosis factis donisque summorum Patriarcharum, Abrahæ, Isaac et Jacob æquiparetur. *Secundo*, quod « magnificavit eum in timore inimicorum, » quia per Mosen tot prodigia in Ægypto et in deserto patrantem Deus incussit ingentem timorem et pavorem Pharaoni, Ægyptiis, Amalecitis, cæterisque Chananæis Hebræorum inimicis. Unde Tigurina vertit : *Effecit eum magnum terrendis hostibus*; alii proprie : *Magnum eum fecit terroribus hostium,* græce enim est in plurali, ἐν φόβοις, id est in timoribus vel terroribus. Timebant enim Ægyptii et gentes Moysen, quasi fulmen, et quasi Jovem suum tonantem et fulminantem, dum tonitribus, fulminibus, ignibus, grandinibus, cæterisque plagis prece a Deo elicitis verberabat Ægyptum. Unde audiit a Deo : « Constitui te Deum Pharaonis, » *Exod.* VII, 1. Quæ verba explicans S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. II, hanc eorum moralem dat causam : « Etenim, inquit, victor passionum omnium, nec ullis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cœlestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens, et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cujus similitudinem se perfectæ virtutis ubertate formaverat. Et ideo non legimus de eo sicut de cæteris; quia deficiens mortuus est, sed, per verbum Dei mortuus est; Deus enim neque defectionem aut diminutionem patitur, neque adjectionem capit. Unde et addit Scriptura : Quia nemo scit sepulturam ejus usque in hodiernum diem, ut translationem magis quam interitum intelligat. »

Tertio, quod « in verbis suis » (græce αὐτοῦ, id est *ejus*, scilicet Mosis) Deus « monstra placavit; » græce σημεῖα κατέπαυσε, id est signa vel portenta quiescere et cessare fecit ; quia monstrosas et portentosas plagas ad preces Mosis inflictas, ejusdem prece sedabat et auferebat Deus, uti ranarum plagam sedavit, *Exod.* VIII, 9. Contrarie Tigurina : *Per hujus jussa*, inquit, *designavit miracula,* ut τὸ κατέπαυσε, quod alii vertunt *cessare fecit,* respondeat Hebr. הניח *heniach*, quod etiam verti potest, *demisit, depegit,* nisi malis *solvit præstigias* magorum Pharaonis, inquit Vatablus. Virga enim Mosis conversa ab eo in serpentem, devoravit virgas magorum, ab eis pariter conversas in serpentes, *Exod.* VII, 12. *Heniach* enim significat quiescere fecit, posuit, demisit, deposuit ; ut sensus sit : Moses fecit signa, id est plagas decem, quiescere in Ægypto, id est plagas has demisit in Egyptum, ut illam occuparent, in eaque quiescerent. Sic enim ranæ, ciniphes, locustæ, grandines, et tenebræ jussu Mosis occuparunt totam Ægyptum. Utrumque verum, utrumque magnificum et gloriosum Moysi; et utrum majus sit, incertum ; tam enim gloriosum fuit Moysi plagas cœlestes ad nutum inhibere et sistere, quam easdem evocare et infligere. Quare Moyses fuit « miraculorum epilogus, » uti docet Nazianzenus, *orat.* 1. Porro Pomponius Lætus : « Monstrum, inquit, a monendo dictum est, velut monestrum, quod monstret futurum, et moneat voluntatem deorum; quod etiam prodigium, velut prædictum; et portentum, quod portendat; et ostentum, quod ostendat » rem novam prænuntiam futuri. Sic et Isidorus, lib. XI *Origin.* cap. III, nisi quod « prodigia » interpretetur quod « porro dicant, » id est futura prædicant. Sic Xerxi vulpes ex equa genita, regnum ejus dissolvi portendit. Sic plagæ hæ Moysis erant monstra, quia portendebant et monstrabant, imo efficiebant imminens Ægypto et Pharaoni exitium.

3. GLORIFICAVIT ILLUM IN CONSPECTU REGUM, ET JUSSIT ILLI CORAM POPULO SUO, ET OSTENDIT ILLI GLORIAM SUAM. — Quartum Moysis encomium est, quod Deus per tot prodigia, plagas et victorias, quas per Moysen patravit, gloriosum eum fecerit coram Pharaone rege Ægypti, Agag rege Amalec, Og rege Basan, et Seon rege Amorrhæorum, quos omnes Moses regnis privavit, et occidit; ob quæ gloriam ejus admirati sunt et celebrarunt omnes reges Chanaan, imo totius orbis.

Quintum, quod « jussit illi coram populo suo, » id est quod præsentia populi, totoque populo spectante, Deus loquens cum Mose dedit illi jussa et mandata perferenda ad populum. Unde Græca habent, ἐνετείλατο αὐτῷ πρὸς λαὸν αὐτοῦ, id est ; *mandata dedit ei ad populum suum*; Syrus, *de populo suo.* Id fecit Deus, cum in Sina dedit Moysi tabulas lapideas Decalogi, cæteraque præcepta cæremonialia et judicialia; deinde cum ad ostium tabernaculi de more cum Moyse colloquens in oculis populi, ei significabat quid tam ab ipso quam populo fieri vellet, *Exod.* XX et seq., *Levit.* I, 1, et alibi sæpe.

Sextum est, quod « ostendit illi gloriam suam; » Syrus, *honorem* vel *majestatem suam ;* cum scilicet coram Moyse in spelunca posito angelus Deum repræsentans, ingenti lumine et gloria coruscus pertransivit, eique tergum, non faciem ostendit, uti ei promiserat dicens : « Videbis posteriora mea : faciem autem meam videre non poteris. » Unde S. Augustinus, et alii putant Moysen tunc vidisse divinam essentiam ; verum contrarium est verius, uti ostendi *Exod.* XXXIII et XXXIV.

4. IN FIDE ET LENITATE IPSIUS SANCTUM FECIT ILLUM, ET ELEGIT EUM EX OMNI CARNE. — Syrus : *In ejus fide et in ipsius mansuetudine elegit eum ex omnibus hominibus.* Septimum est hoc Mosis elogium. Per fidem accipi potest *primo*, fides proprie dicta ; *secundo*, fiducia in Deum : *tertio*, et aptissime fidelitas, juxta illud Dei de Moyse : « Moyses in omni domo mea fidelissimus est, »

Monstri et prodigii etymon.

Vers. 3.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Vers. 4.

Septimum.

Numer. XII. Moyses enim fidelissime Dei mandata apud populum exsequebatur. Per *lenitatem* intellige mansuetudinem, de qua ibidem dicitur: « Erat Moyses vir mitissimus, » etc. *Et*, id est idcirco, scilicet ob tantam Moysis fidelitatem et mansuetudinem. Deus « elegit eum ex omni carne; » quia ex omnibus hominibus eum unum delegit, qui esset legatus Dei ad Pharaonem, atque dux et moderator Israelis, eumque in manu potenti educeret ex Ægypto in terram promissam. Ad hæc enim fidelitas erga Deum, et lenitas erga proximos, maxime aptum efficiunt hominem; sic enim debemus esse lenes in proximum, ut tamen simus fideles Deo, nec ob nimiam lenitatem ejus offensas et injurias in Deum dissimulemus. Sic vicissim debemus fideles esse Deo, ut tamen non simus nimis rigidi, sed lenes in proximum, ut leniter ejus infirmitatem toleremus, lapsus erigamus, vacillationem solidemus. Unde Tigurina vertit : *Sanctum reddidit hunc fide et placabilitate, et ex omnibus elegit mortalibus*; alii : *Fide et mansuetudine sanctificavit ipsum, et elegit eum ex omnibus hominibus*. Igitur sicut Saul a Deo electus fuit in regem, quia non erat eo vir melior in Israel, I *Reg.* X, et sicut Petrus electus fuit in pontificem, quia maximæ erat charitatis, *Joan.* ult.; sic et Moyses ex omnibus hominibus electus fuit dux populi, quia non erat eo sanctior nec aptior.

Lenitas sanctificat: cur?

Nota τὸ *sanctum fecit*, vel ut græce est *sanctificavit illum*; fides enim, id est fidelitas et fidelis obedientia erga Deum, Deique leges, sanctificat hominem, æque ac lenitas et clementia erga proximos; mansuetus enim et lenis per lenitatem affectus habet ordinatos et compositos, ideoque puros et sanctos. Unde S. Basilius, in *Psal.* XXXIII : « Qui nullum, inquit, in manibus suis perturbationi reliquerunt locum, hi demum mansueti appellantur. » Et S. Augustinus, lib. I *De Sermone Domini in monte*, cap. III : « Mites, ait, sunt qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo; » ut appetiti injuriis, probris, maledictis, imo lapidibus (uti Moyses a populo appetitus fuit), non se vindicent, imo non irascantur; sed potius appetentibus condoleant, eosque lenire satagant, ac pro eis Deum exorent. Quin et Aristoteles, lib. IV *Ethic.* cap. IV : « Mansuetus, inquit, ille est qui perturbatione vacat, et ab affectu minime ducitur; sed quemadmodum ratio ipsa statuerit, ita et ob id et tamdiu succenset. » Et Speusippus, Platonis nepos, sic definit : « Mansuetudo, ait, est constitutio animæ adversus iræ impetum immobilis, moderata temperies animæ. » Rursum sancta fidelium lenitas est charitas, vel certe charitatis comes, juxta illud Pauli : « Charitas patiens est, benigna est, I *Corinth.* XIII.

Vera ergo lenitas non est naturæ indolisque bonitas, sed gratiæ et charitatis benignitas, ideoque vera sanctitas; ac vicissim vera sanctitas est ipsa charitatis lenitas, imo ipsa divinitas est increata et essentialis lenitas. Unde Deus et Spiritus Sanctus Eliæ apparuit, non in tonitru, non in fulgure, non in terræ motu, sed in sibilo auræ tenuis, III *Reg.* cap. XIX, 12. Quocirca Ruffinus, *Præfat. in Vitas Patr.*, agens de priscis anachoretis Sanctisque eximiis, prophetiæ et miraculorum dono illustribus : « Tanta namque, inquit, in eis est fides, quod etiam montibus ut transferantur, valeant imperare. Sunt ergo ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, et charitatis vinculo velut quadam germanitate constricti. »

Ita S. Bernardus, serm. *De S. Malachia*, docet eum his duabus alis ad sanctitatem evolasse, fide in prosperis, lenitate in adversis tolerandis : « In fide, ait, et lenitate ipsius sanctum fecit illum. Fide calcabat mundum, Joanne attestante, qui ait : Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, I *Joan.* V. Nam in spiritu lenitatis dura quælibet et adversa æquo animo tolerabat. Hinc quidem post Christum fide calcabat maria, ne caperetur illecebris; inde in patientia sua possidebat animam suam, ne molestiis frangeretur. De his enim duobus habes in *Psalmo* XC, casuros a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, quod multo plures prosperitatis fallaciæ, quam adversitatis flagella dejiciant. » Idem, *in Vigilia Nativit.* serm. 5 : « Sanctificamini hodie, et estote parati: sanctificamini, inquit, magis ac magis de virtute in virtutem proficiendo, et estote parati perseverando. In quibus tamen sanctificabimur? Legi de quodam dicente Scriptura : Quoniam in fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum; neque enim hominibus sine lenitate, non plus quam Deo sine fide placere possibile est. »

Præclare S. Chrysostomus, homil. 6 *in Acta* : « Non ita statim, inquit, medicus febricitantem a febribus liberarit sua cura, ut longanimus vir iracundum et præ iræ flagrantem, apprehensum refrigerabit per spiritum propriorum sermonum. Et quid de medicis dico? Neque ferrum ignitum et aquæ intinctum ita statim calorem amittit, sicut si incidat in animam longanimem homo iracundus. » Et mox : « Nam mansuetus quidem sibi ipsi est dulcis et aliis utilis; iracundus vero et sibi insuavis et aliis damnosus. » Idem. serm. *De mansuetud.* tom. V, docet mansuetum in domo, in Ecclesia, in civitate esse id quod sunt nervi in corpore, eum esse imitatorem Christi et similem Deo.

Porro in omnibus quidem illustris virtus est mansuetudo, sed maxime in principibus, qualis fuit Moyses, quorum quo major est celsitudo, eo admirabilior est animi demissio et mititas. Quocirca Marcus Antoninus Imperator, apud Lampridium, Spartianum et alios clementiam celebrans: « Hæc, inquit, Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecravit, hæc patrem tuum (Faustinam conjugem alloquitur) Pii nomine ornavit. » Et Plinius, in *Panegyrico Trajani* : « Quoniam armis, inquit, arma irritantur, metusque et terror infirma sunt vincula charitatis. » Et rursus : « Male

vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, male terrore veneratio acquiritur, longeque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quam timor; ideoque melius fides quam ferrum tueatur principem, plusque diligi quam timeri Cæsarem deceat. » Hac de causa S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XXII, ita sancit : « Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensa. » Vide eumdem, lib. II *Offic.* cap. VII, ubi Moysen exemplum mansuetudinis statuit. Verba ejus recitavi, cap. III, 19; et S. Augustinum, *De S. Virgin.* cap. XXXI : « Mensura, ait, humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est. » Sic etiam hunc locum interpretatur Origenes ; tract. 24, *in cap.* XXII *Matth.*, probatque exemplo Christi : « Quantum enim, inquit, fuerat magnus, tantum se humiliavit. » Hujus rei similitudinem affert Guilielmus Paradinus, *De Instit. princip.* : « Sol enim, inquit, cum est altissime provectus in Zodiaco, tum tardissimi motus est : ita quo fortuna te subvexit altius, hoc oportet animo leniori minusve feroci esse. » Quocirca Chilonius, apud Laert., lib. I, cap. IV, potentiæ adjungendam mansuetudinem aiebat : « Ut a suis, inquit, princeps non tam metum extorqueat, quam imperet reverentiam ; reverentiæ comes est amor, metus odium : amari autem non solum honestius est, verum etiam tutius. » Idem extende ad viros sapientia et virtute excelsos : hi enim si comes sint et humiles, longe erunt excelsiores, Deo et hominibus gratiores, ac diabolo formidabiliores. Nam, ut ait S. Chrysostomus, in illud Isaiæ, VI : *Vidi Dominum*, hom. 4 : « Sicut nautæ qui vacuam habent navem, non metuunt piratarum insultum, sed qui habent onustam ; piratæ enim eo properant, ubi aurum, ubi argentum, ubi lapides pretiosi sunt : sic diabolus non facile persequitur peccatorem, sed justum, ubi multæ sunt opes; quanto major es, tanto magis submitte teipsum. »

Zelus et lenitas S. Philastrii.

Moysi in lenitate, æque ac zelo, similis fuit S. Philastrius Episcopus Brixiensis, coævus S. Ambrosio et S. Augustino, qui eum dilaudat, epist. ad *Quodvultdeum*. Unde S. Gaudentius, S. Philastrii in episcopatu successor, hoc de eo edidit encomium : « Philastrius universum Romani orbis ambitum peragrans, quasi alter Paulus Dominicum seminat verbum, ut eo populorum pectoribus insito, omne martyrii genus pro Christo libentissime tolerare universi pollicerentur. Cumque adversus Gentiles, Judæos et hæreticos prædicasset, pluribus ad orthodoxæ fidei cultum revocatis, quorumdam infidelium verberibus affectus, non multo post ceu Dominica passione stigmatizatus, felicem animam Deo restituit. Quapropter reminiscamur, vehemens ille Philastrii patris nostri ardor quantam possederit in sanctis moribus lenitatem, illa celsitudo scientiæ quanta fuerit humilitate sublimis, illa divinarum rerum peritia quam fuerit ignara terrestrium. Erat enim humanæ gloriæ nescius, acer divini honoris exactor, non quærens quæ sua erant, sed quæ Jesu Christi; amicitias sæculi et officia mundana contemnens, servitio Dei jugiter adhærebat. Erat idem Sanctus ira brevis, indulgentia facilis, superans patientia, humanitate devincens, in corripiendo districtus, in relaxando absolutus, liber in agendo, omni ætati et conditioni et sexui mira benignitate communis, humillimis quibuscumque conjunctus. »

5. AUDIVIT ENIM EUM, ET VOCEM IPSIUS, ET INDUXIT ILLUM IN NUBEM. — Ita Romana, licet Græca moderna et Rabanus legant : *Auditam fecit illi vocem suam*, vel, ut Complutensia, *audire fecit* (ἀκουτίζειν enim est audire facere) *eum vocem suam*, cum scilicet ex Sina Deus per Angelum tubali voce decalogum promulgavit, cæteraque præcepta judicialia et cæremonialia Moysi ore tenus tradidit. Eodem sensu accipi potest Latina versio Vulgata, *q. d.* Deus elegit Moysen ex omni carne in populi sui ducem; quia hac Dei electione factum est, ut unus Moyses præ cæteris audiret Deum et (τὸ *et* exegeticum est, significans *id est*) vocem ipsius; quando scilicet cum Deo ore ad os tam in Sina quam ad ostium tabernaculi colloquebatur, ab eoque instituebatur dux, et docebatur modos ducendi et regendi populum; « et, » id est « idcirco induxit illum » Dominus « in nubem, » græce γνόφον, id est caliginem, in qua latebat seseque velabat majestas illa clarissima et immensa lux divinitatis; ut scilicet in ea proxime ad Deum accederet Moyses, cum eoque secretissime et familiarissime colloqueretur. Licet enim reliqua præterita « fecit, elegit, induxit » spectent ad Deum, tamen τὸ *audivit* videtur spectare ad Moysen; id enim series materiæ et narrationis exigere videtur. Neque hæc enallage personarum nova est vel miranda, quia crebra in Scriptura et familiaris Hebræis; sæpe enim ab una persona transeunt ad aliam, nec tamen eam nominant, aut distinguunt, sed ex circumstantiis nominandam et distinguendam lectori relinquunt.

Si tamen ad eamdem personam hæc omnia præterita referre malis, puta ad Deum; sensus erit, *q. d.* Deus elegit Moysen ex omni carne, ut liquet ex effectu. Nam ob hanc Moysis electionem et dilectionem Deus audivit eum, id est vocem ipsius, cum ipse orans pro toto populo, jam internecioni ob adoratum vitulum aureum a Deo addicto, eidem suis precibus et meritis veniam impetravit, *Exodi* XXXII. Prior sensus magis videtur appositus, tum Græcis, tum iis quæ sequuntur; quem exprimens Tigurina sic vertit : *Vocem suam huic edidit audiendam, induxitque eum in nebulam.*

Octavum Moysis elogium.

Octavum hoc est Moysis elogium, quod scilicet a Deo eductus in caliginem suam, ubi vocem Domini audierit, et familiariter cum eo sit collocutus. In hanc Dei caliginem mente conscenderunt

viri sanctitate et contemplatione eximii, ut in ea Deum habitantem per umbram cernerent et audirent. De caligine hac vide S. Dionysium, *De Divinis nominibus*. Hinc disce illud : « Mereberis Deum, si homines fugeris. »

Secessus in nubem quis?

Præclare S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 1 : « Nihil, inquit, mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quam ut occlusis sensibus, atque extra mundum carnemque positus, et in seipsum collectus, nec nisi quantum necessitas exigit, quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse et cum Deo colloquens, superiorem in rebus quæ sub aspectum cadunt, vitam agat, divinasque species puras semper, nec terrenis ullis et errantibus formis admixtas, in seipso circumferat; Deique et rerum divinarum purum omnino speculum sit, in diesque efficiatur, ac lucem per lucem assumat, clariorem videlicet per obscuriorem; jamque futuri ævi bonum percipiat, et cum angelis versetur, ac licet in terris sit, terram deserat, atque a Spiritu sursum collocetur. »

Vers. 6.

6. ET DEDIT ILLI CORAM PRÆCEPTA, ET LEGEM VITÆ ET DISCIPLINÆ, DOCERE JACOB TESTAMENTUM SUUM, ET JUDICIA SUA ISRAEL. — Ita Romana. Syrus : *Disposuit coram eo legem vitæ et benedictionem, ad docendum eos qui sunt domus Israel, leges suas, et fœdera, et judicia sua.*

Perperam ergo multi legunt : *Dedit illi cor ad præcepta;* græce enim est, ἔδωκεν αὐτῷ κατὰ πρόσωπον ἐντολάς, id est *dedit ei coram mandata; coram*, id est in præsentia, in conspectu, *q. d.* Deus legem dedit Moysi non per internuntium quasi absens absenti, sed per seipsum coram, quasi præsens præsenti, loquens cum illo facie ad faciem. Alludit ad *Exodi* XXXIII, 11 : « Loquebatur, inquit, Dominus ad Moysen, sicut solet loqui homo ad amicum suum. » Et *Numer.* XII, 8, ubi Moysen conferens et præferens aliis Prophetis, quibus Deus per visionem, vel per somnium loquebatur de Moyse, ait : « Ore ad os loquor ei palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. »

Legem vocat « vitæ, » tum quia lex docet quomodo recte juxta Deum et rationem sit vivendum; tum quia lex sui observatoribus promittebat longam et felicem vitam præsentem; tum quia si ex fide et charitate impleretur, præstabat vitam beatam et æternam. Alludit ad *Levit.* XVIII, 5 : « Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. »

Rursum legem vocat « disciplinæ, » græce ἐπιστήμης, id est *scientiæ*, quia lex docet veram scientiam practicam, quæ hominem docet quid agere, quid vitare debeat, ut Deo placeat, ab eoque gratia et gloria donetur. Noster vertit, « disciplinæ, » tum quia per legem Judæi erudiebantur quasi discipuli a præceptore; tum quia lex quasi disciplina castigabat et frenabat illicitos concupiscentiæ motus, et incomposito s Judæorum mores.

Tertio, legem vocat « testamentum, » id est pactum; quia lex est conditio pacti inter Deum et homines initi. Pepigerat enim Deus cum Abraham, Isaac, Jacob, Moyse et Hebræis se eis fore Deum, id est patrem, tutorem et provisorem, hac conditione, si ipsi leges suas servarent, eique se servos fideles exhiberent.

Quarto, legem vocat « judicia, » quia lex statuit et præscribit id quod æquum et justum est, ac secundum illam judices omnes in judiciis judicare debent; quare cum inter Hebræos erant lites, hæ omnes secundum legem et per legem judicandæ et dirimendæ erant. Unde Tigurina vertit : *Huic præcepta coram tradidit, legem vitæ scientiæque ut pactum edoceret Jacob, et jus suum Israelem.* Idem ergo est pactum, quod jus sive judicium; sicut idem est Jacob, qui Israel : Hebræi enim a suo Patriarcha, qui dictus est Jacob et Israel, nunc Jacob, nunc Israel vocantur : posterius ergo hemistichium explicat prius more Hebræo.

Nonum est hoc encomium Moysis, quod fuit legislator divinus : legem enim, quam dedit Hebræis, ex ore Dei accepit. Nonum.

Mosis laus ex S. Nazianzeno.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 6 : « Quis legislatorum, inquit, illustrissimus? Moyses; quis sacerdotum sanctissimus? Aaron : non minus pietate, quam corporibus fratres; vel potius ille quidem Pharaonis Deus, et Israelitarum antistes et legislator, et nubem ingrediens, et divinorum mysteriorum spectator, et præsul, et tabernaculi illius verus fabricator, quod a Deo, non ab homine constructum est : ambo autem æque sacerdotes, *Psalm.* XCVIII : Moyses enim, ait ille, et Aaron inter sacerdotes ejus. Ille principum princeps, et sacerdotum sacerdos, Aarone pro lingua utens, ipsique vicissim in iis rebus operam navans quæ ad Deum pertinebant : hic illi statim secundus, alios autem dignitate et propinquitate ad Deum longe antecedens. Ambo Ægyptum vexantes, mare scindentes, Israelem trajicientes, hostes demergentes, panem superne trahentes, aquam hominum fidem superantem in deserto partim profundentes, partim edulcantes. Ambo per sanctam manuum extensionem, sublimiorisque mysterii figuram Amalecitas opprimentes. Ambo ad promissam terram duces viæ se præbentes, ac properantes. Ecquid hac imagine notius apertiusque cogitari potest? » Fuit ergo Moyses divinarum sanctor legum, et divinitatis quasi vicarius; ille sacerdotum princeps, et sacerdos principum; ille maris et ventorum imperator; ille fontium, fluminum, nubis, ignis, cœli temperator; ille naturæ dominus, et miraculorum omnium opifex : ille tyrannorum domitor, et Pharaonis Deus. Plura de Moyse dixi, in Procemio *Pentateuchi*.

SECUNDA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM AARONIS

7. EXCELSUM FECIT AARON FRATREM EJUS, ET SIMILEM SIBI DE TRIBU LEVI. — A Moyse principe transit ad Aaron fratrem Moysis, quem Deus elegit in primum pontificem Hebræorum, eumque hæreditarium, ut scilicet pontificatum ad posteros, puta ad primogenitos omnes ex se successive procreandos, transmitteret. Hunc ergo Deus extulit, « fecitque excelsum et similem sibi : » *sibi*, id est illi, puta Moysi, *q. d.* Deus assimilavit Aaronem Moysi; tum ratione genealogiæ, quia uterque ex eadem tribu Levi, quam Deus sibi in sacerdotalem elegit, adeoque ex eisdem parentibus est progenitus; tum quia Aaron fuit socius et administer Moysis in enuntiandis Dei jussis Pharaoni, ac in patrandis plagis et miraculis (ut patet *Exod.* VII et VIII), ad educendum populum ex Ægypto, juxta illud : « Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi : et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua, » *Exod.* VII, 1. Quocirca Nazianzenus, *orat.* 1 : « Aaron, inquit, secundum Moysen primas apud Deum obtinebat; » et *orat.* 6, eum vocat « sacerdotem sanctissimum. » Unde Græca habent, *evexit*, vel *exaltavit*, *Aaronem sanctum*, *similem illi*, *fratrem ejus*, *ex tribu Levi*. Tribus enim Levi a Deo electa et evecta erat ad sacerdotium, sicut tribus Juda ad regnum : unde Levitæ cæteris erant honoratiores, quasi dicati et consecrati Deo, uti modo sunt Religiosi et sacerdotes. Hinc « Levi » et Levita idem est, quod « copulatus, » *Genes.* XXIX, 34, quod totus Deo copulari et adhærere debeat. Aliqui etiam « Levi » interpretantur « ipse mihi, » quasi Deus dicat : Ipse est Levita, hoc est, ipse totus mihi est consecratus, ipse totus est meus : ego illum in meum ministrum, in amicum, in filium cooptavi; ut ipse vicissim totum se mihi addicat et copulet, reliqua spernat et fastidiat. Hanc etymi rationem dat Philo, lib. *De Plant. Noe* : « Quod apud alios, inquit, alia sint in pretio; apud illum vero solum ille optimus maximus auctor rerum omnium. » Et post nonnulla : « Eadem (eamdem rerum mundi despicientiam) legislator sæpe docet eos qui non cupiunt creatis rebus ditescere, fastidientes quidquid gentium est, præ ingenti familiaritate ejus, quem solum habent pro divitiarum felicitatisque fine perfectissimo. »

Levi etyma.

In Græco non est ὕψωσεν, id est extulit simpliciter, sed composite, ἀνύψωσεν, id est sursum extulit, superexaltavit, in sublime evexit. Syrus : *Et exaltavit sicut illum sanctum Aaron de tribu Levi*. In republica enim, divina, ideoque summa est dignitas sacerdotii : sacerdos enim negotia reipublicæ tractat cum Deo, estque quasi internuntius inter Deum et populum, ut tam Deum populo quam populum Deo conciliet. Quocirca S. Ambrosius, *De Dignit. sacerdot.* cap. III, asserit « nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri. » Idem, in *Levit.* cap. X, *ad Simplicianum* : « In causa prophetiæ, inquit, Moyses præfertur sicut Propheta; ubi autem causa et munus et officium sacerdotii est, præfertur Aaron sicut sacerdos. » Hinc Aaron typum gessit Christi pontificis, uti idem ait, lib. II *De Fide ad Gratian.* sub initium.

Rursum « sanctum, » id est Deo sacratum sanctumque sacerdotem : sic enim omnis sacerdos, quia Deo dicatus et consecratus, vocatur « sanctus, » etsi ob pravam vitam sit sceleratus. Hic tamen titulus eum assidue commonefacit, ut sicut officio, sic et vita sit sanctus. Unde S. Ambrosius, *De Dignit. sacerd.* cap. III : « Digne, inquit, noscamus quod sumus : et quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus : ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini; ne sit nomen inane, et crimen immane; ne sit honor sublimis, et vita deformis; ne sit deifica professio, et illicita actio; ne sit religiosus amictus, et irreligiosus provectus; ne locutionem simulemus columbinam, et mentem habeamus caninam; ne professionem monstremus ovinam, et ferocitatem habeamus lupinam. »

8. STATUIT EI TESTAMENTUM ÆTERNUM, ET DEDIT ILLI SACERDOTIUM GENTIS. — Syrus : *Posuit illum in firmitatem populi.* Pontifex enim est firmitas populi. Hæc est exaltatio et celsitudo Aaronis, quod Deus « testamento, » id est pacto æterno, statuerit et consignarit illi « sacerdotium, » et pontificatum suæ « gentis, » puta Hebræorum, sanciens ut in ejus progenie permaneret semper sacerdotium, adeo ut nullus posset esse sacerdos, nisi prognatus ex Aaron; ac nullus posset esse pontifex, nisi tanquam primogenitus descenderet ex Aaron. Vocatur « æternum, » non absolute, sed respective; quia scilicet duraturum erat semper, quamdiu duratura erat illa lex et religio judaismi. Mystice etiam « æternum, » quia in suo antitypo, puta in sacerdotio Christi et Christianorum (quod præfigurabat, cujusque erat typus), durabit in æternum : novum enim Christi sacerdotium implet et perficit vetus Aaronis sacerdotium. Unde Tigurina : *Pactum æternum sanxit cum eo, commisitque ei sacerdotium populi.*

ET BEATIFICAVIT ILLUM IN GLORIA. — Syrus : *Dedit super illum de honore suo et gloria, elegitque illum in celsitudine honoris sui.* Palacius per « gloriam » accipit visionem Dei. Sicut enim Deus hanc gloriam dedit Mosi, ut Deum viderit et cum eo

tractarit: sic et eamdem communicavit fratri ejus Aaroni, quando jussit eum cum Mose ascendere in verticem montis Sina, ubi Deus gloriam suam videndam exhibebat, *Exod.* cap. XIX, vers. 24. Verum pro *gloria*, græce est εὐκοσμία, id est ornatus et vestitus compositus, mundus et elegans, « Gloriam » ergo vocat ornatum vestium sacerdotalium et pontificalium, qui Aaronem gloriosum et quasi beatum efficiebat. Sensus ergo est, *q. d.* Deus Aaronem quasi felicem et beatum effecit tam glorioso sacerdotio, ejusque amictu et ornatu ita splendido et magnifico. Unde explicans subdit :

Vers. 9. 9. ET CIRCUMCINXIT EUM ZONA GLORIÆ. — Rabanus, Dionysius et alii pro *gloriæ* legunt *justitiæ*, quia zona hæc, inquit Palacius, cum esset ultimum pontificis ornamentum, perfectionem et justitiam Aaronis significabat, juxta illud quod de Christo ait Isaias, cap. II : « Et erit justitia cingulum lumborum ejus. »

Rursum pro *zona* græce est ζολή, id est stola, amictus, vestis oblonga et usque ad talos demissa. Unde Tigurina : *Eleganti cultu beatum reddidit, et amicivit habitu glorioso;* alii : « Beavit illum præclaro ornatu, et induit eum stola gloriosa; » Syrus : *Induit eum vestibus hyacinthinis.* Noster forte pro ζολή legit ζωνή, id est *zona* : huic enim proprie convenit τὸ περιέζωσεν, id est *circumcinxit*, et quia stolam nominat vers. seq. Denique quia valde ornabat pontificem zona, eaque duplex : prior, interior communis omnibus sacerdotibus, qua tunicam lineam succingebant: secunda, exterior, propria pontifici, ex purpura, cocco, hyacintho et bysso retorta, quæ cingebant Ephod et Rationale, ideoque augusta erat, et balteus vocabatur; de qua dixi *Exod.* XXVIII, 39.

ET INDUIT EUM STOLAM GLORIÆ, — id est vestem gloriosam: nec enim pontifex vestem habuit quæ proprie diceretur stola. Stola ergo quamlibet vestem, amictum et ornatum significat, ἀπὸ τοῦ ζέλλεσθαι, id est induendo, dicta. Sic Josephus, XV *Antiquit.* cap. ult., stolam pontificiam vocat pontificis amictum, de cujus custodia inter reges et præsides certatum asserit.

Nota : τὸ *gloriæ* ter hic repetitur, ut significetur trina, id est plena et omnimoda gloria, *q. d.* Amictus pontificis terque quaterque, hoc est omnimode et quaquaversum, erat gloriosus : pontifex enim non minus dignitatis ab eo mutuabatur quam beati a dotibus gloriosis, imo gloria pontificis gloriæ Beatorum erat specimen et imago, adeo ut qui viderent pontificem in habitu hoc glorioso, non tam hominem quam beatum vel angelum e cœlo lapsum, imo numen aliquod intueri sibi viderentur; uti contigit Alexandro Magno, cum ei occurrit Jaddo pontifex, teste Josepho, lib. XI *Antiquit.* cap. VIII. Græce est, ἐνέδυσεν αὐτὸν συντέλειαν καυχήματος, id est, ut Complutensia : *induit eum consummatione gloriationis;* Tigurina : *Perfecta magnificentia ornavit eum;* alii : *Vestiit eum consummata gloriatione.* Unde explicans subdit :

Gloria pontificis similis gloriæ Beatorum.

ET CORONAVIT EUM IN VASIS VIRTUTIS, — id est instrumentis vestium eximiis, quibus ejus « virtus, » id est potestas, robur et auctoritas pontificalis declaretur, ob quam omnes eum honorabant, colebant et metuebant. Græce est, ἐζερέωσεν αὐτὸν ἐν σκεύεσι ἰσχύος, *firmavit eum in vasis fortitudinis;* alii : *roboravit eum vestibus roboris;* Syrus, *honoravit eum vestibus roboris.* Nota. « Vasa » Hebræi vocant quælibet instrumenta, ac nominatim vestes, apparatus, ornamenta. Sic, *Deut.* XXII, 5, dicitur : « Non induetur mulier veste virili, » hebraice כְּלִי אִישׁ *kele isch*, id est græce, σκεῦη ἀνδρός, id est *vasis viri.* Xenophon, lib. IV *Pædiæ Cyri*, τὰ τῶν ἵππων σκεύη vocat ornamenta et stragula equorum. Imo σκεύη feminine, idem est quod habitus, vestitus, cultus, ornatus, gestamen; et σκευάζω idem est quod apparo, compono, vestio, adorno, concinno, induo, instruo.

Rursum τὸ *virtutis* (hebraice חַיִל *chail*) id est roboris, potestatis, majestatis, auctoritatis; item opulentiæ, divitiarum: opes enim efficiunt hominem potentem. Unde Tigurina vertit : *Instruxit eum apparatu opulento;* Vatablus, *eximio* : vestes enim pontificis erant intextæ auro et gemmis, ideoque pretiosæ et opulentæ, ac plenæ majestatis et magnificentiæ, quæ omnia significat hebræum *chail*, id est *virtus.* Pontifex enim hoc suo magnifico ornatu repræsentabat magnificentiam et majestatem Dei, cujus erat vicarius et vices gerens in terra. Addit *tertio* Palacius ex Galatino, vestes pontificis vocari « virtutis, » id est roboris, quia pontifex iis indutus dabat oracula, quod est opus magnæ virtutis et potentiæ : quin et in lamina aurea præferens nomen ineffabile *Jehova*, subinde patrabat miracula. Ita Jaddus pontifex hisce pontificalibus indutus occurrens Alexandro Magno Judæis infenso, eum sacro horrore ita perculit, ut sibi supplicem et Judæis benevolum effecerit, teste Josepho, lib. XII *Antiquit.* cap. VIII, et de vestibus pontificis dicitur, *Sap.* XVIII, 25 : « His autem cessit qui exterminabat, et hæc extimuit. » *Quarto*, « virtus » accipi potest pro valore, arte, industria, ut opus virtutis sit opus affabre factum, et magna arte elaboratum : qua phrasi Itali et Galli insignem artificem vocant *un vaillant homme.*

Vestes pontificis vocantur *Virtutis.* Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Mystice, Rabanus : « Vestimenta, inquit, pontificis non alia sunt, quam opera virtutum, et sapientiæ doctrina: quæ vere Domini sacerdotes ornant, cum in his conversari rite inveniuntur. Unde et hic dicitur : Coronavit illum in vasis virtutis : sapientes autem corde, quos ad faciendas easdem vestes, Deus spiritu prudentiæ replevit, ipsi sunt Prophetæ et Apostoli, cæterique doctores veritatis, qui nobis apertissime monstrant, quomodo vivere sacerdotes et ministri altaris, et qualiter docere debeant, sive exemplo suæ actionis, sive verbo exhortationis ostendunt. »

Mystice.

Vers 10 et 11. **10 et 11.** CIRCUMPEDES, ET FEMORALIA, ET HUMERALE POSUIT EI (id est, ut alii legunt, *imposuit ei*, hoc est induit eum), ET CINXIT ILLUM TINTINNABULIS AUREIS PLURIMIS IN GYRO, DARE SONITUM IN INCESSU SUO, AUDITUM FACERE SONITUM IN TEMPLO, IN MEMORIAM FILIIS GENTIS SUÆ. — Per *circumpedes*, vel, ut multi legunt, *circumpedites*, *primo*, Lyranus et Dionysius intelligunt sandalia : hæc enim circumdant teguntque pedes. *Secundo*, melius Rabanus accipit tunicam lineam, quæ communis erat pontifici cum aliis sacerdotibus; hæc enim usque ad pedes porrigebatur. *Tertio*, optime accipias tunicam hyacinthinam quæ propria erat pontifici, quæque, *Exodi* XXVIII, 4, vocatur מְעִיל *meil* : hæc enim circumcingebat pedes, ut « circumpedes » dici posset : unde græce est ποδήρης, quo nomine Septuaginta (quos sequi solet Siracides) vocant tunicam hyacinthinam pontificis, *Exod.* XXVIII. Esto S. Hieronymus, epist. *ad Fabiolam*, tunicam lineam vocet quoque ποδήρην, id est talarem, eo quod ad πόδας, id est pedes et talos, esset demissa, æque ac tunica hyacinthina. Pro *femoralia*, græce est περισκέλη; hoc enim nomine Septuaginta, *Exod.* XXVIII, 42, vocant feminalia vel femoralia. Siracides ea hic in Græco primo loco ponit, quia ipsa erant prima et intima vestis pontificis, æque ac cujuslibet sacerdotis.

Circumpedes quid? Respondeo primo. Secundo

Pro « humerale » græce est ἐπωμίς, quo nomine Septuaginta, *Exod.* XXV, 7, vertunt Hebræum אֵפוֹד *ephod*, quod erat palliolum tegens humeros usque ad renes, contextum ex filis aureis, hyacinthinis, coccineis, purpureis et byssinis, ideoque suo fulgore perstringens oculos instar caracallarum, ait S. Hieronymus, epist. *ad Fabiolam*. In hujus ephod medio ante pectus erat hiatus, qui implebatur Rationali quadrangulo, mira pulchritudine contexto, in quo erant duodecim lapides pretiosi, insculpti nominibus duodecim tribuum, de quibus fuse egi *Exod.* XXVIII.

Tropologice vestis sacerdotalis.

Tropologice, breviter S. Gregorius, II part. *Pastor.* cap. III, singula hæc moribus sacerdotis adaptat : « In sacerdotis, inquit, habitu aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet : cui hyacinthus adjungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cœlestium surgat. Purpura permiscetur, ut sacerdotale cor in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eisque veluti ex regia potestate contradicat. Bis intinctus coccus adjungitur, ut omnia virtutum bona ex charitate decorentur : quæ quia Deum et proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Quid vero per byssum, nisi candens decore munditiæ castitas designatur? Qua byssus torta pulchritudini superhumeralis innectitur; quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. »

Addit tintinnabula, quæ ex fimbria tunicæ hyacinthinæ dependebant numero 72, ait S. Hieronymus *ad Fabiolam*, erantque ex auro, immixta totidem malis punicis (quæ proinde hic in Græco addita sunt) contextis ex cocco, purpura, hyacintho et bysso, ita ut alternis esset tintinnabulum et malum punicum. Causam subdit : « In memoriam filiis gentis suæ, » id est ut memores essent datæ legis in Sina clangente tuba. Aut potius, *q. d.* Ut populus hoc pulsu recordaretur divinæ majestatis, eamque revereretur in pontifice templum ingrediente ad sacra Dei obeunda. Vide dicta *Exod.* XXVIII, 35. Minus recte vertit Tigurina : *Ad filiorum populi sui commendationem;* μνημόσυνον enim memoriale et memoriam significat, non commendationem.

Vers. 12. **12.** STOLAM SANCTAM, AURO, ET HYACINTHO, ET PURPURA, OPUS TEXTILE VIRI SAPIENTIS, JUDICIO ET VERITATE PRÆDITI. — Pro *opus textile* græce est ἔργῳ ποικιλτοῦ, quod Complutensia vertunt : *opere polymitarii;* Romana : *variatoris;* alii : *phrygionis;* alii : *opere variegato;* Tigurina : *angusto habitu varii operis et artificii*, quale est opus phrygionum sive acupictorum.

Stola, licet proprie sit vestis ad talos demissa, præsertim muliebris, tamen absolute quamlibet vestem significat, a στέλλω, id est vestio, induo. Hic ergo significat Rationale. Alludit enim ad *Exod.* XXVIII, 4, ubi Septuaginta recensentes στολάς, id est vestes sanctas pontificis, primam ponunt παραστάθιον, id est pectorale, sive Rationale. Hoc ergo dicitur « stola, » id est vestis sancta, quia inter omnes uti erat pretiosissima, utpote e gemmis duodecim conflata, ita erat et sacratissima. In Rationali enim quasi habitabat Deus : nam in illo consulebatur, et per illud responsa dabat. Unde vocabatur λόγιον, id est oraculum. Sensus ergo est, *q. d.* Deus induit Aaronem quasi pontificem stolam sanctam, id est Rationale sanctum, quod erat opus textile ex filis aureis, hyacinthinis et purpureis contextum, a viro sapiente « judicio et veritate, » id est vera prudentia et arte ad illud texendum et ornandum prædito, puta a Beseleel, de quo dicit Deus, *Exod.* XXXI, 3 : « Implevi eum spiritu Dei, sapientia, et intelligentia, et scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, » etc.

Græca jam aliter habent, nimirum, λόγιῳ κρίσεως δηλώσεσιν ἀληθείας, id est, *Rationali judicii signis* vel *manifestationibus veritatis;* Tigurina : *pectorali judicii* (Vatablus : *pectorali rituali;* quia, inquit, eo ritu Deum consulere jubebatur) *cum doctrina et veritate.*

Per quem significantur *urim et tummim* : hæc enim Septuaginta vertunt : δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, id est *manifestationem et veritatem*, eo quod Deus per ea pontifici se consulenti de re futura vel dubia manifestaret veritatem. Quidnam hæc fuerint fuse disputavi, *Exod.* XXVIII, 30.

Vers. 13. **13.** TORTO COCCO OPUS ARTIFICIS, GEMMIS PRETIOSIS FIGURATIS IN LIGATURA AURI, ET OPERE LAPIDARII SCULPTIS, IN MEMORIAM SECUNDUM NUMERUM FILIORUM ISRAEL. — Pro *torto* Græca Romana ha-

bent *torta*, scilicet stola : « cocco, » id est ex filis coccineis; Tigurina : *Opere coccineis filis artificioso simul et pretiosis lapidibus sigillorum modo scalptis, opereque scalptoris illigatis in auro* (alii : *cælaturis sigillaribus auro devinctis*) *cum scriptura monumenti causa incisa, secundum numerum tribuum Israel.*

Pergit hic describere Rationalis fabricam, usum et finem, scilicet quod illud confectum erat « torto cocco, » id est ex filiis coccineis tortis, duodecim gemmis auro illigatis, et incisis 12 tribuum nominibus insignitum, idque, « in memoriam secundum numerum filiorum Israel, » hoc est, ut pontifex in pectore gestans nomina duodecim tribuum Israel, memor esset se illas sinu et pectore suo debere amantissime complecti, easque omni charitate prosequi, pro eisque Deum assidue precari. Rursum « in memoriam, » scilicet Dei, ut Deus videns pontificem Rationali indutum, memor quasi redderetur filiorum Israel objectu Rationalis, in quo eorum nomina insculpta cernebat, ac eis juxta promissa patribus facta per omnia opitularetur.

Vers. 14. 14. CORONA AUREA (ita Romana, licet Jansenius et alii legant *coronam auream*, repete, imposuit ei) SUPER MITRAM EJUS EXPRESSA SIGNO SANCTITATIS, ET GLORIA HONORIS : OPUS VIRTUTIS, ET DESIDERIA OCULORUM ORNATA. — « Corona aurea » est lamina aurea, quæ instar dimidiæ coronæ, sive semicirculi, velabat et ornabat frontem pontificis, et ad utramque aurem porrigebatur, ubi vitta hyacinthina pileo capitis alligabatur. « Mitram, » græce μιδάριν, vocat infulam pontificis, quam ita describit Josephus, lib. III *Antiq.* cap. VIII : « Pileo quasi cæteri sacerdotes utebatur, super quem exstabat alius consutilis ex hyacintho variatus : hunc aurea corona triplici ordine circumdabat. Expressa signo sanctitatis, » quia scilicet in lamina hac quasi in signo, id est in sigillo, insculptum erat קדש לאדני *kodes ladonai*, id est *sanctitas Domino*, ut nimirum sanctissimi Dei pontificem se profiteretur, quem omnes revererentur, in eoque Deum venerarentur; utque hoc titulo moneretur, debere se sanctitatem Dei sui tam eloquio quam vita et moribus exprimere. Perinde ac Seraphini ministrantes et assistentes Deo, jugiter eum adorant inclamando : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, » *Isa.* VI. Unde Sapiens, *Sap.* XVIII, 24, ait, quod magnificentia Dei scripta fuit in diademate capitis pontificis. Nam pro *Adonai*, ut vulgo legitur, insculptum erat laminæ nomen « Jehova » tetragrammaton, quod Judæis adeo erat sanctum, ut esset ἄῤῥητον καὶ ἀνεκφώνητον, id est ineffabile : unde quoties illud occurrebat, eo reverentiæ causa suppresso, vice ejus pronuntiabant « Adonai; » quem morem gentis suæ, etiam Christus et Apostoli secuti sunt. Hinc vocatur « opus virtutis, » id est gloriæ et majestatis, ut dixi vers. 9. Addit Palacius dici « opus virtutis, » id est fortitudinis et potentiæ, quia nomen « Jehova » laminæ incisum patrabat miracula. Græce est ἐκτυπώμα σφραγίδος ἁγιάσματος, quæ Siracides de more mutuatus est a Septuaginta, *Exod.* XXVIII, 36, pro quibus Noster ibidem vertit : *Sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino* (quod Complutensia vertunt *sculpturam*; Romana, *efformationem*) *signaculi sanctitatis*; Tigurina, *in modum sigilli sancte sculpturata;* alii : *expressa figura sigilli sacri.*

Addit *tertio*, quod hæc corona, puta lamina, pontifici fuerit « gloria honoris, et opus virtutis, » id est erat ornamentum illi gloriosum et honorificum eximio, augusto et reverendo opere, quod summam ejus virtutem, id est potestatem et auctoritatem demonstraret, fabrefactum; adeo ut ipsum esset « desideria oculorum ornata, » quod scilicet intuentium oculos et desideria ornatu suo et elegantia ad se rapiebat, et mire oblectabat; idque ad hoc, ut hac ratione pontifex omnes ad sui, et multo magis ad Dei amorem, desiderium, cultum et venerationem alliceret. Unde Sapiens, cap. XVIII, 24 : « In veste poderis, inquit, totus erat orbis terrarum, et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. » Porro Græca Complutensia eleganter et nervose totam hanc sententiam sic efferunt; *Coronam auream super mitram, sculpturam signaculi sanctitatis, gloriationem honoris, opera* (in plurali græce enim est ἔργα) *virtutis, concupiscentias oculorum, ornata, pulchra*; Tigurina : *Aurea supra mitram corona* (vestivit Aaronem) *in modum sigilli, sancte sculpturata, ornamento honorifico, et eximio opere, oculorumque decoro ac spectabili oblectamento;* alii : *Corona aurea imposita cidari, expressa figura sigilli sacri, gloriatione honorifica, opere valido, concupiscentiis oculorum, ornamentis speciosis.*

Octo vestes Pontificis.

Porro hoc ordine et ritu vestes hasce omnes induebat pontifex. Primo, induebat femoralia, super hæc injiciebat tunicam lineam, eamque zona stringebat : huic superinduebat tunicam hyacinthinam, super quam ephod cum Rationali accingebat secunda zona : capiti imponebat tiaram, cui affixa erat lamina aurea cum hac inscriptione : *Sanctum Domino.* Octo ergo ejus erant vestes, scilicet femoralia, tunica linea, tunica hyacintha, ephod, Rationale, zona, tiara, lamina aurea; quæ significabant octo dotes et virtutes necessarias sacerdoti et pontifici : « Quia in Rationali, ait Rabanus, plenitudo scientiæ exprimitur; in superhumerali bonorum operum actus; in tunica hyacinthina cœlestis conversatio; in tintinnabulis prædicatio sacri verbi; in tunica linea, quæ et hic circumpedes nominatur, eo quod ad talos pertingebat, consummatio castitatis insinuatur; in balteo continentia; in cidari, quæ caput tegebat, omnium sensuum custodia; in femoralibus vero castimonia corporis contra libidinem; corona autem supra mitram, in qua expressum erat signum castitatis (ita habet co-

Mystica earum significatio.

dex; sed pro *castitatis* puto legendum *sanctitatis*: sic enim habet Siracides), hoc est nomen omnipotentis Dei, honorificentiam significat divinæ majestatis, quam in arce status nostri, et super omnia statuere debemus. Ita ut in omnibus actibus nostris, sermonibus et conversatione honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum, qui est caput corporis Ecclesiæ, et salvator omnium, maximo fidelium. » Et S. Thomas, I II, *Quest.* CII, art. 5, ad 10, in fine : « Sunt, inquit, quatuor omnibus sacerdotibus necessaria, scilicet castitas, quæ significatur per femoralia; puritas vitæ, quæ significatur per lineam tunicam; moderatio discretionis, quæ significatur per cingulum; et rectitudo intentionis, quæ significatur per tiaram protegentem caput. Sed præ his pontifices debent quatuor habere. *Primo* quidem, jugem Dei memoriam in contemplatione; et hoc significat lamina aurea habens nomen Dei in fronte. *Secundo*, quod supportent infirmitates populi; quod significat superhumerale. *Tertio*, quod habeant populum in corde et in visceribus, per sollicitudinem charitatis; quod significatur per Rationale. *Quarto*, quod habeant conversationem cœlestem per opera perfectionis; quod significatur per tunicam hyacinthinam. Unde et tunicæ hyacinthinæ adjunguntur in extremitate tintinnabula aurea, per quæ significatur doctrina divinorum, quæ debet conjungi cœlesti conversationi pontificis. Adjunguntur etiam mala punica, per quæ significatur unitas fidei, et concordia in bonis moribus; quia sic conjuncta debet esse ejus doctrina, ut per eam fidei et pacis unitas non rumpatur. »

Vers. 5. 15. SIC PULCHRA ANTE IPSUM NON FUERUNT TALIA USQUE AD ORIGINEM, — scilicet ab origine mundi : græce enim est ἕως αἰῶνος, id est, *usque in sæculum*, id est a sæculo, et ab origine sæculi. Minus recte aliqui legunt, *usque ad orientem, q. d.* Ab oriente mundo, quod idem est cum τῷ ab origine mundi, *q. d.* Esto repetas acta præcedentium sæculorum usque ad originem mundi, nil tam pulchrum in vestibus sacerdotum, nullum ornatum sacrum ita speciosum, ita augustum invenias, atque fuit amictus Aaronis; quia eum fecit Beseleel arte, non humana, sed divina, sive a Deo cœlitus sibi infusa, *Exod.* XXXI; quæ autem divina sunt, omnem artem humanam superant, ait Palacius.

16. NON EST INDUTUS ILLA (corona, sive lamina aurea præferente nomen Jehova, reliquaque veste sacra Aaronis) ALIENIGENA ALIQUIS, SED TANTUM FILII IPSIUS SOLI, ET NEPOTES EJUS PER OMNE TEMPUS. — Per *alienigenam* non tantum intellige Gentilem, sed et Judæum oriundum ex alia tribu et familia, quam Levi et Aaronis. Solus enim Aaron, ejusque filii et nepotes primogeniti succedentes patri in pontificatum, poterant indui vestibus hisce pontificalibus. Quod significabat *primo*, magnum privilegium Aaronis, quod scilicet non tantum ipsi, sed et posteris ejus, iisque solis, a Deo addictus, ac jure quasi hæreditario appropriatus sit pontificatus; *secundo*, magnam dignitatem et sanctitatem vestium pontificalium, utpote quibus nemo nisi posteri Aaronis, iique pontifices indui possent; *tertio*, allegorice significabat unum fore in lege nova pontificem; scilicet Christum figurabat Aaron, cujus vicarii et successores futuri essent Pontifices Romani, qui simili vestium splendore suum, imo Christi decorem, auctoritatem, majestatem repræsentarent. Ut enim esset una Ecclesia, voluit Christus unum ejus esset caput, scilicet Pontificem : sicut enim in uno corpore humano unum est caput, quod reliqua membra regit : ita in corpore mystico Ecclesiæ unum sit caput oportet, cujus membra sint reliqui fideles, qui a capite hoc regantur.

Aaronis encomia octo. Primum.

17. SACRIFICIA IPSIUS CONSUMPTA SUNT (græce, ὁλοκαρπώθησαν, id est integra consumpta sunt, omnino combusta sunt tanquam holocausta, quæ tota cremabantur Deo) IGNE QUOTIDIE. — A vestibus transit ad sacrificia Aaronis, eaque celebrat primum ab igne cœlesti, qui ea consumpsit : Aaron enim consecratus pontifex a Mose illico primum sacrificium obtulit, eoque quasi primitias suas celebravit, quas ut Deus probaret, igne cœlitus demisso victimas ejus consumpsit, *Levit.* IX, 23 : « Apparuitque, ait, gloria Domini omni multitudini : et ecce egressus ignis a Domino devoravit holocausta; » atque hic ignis cœlestis jussu Dei alitus in tabernaculo, deinceps cæteras posterorum omnium victimas absumpsit : quem quia non adhibuerunt Nadab et Abiu, sed communi igne thurificarunt, hinc igne divino combusti sunt, *Levit.* X, 2. Porro quod ait, « quotidie, » accipe de sacrificio jugi, puta duobus agnis, quorum unus mane, alter vespere quotidie Deo in holocaustum offerebatur, *Exod.* XXIX, 38. De eo enim hic agi patet ex Græco, qui sic habet : *Sacrificia ipsius* (Complutensia pro αὐτοῦ, id est *ipsius*, legunt αὐτῶν, id est *ipsorum* : nec enim solus Aaron, sed quivis Sacerdos offerre poterat sacrificium juge) *fient holocaustomata quotidie assidue bis.* *Primo* enim offerebatur juge sacrificium : deinde cætera holocausta et victimæ, quæ eodem igne cœlesti sensim consumebantur, uti sancitur *Levit.* VI, 9. Unde Tigurina vertit : *Solide* (plane omnino) *consumi solita sunt horum sacrificia, bina videlicet quotidiana assiduitate* : ex ea enim hoc sacrificium vocabatur juge, sive assiduum et perenne. Hoc est secundum Aaronis encomium, æque ac officium, scilicet jus et potestas sacrificandi Deo.

Vers. 16. Secundum.

Implere manus.

18. COMPLEVIT MOYSES MANUS EJUS, ET UNXIT ILLUM OLEO SANCTO, — *q. d.* Moyses consecravit manus Aaronis, implendo illas tum oleo, quo eas consecrando perungebat, tum muneribus et victimis quas ipse initiandus et consecrandus pro sua consecratione Deo offerret, *Levit.* VIII, ubi ritum consecrationis tam Aaronis in pontificem, quam filiorum ejus in sacerdotes, explicui. Nota est phrasis Hebræa, qua « implere » vel « complere

Vers. 18.

Est consecrare: unde? manus » significat consecrare, ob causas jam dictas; et quia « implere manus, » ait Jansenius, est eas perficere, eisque jus dare et potestatem offerendi Deo sacrificia; sic enim perficiuntur manus : quod non est aliud, quam consecrare eas, ut vertit S. Hieronymus, *Num.* III, 3, *Judic.* XVII, 5, et 12, et III *Reg.* cap. XIII, 33, et alibi sæpe. Unde Tigurina vertit hoc loco : *Manus hujus consecravit Moyses, et eum sacro inunxit oleo.*

Tertium. *Tertium* est hoc encomium Aaronis, quod per Moysen sacratus, Deoque consecratus sit Pontifex. Unde Syrus non verbum verbo, sed sensum reddens : *Imposuit illi*, inquit, *Moyses manum suam, et unxit illum unctione sanctitatis.*

Vers. 19. 19. FACTUM EST ILLI IN TESTAMENTUM ÆTERNUM, ET SEMINI EJUS SICUT DIES COELI, FUNGI SACERDOTIO, ET HABERE LAUDEM, ET GLORIFICARE POPULUM SUUM IN NOMINE EJUS, — *q. d.* Deus dedit et consignavit Aaroni « et semini, » id est posteris ejus, sacerdotium quasi pactum æternum, ut in ejus stirpe perennet et duret quamdiu durant dies cœli; dedit, inquam, illi « fungi sacerdotio et habere laudem, » id est habere officium laudandi Deum per hymnos, psalmos, sacrificia aliasque functiones sacras : græce enim est λειτουργεῖν αὐτῷ ἅμα καὶ ἱερατεύειν, id est ad ministrandum liturgia, id est sacro ministerio et sacerdotio fungendum : « Et glorificare populum suum, » græce εὐλογεῖν, id est, ut Syrus, benedicere populo, « in nomine suo, » puta suo pontificio jure et auctoritate, juxta ritum et formam sanctam a Deo, *Num.* VI, 24. Pro *suo* græce est αὐτοῦ, quod alii vertunt *ipsius*, scilicet Dei. Aliter Palacius, « glorificare populum, » inquit, est suis intercessionibus populo gloriam et felicitatem impetrare : pontifex enim adeo debet esse sanctus, ut ejus interventu Deus populum glorificet.

Quartum. Hoc est *quartum* encomium; æque ac officium sacerdotis, scilicet laudare Deum, et bene precari populo. Hinc disce, quod, sicut angelorum est perpetim laudare Deum in cœlis, sic sacerdotum officium est eumdem jugiter laudare in terris : qua de causa Ecclesia Officium ecclesiasticum sanxit, illudque per horas distribuit, ut illud recitent sacerdotes, eoque singulis horis psallant laudentque Deum. Unde S. Ignatius, Martyr, et Episcopus Antiochenus, videns in raptu Angelos ἀντιφώνως, id est alternis vocibus et choris laudantes Deum, eumdem ritum et chorum psallendi in Ecclesiam induxit. Tigurina vertit : *Pacto sempiterno concessum est huic et ejusdem progeniei, volvendis cœlo diebus ministrare Deo, simul et sacrificare, ejusque nomine fausta precari populo ipsius.*

Ex hoc loco sumptum est Capitulum, quod in Officio ecclesiastico *Confessoris Pontificis*, ad Nonam legimus : « Fungi sacerdotio, et habere laudem in nomine ipsius (Græcum enim αὐτοῦ, tam verti potest *ipsius*, scilicet Dei vel populi, quam *suo*, uti vertit hic Noster), et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis. » Si enim tanta fuit « gloria » Aaronis, longe major est gloria Pontificis et sacerdotum novi Testamenti, uti docet Apostolus, II *Corinth.* III. Hi enim non carnes taurorum et hircorum, sed ipsum Christum Dei filium immolant, *Hebr.* IX : quanta ergo deberet eorum esse puritas, sanctitas, reverentia, religio? Candide, sed vere et nervose, noster Thomas theodidactus, *De Imitatione Christi*, lib. IV, cap. V : « Quando sacerdos, inquit, devote celebrat, Deum honorat, angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, et sese omnium bonorum participem efficit. » Vide S. Gregorium, part. II *Pastor.* cap. III, et lib. I *Registri*, epist. 24, S. Chrysostomus libris sex eximiis quos scripsit *De Sacerdotio*, S. Ambrosium, *De Dignit. sacerdot.*

Vers. 20. 20. IPSUM ELEGIT AB OMNI VIVENTE, OFFERRE SACRIFICIUM DEO, INCENSUM (Syrus, *thura*), ET BONUM ODOREM, IN MEMORIAM PLACARE PRO POPULO SUO. — Pro *sacrificium*, græce est κάρπωσις, id est munus, oblatio, sacrificium; ita dictum a κάρπος, id est fructus, eo quod victima cedat in fructum, id est in usum, honorem et possessionem Dei; vel, ut alii, quod victima esset fructus offerentis, utpote ejus labore vel opibus comparata, unde vertunt : « Elegit eum ex omni vivente, ad offerendum quod ex fructibus percepissent, Domino. » *Sacrificium* ergo significat victimam carneam, quam Aaron et quilibet sacerdos offerebat ante tabernaculum in altari holocaustorum, quod erat ante Sanctum sub dio, ut fumus et nidor carnium combustarum evaporaret et spargeretur per aerem. « Incensum » vero significat thymiama, quod offerebatur quotidie mane et vespere cum jugi sacrificio in altari thymiamatis, quod erat in ipso Sancto, *Exod.* XXX : « Incensum et bonum odorem, » id est incensum boni odoris, sive thymiama suave olens et odoratum. Est hendiadys. Sensus ergo est, *q. d.* Deus sua singulari gratia non tam gratum faciente quam gratis data, ex tot millibus Hebræorum unum elegit Aaronem in sacerdotem et pontificem, qui vel per se, vel per filios suos sacerdotes, offerret Deo sacrificium carneum in altari holocaustorum, et thymiama suaveolens in altari thymiamatis : idque *primo*, in honorem Dei, ut scilicet homines optima, quæ habent, offerrent Deo : alioqui Deus uti carnibus non pascitur, ita nec bonis odoribus in se delectatur, imo nec odoratum aut nares habet, quibus eos odoretur. *Secundo*, « in memoriam, » ut scilicet memorem quasi faceret Deum populi sui, « et placare, » id est ad placandum ipsum, ut nimirum Deus iratus reconciliaretur populo, aut non iratus propensior et faventior fieret populo; non quod victimæ legis veteris id facerent per se et ex opere operato, uti facit sacrificium et Sacramentum legis novæ; sed quod id præstarent ex opere operantis, puta ex devotione sacerdotum victimas sacrificantium, et laicorum easdem offerentium.

Vers. 21. 21. ET DEDIT ILLI IN PRÆCEPTIS SUIS POTESTATEM, IN TESTAMENTIS JUDICIORUM, DOCERE JACOB TESTIMONIA, ET IN LEGE SUA LUCEM DARE ISRAEL. — « Potestatem » intellige non dispensandi (nec enim pontifex poterat dispensare in lege divina), sed, ut sequitur, docendi, et explicandi legem Dei, eamque in dubiis interpretandi, et controversias definiendi. Interpretatio enim hæc et definitio jure divino competebat pontifici : hoc enim jus ei dedit Deus, *Deut.* XVII, 8 : « Si difficile, inquit, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, etc., venies ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem : » Nota : Re idem sunt præcepta, testamenta, judicia, testimonia, lex; licet etymo et connotato differant; præcepta enim dicuntur « testamenta, » id est pacta, quia conditiones sunt pacti inter Deum et homines, uti superius dixi : eadem vocantur « judicia, » quia præscribebant id quod justum est : unde secundum ea judici judicandum erat, justaque ferenda sententia. Dedit ergo Deus Aaroni et successoribus « potestatem » jam dictam in « testamentis judiciorum, » id est in judiciis, hoc est in præceptis suis, quibus testatus est quid vellet ab eis fieri, quibusque pepigit fœdus cum Israele. Unde potestatem hanc explicans subdit, « docere, » id est ad docendum, « Jacob, » id est Israelitas, « testimonia, » id est mandata Dei : « Et in lege sua lucem dare Israel, » id est legem Dei illustrare et explanare Israeli. Cum enim lex sit lux, utique qui legem docet, hic lucem dat. Unde Tigurina vertit : *Eidem mandata sua* (nam pro ἐν ἐντολαῖς, id est in præceptis, uti legit Noster, Tigurina cum Complutensibus legit ἐντολάς, id est præcepta, mandata) *tradidit, et secundum præscripta jura potestatem, ut quæ testatus esset edoceret Jacob, et Israeli legem suam illustraret.* Aliter Palacius : Dedit, inquit, Deus pontifici « potestatem in testamentis judiciorum, » id est, ut per testamenta, id est præcepta, populum suum judicaret, ut revera omnes pontifices, usque ad Samuelem populum judicaverunt; tempore vero Samuelis judicium sæculare translatum est ad Saul cæterosque reges. Nam David et Salomon hæc sæcularia judicabant, ut patet II *Reg.* XII et III *Reg.* III, semper vero mansit in pontifice potestas judicandi causas valde dubias et difficiles, *Deut.* XVII, 8. Ita ipse. Sed hæc alibi examinanda sunt.

Illud verum est, per « testamenta judiciorum » hic proprie accipi mandata non quælibet, sed judicialia et cæremonialia, in quibus sæpe dubium juris in judiciis occurrebat, quod a pontifice erat resolvendum et definiendum. Plane enim alludit ad *Deut.* XVIII, 8 : « Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram : et judicum intra portas tuas videris verba variari, etc., venies ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, » puta pontificem. Vide ibi dicta. Ita Lyranus et Dionysius : « In testamentis judiciorum, inquit, id est in dispositionibus et pactis judicialium mandatorum dedit eis auctoritatem discernendi, quid esset in quibuscumque etiam arduis casibus sentiendum et observandum : quoniam difficiliores causæ et lites referebantur ad pontificis judicium. » Est hoc quintum Aaronis elogium. Quintum.

22, 23 et 24. QUIA CONTRA EUM STETERUNT ALIENI, ET PROPTER INVIDIAM CIRCUMDEDERUNT ILLUM HOMINES IN DESERTO, QUI ERANT CUM DATHAN ET ABIRON, ET CONGREGATIO CORE IN IRACUNDIA. VIDIT DOMINUS DEUS, ET NON PLACUIT ILLI, ET CONSUMPTI SUNT IN IMPETU IRACUNDIÆ. FECIT ILLIS MONSTRA, ET CONSUMPSIT ILLOS IN FLAMMA IGNIS. — Syrus : *Et creavit eis plagam, consumpsitque eos vi furoris sui.* Sextum est hoc Aaronis elogium, quod scilicet Deus ejus æmulos, ei scilicet sacerdotium invidentes, Core, Dathan et Abiron cœlitus siderarit, et sacro igne concremarit, itaque Aaroni sacerdotium stabilierit, ejusque reverentiam et metum omnibus incusserit. Historia fusè enarratur, *Num.* XVI, ubi eam explicui. Τὸ *quia* non est in Græco, sed in Latinis passim, ac pendet ab eo quod sequitur : « Vidit Dominus Deus, et non placuit illi, » etc., *q. d.* Quia contra Aaronem a Deo constitutum pontificem insurrexerunt alieni; hinc Deus id videns eos gravi ultione, scilicet igne, cremavit et occidit. Vocat eos alienos, quia licet essent Israelitæ, erant tamen alii et alieni a familia Aaronis, cui Deus consignarat sacerdotium. Insuper « alieni, » id est adversi, hostes et æmuli Aaronis. Denique erant « alieni » a fide, obedientia, humilitate et spiritu suorum avorum, Abrahæ, Isaac et Jacob. « Monstra » vocat portenta insolita et inaudita novæ et prodigiosæ vindictæ, scilicet quod terra eos vivos dehisceret, socios vero eorum numero 250, flamma divina consumeret. Unde Tigurina : *Edidit in eos miracula, cum eos igne flammante suo confecit;* alii : *Fecit eis portenta, absumendo eos igne flammante.* Aliter Palacius : Monstra, inquit, fuere dæmonum spectra. Cum enim terra sese aperuit, dæmones visi fuere, et flamma promicuit, quæ rebelles absumpsit. Sed de his dæmonum spectris nil habet Scriptura, *Num.* XVI. Sextum.

Huc facit quod scribunt traduntque Rabbini in *Pirke avoth*, et alibi dicentes : Decem prodigia patribus nostris ostensa sunt in domo sanctuarii : Nulla mulier ob odorem sacrificiorum abortiit : nidorem nullum aut maleolentiam efflavit caro holocausti : ne minima quidem musca visa est in loco occisionis hostiarum : in die expiationis nihil pollutionis accidit sacerdoti magno : ignem altaris nulla exstinguere valuit quantalibet imbrium copia, sed nec ventus fumantem ignis recta sursum tendentis columnam suo turbine et impetu dissipavit : nihil defectus notatum est in homer, quæ est hordei mensura, quam se-

cundo die Paschæ sacerdos implere consueverat, neque in duobus panibus, sed nec in panibus propositionis, aut in pane facierum, qui mutabatur in singulas septimanas, et super auream sanctuarii mensam collocabatur. Et cum Hebræi, qui ad celebrandum Pascha convenerant, stantes a confluentis populi frequentia comprimerentur; nihilominus cum ad adorationem ventum est, laxe se positos, ac sine ulla irruentis turbæ compressione mirarentur. Serpens autem et scorpius quasi aculei aut veneni expertes nulli nocuerunt in die illa, et nemo proximo suo dixit : Arctor a circumstantibus me in loco in quo habito in Jerusalem. Verum horum fides sit penes illos; olent enim quid cabalisticum, ne dicam Judaicum et fabulosum.

Vers. 25. 25. ET ADDIDIT AARON GLORIAM, ET DEDIT ILLI HÆREDITATEM, ET PRIMITIAS FRUGUM TERRÆ DIVISIT ILLI. — Tigurina : *Aaronem vero auxit gloria, et fructum ei constituit hæreditarium. Attribuit ei primitias primorum fructuum.* Septimum est hoc Aaronis elogium, quod æmulis ejus confusione perpetua damnatis, Deus Aaroni gloriam accumularit, eamque triplicem. Prima fuit, cum inter duodecim virgas duodecim tribuum sola Aaronis virga per miraculum floruit, fronduit, subitoque amygdala produxit; ut hoc portento Deus ostenderet se illum unum ex omnibus elegisse in pontificem, *Num.* XVII. Secunda fuit, quod omnes Levitas ejus ministerio addixerit : « Ego dedi vobis, inquit, fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, et tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus, » *Num.* XVIII, 6. Tertia fuit, quod suam hæreditatem, puta suas victimas, primitias, oblationes, ei consignavit; unde Syrus : *Et posuit super Aaron honorem, deditque illi hæreditatem suam primitias sanctitatis.*

Septimum.

Triplex gloria Aaronis.

Vers. 26. 26. PANEM IPSIS (scilicet Aaroni et filiis ejus sacerdotibus; ita Romana; minus recte aliqui legunt « ipsius ») IN PRIMIS PARAVIT IN SATIETATEM : NAM ET SACRIFICIA DOMINI EDENT, QUÆ DEDIT ILLI ET SEMINI EJUS. — Per « panem » tum similam et panes inde confectos, qui Deo offerebantur (unde Syrus vertit, *ordines panum*), tum quemlibet cibum phrasi Hebræa accipe, *q. d.* Deus copiose ad satiem et abundantiam providit Aaroni et sacerdotibus de annona, « in primis, » id est in primitiis primisque fructibus, dando scilicet ei primitias (qui sunt optimi terræ fructus) totius Israelis. Hunc esse sensum liquet ex Græcis, quæ hæc cum primitiis, de quibus vers. præced. ita connectunt : *Primitias primorum proventuum distribuit ei : in primis* (in primitiis) *panem præparavit in abundantia;* Romana, *panem, in primis paravit ad satietatem,* id est usque ad satietatem, ut pane ad satiem vescerentur : « Nam et sacrificia Domini edent, quæ dedit illi et semini ejus, » puta filiis et posteris ejus sacerdotibus. Ingens hic erat proventus Aaronis et sacerdotum : nam omnes victimæ Dei (excepto holocausto, quod totum Deo cremabatur) eis cedebant. Cum enim sacrificium esset quasi Dei convivium, in quo Deus cum hominibus dignabatur quasi convivari, ac panes et carnes essent quasi cibus Dei, vinum vero quod libabatur esset quasi potus Dei; Deus qui cibo et potu non indiget, hæc omnia transtulit in sacerdotes, quasi suos domesticos, ac per eos hæc comedebat et bibebat. Sacerdotes ergo erant quasi os Dei, qui cibum et potum vice Dei comederent et biberent, itaque sacrificium Dei consumerent et perficerent.

Vers. 27. 27. CÆTERUM IN TERRA GENTES NON HÆREDITABIT, ET PARS NON EST ILLI IN GENTE (Syrus : *Non divisit divisionem cum eis*) : IPSE EST ENIM PARS EJUS, ET HÆREDITAS. — Tigurina : *Cæterum in terra populi nullam habet possessionem, nec in gente sua portionem adeptus est : nam ipse Dominus hæreditaria ejus obventio est.* Octavum est hoc elogium Aaronis et sacerdotum, quod scilicet Deus in divisione terræ sanctæ per Josue, cap. XV, facta duodecim tribubus, exceperit tribum Levi sacerdotalem, nolueritque eam habere partem in terra; quia ipsemet volebat ejus esse pars et hæreditas, dando ei suas victimas, decimas, oblationes : idque ad hoc, ut Levitæ et sacerdotes toti sibi suoque cultui et ministerio vacarent, nec tam in terra quam in cœlo cum Deo et Angelis versarentur. Alludit Siracides, imo citat *Num.* XVIII, 20, ubi Dominus Aaroni et posteris ita loquitur : « In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos : ego pars et hæreditas tua. » Ubi Septuaginta, quos sequitur Siracides, sic habent : *In terra eorum non hæreditabis, et pars non erit tibi in illis : quoniam ego pars tua, et hæreditas tua.* Dupliciter, inquit Palacius, Deus erat hæreditas sacerdotum, et quia dabat illis quæ populus ei offerebat, et quia volebat unicus esse eorum amor.

Octavum.

Audiant hæc sacerdotes et Prælati novæ legis, multoque magis sibi quam Aaroni et Aaronicis dici putent a Deo : « In terra nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars et hæreditas tua. » Tibi, o sacerdos, Deus est hæreditas opima, cœlestis et divina : ut quid terrenam, vilem et caducam ambis ? ut quid terram cœlo, solum soli, aurum Deo præfers ? Judaicum te ostendis sacerdotem, non Christianum, imo viliorem et deteriorem : Judaicus enim nil in terra possidebat : tu multa possides, et plura possidere cupis; agros agris, opes opibus, beneficia beneficiis insatiabiliter accumulas, quasi in æternum hic victurus, quasi hic paradisum et beatitudinem habiturus. Ubi est fides tua ? ubi est spes tua ? ubi cor tuum ? ubi anima tua ? utique in ære, non in æthere : « O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes ! » Vide dicta *Num.* cap. XVIII, vers. 20.

TERTIA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM PHINEES.

28 et 29. PHINEES FILIUS ELEAZARI TERTIUS IN GLORIA EST, IMITANDO EUM IN TIMORE DOMINI : ET STARE IN REVERENTIA GENTIS : IN BONITATE ET ALACRITATE ANIMÆ SUÆ PLACUIT DEO PRO ISRAEL. — Id est, *placavit Deum pro Israel,* ut habent Græca. Ita legendum cum Romanis. Minus recte ergo Jansenius et alii legunt, *placuit Deo Israel.* Nota *primo:* Phinees dicitur tertius, scilicet ab Aarone, *q. d.* Primus sacerdos et pontifex a Deo institutus fuit Aaron, secundus Eleazarus Aaronis filius, tertius Phinees, filius Eleazari et Aaronis nepos. Ita Lyranus et Dionysius. Verum, quia non dicit, tertius in sacerdotio, sed « tertius in gloria; » hinc potius sensus est, *q. d.* In tribu Levi, cui Deus primitias consignavit, pontificatum et ducatum, primus in gloria factorum et portentorum eminens et eximius fuit Moyses, secundus Aaron, tertius Phinees : præterit enim Eleazarum filium Aaronis et patrem Phinees, quod de eo nil insigne et eximium narret S. Scriptura. Porro Arabicus aliter explicat τὸ *tertius,* cum sic vertit : *Et Phinees filius Eleazari, qui in sua giganteitate* (id est gigantea fortitudine et robore) *accepit tria genera de honore in zelo, quo zelatus est super civitate Israel;* Syrus : *Phinees quoque filius Eleazari, virtute sua assecutus est tres honores zelo, quo commotus est in Madianitidem et in filium Israel, et quod steterit in scissione populi sui, et deprecatus est super Israel. Tres honores* vocat triplicem gloriam triplicis virtutis, scilicet *primo,* zeli quo occidit Madianitidem; *secundo,* constantiæ qua stetit fidelis Deo in apostasia populi; *tertio,* orationis qua populo veniam a Deo impetravit.

Nota *secundo* : Pro *in imitando eum,* græce est, ἐν τῷ ζηλῶσαι αὐτὸν. Quod *primo* verti potest, *in imitando eum,* cum scilicet Phinees imitatus est, *eum,* scilicet Aaronem, avum suum in timore Dei, quia scilicet æque ac Aaron timuit, id est reveritus est, coluit et amavit Deum. Aut « eum, » scilicet Moysen, de quo initio capitis fuit sermo, a quo Phinees fuit tertius in gloria. Zelum enim Moysis æmulatus est Phinees, cum principem occidit, sicut Moyses cum Levitis Israelitas vitulum aureum adorantes occidit, *Exod.* XXXII, 28. Ita Palacius. *Secundo,* verti potest, *in zelando eum,* cum scilicet Phinees zelaretur « in timore Domini, » id est pro Dei timore, honore et cultu zelose occideret principem tribus Simeonis cum Madianitide fornicantem et idololatrantem. Ita Arabicus et Syrus. Historia fuse narratur *Num.* cap. XXV, ubi eam explicui. Unde Tigurina vertit : *Porro gloria tertius ab his est Phinees Eleazaro natus, eo quod flagrarit studio religionis;* Vatablus, *eo quod animose se gesserit pro religione.* Timor enim Dei significat Dei cultum et religionem. Hinc S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 19, Phinees a zelo nuncupatum censet; laudans enim « Phinees zelum, » addit : « A quo etiam nomen obtinet. » Verum Phinees, vel, ut Hebræi dicunt, Pinchas (Septuaginta enim litteram *chet,* utpote gutturalem et durioris pronuntiationis, mollire solent et vertere per *e;* unde pro Corath vertunt *Core,* pro Tharach, *Thare,* pro Pasach, *Phase;* sic et pro Pinchas vertunt *Phinees*) zelum significare nequit, sed os vel aspectum, parcentis vel operientis, confidentis aut protegentis, ex פּ *pi,* id est os, vel פָּנִים *panim,* id est facies, et חס *chas,* id est parcere, vel operire, confidere. Ita Pagninus in *Nomin. Hebræis.* Forte Nazianzenus alludit ad Hæbreorum opinionem, qui censuere Phinees esse eumdem cum Elia, ac proinde adhuc vivere. Similis enim fuit utriusque vita et zelus : Eliæ enim cognomen et epithetum fuit zelotes. Vide dicta *Num.* XXV, 13.

Nota *tertio,* « stare in reverentia gentis, » id est stando, vel cum stetit Phinees fidelis et constans « in reverentia, » id est in pudore, probro et ignominia, qua gens sua, puta Judæi ruebant in amplexus puellarum Madian cum eis fornicando, et colendo Beelphegor sive Priapum, *Num.* XXV. Legit Interpres per systolen ἐντροπῇ, id est reverentia, pudore; jam per diastolen legunt ἐν τροπῇ, id est *in conversione,* vel defectione et apostasia, cum scilicet Judæi a Deo apostatarunt coluerunt-que Beelphegor. Unde Tigurina vertit : *Eo quod populo desciscenti obstiterit optima animi sui alacritate;* alii : *Eo quod steterit in defectione populi,* alii : *Quod statuerit se in defectione populi,* scilicet hyperaspisten Dei, aut statuerit se quasi vallum et murum populi, ne totus rueret in scorta et idola : στῆναι enim tam activum est quam neutrum; tamque statuere quam stare significat.

Sensus ergo est, *q. d.* In tribu Levi sacerdotali post Moysen et Aaronem, tertius in gloria factorum illustris est Phinees, quia ipse imitatus est Moysis zelum in timore, id est cultu veri Dei, tuendo et propugnando, dum « in reverentia, » id est in ignominia publica fornicationis et idololatriæ Hebræorum, ipse fortis et alacriter insiliit in reum sceleris, eumque occidit, itaque turbam reliquam a scelere compescuit; quo facto tam heroico mirifice « placuit Deo pro Israel, » græce ἐξιλάσατο περὶ τοῦ Ἰσραήλ, id est, ut Complutenses et Romani, *placavit* (Deum) *pro Israel;* Tigurina, *expiavit Israel.* Ita enim placuit Deo hic zelus Phinees, ut eum populum idololatrantem perdere volentem placarit et exorarit, ejusque vindictam et plagam stiterit, *Num.* XXV. Quocirca R. Hillel,

in *Pirke avoth* : « Estote, inquit, et exhibete vos tanquam filios et discipulos Aaron, qui pacem omni cura quærebat, eratque hominum amator, quos ad observantiam legis adducebat. » Item : « Qui honorem avidius quærit, honoris jacturam facit. Qui quod habet conditionis, non confert ad studium legis, hic tandem misere periturus est. Qui legem negligit, morte dignus est; et qui corona legis abutitur, hic etiam ex tunc succiditur. »

Vers. 30. 30. IDEO STATUIT ILLI TESTAMENTUM PACIS, PRINCIPEM SANCTORUM ET GENTIS SUÆ (Syrus : *Propter hoc juravit illi Deus, quod ædificaret illi altare* in tabernaculo Moysis, et posteris in templo Salomonis, ut in eo sacrificarent Deo), UT SIT ILLI ET SEMINI EJUS SACERDOTII DIGNITAS IN ÆTERNUM. — « Testamentum pacis » vocat pactum pacificum et prosperum, afferens pacem et felicitatem, ut scilicet Phinees pacifice et prospere præesset Israelitis, quasi divinus pontifex. Unde statuit eum « principem sanctorum, » ut scilicet quasi princeps præsideret sanctis, tum personis, puta Levitis et sacerdotibus, tum vasis et locis, puta tabernaculo in Sancto et Sancto sanctorum ; imo statuit ut « sacerdotii, » id est pontificatus, « dignitas » in ejus familia permaneret « in æternum, » tamdiu scilicet quamdiu duratura erat lex vetus et judaismus. Esto enim pontificatus post Phinees fuerit translatus ad Heli, qui descendebat ex Ithamar, non ex Eleazar et Phinees, tamen id modico fuit tempore; nam mox a Salomone pontificatus restitutus fuit Sadoc, qui descendebat ex Phinees, ac deinceps in ejus familia semper mansit. Unde Machabæi, qui fuere pontifices, Phinees vocant patrem suum, I *Machab.* II, 54 : « Phinees, » inquit Mathathias, pater Judæ Machabæi et fratrum ejus, « pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni. » Vide dicta *Numer.* XXV, 13. Porro Vatablus clare vertit : « Quapropter Dominus pactum firmavit ei prosperitatis, antistitem fore sacrorum populique sui, et ipsum posteritatemque ejus perpetua sacerdotii magnificentia potituros. »

Vers. 31. 31. ET TESTAMENTUM DAVID REGI FILIO JESSE DE TRIBU JUDA, HÆREDITAS IPSI ET SEMINI EJUS, UT DARET SAPIENTIAM IN COR NOSTRUM JUDICARE GENTEM SUAM IN JUSTITIA, NE ABOLERENTUR BONA IPSORUM, ET GLORIAM IPSORUM IN GENTEM EORUM ÆTERNAM FECIT. — Τὸ *et* est comparativum, sive nota comparationis et similitudinis cum versu præcedenti. Ab eo enim pendet hic versus, ejusque est quasi altera pars et dimidium ei connexum et innexum. Comparat enim et quasi combinat pactum Dei de sacerdotio perpetuando in familia Phinees, cum pacto Dei de regno perpetuando in familia David; unum enim illustrat et nobilitat alterum, æque ac populum Israel. Israeli enim Deus prospicere voluit de stabili et perpetua successione regum, ut rempublicam et politica; ac pontificum, ut Ecclesiam et sacra administrarent : in his enim duobus cardinibus versatur et volvitur felix regimen et administratio populi, et cujuslibet reipublicæ. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut Deus dedit Phinees in spiritualibus sacerdotium æternum, sic pariter in civilibus dedit Davidi et posteris ejus regnum æternum, ut ipsi esset velut « hæreditas, » id est hæreditarium, idque ad hoc, ut Phinees et sacerdotes sapientiam docerent Israelitas, David vero et reges gentem juste judicarent, idque hoc fine, ne « bona ipsorum, » scilicet tum Davidis et Phinees, tum populi Israel unquam aboleantur : quare hac ratione « gloriam ipsorum » apud « gentem eorum, » puta apud Israelitas sæculorum omnium, « æternam » et perennantem effecit. Unde Syrus clare vertit : *Atque etiam David filius Jesse hæreditatem regum* (regiam) *solus hæreditavit* (sic), *et hæreditas Aaron* (puta pontificatus et sacerdotium) *sibi et semini suo* a Deo attributa et appropriata fuit. *Nunc benedicite Deo, qui dedit vobis sapientiam cordis ad judicandum populum suum in nomine suo, ne in oblivionem veniat bonum* (beatitudo, felicitas) *illorum, et potestas eorum in universas sæculi generationes.*

Porro in laude Phinees fit mentio Davidis, quia « David, ait Rabanus, in distributione ministrorum Domini (qua eos in viginti quatuor sortes divisit, ut vicibus suis ministrarent coram Domino), non minoravit gloriam Phinees, sed etiam auxit. Unde in *Paralipomenon*, ubi Coritæ super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi, et familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum memorantur, ita subjungitur : Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum coram Domino; ex hoc Hebræi tradunt, quod idem Phinees adhuc in eo tempore vixerit, et in tabernaculo vices ministrantium ordinaverit. »

Verum in hoc falluntur Hebræi; non enim potuit Phinees vivere usque ad tempora Davidis. Quare ille Phinees jam citatus ex I *Paralip.* IX, 20, alius fuit ab hoc nostro Phinees : ille enim fuit Levita duntaxat, hic noster vero fuit Pontifex; ille fuit post captivitatem Babylonicam, hic paulo post Moysen. Ita Lyranus, in I *Paral.* IX.

Græca hic obscura sunt, ac posteriorem partem optative efferunt hoc modo : *Et testamentum Davidi filio* (unus vetustus codex addit *Jesse*) *ex tribu Juda, hæreditas regis filii, ex filio solo, hæreditas Aaron et semini ejus. Det vobis sapientiam in corde vestro, judicare populum suum in justitia, ne aboleantur bona ipsorum, et gloria eorum in generationes eorum.* Ita legunt codices Romæ emendati : obscura hæc ita illustrat explicatque Vatabus : *Porro quod Davidi Isai filio de tribu Juda pactum est, fructus hæreditarius regis filii e filio unici* (id est nepotis unici, scilicet Christi, inquit Vatablus), *fructus item hæreditarius Aaroni, ejusdemque progeniei pactus, corda nostra sapientia imbuat, qua juste regatur populus ipsius, ne bona ipsius aboleantur, aut sæculis eorum gloria ejus.*

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Laudatur Josue usque ad vers. 9, *inde Caleb usque ad vers.* 13, *inde Judices usque ad vers.* 16, *inde Samuel usque ad finem capitis.*

1. Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, 2. maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel. 3. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et jactando contra civitates rhomphæas? 4. Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit. 5. An non in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo? 6. Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, et audivit illum magnus et sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. 7. Impetum fecit contra gentem hostilem, et in descensu perdidit contrarios, 8. ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est a tergo potentis : 9. et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse, et Caleb filius Jephone, stare contra hostem, et prohibere gentem a peccatis, et perfringere murmur malitiæ. 10. Et ipsi duo constituti, a periculo liberati sunt a numero sexcentorum millium peditum, inducere illos in hæreditatem, in terram quæ manat lac et mel. 11. Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum, et semen ipsius obtinuit hæreditatem : 12. ut viderent omnes filii Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo. 13. Et judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor : qui non aversi sunt a Domino, 14. ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, 15. et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria. 16. Dilectus a Domino Deo suo Samuel propheta Domini, renovavit imperium, et unxit principes in gente sua. 17. In lege Domini congregationem judicavit, et vidit Deus Jacob, et in fide sua probatus est propheta. 18. Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis : 19. et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati. 20. Et intonuit de cœlo Dominus, et in sonitu magno auditam fecit vocem suam, 21. et contrivit principes Tyriorum, et omnes duces Philistiim : 22. et ante tempus finis vitæ suæ et sæculi, testimonium præbuit in conspectu Domini et Christi; pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo. 23. Et post hæc dormivit, et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitæ suæ, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis.

PRIMA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM JOSUÉ.

Vers. 1 et 2.

1 et 2. FORTIS IN BELLO JESUS NAVE, SUCCESSOR MOYSI IN PROPHETIS, QUI FUIT MAGNUS SECUNDUM NOMEN SUUM, MAXIMUS IN SALUTEM ELECTORUM DEI, EXPUGNARE INSURGENTES HOSTES, UT CONSEQUERETUR HÆREDITATEM ISRAEL. — Græca de more concisa sic habent : *Fortis in bellis Jesus Nave et successor Moysi in prophetiis, qui fuit magnus secundum nomen suum in salutem electorum ejus expugnare hostes, ut hæreditaret Israel* ; Tigurina : *Fortis bello Jesus Nave filius, Moysi successit in munus propheticum, hic electis Dei servandis magnum sibi nomen peperit, dum consurgentes hostes ulciscitur, et Israelitas inducit in possessionem* ; Arabicus vero : *Jesus*, inquit, *filius Nun servatus est, ut fieret successio de Mose maximo* (ut post Moysen maximum succederet in regimen populi), *et ut faceret Deus excel-*

tus per manus illius liberationem et salutem dilectis suis; Syrus : *Vir fortis Jesus filius Nun in prophetiam servatus est, ut esset velut Moyses magnus, et ad præferendam illius manu salutem amicis suis, et ad vindicandum viros hostiles.* Syriace ad verbum est : *Filius fortitudinis* vel *virtutis Jesus,* hac fortitudine vel virtute pollens et præditus.

Pro *fortis* græce est κραταιός, id est validus, potens, robustus, victor, sicut κρατεῖσθαι est vincere, occupare, domare. Causa fortitudinis Josue primaria fuit promissio Dei, qua eum semel, iterum et tertio corroboravit, dicens : « Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum : non dimittam, nec derelinquam te. Confortare, et esto robustus : tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua juravi patribus suis, » *Josue* I. Huc facit quod narrat Aristæas, in *Histor. Septuaginta Interpretum* (e quibus unum fuisse Siracidem Jansenius et alii opinantur), Ptolemæum Philadelphum cuique suam quæstionem politicam proposuisse, ac ei qui ordine quintus erat, hanc : « Ut in rebus bellicis rex invictus existat? » eumque respondisse : « Si non armis, si non potentiæ suæ fidat, sed Deum semper imploret, ut juste agendi sibi consilia dirigat. »

« Jesus » idem est qui Josue, hebraice enim et latine vocatur *Josue filius Nun,* a Septuaginta vero et Græcis vocatur *Jesus filius Nave.* Vide quæ de hoc nomine dixi *Num.* XIII, 17. Hic ergo laudatur *primo*, ab invicta fortitudine, qua vivente adhuc Moyse devicit Amalecitas, Og regem Basan, et Sehon regem Amorrhæorum; Moyse vero defuncto omnes reges Chanaan superavit et occidit, totamque Chananæam subjugavit, ut patet ex toto libro *Josue. Secundo* laudatur, quod fuerit successor Moysi in regimine populi, æque ac in spiritu prophetico. Unde fuit in « Prophetis, » id est unus e Prophetis, vel inter Prophetas; græce, *in prophetiis,* quasi dicat : Josue non tantum tanquam dux, sed et tanquam Propheta successit Moysi pariter Prophetæ, ut regeret populum non tam humana prudentia quam divina; nam in dubiis rebusque omnibus consulebat Dominum, quid facto esset opus; itaque a Deo per omnia dirigebatur, ut suaviter et fortiter regeret populum, eumque victorem Chananæorum efficeret. Unde *Num.* XXVII, 18, Moyses moriturus imponens Josue manus, eum jussu Dei auctoravit, et quasi consecravit suum successorem ducemque populi, addiditque : « Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. » Sed et ipse Josue sæpius cum Deo collocutus, ab eodem instructus et directus fuit, ut patet *Josue,* cap. I, 2 et seq.

Josue laus. Prima.

Josue fuit virg.

Hinc et nonnulli veterum tradunt, Josue fuisse cælibem et virginem; tales enim fuere plerique Prophetæ. Fuisse Josue cælibem colligitur ex eo quod Scriptura nullam uxoris vel filiorum ejus faciat mentionem, uti de conjugatis in veteri Testamento facere solet. Unde S. Ignatius, epist. *ad Philadelphenses,* virginibus proponit imitandum Josue, quasi qui primus inter filios Abrahæ vexillum virginitatis erexerit; licet enim Melchisedech id fecerit ante Josue, tamen is non erat ex stirpe Abrahæ. S. Ignatium sequitur S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, ubi postquam multis probavit Josue fuisse virginem, ita concludit : « Moyses moriens plangitur a filiis Israel, Jesus autem quasi victurus non plangitur : nuptiæ enim finiuntur in morte; virginitas post mortem incipit coronari. » Denique S. Chrysostomus, serm. *De Martyribus* : « Ab origine mundi, inquit, innocens Abel occiditur, Henoch Deo vero placens transfertur, justus Noe invenitur, Abraham fidelis probatur, Moyses mansuetus dignoscitur, Jesus castus, David lenis, Elias acceptus, Daniel sanctus, tres Pueri victores redduntur. » Fuit ergo Josue cælebs et virgo, typus divinæ virginitatis Christi Domini.

Tertio, Josue fuit « magnus secundum nomen suum, » quia Josue et Jesus, idem est quod salvator, scilicet populi Israel, dum eum contra tot hostes tutatus, salvum deduxit in possessionem Chananææ, quod opus sane magnum et eximium fuit; tam ergo nomine quam reipsa magnus fuit Josue, ac expressus typus Jesu Christi. De quo prorsus pariter angelus ait B. Virgini : « Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum : hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, » *Luc.* I, 31 et 32. Unde explicans subdit : « Maximus in salutem electorum Dei, » *q. d.* Josue quoad nomen fuit magnus, quia vocatus Jesus, id est salvator; sed longe major fuit quoad rem nomine significatam; fuit enim maximus in præstanda salute electis Dei, puta Israelitis, qui erant populus a Deo in Ecclesiam et regnum electus : « Expugnare, » id est expugnando, « insurgentes hostes » Chananæos, « ut consequeretur hæreditatem Israel, » id est ut Israel, non Josue, consequeretur hæreditatem Chananææ patribus promissæ; græce enim est ὅπως κληρονομήσῃ τὸν Ἰσραήλ, id est *ut hæreditare faceret Israelem,* vel *ut in hæreditatem* (terræ promissæ) *induceret Israelem.*

Tertia.

Nec enim Josue hæres fuit Israelis, ut ipse possideret totum populum totamque Chananæam, cum ipse exiguam tantum ejus partem, scilicet Thamnatsare, post factam terræ inter tribus divisionem, sibi selegerit et possederit. Qua in re mira elucet Josue continentia, æque ac liberalitas. Poterat enim ipse quasi dux populi, et victor Chananææ, meliorem ejus partem sibi vindicare; sed totam illam cessit suis popularibus; modicam vero ejus portionem, eamque montosam et asperam, sibi selegit. Quod admiratam esse S. Paulam, cum locum hunc viseret, refert S. Hieronymus, in ejus *Epitaphio.*

Pro « expugnare » græce est ἐκδικῆσαι, id est *ciscī, vindicare,* nimirum expugnando et

dendo Chananæos hostes Israelis. Qua in re typus fuit Jesu Christi, qui spirituales hominum hostes, puta dæmones, peccata, mortem et infernum, expugnavit, itaque eis salutem non corporalem et temporalem, uti Hebræis fecit Josue, sed spiritalem et æternam tum laborando, tum patiendo et moriendo peperit. Unde S. Hieronymus, epist. *ad Paulinum*, de omnibus divinæ historiæ libris : « Jesus Nave, inquit, typum Domini non solum gestis, verum etiam nomine præfert : transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia, Ecclesiæ cœlestisque Jerusalem spiritualia regna describit. » Et S. Augustinus, lib. XVI *Contra Faustum*, cap. XX : « Verus, inquit, Israelita recordatur in figura illum mortuum Jesum ; qui introduxit in terram morientium, et agnoscat in veritate vivum Jesum, quo duce intret in terram viventium. » Rursum S. Hieronymus, epist. *ad Paulam*, de obitu Blesillæ, ait in Scripturis mortem Moysis plangi, non vero Josue ; quia Moyses typus fuit legis veteris, in qua omnes descendebant ad inferos : « in Jesu vero, inquit, id est in Evangelio, per quem paradisus est apertus, mortem gaudia sequuntur. »

Mors Moysis plangitur, non Josue, cur?

Vers. 3. 3. QUAM GLORIAM ADEPTUS EST IN TOLLENDO MANUS SUAS, ET JACTANDO (græce ἐκτεῖναι, id est extendendo) CONTRA CIVITATES RHOMPHÆAS ! — id est gladios, vel etiam tela et jacula oblonga instar hastæ : hæc enim vocantur quoque « rhomphææ, » et proprie jaciuntur, uti vertit Noster ; quanquam « jactare rhomphæas » idem esse possit, quod vibrare gladios ; qui enim gladium vibrat, eum circumquaque agitat et jactat. Unde Tigurina : *Quantam est adeptus gloriam, quoties manus suas extulit, et gladium suum vibravit in civitates !* Rhomphæa enim tam gladium quam jaculum significat. Unde rhomphæa per metathesin litterarum idem est quod framea. Rursum Gellius, lib. X, cap. XXIX, rhomphæas tam inter tela quam inter gladios annumerat : « Rhomphæa, ait, genus teli est Thracæ nationis, positumque hoc vocabulum in Q. Ennii *Annalium* XIV. Syrus : *Quam pulchrum illi, cum tolleret hastam quam manu tenebat, eamque moveret contra civitates* ! Alludit ad primam Josue expeditionem et expugnationem urbis Hai, in qua Josue, cap. VIII, dicitur : « Josue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai. » Igitur « jactare » Josue « rhomphæam » proprie fuit extendere et agitare hastam cum clypeo, vel clypeum ad hastam appensum contra urbem Hai ; Hebræa enim vox כִּידוֹן *kidon*, quam Noster, Symmachus et Josephus vertunt, *clypeum* ; Chaldæus et ejus sæculi recentiores vertunt, *lanceam*, aut telum, aut hastam, aut vexillum. Verisimile enim est Josue clypeum per hastam in altum sustulisse, ut ab insidiis quas juxta urbem posuerat, conspici posset. Hoc enim signum eis dederat Josue, quo admonerentur urbem invadere, cum ipse jam simulando fugam hostem ex urbe elicuisset, uti docet ibidem Abulensis et Theodoretus, *Quæst.* X.

Porro hæc elevatio hastæ et clypei symbolum erat præsentis virtutis et ultionis divinæ, sicut et elevatio manuum Moysis contra Amalec, *Exod.* XVII. Hinc hastam cum clypeo eousque in altum sustulit Josue, quousque omnes Haienses ab Hebræis cæderentur, *Josue* VIII, 26.

Rhomphæa Josue typus crucis Christi.

Allegorice, Josue repræsentabat hic Christum crucifixum ; protendit enim manus efficaces versus Hai, id est versus orbem istum Satanæ tyrannide vastatum : Hai enim vastitatem significat : neque eas retrahit tanquam cruci affixus donec consummata de peccato, dæmone, morte et inferno sit victoria.

Vers. 4. 4. QUIS ANTE ILLUM SIC RESTITIT? NAM HOSTES IPSE DOMINUS PERDUXIT. — Male nonnulli legunt « percussit ! » Sensus est, *q. d.* Moyses cæterique Patriarchæ hostes Israelis magis fuga declinarunt, quam pugna oppugnarunt. Primus fuit Josue, qui contra hostes Israelis stetit intrepidus, pedemque cum iis contulit, eosque prostravit ; nam ipse Dominus hostes perduxit in manus Josue, illosque ei tradidit, *Josue* X.

Græca hic variant ; nonnulli enim legunt ut Noster, πολεμίους, id est *hostes* ; alii legunt πολέμους, id est *bella*. Rursum pro κύριος legunt κυρίου, id est *Domini*. Unde vertunt : *Nam prælia Domini ipse adduxit*, id est direxit, et ductor eorum fuit. Ita Tigurina : *Quis ante eum talis exstitit, quippe qui gesserit bella Domini !* Græca tamen Romæ correcta Nostro consentiunt ; sic enim habent : *Quis ante illum sic stetit ? nam hostes ipse Dominus perduxit ;* alii : *Quis ante illum sic pugnavit ?* (Stare enim est verbum castrense ; unde stare in acie est pugnare.) *Hostes enim Dominus ipse afflixit* ; Syrus : *Quis potens ad standum coram eo ? Nam bellum Domini ipse fecit.*

Vers. 5. 5. AN NON IN IRACUNDIA EJUS IMPEDITUS EST SOL, ET UNA DIES FACTA EST QUASI DUO ? — Legit ὡς δύο id est *quasi duo ;* alii legunt, πρὸς δύο, id est *ad duos*, eodem sensu. Unde vertunt : *Et una dies excrevit ad duas*. Pro *in iracundia* legit ἐν ὀργῇ ; jam lehunt ἐν χειρί id est, *in manu ejus*, id est opera et imperio Josue. « In iracundia, » id est ex zelo et ira contra hostes Dei, ut scilicet impios Chananæos deleret, impellente eum ad hoc spiritu, ut patet *primo* ex eventu ; reipsa enim stetit sol : « Obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel, » *Josue*, X, 14. Non obedivisset autem Dominus voci Josue, nisi eam probasset et inspirasset. *Secundo*, quia Siracides hic laudat Josue quod stiterit solem ; ergo fecit hoc Josue ex prudentia et virtute. *Tertio*, quia Deus regebat Josue, uti rexerat Moysen, uti ei promiserat, *Josue*, I, 5. Quare temerarius fuit, qui dixit Josue imprudenter et temerario ausu imperasse soli, ut consisteret.

Pro *impeditus est sol*, græce est ἀνεπόδίσατο ἥλιος, quod Complutensia et alii passim vertunt, *retrocessit sol*; ἀναποδίζειν enim ad verbum est referre pedem, retrorsum ire, remetiri gressum. Verum quia *Josue*, cap. x, 12, dicitur sol stetisse, non vero retrogressus; hinc melius Noster vertit, *impeditus est sol*, scilicet a suo cursu et progressu, stititque suum iter : hoc enim quoque significat τὸ ἀναποδίζειν. Unde Tigurina vertit : *Nonne sol restitit hujus opera, et dies unus excrevit ad duos?* Syrus : *In manu ejus stetit sol, et fuit dies una duo dies.* Cum enim Josue pugnaret pro Gabaonitis contra quinque reges, ac parta victoria cuperet eos plane delere, veritus ne dies deficeret, et hostes per tenebras noctis fuga elaberentur, jussit stare solem, dareque lucem ad hostes persequendos et internecione delendos. Quocirca magna in Deum fiducia (Deo utique interius eum ad hoc audendum animante, imo incitante, et felicem imperii eventum, adeoque miraculum promittente) dixit coram toto populo : « Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon; steteruntque sol et luna donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum : Stetit itaque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei, non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel? » *Josue* x, 12. Hoc utique Josue portentum est a sæculis inauditum, æque ac ejus fiducia et pietas in Deum, ob quam Deus obediens voci ipsius stitit solem cœlosque omnes, ac pro eo pugnans delevit hostes.

Nota et pondera τὸ *obediente Deo voci hominis*, indeque æstima quanti apud Deum meriti fuerit Josue : « Intellige, ait S. Chrysostomus, hom. 27 *in Epist. ad Hebr.*, quantus est justus! Dixit Jesus Nave : Stet sol circa Gabaon, et factum est. Veniat igitur omnis mundus, magis autem duo, aut tres, aut decem, et viginti mundi dicant, et faciant hoc; sed non poterunt. Amicus vero Dei creaturis amicis suis imperabat, magis autem amicum suum postulavit, et obedierunt servi; et illis qui deorsum erat superioribus imperabat. »

In hac historia nota *primo* : Pro *sol, non movearis*, hebraice est, *sol tace*. Unde R. Salomon ait solem quotidie suaves modulari hymnos in laudem Dei, sed tunc ab iis jussu Josue siluisse. Rabbinus hic sequi videtur Platonicos, qui in orbibus cœlestibus Sirenes constituunt suaviter canentes. Sed hæc sunt deliria : constat enim cœlos anima, ac consequenter voce cantuque destitui. « Sile » ergo, id est quiesce, siste, ne movearis, ut vertit Noster. Est catachresis frequens Hebræis.

Sub Josue cum sole steterunt omnes

Secundo, verius est cum sole stetisse et lunam omnesque orbes cœlestes : alioqui enim majus fuisset novumque miraculum, quod sole stante, cœli et stellæ cæteræ moverentur, magnaque fuisset in cœlis et terra, eaque continua rerum perturbatio, uti fuse ostendit Abulensis, *Josue* x. Quare tunc non fuit tempus, quod est mensura motus primi mobilis : hic enim motus tunc cessabat; fuit tamen tempus, id est duratio quæ existentiam rei cujusque comitatur, cujus mensura erat duratio cœli et primi mobilis.

Tertio, Lyranus, Vatablus, Serarius, Salianus et alii censent solem fuisse in meridie, cum eum stitit Josue : prævidens enim non satis fore temporis post meridiem ad consummandam victoriam, in meridie solem stitit. Favent verba Josue citata, quæ aiunt solem stetisse in medio cœli; sed illa non convincunt. Nam Hebræi τὸ *in medio* sæpe sumunt more vulgi, non geometrice, ut in medio cœli idem sit quod in ipso cœlo vel hemisphærio nostro. Sic Christus sepultus dicitur « in corde terræ, » id est in ipsa terra : non enim fuit sepultus in ejus corde, id est in medio, *Matth.* XII, 40. Unde alii non minus probabiliter censent solem tunc fuisse vicinum occasui. Ideo enim jussit eum stare Josue, quia jam occidebat, et hostis per tenebras noctis evasisset : in meridie enim non erat causa eum sistendi, cum adhuc dies futura esset per sex vel septem horas, quibus hostes persequi poterat. Ita Abulensis, Dionysius, Hugo, Magalianus et alii, idque significatur, *Josue* x, cum dicitur : « Non festinavit sol occumbere, » *q. d.* Sol erat jam vicinus occasui, ad eumque festinabat : sed ad verbum Josue stetit, non occubuit.

Quæres : Quantus fuit hic dies, et quot horæ ei sunt additæ? Quot horarum dies Josue?

Præsuppono in Judæa diem longissimum, qualis est in solstitio æstivo (sub quod hæc pugna contigisse videtur) non esse 18, ut aliqui volunt, sed 14 duntaxat horarum. Respondeo Primo

Jam Chaldæus Paraphrastes asserit hunc diem fuisse 36 horarum : quare cum dies artificialis esset duodecim horarum, Deus stare fecit solem per 24 horas, quæ additæ duodecim jam dictis faciunt 36 : ita S. Dionysius. Pro eadem sententia citatur S. Justinus, *Dialog. Contra Tryphonem*, quasi senserit diem istum fuisse 36 horarum, ita ut præter 12 horas naturales additæ ei fuerint 24 horæ supernaturales : dicitur enim *Josue* cap. x, sol stetisse « spatio unius diei, » quod ipse de die naturali 24 horarum accipit. Verum potius id accipiendum videtur de die artificiali : hæc enim sola lucem præbuit, idque innuit Siracides hic, dicens : « Et una dies facta est quasi duo, » *q. d.* Dies, quæ solet esse 12, vel in solstitio æstivo, 14 horarum, facta est 24 vel 28 horarum : stetit ergo sol per 12 vel, ut summum, per 14 horas : hæ enim abunde sufficiebant ad consummandam victoriam. Ita noster Cosmus Magalianus, in *Josue* x, censet diem hunc in solstitio fuisse 14 horarum, iisque sole jam accedente ad occasum elapsis, Deum jussu Josue stitisse solem totidem horis, scilicet 14, ut universim hic dies fuerit 28 horarum : fuit enim duplicatus, ut ait hic Siracides. Secundo genuino.

Diem vero, quo jussu Isaiæ ad preces Ezechiæ retrogressus est sol, censet fuisse 32 horarum.

Allegorice. Allegorice, Theodoretus, in *Josue* x, Quæst. XIII : Sicut sol, inquit, pugnante Josue stetit ; ita dum Christus in cruce moriens morte sua mortem dissolveret, sol in meridie continuit radios suos, et tenebris opplevit terram.

Tropologice. Tropologice, S. Cyrillus ; in *Collectaneis* : Gabaon, inquit, est mens sublimis ; vallis est caro morte humiliata ; sol est oratio mentem illuminans ; luna est lex naturalis carni persuadens ut animæ subjiciatur : luna enim est symbolum naturæ propter mutabilitatem. Quisquis ergo per piam vitæ institutionem acie confligit contra inimicos spiritales, fit Jesus Nave, et precatur ut sibi stet sol in Gabaon, id est ut oratio mentem illuminet et exaltet ; luna autem in valle, id est permaneat et corroboretur ei lex naturalis, carnis vitia edomans et mortificans. Et Rabanus hic : Jesus, inquit, facit ne unquam sol justitiæ fidelibus suis occumbat, sed semper oriatur, et credentium corda lumine veritatis perfundat.

Politice, Josue hic se peritum belli ducem ostendit : imperat enim ut sol stet contra Gabaon, itaque illis sit adversus et noxius, sibi vero secundus et commodus. Ordinaturus enim aciem tria ante omnia prospicere debet, nimirum solem, ventum et pulverem : solem, ut eum habeat a tergo, non a fronte ; nam sol a fronte in pugna eripit visum : ventum, ut sit secundus ; nam si sit contrarius, tela flectit ac deprimit, hostium vero tela adjuvat et promovet : pulverem, quia si is a fronte congeratur, oculos implebit et claudet.

Tria in acie providenda, sol ventus, pulvis.

Porro quod dicitur *Josue* x, 14 : « Non fuit antea, nec postea tam longa dies, » intellige usque ad tempus illud, quo hæc scripsit vel Josue, vel potius Samuel, aut quis alius. Nam post Samuelem Isaias, cap. XXXVIII, 10, retroegit solem ad decem lineas. Unde S. Dionysius, epist. *ad Polycarpum*, censet illum diem fuisse 32 horarum ; cum hic Josuanus fuerit tantum 24 vel 28 horarum : quanquam alii valde probabiliter censeant illum Isaiæ diem 15 duntaxat fuisse horarum, uti dixi *Isaiæ* XXXVIII.

Rursum, I *Paral.* IV, 22, nominatur filius Sela, « qui stare fecit solem, virique mendacii, et securus, et incendens. » Ubi Rabanus et Glossa censent hunc filium Sela revera stitisse solem ; quasi Deus per eum ob peccata enormia illius ævi mutarit cursum solis, ut homines ad peccatorum agnitionem et pœnitentiam induceret. Porro hunc filium fuisse Elimelech, socerum Ruth, cap. I, censent Hebræi. Verum τὸ *qui stare fecit solem*, uti et nomina quæ sequuntur, est nomen proprium filii Sela, qui hebraice vocatur *Joakim*, id est *qui stare fecit* ; Noster addidit, *solem*. Sic pro *viri mendacii* hebraice est *Coseba*, quod Noster vertit, *mendacii* : pro *securus*, hebraice est *Joas* : pro *incendens* hebraice est *Saraph*. Sunt igitur hæc nomina propria filiorum Sela, quæ latinus interpres latine reddidit, juxta eorum etyma : qua de causa id fecerit incertum est. Quare pariter incertum est an hic Joakim revera stiterit solem. Noster Magalianus in *Josue* cap. x, 22, annotat. 7, ubi multa hac de re congessit, censet eum dici Joakim, id est statorem solis, quod suis precibus instar Eliæ tantam siccitatem et sterilitatem orbi ob peccata sui ævi induxerit, ut sol stare terramque urere videretur.

Denique nonnulli alii eximii Sancti simili modo solem stetisse memorantur. Ita S. Abbas Mutius, proficiscens ad visitandum ægrum, solem occumbentem stitit. Audi Ruffinum, lib. II *Vitar. SS. Patr.* cap. IX : « Cum videret jam solem demergi, ait ad eum : In nomine Domini nostri Jesu Christi sta paulisper in itinere tuo, et exspecta me, donec ad vicum perveniam. At ille cum aliqua jam mergi cœpisset ex parte, restitit, nec prius occubuit quam homo Dei perveniret ad vicum ; stantes autem et intuentes moras solis in occasum mirabantur omnes, quibus ipse : Non meministis vocem Domini : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, majora horum signa facietis. » Eodem modo similique de causa solem stitisse dicitur Abbas Bessarion, lib. VI *Vitar. SS. Patr.* cap. II, ubi et alius senex idem fecisse narratur.

Stitit solem Abbas Mutius.

Et Bessarion.

Rursum stetisse solem sub Carolo Magno ad ulciscendos Dei hostes, nimirum Saracenos, qui Rolandum Comitem, aliosque Caroli principes occiderant in clade Roncevallensi ; ac pari modo stetisse solem sub Carolo V Imperatore cum is Saxonem superavit et cepit, docent Ludovicus Avila, lib. II *Belli Germanici*, Consalvus, *De Illescas*, parte II *Histor. Pontif.*, et alii quos citat et sequitur noster Christophorus Schreiner, lib. *De Refractionibus cœlestibus*, cap. XXXII, in fine : quin et Turpinus, Archiepiscopus Rhemensis, Carolo Magno coævus et familiaris, de illo idem testatur cap. XXVI *Vitæ ejusdem*. Sed Turpinus hic de fide suspectus est, imo fabulosus, ut notant Baronius, Bellarminus, Possevinus, *De Scriptor. Eccles.*, et alii.

Idem factum sub Carolo Magno et sub Carolo V.

Godefridus Bullonius Hierosolymam expugnavit anno Domini 1099, feria sexta, eadem scilicet die et hora, qua ibidem crucifixus est Christus, atque eadem illa die sol aliquot gradibus retrocessit, ait Eucherius, *Histor.* cap. XXI, et ex eo Genebrardus, lib. IV *Chronolog.*

Et sub Godefrido Bullonio.

Pari modo solem stetisse, ac quatuor horas cursum suum continuisse eo die, quo Hispani sæculo præcedenti pugnarunt cum Mauris apud Oranum, illudque occuparunt auctore et quasi duce Francisco Ximenio Cardinali, viro prudentia, doctrina (unde idem curavit edi Biblia Complutensia hebraice, græce et latine), sanctitate et rebus gestis eximio, testatur Alvarus Gomecius, lib. IV *De Gestis ejus*, additque eo miraculo Mauros nonnullos ad Christum conversos, atque idem

Et in expugnatione Orani.

miraculum accidisse Carolo V, contra Saxonem pugnanti.

Nota in his omnibus casibus non videri vere stetisse solem : hoc enim notassent Astronomi totius orbis. Nec tanto miraculo opus erat : poterat enim alio adminiculo tale iter vel pugna peragi, nimirum poterat Deus producere lucem, quæ eis præluceret, uti fecit filiis Israel. *Exod.* cap. x, 23.

Sol visus non in se, sed per radios reflexos.

Dices : Abbas Mutius et Bessarion dicuntur vidisse non tantum lucem, sed et solem ipsum; ergo restitit sol. Respondeo negando consequentiam : Ad antecedens dico ipsos vidisse solem per radios non directos, sed in nube reflexos; Deus enim adduxit nubem densam, fecitque ut sol post occasum in eam radios vibraret, qui a nube reflexi in terram, solem ipsum aspicientibus apparere faciebant, terramque illuminabant; sicut in speculo quis videt seipsum per species sui ipsius a speculo in oculum intuentis reflexas. Et si quis nummum ponat in vase, ab eoque discedat ut nummum non videat, si vas impleat aqua, illico nummum videbit per species nummi ab aqua ad oculum reflexas. Sic mane sæpe sol necdum ortus cernitur, per radios sui in nube opposita ad oculum reflexos. Sic Hollandi hisce annis in nova Zembla, quæ polo subjacet, ubi per hiemem una continua est nox, per plures dies viderunt solem, antequam ipse ortus esset in illo horizonte; quia scilicet sol gyrabat sub horizonte, suosque radios in nubes opacas, quæ supra horizontem erant, vibrabat; nubes vero illos reverberantes ad oculos intuentium, per eos solem repræsentabant. Sic multa videntur per radios refractos, quæ per directos videre esset impossibile. Adde subinde videri non solem, sed parelium, idque per radios directos : sol enim, nubem oppositam illustrans et penetrans, subinde sui formam in ea plane perfecteque exprimit, ut videatur esse ipsissimus sol, cum tantum sit imago solis, quæ vocatur parelius. Sic subinde simul apparent duo, imo tres soles; sed unus est verus sol, cæteri sunt parelii, id est figuræ et similitudines solis.

Vers. 6.

6. INVOCAVIT ALTISSIMUM POTENTEM IN OPPUGNANDO INIMICOS UNDIQUE (cum scilicet Josue et Hebræi undique cingerent et oppugnarent Chananæos, ac vice versa cum vicissim Chananæi conspirantes undique oppugnarent Josue et Hebræos) : ET AUDIVIT ILLUM MAGNUS ET SANCTUS DEUS, IN SAXIS GRANDINIS VIRTUTIS VALDE FORTIS, — *q. d.* Josue in arctis constitutus, et undique a Chananæis oppugnatus, non confisus est suis armis, sed opi Altissimi : quare eam fidenter et ardenter imploravit; quocirca Deus potens et sanctus pugnans pro Josue et populo fideli, eum exaudiens cœlitus in Chananæos vibravit lapides grandinis, quibus eos contrivit. Erat enim grando « virtutis valde fortis, » græce, δυνάμεως κραταιᾶς, id est potentiæ et efficaciæ validæ, *q. d.* Grando hæc tam potens, fortis et efficax erat, ut homines et jumenta sterneret et occideret. Unde Tigurina : *Cum hoste eum undique premerent, invocavit dominatorem Altissimum, et magnus Dominus exaudivit eum vehmenti violentaque grandine lapidando*; alii e contrario vertunt : *Invocavit supremum rerum Potestem, cum premeret hostes undique.* Sic enim vertas quoque : τὸ ἐν τῷ θλίψαι αὐτὸν ἐχθροὺς κυκλόθεν; hoc enim ambiguum est, tamque significat quod Josue presserit Chananæos undique, quam quod Chananæi presserint ipsum Josue : Josue enim, jussu Dei oppugnans Chananæos omnes per circuitum, valido egebat Dei præsidio ad illos expugnandos : quocirca prudenter illud invocavit. Vicissim Chananæi omnes videntes sibi parari excidium, conspirantes contra Josue et Hebræos, eos undique impetebant.

Historia grandinis enarratur *Josue* x, 11. Cum enim Josue pro Gabaonitis pugnaret contra quinque reges, « conturbavit eos Dominus, inquit, a facie Israel, contrivitque plaga magna in Gabaon, etc.; misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Azeca, et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel. » Reliquos vero fugientes persecutus Josue jussit stare solem, donec omnes interimeret. Addit Josephus, lib. V *Antiquit.* cap. II, non solum lapidosa et inusitata grandine, verum etiam tonitruis et fulminibus terribilem fuisse illam tempestatem, æque ac fuerat illa Ægyptiaca, quæ perdidit Pharaonem et Ægyptios, *Exod.* IX, 23, et cap. XIV, 24 et 25; unde Syrus addit : *Exaudivit illum in saxis grandinis, et sulphur de cœlo demisit, et impetu dejecit super gentem hostilem,* uti fecit Sodomæ, *Gen.* XIX. Similia cœlitus præsidia immisit Deus legioni Christianorum Fulminatrici sub M. Aurelio Imperatore, teste Eusebio lib. V *Histor.* cap. V, ac postea Theodosio Imperatore contra Eugenium tyrannum decertanti, de quo Claudianus in ejus *Panegyrico* :

> O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
> Et conjurati veniunt ad classica venti!

Sanctitas in Deo, quid?

Nota hic duplex epithetum Dei, « magnus et sanctus » (licet τὸ *sanctus* jam non sit in Græco). Dicitur enim Deus « magnus » non tantum quoad quantitatem, quia immensus per totum universum, imo supra cœlos per spatia imaginaria in infinitum sese extendit, sed quoad quamlibet perfectionem : magnus ergo est, id est infinitus in majestate, essentia, sapientia, robore, justitia, omnique virtute. « Sanctus » dicitur, cujus affectus et mores exacte congruunt legi æternæ, hoc in nobis fit accidentaliter, Deo autem idipsum est essentiale : quare per essentiam ipse est sanctus, adeoque essentia ejus est ipsa sanctitas, quatenus essentia rationem voluntatis obtinet, quæ simili modo essentialiter congruit cum lege æterna, quæ est in mente Dei. In Deo enim una eademque simplicissima res sunt mens, voluntas, essentia. Si ergo mens Dei essentialiter est, est et

Deus essentialiter est sanctus : cur?

ejus voluntas ac essentia. Rursus, cum lex æterna oriatur ex ratione divinæ essentiæ (quæ sicut est origo primordialis omnis perfectionis entitativæ, ita etiam omnis perfectionis moralis, et omnis rectitudinis affectus et moris), fit ut perfectio et sanctitas consistat etiam in conjunctione cum Deo per affectum. Unde amor Dei est sanctitas. Quare cum Deus sibi ipsi maxime sit conjunctus, tum per naturam suam, tum per affectum amoris, ipse maxime sanctus est. Denique ratio sanctitatis, ut a nobis concipi potest, consistit in puritate animi aliena ab omni contagione et labe peccati, ut docet Dionysius, cap. XII *De divinis nominib.*: « Sanctitas est, inquit, ut more nostro loquar, ab omni scelere libera, et omnino perfecta, et omni ex parte immaculata puritas. » Talis autem puritas maxime convenit Deo. Hinc Deus dicitur « sanctus in omnibus operibus suis : » quia omnes ejus affectus, et omnes ejus operationes exactissime legis æternæ rectitudini conformantur. Voluntas enim ipsius per se suamque essentiam legi æternæ ex æquo respondet et commensuratur : quia tam perfecte vult rectitudinem, quam perfecte illam concipit. Unde sicut intellectio et judicium rectitudinis est infinite perfectum : ita quoque amor et affectus rectitudinis est infinite perfectus, utpote intrinsecam suam regulam adæquans. Deus ergo sanctus est in misericordia, clementia, amore : sanctus pariter est in justitia et vindicta, qua injustos et impios pro meritis castigat, uti hic per Josue castigavit Chananæos. Sic Deus sanctus est in glorificatione Beatorum, ac æque sanctus est in damnatione reproborum : quia in illis immensam misericordiam, in his terribilem justitiam exercet. In Deo autem tanta est justitia, quanta misericordia, et illa huic par et æqualis est in sanctitate et perfectione.

Moraliter disce hic in omni prælio, corporali æque ac spirituali, validisima esse arma orationis. Hæc enim victoriam a Deo, cujus est eam dare, poscit et impetrat. Sic orante Moyse Josue vicit Amalec, *Exod.* XVII, 11. Sic Judas Machabæus, prælis semper præmittens preces, tam illustres obtinuit victorias : solum in ultimo non legitur orasse, ideoque in eo cecidit et occubuit.

Vers. 7 et 8. 7 et 8. IMPETUM FECIT CONTRA GENTEM HOSTILEM, ET IN DESCENSU PERDIDIT CONTRARIOS, UT COGNOSCANT GENTES POTENTIAM EJUS; QUIA CONTRA DEUM PUGNARE NON EST FACILE. — Suppositum verborum « fecit et perdidit » non est Josue, sed Deus exaudiens et pugnans pro Josue : Deus enim per lapides grandinis perdidit ejus hostes. Unde pro *impetum fecit contra gentem*, græce est, κατέῤῥαξεν ἐπ' ἔθνη πόλεμον. id est, ut Complutensia : *Disrupit super gentes bellum*, puta aciem bellicam et pugnam. Alii : *Fecit ut cum impetu rueret in gentes bellum*; Tigurina : *Prælio in gentes irruit*; καταῤῥάττω enim idem est quod ingruo, percutio fortiter, collido, frango, rumpo, præcipito, deturbo cum impetu; uti factum est in diluvio, cum ruptis cataractis cœli impetuosus depluit imber. Sensus ergo est, *q. d.* Deus pugnans pro Josue contra Chananæos aperuit et disrupit cataractas cœli, indeque grandinavit et præcipitavit in eos magno impetu et fragore sua jacula bellica, puta saxa grandinis, fulmina, et tonitrua quibus « in descensu » Bethoron, ut dicitur *Josue* X, 10, « perdidit contrarios, » scilicet Chananæos hostes Dei et Israelis; idque hoc fine, « ut cognoscant Gentes potentiam, » græce παναπλίαν, id est plenam armaturam, sive omne genus armaturæ (qualia sunt grando, fulmen, tonitru, etc.) « ejus (Dei), quia contra Deum pugnare non est facile, » id est, est impossibile : est enim miosis. Græce : ὅτι ἐναντίον κυρίου ὁ πόλεμος αὐτοῦ, id est, ut Romani vertunt, *quia coram Domino bellum ejus*, hod est, ut Jansenius, quia bellum Josue placuit Deo, et gerebatur favente Domino. Sic et Tigurina : *Ut gentes*, inquit, *cognoscerent arma ejus, et bellum ab eo geri favente* (Vatablus, *inspiciente*, vel *ante oculos*, quod Hebræi dicunt לִפְנֵי *liphne*) *Domino*. Alii aptius ad Nostrum vertunt : *Ut cognoscerent gentes omnia sua arma, quia contra Dominum et bellum cujusque ipsorum;* ut τὸ αὐτοῦ sumas distributive pro quolibet. Huc allusit Christus duellans cum Saulo, eumque sternens, dicendo : « Durum est tibi contra stimulum calcitrare, » *Act.* IX, 5. Sic Gentiles tradunt Titanas cum Jove belligerantes ab eo sideratos, ac fulmine in tartara esse præcipitatos. Vide quid Deus S. Job secum disputanti ingerat, *Job* XL, 1 et seq. Sane ut alia taceam, hoc anno 1626 et præcedenti evidentia et ad oculum spectabilia vidimus hujus sententiæ exempla, quando hæreticos rebellantes Deo, suisque principibus orthodoxis toties et cum tanta strage profligatos, quando capita hæretici fœderis fere universa cita et funesta nece occubuisse, quando Catholicos principes, tot, tantis tamque continuis victoriis potitos, spectavimus; ut qui Deum favere causæ Catholicorum neget, vel cæcus, vel insanus sit. Sapiant ergo qui ex iis reliqui sunt, et sociorum exemplo discant : « Quia contra Deum pugnare non est facile; » quod nisi faciant, brevi similem stragi sociorum cladem et interitum exspectent : Deus enim nonnullam vindictæ tarditatem gravitate compensat.

SECUNDA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM JOSUE ET CALEB.

8 et 9. ET SECUTUS EST A TERGO POTENTIS : ET IN DIEBUS MOYSI FECIT MISERICORDIAM IPSE, ET CALEB FILIUS JEPHONE, STARE CONTRA HOSTEM, ET PROHIBERE GENTEM A PECCATIS, ET PERFRINGERE MURMUR MALITIÆ. — Rabanus, Palacius et alii passim pro *potentis* legunt *potentes* in plurali, sicque explicant, quasi auctor persistat in narranda victoria Josue contra quinque reges jam dictos. Nam ut narratur *Josue* x, 17, quinque illi reges, videntes suorum stragem, remanserunt a tergo Josue, seque absconderunt in spelunca. At Josue, cæsis eorum militibus, ad eos rediit, fecitque ut omnes Israelitæ eorum colla calcarent. Ergo « secutus, » id est insecutus « est a tergo potentes; » quia ad eos rediit, quos a tergo dimiserat, eosque trucidavit.

Verum pro *potentes* legendum est *potentis* : sic enim legunt Græca et Latina Romana. « Potentis » scilicet Domini Dei, *q. d.* Josue secutus est Dominum potentem, eique obedivit, firma spe confidens, quod potentissimi Dei ope sibi promissa Hebræi superarent Chananæos, quantumvis potentes et robustos : quia, ut ait Jansenius, cum alii exploratores humani timoris spiritum sequerentur spectantes solum quid humanis viribus possent, atque ob id animos populi confringerunt suæ diffidentiæ verbis : isti duo alio spiritu ducti divinam potentiam et veracitatem considerabant, cogitantes quid possent per eum qui suis promisit terram Chananæorum, ideoque ausi sunt aliis omnibus contradicere. Et ob id hic dicitur Josue secutus post potentem, quia ejus potentiam considerabat, non autem humanam infirmitatem.

Historia narratur *Num.* XIII et XIV, ubi eam explicui, et hic dicitur de eis, quod « in diebus Moysi » fecerunt « misericordiam, » hoc est opus pietatis, et in Moysen et in ipsum populum; quia scriptum est de Caleb, quod compescens murmur populi, quod oriebatur contra Moysen, ait : « Ascendamus et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. » Qua autem in re fecerint misericordiam ostenditur, cum sequitur : « Stare contra hostem, » hoc est stando contra hostem, et prohibendo populum a peccatis : infinitivi enim Græco more hic rursum positi sunt pro gerundiis; vel exponendi sunt ita, ut starent contra hostem, et prohiberent gentem. Sensus ergo est, *q. d.* Caleb et Josue pie fortiterque egerunt pro Deo, Moyse et populo, ut starent constanter contra hostem, puta contra Chananæos, suadendo Hebræis ut contra eos dimicarent, ac victoriam Dei potentis ope eis pollicendo : itaque prohibuerunt gentem a peccatis seditionis, rebellionis et murmuris, quia sua animositate et animosa oratione ad populum ejus murmur infregerunt, illudque compescuerunt et sedarunt : hoc enim significat Græcum κόπασαι. Pro *hostem* Noster cum Græcis Romæ emendatis legit ἐχθροῦ. Complutensia vero et alii legunt ἐκκλησίας, id est *Ecclesiam, q. d.* Josue et Caleb fortiter steterunt contra Ecclesiam, id est contra cœtum, puta contra murmur cœtus, sive populi congregati. Unde Tigurina : *Nam ipse potentem secutus est, temporibusque Moysis amicum ei se præstitit, dum ipse cum Caleb Jephone nato se hosti opponeret, ac prohiberet peccare populum* (prohibendo eum ab apostasia et reditu in Ægyptum) *fremitumque malitiosum pacaret;* alii, *sedaret murmur improbitatis,* id est murmur improbum improborum. Nota phrasim : « Sequi a tergo potentis, est tergum potentis, id est potentem sequi, sicut famulus sequitur herum a tergo; sequi autem potentem Deum, est Deo credere, Deo confidere, Deo obedire, Deo per omnia obsequi, uti explicatur vers. 12. Alludit, imo citat illud *Num.* XIV, 24 : « Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc; » Syrus : *Atque etiam ipse perfectus fuit post Deum* (perfecte Deo ejusque voluntati consensit et est obsecutus; alius textus habet *complevit,* vel *consecravit se ministerio Dei*), *et in diebus Moysis fecit misericordiam ipse et Caleb stando in scissione populi, ad convertendum congregationem, ad dissolvendum nomen malum de terra promissionis.*

Moraliter, discant hic fideles, licet infirmi, sequi tergum Dei potentis, præsertim cum ab eo ad res arduas et difficiles, v. g. ad Apostolatum, ad Indias, ad vitam excelsam vocantur. Magnis animis magnaque fiducia Deum sequantur; quia ante se habent præambulam Dei potentiam, imo omnipotentiam quasi scutum, quod omnes difficultates recipit eliditque, ac quasi arietem bellicum, qui omnes hostium oppositiones disjicit et sternit. Nil ergo est quod timeant tanto duce, tanto clypeo, tanto muro : nullum enim telum ad eos pertingere potest, nisi prius antemuralem et antegredientem eos Dei potentiam disjiciat : hoc autem factu est impossibile. Dei ergo potentia undique obvallati et obarmati omnia evincent : Deus enim pugnat pro eis, imo antegrediens omnia sternit et complanat. « Quid times, » ait S. Augustinus, « o homo in sinu Dei positus? » Deus enim, ait S. Bernardus, sperantes in se seque sequentes facit omnipotentes, ut dicant cum S. Paulo : « Omnia possum in eo qui me confortat. » Dei enim proprium est eligere et corroborare infirma, ut confundat fortia. Quocirca quo major est hominis infirmitas, eo majus robur ei

Moraliter nil timendum sequenti Deum, cur?

confert Deus, si invocetur. Igitur quo quis est infirmior, eo spem et animos non minuere, sed augere potest ac debet : si enim id fecerit, certo aderit ipsi Deus majori potentia, majoresque vires ei suggeret. Quocirca cogitet id sibi a Deo dici, quod ab eo dictum fuit Cyro : « Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo; portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel, » *Isaiæ*, XLV, 2.

Vers. 10. 10. ET IPSI DUO CONSTITUTI (græce ὄντες, id est existentes, *q. d.* Josue et Caleb cum ipsi essent duo soli, sive duo duntaxat, et constanter resisterent murmuri populi), A PERICULO LIBERATI SUNT A NUMERO SEXCENTORUM MILLIUM PEDITUM. — « Periculum » intellige mortis et exclusionis a terra sancta; omnes enim Hebræi superantes annum vigesimum, qui facile erant sexcenta millia, ob murmur Dei sententia damnati sunt ad mortem, ut scilicet morerentur in deserto, nec ingrederentur in terram promissam, exceptis solis duobus, scilicet Josue et Caleb; hi enim quia pro Deo murmuri se opposuerunt, hinc eam ingressi sunt, imo cæteros in eam induxerunt, *Num.* XIV. Unde explicans subdit :

INDUCERE ILLOS IN HÆREDITATEM, IN TERRAM QUÆ MANAT LAC ET MEL, — *q. d.* Ut Deus induceret illos, scilicet Josue et Caleb, et per eos cæteros omnes Hebræos in hæreditatem Chananææ, quæ adeo fertilis erat, ut lacte et melle manare videretur. Hunc esse sensum liquet ex Græcis, quæ sic habent : *Et ipsi duo cum essent, conservati sunt ex sexcentis millibus peditum, quo induceret eos* (Tigurina : *utpote inducendi*) *in hæreditatem, in terram fluentem lacte et melle;* Syrus : *Et ipsi soli liberati sunt de sexcentis millibus*, etc.

Vers. 11. 11. ET DEDIT DOMINUS IPSI CALEB FORTITUDINEM, ET USQUE IN SENECTUTEM PERMANSIT ILLI VIRTUS (græce ἰσχύς, id est fortitudo, robur), UT ASCENDERET IN EXCELSUM TERRÆ LOCUM (in Hebron; Syrus, *ad dandam illi potestatem super robur terræ*), ET SEMEN IPSIUS OBTINUIT HÆREDITATEM. — Caleb enim jam 85 annorum existens adeo fuit validus, ut a Josue petierit et obtinuerit montem et urbem Hebron, eamque armis expugnans sibi suisque fecerit hæreditariam. Historia narratur *Josue* cap. XIV, 6 et seq. Unde vers. 10, Caleb sic ait ad Josue : « Hodie octoginta quinque annorum sum, et sum sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum (ante 45 annos) illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum. » Subdit deinde quomodo Hebron et gigantes in ea habitantes expugnarit, hac de causa Caleb in Hebron sepultus est. Audi S. Hieronymum, in *Epitaphio S. Paulæ*, iter ejus per terram sanctam describentem : « Ascendit, inquit, Hebron; hæc est Cariatharbe, id est oppidum virorum quatuor (*Josue* XIV, 15.) Abraham, Isaac, Jacob, et Adam magni, quem ibi conditum juxta librum Jesu Nave Hebræi autumant; licet plerique Caleb quartum putent, cujus ex latere memoria monstratur. » Disce hic quantus fuerit Caleb, qui cum Abraham, Isaac et Jacob sepeliatur et comparetur, ut eis quartus addatur.

Caleb hebr. significat *sicut leo*, cur? Respondeo primo. Secundo.

Hinc Caleb hebraice alludit ad כלאבי *kelabi*, id est *sicut leo*. Leoni enim comparatus est Judas, ex quo prognatus est Caleb, *Gen.* XLIX, 9. *Primo* enim sicut leo est fortissimus animalium, sic Judas fortissimus fuit fratrum et Caleb Israelitarum sui ævi. *Secundo*, leo solus ex animalibus recurvos ungues habentibus, simul ac natus est oculos aperit ac videt; unde a Plutarcho « solare animal » nuncupatur. Multi censuere leonem insomnem esse et non dormire; verum id negat Aristoteles et cæteri, qui tamen fatentur quod leo dormiens moveat caudam, et semiapertis oculis dormiat, eo quod eos habeat ingentes, ut palpebris occludi non possint. Hinc leo vigilantiæ est symbolum; unde leones insculpi solent ad fores templorum, uti Romæ videmus, quasi eorum custodes. Sic vigilans fuit Caleb, ut se et suos induceret in terram promissam. *Tertio*, leo cum senescit melior est, ait Pierius, *hieroglyph.* 1. Unde senex ille apud Aristophanem senectutem suam leoninæ conferens, eam plurium juvenum robori anteponit. Talis fuit Caleb, cui « Dominus dedit fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum. » Similes sunt sapientes et justi, qui in senio deficientibus viribus corporis crescunt viribus mentis, ac studio sapientiæ se oblectant, imo prælibant delicias paradisi, et ad eas anhelant. Nam, ut ait S. Bernardus, serm. 2 in illud : *Non est regnum*, etc. : « Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Vere in principio lætitiæ, quia finis illic repositus est. Principium gaudii illius quod hic quandoque sentimus, stilla est, guttula est, de flumine illo descendens, cujus impetus lætificat civitatem Dei. » Tertio. *Quarto*, leo hebraice dicitur *labi* a לב *leb*, id est *cor*, quasi cordatus : corde enim est excelso, robusto et impavido. Sic Caleb dicitur כלב *keleb*, id est *sicuti cor*; fuit enim ipse cordatus, sapiens; magnanimus, ac inter primos heroes sui sæculi. Quarto.

Sic Cyrus, apud Xenophontem, moriens, extremæ jam senectutis, negabat se unquam sensisse senectutem factam imbecilliorem, quam fuisset adolescentia; nimirum imbecillitas senum sæpe provenit ab intemperantia et excessu vel cibi, vel laborum, vel passionum, præsertim iræ et tristitiæ : hæc qui vitat, validam vegetamque exiget senectutem.

Vers. 12. 12. UT VIDERENT OMNES FILII ISRAEL, QUIA BONUM EST OBSEQUI SANCTO DEO. — Græce est, *quia bonum est ambulare a tergo Domini*, id est sequi Dominum, eique obsequi, ut dixi vers. 8. Tigurina : *Ut scirent omnes posteri Israelis quam Dominum sequi*

bonum sit, dum vident Josue et Caleb ingressos in terram promissam cum tot triumphis tantaque gloria, eo quod confisi et obsecuti sint Deo; cæteros vero omnes ab ea exclusos, eo quod murmurantes terga vertissent Domino, diffisi tam divinæ promissioni et potentiæ, quam suarum virium infirmitati. Deum, quem vers. 8 vocavit « potentem, » hic vocat « sanctum, » qui scilicet sancte et fideliter præstet ea quæ promisit, uti hic promiserat Hebræis Chananæam; quod credentes Josue et Caleb, sancte Deo sancto obsecuti sunt. Quis enim prudens non sequatur præviam sanctitatem? quis non obsequatur Deo sancto, imo qui est ipsa increata, immensa et augustissima sanctitas, a quo omnis hominem et Angelorum sanctitas velut radius a sole dimanat?

Huic sententiæ affines sunt duæ gnomæ 72 Interpretum, quibus coævus fuit Siracides, ac forte unus ex ipsis. Nam Ptolemæus Philadelphus cuique 72 Interpretum quæstionem ethicam proponens, ei qui ordine erat trigesimus hanc proposuit : « Quid sit in gloria potissimum? Ad quam ille ocius respondit : Deum venerari, non sacris, inquam, neque muneribus, verum animi puritate, ac fide candida ejus voluntatem sequi. » Ex adverso ei qui ordine 57 erat, hanc proposuit : « Quare quis inglorius fiat? » Ad quam ille respondit : « Si quando superbia quis ductus exasperetur, vituperationes tunc subeunt et gloriæ privatio; nam Deus, totius gloriæ dominator, eam quo vult declinat. » Sicut ergo magna gloria est humiliter sequi Dominum, sic e contrario magnum probrum est superbire et nolle sequi, sed præire Dominum. Ita Aristæas, in *Histor. 72 Interpretum*. Vide dicta cap. XXIII, 38, ad illud : *Gloria magna est sequi Dominum.*

TERTIA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM JUDICUM ISRAELIS.

Vers. 13. 13. ET JUDICES SINGULI SUO NOMINE (id est singuli viritim et nominatim), QUORUM NON EST CORRUPTUM (Syrus, *non aberravit*) COR; QUI NON AVERSI SUNT A DOMINO, — supple, laudentur, vel digni sint laude, perinde ac Aaron, Phinees, Josue, Caleb cæterique jam nominati.

Vers. 14 et 15. 14 et 15. UT SIT MEMORIA ILLORUM IN BENEDICTIONE, ET OSSA EORUM PULLULENT DE LOCO SUO, ET NOMEN EORUM PERMANEAT IN ÆTERNUM, PERMANENS AD FILIOS ILLORUM, SANCTORUM VIRORUM GLORIA. — A Josue et Caleb recta serie et ordine temporum descendit ad judices. Laudat ergo hic judices, id est vindices Israelis, puta Othoniel, Barac, Gedeon, Samson, etc., qui suo robore et virtute Israelem ab Idumæis, Syris, Philistæis aliisque hostibus liberarunt et vindicarunt, quorum heroica facta, prælia et victoriæ describuntur in libro Judicum. Porro non omnes Judices laudandos asserit, sed tantum *quorum non est corruptum cor*, græce, *quorum non est fornicatum cor*, id est non prolapsum in idololatriam (hæc enim in Scripturis vocatur « fornicatio, » puta spiritualis et mystica), quique « non sunt aversi a Domino; » nonnulli enim Judices fuere impii, uti Abimelech filius Gedeonis, qui 70 fratres occidit, *Judic.* IX. Cæteri vero plerique, qui fuere pii et zelosi, digni sunt æterna laude, « ut sit memoria illorum in benedictione. » Minus usitate Jansenius, το *ut* accipit pro *utinam*, uti accipit Terentius cum ait : « Ut, » id est utinam, « illum dii deæque perdant; » græce enim non est *ut*, sed εἴη, id est *sit*, quod est optantis *q. d.* Utinam sit : « Et ossa eorum pullulent de loco suo, » *q. d.* Ossium, id est sepulcri eorum et consequenter ipsorummet, virens semper et florida sit memoria, ut eorum fama jugiter reviva conservetur et augeatur. Unde explicans subdit : « Et nomen eorum permaneat in æternum, » per hoc quod promanet et permaneat apud « filios illorum, » quæ ingens horum « sanctorum vivorum, » virtuti eorum debita est gloria. Est metonymia et metalepsis; ex ossibus enim intelligitur sepulcrum, ex sepulcro memoria, ex memoria fama et gloria Judicum illustrium. Rursum « pullulare » sumitur pro revirescere, et semper vigere. De hac phrasi plura dicam cap. XLIX, 12; unde Græca habent : *Ossa eorum revirescant*, vel *reflorescant in loco suo, et nomen ipsorum*, ἀντικαταλλασσόμενον, id est *commutatum; Romana, restauratum; glorificatis ipsis in filiis*, *q. d.* Nomen et fama ipsorum transferatur, commutetur et restauretur in filiis, in quibus, dum ipsi parentes quasi reviviscunt et glorificantur, hoc ipso restauratur eorum nomen, fama et vita. Vatablus : *Porro judicum quoque nominatim omnium, quorumcumque non scortatus est animus, et quicumque a Domino non defecerunt, fausta felixque fuerit memoria. Ossa eorum locis suis revirescant, nomenque eorum per successiones ad celeberrimos quosque posterorum traditum.* Sicut enim flos in hieme emortuus in vere revirescit et reviviscit; sic et patris nomen in morte quasi emortuum in filiis, discipulis et posteris revirescit et reviviscit. Symbolice et anagogice, ossa sunt symbolum resurrectionis et gloriæ æternæ, juxta illud *Isaiæ* LXVI, 14 : « Ossa vestra quasi herba germinabunt. » Et Ezechiel vidit, cap. XXXVII, 3 et seq., ossa accedere ad ossa ac reviviscere, ad symbolum resurrectionis. Vide utrobique dicta.

Symbolice, ossa sanctorum pullelant et revirescunt, cum sui venerationem et reverentiam fidelibus, etiam per miracula, incutiunt; quo-

circa fidelēs ossa et reliquias sanctorum religiose servant et venerantur, ideoque per easdem magna a Deo beneficia impetrant, uti de reliquiis S. Stephani oculatus est testis S. Augustinus, XXII *De Civit. Dei*, VIII. Atque hæc est sanctorum virorum gloria; hæc enim gloria consistit in sanctitate, puta in religione, humilitate et charitate, quam Deus miraculis testatam facit. Unde Syrus hic vertit : *Ossa eorum rutilent sicut lilia, et relinquant nomen suum bonum filiis suis, et universo populo laudes sui.*

QUINTA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM SAMUELIS.

Vers. 16. 16. DILECTUS A DOMINO DEO SUO SAMUEL, PROPHETA DOMINI, RENOVAVIT IMPERIUM, ET UNXIT PRINCIPES IN GENTE SUA. — Syrus : *Dilectus Creatori suo, qui postulatus est de ventre matris suæ, continens in prophetia* (cælebs in Prophetis, Nazaræus in Prophetis), *Samuel judex et sacerdos, cujus in verbo firmatum est regnum, et unxit principes ac reges populo.* A Judicibus transit ad Samuelem, quia ipse Judicum fuit ultimus, et pro Judicibus reges, et regnum Israeli induxit, ideoque quasi aristocratiam Israelis mutavit in monarchiam. Samueli ergo hæc dat elogia : primum, quod fuerit « dilectus a Domino Deo suo, » idque a puero; a puero enim Deus Samuelem amavit et in deliciis habuit, quasi suum, utpote quem mater sterilis a Deo precibus impetrasset, ideoque natum eidem reddidisset et consecrasset ad serviendum ei in tabernaculo; ita ut Samuel videretur verus esse minister Dei, et vicissim Deus præ cæteris videretur proprius esse Deus Samuelis. Hanc enim emphasim habet τὸ *Deo suo*. Alludit ad I *Reg.* II, 21 : « Magnificatus est puer Samuel apud Dominum. » Et inferius : « Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, et placebat tam Deo quam hominibus. » Unde « Samuel » hebraice dicitur quasi שאול מאל *Saul meel*, id est postulatus a Deo, juxta illud I *Reg.* I, 20 : « Concepit Anna, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum. » Mox, vers. 27, referens et offerens eum Deo : « Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus, inquit, petitionem meam quam postulavi eum. Idcirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino, » *q. d.* Hic filius meus, cum natus est, a me vocatus est « Samuel, » quasi *Saul meel*, id est postulatus a Deo; nunc vero idem vocetur « Samuel » quasi שאול לאל *Saul leel* (ut habent Hebræa), id est a me donatus et oblatus, imo redditus Domino. Quocirca nonnulli apud Abulensem eo loci non improbabiliter censent « Samuel » esse idem quod « Ismael, » *q. d.* « Exauditio Dei, » vel exaudita est a Deo, scilicet postulatio mea. Denique S. Hieronymus in *Nominibus Hebraicis*, S. Gregorius, in lib. I *Reg.* cap. I, Origenes et Angelomus, *ibidem* : « Samuel, » inquiunt, idem est quod שמו אל *scemo el*, id est, « nomen ejus est Deus; » quia Samuel fuit quasi terrenus quidam Deus Israelis, adeoque typus Christi Filii Dei. Et huc quoque alludit nomen Samuel; licet hæc non sit ratio etymi matris, cur scilicet ab ea vocatus sit Samuel. Idem dico de illo Lyrani in *Different. Scriptur.* : « Samuel, inquit, dicitur quasi שם אל *scam el*, » id est, « posuit illum Deus. » Hinc liquet Samuelem fuisse dilectum Deo, utpote qui magis a Deo quam ab Elcana et Anna procreatus sit, ideoque potius Dei quam Annæ dicendus sit filius, eaque de causa vocatus est Samuel, ut quoties ipse nomen suum audiret, eoque vocaretur, toties Dei recordaretur, eique se totum debere agnosceret, ac lubens se Deo per nazaræatum redderet et consecraret, graviaque ejus exercitia et onera ultro amore Dei quasi patris sui capesseret.

Samuelis elogia. Primum.

Samuelis etyma quatuor.

Secundum, quod fuerit « Propheta Domini : » cum Moyse enim Propheta prophetia videbatur pene emortua, sed eam suscitavit Deus in Samuele. Unde S. Petrus, *Act.* III, a Samuele orditur prophetiam et prophetas de Christo : « Omnes Prophetæ, inquit, a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos. » Porro Samuel adhuc puer cœpit prophetare, colloqui cum Domino, et ab eo de futuris, iisque rebus maximis, ut de clade Heli et totius populi, edoceri, ut patet I *Reg.* III. Elogium secundum.

Tertium, quod « renovavit imperium, » id est de novo instituit imperium, dum regimen et imperium Judicum transtulit in regium : erigendo enim regiam potestatem novum instituit regimen, quo renovavit, roboravit et amplificavit imperium Israelis : validius enim est regimen et imperium regni sive monarchiæ, quam sit judicum et aristocratiæ. Unde græce est, κατέςησε βασιλείαν (ita Romana, licet Complutensia legant in plurali βασιλείας, id est *regna* (hoc est instituit, incœpit, constituit, creavit regnum et reges, scilicet primo Saulem, deinde eo a Deo rejecto Davidem, cujus posteri continua successione fuere reges Israelis usque ad ejus excidium et captivitatem Babylonicam. Vide rei gestæ historiam, I *Reg.* VII et seq. Samuel ergo regimen gentis per Judices aristocraticum in melius, puta in monarchicum, transmutavit : fecit enim ut politia Judæorum judiciaria fieret regia. Alludit ad I *Reg.* XI, 14, ubi dixit Samuel ad populum post victoriam, quam Saul novus rex de Naas rege Ammon obtinuerat : « Venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, Tertium.

et fecerunt ibi Saul regem coram Domino. » Licet enim Saul jam a Samuele fuisset constitutus rex in Maspha, I *Reg.* x, 24; tamen post hanc victoriam ab eodem solemniter inunctus fuit rex in Galgala, præviis sacrificiis cum jubilo et applausu totius populi, quem Samuel post contestationem suæ integritatis adjuravit, ut cum novo rege servaret cultum et legem veri Dei : sicque ibidem innovavit, id est confirmavit et stabilivit novum novi regis regnum. Vide I *Reg.* cap. XII.

Quartum. Quartum, quod ipse non tantum Saulem et Davidem constituit reges, sed et eosdem quasi Propheta et Sacerdos unxit et consecravit, ut essent reges sancti sacrati Deo sancto, ad sancte regendum Israelem, populum Deo dicatum et sanctum. Unde Tigurina vertit : *Carus Domino suo, cujus erat Propheta, Samuel reges constituit, populoque ipsius unxit principes.* Reges enim sunt principes populi.

Vers. 17. 17. IN LEGE DOMINI CONGREGATIONEM JUDICAVIT, ET VIDIT DEUS (perperam aliqui legunt : *Deum* vel *Dominum*) JACOB. — Quinta est hæc laus Samuelis, quod « in lege, » id est ex lege, juxta legem, non autem juxta suam cupiditatem, avaritiam, favorem, vel acceptionem personarum judicarit « congregationem, » id est, ut græce est, *synagogam*, sive cœtum populi : *et*, id est *quia, vidit Deus Jacob*, græce, καὶ ἐπεσκέψατο κύριος τὸν Ἰακώβ, id est *respexit et visitavit Dominus Jacobum, q. d.* Cum Israel hinc civiliter opprimeretur a Philistæis, inde ecclesiastice vexaretur a filiis Heli, qui impie scandalose et tyrannice sacra et sacrificia administrabant, ideoque miserrimus esset tum reipublicæ tum Ecclesiæ in Israele status; Deus ejus misertus, suaque misericordia respiciens, visitans et liberans « Jacobum, « id est Israelem; opportune submisit Samuelem, qui tantis malis mederetur, ac juste, integre et sancte regeret et judicaret populum, eumque a Philistæis liberaret, itaque et rempublicam suo robori, et Ecclesiam Israelis suæ sanctitati restitueret. Unde Syrus vertit : *In lege illius imperavit congregationibus* (vel sua auctoritate visitavit congregationes), *sicut præcepit Dominus Jacobi*, sive Israelis; et Tigurina : *Lege Domini gubernabit multitudinem, cum Dominus idem Jacob respiceret*; alii : *Ex lege Domini judicavit Synagogam, et respexit Dominus Jacobum.* Alludit, imo citat illud I *Reg.* VII, 13 : « Et humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philistæos, cunctis diebus Samuelis. » Et vers. 15 : « Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ, et ibat per singulos annos circuiens Bethel et Galgala et Masphat, et judicabat Israelem in supradictis locis : judicabat, » id est jus dicebat, lites dirimebat, causas forenses dijudicabat.

Vers. 18. 18. ET IN FIDE SUA PROBATUS EST PROPHETA, ET COGNITUS EST IN VERBIS SUIS FIDELIS, QUIA VIDIT Sextum. DEUM LUCIS. — Sexta est hæc laus Samuelis, quod « in fide, » id est fidelitate sua in Deum, « probatus sit propheta, » quod scilicet fideliter munus propheticum, sive legationem Dei ad populum sibi a Deo injunctam obierit, integre et fortiter populo edicens, et exsequens jussa Dei, nullius offensam vel odium veritus. Hinc « cognitus est in verbis suis fidelis, » tum quia nihil prædixit vel edixit, quod non a Deo audivisset; tum quia omnia quæ ipse prophetavit, fideliter et vere, uti ipse prædixerat, evenerunt : « Quia vidit Deum lucis, » id est quia ipse vere illustratus fuit a Deo luce divina et prophetica, ac ea duntaxat, quæ in illa vidit, ad populum retulit; inde enim ipse cæterique Prophetæ vocati sunt Videntes, et prophetia dicta est Visio.

Ubi nota prophetiam aliquando vocari Visionem, aliquando Auditionem : ac Prophetæ aliquando dicunt se vidisse, aliquando se audiisse verbum Domini; quia in intellectu et intellectuali revelatione sæpe idem est audire et videre : atque Hebræi *videre* pro audire, imo pro quovis sensu et cognitione sumunt, ut liquet *Exod.* XX, 18. Quare Samuel dicitur « vidisse, » id est audisse, « Deum lucis » futura sibi revelantem. Adde videri Samuelem vidisse Deum, id est angelum vicarium Dei in specie vel corpore assumpto, ut satis colligitur ex I *Reg.* III, 10 et 21, ubi dicitur Dominus venisse et stetisse, vocasseque Samuelem, eique apparuisse in Silo.

Nota τὸ *quia vidit Deum lucis* posse accipi vel causaliter juxta sensum jam datum, vel donative, *q. d.* Samuel cognitus est fidelis, « quia, » id est *quod*, viderat Deum lucis, *q. d.* Omnes cognoverunt eum vidisse « Deum lucis, » id est cognitionis et prophetiæ auctorem : hoc est omnes cognoverunt eum vere esse Prophetam Dei, nec loqui ex suis imaginationibus, sed ex visis et visionibus a Deo acceptis. Huic sensui favent Græca quæ sic habent : Ἐν πίστει αὐτοῦ ἠκριβάσθη προφήτης, καὶ ἐγνώσθη ἐν ῥήματι αὐτοῦ πιστὸς ὁράσεως, id est : *In fide sua examinatus, exquisitus et probatus fuit propheta, et agnitus est in verbo suo fidelis in visione.* Ita enim legunt Græca Romæ correcta, licet Complutensia deleant τὸ πιστὸς ὁράσεως, id est *fidelis in visione.* Sed omnino hæc verba addenda sunt : posterius enim hemistichium explicat prius more Hebræo, *q. d.* Samuel « in fide, » id est fidelitate sua, « probatus » fuit « propheta, » id est ipse agnitus est in verbis et oraculis suis fidelis esse in visione, id est in prophetia, quod scilicet vere visiones non suas, sed Dei, enuntiaret, eo quod omnia prorsus prout prædixerat evenirent. Visio enim, hebraice *chazon*, vocatur Prophetia, ob causam quam paulo ante dedi. Unde Tigurina vertit : *Hic fide sua propheta probatus est, verbisque suis esse fide vaticina* (vaticinandi) *compertus.* Alludit, imo citat I *Reg.* III, 19 : « Non cecidit ex omnibus verbis ejus (Samuelis) in terram. Et cognovit universus Israel quod fidelis Samuel propheta esset Domini. »

Porro vocatur « Deus lucis, » et huc alludens ait S. Jacobus, *epist.* cap. I, 17 : « Pater luminum, » quia Deus increata, immensa, perennis et fontalis lux, ideoque causa omnis lucis et luminis creati, tum corporalis, tum spiritalis, uti est veritas, illustratio mentis, prophetia, etc. Prophetæ ergo veri sunt, qui vident Deum lucis, ab eoque edocentur : falsi vero Prophetæ sunt, qui vident principem tenebrarum, ab eoque in tenebris edocentur ea quæ tenebrosa, id est incerta, obscura, dubia, falsa et impia sunt.

Vers. 19. 19. ET INVOCAVIT DOMINUM OMNIPOTENTEM, IN OPPUGNANDO HOSTES CIRCUMSTANTES UNDIQUE, IN OBLATIONE AGNI INVIOLATI. — Septima hæc est laus Samuelis, quod sicut ipse fuit Propheta fidelis et judex incorruptus; sic idem fuerit invictus debellator hostium et propugnator populi. Cum enim Philistæi undique circumstarent et oppugnarent populum Israel, nec ille esset resistendo : Samuel exoratus a populo invocavit Deum δυνάςην, id est potentem per eminentiam, hoc est præpotentem et omnipotentem, offerendo illi in holocaustum agnum inviolatum, id est immaculatum et incontaminatum. Debebat enim agnus, qui Deo offerebatur, esse ἄμωμος, id est immaculatus, adeoque agnus Paschalis debebat esse anniculus, *Exod.* XII, 5, id est unius anni, ideoque generationis et libidinis expers, atque illibatus et incontaminatus, ut repræsentaret Christum purissimum et sanctissimum, qui vere est agnus immaculatus et incontaminatus, imo auferens et expians omnes mundi maculas. Ita S. Gregorius hanc explicans historiam, lib. III *in Reg.* cap. VII, vers. 9 : « Agnus, inquit, dicitur (Christus) pro innocentia, lactens pro assumptione naturæ, unus pro singularitate potentiæ, integer pro fidei nostræ firmissima soliditate. »

Septimum.

Pro *agni*, Noster cum Græcis Romæ emendatis legit ἀρνὸς, pro quo corrupte Complutensia et alii legunt ἀνδρός, id est *viri* : Samuel enim obtulit non ἄνδρα, id est virum, sed ἄρνα γαλαθηνόν, id est agnum lactentem, ideoque tenerum, impollutum et inviolatum, ut vertit Noster. Rursum nonnulli pro *inviolati* perperam legunt *immolati*. Syrus : *Ipse quoque contrivit hostes undique circumstantes in sua elevatione agni lactis;* Tigurina liberius vertit : *Dominum potentem invocavit, cum prementibus eum undique hostibus agnum lactentem immolaret.* Vide rei gestæ historiam, I *Reg.* VII, 9.

Tropologice, S. Gregorius loco paulo ante citato : « Agnum, inquit, offerimus, cum per bonum castitatis et innocentiæ Redemptori nostro conformamur, et cum doctrina innocentium patrum nostrorum pascimur, velut ubera sugimus, quibus ad æternam vitam nutriamur. Unum quoque agnum offerimus, si post initia religiosæ conversationis, nulla polluimur inquinatione pravitatis. Unum quippe agnum offert, qui a proposito innocentiæ ad pollutæ vitæ maculas nequaquam diffluit : a quibus redeat per iterationem bonæ operationis. Integrum quoque agnum offerre, est ad æternam vitam non solum carnis continentiam, sed et mentis integritatem præparare. Integrum ergo agnum Domino nequaquam offert, qui carnem Deo per continentiam consecrat, sed mentis suæ secreta ab immundarum cogitationum lascivia non refrenat. Velut enim agni partem sacrificio subripit, qui puritatem cordis corporis continentiæ non conjungit. »

Tropologice oblationis agni.

Vers. 20 et 21. 20 et 21. ET INTONUIT DE COELO DOMINUS, ET IN SONITU (Syrus, *strepitu*) MAGNO AUDITAM FECIT VOCEM SUAM (tonitrui sui, hæc enim est VOX DEI), ET CONTRIVIT PRINCIPES TYRIORUM ET OMNES DUCES (Syrus, *tyrannos*) PHILISTIIM. — Citat I *Reg.* VII, 10, ubi dicitur : « Philistiim (eisque per mare contermini et confœderati Tyrii, ut hic dicitur) iniere prælium contra Israel; intonuit autem Dominus fragore magno in die illo, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel, » qui persecutus est eos usque ad locum et lapidem qui inde dictus est Lapis adjutorii. Addit Josephus, lib. VI *Antiq.* cap. II, dicens : « Priusquam victimam (agni) totam flamma absumeret, nondum sacro peracto, hostis in conspectu aciem explicat, rem factam se habere putans, interceptis Judæis imparatis et inermibus. At longe aliter accepti sunt; primum enim terra jubente Deo sub pedibus eorum intremuit, et vacillante vestigio nutabant, nonnulli etiam in improvisos hiatus prolabebantur, deinde fulminibus crebris attoniti, et ignitis fulguribus oculos ac manus semiustulati, ut ne arma quidem retinere possent, in fuga spem totam ponebant; cum subito Samuel in perturbatos irruit, cæsisque plurimis, reliquos usque Corræos (id loci nomen est) persequi non destitit, et fixo ibi suæ victoriæ fugæque hostium termini lapide, qui trophæi vice esset, appellavit eum Fortem, in signum donatæ a Deo contra hostem fortitudinis. » Hæc Josephus, qui more suo nonnulla addit ad historiam S. Scripturæ, sive traditione accepta, sive exornationis causa, ad conciliandum suis Hebræis apud Gentes nomen et decus. Sane sub tonitru intelliguntur fulmina, quia communiter hæc sese invicem comitantur, imo tonitru est causa fulminis, in illudque resolvitur et desinit. Atque solet Deus, qui in vindicta est efficax, non solum per tonitru metu percellere, sed et per fulmina siderare, et conterere suos hostes.

Tropologice, S. Gregorius, loco paulo ante citato, per tonitrua accipit devota Sanctorum desideria cœlestia, quibus ipsi fugant hostes, puta diabolos : « Velut enim tonitruo, inquit, territi fuerunt, dum in electis mentibus, quas tentando pulsaverunt, ingentem sonitum divinæ virtutis expavescunt. Quia vero fragore magno intonuisse Dominus dicitur, quid est aliud, nisi quia imperfecta Christianorum desideria dæmonibus ter-

Tropologice tonitrua sunt fortia Sanctorum desideria.

ribilia non sunt? Fragor enim magnus tonitrui perfectum est uniuscujusque desiderium electi. Cum igitur fragore magno super Philistæos Dominus intonat, tunc a filiis Israel cæduntur; quia dum electorum mentem perfecta devotio ad superna gaudia erigit, omne quod adversæ militat parti, a se penitus abscindit. Bene quoque prius territi Philistæi, deinde a filiis Israel cædi memorantur; nam terrentur electorum devotione, cæduntur opere. Et quia opere devotio prior est, terreri prius, postea vero cædi recte perhibentur. Nam prius donum bonæ voluntatis a Domino accipimus ut consilia malorum spirituum postmodum confutare valeamus. Bene etiam Dominus super Philistæos intonare et exterrere eos dicitur; filii autem Israel illos cædere perhibentur, quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur; sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus. »

Vers. 22. 22. ET ANTE TEMPUS FINIS VITÆ SUÆ ET SÆCULI, TESTIMONIUM PRÆBUIT IN CONSPECTU DOMINI ET CHRISTI; PECUNIAS ET USQUE AD CALCEAMENTA AB OMNI CARNE NON ACCEPIT; ET NON ACCUSAVIT ILLUM HOMO. — Octavum. Est hæc octava laus Samuelis, quod adeo fuerit integer et incorruptus in judicando, ut nullum vel minimum a quoquam munus acceperit, nec eum accusare vel criminari quis, quantumvis vafer et malitiosus, potuerit. Sensus ergo est, *q. d.* Samuel antequam finiret vitam et sæculum, sive antequam e vita et sæculo hoc decederet ac moreretur, contestatus est totum populum, omnesque Israelitas in testes vocavit suæ innocentiæ et integritatis in conspectu Dei, quem adoraverant, et qui sacrificarant novo rege Saule creato in Galgala, ut a Deo felicia regni ejus auspicia deposcerent; « et in conspectu Christi, » id est regis Saulis, quem chrismate in regem inunxerat Samuel; contestatus, inquam, est quod ipse toto tempore quo fuit judex Israel, « pecunias, et usque ad calceamenta, » id est nihil prorsus, ne vile quidem et minimum (tales enim erant calcei, præsertim Palæstinorum, quorum calcei erant sandalia, sive soleæ inferne duntaxat pedem tegentes, superne vero ligulis pedi astricti) « ab omni carne, » id est ab ullo homine, « non accepit: » græce est, *non accepi*, ut sint verba Samuelis contestantis suam integritatem. Quod adeo verum fuit, ut in toto populo nullus esset, qui eum de hac aliave re accusare posset vel auderet. Tigurina liberius de more vertit: *Ante tempus vitæ finiendæ coram Deo et uncto ipsius testatus est se nec pecunias ab ullo mortalium, nec ad calceamenta usque quidquam accepisse, neque vero quisquam est eum criminatus*; alii: *Et ante tempus æterni soporis* (sic enim vertas quoque τὸ κοιμήσεως αἰῶνος, quod ad verbum sonat *dormitionis sæculi*, ita vocat mortem) *contestatus est coram Domino et coram uncto ejus, pecuniam, ne calceos quidem, ab ullo homine accepi, et nemo eum vocavit in jus*. Sic enim vertas quoque τὸ ἐνεκάλεσεν, quod Noster vertit, « accusavit. » Historia narratur I *Reg.* XII, 1. Syrus: *Et in tempore quo requievit super lectulum suum, testificatus est coram Deo et coram Christo ejus, quod munus et donum ab homine non susceperit.*

Samuelem avorum memoria imitatus est illustris ille Angliæ totius judex et cancellarius, ac invictus fidei usque ad mortem athleta, Thomas Morus, qui, ut in ejus *Vita* scribit Thomas Stapletonus, cap. VIII et XX, cum a puero usque ad annum ætatis 50, in magnis reipublicæ officiis versatus fuisset, tamen non auxit annuum censum ultra sexaginta aureos nummos, aut paulo amplius, cum nuper quidam ibidem paucis annis censum suum auxerit ad sexaginta millia. Quocirca cum Morus impie capitis damnatus ad supplicium duceretur, eique occurreret mulier petulanter illi objiciens corruptelam, quod in lite sua dijudicanda non modicam sibi fecisset injuriam; restitit Morus, ac constanti vultu et voce: « Ego, inquit, optime causæ tuæ memini, ac si hac ipsa hora mihi de ea judicandum foret, non aliam ferrem sententiam, quam olim tuli. » Si Morum omnes imitarentur, non essent tot Verres, tot verricula provinciarum. Thomas Morus integritas.

Vers. 23. 23. ET POST HOC DORMIVIT, ET NOTUM FECIT REGI, ET OSTENDIT ILLI FINEM VITÆ SUÆ, ET EXALTAVIT VOCEM SUAM DE TERRA IN PROPHETIA DELERE IMPIETATEM GENTIS. — Nonum. Nona est hæc laus Samuelis, quod non tantum in vita, sed et post mortem prophetarit. Unde Græca initio habent: *Et postquam ipse dormivisset, prophetavit.* Cum enim Saul cinctus ab hostibus adiret pythonissam, peteretque ab ea suscitari Samuelem, ut ab eo sciscitaretur quid facto opus, Samuel apparuit Sauli, illique interitum et toti genti cladem ob impiam vitam prænuntiavit, quæ et paulo post ad verbum contigere. Vide historiam, I *Reg.* cap. XXVIII. Syrus: *Et post mortem suam interrogatus est, ostenditque regi viam ejus, et exaltavit de terra vocem suam in prophetia, ad cessare faciendum peccata.*

An verus Samuel apparuerit Sauli? Quæritur an verus fuerit Samuel, qui apparuit Sauli, an phantasticus, sive an vere apparuerit anima Samuelis, an ejus larva per illusionem dæmonis? Nonnulli veteres, quibus non satis cognita fuit fides et auctoritas hujus libri Ecclesiastici, censent fuisse Samuelem phantasticum, ac larvam illusionemque diaboli, puta dæmonem in specie et forma Samuelis. Ita Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. LVII, Procopius, Eucherius, Beda, I *Regum* cap. XXVIII. Eodem inclinat, sed dubitando, S. Augustinus, lib. II *ad Simplic. Quæst.* III. S. Augustinum sequitur Jansenius: Samuel, inquit, dicitur prophetasse, quia dæmon evocatus a pythonissa coactus fuit ab angelo Samuelis illa edicere Sauli, quæ Deus illi infligere destinabat. Negant aliqui.

Ratio est prima, quia hæc umbra Samuelis ob- Probant

divit pythonissæ, ejusque magiæ, ac ejus incantatione dæmonisque vi et potestate suscitata videtur; pythonissa enim non alium quam suum pythonem, id est dæmonem familiarem, evocavit. Hoc autem indignum, imo impium, est sentire de anima Samuelis Prophetæ, tam pii et sancti. Fuit ergo hæc larva dæmonis, non anima Samuelis.

Secundo. Secunda, quia umbra hæc inter alia dixit Sauli: « Cras autem tu et filii tui mecum eritis, » I *Reg.* XXVIII, 19. Samuel autem erat in limbo patrum, cum Saul videatur descendisse ad infernum damnatorum, utpote moriens in flagranti delicto superstitionis et magiæ, quo consuluit dæmonem per pythonissam; fuit ergo dæmon, qui ei dixit: « Cras autem tu et filii tui mecum eritis, » scilicet in gehenna.

Asserunt alii verius. Verum contrarium longe verius est, scilicet apparuisse vere ipsam animam Samuelis in corpore aereo assumpto, quale assumunt angeli, dum hominibus apparent. Probatur *primo*, quia id clare et ample docet hic Siracides, dum ait Samuelem post mortem prophetasse, et exaltasse de terra vocem suam in prophetia, adeoque hanc ultimam et maximam laudem dat Samueli; cum potius ingens probrum et dedecus fuisset Samueli, si ejus umbra et forma usurpata a dæmone serviisset pythonissæ ejusque magiæ et incantationi.

Probatur Primo.

Secundo. *Secundo*, quia idem clare significat narratio rei gestæ, I *Reg.* XXVIII, 10 et seq., ubi non alius nominatur, describitur, loquitur, prophetat, quam Samuel Propheta.

Tertio. *Tertio*, idipsum arguit ejus prophetia, qua graviter, vere et severe nomine Dei Sauli mortem, Hebræis cladem, ob scelera intentat et vaticinatur; quæ omnia ad litteram uti prædixerat Samuel, evenerunt; ut non dubium sit hanc non fuisse conjectionem vel illusionem diabolicam, sed verissimam prophetiam Deique oraculum.

Quarto. *Quarto*, ita sentiunt plures et graviores auctores, nimirum S. Augustinus, *De Cura pro mortuis*, cap. XV, Josephus, lib. VI *Antiq.* XV, S. Ambrosius, *in cap.* I *S. Lucæ*, S. Hieronymus, *in cap.* VII, *Isaiæ*, Justinus, *Contra Tryphon.* Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Dionysius, Sanchez in I *Regum*, *cap.* XXVIII, Rabanus et Palacius hic, S. Basilius, *epist.* 80, Bellarminus, lib. II *De Purgat.* VI, Thyræus, lib. I *De Apparit. spirituum*, cap. XVI, n. 410, qui æque ac S. Augustinus plura apparitionum spirituum, præsertim beatorum, exempla recenset.

Ad Primum respondeo. Ad primum adversæ partis fundamentum respondeo Samuelem apparendo non obedivisse pythonissæ, nec ejus dæmonisque vi coactum fuisse sese ostendere Sauli; sed jussu Dei sponte occurrisse pyhtonissæ, imo prævenisse et impedivisse ejus incantationem et effectum. Id liquet *primo*, ex eo quod, cum Saul consuluit pythonissam, illico se ei ostendit Samuel, antequam ipsa sua carmina magica recitare, ritusque magicos (qui morosi et longi sunt) ad evocandam umbram Samuelis exercere posset, ut patet I *Reg.* XXVIII, 12; *secundo*, ex eo quod pythonissa turbata est, cum vidit Samuelem, antequam eum evocaret. Samuel ergo non a pythonissa, sed a Deo suscitatus, pythonissæ sponte occurrit, et incantationes prævenit, tum ut eas impediret ne dæmon responderet, ait Cajetanus; tum ut Saulem et Hebræos, pro hoc magiæ crimine aliisque sceleribus, denuntiatione mortis et cladis futuræ castigaret et plecteret. Ita S. Augustinus, *ad Simplic.* lib. II Quæst. III: « Non est absurdum credere, inquit, ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse ut non invitus, nec dominante aut subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ et pythonissam illam et Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ se ostendi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus. »

Simili modo, cum Balaam vellet consulere dæmonem pro Balac rege Moab, prævenit eum angelus Dei, ac sublimem illam de Israele et Christo prophetiam per ipsummet Balaam edidit. *Num.* XXII, 32.

Sic quoque cum Ochozias rex Israel æger mitteret legatos, ad consulendum idolum Beelzebub de vita et sanitate sua, prævenit eos Elias, ac propter hoc peccatum illi ex Deo mortem prænuntiavit et intentavit, IV *Reg.* I, 16.

Dices: Samuel apparens ait Sauli: « Quare inquietasti me ut suscitarer? » Ergo ad postulationem Saulis fuit suscitatus. Respondeo: Ita est; at non ad postulationem pythonissæ. Postulatio enim Saulis non causa, sed occasio fuit, cur Deus suscitarit Samuelem, ad Saulem castigandum et plectendum.

Ad secundum respondeo, τὸ *mecum eritis* significare generatim et confuse locum statumque defunctorum, non autem particulatim et distincte ejus receptaculum et sedem, an scilicet is limbus patrum futurus esset, an gehenna, *q. d.* Cras tu et filii tui moriemini, et apponemini ad mortuos, ac mecum eritis in loco statuque mortuorum, puta apud inferos; sed dispari sorte et receptaculo, ego enim in limbo sum, tu descendes ad gehennam: « Nec enim ibi Saul malus, ubi Jonathas bonus meruit recipi, » ait Beda. Et S. Augustinus, loco citato, *ad Simplic.* « Τὸ *mecum eris*, inquit, non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur; quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat. »

Ad secundum.

Ex dictis patet quantam laudem et gloriam mereatur Samuel. Theodoretus, *Quæst.* LIV, in lib. I *Regum*, eum non tantum sanctissimum, sed et « divinissimum » nuncupat; Philo, lib. *De Temulentia*, « Regum Prophetarumque maximum, » imo homine sublimiorem: « Samuel, inquit, fortassis homo; accipitur tamen non ut compositum animal, sed ut mens solo Dei cultu ac mi

Samuelis elogia.

nisterio gaudens. » Sic Moysen idem Philo, lib. I *Vitæ* ejus, scribit « stupori fuisse omnibus familiaribus, tanquam novum naturæ miraculum, incertis qualis mens habitaret in ejus corpore, humanane an divina. » Subdit Philo, lib. *De Temulentia*, Samuelem Nazaræum fuisse, ac nec vinum nec siceram bibisse usque ad finem vitæ; causam adjicit : « Adscriptus est enim in divinum exercitium, qui nunquam imperatoris sapientissimi providentia destituitur. » Denique Samuel tanti erat apud Deum meriti, ut oratio ejus efficacissima Moysis orationi validissimæ, qua toti Israeli, ob adoratum vitulum a Deo neci destinato, veniam impetravit, *Exod.* XXXII, æquetur a Jeremia XV, 1 : « Si steterit, inquit, Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. » Causam dat S. Gregorius, homil. 27 *in Evangel.*, quod mansuetus fuerit ut Moyses, ac pro inimicis suis Deum exorarit. Quocirca S. Chrysostomus, hom. 2 *De Sacerdot.*, de Samuele agens, eum fuisse asserit, « qui reliquos anteiret bonitate ac moribus, tantoque intervallo omnes retro Sanctos antecellere videretur, quantum in segetibus felices eminent spicæ. »

CAPUT QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Encomium Nathan, deinde Davidis, vers. 2, *usque ad vers.* 14; *inde Salomonis et Roboam partim elogium, partim vituperium usque ad finem capitis.*

1. Post hæc surrexit Nathan propheta in diebus David. 2. Et quasi adeps separatus a arne, sic David a filiis Israel. 3. Cum leonibus lusit quasi cum agnis : et in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium, in juventute sua. 4. Numquid non occidit gigantem, et abstulit opprobrium de gente? 5. In tollendo manum, saxo fundæ dejecit exsultationem Goliæ : 6. nam invocavit Dominum omnipotentem, et dedit in dextera ejus tollere hominem fortem in bello, et exaltare cornu gentis suæ. 7. Sic in decem millibus glorificavit eum, et laudavit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ. 8. Contrivit enim inimicos undique, et exstirpavit Philistiim contrarios usque in hodiernum diem : contrivit cornu ipsorum usque in æternum. 9. In omni opere dedit confessionem Sancto et Excelso in verbo gloriæ. 10. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum qui fecit illum : et dedit illi contra inimicos potentiam; 11. et stare fecit cantores contra altare, et in sono eorum dulces fecit modos. 12. Et dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ed consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini, et amplificarent mane Dei sanctitatem. 13. Dominus purgavit peccata ipsius, et exaltavit in æternum cornu ejus : et dedit illi testamentum regni, et sedem gloriæ in Israel. 14. Post ipsum surrexit filius sensatus, et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum. 15. Salomon imperavit in diebus pacis, cui subjecit Deus omnes hostes, ut conderet domum in nomine suo, et pararet sanctitatem in sempiternum : Quemadmodum eruditus es in juventute tua, 16. et impletus es quasi flumen sapientia, et terram retexit anima tua. 17. Et replesti in comparationibus ænigmata : ad insulas longe divulgatum est nomen tuum, et dilectus es in pace tua. 18. In cantilenis, et proverbiis, et comparationibus, et interpretationibus miratæ sunt terræ, 19. et in nomine Domini Dei, cui est cognomen, Deus Israel. 20. Collegisti quasi aurichalcum aurum, et ut plumbum complesti argentum, 21. et inclinasti femora tua mulieribus : potestatem habuisti in corpore tuo, 22. dedisti maculam in gloria tua, et profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, et incitari stultitiam tuam, 23. ut faceres imperium bipartitum, et ex Ephraim imperare imperium durum. 24. Deus autem non derelinquet misericordiam suam, et non corrumpet, nec delebit opera sua, neque perdet a stirpe nepotes electi sui : et semen ejus, qui diligit Dominum, non corrumpet. 25. Dedit autem reliquum Jacob et David de ipsa stirpe. 26. Et finem habuit Salomon cum patribus suis. 27. Et dereliquit post se de

semine suo, gentis stultitiam, 28. et imminutum a prudentia, Roboam, qui avertit gentem consilio suo : 29. et Jeroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israel, et dedit viam peccandi Ephraim, et plurima redundaverunt peccata ipsorum. 30. Valde averterunt illos a terra sua. 31. Et quæsivit omnes nequitias, usque dum perveniret ad illos defensio, et ob omnibus peccatis liberavit eos.

PRIMA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM NATHAN.

Vers. 1. 1. POST HÆC SURREXIT NATHAN PROPHETA IN DIEBUS DAVID. — Pro *propheta* Noster cum Complutensibus legit in Græco ὁ προφήτης; jam Romani, Tigurina et alii legunt προφητεύειν, id est *prophetare*. Rursum, pro *post hæc*, Græca legunt μετὰ τοῦτο, id est *post hoc*, vel μετὰ τοῦτον id est *post hunc*, scilicet Samuelem. Unde vertunt : *Post hunc surrexit Nathan, ut prophetaret in diebus Davidis*; Vatablus : *Post hunc exortus est Nathan qui, tempore Davidis, functus est munere prophetico;* Syrus : *Post illum surrexit Nathan propheta, ad audire faciendum* (vel ad præcipiendum, ad præmonendum, ad prædicendum) *coram David.*

Siracides, sicut capite præcedenti Sauli præmisit Samuelem, sic hic Davidi præmittit Nathan prophetam : quia, sicut Samuel Sauli recti regiminis omnisque boni causa exstitit, sic et Nathan Davidi. Unde politice discimus salutem et felicitatem regum et regnorum in eo consistere, si habeant non tantum consiliarios politice justos et sinceros, sed et Prophetas, puta sanctos Pontifices, concionatores, confessarios, viros religiosos et divinos, qui eis ex Deo quid agere, quid cavere debeant, denuntient; ac proinde reges et principes tales sibi omni studio accersere debere, eos audire, illis obsequi, si suæ conscientiæ et subditorum saluti consultum velint. Ita Constantinus Magnus sibi accersivit S. Sylvestrum, Theodosius S. Ambrosium, Arcadius S. Chrysostomum, Clodovæus S. Remigium, Hermenigildus cæterique reges Hispaniæ S. Leandrum, S. Isidorum, S. Ildefonsum, similesque sanctos et theodidactos Antistites, quorum consiliis et monitis regna tam fide, virtute et pietate, quam opibus, victoriis omnique rerum copia floruere.

Porro Nathan hic fuit eximius Propheta, ideoque datus a Deo pro insigni dono Davidi, ut ejus esset monitor et director. Unde et « Nathan » hebraice idem est quod « datum » vel « donum; » datus enim fuit Davidi, ut Samueli jam defuncto, qui Davidem in regem inunxerat, succederet ad prophetandum, tum proprie, scilicet ad prædicendum futura, uti prædixit eidem posteritatem regiam continuam et prennantem, II *Reg.* VII; tum methaphorice, scilicet ad docendum, monendum, consulendum et exhortandum Davidem, uti eum magna spiritus libertate et fortitudine monuit, et corripuit de homicidio Uriæ et adulterio cum Bethsabee, eumque ad pœnitentiam sanamque et sanctam mentem reduxit, II *Reg.* XII. Quocirca David moriturus jussit Salomonem filium inungi in regem a Nathan propheta, et a Sadoc pontifice, III *Reg.* I, 32. Denique integritas et sinceritas Nathan liquet ex eo quod, cum rogatus a Davide de templo fabricando annuisset, eumque ex Deo incitasset ad fabricam; mox ut a Deo contrarium audiit, sententiam suam retractavit, II *Reg.* VII, 5. Quocirca omnes Interpretes consentiunt Nathan prophetam Davidi regi fuisse perfamiliarem et assiduum, ac apud Davidem grave et fidele fuisse ejus consilium, utpote cum quo partiri curas, et de summis rebus deliberare consuesset. Idque satis indicat Scriptura, II *Reg.* VII, et Siracides hic, cum ait Nathan surrexisse, ut esset propheta in diebus David, ut scilicet regi in regendo esset socius, auxiliaris, imo pædagogus, monitor et præceptor, uti docet noster Pineda, lib. I *De Rebus Salom.* cap XIX, n. 6. Quippe, cum rex, inquit, in summo et in lubrico positus periclitetur, ac multis animi morbis, ut qui maxime, obnoxius sit, Propheta indiget, qui regem sustineat, qui lapsum contineat, qui ægrotanti salutarem consilii et correptionis medicinam faciat. Neque vero sine causa dictum est *Eccli.* XLVII, 1 : « Surrexit Nathan propheta in diebus David. » Non enim ideo dicitur quo tempore floruerit, aut sub quo rege, ut fides concilietur illius prophetiæ : quemadmodum initiis Prophetarum tempus et ætas principum sæcularium notatur, quippe nullum amplius verbum de Nathan subjungitur; sed ut tum regis indigentia significaretur; tum Prophetæ laboriosissimum regi assistendi, illi convivendi, et illum admonendi, corrigendi, curandi, onus a Deo impositum. Ita S. Epiphanius, lib. *De Vita et morte Prophetarum* : « Nathan, inquit, propheta in lege Domini Davidem instituit. »

SECUNDA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM DAVIDIS.

vers. 2 **2. Et quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israel.** — Pro *separatus* aliqui legunt, *saturatus a carne;* quia adeps carne pascitur et quasi saturatur : subtilior enim, tenerior et melior pars carnis et sanguinis convertitur in adipem; unde adeps est in carne quod pollen in farina, medulla in osse, flos in arbore, vitellus in ovo, stacte in myrrha, lacryma in vino. Verum græce est ἀφωρισμένον ἀπὸ σωτηρίου, id est *separatus a salutari*, puta ab hostia pacifica, quæ pro salute personæ, familiæ vel regni offerebatur, *Levit.* III, quam proinde Vatablus vocat « hostiam felicem; » ad eam enim hic respicit, *q. d.* Sicut adeps e victimis pacificis per sacerdotem separabatur a carne, ut Deo adoleretur : ita David ex universis Israelitis a Deo selectus et dilectus fuit; in hostia enim salutari, sive pacifica, solus totusque adeps cedebat et cremabatur Deo : reliqua caro cedebat partim sacerdotibus, partim offerentibus. Unde Rabanus legit : *Quasi adeps salutaris* (id est hostiæ pacificæ) *separatus a carne* quo *ostendit*, inquit, *eum gratia Spiritus Sancti repletum, a carnalium et peccatorum hominum consortio in moribus et vita sequestratum esse et alienum.* Sic enim habent Græca : *Sicut adeps separatus a salutari* (ab hostia pacifica), *sic David* (separatus et secretus fuit) *a filiis Israel.* Prima hæc est laus Davidis, quod ut adeps fuerit selectus et electus a Deo. Arabicus : *Velut præcellentia adipis super sancto* (syriace, *super Phares*, id est *super carne divisa et incisa*, quæ erat sancta, id est Deo sacra et consecrata) *sic præcelluit David super Israel.* Unde ex Arabico et Syro sic vertas : *Sicut excellentior est adeps sancto* (id est carne sancta quæ offertur Deo), *sic excelsior est David Israele.*

Davidis laus. Prima.

Tropologice, noster Alvarez de Paz, tractatu *De Obedientia*, lib. V, part. II, cap. IV, per adipem separatum et consecratum Deo accipit Religiosum, utpote qui totum se Deo dicavit : Sæcularis, inquit, sanctus est, sicut caro sacra Deo in hostia pacifica oblata, quæ partim in usum sacerdotis cedebat, partim ab ipso offerente cum gratiarum actione comedebatur. Religiosus vero obediens est sicut adeps multo sacratior, quem totum ignis in honorem Dei absumebat. Atque adeo vita obedientis est verum merumque holocaustum, et obedientia illum plane beatum facit; quoniam similem beatis spiritibus, et toto tempore Deo deditum, et illi consecratum constituit. Talis adeps fuit S. Anselmus, qui lib. *De Similit.* cap. LXXXIV : « Domine, inquit, meæ hactenus potestatis erat, quodque mihi libebat bonum malumque faciebam. Verum quia tuus omnino debeo esse, tibique soli tantum bona opera fructificare, me totum tuæ trado potestati, ut amodo tibi fructificem. Quod ut melius tibi facere valeam, me uni ex Ecclesiæ Prælatis subdam, qui me custodiens ea tantum opera doceat agere, quæ tibi noverit magis placere. »

Porro recte David comparatur adipi hostiæ pacificæ : *primo*, quia, sicut adeps est optima et sapidissima pars carnis; sic David optimus fuit Israelitarum.

Adipis sacri et Davidis analogiæ. Prima.

Secundo, sicut adeps hic dicatus erat Deo, cum cætera caro cederet hominibus : sic David totum se Deo Deique voluntati, amori et laudi dicavit. Unde Deus de eo gloriatur : « Inveni David filium Jesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, » II *Reg.* XIII, 22.

Secunda.

Tertio, adeps ob candorem symbolum est puritatis; ob separationem a carne, sanctitatis angelicæ, quæ fuit in Davide : David enim non quærebat quæ sua sunt, uti faciebant cæteri, sed duntaxat quæ Dei; unde illius amori et obsequio se totum impendit et superimpendit. Quocirca S. Chrysostomus, homilia *De Davide et Saule*, cum Davidem « separatum a carne » contemplatur, angelum sibi efformat illustrem in cœlo; illustrem in terra, eumque asserit ad Evangelicæ philosophiæ fastigium pervenisse animi moderatione; millies meruisse martyrii coronam, qui Saulem hostem acerrimum, suum jugulum quotidie petentem, propter Deum noluerit occidere : denique hominem in natura humana vitam præstitisse angelicam.

Tertia.

Addit Pineda, *De Rebus Salom.* lib. I, cap. II, num. 3, per adipem separatum a carne amplificari admirabilem Davidis sanctitatem, eo quod, teste Galeno, lib. II *De Nat. facult.* cap. III, adeps exsanguis sit, cum tamen generetur ex sanguine; qui cum humidior sit, et vitæ quoddam quasi pabulum et irrigatio, partibus nervosis et membranosis est affusus, quippe siccioribus et tenuioribus pingui illo nativo humectandis, ne celeriter inediis et exercitationibus exsiccatæ indurescerent. Præterea sui semper est similis, sine dolore, sine sensu. Vides hic repræsentatum vitæ supra humanum candorem precantis regis : « Libera me de sanguinibus, Deus, Deus meus; » et : « Ut fieret cor ejus immaculatum, » ac denique : « Non acquiescentem carni et sanguini. » Vides regiam mansuetudinem, et mollissimorum viscerum benignitatem affusam pauperibus et tenuioribus sustentantem, sublevantem, reficientem laborantes : semper sui similem erga Deum, erga homines, sive felicem, sive ærumnosum; denique ita erga Saulem hostem atque inimicos erecto, alacri, benefico animo, ac si sine injuria-

rum ac malorum dolore, et sine ullo esset sensu rerum humanarum. Quid in tanta sanctitate similius adipis sancti separati a carne?

Quarta. *Quarto*, adeps symbolum est optimi regis et principis; nam, si adipis in medicinis usus humanæ vitæ salutares ad optimi et sanctissimi principis officia in Rempublicam transferas, quid non invenies in Davide, quod ad populi sibi subjecti salutem et incolumitatem non faciat? Quæcumque, inquit medicus, bene nutriuntur, adipem obtinent. Ubi igitur princeps virtutem adipis habet, bene nutritur populus, bene pascitur : ubi adipis officium et vicem suis subditis præstat, non macrescit Respublica; nullos contrahit morbos doloresve, qui principis seu adipis beneficio et opera levari, molliri, concoqui non valeant.

Galen. *de Simplic. medic. facult.* lib. X.

uinta. Denique, sicut adeps est pinguissimus, adeoque tota carnis pinguedo : sic David ardens charitate, diffluens devotione, pietate in Deum, æque ac misericordia in proximos (utriusque enim symbolum est adeps) excelluit, uti patet ex ejus Psalmis, qui non aliud quam devotionem in Deum et amorem in proximum spirant. Proprie autem adeps, Deo dicatus ex qualibet victima, significabat intentionem in quovis opere dirigendam esse ad Deum, ut scilicet opus fiat pure ad honorem et gloriam Dei, uti dixi *Levit.* III, 17, quod præstitit præ aliis David. Quocirca ipse ab amore et dilectione nomen accepit; David enim hebraice idem est quod dilectus. Unde et filius ejus Salomon dictus est *Iedidia*, id est « amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus, » II *Reg.* XII, 25; licet S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXXVII, et in *Psalm.* XXXIV, David interpretetur manu fortem, vel desiderabilem.

Vers. 3. 3. CUM LEONIBUS LUSIT QUASI CUM AGNIS : ET IN URSIS SIMILITER FECIT SICUT IN AGNIS OVIUM, IN JUVENTUTE SUA. — Græce : *Cum leonibus lusit quasi cum hædis, et cum ursis quasi cum agnis ovium*, sicut a venatore leones et ursi venabulo conficiuntur. Unde Arabicus vertit : *Occidit leones cum ursis velut agnos, ut gigas in adolescentia sua*; Syrus : *Leones quasi hædos occidit, et ursos quasi agnos in pueritia sua, q. d.* David juvenis, pascens oves, adeo fuit fortis, alacer et animosus, ut sine labore et timore, quasi jocando et ludendo interfecerit leonem et ursum gregem invadentes, I *Reg.* cap. XVII, 34. Est enallage numeri : « cum leonibus, » id est cum leone; « cum ursis, » id est cum urso; sed dicit : « cum leonibus » et « cum ursis, » tum ad auxesin elogii et carminis; tum quia qua facilitate unum, eadem plures potuit occidere, ac, ut videtur, revera plures occidit, uti innuitur I *Reg.* XVII, 34, ubi David ait Sauli : « Pascebat servus tuus gregem patris sui, et veniebat leo vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis, et persequebar eos, et percutiebam; » quæ verba rem non semel duntaxat, sed sæpius factam et quasi solitam significant, uti advertit ibidem noster Sanchez et Abulensis. Qui et addit hanc fortitudinem non tam naturalem fuisse, quam miraculose Davidi inditam, cum ipse a Samuele unctus fuit in regem; tunc enim « directus est spiritus (fortitudinis æque ac sapientiæ) Domini a die illa in David, et deinceps, » I *Reg.* cap. XVII, 13, ac mox, cap. XVII, subjungitur lusus Davidis cum leone et urso.

Nota catachresin, qua lusus ponitur pro certamine et pugna; hæc enim est lusus militum et fortium. Sic II *Reg.* II, 14, ait Abner ad Joab : « Surgant pueri, et ludant coram nobis; ludant, » id est duellent; duellum enim est ludus spectantium : sic lupus ludit cum ovibus, canis cum lepore, felis cum mure, cum eum laniat et vorat. Porro vox « lusit » significat Davidis non modo virtutem ac juvenile robur, sed singularem quoque dexteritatem ac strenuitatem : quippe qui « per modum ludentis facili conatu ac delectabiliter leonem occiderit, ac si agnum interfecisset; et in ursis similiter fecerit sicut in agnis ovium, » inquit Hugo et Dionysius.

Allegorice : « Christus leonem et ursum strangulavit, quando ad inferna descendens omnes de eorum faucibus liberavit, » ait S. Augustinus, serm. 197 *De Tempore*. Huc facit Apophthegma R. Juda in *Pirke avoth*, id est in *Apophthegm. Patrum* : « Audacem te oportet esse ut pardum, alacrem ad cursum et expeditum pedibus quasi capream; sicut aquilam regiam et solarem volurem, omnia præ agilitate corporis penetrantem : denique ad instar leonis cujusdam strenuum ac bellicosum, fortem et magnanimum ad mandandum exsecutioni Dei ac patris tui voluntatem. »

Sic et Sancti. Exempla. Simili modo viri obedientia, innocentia et sanctitate eximii lusere cum leonibus. Joannes Anachoreta ab Abbate per jocum jussus adducere leænam, protinus ad eam accedens : « Abbas meus, inquit, præcipit ut alligem te, et perducam ad eum; » quare eam cepit, ligavit et ad Abbatem perduxit. Hæc est vis, hic lusus obedientiæ. Ita Ruffinus, lib. III *Vitar. SS. Patrum*, num. 27. Gerasimus (falso aliqui, vicinia nominis decepti, id adscripsere S. Hieronymo) Abbas, leoni spinam e pede evellens, ita eum cicuravit, ut clitellas instar asini dorso ferret; at moriente Gerasimo et sepulto, sepulturæ ejus incumbendo leo lugens ejulansque, eidem quasi hero, imo patri suo commoreretur et consepeliretur. Ita Joannes Moschus, in *Prato spirituali*, capite CXCVII. Cum S. Antonius sepelire vellet S. Paulum, primum eremitam, accurrerunt ad eum duo leones, qui fossam unguibus effoderunt, in qua Paulus sepeliretur, ac dejecta cervice benedictionem ab Antonio postulantes, ea impetrata, læti ad sua redierunt. Ita S. Hieronymus, in *Vita S. Pauli*. Idem Moschus, cap. LVIII, narrat Julianum Stylitam jussisse leoni multa damna provinciæ inferenti, ut ex provincia excederet; ac leonem obedientem illico excessisse. S. Sabbas Abbas sub vesperam ingressus cavernam, in qua leo suos ale-

bat catulos, jussit leoni vel secum manere vel, si id nollet, sibi locum cedere. Cessit leo, et cum catulis excessit in aliud spelæum. Ita habet ejus *Vita*. Simeon Priscus hospitibus a via aberrantibus duos leones, quasi ludens viæ duces assignavit, qui proinde eos secure recto itinere deduxerunt. Eidem leo in spelunca jussus locum cedere, cessit, quin et botrum attulit dactylorum. Ita Theodoretus in *Philotheo*, cap. VI.

Ita Sancti ludunt cum leonibus, lupis et feris, eisque imperant tanquam servis Domini, Dei, amici, imo patris sui. Tanta est virtus innocentiæ et sanctitatis, ex qua Adam primitus, et quicumque postmodum ad primævam integritatem accesserunt, bestiis et feris, qua famulis suis, vice Dei imperarunt et dominati sunt.

Sic S. Franciscus lusit cum avibus et lupis; Eugubii enim lupum populo mire infestum cicuravit inito cum eo, quasi animal rationale esset, pacto, quod ille nullum læderet vivens, et vicissim cives illum alere tenerentur. Ita conventum in publico foro inter utrosque, præmissa concione, qua vir sanctus ostendit animalia hæc ferocia subinde a Deo immitti, ut peccantem populum sui moneat officii, et ad vitam honestam reducat. Vixit per biennium inter eos ingrediens et egrediens lupus, sua contentus refectione quotidie sibi a civibus præstita; ad cujus conspectum omnes excitabantur ad Dei laudes, et majorem S. Francisci reverentiam, qui de more eum fratrem lupum appellabat; ob creationem enim omnibus communem, creaturas quaslibet vocabat fratres et sorores, utpote filios unius Dei creatoris. Ita Waddingus, in *Annalibus Minorum*, anno Domini 1222, num. 18, qui et subdit porcam a S. Francisco maledictam, eo quod agniculum occidisset, illico ægrotare cœpisse, ac tertio die mortuam.

Moraliter vincunt leones qui graves difficultates fortiter superant.

Moraliter, viri fortes et magnanimi ludunt cum leonibus, quando occurrentes in via Dei et virtutis difficultates, persecutiones, obices quantumvis arduos, heroice illæsi et quasi ludibundi transcendunt et superant, dicentes : « Omnia vincit amor (Dei), et nos cedamus amori. » Suus ergo cuique leo datus, isque superandus est. Sic S. Antonius dæmonibus in specie leonum et luporum sibi insultantibus illusit, eosque irridens dissipavit. Dæmon enim, si eum timeas, terribilis erit ut leo; sin despicias, infirmus et abjectus erit ut formica. Unde myrmecoleon, id est formica leo, vel formicarius leo, vocatur a Septuaginta, *Job* IV, 11, uti ibidem explicat S. Gregorius. Audi S. Antonium, apud S. Athanasium : « Una, » inquit, « est ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, et animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellet. »

Secunda laus Davidis.

Secunda est hæc laus Davidis, quod leones et ursos quasi ludens interfecerit. Sequitur tertia de prostrato Goliath.

Vers. 4 et 5. NUMQUID NON OCCIDIT GIGANTEM, ET ABSTULIT OPPROPRIUM DE GENTE? IN TOLLENDO MANUM, SAXO FUNDÆ DEJECIT EXSULTATIONEM GOLIÆ. — Syrus : *Movit manum suam funda, et contrivit universam superbiam Goliæ, q. d.* David juvenculus occidit gigantem Goliath, qui exprobrabat castris Saul, et Hebræorum infirmitatem et ignaviam, ac singulos eorum provocabat ad duellum; idque fecit expedite et facile, scilicet extollendo duntaxat manum, eaque rotando fundam, qua saxum ita valide et dextere intorsit, ut illud infixerit in frontem Goliath, itaque eum prostraverit, ac proprio gladio caput illi amputarit. Nota : Pro *exsultationem* græce est γαυρίαμα, quod tam superbiam, ut vertit Vatablus, et jactantiam, quam exsultationem significat. Prodibat enim in duellum contra Davidem Goliath exsultabundus et jactabundus contemnens Davidis juventutem, quasi certus de victoria, et illico eum mactaturus; sed David hunc ejus fastum et exsultationem retudit, tum voce audacter ei necem comminando : « Veni, inquit ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cœli et bestiis terræ; » tum lapide quo in terram eum dejecit. Et 5. Tertia laus Davidis.

Ubi nota, *primo*, prudentiam bellicam in Davide; cum enim, parvus et inermis, impar esset Goliath giganti et armato, nec quominus cum eo pedem conferre posset; eminus rem gessit, et jactu lapidis hostem prostravit, uti nunc faciunt sclopetarii, qui licet debiles validissima hostium corpora glande plumbea sternunt.

Goliath conflatus ex arrogantia.

Adverte : Pro « Goliath » dicit « exsultationem Goliæ, » ac si illo in homine nihil esset nisi arrogantia, plusque superbiæ atque elationis haberet ille, quam carneæ molis et roboris. Quamobrem David non gigantem, sed gigantis arrogantiam et elationem dejecisse ac peremisse videtur. Goliath immanior gigas pravo et superbo judicio suo, quam corpore fuit. Apposite regius Vates cecinit : « Decidant a cogitationibus suis, » *Psal.* V. « Prophetia est, non maledictio, » ait S. Augustinus. Exitus hic nimirum est superborum, qui tandem ex altissimis æque ac vanissimis suarum cogitationum in ipso fundatis vento castellis ac montibus, in immensam calamitatum profunditatem miseri præcipitantur. Hoc est quod in Moab arguit Isaias, cap. XVI : « Audivimus superbiam Moab; superbus est valde. Superbia ejus et arrogantia ejus plusquam fortitudo ejus. » Ubi S. Cyrillus : « Bellum, ait, gerit Deus cum superbis, et pugnat cum iis qui de se modeste sentire nolunt; imo frustra intumescunt, et alte tollunt supercilium, suæque naturæ ignorant imbecillitatem. » Huc facit proverbium vulgo celebre : « Gigantum arrogantia. »

Goliath an [illegible] de, an gladio occisus?

Nota *secundo* : Siracides dicit : « Saxo fundæ dejecit exsultationem Goliæ; » non autem dicit : Saxo occidit Goliath. Unde nonnulli cum Josepho censent Goliath ictu lapidis non fuisse occisum, sed prostratum duntaxat et sopitum, quem deinde David gladio amputando caput occiderit. Alii ta-

men censent Goliath ipso lapidis ictu fuisse occisum; quia David tanto impetu lapidem vibravit in frontem Goliæ, ut is fracto osse fixus hæreret in cerebro, illudque pariter frangeret et dissiparet; fracto autem cerebro, necesse est hominem emori. Ita censent Theodoretus, Abulensis et noster Salianus in *Historia Davidis*. Priori sententiæ magis favet Scriptura, I *Reg.* cap. XVII, 50, dicens: « Tulit gladium ejus, et eduxit eum de vagina sua, et interfecit eum. » Ergo gladio, non lapide occisus est Goliath; ut qui in eodem superbe gloriabatur, eodem misere interiret. Ita David lusit cum Goliath, sicut luserat cum leone et urso; adeoque ille lusus cum feris, hujus cum gigante fuit specimen et præludium. Præclare S. Augustinus, lib. VIII *Confessionum*, cap. III : « Triumphat, ait, victor Imperator, et non vicisset, nisi pugnavisset. Et quanto magis periculum fuit in prælio, tanto majus gaudium est in triumpho. »

Vers. 6. 6. NAM INVOCAVIT DOMINUM OMNIPOTENTEM, ET DEDIT IN DEXTERA EJUS TOLLERE HOMINEM FORTEM IN BELLO (Syrus : *Dedit in manu ejus fortitudinem ad occidendum gigantem belligerum*), ET EXALTARE CORNU GENTIS SUÆ. — « Dedit in dextera ejus, » scilicet κράτος, ut habent Græca, id est *robur*. Hinc patet Davidem prostravisse Goliath viribus non suis, sed Dei; invocans enim Deum ante duellum, hausit ab eo tantum robur, ut unius lapidis ictu turrim carneam (sic enim Goliath vocat S. Chrysostomus, homilia 45 *ad Populum*) dejecerit, et e medio sustulerit, eaque ratione extulerit « cornu, » id est robur, vires, castra, decus et gloriam, « suæ gentis, » puta Hebræorum. Ex hoc loco liquet Davidem ante duellum humili et fervida prece invocasse Dei opem, ac suis diffisum viribus, fisum divinis, alacrem in prælium procurrisse; etsi id taceatur in lib. *Regum*. Atque hæc fuit causa tum roboris illi additi, tum victoriæ per illud obtentæ. Adde : Publica illa protestatio Davidis, qua, contra Goliath procedens, ait : « Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo; ego autem (inermis) venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te » (ex quibus verbis liquet Davidem a Deo promissionem victoriæ accepisse, ideoque intrepide iniisse duellum tot titulis impar), interpretativa fuit Dei et divini auxilii invocatio. Denique tradunt, vel fabulantur Rabbini Davidem lapidibus suis, quibus dejecit Goliath, inscripsisse nomen Dei et Patriarcharum, puta Abraham, Isaac, Jacob, Mosis, Aaron et suum, itaque eum superasse. Idem tradit Philo, vel potius Pseudophilo in *Antiquitatibus Biblicis*.

Imitentur Davidem duces et milites, ut Dei opem invocent ante prælium; item fideles quilibet dum in tentatione contra mundum, carnem et dæmonem decertant; oratio enim dat robur ad vincendum. Si hoc robore utantur, eique strenue cooperentur; si, inquam, tantis animis, quantis David, invadant suum Goliath, puta suum vitium capitale, sive illud superbia sit, sive gula, sive acedia, utique illud superabunt et resecabunt. Ita S. Wenceslaus rex Bohemiæ, a Radislao, Duce Curmiensi Bohemiam invadente, provocatus ad duellum, illud acceptavit, ut bellum duello, et populi periculum suo unius redimeret. Deo igitur suppliciter invocato, equum vir sanctus conscendit; ac mox adversarius ejus vidit illi ab angelo hastam porrigi, se vero ab eodem hac voce moneri : « Noli ferire. » Quo viso perterritus, ex equo desiliit, ac ad pedes Sancti procidit veniam petens : quem ad parcendum quam ad ulciscendum paratiorem invenit. Ita habet *Vita S. Wenceslai*. S. Wenceslaus per angelum in duello victor.

Hinc patet, Davidis hoc duellum cum Goliath fuisse licitum et sanctum, tum quia instigante Deo initum, tum quia auctoritate regis Saulis ad necessariam reipublicæ defensionem susceptum. Secus est de duellis quæ privata auctoritate, ad privatæ injuriæ vindictam capessuntur; hæc enim plane illicita, injusta et scelerata sunt, ideoque gravissimis pœnis a sacris Canonibus et Concilio Tridentino castigata.

7. SIC IN DECEM MILLIBUS GLORIFICAVIT EUM, ET LAUDAVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS DOMINI, IN OFFERENDO ILLI CORONAM GLORIÆ. — Ita legunt Romana, item Græci Complutenses et Romani, scilicet οὕτως, id est *sic;* hoc est, hac de causa, propterea, scilicet propter profligatum Goliath. Simile est *Joan.* cap. IV, 6 : « Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem : » *sic*, id est propterea, scilicet propter fatigationem sedebat. Pro οὕτως Tigurina legit οὗτος id est *is*, scilicet λαός, id est populus vel gens, quæ præcessit, aut Deus; unde vertit : *Is ei gloriam tribuit decem millium* (*cæsorum*, inquit Vatablus), *et commendationibus Domini*, id est suis, *reddidit laudabilem, et ei diadema gloriæ detulit.* Sensus est, *q. d.* Populus, et Deus per populum (puta movens et incitans ad hoc populum) Davidem ob cæsum Goliath « glorificavit in decem millibus, » id est perinde ac si decem millia Philistinorum percussisset : tanti enim æstimabatur unus Goliath, eo quod ipse tota Hebræorum castra sui timore perculisset, dum singulos eorum provocavit ad duellum; quod nemo ausus fuit acceptare, nisi solus David, qui eo prostrato tota Hebræorum castra metu et probro liberavit, ac in certam victoriæ spem erexit. Alludit ad id quod populus Davidi a duello cum triumpho revertenti acclamavit : « Percussit Saul mille, et David decem millia, » I *Reg.* XVIII, unde Syrus : *Propter hoc laudaverunt eum mulieres in decem millibus : Modicum præliatus est, et contrivit hostes sibi undique circumstantes.* Vers. 7.

Rursum Deus per populum « laudavit Davidem in benedictionibus Domini, » id est suis (est hebraismus in Scriptura creber et obvius), hoc est ingentibus, divinis, Deoque dignis, quando scilicet obtulit « illi coronam gloriæ, » id est re-

giam dignitatem et coronam, creando illum regem Israelis; hæc enim regni oblatio magna fuit laus et benedictio Davidis; tum enim populus laudans acclamavit Davidi: Vivat rex David, vivat Goliæ victor, vivat domitor Philistinorum. Alludit ad *Psalm.* XX, 4, quo populus ad litteram gratulatur salutem et victoriam Davidi, et allegorice Christo pro hominum redemptione. Ita S. Augustinus, Hieronymus, Athanasius et Eusebius, *ibidem.* Ait enim: « Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. » Sensus est: Nos Israelitæ gratulamur Davidi victori et regi nostro: « Quoniam tu, Domine, prævenisti eum in benedictionibus, » id est beneficiis, « dulcedinis, » græce χρηστότητος, id est bonitatis et benignitatis, scilicet Dei, *q. d.* Beneficiis benignissimis et dulcissimis benignissimi et dulcissimi Dei prævenisti Davidem ante ejus meritum, imo antequam ipse peteret; dum effecisti ut omnium bonorum affluentia ei ultro obveniret, ac præsertim dum eum regem creasti, et coronam regiam e gemmis pretiosis adornatam capiti ejus imposuisti.

Quarta laus Davidis. Est hæc quarta laus Davidis, puta acclamatio populi gloriosa, et oblatio regni; regnum enim ei a toto populo delatum est.

Vers. 8. 8. CONTRIVIT ENIM INIMICOS UNDIQUE, ET EXSTIRPAVIT PHILISTIIM CONTRARIOS USQUE IN HODIERNUM DIEM: CONTRIVIT CORNU IPSORUM USQUE IN ÆTERNUM. — Syrus, *usque hodie:* Græca, omisso τῷ *enim,* sic habent: *Contrivit inimicos in cercuitu, et* ἐξωδένωσε, id est destruxit, exstirpavit, et *ad nihilum redegit, Philistiim adversarios; usque hodie contrivit cornu* Quinta. *eorum.* Est hæc quinta laus Davidis, scilicet quod Philistæos dominantes Israeli eique ob cæsum Saulem regem insultantes compresserit, imo contriverit; non quod omnes occiderit, sed quod fortissimis eorum cæsis reliquos sibi et Israeli subjugarit, adeoque attriverit « cornu, » id est vires, regnum et gloriam ipsorum, ut deinceps amplius Hebræis imperare nequiverint.

Noster nervosius addit τὸ *enim;* significat enim causam, cur populus ita glorificarit Davidem, ut eum regem suum crearit, quia scilicet ipse cecidit Goliath, viresque Philistæorum, qui perpetui fuere hostes Israelis, assiduis prœliis et victoriis detrivit; iis enim meruit rex creari. Unde et rex factus cœpta prosecutus, eosdem prorsus profligavit, juxta illud II *Reg.* VIII, 1: « Percussit David Philistiim, et humiliavit eos, et tulit David frenum tributi de manu Philistiim. »

Elogia Stephani Battoræi. Quocirca eadem et plura elogia tribuas Davidi, quæ nuper Stephano Battoræo invicto Poloniæ regi, Moscorum domitori, et Turcarum terrori attribuit Stanislaus Rescius, lib. III *Vitæ Cardinalis Hosii* sub finem, cap. X: « Rex, inquit, omnium sæculorum memoria et prædicatione dignissimus. Omnium plane regiarum et heroicarum virtutum laudibus et exemplis ad imitandum abundans. In Ecclesia Dei plusquam sacerdos. In republica plusquam rex. In exercitu plusquam Imperator. In acie plusquam miles. In judicio plusquam Jurisconsultus. In dicendis sententiis plusquam senator. In adversis ferendis plusquam vir. In publica tuenda libertate plusquam civis. In amicitiis colendis plusquam amicus. In convictu plusquam familiaris. In venatione plusquam leo. »

9. IN OMNI OPERE DEDIT CONFESSIONEM SANCTO ET EXCELSO IN VERBO GLORIÆ. — Syrus: *Propter hoc dedit verba in voce confessionis et honoris,* puta gratiarum actionis et laudis. Vatablus: *In omni opere suo laudem summo numini honorifica oratione tribuit.* Sexta est hæc laus Davidis, *q. d.* David omnem Sexta. suam fortitudinem, omnem victoriam de Goliath et Philistæis, omnia præclara sua facinora attribuit, non sibi, sed Deo; quocirca in omni opere « dedit confessionem, » id est laudem « Sancto, » *q. d.* Totam operis laudem adscripsit Deo, non sibi; Deo, inquam, qui est sanctus per essentiam, ideoque omnium sanctorum et heroicorum operum, quæ David et Sancti faciunt, fons, scaturigo et causa. « Et Excelso in verbo gloriæ, » *q. d.* David omnium præclarorum et excelsorum operum suorum gloriam assignavit, non sibi, sed Deo excelso; ideoque eum laudavit et glorificavit hymnis verbisque magnificis et gloriosis, uti facit in Psalmis, ubi crebro Deum his titulis celebrat: « Dominus illuminatio mea et salus mea; Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus; Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus; Dominus regit me, et nihil mihi deerit, » etc.

Deo omnis laus operis tribuenda. Discamus a Davide omnem laudem bonorum operum quæ facimus, in Deum referre, ut dicamus cum Isaia, cap. XXVI, 12: « Omnia opera nostra operatus es nobis, » ac cum Psalte, *Psal.* CXIII, 9: « Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam; » ac cum S. Paulo: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, » *Ephes.* I, 3; et cap. II, 10: « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. » Porro Da- David typus Christi. vid expressus fuit typus Christi. Unde omnia quæ David fecit Synagogæ Judæorum, eam formans, ornans et defendens contra inimicos temporales, eadem luculentius multo Christus præstitit, præstatque Ecclesiæ Christianorum, eam fundans, decorans et protegens contra hostes spiritales. Ita Rabanus et alii passim.

Vers. 10. 10. DE OMNI CORDE SUO LAUDAVIT DOMINUM, ET DILEXIT DEUM, QUI FECIT ILLUM: ET DEDIT ILLI CONTRA INIMICOS POTENTIAM. — Syrus: *In omni corde suo dilexit creatorem suum.* Est amplificatio, *q. d.* David non labiis, non ex parte, non frigide, non

remisse, sed ex « omni, » id est ex toto « corde » laudavit Deum, dicens : « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. » Porro laudis hujus causa fuit dilectio, quia scilicet ex « omni, » id est ex toto corde dilexit Deum, idque ob duos titulos et rationes. Prior est, quia Deus « fecit, » id est creavit « illum. » David ergo quasi creatura totum suum esse, totum bonum, quantum quantum erat acceptum retulit Deo creatori. Unde Vatablus vertit : *Toto corde decantavit creatorem suum, et amavit.* Posterior, quia idem Deus qui fecit illum, dedit « illi contra inimicos potentiam, » *q. d.* David ex toto corde suo dilexit Deum tanquam suum belli ducem, victorem et triumphatorem, dicens : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum, » *Psalm.* CXLIII, 1. Et cum Paulo : « Deo gratias, qui semper triumphat (triumphare facit) nos in Christo Jesu, » II *Corinth.* II, 14. Quocirca S. Chrysostomus, homil. *De David et Goliath* : « Sanctissimus homo, inquit, secundum cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit; quidquid mente concipit, perficit. Dum enim cordi Dei cor proprium jungit, et menti ejus mentem suam annectit, hoc est ut quæ vult Deus velit, et quæ non vult, similiter nolit : sic eum Dominus individuo amore et conjuncta charitate dilexit. » Et Irenæus, lib. IV, cap. XLV, loquens de Davide : « Faciebat, inquit, omnia secundum consilium spiritus, et placebat Deo. »

David quasi monachus.

Quare vere S. Chrysostomus, in *Psalm.* L : « David, inquit, in regali culmine monachi vitam imitabatur. » Et homil. 30 *in Genes.* : « In purpura et diademate monachorum vitam transcendebat. » Davidem imitatus Theodosius Imperator : « Palatium sic disposuit, ut haud alienum esset a monasterio, » ait Socrates, lib. VII, cap. XXII. Unde in eo S. Pulcheria cum sororibus suis, æque ac Theodosii, in virginitate et Dei laudibus Deo jugiter servivit. De quo vide nostrum Raderum in *Aula regia.*

Perfectio sita in continuo Dei amore et laude.

Moraliter, disce hic perfectionem Davidis, et cujuslibet Sancti, consistere in continuo amore et laude Dei, ut ex toto corde Deum amet et laudet; idque non tantum quando cum Deo orando vel psallendo versatur, sed etiam quando externa regni, familiæ, proximorum, æque ac propria negotia curat et agit. Amor enim Dei hæc omnia ex Deo, ejusque charitatis spiritu optime et suavissime conficit, ita ut mens affixa Deo sine distractione se extendat ad res externas peragendas, quasi instrumentum Dei illam omniaque ejus opera regentis et gubernantis; quo fit ut et ipsa Deo confisa, sibique diffisa, tota Deo uniatur, ex eoque pendeat, ac consequenter sine divulsione imperturbate et facile se porrigat ad ea, quæ sunt salutis proximorum, procuranda; procurat enim ea quasi negotia Dei sui, quem intime amat et colit; idque ex virtute et spiritu, quem suggerit ei Deus. Simile est in circino : circini enim pes unus hæret fixus in centro, alter vero circumductus circumscribit peripheriam, sive circulum perfectissimum; quia enim unus pes hæret in centro, hinc ille alterum dirigit, ne qua exorbitet, sed circumactus circulum undequaque æque a se distantem, ideoque exactissimum describat. Simili enim modo cor per charitatem affixum Deo, movet manus, pedes, oculos, etc., ad auxilium proximorum, omniaque ex Dei nutu et amore facillime, sanctissime et felicissime conficit. Qui ergo vult brevi et facili compendio evadere ad perfectionem et eximiam sanctitatem, plurimumque mereri; hic crebro per diem, imo horam, iteret actus amoris Dei super omnia, imo omnes suos actus externos hoc actu charitatis interno imperet, informet, deauret et vivificet. Sic omnes ejus actus erunt actus charitatis, non tantum proximi, sed et ipsius Dei, totaque ejus vita erit continua laus et amor Dei, ut, si comedat, bibat, dormiat, studeat, doceat, concionetur, etc., non nisi ex amore Dei id faciat; ideoque initio operis, et subinde in medio ejus, illud totum Deo per amorem offerat, dicatque : Domine, cupio comedere, dormire, studere, etc., non ut satisfaciam gulæ, naturæ, ambitioni, curiositati, etc., sed pure et simpliciter ex amore tui, ut tuæ voluntati et ordinationi satisfaciam, ac per illa fortior et aptior fiam ad te amandum, atque ad alios tuo amore et laude inflammandos.

Porro ut mens ad hunc perfectionis apicem evadat, oportet ut exerceat se in meditatione præsentiæ Dei, ut scilicet studeat Deum sibi ubique proponere præsentem, in eumque quasi summum bonum toto cordis affectu et amore feratur. Quam ad rem multi sunt modi et praxes. Faciles sunt hæ : prima, si quis Deum quasi spiritum per cœlum, aerem, terram omnesque creaturas diffusum, qui omnes sustentet, vegetet, roboret, sibi repræsentet; secunda, si Deum in corpore et anima sua utraque conservantem, unientem, vivificantem intueatur; tertia, si Deum ad omnes actiones suas, præsertim spiritales et supernaturales, concurrentem, sibique cooperantem, imo quasi socium se adjuvantem, aspiciat; si enim meditor, si amo, si spero, si quid aliud ago, Deus mihi intime præsens est, et ad has actiones concurrit, imo impellit; quarta, si Deum incarnatum, puta jacentem in præsepio, concionantem, ve in cruce pendentem, prout sibi facilius et delectabilius est, mente efformet, quasi coram eo omnia agat, illique omnia offerat; facilius enim in phantasia, utpote corporea, Deum corporeum quam incorporeum concipere et effingere possumus; quinta, si sacerdos est, et quotidie, ut par est, celebret, excitet fidem vivam, qua vive apprehendat Dei Filium, Christum Dominum gloriæ, realiter, personaliter et substantialiter in altari per verba consecrationis præsentem sisti, manducari, et in stomacho manere, quamdiu species sacramentales manent; iis vero per calorem sto-

Modus et praxis præsentiæ Dei. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

machi transmutatis, eumdem manere virtualiter, perinde ac manet virtus cibi vel vini generosi postquam a stomacho conversus est in substantiam manducantis; hac enim virtute cibus hominem alit, auget, roborat, lætificat. Idem facit Christus in Eucharistia, ibi enim est cibus noster. Quare sacerdos cum Christo, vel personaliter, vel virtualiter, præsente et existente in anima sua, familiariter et jugiter conversetur, illum veneretur, amet, adoret, illi suas et aliorum, imo totius mundi miserias alleget, poscens gratiam et opem. Ita semper instar Henoch et Noe, non tantum cum Angelis, sed cum ipso Deo ambulabit, ipsum unicum toto cordis affectu diliget, colet, venerabitur, laudabit et glorificabit.

Exemplum perennis Dei laudis et amoris vivum et eximium Siracides hic statuit Davidem : David enim, ut taceam ejus gesta in libris Regum descripta, in Psalmis non aliud facit quam psallere, id est laudare Deum, suumque in eum amorem et affectum eximium exprimere. Unde identidem ingeminat : « Diligam te, Domine, fortitudo mea; Diligite Dominum, omnes sancti ejus; Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ; Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ? concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est, » etc. Ex quibus liquet, cor Davidis plenum fuisse amore ac laude Dei; ex hac enim plenitudine in hasce jubilationes, amores et suspiria ad Deum assidue prorupit, indeque totum Israelis regnum, ex Deo sapienter, fortiter, suaviter et feliciter per 40 annos rexit et gubernavit. Quocirca David ab Euthymio, *Præfat. in Psalm.*, vocatur « divinus Orpheus, » scilicet per psalmos suos animorum tumultus sedans, et undas cogitationum compescens, ait S. Basilius, homil. 1 *in Psalm.* I.

Davidem sequitur S. Augustinus, præsertim in libris *Confess.* Audi eum, lib. X, cap. XXVIII : « Cum inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor et labor, et viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, sublevas eum; quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mœroribus, et ex qua parte stet victoria nescio. Heu mihi, Domine, miserere mei. » Et cap. XXIX : O amor, qui semper ardes, nunquam exstingueris! charitas Deus meus, accende me. Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis. »

Vers. 11. 11. ET STARE FECIT CANTORES CONTRA ALTARE, ET IN SONO EORUM DULCES FECIT MODOS. — Græce μέλη, id est modulationes et melodias. Complutensia addunt : *Et quotidie laudabant in canticis suis*; Vatablus : *Cantatores constituit ante aram qui suaves sono suo cantus ederent, carminibusque suis laudes agerent quotidie;* Syrus vero : *Quotidie semper laudes suas* (cantica sua) *dicebat coram altari, dedit laudes* (composuit cantica) *magnas singulis annis.* Septima est hæc laus Davidis, quod non tantum ipse per se ex toto corde laudarit Deum, sed et publicos cantores instituerit, qui quotidie nomine totius populi Deum laudarent, eique psalmos concinerent coram altari holocaustorum, atque hac ratione omnes ad Deum laudandum invitarent, et exemplo suo incitarent; imo quod psalmos affectibus amoris et doxologiæ plenissimos dictarit, cantoribusque voce et organo aliisque instrumentis decantandos tradiderit. Unde « in sono eorum dulces fecit modos, » tum quia sanxit ut cantores dulci vocum et instrumentorum melodia psalmos canerent, tum quia dulces canendi modos et tonos ipse per se, perque suos musicos præfectos adinvenit, et cantoribus usurpandos præscripsit, uti in Ecclesia Latina cantum Ecclesiasticum ad certos modos et tonos redegit S. Gregorius Pontifex. Id Davidem fecisse patet ex titulis *Psalm.* IV, V, VI, VII et aliorum in Hebræo. Unde jure David vocatur Regius Psaltes. Vide I *Paral.* XXV. Septima laus Davidis.

Audi S. Hieronymum, *ad Paulinum*, de omnibus S. Scripturæ libris : « David, inquit, Simonides noster, Pindarus et Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Christum lyra personat, et in decachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem. » Et B. Petrus Chrysologus, *Serm.* 18 : « Cantu, inquit, B. David oblectabat, et mulcebat charum pecus in pascuis; cantu dura didicit superare bellorum; cantu meruit ductare populos ad salutem; cantu valuit vocare Gentes, reducere Judæos, fugare dæmones, Dei filios ad superni Patris obsequium evocare. » Ad concinendos in templo psalmos instruxit ille quatuor millia cantorum; exercitum diceres, et vere castrorum chorum. Verum ejusdem hodie psalmis ubique modulandis universæ mundi nationes sunt chorus, et mundus ipse templum est, in quo David unus æterno divinitatem spiritu canit. Deus ergo per Davidem composuit psalmos modumque psallendi, quem non tantum Synagoga Judæorum, sed et Ecclesia Christianorum ubivis locorum et gentium, per omnia sæcula usurparet et sequeretur. Spiritus Sanctus enim ea ratione et modo Psalmos Davidi dictavit, ut omnibus sæculis, omnibus gentibus, omnibus statibus, omni sexui, ætati et hominum generi congruant. Unde olim in Ecclesia promiscue populus cum Clericis psalmos concinebat, ac sacerdoti orationem colligenti respondebat : *Amen.* Hoc est quod ait Hieronymus, *Præfat.* lib. II *Epist. ad Galatas* : « Ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat. » Et Ausonius, in *Ephemeride* :

> Consona quem celebrant modulati carmina David,
> Et responsuris ferit aera vocibus. *Amen.*

Porro usus, fines et fructus psalmodiæ multos et magnos assignant SS. Patres. S. Chrysostomus, Usus et fruc-

Psal-mus. *Præfat. in Psalm.* XLI : « Nihil, ait, animam æque erigit et a terra liberat, et exsolvit a vinculis corporis, et amore sapientiæ afficit, et ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, proficit, ac versus modulatus, divinum canticum numero compositum, etc. Idcirco Deus Psalmos construxit, ut ex ea re simul caperetur utilitas et voluptas. » Psalterii enim argumentum est, ut omnia gesta tum veteri Testamento, tum gerenda in novo per modum laudis recenseat. Psalterium ergo est compendium et breviarium totius S. Scripturæ, epitome et registrum Bibliorum, consummatio totius Theologicæ paginæ. Est hæc definitio magni Dionysii Areopagitæ, *De Eccles. hierarch.* cap. III. Psalmorum liber, ait S. Basilius *Proœmio in Psalmos*, quidquid in Prophetis, Lege, historicis utile est, id omne complexus est; futura prædicit, historias narrat, leges vivendi præscribit, agenda præcipit, et, ut verbo dicam, commune disciplinarum et documentorum est promptuarium. Et inferius : « Psalmus est animarum tranquillitas, pacis arbiter, turbas et fluctus cogitationum compescens, iracundiam mollit. Psalmus amicitiæ conciliator, dissidentium conjunctio, inimicorum reconciliatio; quis enim inimicum existimabit eum, cum quo unam ad Deum vocem emittit? Quare quod maximum est bonorum omnium, charitatem præstat psalmorum commodulatio. Psalmus dæmones fugat, auxiliarios angelos advocat; in nocturnis terroribus securitas, in diurnis laboribus requies est, infantibus tutela, junioribus solatium, mulieribus honestissimus ornatus; solitudines celebres facit, elementum incipientibus, incrementum proficientibus, firmamentum perfectorum. Psalmus est vox Ecclesiæ, ac festos dies illustriores reddit, et perfundit gaudio. Psalmus est Angelorum opus, reipublicæ functio, spirituale thymiama. » Hactenus S. Basilius.

Exem-pla.

S. Basilio pene ad verbum adstipulatur S. Augustinus : « Psalterium, ait, communis quidam doctrinæ thesaurus est, et universis animæ passionibus, quæ humanas animas varie angunt, subvenit; psalmus signifer est pacis, spirituale thymiama, exercitium cœleste; luxum reprimit, sobrietatem suggerit, lacrymas movet. » Hæc et plura S. Augustinus, *Præfat. in Psalmos*, qui et idipsum sese expertum profitetur, lib. IX *Confession.* cap. VI : « Quantum, inquit, flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum, et ex ea æstuabat affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis. »

Narrat S. Gregorius, IV *Dialog.* cap. XLVII, Merulum virum religiosum assidue psalmodiæ intentum, cœlitus fuisse coronatum : « Huic, inquit, per nocturnam visionem dictum est : Paratus esto, quia Dominus jussit migrare te. Cumque ille non habere se sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audivit, dicens : Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cum semel audisset, et magno adhuc metu trepidaret, nocte quoque alia eisdem verbis est admonitus. Tunc post quinque dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus flentibusque defunctus est. Alius etiam frater in eodem monasterio Merulus dicebatur, vehementer lacrymis atque eleemosynis intentus. Psalmodia vero ex ore illius pene nullo tempore cessare consueverat, excepto cum aut alimentum corpori, aut membra dedisset sopori. Huic nocturna visione apparuit, quod ex albis floribus corona de cœlo in caput illius descendebat. Qui mox molestia corporis occupatus, cum magna securitate animi atque hilaritate defunctus est. Ad cujus sepulcrum dum Petrus, qui nunc monasterio præest, sibi sepulturam facere post annos quatuordecim voluisset, tanta, ut asserit, de eodem sepulcro illius fragrantia suavitatis emanavit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congregata. Qua ex re manifeste patuit, quam verum fuit, quod per nocturnam visionem vidit. »

Vers. 12. 12. ET DEDIT IN CELEBRATIONIBUS (id est celebritatibus festorum : has enim significat Græcum ἑορταῖς) DECUS, ET ORNAVIT TEMPORA USQUE AD CONSUMMATIONEM VITÆ, UT LAUDARENT NOMEN SANCTUM DOMINI, ET AMPLIFICARENT MANE DEI SANCTITATEM. — Pro *decus* græce est εὐπρέπειαν, id est decentiam, decorem, speciem, ornatum, *q. d.* David celebritatibus et festis addidit decus, dum statuit ut in iis Levitæ psalmos Deo alternis in modum choris concinerent, dumque iis addidit cantores eximios, qui eosdem voce æque ac organis, cymbalis, cæterisque instrumentis musicis decora harmonia personarent; uti nunc videmus festorum decus esse insignem musicam et organa. Atque hac ratione tempora festorum ornavit quamdiu vixit, puta usque ad mortem, sanciendo ut Levitæ et cantores laudarent nomen sanctum Domini, « et amplificarent, » id est canendo celebrarent, magnificarent et exaltarent, græce ὑμνεῖν, id est personarent, resonarent « Dei sanctitatem. » Inter omnia enim Dei attributa sanctitas Dei est colenda, adoranda, hymnis et laudibus celebranda; Deitas enim est increata et immensa sanctitas; ac per essentiam sancta sacraque majestas, ab omnibus hominibus et angelis summe veneranda, laudanda et glorificanda. Unde Isaias, cap. VI, vidit Seraphinos acclamantes Deo : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum. Hinc Sancti, qui participant Dei sanctitatem, participant et venerationem; unde sicut Deum colimus latria, sic Sanctos dulia, et B. Virginem Deiparam et Sanctorum reginam, hyperdulia.

Alii vertunt : *ut a tempore matutino resonaret sanctuarium* Dei laudibus et hymnis; sanctuarium enim hebraice vocatur קודש *codes*, id est

sanctitas; quia locus hic erat sanctissimus, utpote templum, domus et thronus Dei. Sic et Salomon dicitur « parasse sanctitatem, » vers. 15, id est ædificasse sanctuarium, sive templum sanctum Deo. Alludit ad I *Paral.* XXIII, ubi David sanxit : « Ut Levitæ stent mane ad confitendum et canendum Domino : similiterque ad vesperam, tam in oblatione holocaustorum, quam in sabbatis et calendis et solemnitatibus reliquis. »

Ex dictis liquet, quanta quamque eximia fuerit Davidis sanctitas, quantæque apud Deum gratiæ et meriti. Nam, ut alia taceam, Psalmi a Davide conscripti ostendunt ejus cor et pectus plenum fuisse in Deum desideriis, ardoribus, laudibus, zelo, pietate, omnique virtute heroica. Quocirca noster Pineda, *in Salom.* lib. I cap. II, num. 8, concludit Davidis sæculo nullum inter Israelitas, nedum inter Gentes, Davidi fuisse parem aut supparem in sanctitate, imo Davidem in ea non fuisse minorem Abrahamo, Isaaco et Jacobo; quin et Davidem fuisse sanctiorem Abrahamo diserte docet Abulensis, *Matth.* XXII, Quæst. CXXXV et CLIV, Salmeron, tom. III, *tractat.* 16, et favet S. Chrysostomus, in cap. I *Matth.* hom. 2. Eumdem Josia, Ezechia, cæterisque regibus fuisse sanctiorem docet Barradius, lib. III suæ *Concordiæ*, cap. XV, et consentiunt cæteri.

Davidis cor plenum laude divina.

Vers. 13. 13. DOMINUS PURGAVIT (Syrus, *dimisit*; Vatablus, *abolevit*) PECCATA IPSIUS. — Pro *Dominus*, Rabanus, Jansenius et alii legunt *Christus*, sicque exponunt, *q. d.* Peccata Davidis purgavit Christus; tum qua Deus (Dei enim solius est condonare peccata), tum qua homo; quia per merita futura Christi prævisa a Deo, Deus condonavit peccata Davidi et aliis Sanctis veteris Testamenti : unde Christus dicitur « agnus occisus ab origine mundi, » *Apocal.* XIII, 8. Rursum alii pro *Christus* legunt « spiritus, » nimirum ex κύριος, facili vicinarum litterarum flexu et lapsu depravatum est χριστός, id est *Christus*, quod cum scribæ non caperent (eo quod Christus necdum natus esset tempore Davidis) pro *Christus* substituerunt *spiritus.*

Verum legendum est κύριος, id est *Dominus*, sic enim legunt Romani et Græci Complutenses cæterique. Sensus est, *q. d.* Dominus peccata homicidii quo David occidit Uriam, et adulterii quo mœchatus est cum Bersabee uxore Uriæ, purgavit, mittendo ad eum Nathan prophetam, qui eum corripiens ad pœnitentiam inflexit, ut David compunctus diceret : « Peccavi Domino. » Unde illico audivit a Nathan : « Dominus quoque transtulit peccatum tuum, » II *Regum* XII, 13. Est hæc octava laus Davidis, quod Deus eum ita adamarit, ut peccata gravia ei condonarit, nec ob ea ipsum abjecerit, uti abjecit Saulem, sed regnum ipsi et posteris ejus stabilierit usque ad excidium Hierosolymæ. Quare pœnitentia et reconciliatio Davidis cum Deo non solum ipsi, sed et Salomoni cæterisque posteris profuit. Unde S. Ambrosius, lib. I *Apolog. David*, cap. II : « Nullum, inquit, attulit lapsus impedimentum, sed velocitatis incentiva cumulavit, et acrior ad currendum surrexit. »

Octava laus Davidis.

Nota hic miram fragilitatem Davidis, et cujuslibet hominis sancti. David enim vir secundum cor Dei, sui ævi angelus, sanctitate par quibusvis Patriarchis et Prophetis, ecce tibi ad conspectum unius feminæ labitur in enormia peccata adulterii et homicidii. Quis non obstupescat, quis non expavescat, quis licet sanctissimus de perseverantia præsumat? Nimirum id permisit, et permittit etiamnum subinde, in viris eximiis Deus, ad hoc, ut singulis inclamet illud Pauli, *Philipp.* cap. II, 12 : « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate. » Ex adverso nota Dei clementiam et gratiam, quæ Davidem adeo profunde lapsum per Nathan erexit, et in pristinum sanctitatis gradum restituit, imo altius evexit, et majori timoris et humilitatis sensu solidavit.

ET EXALTAVIT IN ÆTERNUM CORNU EJUS. — « Cornu » symbolum est roboris, regni, victoriæ et gloriæ, uti ostendi *Daniel.* VII, 8. Hæc enim Deus Davidi dedit in æternum; tum quia ea possedit David in posteris, quamdiu duravit Synagoga et respublica Israelis, usque ad ejus excidium per Chaldæos; tum quia mystice longe excellentius ea possidet perpetim in Christo ex se prognato. Unde de Christo angelus ad Deiparam ait : « Dabit illi Dominus Deus sedem (regni) David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, » puta in Ecclesia militante per gratiam, in triumphante per gloriam æternam, *Luc.* I, 32. Est igitur hic tacita promissio Christi ex Davide nascituri, quæ nona et maxima Davidis fuit laus, decus et gloria.

Nona Davidis laus.

ET DEDIT ILLI TESTAMENTUM REGNI, ET SEDEM GLORIÆ IN ISRAEL. — Hoc est, ut alii vertunt : *Et dedit illi pactum regni, et solium gloriæ in Israel*, *q. d.* Deus pacto promisit David regnum, quodque posteri ejus continue ipsi succederent in regno glorioso Israelis. Glorioso dico, quia Israel solus erat populus et Ecclesia Dei, ab eo honoratus et glorificatus sanctis Patriarchis, Prophetis, lege, templo, vera religione, sacrificiis, miraculis, opibus, felicitate, gloria, etc. Unde Vatablus vertit : *Fœdere pactus est ei regnum, et solium majestatis in Israel.* Pro *regni*, Noster cum Complutensibus et Romanis legit βασιλείας; alii legunt βασιλέων, id est *regum*, ut scilicet reges continua serie ex Davide descenderent, eique in regno succederent : quare eodem redit sensus.

TERTIA PARS CAPITIS

ENCOMIUM ET VITUPERIUM SALOMONIS ET ROBOAM.

Vers. 14. 14. POST IPSUM (legit cum Complutensibus, μετὰ τοῦτον; jam Romana legunt, μετὰ τούτου, id est *cum ipsa*) SURREXIT FILIUS SENSATUS (Syrus, *rex fortis habitans in quiete*); ET PROPTER ILLUM (Davidem) DEJECIT OMNEM POTENTIAM INIMICORUM, — *q. d.* Propter merita et sanctitatem Davidis Deus dejecit omnem impetum inimicorum, ut nemo auderet Salomoni Davidis filio sese opponere, sed ille libere regnaret, lateque suum imperium propagaret. Unde Græca habent : καὶ δὶ αὐτὸν κατέλυσεν ἐν πλατυσμῷ id est, *propter illum habitavit*, vel, ut Rabanus habet : requievit in latitudine tum animi (puta in magna animi confidentia et securitate), de qua dicitur III *Reg.* IV, 29 : « Dedit Deus sapientiam Salomoni, etc., et latitudinem (puta magnanimitatem et magnificentiam) cordis, quasi arenam quæ est in littore maris; » tum regni, quod latissimum et amplissimum habuit Salomon, ut patet III *Reg.* IV. Unde Vatablus vertit : *Huic successit filius sapiens, qui per eum in amplam venit possessionem.* Rursum τὸ κατέλυσεν vertas, *destruxit in latitudine*, id est longe lateque, quod Noster vertit : « Dejecit omnem potentiam inimicorum, » nam καταλύειν et destruere et habitare significat.

Vocatur « sensatus, » sive sapiens, quia Salomon facta sibi a Deo optione petendi quod vellet, petiit sapientiam, eamque obtinuit : « Quia postulasti verbum hoc, inquit, ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et hæc, quæ non postulasti, dedi tibi : divitias scilicet et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus, III *Reg.* III, 11.

Nota τὸ *propter illum*; inde enim liquet rursum sanctitas et merita Davidis, scilicet quod propter illa Deus Salomoni et posteris tam potens et felix regnum concesserit. Vide Pinedam, lib. I *De Rebus Salom.* cap. II, num. 10, ubi ostendit omnem Salomonis potentiam, opes, gloriam, sapientiam, etc., adeoque quidquid Deus Salomoni et posterioribus regibus contulit, id totum Davidis fuisse vel beneficium, vel eximiæ illius sanctitatis præmium. Unde Hierosolymæ, tempore Ezechiæ a Sennacherib obsessæ et desperatæ, Deus succurrit ob merita Davidis : « Protegam, inquit, urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum, » IV *Reg.* XIX, 34; nimirum quia Deus suam in templo, David in Sione regiam sedem locarat. Vide S. Chrysostomum, homil. 8 *ad Popul.* Rursum, quidquid Deus tribui Juda honoris et dignitatis supra cæteras contulit, id propter Davidem contulisse censet S. Augustinus, *in Psal.* LXXVII, 70, ad illa : *Elegit David servum suum.* Idem, lib. XVII *De Civit. Dei* cap. XIV, notat Davidem fuisse primum regem sanctum in terrena Jerusalem, quæ est umbra futuræ, hocque insigne fuisse Davidis privilegium, decus et gloriam.

Vers. 15. 15. SALOMON IMPERAVIT IN DIEBUS PACIS, CUI (legit cum Romanis ᾧ, id est *cui*; Complutensia legunt ὡς, id est *quoniam*) SUBJECIT DEUS OMNES HOSTES, UT CONDERET DOMUM IN NOMINE SUO (Deus per Salomonem), ET PARARET SANCTITATEM IN SEMPITERNUM, — *q. d.* Salomoni Deus concessit summam pacem, eique subjecit omnes hostes, hoc fine, ut ædificaret domum, quam nomine Dei nuncuparet, Deoque dicaret, ut vocaretur et esset templum Dei, atque ut pararet et adornaret « sanctitatem, » id est sanctuarium (hoc enim hebraice vocatur קודש *codes*, id est sanctitas, quia locus sanctissimus) duraturum in æternum, non absolute, sed respective, scilicet tamdiu quamdiu duratura erat respublica et Synagoga Judæorum, puta usque ad excidium eorum per Chaldæos.

Nota *primo* : Ab hac summa pace dictus est rex « Salomon, » id est « pacificus; » שלום *scalom* enim Hebræis est pax. Porro pax eis significat opes, prosperitatem, rerumque copiam, qualem habuit Salomon ad fabricam templi; hæc enim omnia parit pax. A Salomone Turcarum Imperatores vocarunt se Selymos et Solymannos, quasi sui ævi et gentis Salomones; et Germani Fredericos, Fredericus enim Germanis idem est quod pacis dives, sive pace abundans. Denique bella Davidis hanc pacem crearunt Salomoni; bello enim paranda est pax, præsertim cum infidelibus et hæreticis. Simili modo David præparavit Salomoni opes et materiam ad fabricam templi necessariam, quæ quanta fuerint liquet ex templi magnificentia, III *Reg.* VI; imo David Salomoni ideam totius templi, omniumque ejus partium reliquit et tradidit. Unde sequitur : « Quemadmodum eruditus es a juventute tua, » quod multi referunt ad præcedentia, *q. d.* Fabricasti domum Deo eo modo, forma et idea, quam didicisti et accepisti a patre tuo Davide, I *Paral.* XXIX, 1 e seq. Verum melius cum Romanis et Græcis hæc verba referas ad versum sequent. A Salomone dicti Solymi et Solymanni.

Nota, *secundo* : Pro *cui subjecit Deus hostes*, Græca Complut. habent : *Quoniam Deus pacavit in circuitu suo;* Romana : *Cui Deus requiem dedit in circuitu*, quia scilicet « subjecit ei hostes, » ut explicat Noster. Rursum aliqui addunt καὶ ἐδοξάσθη, id est *et glorificatus est.* Unde Vatablus : *Salomon regnavit tempore pacifico; et gloriam adeptus est, postquam Deus circumjecta loca pacata reddidit, ut nomine ipsius statueret ædem, et sacrarium perpetuum pararet.*

Nota, *tertio* : Salomonis nomen jussu Dei fuisse inditum. Sic enim Deus ait Davidi, I *Paral.* cap. XXII, 9 : « Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus : faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum : et ob hanc causam Pacificus (puta Salomon) vocabitur : et pacem et otium dabo in Israel cunctis diebus ejus. »

Vers. 15 et 16.

15 et 16. QUEMADMODUM ERUDITUS ES IN JUVENTUTE TUA, ET IMPLETUS ES (Jansenius et alii pro *es*, utrobique legunt *est* in tertia persona) QUASI FLUMEN, SAPIENTIA. — Vox « quemadmodum » non est comparantis, sed admirantis; græce enim est ὡς ἐσοφίσθης, id est *quam sapiens in juventute tua* fuisti, et in modum fluminis repletus fuisti, intelligentia. » Sic sumitur « quemadmodum » pro *quam* per admirationem, *Psalm.* XXXV, 8 : « Quemadmodum (S. Hieronymus et Chaldæum, *quam*) multiplicasti misericordiam tuam ; » Syrus : *Quam sapiens fuisti in pueritia tua, Salomon et fluxit velut fluvius sapientia ; in intelligentia tua, et in celsitudine gloriæ regis* ; Arabicus, *regum, q. d.* O Salomon, quanta sapientia a Deo infusa dotatus fuisti in juventute tua (nam in senectute delirasti et idola coluisti) : nimirum sicut flumen repletur copia aquarum, ita tu a Deo repletus fuisti abundantia sapientiæ et eloquentiæ. Recte enim fluens sapiensque eloquentiæ oratio flumini assimilatur; hæcque omnes etiam dissitos ad se allicit rapitque, uti fecit in Salomone.

Quemadmodum nota admirationis.

Nota hic, Salomonem sapientem fuisse a juventute, et pene a puero, idque ex institutione tum Dei, tum Davidis et magistrorum. Verum enim est illud Plutarchi, lib. *De Educandis liberis* « Ad pueri eruditionem tria requiri, scilicet naturam, doctrinam et exercitationem. Natura quippe, inquit, absque disciplina si sit, cæca est; disciplina, si natura destituatur, defecta; exercitatio, his duobus demptis, imperfecta est. Et quemadmodum ad agriculturam primum requiritur bonum solum, deinde peritus colonus, denique semina frugi : ita plane natura solo, agricolæ magister, semini præcepta respondent.

Porro quanta et quam ampla fuerit sapientia Salomoni a Deo indita, docet ipsemet *Sap.* VII, cum ait : « Ipse (Deus) dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram : ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium, et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum, anni cursus, et stellarum dispositiones, naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum, et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici : omnium enim artifex docuit me sapientia. » Ex quibus liquet Salomonem fuisse insignem physicum, cosmographum, astrologum, medicum, adeoque scientiarum omnium encyclopædiam absolvisse.

Salomon

ET TERRAM RETEXIT ANIMA TUA. — *Primo*, aliqui hæc accipiunt de Ophir et Indiis, quas navibus suis detexerit, et pervias fecerit Salomon; sicut avorum memoria, sub annum Domini 1490, Christophorus Columbus navigando detexit et aperuit Indias Occidentales, Vascus Gama Orientales.

retexit terram. Primo.

Secundo, alii exponunt, *q. d.* Salomon retexit terram effodiendo ex ejus visceribus aurum, argentum et thesauros absconditos. Sic Dido admonita a Sichæo marito defuncto apud Virgilium, lib. I *Æneid.* :

Secundo.

Veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.

Tertio, «retexit,» id est texit, contexit, operuit; hoc enim significat Græcum ἐπεκάλυψεν, *q. d.* Adeo plenus, abundans et inundans fuisti sapientia, ut instar fluminis vel maris exundantis, eadem obrueris et repleveris totam terram, ut legit Vatablus, ut scilicet incolæ totius terræ eam cognoscerent et celebrarent. Rursum Salomon contexit totam terram suis parabolis, id est, parabolis suis complexus est universas herbas et arbores terræ. Undo regina Saba venit ex Æthiopia in Jerusalem, ut audiret sapientiam Salomonis, III *Reg.* X, indeque reges Æthiopiæ sive Abyssiæ, puta Pretejannes, jactant et gloriantur se filios esse Salomonis; utpote prognatos ex regina Saba, quam gravidam effecerit Salomon, etsi hoc credatu sit difficile. Hoc est quod dicitur III *Reg.* IV, 34 : « Veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus. » Verum, quia τὸ *retexit* apud Latinos non operire et tegere, sed contrarium, scilicet aperire et detegere significat; hinc Noster pro ἐπεκάλυψεν, videtur legisse ἀπεκάλυψεν, id est aperuit, retexit, patefecit.

Tertio.

Quarto ergo et genuine, sensus est, *q. d.* Salomon sua sapientia « retexit, » id est detexit, aperuit, eruit, revelavit terram, id est ea quæ in terra hominibus erant secreta et abscondita, ipse patefecit secreta naturæ, et proprietates rerum occultas, ac præsertim earum quæ sub terra latent, quales sunt metalla, gemmæ, radices; hæc enim in apertum protulit Salomon, tum ea eruendo et effodiendo, tum ea explicando et enarrando, juxta illud III *Reg.* IV, 33 : « Disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete : et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus.» Ita Dionysius, Palacius, Jansenius et Pineda, lib. IV *De Rebus Salom.* cap. XXII, in fine. Hunc sensum exigit id quod sequitur :

Quarto.

17. ET REPLESTI IN COMPARATIONIBUS ÆNIGMATA, — *q. d.* In parabolis tuis « replesti, » id est plena, hoc est plurima, congessisti « ænigmata. » Sic « replere » pro plena multaque afferre, sumitur a S. Paulo, *Rom.* XV, 19, cum ait : « Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim (id est plene prædicaverim) Evangelium

Christi. » II *Timoth.* IV, 17 : « Ut per me prædicatio impleatur, » et alibi.

Porro « ænigmata » sunt dicta obscura et difficilia, constantia gravissimis sententiis, aut etiam similitudinibus et comparationibus, ductis ex occultis rerum proprietatibus. Unde Græca habent : *Terram contexit anima tua, et replesti* (terram) *in parabolis ænigmatum;* Vatablus : *Animus tuus omnem terram aperuit, et allegoriis ænigmaticis implevit.* Ex omnibus enim partibus mittebantur, qui ænigmata et res obscuras Salomoni proponerent (uti Hiram regem Tyri fecisse testatur Josephus, VIII *Antiq.* II) : quæ omnia ipse ita clare solideque explicabat, ut omnes obstupescerent.

AD INSULAS LONGE DIVULGATUM EST NOMEN TUUM, ET DILECTUS ES IN PACE TUA. — Vatablus : *Paceque tua fuisti gratiosus;* alii, *charus, q. d.* O Salomon, ob tuam sapientiam, pacem et magnificentiam celebris evasisti toto orbe, ut etiam insulani te celebrarent et glorificarent. Hebræi enim cum terras et gentes remotas et abditas incognitasque significare volunt, nominant insulas; tum quia insulæ, undique mari circumdatæ, ab omni terra ejusque incolis sunt semotæ; tum quia Judæi navium et navigationis ante Salomonem expertes, eos qui in mari, puta in insulis vel trans mare, habitabant, censebant procul a Judæa in alio climate et quasi in novo orbe habitare. Unde illud : « Reges Tharsis et insulæ munera offerent, » *Psal.* LXXI, 10, *q. d.* Reges remoti, qui trans mare dominantur, æque ac insulani a Judæis cæterisque terræ incolis semoti, subdent se Christo, quasi vero Salomoni, eique munera offerent. Et Isaias, cap. LX, 9, prædicens gentium remotarum conversionem ad Christum et Ecclesiam : « Me, inquit, insulæ exspectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe. »

ET DILECTUS ES IN PACE TUA, — id est propter pacem tuam, *q. d.* Quia pacem tuo regno procurasti ac pacem cum vicinis, quin et cum remotis gentibus, quales erant in Ophir, coluisti, atque pacifice regnasti, idcirco charus fuisti tam tuis Judæis, quam quibusvis gentibus, regibus et principibus, ut quod adulatorie dictum fuit Neroni, vere dicatur Salomoni : « Nemo unus homo tam charus fuit uni homini, quam tu tuo imperio. » Hinc Salomon a Nathan vocatus est « Jedidia, » id est amabilis Deo æque ac hominibus; omnes enim amant pacem et pacificos; magnæ enim virtutis et sapientiæ est ita agere et regere, ut pacem cum omnibus habeas. Unde Salomon tanquam rex pacificus, amatus et celebratus fuit toto orbe, quia non armis, sed mirabili prudentia et lenitate, orta ex magnanimitate, in pace regnum administravit. Atque hæc fuit causa tantæ potentiæ, tamque ampli regni Salomonis; nihil enim ita valet ad vincendos hostes, et devinciendos exterorum animos, atque concordia et pax. Qua de re ita pulchre, æque ac vere sanciunt leges Visigothorum, libro I, tit. II, cap. VI : « Sicut modestia principum temperantia est legum, ita concordia civium victoria est hostium. Ex mansuetudine enim principum oboritur dispositio legum, ex dispositione legum institutio morum, ex institutione morum concordia civium, ex concordia civium triumphus hostium; sique bonus princeps interna regens, et externa conquirens, dum suam pacem possidet, et alienam litem abrumpit, celebratur et in civibus rector, et in hostibus victor. »

Concordia civium est victoria hostium.

Ex adverso « principum sævitia bellum est, » puta belli causa, ait Seneca, lib. I *De Clementia,* cap. V. Nam, ut idem ait, cap. VII, « Non alia facies est quieti moderatique imperii, quam sereni cœli et nitentis. Crudele regnum, turbidum tenebrisque obscurum est inter trementes, et ad repentinum sonitum expavescentes, nec eo quidem, qui omnia turbat, inconcusso. »

18 et 19. IN CANTILENIS, ET PROVERBIIS, ET COMPARATIONIBUS (græce, *parabolis*), ET INTERPRETATIONIBUS, MIRATÆ SUNT TERRÆ, ET IN NOMINE DOMINI DEI, CUI EST COGNOMEN, DEUS ISRAEL. — Syrus : *Exspectant,* vel *sperant audire te interpretantem proverbia, et sapientiam in libro, et in prophetia obstupefecisti populos, vocatusque es in nomine Dei, cujus est honor, qui invocatus est super Israel;* Græce : *In odis, et proverbiis et parabolis, et interpretationibus te admiratæ sunt regiones, in nomine Domini Dei totius terræ, qui vocatur Deus Israel;* Vatablus : *Te miratæ sunt regiones propter carmina et proverbia, simul et allegorias interpretationesque, ac nomen Dei, qui Deus Israelis est cognominatus.* Complutensia addunt *tuus* : *Qui,* inquiunt, *cognominatus est tuus Deus Israel.* Vers. 18 et 19.

Eximius ergo et admirabilis fuit Salomon, *primo,* in pangendis odis, id est canticis et carminibus, quorum pars aliqua et velut reliquiæ exstant in *Cantico Canticorum.* Nuper etiam noster Ludovicus de la Cerda cum Adversariis edidit Psalterium Salomonicum, puta octodecim psalmos Salomonis, sive illi ab ipso Salomone, sive potius ab aliquo alio nomine Salomonis sint compositi; nam nemo veterum horum Salomonis psalmorum meminit, atque hi Psalmi XVIII, recens in membranis antiquis Bibliothecæ Augustanæ, græce manuscripti reperti sunt. Adde, singulos hosce psalmos hoc titulo prænotari : *Psalmus Salomoni;* quasi psalmi hi adscripti, eo quod Auctor in illis Salomonem loquentem et psallentem inducat. Psalmi Salomonis nuper editi.

Secundo, in *proverbiis,* quorum pars aliqua exstat in lib. *Proverbiorum.*

Tertio, in *parabolis,* id est comparationibus et similitudinibus, quibus gaudent Syri. Unde ils post Salomonem crebro usus est Christus, juxta illud : « Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi, » *Psal.* LXXVII, 2; *Matth.* XIII, 35.

Quarto, in *interpretationibus,* quibus scilicet Salomon interpretabatur et explicabat tum ænigmata et sermones obscuros, tum rerum præser-

tim abditarum naturas reconditas, et proprietates occultas.

Quinto, *in nomine Domini Dei*, id est in virtute, ope, protectione, beneficentia Dei. Mirabantur enim homines, etiam Gentiles, quod Deus Salomoni quasi filio suo tantam sapientiam, pacem, opulentiam, felicitatem, gloriam, bonorumque omnium copiam contulisset; adeo ut vocaretur Deus Salomonis, ut habent Complutensia, æque ac Israelis; atque vicissim Salomon vocaretur filius Dei primogenitus, juxta illud : « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. » II *Reg.* VII, 14 : « Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ, » *Psal.* LXXXVIII, 28. Rursum τὸ *in nomine Domini*, significat Salomonem in omnibus invocasse nomen Domini; eique suam sapientiam, gloriam, bonaque omnia accepta tulisse, non sibi suisque viribus, quæ sane insignis fuit in tanto fastigio animi demissio et humilitas. Hinc Deum invocans pro sapientia ait : « Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te, » *Sapient.* cap. IX, 10.

Nota hebraismum : *Mirari in cantilenis, proverbiis, parabolis, in nomine Domini*, idem est, quod mirari cantilenas, proverbia, parabolas, et nomen, id est virtutem Dei assistentem Salomoni, eumque tot bonis cumulantem; est enim *beth* contactus notum hebraice peritis. Ita Vatablus. Alludit ad III *Reg.* X, 1 : « Sed et regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini » *q. d.* Audita fama sapientiæ a Deo datæ Salomoni, ac eorum quæ faciebat Salomon ope Domini. Unde Vatablus vertit : *Ex nomine Domini, venit tentare eum in ægnimatibus*. Quæ auditis responsis Salominis, exclamavit vers. 9 : « Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum. »

In hisce omnibus Salomon fuit typus Christi, qui pacem orbi attulit, unde vocatur « Princeps pacis, » *Isaiæ*, IX, 6; æque ac veram sapientiam, opes et gloriam, non terrestrem, sed cœlestem. Ita Rabanus.

Vers. 20. 20. COLLEGISTI QUASI AURICHALCUM AURUM, ET UT PLUMBUM COMPLESTI (id est multiplicasti, uti dixi versu 16) ARGENTUM. — « Aurichalcum » dicitur æs rubens fulgensque ut aurum; græce est : *Congregasti aurum quasi stannum, et multiplicasti argentum quasi plumbum*; Syrus : *Congregasti quasi plumbum aurum, et argentum quasi terram*. Argentum enim non est aliud quam terra alba, aurum rubra, ait S. Bernardus. A sapientia transit ad opes Salomonis, quas ingentes et pene ad miraculum stupendas ei dedit Deus. Est hyperbole apposita, utpote in qua similia similibus, puta aurum aurichalco, argentum plumbo comparantur. Porro in pretio magna est dissimilitudo : una enim libra auri valet quingentas libras æris, sive aurichalci; una enim libra auri valet libras decem argenti, atque una libra argenti valet libras 50 æris : multiplica decem per 50 habebis quingenta. Alludit ad III *Regum*, X, 21 : « Non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis. » Et vers. 27 : « Fecitque (Salomon) ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta et lapidum. » Et II *Paralip.* I, 15 : « Præbuitque rex argentum et aurum in Jerusalem quasi lapides. » Censent aliqui vituperari hic Salomonem a nimio studio coacervandi opes quod regibus Israel vetuit Deus, *Deuter.* XVII, 17. Verum dico : Laudatur hic Salomon ab opibus, uti laudatus fuit a sapientia; sed opes illi fuere illecebræ fastus, avaritiæ, gulæ et luxuriæ, per quæ sensim ulterius prolapsus tandem corruit in barathrum idololatriæ. Opes ergo bonæ sunt bene utenti : sed malæ abutenti; facile autem est iis abuti, difficile bene uti : « Opes, » inquit Diogenes, apud Dionem. *orat.* 4, *De regno*, « omnis concupiscentiæ et studii servæ et ministræ sunt. » Vide Pinedam, lib. VII *De Rebus Salomon.* cap. XIII, ubi ostendit quando et quantum in opibus coacervandis peccarit Salomon.

Una libra auri valet libras decem argenti, et una argenti libra auri

Opes Salomonis quantæ.

Porro quantæ fuerint opes Salomonis vel ex hoc conjice, quod David moriens pro fabrica templi reliquerit ei centum millia talentorum, auri, quæ faciunt mille et ducentos milliones aureorum; argenti vero mille millia talentorum, quæ faciunt tantumdem : libra enim una auri olim valebat decem libras argenti. Reliquit ei ergo universim bis mille milliones, et insuper quadringentos milliones aureorum. Vide Vilalpandum sub fine tom. II *in Ezechiel.* part. II, lib. V, disp. 3, cap. XLIII et sequent., ubi probat Davidem et Salomonem annuo redditu opibusque superasse tributa et opes non tantum Romanorum, sed et Chaldæorum, Persarum, omniumque regum et monarcharum; licet alii viri docti contrarium sentiant, scilicet promissa Dei de Salomonis præcellentia intelligenda esse accommode, nimirum respectu cæterorum regum Israelis, non autem exterorum. Itaque Nabuchodonosorem, Cyrum, Alexandrum, Cæsarem, Augustum opibus et gloria Salomoni fuisse pares, imo superiores.

ET INCLINASTI FEMORA TUA MULIERIBUS; (et cum femoribus mentem, sapientiam, sanctitatem, et gloriam tuam; hæc enim Salomon subjugavit libidini et voluntati mulierum, ideoque prodegit et perdidit) : POTESTATEM HABUISTI IN CORPORE TUO, — id est validum habuisti corpus, et tot feminarum potens, ait Lyranus et Dyonysius. *Secundo* et melius, *q. d.* Abusus es tuo corpore ad tuum libitum, ut contra Dei præceptum illo libere uteretis ad tuas libidines explendas. Non enim agitur hic de naturæ robore, sed de vitio animæ, quo Salomon pro libito corpore abutebatur; cum tamen corpus non esset ejus, sed Dei, ut ait Apostolus, I *Corinth.* VI, 14 et 19. Græce est, ἐν-

ξουσίασθης, id est in potestatem redactus es corporis tui, *q. d.* Fecisti te mancipium tuæ carnis et concupiscentiæ, æque ac mulierum, quas insane adamasti, adeo « ut assidua carnis petulantia usque ad servitium carnis perveniret, » ait S. Gregorius, XII *Moral.* XII. Pro *femora* legit λαγόνας; alii legunt σπλάγχνα, id est viscera : unde vertunt : *Acclinasti tua ilia mulieribus, et redactum est in alienam potestatem corpus tuum*; Vatablus : *Lumbos tuos applicuisti mulieribus, et vinci te corpore tuo passus es, q. d.* Vinci te a femina passus es, quod est turpissimum; feminæ enim inclinasti cervicem, totumque corpus humiliasti; qui est habitus superati et triumphati hominis. Alii sic explicant, *q. d.* Supplex et procumbens in genua, femineæ potestati subjecisti corpus tuum; nimirum divitiæ duxerunt Salomonem ad delicias, deliciæ ad insatiabiles libidines, quæ tamen præcise in Salomone non fuere peccata mortalia, quia excercitæ intra terminos conjugii; concubinæ enim ejus fuere uxores secundariæ : fuerunt tamen peccata mortalia aliis nominibus, tum quia tantæ et tam ardentes in eo fuerunt, ut mallet Deum relinquere et idola colere, quam suas libidines et amasias offendere : « Fecit, inquit S. Augustinus, lib. XV, *De Genesi ad litter.* cap. XLII, quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque diffluebat, delicias contristaret; » tum, quia nimis ingentes et multæ fuere contra præceptum Domini, *Deuter.* XVII, 17, habuit enim Salomon 700 reginas, trecentas concubinas, III *Regum*, XI, 3, tum quia pleræque hæ uxores fuere alienigenæ e gentibus Judææ vicinis, quibuscum Deus severe vetuerat Judæis inire conjugia, ob periculum idololatriæ, *Exod.* XXXIV, 16. Denique Syrus clare vertit : *Dedisti mulieribus robur tuum, et potestatem dedisti eis in corpore tuo* (corporis tui), *vel præfecisti eas corpori tuo.*

Potestas passive capitur.

Nota « potestatem » hic accipi posse vel active, *q. d.* Nimiam potestatem usurpasti in corpus tuum, cum illud non Dei legi, sed tuæ libidini servire fecisti; vel passive, *q. d.* Alienam potestatem, puta mulierum tibi dominantium, admisisti in corpus tuum, permisisti ut illæ potestatem in te exercerent, earum ultro jugum et imperium subiisti, coactus es parere illarum libidini, etiamsi injusta, indecora et superba præciperent. Sic enim Hercules paruit Omphalæ suæ amasiæ, ejusque flagellum et minas exstimuit, de quo Dejanira apud Ovidium.

Diceris infelix scuticæ tremefactus habenis,
Ante pedes dominæ pertimuisse minas.

Ita viriles animos dementat, dejicit et sternit amor. Hunc sensum exigit Græcum ἐνεξουσιάσθης, id est « in potestatem redactus es. » Sic Apostolus, I *Corinth.* XI, 10 : « Ideo debet mulier potestatem habere supra caput. » *Potestatem*, scilicet passivam, puta velum, quo testatur se potestati viri esse subjectam : e contrario Salomon mulierosus potestati mulierum se suumque corpus subjecit, quasi alter Sardanapalus. Quam verum est illud : « Amare et sapere negatum est etiam sapienti, » imo sapientissimo Salomoni. Vide nostrum Pinedam, lib. VII *De Rebus Salomonis*, cap. VII.

22. DEDISTI MACULAM IN GLORIA TUA (Vatablus, *inussisti gloriæ tuæ maculam*), ET PROFANASTI SEMEN TUUM. — Syrus : *Dedisti maculam in honore tuo, et opprobrio affecisti stratum tuum, q. d.* Maculasti, deturpasti, infamasti tantam tuam gloriam fœda et indelebili macula ignominiosæ libidinis, et consequenter idololatriæ : sicut stola alba turpatur injecto atramento, et purpura injectis excrementis. Eadem macula maculavit gloriam suam Pipinus, Constantinus Monomachus, Henricus VIII, rex Angliæ, multique alii reges et principes. Vere dixit Ecclesiasticus, cap. XIX, 2 : « Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes. » Sic multi illustres viri candidam juventutis stolam turpi senectutis macula instar Salomonis dedecorarunt : nimirum maculam hanc in gloriam suam dedit Origenes, Tertullianus, Hosius Cordubensis præses Concilii Nicæni, cum in senio delirans cessit Arianis; et Constantinus Magnus, dum præter alia seductus ab Arianis, ab Ecclesia sua ejecit S. Athanasium. Unde merito palatio ejus affixum fuit hoc carmen : « Saturni sæcula quis desideret? Sunt hæc gemmea, sed Neroniana, » uti refert Sidonius Apollinarius, Baronius et alii. Proprie vero maculam homini incicit libido; hæc enim affert probrum et ignominiam, sicut ex adverso castitas affert candorem et decus. Unde S. Leocadia apparens S. Ildephonso, qui celebrarat intemeratum et æternum candorem virginitatis B. Mariæ Deiparæ : « O Ildephonse, inquit, per te vivit gloria Dominæ meæ. »

Vers. 22.

Macula gloriæ Salomonis.

Pro *maculam*, græce est μῶμον, quod *secundo*, verti potest, *vituperationem*, reprehensionem; nihil enim est in homine luxurioso, quod non reprehensione sit dignum, quodque Momus non carpat. Opes enim ejus in turpes usus expenduntur, corpus libidine polluitur, mens tota fœdis imaginibus turpatur, denique omnes animæ et corporis vires libidini famulantur. Ita Pineda, lib. VII *De Rebus Salom.* VII. Quare sapienter Monet Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi, 4* : « Ne parva voluptate, inquit, vendatis magnam dignitatem. » Præclare S. Bernardus, epist. 129, *ad Januenses, de Perseverantia* : « Si cautela, inquit, Samson, et si Salomonis devotio perseverantiam retinuissent; nec iis profecto privaretur viribus, nec hic sapientia. » Idem, lib. II *De Consider.* cap. XII, monet Eugenium Pontificem ut in tanto pontificatus honore, gloria et felicitate se caute custodiat, ne in peccatum prolabatur, uti prolapsus est David et Salomon : « Est utique, inquit, si diligenter attendas, quam rarus semper exstiterit, qui non vel modice in prosperitate animum relaxaverit a sui cu-

Ejus causa fuit nimia felicitas.

todia et disciplina. Quando hoc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad nivem vel glaciem? Sapiens David, sapiens Salomon fuit; sed blandientibus nimis secundis rebus alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus, qui incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia; nec minor, cui felicitas si arrisit, non irrisit. Quanquam facilius inveneris qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. Præferendus ille et magnus est, cui inter prospera saltem risus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior cura vestis vel corporis non irrepsit. »

Et S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. XX, loquens de Salomone : « Hic, inquit, bonis initiis malos exitus habuit. Quippe secundæ res, quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quam profuit ipsa sapientia, etiam nunc et deinceps memorabilis, et longe lateque laudata. »

Salomon profanavit semen suum. Primo.

ET PROFANASTI SEMEN TUUM. — *Primo*, « profanasti, » græce ἐβεβήλωσας, id est polluisti, maculasti, contaminasti « semen tuum, » per impuras libidines et æternam ignominiam. Est catachresis, Profanum enim sumitur pro immundo, *Act.* X, 14 et 15, quia Judæi cibos communes sibi et Gentilibus, censebant profanos et immundos.

Secundo.

Secundo, proprie « profanasti semen tuum, » purum et sanctum, utpote hominis fidelis, sapientis et sancti, cum illud commiscuisti cum mulieribus infidelibus, insipientibus et impiis. Nam, ut ait Apostolus : « Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur, » I *Corinth.* VI, 16. Semen enim Israel erat sanctum, *Isaiæ* cap. VI, vers. 13. gentium vero profanum et sacrilegum. Unde illud Danielis ad senes impios : « Semen Chanaan, et non Juda, » *Daniel.* XIII, 56.

Tertio.

Tertio, « profanasti semen tuum, » id est filios tuos, cum illos procreasti ex mulieribus idololatris et impiis, quæ eosdem educarunt in sua idololatria et impietate.

Quarto.

Quarto, « profanasti semen tuum, » quia forte illud more idololatrarum consecrasti idolo Moloch; huic enim solebant offerre semen humanum, imo et filios proprios immolare et concremare, uti dixi *Levit.* cap. XVIII, vers. 21; uxores enim Salomonis coluerunt Moloch, ipsumque ad eumdem colendum induxerunt, III *Reg.* cap. XI, 5 et 7. Unde Palacius opinatur Salomonem filios suos immolasse Moloch, æque ac Pineda, lib. VII *De Rebus Salomonis*, cap. XI, n. 3, in fine, qui et conjecturam addit : Nam, inquit, non alium Salomonis filium legimus quam Roboam, ac duas præterea filias, ut, si alios (ut videtur) ex tot uxoribus et concubinis suscepit, malos male perdidisse videatur insana parentis religio, ac nefarius Molochius ignis.

Quinto.

Quinto, « profanasti semen tuum, » quia origo et causa fuisti, ut idololatria tua etiam post mortem tuam proserperet et grassaretur inter Hebræos, III *Reg.* XIV, 22. Hoc est, quod subdit Siracides : « Inducere iracundiam ad liberos tuos. » Unde et fana idolis et diis Gentium a Solomone ædificata manserunt per multa sæcula usque ad Josiam, qui ea destruxit, IV *Regum* XXIII, 13.

An Salomon salvatus?

Ex hoc loco et ex III *Reg.* cap. XI, multi cum S. Prospero, lib. II *De Prædict.* cap. XXVII; S. Cypriano, epist. 7 *De observanda disciplina*; S. Gregorio, II *Moral.* cap. II; Lyrano, in II *Reg.* cap. VII; Abulensi, III *Reg.* cap. XI, Quæst. ult.; Andreas Vega, lib. XI *in Concil. Tridentin.* cap. II; Bellarmino, lib. I *De verbo Dei*, cap. V, hæresi 6; B. Joannes Capistranus, lib. *De Auctorit. Papæ*; Pererius *in Epist. ad Rom.* cap. VIII, Quæst. XXVII; et fuse Joannes Cognatus, lib. de hac re edito cap. XVIII et sequent, censent Salomonem esse damnatum. *Primo*, quia Siracides assignat lapsum Salomonis, tacet vero ejus pœnitentiam, quam non tacuit in lapsu Davidis dicens, vers. 13 : « Dominus purgavit peccata ipsius. » Idem facit Scriptura, III *Reg.* cap. XI. *Secundo*, quia, si Salomon post lapsum vere pœnituisset, utique debuisset destruere idola et idolia a se fabricata : hoc autem non fecit; nam illa manserunt usque ad Josiam, uti jam dixi. Ergo mortuus est in peccato et impœnitens. *Tertio*, quia ideo Deus Salomoni tot opes, delicias honores, omnemque mundi gloriam concessit, ut eum in hac vita remuneraretur, in altera vero puniret ejus scelera tam enormia. Unde S. Augustinus *in Psalm.* CXXVI, sub initium, Salomonem reprobatum asserit; sicut enim signum prædestinationis est affligi in hoc mundo, ita signum reprobationis est bonis mundi affluere, iisque intemperanter se immergere, sicut fecit Salomon. Unde B. Nilus, qui opinione magnæ sanctitatis floruit anno Domini 976, rogatus « an Salomon salvus sit? » respondit : « De Salomone nihil uspiam legimus in sacra Scriptura, quod post peccatum pœnitentiam egerit, sicut Manasses. Quis ergo de illo dicere poterit quod salvus sit? » Ita habet ejus *Vita*, et ex ea Baronius, anno Christi 976.

Negans pars probatur. Primo. Secundo. Tertio.

Alii tamen cum S. Hieronymo, lib. II, *Contra Jovin.*, S. Ambrosio, lib. II *Apolog. David*, cap. III, Hilario, *in Psalm.* LII, Cyrillo; *catech.* 2, et Bacchario, qui fuit coævus S. Augustino, epist. *ad Januarium*, mitius loquuntur, beneque de Salomonis pœnitentia et salute confidunt, atque conjecturas afferunt probabiles. Ita noster Delrio, *Proœm. in Cant.*, Barradius, tom. I, lib. V, cap. IX, et fuse Pineda, lib. VIII *De Rebus Salomon.*, cap. I et seqq.

Ammant alii.

Denique tertii inter utramque sententiam invicem oppositam incedunt medii, ac de Salomonis salute dubitant, neutram ut in partem inclinare velint. Hi sunt Hugo a S. Victore, Hostiensis, Panormitanus, Innocentius Archidiaconus, Turrecremata, Fevardentius, Pamelius et alii, quos citat et pene sequitur noster Lorinus, *Præfat. in*

Ecclesiasten, cap. II. Urgent secundi illud Dei de Salomone promissum : « Misericordiam autem meam non auferam ab eo, » II *Reg.* VII, 15, *Psalm.* LXXXVIII, 34. Verum hæc misericordia intelligitur non de Salomonis salute, sed de regni ejus et prosapiæ regalis propagatione. Subdit enim : « Sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea; » ne coram me regnaret, surrogans ei regem Davidem oculis meis placentem; ac præcedit : « Et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.» Propter Davidis enim merita promiserat Deus, se progeniem ejus in regno perpetuaturum; nec propter Salomonis demerita se pollicitationem hanc rescissurum.

Dubia Salomonis salus: cur?

Ut ut est, hominibus incertam et dubiam Salomonis salutem voluit esse Deus, ut omnibus metum sanctum incuteret, doceretque fugere mundi delicias et pompas, quasi periculosas, et ad peccatum illices. Forte Deus secreta sua clementia miserens animæ Salomonis ob merita ejus priora, et ob merita Davidis patris, eamque expians pro expiatione hanc ei pœnitentiam publicam injunxit, ut toleret hasce Doctorum censuras, utque patiatur omnes homines dubitare de ejus salute, multos etiam desperare, eumque damnatum asserere. Hæc enim ignominia tam longa et continua utique afficit punitque Salomonem. Unde B. Mechtildis, sub annum Domini 1300, hanc de Salomone revelationem habuit : « Rogata, inquit, a quodam fratre, Dominum in oratione requisivi : Ubinam essent animæ Samsonis, Salomonis, Origenis et Trajani ? Cui Dominus : Quid pietas mea cum anima Samsonis egerit, volo esse ignotum, ut homines se de inimicis suis ulcisci amplius pertimescant. Quid misericordia mea cum anima Salomonis fecerit, volo homines latere, quatenus carnalia peccata ab hominibus magis devitentur. Quid vero benignitas mea cum anima Origenis effecerit volo esse absconditum, ut nullus in scientia sua confidens audeat elevari. Quid vero de anima Trajani liberalitas mea jusserit, volo homines ignorare, quatenus fides Catholica in hoc magis extollatur; quia hic licet omnibus polleret virtutibus, Christiana tamen fide ac baptismo caruit. »

Vers. 22 et 23.

22 et 23. INDUCERE IRACUNDIAM AD LIBEROS TUOS, ET INCITARI STULTITIAM TUAM, UT FACERES IMPERIUM BIPARTITUM, ET EX EPHRAIM IMPERARE IMPERIUM DURUM. — Ita Romana, *q. d.* Tuis peccatis, o Salomon, non tantum tibi nocuisti, sed et posteris : induxisti enim iram et vindictam Dei super eos, ut in iis puniret te, præsertim quia ipsi tuam impietatem et idololatriam secuti sunt. Pro *incitari* perperam alii legunt *in cæteris;* pro quo alii pejus corruperunt, *in citharis;* græce enim est κατανυγῆναι, id est *compungi*. Sensus est, *q. d.* Deus juste te puniens fecit, ut stultitia tua incitaretur in seipsa, et dolore compungeretur, cum tu, qui in pace semper vixeras, intelligeres Deum suscitasse servum tuum Jeroboam contra te, qui tandem sub filio tuo Roboam se fecit regem Israel, sive decem tribuum, duasque tantum tribus Juda et Benjamin Roboamo reliquit. Unde factum est « imperium bipartitum, » ut scilicet alii essent reges Israel, alii reges Juda; et « ex Ephraim » imperaret « imperium durum. » Jeroboam enim prognatus ex tribu Ephraim constituit regnum Israel durum, græce ἀπειθῆ, id est rebelle, contumax; quia pertinaciter reges Israel usque ad ultimum rebellarunt Roboamo et regibus Juda, suumque regnum et schisma mordicus tutati sunt et propugnarunt.

Quocirca Vatablus vertit : *Offensam contraxisti liberis tuis, et ex stultitia tua cepisti dolorem : unde bipartito divisum est imperium, regnumque rebellionis ortum ex Ephraim;* alii sic : *Ut adduxeris iram in liberos tuos, et compunctus fueris in amentia tua : et imperium fuerit divisum, et ex Ephraim principatum obtinuerit regnum contumax.* Historia rei gestæ fuse narratur III *Reg.* XI et XII. Græca Romæ correcta pro *compunctus fueris*, legunt in prima persona, *compunctus sum in stultitia tua*, quasi sint verba Siracidis dolentis de lapsu Salomonis. Rursum pro *imperium bipartitum*, legit Noster cum Græcis passim δίχα τυραννίδα : Complutensia vero legunt δίχα τυραννίδος; unde vertunt : *Ut fieres sine imperio* (δίχα enim significat *duplex, bipartitum,* et cum genitivo significat *sine, absque*) : quia cum Roboam Salomonis filius perdidit decem tribus, et tantum servavit sibi tribum Juda cum Benjamin; potiori regni parte, adeoque regno quasi exutus est. Denique Syrus vertit : *Ad inducendam* (vel *inducendo*) *iniquitatem super filios filiorum tuorum, ut ingemiscant super cubili suo, ut divisi sint in duo regna, de domo Ephraim regno ethnico* (sic et Arabicus) vel *stulto.*

Vers. 24.

24. DEUS AUTEM NON DERELINQUET MISERICORDIAM SUAM, ET NON CORRUMPET, NEC DELEBIT OPERA SUA, NEQUE PERDET A STIRPE NEPOTES ELECTI SUI : ET SEMEN EJUS, QUI DILIGIT DOMINUM, NON CORRUMPET, — *q. d.* Deus, licet iratus Salomoni et posteris ejus, tamen eos prorsus non abjiciet a regno, sicut abjecit posteros Saulis, sed misericordiam Davidi promissam præstabit, « nec delebit opera sua, » puta pacta et promissa de perpetuando in ejus stirpe regno inita : unde « non perdet a stirpe, » id est stirpitus et radicitus non evellet, nec disperdet « nepotes electi sui, » puta Davidis : « Et semen ejus, qui diligit, » græce, *qui dilexit Dominum* ex tote corde, ejusdem scilicet Davidis, « non corrumpet, » sed faciet ut ejus posteri perpetua successione regnent in tribu Juda, quæ omnium tribuum erat præcipua, regalis, maxima et fortissima; idque faciet propter Christum ex Davide et tribu Juda nasciturum, in quo regnum Davidis perpetuabitur in omnem æternitatem. Imo ea de causa permisit Deus in pœnam peccatorum Salomonis, decem tribus subducere se a tribu Juda et regno Salomonis, ut tribus Juda a cæ-

Cur Deus divisit duas

teris separata melius et purius uni Deo serviret, ac Christum sibi promissum sola possideret, certoque ex se prognatum juxta promissa Dei Davidi facta, aliis tribubus et gentibus testaretur et demonstraret. Quare hæc misericordia non tam ad Salomonem, quasi ejus misertus sit Deus, eumque salvarit, ut aliqui volunt, quam ad ejus posteros, ut illi in regno succederent, pertinet, eisque præstita est propter merita, non Salomonis, sed Davidis. Unde Vatablus vertit : *Non tamen omisit misericordiam suam Dominus, nec ex operibus suis disperdidit : nepotes electi sui haudquaquam abolevit, nec progeniem amatoris sui* (Davidis) *sustulit; sed dedit Jacob reliquias et Davidi radicem ex ipso;* quod ultimum ita vertit Noster : *Dedit autem reliquum Jacob, et David de ipsa stirpe;* Syrus : *Atqui Deus non dereliquit misericordiam suam, et non projiciet verba sua super terram, et non perdet semen amicorum suorum, et filios justorum suorum non consummabit : et dabit liberationem Jacob, et Davidi regnum magnum,* id est maximum.

tribus a decem.

Vers. 25. 25. DEDIT AUTEM RELIQUUM JACOB ET DAVID DE IPSA STIRPE. — Pro *reliquum* græce est κατάλειμμα, id est reliquiæ, sive stirps et prosapia superstes. Porro « Jacob » et « David » sunt dativi casus, ut patet ex Græco articulo τῷ. Sensus ergo est, *q. d.* Ex misericordia Davidi, de ejus stirpe regali perpetuanda a Deo promissa, factum est ut Deus, licet iratus ob idola Salomonis et Israelitarum, tamen ob fidem datam Jacobo et Davidi, Israelem non prorsus abjiceret, sed ex eo servaret sibi tribum Juda, in qua continuo regnarent reges fideles prognati ex stirpe Davidis.

Alludit ad II *Reg.* VII, et *Psal.* LXXXVIII, 31 : « Si dereliquerint filii ejus legem meam, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, etc., et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo. » Quæ omnia inchoate implevit Deus in nepotibus et posteris regibus ex Davide prognatis, perfecte vero in Christo Davidis pariter filio : cujus regnum absolute est æternum, splendidissimum et gloriosissimum.

Vers. 26, 27 et 28. 26, 27 et 28. ET FINEM HABUIT (græce, ἀνεπαύσατο, id est *requievit*) SALOMON CUM PATRIBUS SUIS. ET DERELIQUIT POST SE DE SEMINE SUO, GENTIS STULTITIAM (Syrus, *multiplicantem stultitiam*), ET IMMINUTUM A PRUDENTIA (Syrus, *expertem scientiæ;* Vatablus, *inopem mentis;* græce ἐλασσούμενον συνέσει, id est *destitutum intelligentia*), ROBOAM, QUI AVERTIT (Vatablus, *alienavit*) GENTEM CONSILIO SUO. — Græce, ἀπέστησε λαὸν, id est *deficere fecit populum et apostatare,* tum a cultu Dei, tum a regno Davidis : magna enim fuit insipientia Roboami, ut, cum inaugurandus esset rex, ac ad feliciter inchoandum regnum deberet benignitate et clementia sibi conciliare animos populi, ipse sua duritie et inclementia eumdem prorsus a se averteret, adeo ut decem tribus abalienatæ novum regem sibi constituerint Jeroboam. Sed audi stultitiam Roboami, omissa sententia senum, ex juvenum stultorum consilio populo insultantis : « Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro : pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus, » III *Reg.* XII, 14. Quæ major stultitia? quæ major barbaries?

Stultitia Roboam Primo.

Nota : Τὸ *dereliquit post se,* significat Salomonem causam fuisse stultitiæ Roboam, omniumque malorum quæ ex ea secuta sunt : tum quia stultitiam Salomonis patris voluit Deus punire per stultitiam Roboami, ut per eam decem tribus ab eo avelleret, uti ipse per Ahiam prophetam se facturum prædixerat, III *Reg.* XI, 31; tum quia Salomon stultitiam suam exemplo suo docuit et impressit Roboamo : Salomon enim cum præter 300 concubinas, 700 haberet reginas, quarum singulas regio splendore, pompa et magnificentia alebat: ac in equis, curribus, stipatoribus, fabricis, cæterisque esset splendidissimus; Roboam hanc patris pompam et magnificentiam imitari voluit. Quare cum pater ob hanc magnificentiam gravia populo onera et tributa imposuisset, ipse majora eidem imponere voluit; indeque orta est populi rebellio et schisma.

Secunda.

Rursum stultitia Roboam liquet ex eo, quod in religione et moribus evaserit tandem corruptissimus, ut ejus tempore universum regnum corruptissime vixerit, ut patet III *Reg.* XIV, 22 : « Fecit, inquit, Judas malum coram Domino, et irritaverunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt. Ædificaverunt enim et ipsi sibi aras, et statuas : sed et effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium. » Porro non solum peccasse (quod multorum aliorum fuit), sed etiam non pœnituisse (quod obstinatissimæ impietatis fuit), colligitur ex II *Paral.* XII, 14, ubi illius gesta hac clausula concluduntur : « Fecit malum, et non præparavit cor suum ut quæreret Dominum, » quod ad extremam impœnitentiam et damnationem referendum censet Abulensis, *ibid.* vers. 21. Cujus etiam impietatem exaggerat incredibilis ille affectus et amor, quo Maacham uxorem prosequebatur, impiissimam feminam et principem in sacris Priapi, ut scribitur III *Reg.* XV, 13, et II *Paral.* XI, 21, tum quod scribit Josephus, VIII *Antiq.* cap. III, cum videret regni sui tanta incrementa factum fuisse contemptorem veræ religionis, ita ut etiam populum in imitationem sui pertraheret, ne justitiæ studiis regem suum offenderent. Ita Pineda, lib. VII *De Rebus Salom.* cap. XXIV, num. 7.

Tertio.

Addunt aliqui, Roboam fuisse imminutum prudentia et cerebro, eo quod a Salomone genitus sit anno ætatis undecimo vel duodecimo, ut

ait S. Hieronymus, epistola *ad Vitalem*: illa enim ætas, cum sit imbecillis et invalida, facit ut filius, quem gignit, sit imbecillis pariter et invalidus tum corpore, tum mente et animo. Verum longe probabilius est Roboam genitum a Salomone non 12, sed 18 circiter ætatis anno ac sequenti anno 19, vel 20, cœpisse Salomonem regnare, tumque peregisse judicium illud prudens in lite meretricum, III *Reg.* III, 16, quod sane ostendit eum maturæ fuisse ætatis et judicii (esto S. Ignatius, epist. *ad Magnesian.*, censeat illum hoc judicium peregisse anno ætatis octavo). Videtur ergo Salomon regnum iniisse anno ætatis 20, cumque regnarit annos 40, obiisse anno ætatis 60. Nam, III *Reg.* XI, 4, dicitur mortuus senex : Roboam autem ei in regno succedens erat 41 annorum natus; ergo fuit anno ætatis Salomonis 18, vel 19. Ita Abulensis, in III *Reg.* XI, 14, Cajetanus, *ibidem*, ac Pineda, lib. VII *De Rebus Salom.* cap. XXIV, in fine.

Vers. 29. 29. ET JEROBOAM FILIUM NABAT (repete « dereliquit post se » Salomon), QUI PECCARE FECIT ISRAEL, ET DEDIT VIAM PECCANDI EPHRAIM, ET PLURIMA REDUNDAVERUNT PECCATA IPSORUM, — *q. d.* Salomon suis peccatis meruit, ut Jeroboam a se evectus sibi rebellaret : moriens ergo hunc sui et Roboami æmulum, rebellem et hostem reliquit, qui a decem tribubus rex Israelis constitutus fecit vitulos aureos, quos in Dan et Bethel collocans Israeli adorandos proposuit, itaque « dedit viam peccandi Ephraim, » id est Israeli, sive decem tribubus : in hisce enim præcipua et regalis, cæterarumque caput erat tribus Ephraim. Ex qua plurima idololatriæ, gulæ, luxuriæ, omnisque vitii peccata redundaverunt. Nam, ut ait Sapiens, cap. XIV, 27 : « Infandorum idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium et finis. » *Viam* vocat occasionem et materiam peccandi, puta fabricam idolorum sive vitulorum. Dicit tamen « viam, » quia collocando eos in Bethel et Han, docuit eos viam idola colendi, nimirum viam eundi in Dan et Bethel ad poscendam opem deorum quos ibi collocarat. Alludit ad III *Regum* XII, 29 : « Posuitque unum in Bethel, et alterum in Dan : et factum est verbum hoc in peccatum : ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan. » Porro causa cur hos vitulos fabricarit, significatur *ibidem*, vers. 26 : « Dixitque Jeroboam in corde suo : Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem : et convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me, et revertentur ad eum. Et excogitato consilio fecit duos vitulos (instar Apis, sive bovis Ægyptii, quem Hebræi coluerunt in Ægypto, et postea in deserto, uti dixi *Exod.* XXXII, 4) aureos, et dixit eis : Nolite ultra ascendere in Jerusalem : Ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. »

Fuit ergo Jeroboam princeps politicorum, qui, ut statum suum injustum vel rebellionem stabiliant, mutant fidem et religionem; ne populus per veram religionem conscientiæ stimulis actus, redeat ad priorem legitimum principem. Sed Deus, qui capit prudentes sæculi in sua astutia, effecit, ut hoc ipsum quod Jeroboam censebat esse regni sui fulcrum, fuerit ejusdem ruina et eversio : ob hanc enim idololatriam a se invectam, ipse cum tota familia fuit excisus radicitus, uti ei comminatus fuerat Elias Propheta, III *Reg.* cap. XIV, 14. Vera ergo religio stabilit regnum, falsa illud evertit. Eadem causa jam agitur in Anglia, Scotia, Hollandia, idemque sequetur effectus. Porro Syrus sic vertit : *Et non sit memoria ipsi Joroboam filio Nabat, qui peccavit et peccare fecit Israel, et dedit domui Ephraim offendiculum, ad abducendos eos captivos a regione sua.*

Politicorum princeps.

Vers. 30. 30. VALDE AVERTERUNT (peccata jam dicta) ILLOS A TERRA SUA, — *q. d.* Peccata idololatriæ et reliqua inde exorta, expulerunt Israelitas a terra sua : Deus enim primo per Assyrios, deinde per Babylonios, eos ob scelera terra sancta, velut ea indignos, eamque suis sceleribus contaminantes, expulit. Unde Græca hæc cum præcedentibus connectentes, sic clare habent : *Peccata ipsorum multiplicata fuerunt valde, sic ut abegerint eos a terra sua.* Vide historiam, IV *Reg.* XVII.

Vers. 31. 31. ET QUÆSIVIT OMNES NEQUITIAS, USQUE DUM PERVENIRET AD ILLOS DEFENSIO, ET AB OMNIBUS PECCATIS LIBERAVIT EOS. — « Quæsivit, » scilicet Israel seductus a Jeroboam : græce est ἐξεζήτησαν, id est *exquisiverunt*, scilicet Israelitæ : idem ergo est sensus, scilicet, quasi dicat : Aperta per Jeroboam via peccati et idololatriæ, populus regem suum sequens, et erga novos deos insaniens adinvenit nova idola, novos ritus sacrilegos, nova scelera.

Defensio quæ? Respondeo primo.

Quæres quænam est « defensio » quæ stitit hasce Israelis nequitias. *Primo*, Lyranus accipit liberationem Hebræorum e Babylone factam a Cyro; vel ut alii, ab Artaxerxe Longimano, qui anno septimo regni sui misit Esdram, I *Esdr.* VII et seq., et anno vigesimo Nehemiam in Jerusalem, ad eam reædificandam, *Nehemiæ* II, 1 et seq. Judæi enim Babylone redeuntes in Jerusalem, redierunt pariter ad avitum Dei cultum et pietatem.

Secundo.

Secundo, Rabanus et Dionysius per *defensionem* accipiunt redemptionem fidelium factam per Christum : Christus enim nos liberavit a peccatis omnibus. Verum hic sensus est allegoricus potius quam litteralis.

Tertio.

Tertio, ergo melius Palacius, *q. d.* Ephraim involutus est omnibus iniquitatibus idolorum, donec veniret Elias (de quo Auctor statim dicet) qui Dei causam defendit facto miraculo ignis holocaustum absumentis, ac ita liberavit populum a peccatis idolorum : nam videns miraculum illud dixit : « Dominus ipse est Deus, » etc. Historiam habes III *Reg.* XVIII. Porro vocatur miraculum illud « defensio, » scilicet qua Deus, ac

ejus lex atque religio ab Elia defensa sunt, et vera ac sancta demonstrata. Unde Syrus vertit: *Et multiplicavit peccata eorum valde, et de omnibus nequitiis consilium petitum est ab eo, donec surrexit propheta similis igni*, puta Elias.

Verum nota : Pro *defensio* græce est ἐκδίκησις, id est *vindicta*, ultio : sic enim antiqui « defendere » dicebant pro ulcisci, uti ostendi *Rom.* XII, 19, ad illud : *Non vos defendentes*, id est vindicantes, *charissimi*. Sic Gellius, lib. IX, cap. I, « defendo » sumit pro arceo, depello, citatque illud : « Claudius hostes facile a pinnis defendebat, » id est depellebat. Græca ergo sic habent : *Omnem malitiam exquisierunt, donec ira et ultio veniret super eos.* Hæc ultio etiam competit Eliæ : ipse enim ultus est injurias Dei occidendo omnes prophetas Baal (unde de eo subdit cap. XLVIII, 7 : « Qui audis, etc., in Horeb judicia defensionis; » græce, ἐκδικήσεως, id est ultionis), itaque populum peccatis idololatriæ liberavit, III *Reg.* XVIII, 40, sed inchoate duntaxat : nam mox per Achab, Jezabel, aliosque impios reges, populus impulsus ad idola rediit.

Quarto.

Quarto, igitur plene et perfecte, « defensio, » id est ultio, hæc fuit captivitas Assyriaca et Babylonica, de qua sermo præcessit. Unde ex Græco hæc omnia sic clare vertas cum Vatablo et aliis : *Ergo multiplicata sunt peccata eorum, adeo ut eos pellerent terra sua, quin omne scelus exquisiverunt, donec indignatio invasit eos, et ultio per quam omnia peccata luerent.* Sensus ergo est, ait Jansenius, Israel a Jeroboam male edoctus « quæsivit omnes nequitias, » hoc est studiose quasvis peregit, donec a Deo eorum nequitiis provocato, nec amplius ferre volente, perveniret super illos Dei vindicta, qua Deus defendit se, et se ultus est de injuria sibi ab eis illata, quæ defensio et ultio liberavit eos ab omnibus peccatis : hoc est finem imposuit eis peccandi, ut amplius in sua terra Deum suis peccatis provocare non possent, quæ tam studiose ibi sectati sunt et exquisiverunt.

Verum, quia hæc non fuit tam liberatio quam punitio et perditio Israelitarum, hinc τὸ *liberavit* sic melius exponas, *q. d.* Deus Judæos (quibus multi ex decem tribubus commixti fuere) ulciscens, puniensque captivitate Babylonica, liberavit eos ab omnibus peccatis; tum quia abstulit eis idola, aurum et argentum, quæ eis fuerant occasio idololatriæ, gulæ, luxuriæ, aliorumque scelerum; tum quia Judæi videntes se a Deo puniri et transferri in Babylonem, ad mentem et ad Deum redierunt, supplicesque peccatorum veniam et opem postularunt : adeoque hac ultione Dei admoniti resipuerunt, ut, cum antea in idola essent pronissimi, post captivitatem tamen Babylonicam plane mentem mutarint, nec deinceps idola ulla coluerint, saltem publice et communi consensu. Unde moraliter discas, quam utilis sit vindicta et ultio, tum Dei, tum principum Deum imitantium : hæc enim sui terrore sistit peccata, ab eisque populum liberat. Quocirca Psaltes impiis eam optat, dicens : « Imple facies eorum ignominia : et quærent nomen tuum, » *Psalm.* LXXXII, 17. Et Sapiens, cap. XIV, 7 : « Benedictum est lignum, per quod fit justitia. » Quod ergo virga est puero, cauterium morbo, lima ferro, flagellum equo, stimulus bovi, hoc peccatori est pœna et castigatio, de qua re plura dixi, *Exod.* XXXII, 27 et seq., *Num.* XXV, 8 et alibi.

Quinto.

CAPUT QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Encomium Eliæ usque ad vers. 13, *inde Elisei usque ad vers.* 19, *inde Ezechiæ usque ad vers.* 23, *inde Isaiæ usque ad finem.*

1. Et surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. 2. Qui induxit in illos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt; non enim poterant sustinere præcepta Domini. 3. Verbo Domini continuit cœlum, et dejecit de cœlo ignem ter; 4. sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi? 5. Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei. 6. Qui dejecisti reges ad perniciem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo. 7. Qui audis in Sina judicium, et in Horeb judicia defensionis. 8. Qui ungis reges ad pœnitentiam, et prophetas facis successores post te. 9. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. 10. Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini; conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob. 11. Beati sunt, qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt; 12. nam nos vita vivimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen

nostrum. 13. Elias quidem in turbine tectus est, et in Eliseo completus est spiritus ejus : in diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum, 14. nec superavit illum verbum aliquod, et mortuum prophetavit corpus ejus. 15. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est. 16. In omnibus istis non pœnituit populus, et non recesserunt a peccatis suis, usque dum ejecti sunt de terra sua, et dispersi sunt in omnem terram : 17. et relicta est gens perpauca et princeps in domo David. 18. Quidam ipsorum fecerunt quod placeret Deo : alii autem multa commiserunt peccata. 19. Ezechias munivit civitatem suam, et induxit in medium ipsius aquam, et fodit ferro rupem, et ædificavit ad aquam puteum. 20. In diebus ipsius ascendit Sennacherib, et misit Rabsacen, et sustulit manum suam contra illos, et extulit manum suam in Sion, et superbus factus est potentia sua. 21. Tunc mota sunt corda, et manus ipsorum : et doluerunt quasi partûrientes mulieres. 22. Et invocaverunt Dominum misericordem, et expandentes manus suas, extulerunt ad cœlum : et sanctus Dominus Deus audivit cito vocem ipsorum. 23. Non est commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis suis, sed purgavit eos in manu Isaiæ sancti prophetæ. 24. Dejecit castra Assyriorum, et contrivit illos Angelus Domini. 25. Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, et fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias propheta magnus et fidelis in conspectu Dei. 26. In diebus ipsius retro rediit sol, et addidit regi vitam. 27. Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum 28. ostendit futura, et abscondita antequam evenirent.

PRIMA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM ELIÆ.

Vers. 1. 1. ET SURREXIT ELIAS PROPHETA, QUASI IGNIS, ET VERBUM IPSIUS QUASI FACULA (græce λαμπάς; id est fax, facula funalis, candelabrum, lumen funale, splendor) ARDEBAT. — Græce, ἐκαίετο, id est *ardebat et urebat*. Unde Complutensia : *Verbum ipsius quasi fax urebat*; Vatablus : *Porro Elias propheta velut ignis est exortus, et sermo ejus instar facis flagravit;* Syrus : *Surrexit propheta similis igni, et verbum ejus ardens quasi clibanus succensus.* Sequitur Siracides ordinem temporum : post Salomonem enim inter illustres Israelis viros et heroes eminuit Elias, qui idololatriam et impietatem per Salomonem invectam et per Jeroboam propagatam, suo zelo et animi robore restinxit : ad hoc enim eum Deus excitavit, tantoque spiritu dotavit. Hoc significat τὸ *surrexit*. Sicut ergo, cap. XLVII, 1, dixit : « Surrexit Nathan propheta in diebus David, » sic hic ait : « Et surrexit Elias propheta quasi ignis; » quod enim Nathan fuit Davidi, hoc Elias fuit Josaphat et regibus Israel, Isaias Ezechiæ, et Jeremias Josiæ : qui idcirco per hos Prophetas celebres et illustres evaserunt.

Sensus ergo est, *q. d.* Deus excitavit Eliam, qui zelo Dei veræque religionis in corde ardebat quasi igne, ideoque verbum oris ipsius ex corde igneo promanans, erat quasi fax ardens et incendens auditores, obedientes quidem charitate et amore Dei, inobedientes vero igne cœlesti consumens. Zelus enim Eliæ plures idololatras occidit quam convertit : occidit enim 850 ariolos, magos et pseudoprophetas; longe plures occidit fame triennali, de qua versu sequenti. Fuit enim in Elia magis zelus justitiæ et vindictæ ad perdendos impios, quam clementiæ et charitatis ad eos convertendos : hic enim servabatur Christo et Apostolis in lege gratiæ. Unde cum Joannes et Jacobus instar Eliæ vellent Samaritas, eo quod nollent Christum recipere, perdere igne, ac dicerent Christo : « Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos ? » Christus increpavit illos, dicens : « Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare, » *Lucæ* IX, 54.

Elias ergo comparatur igni et faculæ, *primo*, quia ardebat charitate Dei, eamque docendo et prædicando alios accendebat, itaque eos in veri Dei fide, cultu et amore continebat; vel, si ad Baal et idola deflexissent, ad Deum verum convertebat. Elias similis igni. Primo.

Secundo, quia flagrabat zelo honoris Dei, ideoque justitiæ et vindictæ, ad exterminandos idololatras, Deo injurios. Secundo.

Tertio, quia in verbis et operibus erat efficax, adeo ut ea per miracula exsequeretur et sanciret : quocirca adeo ardentia fundebat verba, ut flammas eructare videretur; non enim inflantia erant, sed cunctos inflammantia. Similis fuit vox S. Joannis Baptistæ, qui proinde dicitur venisse Tertio.

in spiritu et virtute Eliæ. Hinc Elias, vel, ut Hebræi dicunt, Eliahu, hebraice idem est quod אל יה *el Ia*, id est *fortis Deus*, ait S. Hieronymus, vel אלי *eli*, id est *fortitudo mea*, et יה *Ia* vel *Iehova*, id est *Deus*. Divina enim fortitudine et omnipotentia armatus confregit Baalitas, domuit Achab cum Jezabele, cœlo et terræ imperavit, ad tot tantaque miracula patranda.

Quarto. *Quarto*, verbum Eliæ vocatur « facula, » quia magnum apud idololatras excitavit incendium, tum sterilitatis et famis, quo plantas hominesque arefecit et excussit; tum ignis, quem e cœlo in idololatras evocavit. Ita se explicat Siracides, dum subdit : « Qui induxit in illos famem. » Et mox : « Verbo Domini continuit cœlum, et dejecit de cœlo ignem ter. » Ita S. Chrysostomus, homil. *De Petro et Elia*, recens edita, sterilitatem hanc et famem vocat febrem, quæ instar ignis æstuare facit hominem : « Vixdum, inquit, exierat sermo ejus, cum subito mutatus aer, cœlum æneum factum; idemque sermo in terræ viscera tanquam febris incubuit; et e vestigio exaruerunt omnia, omnia solitudine ac vastitate horruerunt, herbæ siccatæ sunt, plantæ simul et arbores, » etc.

Elias igne nutritus qua ratione ? Tradit S. Epiphanius in *Vitis Prophetarum*, in Elia, Eliam flamma fuisse enutritum in signum ardentis eloquii ejus; non quod vere flamma fuerit enutritus (hoc enim est impossibile); sed quod flamma lamberet ejus vultum et os, in illudque videretur ingredi, illumque cibare et pascere. Sic et Dorotheus in *Synopsi* : « Cum nasciturus, inquit, esset Elias, pater ejus Sabacha vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, et igne tanquam fascis involvi, et flamma ignis velut cibo ali. Et Jerosolymam profectus rem istam indicavit, dictumque illi est ex oraculo, ne timeret; fore enim ut puer nasciturus in luce habitaret, et quæ diceret firmam sententiam haberent, judicaretque Israelem in gladio et igne. » Simili modo S. Dominicus, Patrum Prædicatorum fundator, quasi ævi sui Elias, matri præmonstratus fuit per faculam ardentem; ipsa enim gravida visa est sibi videre se utero gestare catulum, præferentem ore facem ardentem, quæ totum orbem illuminabat pariter et accendebat. Visionem probavit eventus; ipse enim per se suosque asseclas fuit fax, id est lux et ardor sæculi sui et sequentium. Sic hoc ævo S. Ignatius, fundator Societatis Jesu, ignem sacrum quo ardebat, omnibus aspirabat, suisque quos in varias oras mittebat, dicebat : « Ite, incendite orbem, » non ardore, sed amore.

Et S. Dominicus.

Allegorice, Elias typus Apostolorum in linguis igneis. Allegorice, Elias ardens ut ignis, repræsentabat Apostolos corde igneo et linguis igneis a Spiritu Sancto acceptis in Pentecoste, evangelizantes toto orbe magnalia Dei et Christi. Unde de iis dixerat Christus : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » *Lucæ* XII, 49. Hinc Cherubini stipantes currum gloriæ Dei, fuere ignei, *Ezech.* I, 13 : « Aspectus eorum, inquit, quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum. » Unde S. Chrysostomus, homil. 4 *in Acta* : « Sicut ab igne, inquit, quotquot volet aliquis lucernas accendit, nec ignis imminuitur : ita et in Apostolis tunc temporis accidit. Non enim per ignem tantum gratiæ largitas demonstrabatur, sed unusquisque spiritus fontem accepit. » Et inferius : « Sicut igneus homo si in medias incidat stipulas, nihil lædetur, sed magis vim exeret suam; nec enim ille quidquam patitur mali, sed qui his reluctantur ipsi seipsos perdunt : ita nunc evenit. Imo potius ac si quis ignem gestans luctetur cum eo qui portat fenum : itidem et Apostoli illos adorti sunt multa cum fiducia, » etc., *q. d.* Sicut ignis non læditur a feno, sed illud lædit ignis : sic Apostoli a Gentibus persequentibus nihil passi sunt, sed eos potius sibi subjugarunt, et igne suo divino inflammarunt. Talis fuit S. Paulus, qui instar ignis cœlestis sive fulguris, imo instar Seraphini, tot urbes, tot gentes, tanta terræ marisque spatia celerrime pervolavit, convertit, accendit. Præclare igitur S. Chrysostomus, hom. *De laudibus S. Pauli* : « Paulus, ait, in terra gradiens sic se agebat in cunctis, quasi angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. Nam et tanquam pennatus totum docendo pervolavit orbem, et velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit, et quasi jam cœlum possidens cuncta prorsus terrena despexit; et tanquam cum ipsis jam incorporeis degeret, ita jugi mentis intentione vigilavit; et angelis quidem sæpe diversarum gentium cura commissa est, sed nullus eorum ita creditum sibi gubernavit populum, ut Paulus universum gubernavit orbem. Michael gens commissa est Judæorum; Paulo vero terræ ac maria atque universi orbis habitatio. » Et mox : « Quomodo non admirabile hoc atque improvisum videtur, cum ex terrena lingua sermo prosiliens mortem fugat, peccata dissolvit, tenebras cæcitatis illuminat, et mutatione mirifica terram convertit in cœlum. »

Elias igitur fuit typus Apostolorum, qui quasi sagittæ igneæ fuerunt, ex arcu Christi crucifixi validissime tenso ejaculatæ, orbem ferientes et accendentes amore Dei, juxta illud *Psalmi* VII, 14 : « Sagittas suas ardentibus effecit. » Ubi S. Augustinus : « In hoc arcu, ait, fortitudine Novi Testamenti, quasi nervo quodam, duritia Veteris flexa et edomita est. Hinc tanquam sagittæ emittuntur Apostoli, qui divina præconia jaculantur : sagittas ardentibus operatus est, id est qui percussi divino amore flagrarent. Qua enim alia sagitta percussa est quæ dicit : Vulnerata charitate ego sum. » *Cantic.* II, 5, et V, 8. Græca habent : *Sagittas suas ardentibus operatus est*; Latina : *Ardentes, sive ipsæ sagittæ ardeant, sive ardere faciant : quod utique non possunt, nisi et ipsæ ardeant*. Et inferius :

Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus vastatoribus id est quibus percussus atque inflammatus tanto amore ardeas regni cœlorum, ut omnium resistentium, et a proposito revocare volentium, linguas contemnas, et persecutiones derideas, dicens : Quis me separabit a charitate Christi ?

Tropologice, Eliæ sunt zelosi.

Tropologice, Elias repræsentat viros zelosos, reformationis et morum studiosos, ac præsertim ferventes doctores et prædicatores, qui suo ardore alios succendunt, juxta illud *Jeremiæ* XX, 9 : « Factus est (sermo Domini) in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis : et defeci, ferre non sustinens; » nimirum

Ardeat orator, si vult accendere plebem.

Vere S. Chrysostomus, homilia 1 *ad Populum* : « Sufficit, inquit, unus homo zelo Dei succensus totum corrigere populum. » Id patuit in Elia, Elisæo, Isaia, Joanne Baptista aliisque Prophetis. Id patuit in S. Bernardo, qui vocatus a Deo ad Ordinem Cisterciensem, factus est sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, hinc inde prius viciniora quæque corripiens, postmodum in ulteriora progrediens. Sic enim ignis, quem Deus accenderat in corde S. Bernardi, primo omnes fratres, deinde exteros plerosque ad idem Religionis votum capessendum inflammavit, adeo ut matres absconderent filios, uxores detinerent maritos, amici amicos averterent; quia voci ejus Spiritus Sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Igitur S. Bernardus, annos natus 22, cum sociis triginta ingressus est Cistercium, anno Domini 1113. Vide auctorem *Vitæ* ejus, lib. I, cap. III et seq. Idem patuit in S. Dominico, ut jam dixi, qui quasi angelorum unus, omnes ad cœlum voce, vita et exemplo vocabat, ac divini amoris flamma absorptus omnes eadem accendere satagebat. Unde rogatus a quodam, ex quonam libro tam ardentes conciones hauriret ? respondit : Ex libro charitatis. Huic uni, inquit, studeo, ex eoque verba non inflantia, sed inflammantia depromo. Socius ei fuit S. Franciscus, de quo S. Bonaventura, in *Vita* ejus, cap. XII : « Omnis ætas, inquit, omnisque sexus properabat virum novum mundo cœlitus datum, et cernere et audire ; erat enim verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat. Propter quod omnes cujuscumque conditionis, quos in aperto vel occulto reprehendebat, tanta eum veneratione suspiciebant et exaudiebant, ut interius compuncti, vel vitam componerent, vel timore et horrore correpti, contra corripientem mussitare non auderent. » In eo ergo impletum fuit illud *Psalm.* LXXVI : « Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. » Quocumque enim S. Franciscus discurrens, divertebat, velut fulgur commovebat incolas, velut coruscatio illuminabat obvios, et velut sagitta potentis acuta corda penetrabat; ita ut plurimi ejus vestigia sequerentur, cæteri mores in melius commutarent. Ejus enim sanctitati ita radianti, verbisque ignitis et miraculis adeo raris nullum pectus, quantumvis durum, resistere poterat, quin mollesceret, et ignem divinum ab eo afflatum conciperet. Hosce nostro ævo secutus S. Ignatius, fundator Societatis Jesu, contra Lutherum Luciferi igne ardentem, surrexit quasi ignis Spiritus Sancti, ignitoque ejus spiritu frigida tam Catholicorum quam hæreticorum corda succendit et ignivit. Elias igitur vivum fuit prædicatorum verbi Dei speculum ; ignea enim ejus fuit mens, ignea lingua, ignea manus, quibus Israelem convertit.

Præcepta concionandi data a S. Francisco.

Audi aurea prædicandi præcepta, suis concionatoribus a S. Francisco tradita in *Opusc.* Collat. XVII, et in *Annalibus* Waddingi, anno Christi 1220, num. 30 : « Volo, fratres charissimi, ministros verbi Dei tales esse, ut studiis intendentes spiritualibus, nullis aliis officiis impediantur. Hi enim a magno illo Rege electi sunt ad edicta, quæ ex ejus ore procedunt populis demandanda. Prius ergo prædicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris ostendat sermonibus ; prius intus calescere, quam extra verba proferre. Reverendum sane est hoc officium, et qui illud administrant, ab omnibus reverendi. Isti vitæ sunt corporis, impugnatores dæmonum, mundi lucerna. Laudandi sunt prædicatores illi, qui pro tempore sibi sapiunt, sibique gustant ; illi vero male sciunt dividere, qui prædicationi totum, devotioni vero nihil impendunt. Alii etiam plangendi sunt, qui vendunt sæpe quod faciunt, oleo vanæ laudis. » Subdit deinde : « Officium prædicationis, fratres, patri misericordiarum omni sacrificio est acceptius, maxime si studio fuerit charitatis impensum, ut ad id laboret prædicator magis exemplo quam verbo, magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone. Plangendus proinde prædicator tanquam vera pietate privatus, qui in prædicatione non animarum salutem, sed propriam laudem quærit, sive qui pravitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendus huic est frater simplex et elinguis, qui bono exemplo alios provocat ad bonum. Donec sterilis peperit plurimos, inquit Prophetissa, et quæ multos habebat filios, infirmata est. Sterilis est pauperculus frater, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio multos ; quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suæ gloriæ tunc judex adscribet. Quæ multos habet filios, infirmabitur, quia prædicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nihil proprii habere in eis. »

Hunc concionandi modum a S. Francisco didicit S. Antonius de Padua, qui proinde cum flammis igneis pingi solet ; nam quasi alter Elias Spiritus Sancti igne succensus, ignitis sermonibus urebat frigida hominum corda, et a vitiis quibuslibet ad virtutes traducebat. Vide *Vitam* ejus,

cap. XIII; exstat apud Surium, die 13 junii. Qui ergo tales sunt, utique sunt doctores et prædicatores Seraphici, imo Seraphini, qualis fuit S. Bonaventura, cognominatus Doctor Seraphicus; quia lectorem illuminando ut Cherubinus, inflammat pariter ut Seraphinus.

Vers. 2. 2. QUI INDUXIT IN ILLOS FAMEM, ET IRRITANTES (ita Romana et Græca : perperam ergo Jansenius et alii legunt, *imitantes*) ILLUM INVIDIA SUA PAUCI FACTI (aliqui legunt, *tabefacti*) SUNT : NON ENIM POTERANT SUSTINERE PRÆCEPTA DOMINI. — Græca Complutensia de more concisa sic habent : *Et induxit in illos famem fortem, et zelo suo diminuit eos*; Romana, *paucos fecit eos*, Syrus, *discidit vel confodit eos*; Vatablus : *Is famem gravem immisit, in eos vehementiaque sua redegit ad paucos, quod non possent ferre jussa Domini*; græce est : τὸ ζήλῳ αὐτοῦ ὠλιγοστοίησεν αὐτοὺς, id est, *zelo suo redegit eos ad paucitatem*. Noster pro αὐτοῦ legit αὐτῶν, id est *ipsorum*, vel *sua*. Unde zelum accepit pro invidia, qua ipsi Israelitæ idololatræ persequebantur Eliam, ipsique invidebant potestatem inducendi famem, aliaque miracula patrandi, eo quod famem eis induxisset. Sensus ergo est, *q. d.* Elias, zelans pro honore et cultu veri Dei, sua prece, imo jussu clausit cœlum ne plueret, itaque sterilitatem terræ et famem Israelitis idololatris induxit; tum ut ostenderet Dei veri potentiam supra idola et idololatras; tum ut potenti vindicta plecteret eorum idololatriam et scelera. Ex hac fame Israelitæ idololatræ, qui irritabant et vexabant Eliam per suam æmulationem et invidiam, redacti sunt ad paucos. Nam multi fame enecti periere, eo quod non sustinerent præcepta Domini de fuga idolorum, deque sequenda veri Dei fide et cultu, quæ eis inculcabat Elias. Historia hujus famis narratur III *Reg.* XVII, 1, ubi Elias igneo suo zelo et fiducia in Deum imperans cœlo : « Vivit Dominus, inquit, Deus Israel in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. » Itaque clausit cœlum, stitutque pluviam, et famem induxit Israeli per tres annos : nam tertio anno monitu Dei cœlum reseravit, ut daret pluviam copiosam; itaque pro fame rerum copiam induxit, III *Reg.* XVIII, 1.

Miracula Eliæ. Primum. Hoc est primum prodigium et miraculum quod patravit igneus et thaumaturgus Elias, eoque se Eliam, id est fortitudine et efficacia Dei præditum, ac verbum suum instar faculæ potens esse, potenterque homines fame velut igne consumere demonstravit.

VERBO DOMINI CONTINUIT COELUM, — *q. d.* Jussu Domini, sive jubens ex ore et potestate Dei, clausit cœlum ne plueret super terram, uti jam dictum est, idque tribus annis et mensibus sex, uti ait Christus, *Lucæ* IV, 25, et S. Jacobus, V, 17. Pro *continuit*, græce est ἀνέσχεν, quod Romana vertunt, *continuit*; Vatablus, *inhibuit*; Complutensia, *sustinuit*, id est sursum extulit et elevavit, vel elevatum continuit et prohibuit cœlum ne plueret. Est catachresis; nam etiam Hispani, cum vehemens imber cœlo depluit, dicunt cœlum deorsum venire, sive descendere, non in se, sed in suo effectu, scilicet pluvia. Audi S. Chrysostomum, sermone 2 *De Elia*, tomo I : « Cum Elias, propheta sanctissimus, populum prævaricatum aspiceret, eumque Baal et lucos, despecto Domino, coli a sacrilegis pervideret, cumque Creatore despecto figmentis sese nemoribusque omnis populus addixisset; zelo Dei commotus, Judæam terram siccitatis sententia, et pluviarum sterilitate addixit. Tunc subito anhelat terra, siccatur cœlum, sitiunt amnes, fontes arescunt; omnis humor ima petit, supera deserit; aer fervet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est; æstuant noctes, dies arescunt; sata torrentur, arbusta ægrotant, prata deficiunt, nemora languent, campi jejunant, squalet terra, herbas quas produxit interimit, iram Dei universa creatura testatur. Molesta est fames, ubi quod esurit necessitas, deesse invenit. » Et mox : « Elias altior mundo, proximus cœlo, montis habitaculo, et Dei colloquio fruebatur, ne illorum pœnam perspiceret, quorum scelera videre non posset. » Et inferius : « Denique stabat Elias medius inter Deum et populum. Stabat, inquam, inter sacrilegos sanctus, inter peccatores justus, inter profanos devotus, advocationem cunctis populis præstiturus : objurgat populum, exorat Deum, iram Domini avertit, et errantem populum a Dei cultura ad Dei lætitiam revocavit. Conjungit Dominum populo, et Deo populum. Fit per Eliam una concordia inter Deum et hominem, inter populum et genitorem; et ut universi dicerent : Vere Dominus Deus ipse est Deus; clavis cœli fit sermo Æliæ sanctissimi; jubet enim, et clauditur; orat postmodum, et aperitur. »

ET DEJECIT DE COELO IGNEM TER. — Ita Romana et Græca. Perperam ergo Jansenius et alii pro *ter* legunt *terræ*, quod Palacius sic explicat, quasi ignis hic de cœlo venerit ad Eliam in monte, Elias deinde ignem hunc rotarit in terram, ubi milites erant eum capturi. Unde ait : « Dejecit a se ignem terræ, » id est in terram. Verum, ut dixi, legndum est *ter*, non *terræ*; Vatablus : *Ignem de cœlo ter deduxit*, nimirum bis in duos pentacontarchos, sive quinquagenarios, quos submiserat Ochozias, ut Eliam caperent, et ad se perducerent, IV *Reg.* I, 10; et tertio quando certavit contra prophetas Baal : igne enim cœlitus in victimam suam devocato et delapso, eos vicit, itaque veri Dei metum et cultum demonstravit, ac prophetas Baal occidit, III *Reg.* XVIII, 38. Unde Syrus vertit : *Et descendere fecit tribus vicibus ignem de cœlo, super altare, et super homines impios.*

Secundum est hoc potens prodigium Eliæ, quo Elias igneus cœlo quaquaversum dominatus est, ejusque naturam quasi suspendit et invertit; cum enim cœlo naturale sit dare pluviam, ipse Secundum.

eam inhibuit, vimque pluendi in cœlo stitit : ex adverso, cum ignis e cœlo non descendat, sed potius in cœlum ascendat, ipse tertio fecit ignem de cœlo in terram descendere. Elias ergo fuit ignipotens, imo cœlipotens.

Idem faciet in fine mundi, quando redibit cum Henoch, ut certet contra Antichristum ejusque asseclas; hos enim ipse efficaci et ardenti ratione et oratione convincet, ac simul igne in eos immisso comburet, juxta illud *Apocal.* XI, 5 : « Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum; et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum; et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint. » Vide quæ ibidem annotavi.

Quis ergo resistat Eliæ, qui ore, non verba, sed fulmina vibrat, ut sciat ante se victorem, quam bellatorem? Prælia quippe flammarum triumphi sunt; quorum pompa lux est, quorum plausus fragor incendii. Hic impletum est illud *Zachariæ* II, 5 : « Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus. » Quid sibi metuat ab hostili ferro, quem cœlestis ignis tuetur? Quid trepidet ab hominum incursu, qui se videt in complexu divinitatis? Non arma quævis eliquabunt hæ flammæ? non audaciam compescet hic ardor? non sudorem ex inimicis vultibus, non sanguinem e venis hic ignis eliciet? Ignis enim aquæ, aeris, terræ, corporumque omnium victor est, et sibi obsistentium sævus ultor, cuncta afflans, fulminans, et in favillas cineresque redigens.

Allegorice, Elias uti in aliis omnibus, ita et in immissione ignis, fuit typus Christi, qui Spiritum Sanctum in linguis igneis misit in Apostolos in Pentecoste; hoc enim igne succenderunt orbem, idola combusserunt, impietatem cum impiis eliminarunt. Rursum Elias, ignem cœlo devocans ad consummandum sacrificium, typus est sacerdotis Christiani, qui Spiritum Sanctum cœlo evocat in consecratione Eucharistiæ ad perficiendum sacrificium transsubstantiationis, quo panis et vinum in corpus et sanguinem Christi vere et substantialiter convertuntur; quod, licet quotidianum, est tamen miraculum miraculorum. Ita S. Chrysostomus, libro III *De Sacerdotio*, sacerdotem Eliæ conferens et præferens : « Adest enim, inquit, sacerdos non ignem gestans, sed Spiritum Sanctum; is preces diuturnas fundit, non quod flamma cœlitus delapsa sacra apposita absumat, sed ut gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, et puriores reddat appenso igni excocto purgatoque. » Cujus rei symbolo super caput S. Basilii, S. Martini, aliorumque illustrium sacerdotum, dum celebrarent, apparuit globus igneus, vel columna ignea.

Porro S. Ambrosius, libro *De Elia et Jejunio*, cap. II, hoc miraculum cæteraque Eliæ merito jejunii ipsius assignat; jejunavit enim ipse 40 dies instar Christi, IV *Reg.* XIX, 8 : « Eliæ, inquit, jejuno ore vox emissa cœlum clausit sacrilego populo Judæorum, etc. Jejunus filium viduæ ab inferis suscitavit, jejunus pluvias ore deposuit, jejunus ignes de cœlo eduxit, jejunus curru raptus est ad cœlum, et quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit. Jejuno ore statuit fluenta Jordanis, et redundantem fluminis alveum repentine siccatum pulverulento transmigravit vestigio. Merito illum dignum cœlo divina judicavit sententia, ut cum ipso raperetur corpore, quoniam cœlestem vitam vivebat in corpore, ac supernæ usum conversationis exhibebat in terris. » Et cap. III : « Quid est enim jejunium, nisi vitæ imago cœlestis? Jejunium refectio animæ, cibus mentis est; jejunium vita est angelorum; jejunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu citius pervenitur; hoc gradu Elias ascendit antequam curru. Hanc hæreditatem sobrietatis et abstinentiæ ad cœlum abiens discipulo dereliquit. In hac virtute et spiritu Eliæ venit Joannes. Denique in deserto et ille vacavit jejuniis; esca autem ejus erat locusta et mel sylvestre. Et ideo qui vitæ humanæ possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo, sed Angelus æstimatus est.

Jejunium patrat miracula.

4. SIC AMPLIFICATUS EST ELIAS IN MIRABILIBUS SUIS. ET QUIS POTEST SIMILITER SIC GLORIARI TIBI? — Græce : *Quantam gloriam consecutus es, o Elia, mirabilibus tuis! et quis potest similiter ac tu gloriari?* Vatablus : *Quantam gloriam miraculis tuis adeptus es, Elia! aut quis paria tecum glorietur.* Syrus : *Quam terribilis es, Elia, et qui est sicut tu, ipse laudetur!* Siracides admirans multitudinem et magnitudinem portentorum et admirandorum operum Eliæ, ad eum se convertens, eique congratulans exclamat : Quis tam mirabilis et gloriosus in facinoribus suis ac tu, o Elia? Elias enim prodigiis et heroicis operibus omnes antecessores superavit, uno excepto Moyse, sed nec Moysi fuit impar. Nam et mortuum suscitavit, et ignem ter de cœlo deduxit, et curru igneo raptus est in cœlum, et adhuc superstes vivit rediturus, et certaturus contra Antichristum, ab eoque martyrio laureandus, quorum nihil competit Moysi. Porro Elias et Sancti in suis operibus gloriantes, non in se, sed in Domino quasi eorum auctore gloriantur, juxta illud Apostoli : « Qui gloriatur, in Domino glorietur, » II *Corinth.* XI. Dicunt ergo cum Psalte : « Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam, » *Psal.* CXIII. Vers. 4.

5. QUI SUSTULISTI MORTUUM AB INFERIS DE SORTE MORTIS IN VERBO DOMINI DEI. — Syrus : *Qui vivificasti mortuum ab inferis secundum voluntatem Do-* Vers. 5.

mini; græce : *Qui suscitasti cadaver ex morte, et ex inferis animam verbo Excelsi*; Vatablus : *Qui defunctum excitans a morte, et animam ab orco verbo Altissimi.*

Tertium est hoc prodigium Eliæ, quod ipse primus ab orbe condito fuerit, qui mortuum ad vitam revocavit. Fuit is puer filius viduæ Sareptanæ, quem Elias verbo, id est invocatione Dei suscitavit, III *Reg.* XVII, 21 : « Expandit, inquit, se, et mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait : Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera hujus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ; et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. »

Tertium. Tradunt Hebræi, quos sequuntur Dorotheus in Synopsi in Jonam, Rupertus et alii, puerum hunc suscitatum ab Elia fuisse Jonam prophetam qui proinde vocetur filius Amathi, id est veritatis, eo quod mater videns filium suscitatum dixerit Eliæ : « Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est. Sed falluntur; nec enim tempus, nec patria nec cætera consentiunt, uti ostendi Procemio in Jonam.

Nota : Idem est « sustulisti de sorte mortis, » quod « sustulisti ab inferis; » ante Christum enim sors mortis et morientium erat infernus, puta limbus Patrum; ad illum enim descendebant omnes justi. Fuit hæc felix sors pueri, qua a sorte mortis translatus est ad sortem vitæ et viventium.

S. Bonaventuræ nomen unde? Sic S. Franciscus sustulit S. Bonaventuram de sorte mortis, indeque vocatus est Bonaventura : nam cum quadriennis langueret ad mortem, neque spes ulla vitæ, aut medicorum remedium superesset; pia mater Precibus et meritis S. Francisci vota sua et puerum commendavit, vovens quod, si sanum reciperet adolescentem, eidem restitueret, Ordinique Minorum offerret. Mœrentem matrem consolatus S. Franciscus, pro puero oravit et impetravit, ut repente sanus exsiliret, quo repentino gaudens miraculo, et futura prophetans patrio dixit idiomate : « O Bonaventura ! » ac inde ei deinceps hoc nomen adhæsit; nam prius vocabatur Joannes. Unde in priscis nonnullis ejus codicibus ita inscriptum legimus : « Frater Joannes Bonaventura; » sed cum frequentius omnia, Deo juvante, bene feliciterque ei succederent, factum est ut communiter Bonaventura duntaxat a Latinis et Italis, ac a Græcis Eutychius, id est bonæ fortunæ, sive Fortunatus appellaretur. Ita Waddingus, in *Annal. Minor.* anno Christi 1221, num. 25.

Sic tropologice et anagogice omnes Sancti, præsertim salvandi et electi, eruti a morte peccati et gehennæ, sunt Bonaventuræ et fortunati, esto multis adversis et tentationibus exagitentur; impii vero et reprobi, esto hic triumphent, sunt eruntque Malaventuræ et infelices. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XII *De Civitate Dei*, cap. XX : « Spes nostræ infelicitatis est et felicitatis infelix; » licet enim id alia mente et fine dicat S. Augustinus, scilicet contra Origenistas, qui ponebant animarum circulationem, quæ damnatæ aliquando salvarentur, et beatæ aliquando damnarentur, tamen idipsum huic loco, puta piis et impiis in hac vita magis congruit : nam in his absolute verum est, in illis conditionate tantum, scilicet supposita sententia Origenis, quæ in se falsa est.

6. QUI DEJECISTI REGES AD PERNICIEM, ET CONFREGISTI FACILE POTENTIAM IPSORUM, ET GLORIOSOS DE LECTO SUO. — Græcus de more concisus et bimembris sic habet : *Qui deduxisti reges ad perditionem et gloriosos de lecto suo.* Ita Complutensia; hac enim ratione : *Confregisti facile potentiam ipsorum*; unde Vatablus : *Qui deduxeris reges ad interitum et de sede sua gloriosos, eorumque potentiam infregeris;* Syrus : *Dejiciens honorabiles de thronis suis.* Additque : *Et audire fecit in tentatione sua reprehensionem eorum*; pro quo Noster vertit : *Qui audis in Sina judicium.* Vers. 6.

Quartum est hoc prodigium Eliæ priori contrarium; in tertio enim suscitavit a morte filium viduæ pauperculæ, hic vero reges potentes ob idololatriam et scelera morte mulctavit. Fuere ii quatuor. Primus fuit Achab cum sua impia uxore Jezabel; utrique enim Elias interitum prædixit et comminatus est, quin et suis precibus illum a Deo impetravit, III *Reg.* XXI, ubi ob occisum Naboth ex ore Dei illi totique ejus familiæ intentat exitium : « Interficiam, inquit, de Achab mingentem ad parietem (id est omnes usque ad canem) et clausum et ultimum in Israel. » Et vers. 23 : « Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel, » ut, ubi peccarat, ibi puniretur; vinea enim Naboth, ob quam occupandam eum injuste occiderat, sita erat in Jezrahel. Secundus fuit Ochozias filius Achab, qui ægrotans consuluit Beelzebub deum Accaron, an sanitati restituendus esset, an vero moriturus; ob hoc scelus Elias ei mortem denuntiavit, IV *Reg.* I. Tertius fuit Joram frater Ochoziæ, qui ei de mortuo in regnum Israelis successit, quem cum tota prosapia Achab occidit Jehu, itaque omnem familiam Achab exstinxit, uti prædixerat Elias, IV *Reg.* IX. Quartus fuit alter Joram, filius Josaphat, rex Juda, cui Elias per litteras morbum, ex eoque mortem intentavit; itaque tam in Joram quam in Ochozia impletum fuit, quod hic de Elia ait Siracides : « Dejecit gloriosos de lecto suo. » Audi rem gestam II *Paralip.* XXI, 12, ubi Scriptura, cum recensuisset apostasiam et scelera Joram, subdit : « Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, et in viis Asa regis Juda, sed incessisti per iter regum Israel, et fornicari fecisti Judam et habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper et fratres tuos Quartum.

domum patris tui, meliores te occidisti; ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo et filiis et uxoribus tuis, universaque substantia tua : tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies; » et vers. 18 : « Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili. Cumque diei succederet dies, et temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus, et sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter et vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima, et non fecit ei populus secundum morem combustionis exsequias, sicut fecerat majoribus ejus. »

Eliæ litteræ ex paradiso.

Ubi nota Eliam has litteras misisse post raptum suum ex paradiso. Raptus enim fuit regnante Josaphat patre Joram, et consequenter antequam regnaret Joram, ut patet ex eo quod sub Josaphat prophetarit Eliseus, discipulus et successor Eliæ, IV *Reg.* III, 14. Ita censent Hebræi in *Seder Olam*, cap. XVII, Lyranus, Malvenda, lib. IX *De Antichristo*, cap. II, et noster Salianus, in *Annal.*, ubi asserit Eliam has litteras scripsisse et misisse ad Joram post novem annos a raptu ex paradiso, sive per Angelum forma hominis indutum, sive per hominem ad hoc, ut majus haberent pondus majoremque auctoritatem ad eum percellendum, et ad ejus asseclas convertendos. Nisi dicas cum Torniello et Emmanuele Sa, Eliam, præscium futurorum, ante raptum has litteras scripsisse, et tradidisse Eliseo, ut post raptum suo tempore ea traderet Joram regi. Quod enim Cajetanus asserit, Eliam harum litterarum scriptorem alium fuisse ab Elia Thesbite propheta, uti fundamento, ita et verisimilitudine caret.

Ex dictis videas Eliam, esto paradisi colonum, tamen pristinum pro Deo zelum gerere, ac res mortalium curare, deque suæ gentis salute esse sollicitum. Similem sollicitudinem Hebræorum gessit Jeremias in limbo existens, orans pro eis et Juda Machabæo, II *Machab.* XV, 14. Sic Elias cum Moyse apparuit Petro, Jacobo et Joanni in transfiguratione Christi, eique testimonium perhibuit, quod ipse verus esset Messias, *Matth.* XVII.

Vers. 7.

7. QUI AUDIS IN SINA JUDICIUM (græce ἐλεγμόν, id est increpationem; Syrus, *reprehensionem*) ET IN HOREB JUDICIA DEFENSIONIS, — id est vindictæ (hanc enim significat Græcum ἐκδικήσεως) quibus, scilicet Deus, ita honorem suum erat defensurus, ut simul ulcisceretur et plecteret idololatras. Vide dicta cap. XLVII, vers. 31. Aliud ergo hoc loco significat « judicium, » aliud « judicia. » Unde Complutensia habent : *Qui audis in Sina correptionem Domini et in Choreb judicia vindictæ.* Horeb, vel, ut Hebræi dicunt, Choreb, est mons Sina, vel pars ejus, uti dixi *Exod.* XVII, 6. Quintum est hoc Eliæ portentum. Citat III *Reg.* XIX, 12, ubi Elias furentem persecutionem Jezabelis fugiens, hinc metuens, pusillanimis et mœrens, illinc zelo vindictæ æstuans, optansque ut Deus Jezabelem cum suis perderet et sideraret, modeste increpitus et correptus fuit a Domino per sibilum auræ tenuis sive lenis. Cum enim Elias pavidus et turbatus degeret in spelunca montis Sina, dixit ei Deus : « Quid hic agis, Elia? at ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel; altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam. Et ait ei : Egredere, et sta in monte coram Domino; et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio; non in commotione Dominus, et post commotionem ignis; non in igne Dominus, et post ignem sibilus auræ tenuis. » Septuaginta addunt : « Et ibi Dominus; » nam ex hoc sibilo Deus locutus est Eliæ, partim eum consolans, ejusque pusillanimitatem et diffidentiam redarguens, partim dans ei judicia defensionis, hoc est decreta vindictæ in impios idololatras, quæ expetebat Elias. Ait enim *ibidem*, vers. 15 : « Unges Hazael regem super Syriam, et Jehu filium Namsi unges regem super Israel, Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges prophetam pro te. Et erit : Quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu; et quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus. Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne hoc quod adoravit eum osculans manus. »

Deus in sibilo auræ tenuis : cur?

Nota finem et scopum hujus visionis fuisse, ut Deus Eliam ira, tædio et dolore ob impunitatem idololatrarum et Jezabelis succensum pacaret, consolaretur et erudiret. Initio igitur oculis ipsius offert tria maxime violenta : puta *primo*, ventum validissimum; *secundo*, terræ motum; *tertio*, ignem, *q. d.* Mihi omnia elementa omnesque creaturæ, summæ, mediæ et infimæ, famulantur, præsto et ad manum sunt, ut idololatras et Jezabelem disperdam illico, si velim, at non est usitatus hic meæ providentiæ et clementiæ modus; unde nolo eo uti. Idcirco ait ad singula : « Non in eo Dominus; » *quarto* denique loco auribus ejus offert lenem spiritum, sive auræ sibilum, ut per eum repræsentaret se suamque providentiam; spiritus enim hic lenis significat divinam patientiam, suavitatem ac longanimitatem ad punienda peccata et peccatores, quam imitari et induere oporteat Eliam et omnes electos. Unde pro *spiritus auræ lenis*, hebraice est קול דממה דקה *kol demama dacka*; quod Septuaginta vertunt, φωνὴ ἄυρας λεπτῆς, id est, *vox auræ moderatæ*, sive lenis. Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XXIII : « Vox spiritus mitis : Non in igni, inquit, Dominus, sed in spiritu miti; Vatablus : *Vox submissa, gracilis*; Tigurina : *Sibilus tranquillus et tenuis*; Pagninus : « Vox tenuis; »

Quin vacl.

Chaldæus : *Vox canentium in silentio;* alii : *Vox submissa, subtilis.* Erat ergo hic proprie sibilus; sed dicitur vox, quia ex eo Deus loquens Eliæ edebat sibilo similem, scilicet submissam, lenem et subtilem vocem. Submissa notat Dei mansuetudinem, subtilis efficaciam; Dei enim providentia et operatio tam in gubernando quam in vindicando, sicut et mansueta et suavis, ita vicissim est potens et efficax, juxta illud : « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, » *Sap.* VIII, 1.

Ita hanc visionem explicat Theodoretus, Procopius et Cajetanus, III *Reg.* XIX, et Irenæus, lib. IV *Contra hæreses*, cap. XXXVII : « Docebatur, inquit, Propheta turbatior et concitatior ad vindictam, mitius agere; et Domini adventus significabatur post legem per Moysen mitis et tranquillus (cum Filius Dei incarnatus et conversatus est in hoc mundo), et regni ejus mitis et pacifica requietio; » nimirum tranquillus est Deus, tam in puniendo quam in miserendo : « Et tranquillus Deus tranquillat omnia, et quietum aspicere quiescere est, » ait S. Bernardus in *Octo punctis perfectionis.* « Quare omnia utilia quamvis necessaria videantur, spernenda tamen sunt ut perturbatio devitetur, ut pacis dilectionisque tranquillitas servetur; quia nihil perniciosius ira, nec charitate quidquam utilius, nec tranquillitate animi pretiosius, propter quæ non solum commoda carnalium, sed et spiritualium spernenda videntur. » Sic et Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XIII : « Sedet, inquit (patientia in throno spiritus ejus mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet; sed est teneræ serenitatis apertus et simplex, quem tertio vidit Elias : nam ubi Deus, ibidem et alumna ejus, patientia scilicet. Cum ergo spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum; si nos eam cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper. » Vide S. Gregorium, V *Moral.* XXVI, ubi per spiritum hunc lenem accipit Spiritum Sanctum.

Quocirca hic spiritus, sive sibilus tenuis et lenis detulit vocem Dei erudientem Eliam nimis perturbatum et pusillanimem, putantemque se unicum superesse Dei veri cultorem, prophetam et propugnatorem, cæteros omnes ab Achab et Jezabele esse occisos. Unde hoc redarguens Deus ei dixit : « Derelinquam (reservabo) mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal. »

Rursum spiritus, sive sibilus hic subtilis, significabat Dei virtutem spiritalem, vindictamque efficacem, et omnia penetrantem; sicut spiritus, sive ventus subtilis, omnia penetrat. Unde hic sibilus pariter habuit « judicia defensionis, » id est vindictæ; tum quia ante se quasi lictores præmisit ventum validissimum, terræ motum et ignem, quibus Deus ad libitum uti potest, et subinde utitur ad puniendos impios; sed ita ut ipse maneat in spiritu leni, id est, in sua mansuetudine et tranquillitate animi; tum quia Deus ex hoc sibilo indicavit Eliæ modum vindictæ, in idololatras et Jezabelem exercendæ per Hazael, Jehu et Eliseum. Quamobrem per sibilum hunc lenem Elias deposuit quidem animi perturbationem, pusillanimitatem et impatientiam; at non zelum vindictæ in idololatras. Nam per illum paulo post, III *Reg.* XXI. extremam perniciem intentavit Achab, Jezabeli, omnibusque eorum filiis et posteris.

Hinc nonnulli viri eruditi censent Deum hac visione quasi in speculo ostendisse modum, tum quo ipse peccatores per pavores, plagas et flagella exagitat et concutit, ut pœniteant, ac spiritum lenitatis gratiæ reconciliationis cum Deo recipiant; tum modum quem principes, judices, rectores, concionatores, cæterique servare debeant in puniendis et corrigendis divinæ legis transgressoribus, ut scilicet per minas acres, increpationes et flagella eos percellant, et divinæ legis contemptum ulciscantur, ac de impiis justum supplicium sumant, itaque per hos quasi viarum stratores iter Deo præparent; dum per illa peccatores ad pœnitentiam vitæque mutationem adigunt, ut scilicet non ante assumant suavitatem lenis et refrigerantis auræ, donec Deum ejusque reconciliationem et gratiam adventare videant, quem antecedunt, et cui hospitium parant, ventus commotio et ignis, hoc est minæ, terrores et flagella. Tropologia.

Hunc sensum indicat versio Chaldæa, quæ pulchra est, et hæc omnia facta esse per angelos significat; sic enim habet : *Ecce gloria Domini revelatur, et ante eum erat exercitus angelorum venti, dirumpentium montes, et confringentium petras ante Dominum; non erat in exercitu angelorum venti majestas Domini. Et post exercitum angelorum venti erat exercitus commotionis; non erat in exercitu angelorum commotionis majestas Domini. Et post exercitum angelorum commotionis, exercitus angelorum ignis; non erat in exercitu angelorum ignis majestas Domini. Et post exercitum angelorum ignis, vox canentium in silentio*, quasi demulcentium, et cantu suo exhilarantium animum Eliæ mœrentem, pavidum et perturbatum.

8. QUI UNGIS REGES AD POENITENTIAM, ET PROPHETAS FACIS SUCCESSORES POST TE. — Sextum est hoc egregium Eliæ facinus, quod scilicet jussu Dei Hazael unxerit in regem Syriæ, et Jehu in regem Israel « ad pœnitentiam, » id est ad pœnam et vindictam idololatrarum, ut scilicet illi punirent et occiderent cultores Baal et Jezabelem; græce enim est, εἰς ἀνταπόδομα, id est *ad retributionem*, ut scilicet eis meritas scelerum pœnas irroges et retribuas. Ita Lyranus, Hugo, Jansenius et alii. Unde Vatablus vertit : *Qui reges ad vicem rependendam, et prophetas tibi successores unxeris.* Est enallage numeri, « prophetas, » id est prophetam; unum enim Eliseum in prophetam unxit Elias, itaque eum sibi successorem designavit, Vers. 8. Sextum.

III *Reg.* XIX, 19; sed unus Eliseus fuit instar multorum. Syrus, *ungens reges ad devincendum obligationibus*, id est obligans eos ad faciendam Dei vindictam.

Aliter Palacius : « Ad pœnitentiam, » inquit, hoc est, quia pœnitebat Deum quod Benadad constituisset regem Syriæ; ideo occidi eum jussit per Hazael, ipsumque in regem Syriæ per Eliam inungi, IV *Reg.* VIII; et quod Joram filium Achab constituisset regem Israel : ideo eum occidi jussit per Jehu, ipsumque in regem Israel per Eliam inungi, IV *Reg.* IX. Sic de Saule ait Deus : « Pœnitet me quod constituerim Saul Regem, » I *Reg.* XV, 11. Verum priorem sensum exigunt Græca.

Dices : Hazael et Jehu uncti sunt in reges ab Eliseo, quomodo ergo eos hic dicitur unxisse Elias? Respondeo *primo*, quia Elias jussit Eliseo ut eos in reges inungeret; quod enim quis per alium facit, per se facere videtur, ut habet regula Juris; *secundo*, videtur etiam Eliam eos unxisse per se; id enim ei diserte jussit Deus, III *Reg.* XIX, 15, cui paruisse Eliam non est dubium, ita ut Eliseus secundo eos unxerit, et Eliæ unctionem confirmarit. Sic et Saul ac David secundo uncti sunt in reges, ut patet I *Reg.* X, 1, juncto cum I *Reg.* XI, 14 et 15, et I *Reg.* XVI, 13, juncto cum II *Reg.* V, 3. Ita Palacius. Vide Abulensem, III *Reg.* XIX, Quæst. XXI.

9. QUI RECEPTUS (græce ἀναληφθείς, id est assumptus) ES IN TURBINE IGNIS, IN CURRU EQUORUM IGNEORUM. — Arabicus : *Et rapuit te turbo in paradisum equis*, hoc est igneis, ut qui in vita imperaveras igni in cœlo, jam ab igne quasi ejus imperator et triumphator veharis in cœlum. Pro *in turbine*, græce est, ἐν λαίλαπι, id est *in procella ignea*. Videtur ergo Deus emisisse fulgetra, coruscationes et fulgura, similesque igneas procellas, quæ Eliam raperent et veherent in cœlum. Vatablus : « Qui procella ignea sublatus sis in curru equorum ardentium; » Syrus : *Raptus es sursum equis igneis in cœlum.*

Vers. 9.

Septimum. Septimum est hoc Eliæ prodigium, sane admirabile et stupendum.

Historia narratur IV *Reg.* II, 11 : « Ecce, inquit, currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque (Eliam et Eliseum), et ascendit Elias per turbinem in cœlum. Eliseus autem videbat et clamabat : Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus. » Hebræi et Septuaginta : *Currus Israel et equites ejus, q. d.* Tu, o Elia, es totum robur Israelis; tuo enim zelo, æque ac ratione et precibus, magis juvas Israelem, quam magna curruum et equitum armatorum multitudo. Ita Procopius, Chaldæus, Vatablus, Cajetanus et alii.

Nota : S. Chrysostomus, serm. *De Ascens.*, Eliæ censet hunc currum et equos vere fuisse igneos, imo ignes : « Stat intrepidus, inquit, super ignem ac rotas, nec incalescunt omnino vestigia. Totum corpus ignis ambit, nec læditur; per colla, per latera flamma discurrit, innoxia. » Verum currus hic non videtur fuisse vere igneus, nec equi vere ignei; sic enim combussissent Eliam (nisi miraculum hic ponas sine necessitate); sed videbantur ignei, ignisque duntaxat speciem habebant; erant enim revera angeli, qui sursum vectabant Eliam; sed speciem currus et equorum igneorum assumpserunt, sicut assumunt speciem corporis humani, cum hominibus apparent; certum enim est illam tantum esse speciem et similitudinem, non veritatem corporis humani.

Elias raptus curru igneo: Cur? Causa prima.

Porro id factum est multis de causis. Prima est, ut igneus hic currus et equi repræsentarent igneum Eliæ animum ad Deum, igneam charitatem, igneum zelum; ob hunc enim meruit curru hoc igneo vehi in cœlum. Ita S. Ambrosius *in Psalmo* CXVIII, octon. 7 : « Retexit, inquit, quod Elias propter zelum Dei, curru elevatus in aerem, cœlestis sedis hospitium novi generis acquisierit incolatu. » Sic et S. Chrysostomus, serm. 1 *De Elia*, in fine, causam raptus Eliæ dat nimium ejus zelum, ne eo perderetur et periret orbis; sic enim Deum induxit loquentem ad Eliam : « Quia peccatores ob zeli nimietatem ferre non vales, ascende quasi in cœlum; ego autem in terra peregrinus ero. Nam si diu tibi manendum in terris, propediem humanum genus, quod continuo a te plectitur, aboleretur. Dein transi in cœlos, o Elia, non potest ignis cohabitare calamo. Impeccabiles contubernales posthac habiturus es; inter angelorum choros habitare te faciam; ego autem cum peccatoribus peregrinabor, qui humeris ovem erraticam bajulare possum, qui clamo peccatoribus omnibus : Venite ad me, omnes qui laboratis; ego non punio vos, sed requiescere vos faciam. »

Simili modo S. Franciscus ardens Dei zelo, absens sui Ordinis Fratribus apparuit velut sol in curru igneo, quasi alter Elias. Audi S. Bonaventuram in *Vita* ejus, cap. IV, et ex eo Waddingum in *Annal. Minorum*, anno Domini 1210, num. 25 : « Ecce, inquit, fere media noctis hora quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdam perseverantibus in orando, currus igneus mirandi splendoris per ostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit; super quem globus lucidus residebat, qui, solis habens aspectum, noctem clarescere fecit. Obstupefacti sunt vigilantes, excitati simul et exterriti dormientes, et non minus senserunt cordis claritatem quam corporis; dum ex virtute mirandi luminis, alterius alteri fuit conscientia patefacta. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum Patrem absentem corpore, præsentem spiritu, tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus, et ardoribus inflammatum, supernaturali virtute, in curru splendente simul et igneo sibi demonstrari a Domino, ut tanquam veri Israelitæ post illum incederent; qui virorum spiri-

tualium, ut alter Elias, factus fuerat a Deo currus et auriga. »

Secunda. Secunda causa est, quod per igneum hunc raptum Eliæ in cœlum, voluerit Deus stabilire fidem, religionem et prædicationem Eliæ contra Jezabel et cultores Baal, quod scilicet doctrina ejus esset cœlestis, et a Deo, qui ignis consumens est; Jezabelis vero esset diabolica et infernalis. Ideo enim raptus est sursum in cœlum, id est in aerem, cum non esset mansurus in cœlo et aere; sed per aerem transferendus in paradisum terrestrem, ut cœlestis ejus doctrina et vita a Deo profecta monstraretur.

Tertia. Tertia, quod, ut initio dixi, ignis Eliam quasi suum imperatorem revereretur, eique quasi famulus suum ultro deferret obsequium. Angeli etiam Eliam quasi virum non tantum angelicum, sed et divinum suspicerent: angelorum enim symbolum est ignis, juxta illud : « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis, » *Hebr.* I, 7; nam angelorum fuit hic currus Eliæ. Ita S. Ambrosius, serm. *De Eliseo*, in fine tom. I : « Elias, inquit, magister Elisei, numquid angelis ducentibus raptus ad cœlum est, et quadriga ignea impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit? victor enim exstiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum; siquidem graviores inimici sunt pravi mores, quam hostes infesti; ut facilius intelligamus hoc tempore malignitatem hostium vinci posse, quam morum. Ergo Eliam angeli ad cœlum perferunt, Eliseum angeli in terris custodiunt. »

Quarta. Quarta, quia, ut docet S. Chrysostomus, homil. *De Ascens. Eliæ*, igneus hic currus, velut triumphalis, debitus fuit Eliæ, ob tot præclara ejus facinora : « Deus, inquit, Rex regum Eliam suum tota se corporis et animæ devotione zelantem, post multorum laborum sudores, post dirarum persecutionum gravissimas fatigationes, post tantorum bellorum magnas illustresque victorias, opima de mundo et diabolo spolia referentem, igneo curru atque equis flammantibus impositum, triumphali gloria præfulgente, ad sua regna voluit pervenire. Oportebat namque errantis populi rectorem, gubernatorem sacrorum, moderatorem discrepantium voluptatum, Israelis aurigam, qui ad jugum timoris Dei, quoniam lascivos et vagos animos revocavit, frenis lorisque adstrinxit, et ad iter disciplinæ recto tenore currendum concordi quadam copulatione composuit; ad regna cœlestia curru atque equis transvolaret evectus. Hinc poetas atque pictores in figuranda solis imagine exempla credo sumpsisse; qui curru atque equis fulgentibus ipse rutilans atque radians, et fluctu Oceani sublevatus, inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad cœlestia videtur ascendere, in similitudinem luminis ejus inductus : sol enim græco sermone *Elios* appellatur. Unde Elias vere Elios, quoniam curru atque equis fulgentibus igne de Oceani fluctu, id est de mundi commotione, per montium scopulos, id est, per magnorum laborum difficultates progrediens, ad cœlestia devectus ascendit. »

Quinta. Quinta, ignis hic congruit officio ad quod reservatur Elias, videlicet ad præveniendum gloriosum et igneum Christi adventum ad judicium : «Ignis» enim «ante ipsum præcedet,» *Psal.* XCVI.

Symbolice. Symbolice, ignis hic significat ignem gehennæ, quem peccatoribus intentavit Elias, cum ipse eidem dominaretur; nam ut ait S. Chrysostomus loco jam citato : « Quantum iste gehennæ ignibus illusisset, qui sic cœlestibus assueverat moderari. »

Allegorice. Allegorice, igneus hic triumphalis currus Eliæ scandentis in cœlum fuit expressus typus gloriæ et triumphi Christi ascendentis in cœlum; illum enim stiparunt omnes angeli, etiam Cherubini et Seraphini, qui toti sunt flammei et ardentes amore divino. Hic enim Eliæ currus fuit triumphi, æque ac currus Cherubim fuit currus triumphi Dei et Christi, *Ezech.* I. Ita S. Bernardus, serm. 3 et 6 *De Ascensione Domini.*

Anagogice. Anagogice igneus hic Eliæ currus, qui Eliam rapuit in cœlum, eumque fecit immortalitatis candidatum, repræsentat resurrectionem beatam Sanctorum ad vitam æternam, et gloriosam in cœlis : Elias enim curru hoc igneo non tantum de Achab et Jezabele, sed et de ipsa morte triumphavit. Unde S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* cap. XXVI, Eliam et Henoch vocat « primogenitos nostræ resurrectionis. » Et Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. XXXVIII : « Henoch et Elias, inquit, nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; quia tamen de orbe translati, et hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni injuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt; cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta? »

Tropologice. Tropologice, S. Ambrosius, *De Isaac*, cap. VIII, per currum igneum accipit quadrigam charitatis, cujus rotis quasi alis in cœlum subvehimur, imo subvolamus : « His alis (charitatis), inquit, Elias curru igneo, et equis igneis ad superna translatus. » Currus ergo est anima; equi boni sunt virtutes quatuor cardinales; ignis est charitas; auriga est Christus. Idem, lib. *De Naboth*, cap. XV : « Cum reciperetur Elias, inquit, et curru quasi ad cœlum ferretur, clamavit ad eum Eliseus : Pater agitator Israel et eques ejus, hoc est, qui populum Domini bono ductu regebas; constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad divina currentes; quia moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobavit, ideo tanquam auriga boni certaminis, victor æterno præmio coronaris. »

10. QUI SCRIPTUS ES IN JUDICIIS TEMPORUM LENIRE IRACUNDIAM DOMINI; CONCILIARE COR PATRIS AD FILIUM, ET RESTITUERE TRIBUS JACOB. — *Octavum* est hoc Vers. 10. Octa.

vum. Eliæ elogium. Eliæ elogium. Pro *scriptus*, græce est καταγραφείς id est *conscriptus, descriptus*. Unde multi legunt, *inscriptus*. *Judicia temporum* sunt definitiones temporum a Deo rebus futuris decretæ, et quasi adjudicatæ, puta statuta a Deo Eliæ, et cuilibet homini reique tempora. Decrevit enim Deus justo suo sapientique judicio, ut post tot millia annorum tali tempore, tali anno, mense et die redeat Elias ad certandum pro Christo contra Antichristum. « Judicia » ergo « temporum » sunt series, ordines et successiones sæculorum et temporum rerumque, quæ quovis tempore eventuræ sunt ex Dei judicio et decreto, puta chronologia quæ est in mente Dei, quamque Prophetis revelavit, *q. d.* Qui præscriptus et prædictus es, ut redeas certo tempore a Deo judicato et definito, ut ejus iram lenias. Unde Palacius sic explicat, *q. d.* Qui inscriptus es, id est de quo scriptum est in prophetiis (puta *Malach.* IV, 5), temporum futurorum, quod venies ad leniendam iram Dei. Sic et Dionysius. Minus apte Lyranus per « judicia temporum » accipit tempora judicii, ut sit hypallage, *q. d.* Qui decretus est venire temporibus ante judicium, ad detegendam perfidiam Antichristi.

Pro *judiciis* græce est ἔλεγμόν (id est ostensio) ἐλέγχειν enim est convincere, probare, ostendere), quam Noster vocat judicium, *q. d.* Qui in propheticis libris scriptus es, quod in novissimorum temporum ostensione leniturus es iram Domini; aut qui descriptus, qui destinatus es ad leniendum, cum signa novissimi temporis manifestabuntur, iracundiam Domini. Ita Franciscus Lucas hic.

Verum pro *judicia temporum*, græce est : ἐν ἐλεγμοῖς εἰς καιροῦς; quod proprie significat *in redargutionibus ad tempora*, ut scilicet opportuno tempore redarguas impios in fine mundi, sicut olim redarguisti Jezabelem et Baalitas. Unde Græca Romæ correcta sic habent : *Qui descriptus es in correptionibus ad tempora lenire iram ante furorem;* legunt enim πρὸ θυμοῦ. Complutensia vero legentes πρὸς θυμόν, id est *ad furorem*, et pro ἐν ἐλεγμοῖς, legentes ἐλεγμούς, id est *correptiones*, sic habent : *Qui scriptus es correptiones* (subaudi, facere) *in tempora, ad leniendam iram judicii Domini* (decreti et parati) *ad furorem;* Vatablus : *Qui ad reprehensiones certis temporibus designatus sis, ad pacandam iram judicii divini ante furorem*, quem exercebit in die judicii impios deturbando in tartara; alii : *Qui præscriptus es ad redarguendum in opportuna tempora, ad sedandam iram Dei.* Juxta Græcum ergo « judicia » vocantur justæ redargutiones et correptiones, quas nomine Dei impiis faciet Elias opportunis temporibus. Et sic Noster, vers. 7, dixit : « Qui audis in Sina judicium, » id est correptionem; græce enim est eadem vox, quæ hic, scilicet ἔλεγμον. Sensus ergo Græcis originalibus conveniens, inquit Jansenius, hic erit : Tu, o Elia, scriptus es lenire iracundiam Domini, idque per judicia et redargutiones tuas, quas pro zelo tuo certis temporibus exercebis in populo Israelitico, ut tuis severis commonitionibus compuncti, suis vitiis relictis, redeant ad Deum, sicque leniatur et sedetur iracundia Dei. Græce enim in correctioribus libris est : καταγραφεὶς ἐν ἐλεγμοῖς εἰς καιροὺς, *conscriptus in redargutionibus ad tempora.* Et convenienter illud « in redargutionibus, » vel « in judiciis, » refertur ad sequens verbum « lenire. » Patet etiam quod dicitur « in judiciis temporum » referri ad judicia Dei, ut significetur Eliam venturum, ut, cum exercenda erunt certis temporibus judicia Dei, quibus mundum redarguet, leniat sua doctrina iracundiam Domini.

Qua ratione autem lenienda sit ira Dei explicat, dum subdit : « Conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob, » *q. d.* Elias leniet iram Dei faciendo, ut Judæi in fine mundi imitentur suos Patriarchas, ut scilicet credant in Christum jam præsentem, in quem ipsi credidere venturum, ac proinde ut Patriarchæ Judæos velut legitimos suos tam quoad fidem, quam quoad naturam, filios agnoscant, ament et complectantur; atque hac ratione duodecim tribus Jacob, id est omnes Israelitas, restituet avitæ fidei, religioni, gratiæ, splendori et saluti. Citat Siracides verba Malachiæ, cap. IV, 5, ubi ea fuse explicui. Syrus : *Ipse venturus est antequam veniat dies Domini, ad convertendum filios ad patres, et ad annuntiandum tribubus Jacob.* Elias redibit ut Judæos convertat ad Christum.

Caute hic legendus est Jansenius, dum ait ex hoc Malachiæ et Siracidis loco probari non posse, quod Elias vere venturus sit tempore Antichristi. Dici enim posset, inquit, Siracidem istud dicere secundum receptam suo tempore opinionem, qua creditum fuit ex verbis Malachiæ Eliam venturum, cum id non esset implendum in propria ejus persona, sed in Joanne Baptista, qui Christi adventum præcursurus erat in spiritu et virtute Eliæ. Verum Malachiam, indeque Siracidem, loqui ex proprio, id est Spiritus Sancti, sensu, ac Eliam in persona venturum, multis ostendi *Malach.* cap. IV, 5. Unde Jansenius, re melius considerata, sententiam suam retractasse videtur in *Concordia Evangel.*, scribens in cap. XVII *Matthæi.* Idipsum clare docet versio Arabica, quæ sic habet : *Et futurus es ut venias*, id est *venturus es* (hoc enim significat hic Arabismus, quem Arabes ab Hebræis acceperunt) *ante Dominum fortem, ante diem illius, ut convertas corda filiorum ad patres suos.*

11. BEATI SUNT QUI TE VIDERUNT, ET IN AMICITIA TUA DECORATI SUNT. — Legit cum Romanis et Vatablus, κεκοσμημένοι, id est ornati, decorati sunt; jam Complutensia et alii legunt, κεκοιμημένοι; unde vertunt, *et in dilectione obdormierunt;* Syrus : *Beatus qui vidit te, et mortuus est; verumtamen non moritur* (non morietur), *sed vivens vivit*, id est vivet. Vers. 11.

12. NAM NOS VITA VIVIMUS TANTUM, POST MORTEM AUTEM NON ERIT TALE NOMEN NOSTRUM. — Verba præterita, *viderunt* et *decorati sunt*, amplianda Vers. 12.

sunt ad futurum *videbunt* et *decorabuntur*. Est enim hic prophetia de futuro, quando scilicet Elias redibit in fine mundi, ut convertat corda patrum ad filios, uti præcessit. Sensus ergo est, ait Palacius : Beati sunt qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt. Nam nos vita vivimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum, *q. d.* Beati sunt illi Judæi, qui te venientem ante diem judicii viderint, et tua amicitia decorati fuerint; quia scilicet credent in Christum, et ab ipso gloriosi in cœlum transferentur. At nos, scilicet Judæi, qui usque ad Christi in cœlum ascensionem futuri sumus, post mortem nostram non assequemur tale nomen, ut statim a morte gloriosi dicamur et simus. Ita Palacius, qui hæc de futuris duntaxat accipit. Magis proprie apteque alii hæc partim de præteritis, partim de futuris intelligunt, *q. d.* Beati et erant qui olim te tantum viderunt atque amaverunt; et erunt qui te revertentem videbunt atque amabunt, tuaque monita recipient, et ea opere perficient. Dissimilis enim tu admodum es a nobis; quia nos tantum vivimus vita hac mortali ac brevi peritura : post mortem autem non erit tale nomen nostrum, quale tuum, qui nec deprehenderis esse mortuus; et postquam sublatus es, etiam prophetico scripto prædicaris rursum mittendus, idque in salutem totius populi. Ita Jansenius. Post mortem ergo non erit nomen nostrum, quale est tuum; quia nec vita nostra, nec doctrina, nec facta sunt tuis similia, ait Lyranus; longe enim iis et tuo zelo sumus impares, et heroicis tuis facinoribus inferiores. Nam hæc verba tam ad futurum quam ad præteritum esse referenda patet ex Græco, in quo non sunt verba, sed participia ἰδόντες et κεκοιμημένοι, quæ tam per futurum quam per præteritum exponi possunt. Sic enim habet : Μακάριοι οἱ ἰδόντες σε, καὶ οἱ τῇ ἀγαπήσει κεκοιμημένοι, καὶ γὰρ ἡμεῖς ζωῇ ζησόμεθα; quæ sic ad verbum vertas : *Beati videntes te, et in amore obdormientes, nam et nos vita vivemus,* cum scilicet post tuum reditum a te conversi et sanctificati, ac in Dei gratia et charitate defuncti, resurgemus ad gloriam, et a Christo judice donabimur vita beata et æterna vita. Tigurina : *Beati qui te viderint, benevolentiaque fuerint condecorati, quia nos vita vivemus;* alii : *Beati qui te viderint, et in charitate obdormierint; nam et nos vita vivemus.*

Moraliter, hic disce quam salutare et beatum sit versari cum viris eximiis, sapientia et zelo plenis : hi enim suum zelum et spiritum sibi familiaribus affricant, et quasi inhalant. Sicut enim stipula, si accedat ad ignem, ab eo calescit, et tandem ignitur : sic pariter qui ad virum igne divino flagrantem accedit, eodem accenditur et inflammatur. Ita Eliseus et filii Prophetarum, versantes cum Elia, ejus zelum et heroicos animos imbiberunt, et factis expresserunt. Sic qui cum S. Paulo et Apostolis tractabant, eorum igneos animos induebant. Sic Isaias, cap. VI, agens cum angelis et Seraphinis, ab eis angelicus et Seraphicus effectus est. Sic qui cum S. Francisco versabantur, incensum ejus paupertatis, orationis et charitatis spiritum hauriebant. Ex adverso, qui cum timidis, tepidis, ignavis versatur, fit et ipse timidus, tepidus, ignavus, juxta illud : « Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur, » *Prov.* XIII, 20.

Utile versari cum zelosis.

SECUNDA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM ELISEI.

Vers. 13. 13. ELIAS QUIDEM (ita Romana; minus recte cæteri Latini et Græci pro *quidem* legunt *qui*) IN TURBINE TECTUS EST (Syrus, *collectus est in cœlum*), ET IN ELISEO COMPLETUS EST SPIRITUS EJUS, — *q. d.* Elias quidem turbine tectus raptus est ab hominibus a terra in cœlum, « et, » id est « sed, » tamen spiritum suum in terra reliquit : illo enim replevit Eliseum suum discipulum, hæredem et successorem. Est hypallage. *In Eliseo completus est spiritus Eliæ,* id est Eliseus repletus est spiritu Eliæ, ut habent Græca. Vatablus : *Elias qui in turbine tectus est, cujusque spiritu repletus est Eliseus;* alii clare reddunt Hebraismum qui est in Græco : « Hujus Eliæ, inquiunt, qui turbine tectus fuit, etiam Elisei repletus est » spiritus; vel, « etiam Eliseus repletus est spiritu. » Complutensia et alii pro αὐτοῦ id est *ejus,* legentes ἁγίου, id est *sancti,* sic habent : *Elias qui in turbine tectus est, et Eliseus repletus est Spiritu Sancto.* Rursum alii pro πνεύματος, id est *spiritu*, legentes στόματος, id est *ore*, vertunt : *Eliseus repletus est ore Eliæ*, ut scilicet os haberet igneum, et verbum ejus quasi facula arderet, instar Eliæ, vers. 1. Syrus : *Recepitque prophetiam dupliciter Eliseus, ac multas tentationes et signa locutum est os illius.*

Est hic epilogus et clausula laudum Eliæ, per quem apposite transit ad laudes Elisei. Quare est hoc nonum encomium Eliæ, et primum Elisei, quod scilicet Elias tanti fuerit zeli, ut is non solum ad præsentes, sed et absentes ac futuros sese extenderit, quodque rapiendus in cœlum, eum transtulerit in Eliseum, ut is quasi sui vicarius verum Dei cultum tueretur, certaretque contra idololatras, ac Israelem in Dei religione et pietate conservaret. Qua in re Elias fuit typus Christi, qui abiturus in cœlum Apostolos spiritu suo imbuit, ut Ecclesiam a se inchoatam promoverent, et per totum orbem propagarent. Porro Elias, communicando suum spiritum, nihil de eo deperdidit; sicut qui sua face facem alterius accendit,

Elogii Elisei. Primum.

nihil deperdit, sed potius suum lumen multiplicat et et adauget : et qui charitatem suam ac zelum aliis aspirat, eum non minuit, sed intendit. Historia narratur IV *Reg.* II; Elias enim rapiendus in cœlum dixit Eliseo discipulo et successori suo : « Postula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus : Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. »

Spiritus duplex Eliæ quis? Respondeo primo.

Ubi quæritur quisnam sit duplex spiritus Eliæ, quem petiit et obtinuit Eliseus. Multi duplicem interpretantur duplo majorem, quasi duplo major spiritus fuerit in Eliseo quam fuerat in Elia : spiritus, inquam, prophetiæ et miraculorum. Nam Elias tantum octo miracula patrasse legitur; Eliseus vero sexdecim, quæ sigillatim enumerat Rupertus, lib. V *in lib. Reg.* cap. XXXVII. Ita Theodoretus, et Procopius *ibidem*, ac Rabanus hic, qui allegorice duplicem hunc Elisei spiritum explicans de Apostolis : Christus, inquit, quasi Elias habuit simplicem spiritum, scilicet copiam gratiarum et virtutum : at Apostoli duplicem, scilicet remissionem peccatorum (quæ in Christo, utpote impeccabili, esse non potuit) et copiam gratiarum. Sic et S. Prosper, lib. II *De Prædestin. et promiss.* cap. XXX, ubi sic legit : « Volo ut spiritus, qui in te est, duplum in me sit; » idque allegorice applicans Apostolis : Christus, inquit, quasi alter Elias, duplum spiritum Apostolis infudit; semel post resurrectionem, dicens : « Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » *Secundo*, post ascensionem in cœlum, dum in Pentecoste Spiritus Sancti largitatem in Apostolos effudit : quo factum est ut Apostoli majora patrarent miracula quam fecerat Christus, uti ipse promiserat Christus, *Joan.* XIV, 12, dicens : « Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet. » Hinc et Christus paucos in Judæa convertit, Apostoli vero totum mundum Christo subegerunt. Sic et S. Ambrosius, *serm.* 89 « : Elias, inquit, cum simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Eliseo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ dimisit in terra, quam ipse portavit in cœlos. » Hinc et Eliseus septennalem famem Judææ induxit, cum Elias triennalem tantum induxerit. Rursum Eliseus plures idolorum cultores occidit quam Elias. Idem S. Ambrosius, serm. 2 *De Eliseo*, qui habetur in fine tom. I : « O hæreditas pretiosa, inquit, in qua plus hæredi relinquitur, quam habetur : plus consequitur qui accipit, quam possideret qui largitur! Pretiosa plane hæreditas, quæ, dum a patre transfertur ad filium, meritorum quodam fenore duplicatur. Igitur Elias, cum simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Eliseo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ dimisit in terris, quam secum portavit ad cœlos : et licet ipse ad altiora totus transfertur corpore, apud filium tamen majore manet sanctitate. De Elisei autem meritis quid dicamus, cujus hæc prima laus est, quod patrem voluit gratia superare; dum dari sibi amplius postulat, quam scit apud eum esse qui possidet? Avarus quidem est in petendo, sed idoneus in promerendo; dum enim a patre plus exigit quam habebat, facit eum meritis suis plus præstare quam poterat. »

Accedit auctor *De Mirabil. S. Script.* lib. II, cap. XXII (exstat tom. III Operum S. Augustini) qui et causam affert : « Hoc vero postulans Eliseus, ait, non elationis affectum super magistrum suum voluit ; sed videns peccata populi innumera, a Propheta qui relinqueretur, non simplici Eliæ spiritu, sed duplici compesci posse prævidit. » Sic et S. Bernardus, serm. 3 et 6 *De Ascens.*, qui et mysterium addit, scilicet per Eliam significari Christum, per Eliseum Apostolos, qui majora quam Christus patrarunt miracula. Nam sola umbra Petri sanabat quoslibet infirmos, *Act.* V, 15; quod Christi umbram fecisse non legimus. Denique huic sententiæ favent Septuaginta, qui vertunt : *Fiat jam spiritus qui est in te* διττώς id est, *dupliciter in me* ; et Syrus hic : *Recepitque prophetiam dupliciter Eliseus.*

Respondeo secundo genuine.

Verum Abulensis et alii probabilius contrarium censent, et sic explicant, *q. d.* Eliseus : Spiritus, qui in te est, o Elia, duplex, fiat pariter in me duplex : « duplex, » id est multiplex, magnus, validus, potens. Sic enim sæpe capitur τὸ *duplex*, uti ostendi *Jerem.* XL, 2, *Deuter.* XXI, 17, et alibi.

Probatur primo.

Probatur id *primo*, quia Eliseus fuisset arrogans, si, cum esset discipulus, duplo majorem petiisset spiritum ab Elia magistro suo, quam ipse habebat. Nec Elias ei dare poterat, quod non habebat : dedit ergo ei suum duplicem spiritum. Et hoc est quod dicitur IV *Reg.* II, 15 : « Requievit spiritus Eliæ super Eliseum, » isque completus, ut ait hic Siracides, id est plenus, non imminutus. Sicut enim habuit Elias duplicem spiritum, scilicet prophetiæ et miraculorum, ita eumdem plene habuit Eliseus, inquit Palacius.

Secundo.

Secundo, quia Siracides hic vers. 4, ait de Elia : « Quis potest similiter sic gloriari tibi? » *q. d.* Eliæ nemo fuit par aut similis : ergo nec Eliseus.

Tertio, quia hic ait completum esse spiritum Eliæ in Eliseo, non autem duplicatum. Græca clare habent : *et Eliseus repletus est spiritu illius*, scilicet Eliæ.

Te

Quarto, quia pro *spiritus duplex*, hebraice est, פי שנים ברוחך *pi scenim beruchacha*, id est : *Os duorum in spiritu tuo sit super me, os duorum*, id est duplex mensura, sive duplex portio spiritus tui, hoc est, inquit Vatablus : Da ut duæ partes tui spiritus divisi in tres partes sint mecum. Noluit petere tantam gratiam sibi fieri, quantum magistro, *q. d.* Noli me efficere tantum quantus es, sed da mihi solum duas partes tui spiritus. Hæc Vatablus. Pagninus vertit : *Sit, obsecro, mensura duarum partium de spiritu tuo super me.* Sensus ergo est, *q. d.* Primogenitus solet os duorum,

id est duplicem portionem habere in hæreditate patris, cum cæteri filii habeant simplicem. Habeam ergo et ego tuum spiritum non simplicem, ut alii Prophetæ; sed duplicem, id est potentem, validum et multiplicem, ad propagandum et propugnandum Dei cultum contra tot idololatras et hostes: ego enim tuus, o Elia, sum primogenitus, imo unigenitus. Succedam ergo in totius tui spiritus hæreditatem et possessionem, ut ejus sim hæres ex asse. Spiritus enim Eliæ, quem postulabat Eliseus, est is quem descripsit Siracides, vers. 1 : « Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat; » nimirum igneus zelus ad propugnandum veram Dei fidem, amorem et cultum contra idololatras et ad patrandum miracula in veræ fidei confirmationem et exstirpationem idololatriæ.

Hinc multi duplicem spiritum interpretantur, spiritum prophetiæ et miraculorum. Ita ibidem Eucherius, Angelomus, Procopius, Theodoretus, Lyranus, Dionysius, Palacius, Jansenius hic, et S. Thomas, IV *Contra Gentes*, cap. XI; sub prophetia enim intelligitur zelus prædicandi et propugnandi veram fidem : hoc enim faciebant Prophetæ, hocque erat eorum officium. Alii per « spiritum duplicem » accipiunt donum gratiæ gratum facientis et gratis datæ. Accedit Cajetanus in IV *Regum* II, qui censet Eliseum petiisse et accepisse simplicem spiritum Eliæ, sed hunc fuisse duplicem respectu aliorum Prophetarum, quia eorum spiritu duplo erat major : Eliseus enim erat quasi primogenitus Eliæ, ideoque post Eliam futurus aliorum Prophetarum quasi princeps et pater, ac proinde majori, imo duplici egebat spiritu. Longe enim majori eget spiritu Superior qui aliorum curam gerit, eosque perficit, quam inferior, qui sibi soli vivit.

Tropologice. Tropologice, duplex spiritus est spiritus vitæ activæ et contemplativæ : item, spiritus orationis et mortificationis; unus enim sine alio parum prodest. Ad hæc S. Bernardus, serm. 3 et 6 *De Ascens.* Duplex spiritus, inquit, est illuminatio intellectus, et affectus purgatio. Denique S. Cyprianus, vel quisquis est auctor (stylus enim humilior arguit non esse S. Cypriani) tract. *De Operibus cardin. Christi*, serm. 12, qui est de Spiritu Sancto : « Sic Eliæ spiritum duplicem, inquit, recepit Eliseus, non quod in duas substantias idem spiritus sit divisus, et duos Propheta sanctus habuerit spiritus; sed quod populo Christiano, cujus typum Eliseus gerebat, accepto Spiritu Sancto, data sit potestas in opere et sermone, et ascendentem Eliam, id est Christum, pio desiderio prosecutus, fide claruerit et intellectu, et vita, et signis, et miraculis fulserit et exemplis. Hic sacrorum ordinem distributor reges creat et principes, sacrat pontifices, eligit sacerdotes. Hic sapientia Salomonem, intellectu Danielem, Joseph consilio, Samsonem fortitudine, Moysen scientia, David pietate, Job timore prosequitur, et sanctorum animas omnimodis fecundat virtutibus, in tantum affectus pacificos provehens, ut jam in cœlis nostra sit conversatio, diffusa in nobis charitate per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Hic in pudicis mentibus sibi statuit mansionem. Hic humiles et cælibes habet domesticos, abominatur ærarios, falsarios detestatur. Hic Giezi mercenarium lepra condemnat, et Jeroboam vendentem sacerdotia cum apostatis locat. Hic Simonem gratiæ Dei nundinatorem a sanctorum consortio exhæredat, cujus detestabiles ausus ultrix ruina confundit et quassat. Hic Balaam ad maledicendum conducto silentium imponit, et per asinam redargutum, colliso ad parietem pede, vacuum pecunia, contumelia ornatum, claudicantem ad propria remisit confusum. Hic omnibus Ecclesiæ Sacramentis interest, quæ ipse efficit et consummat. Hic peccata diluit, hic justificat impios, et ad vitam revocat mortuos. Hic discordes pacificat, et vinculo dilectionis adstringit et ligat. Hic nos cœlo invehit, et a mundi hujus vanitatibus avulsos superni regni constituit hæredes, cujus summa est felicitas, quod corpus istud spirituali affectu cum angelis conversabitur, nec ultra erit carnis et sanguinis aliquis appetitus; sed erit omnium plena sufficientia, cognoscibilis Deus, et inhabitator Spiritus Sanctus. »

IN DIEBUS SUIS NON PERTIMUIT PRINCIPEM, ET POTENTIA NEMO VICIT ILLUM. — Græce : *In diebus suis non est commotus a principe, et non subegit eum quisquam*; hoc est enim : οὐ κατεδυνάσευσεν αὐτὸν οὐδείς, id est; *nemo eum sibi subjugavit*, nemo ei dominatus est. Vatablus : *Is temporibus suis nihil est permotus ob principes, nec imperium cujusquam pertulit.* Legit ἀρχόντων in plurali, id est principes, cum Noster et alii legant in singulari ἄρχοντος, id est principem; sed per enallagen numeri *principem*, hoc est *principes*. Sensus est, *q. d.* Eliseus libere prophetavit et prædicavit veri Dei cultum, nihil veritus regum idololatrarum et impiorum offensam, minas et cædes; sed intrepide et in barbam eis restitit, eosque redarguit. Ita vocatus ad castra trium regum, scilicet duorum impiorum, Joram filii Achab, et regis Edom, ac tertii pii, scilicet Josaphat regis Juda, qui omnes suppliciter in siti et defectu aquæ ejus prophetiam et opem deposcebant, animose dixit ad Joram : « Quid mihi et tibi est? Vade ad prophetas patris tui et matris tuæ, etc. Vivit Dominus exercituum in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. » IV *Reg.* III, 14. Rursum cinctus ab exercitu regis Syriæ, cum Giezi ejus minister pavidus exclamaret : « Heu, heu, heu! domine mi, quid faciemus? » respondit Eliseus : « Noli timere; plures enim nobiscum sunt quam cum illis. Cumque orasset Eliseus, aperuit Dominus oculos pueri, et vidit, et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum (erant hi Angeli) in circuitu Elisei, » IV *Reg.* VI, 16. Hæ ergo auxi-

liares Angelorum copiæ faciebant eum omnibus regibus et exercitibus potentiorem. Si Deus enim pro nobis, quis contra nos? si angeli nos tuentur quis nobis nocere queat? Et vers. 32, de rege Joram: « Numquid scitis, inquit, quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? » Hanc intrepidam libertatem Elisei imitati sunt heroes fidei, S. Joannes Baptista redarguens Herodem, S. Athanasius, S. Hilarius, Eusebius Vercellensis, et præ omnibus Lucifer Calaritanus, acriter invecti in Constantium Arianum Imperatorem eumque nuncupantes Antichristum, S. Chrysostomus corripiens Eudoxiam Imperatricem, S. Ambrosius castigans Theodosium, Maximum, Valentinianum Imperatores, ac Justinam Imperatricem Arianam; quia Deo pleni et tecti nil creatum formidabant.

Vers. 14. 14. NEC SUPERAVIT (græce ὑπῆρεν, quod alii vertunt, *sustulit*) ILLUM VERBUM ALIQUOD. — *Primo, q. d.* Nullæ regis Joram vel aliorum minæ, nec blanditiæ et promissa potuerunt infringere vel dejicere adamantinum animum Elisei, ut patet IV *Reg.* VI, 32. Unde Vatablus vertit: *Nulla res superavit eum*; et Lyranus: *Nullum verbum*, ait, *comminationis vel adulationis eum a veritate retraxit*; Syrus: *Et non dominata fuit illi omnis caro*, id est ullus homo, *et omne verbum non celatum fuit illi.* Unde *secundo, q. d.* Nulla res abscondita spectans ad bonum, vel suum, vel publicum, latuit eum, nec superavit ejus prophetiam et cognitionem; sed protinus per spiritum propheticum omnia cognoscebat et revelabat, uti detexit omnes insidias Syrorum regi Joram, III *Reg.* VI, 12, ubi famuli regis Syriæ suspicantis se domi habere proditores, qui secreta sua revelarent regi Israel, se purgantes dicunt: « Nequaquam, domine mi rex, sed Eliseus propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. » Sic absens Eliseus vidit Giezi accipientem munera a Naaman Syro: « Nonne cor meum, inquit, in præsenti erat? » etc., IV *Reg.* V, 26. Secundum hunc sensum secutus Arabicus, sic vertit: *Nec latuit eum quidquam de rebus sæculi*, id est mundi hujus.

ET MORTUUM PROPHETAVIT CORPUS EJUS, —id est, ut ait Dionysius, corpus Elisei sepultum suscitavit quemdam a latronibus interfectum, qui in sepulcrum Elisei projectus, dum sacra ejus ossa tetigisset, divina virtute revixit; per quod patuit eum verum fuisse Dei Prophetam, IV *Reg.* XIII, 20. « Prophetavit ergo, » id est miraculum edidit; hoc enim erat opus Prophetæ. Unde Vatablus vertit: « Corpus ejus Prophetam egit etiam post obitum. » Arabicus clare: *Et vivificavit mortuum mortuus.* Hoc sane mirabile et paradoxum, quod mortuus mortuum vivificet, cum naturaliter mortuus vivum mortificet.

Prophetare quadruplici- Nota: Prophetare proprie est futura prædicere ex instinctu et revelatione Dei; sed quia Prophetæ, qui futura prædicebant, erant viri sancti et zelosi, multaque alia faciebant ad Dei gloriam; hinc per catachresin prophetare *primo*, sumitur pro docere, vel prædicare, et exhortari ad pietatem. Sic I *Corinth.* XIV, sæpe Apostolus doctores vocat Prophetas; Prophetæ enim docebant, prædicabant et exhortabantur populum ad pium Dei cultum; *secundo*, sumitur pro psallere et Deo laudes canere: hoc enim faciebant Prophetæ. Sic Asaph et Heman dicuntur prophetare, id est psallere in citharis, psalteriis et cymbalis, I *Paral.* XXV, 1. Sic et Saul inter Prophetas Dei laudes canentes prophetavit, id est correptus Dei spiritu laudes Deo cecinit. Unde proverbium: « Num et Saul inter Prophetas? » I *Reg.* XIX, 23. *Tertio*, sumitur pro miracula facere; hæc enim patrabant Prophetæ, utpote viri sancti et divini. *Quarto*, sumitur pro prophetiam confirmare. Sic dicuntur ossa Joseph prophetasse, de quo cap. seq. vers. 18. Hic duobus ultimis modis sumitur: Eliseus enim « mortuus prophetavit, » id est miraculum patravit, puta suscitavit mortuum, eoque confirmavit suam prophetiam, id est suam prædicationem de vero Dei cultu contra idololatras, æque ac suam sanctitatem. Vide dicta I *Corinth.* XIV, initio capitis.

ter sumitur. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Simili modo prophetant reliquiæ Sanctorum, dum miracula patrant, quibus tum sanctitatem suam, tum fidem veram, quam viventes docuerunt et prædicarunt, confirmant. Proprie vero nonnulli Sancti defuncti prophetarunt, dum post mortem indices et testes fuerunt veritatis occultæ, ut, cum Petrus defunctus, suscitatus a S. Stanislao, Cracoviensi Episcopo, coram Boleslao rege testatus est sibi pretium agri a se venditi a S. Stanislao persolutum esse. Sic S. Antonius de Padua, ut patrem accusatum de homicidio, sed falso, periculo liberaret; occisum suscitavit, et ad tribunal produxit, ubi rogatus a judice innocentiæ patris testimonium perhibuit, eumque a morte exemit. Sic Macarius Ægyptius S. Antonii discipulus, quemdam homicidii falso accusatum, occisum interrogando, ab eoque testimonium innocentiæ accusati eliciendo, calumnia liberavit, ut habetur lib. II *Vitar. SS. Patr.*, cap. XXVIII. Sic magnus ille Spiridion Trimituntis in Cypro Episcopus, filiam Irenem defunctam e sepulcro evocans, ab ea didicit locum depositi, quod depositarius illi crediderat, et a patre reposcebat, uti refert Sozomenus, lib. I, cap. XI, et Socrates, lib. I, cap. XII. Denique S. Augustinus, lib. *De Cura pro mortuis*, cap. XI: « Pro certo, inquit, cum Mediolani essemus, audivimus quod cum debitum repeteretur a quodam, defuncti patris cautione prolata, quod filio nesciente a patre jam fuerat persolutum; contristari homo gravissime cœpit, atque mirari quod ei pater moriens non dixerit quod deberet, cum fecisset etiam testamentum. Tunc nimis anxio apparuit idem pater ejus in somnis, et ubi esset recautum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento ju-

Exempla mortuorum qui prophetarunt.

venis atque monstrato, non solum falsi debiti calumniam propulsavit, sed et paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando est persoluta pecunia. »

Vers. 15. 15. IN VITA SUA FECIT MONSTRA (græce τέρατα, id est portenta, prodigia, miracula. Unde Arabicus vertit : *Multiplicavit miracula in vita sua.* Elisei miracula multa et magna continua serie enarrantur a cap. II lib. IV *Reg.* usque ad cap. XIV) ET IN MORTE MIRABILIA OPERATUS EST. — Nam moriturus Eliseus manibus regis Joas suas imponens, ejusque sagittas benedicens, fortitudinem ac victoriam illi contra Syros impertiit. Eidem jubens jaculo percutere terram, cum ille ter eam percussisset, trinam de Syris victoriam prænuntiavit, addens plures eum habiturum fuisse, si pluries terram percussisset, IV *Reg.* XIII, 14. Eliseus ergo et in vita, et in morte, et post mortem prophetavit, id est miracula patravit, quibus se verum esse Dei Prophetam, suamque fidem et prædicationem esse divinam Israeli comprobavit. Aliter Syrus : *In vita sua*, inquit, *fecit prodigia, et in morte* (post mortem) *sua vivificavit mortuum*; de quo versu præcedenti.

Vers. 16 et 17. 16 et 17. IN OMNIBUS ISTIS NON POENITUIT POPULUS, ET NON RECESSERUNT A PECCATIS SUIS USQUE DUM EJECTI SUNT DE TERRA SUA, ET DISPERSI SUNT IN OMNEM TERRAM, ET RELICTA EST GENS PERPAUCA, ET PRINCEPS IN DOMO DAVID. — Vatablus : *Adeo ut populus paucissimus relinqueretur in domo Davidica;* Syrus : *Et relictus est Judas solus, modicus potestate domui David, q. d.* Elias et Eliseus submissi a Deo ad exstirpandum idololatriam et pietatem per Jeroboam invectam in Israelem, id est in regnum decem tribuum, per tot signa et miracula parum profecerunt : quia populus, sequens reges suos idololatras et impios, non recessit ab eorum idololatria et impietate. Quocirca tota gens decem tribuum justo Dei judicio varie afflicta a regibus Assyriorum, tandem anno 6 Ezechiæ regis Juda prorsus excisa est; dum capta Samaria, populus abductus est in Assyriam, indeque per totum orbem dispersus. Abductis ergo decem tribubus relicta est gens perpauca duarum tribuum, Juda et Benjamin, ac princeps et rex ex domo et familia David; sed et hæc contagio idololatriæ et impietatis a cognato et vicino Israele per vices infecta, nunc Deum, nunc idola coluit : unde et ipsa quoque tandem excisa est a Chaldæis sub Sedecia ultimo rege Juda, ac captiva abducta in Babylonem. Hoc est quod subdit :

Vers. 18. 18. QUIDAM IPSORUM FECERUNT QUOD PLACERET DEO; ALII AUTEM MULTA COMMISERUNT PECCATA, — *q. d.* Omnes reges Israel fuerunt idololatræ et impii; at ex regibus Juda quidam fuere pii, ut David, Josaphat, Ezechias, Josias; alii impii, ut Achaz, Manasses, Jechonias, Sedecias, etc. Porro quia inter pios eminuit Ezechias, ac sub eo facta est captivitas decem tribuum, ita ut everso regno Israel ipse solus regnaret in Juda, atque sub eo floruit Isaias Propheta celeberrimus, quem familiarem habuit et directorem, idcirco cæteris præteritis solius Ezechiæ elogia recenset.

TERTIA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM EZECHIÆ.

Vers. 19. 19. EZECHIAS MUNIVIT (Syrus, *resarsit*) CIVITATEM SUAM (Jerusalem, metropolim regni Juda), ET INDUXIT IN MEDIUM IPSIUS AQUAM (corrupte in exemplaribus Græcis Romæ correctis legitur : *induxit in medio ipsorum Gog*, pro *Gion*, de quo mox), ET FODIT FERRO RUPEM, ET ÆDIFICAVIT AD AQUAM PUTEUM. — Laudat Ezechiam quod, imminente obsidione urbi Jerusalem a Sennacherib, ipse eam munierit restauratione murorum, turribus, armis, clypeis, ducibus; sed maxime fiducia et ope divina, uti narratur II *Paral.* XXXII. Rursum, quod induxerit aquam in urbem, ideoque rupem intermediam ferro disciderit; nam in urbem e superiori fonte Gion aquas per subterraneos canales introduxit, et fecit eas scaturire in Piscina interiori grandi, quam ædificavit in medio urbis ad Aquilonem templi; atque ad eam fabricavit puteum, ut totam irrigaret civitatem (unde Græca habent, *puteos*), ne populus in obsidione positus aquæ laboraret penuria, II *Paral.* XXXII, 30. Sic Brugis Flandrorum non sunt putei, sed ex uno puteo sive fonte per canales aqua in omnes urbis plateas et vicos deducitur. Roma vero aquæductibus plena est, et in his prisci Romani suam ostenderunt magnificentiam. Rursum Ezechias restauravit fontem Siloe, cui piscina sive natatoria Siloe conjuncta erat, in qua lavans oculos cæcus jussu Christi illuminatus est, *Joan.* IX. Vide Adrichomium in *Descriptione Jerusalem.*

Vers. 20. 20. IN DIEBUS IPSIUS ASCENDIT SENNACHERIB, ET MISIT RABSACEN, ET SUSTULIT MANUM SUAM CONTRA ILLOS, ET EXTULIT MANUM SUAM IN SION. — « Contra illos, » scilicet Judæos, Ezechiæ subditos, quos obsidebat; hoc enim, velut ex libris Regum EGtissimum, subaudiendum relinquit. Porro Græca Complutensia (nam Romana repetunt, ἀπῆρεν καὶ ἀπῆρεν; unde vertunt : *Et promovit, et promovit manus ejus in Sion;* alii vero legunt cum Nostro, ἐπῆρεν καὶ ἐπῆρεν id est *sustulit et extulit;* quin et Rabanus legit tam *sustulit* quam *extulit,* prorsusque habet ut Latina Vulgata) non habent τὲ *sustulit manum contra illos;* videtur enim esse idem cum eo quod sequitur : « Et extulit manum suam in Sion. » Unde Jansenius suspicatur hanc repe-

titionem ex diversis versionibus in unam junctis ortam esse. Nam et codices nonnulli tantum habent : *Et sustulit manum suam in Sion*, puta contra Jerusalem, illi insultans, et minans excidium. Vide insultationem ejus et minas enarrantem Isaiam, cap. XXXVI, ubi eas explicui.

ET SUPERBUS FACTUS EST POTENTIA SUA. — Græce : καὶ ἠμεγαλαύχησεν ὑπερηφανίᾳ αὐτοῦ, id est *et magnâ jactavit superbia sua* ; Vatablus : *Contra Sion manum suam extulit, et superbia sua gloriatus est* ; blasphemans quod Deus non posset Jerusalem e manu regis Assyriorum liberare, sicut dii gentium suos ab eadem non potuerant eripere ; Syrus : *Extulit manum suam in Sion, et blasphemavit cum audacia adversus Deum.*

Vers. 21. 21. TUNC MOTA SUNT CORDA, ET MANUS IPSORUM, ET DOLUERUNT QUASI PARTURIENTES MULIERES, — *q. d.* Auditis minis Rabsacis, Judæorum corda pavore, indeque manus tremore concussa sunt, et tanto dolore correpta, quanto corripiuntur parturientes. Græce est, ἐσαλεύθησαν, id est agitata sunt, æstuarunt, sicut agitantur et æstuant fluctus maris dum est tempestas. Vatablus : *perculsa sunt* ; alii : *fluctuarunt*. Quocirca non desperarunt ; sed Dei ; qui, cum auxilia humana desunt, suis sequo invocantibus illico succurrit, opem implorarunt.

Vers. 22. 22. ET INVOCAVERUNT DOMINUM MISERICORDEM, ET EXPANDENTES MANUS SUAS, EXTULERUNT AD CŒLUM ; nam « Ezechias scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Domini (Dei auxilium imploraturus), et misit Eliacim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus opertos saccis, ad Isaiam filium Amos Prophetam, » etc., dicentes : « Leva orationem pro reliquis quæ repertæ sunt, » *Isaiæ* XXXVII. Quocirca ET SANCTUS DOMINUS DEUS AUDIVIT CITO VOCEM IPSORUM, — nimirum sanctus Deus sancto Ezechiæ ejusque populo ad preces sanctæ Isaiæ succurrit, et blasphemum Sennacherib abegit et profligavit. Hunc apposite *Isaias* hebraice idem est quod « salus Dei, » *Ezechias*, vel, ut Hebræi pronuntiant, *Chizhiachu*, idem est quod *robur et fortitudo Dei* ; unde Syrus hic vertit : *Expanditque Ezechias coram Domino manus suas, Deus quoque exaudivit orationem ejus, et liberavit eos per Isaiam Prophetam.*

QUARTA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM ISAIÆ ET EZECHIÆ.

Vers. 23. 23. NON EST COMMEMORATUS PECCATORUM ILLORUM, NEQUE DEDIT ILLOS INIMICIS SUIS ; SED PURGAVIT EOS IN MANU ISAIÆ SANCTI PROPHETÆ, — *q. d.* Deus non est recordatus peccatorum quæ Judæi et patres eorum admiserant, ac eorum quasi oblitus impedivit ne traderentur in manus Sennacherib ; sed purgavit eos a peccatis « in manu, » id est per manum ; id est per operam et industriam, puta per exhortationem Isaiæ ; hic enim exhortans eos ad pœnitentiam et orationem, effecit ut pœnitentes veniamque a Deo poscentes eam impetrarent, itaque liberarentur a Sennacherib. Unde pro *purgavit* græce est ἐλύτρωσεν, id est liberavit, vel potius redemit eos. Erant enim Judæi a Sennacherib certo exitio addicti, sed Deus ab illo eos redemit et liberavit per Isaiam, qui precibus meritisque suis hanc liberationem eis impetravit, eamdemque Ezechiæ et Judæis promisit et prænuntiavit, *Isaiæ* XXXVII, 6. Græca de more concisa hæc tantum habent : *Et sanctus e cœlo exaudivit eos, et redemit eos manu Isaiæ*. Porro Isaiæ datur hoc elogium et titulus, quod fuerit « Propheta sanctus, » id est singulariter et eximie Sanctus præ aliis Prophetis, qui et ipsi fuere sancti ; sed non sicut Isaias : quæ sane magna est Isaiæ laus et dignitas ; talem ergo hoc loco eum canonizat S. Scriptura, imo Spiritus Sanctus, quod vix alteri factum reperias.

Vers. 24. 24. DEJECIT CASTRA ASSYRIORUM, ET CONTRIVIT ILLOS ANGELUS DOMINI. — Pro *dejecit* græce est ἐπάταξε, id est *percussit* ; Syrus : *contrivit* ; Vatablus : *cecidit* ; Complutensia : *pessumdedit*. Angelus enim Domini una nocte in castris Sennacherib percussit 185 millia Assyriorum ; unde castris exutus solus fugit Sennacherib, tandemque a filiis necatus est, IV *Reg.* XIX, 35, et *Isaiæ* XXXVII, 36. Vide ibi dicta.

Vers. 25. 25. NAM FECIT EZECHIAS QUOD PLACUIT DEO, ET FORTITER IVIT IN VIA DAVID PATRIS SUI, QUAM MANDAVIT ILLI ISAIAS PROPHETA MAGNUS, ET FIDELIS IN CONSPECTU DEI. — Pro *fortiter ivit*, græce est ἐνίσχυσεν, id est fortiter se gessit, robuste egit, valide sectatus est vestigia pietatis et virtutis David patris sui. Nam confregit idola, quin et serpentem æneum, quem erexerat Moses, eo quod populus eum ut Deum adoraret ; destruxit excelsa ; solemne Pascha instituit ; cultum et religionem veri Dei non tantum in Juda, sed et in Israel restituit ; Sacerdotes et Levitas aluit, ac ad Dei sacra religiose procuranda exhortatus est. Ob hæc ergo pietatis officia meruit ut Jerusalem liberaretur ab excidio Sennacherib, II *Paral.* XIX. Pro *fidelis in conspectu Dei*, græce est πιστὸς ἐν τῇ ὁράσει αὐτοῦ (Noster pro αὐτοῦ legit Θεοῦ id est *Dei*) *sui*, puta in prophetia sua, qua fideliter, libere et constanter ea annuntiabat populo, quæ a Deo illi revelata fuerunt ; non vero sua commenta, aut mentis somnia et figmenta, uti faciebant pseudoprophetæ. Vatablus, *vaticinatione sua fidus*, vel *certus* ; quia non dubia ; sed certa prophetabat, quæ scilicet certo sciebat Deum sibi dixisse : Græcum enim πιστός, id est *fidelis*, respondet Hebræo נאמן

neeman, id est fidus, verus, certus, firmus, ratus, stabilis; Syrus, *laudabilis Prophetarum*, id est inter Prophetas, vel præ cæteris Prophetis.

Isaias Propheta magnus: cur?

Porro Isaias vocatur « magnus Propheta, » quia a Seraphino accensus calculo ignito consecratus est Propheta, factusque quasi Seraphinus, et ordinis Seraphici, ad accendendum amore divino torpentia et algida Judæorum corda, *Isaiæ* VI. Porro Isaiæ magnitudo animi et zeli enituit in carpendo liberrime regum, principum et populi vitia, iisque comminando pœnas a Deo imminentes. Unde illud cap. I, 10 : « Audite verbum, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. » Quocirca S. Paulus, *Rom.* X, 20, ait : « Isaias autem audet, et dicit. » Ubi Origenes : « Audet, » inquit, et libere prædicat cum sciret sibi ex eo imminere mortem. Nam hac de causa lignea serra serratus, Martyr duro, sed glorioso agone occubuit. Denique Isaias omnium Prophetarum est magnificentissimus, eloquentissimus, sublimissimus et clarissimus. Vide dicta argumento in Isaiam.

Vers. 26. Isaias retroegit solem.

26. IN DIEBUS IPSIUS RETRO REDIIT (minus vere Syrus, *vertit*) SOL, ET ADDIDIT REGI VITAM. — Cum Ezechiæ ægrotanti ad mortem Isaias ex Deo promisit sanitatem et vitam, et ad assecurandam hanc promissionem fecit ut umbra solis in horologio Achaz retrogrederetur, et consequenter ipse sol, ut patet ex hoc loco. Duplex ergo fuit hoc miraculum : primum, quod sol regrederetur; secundum, quod regi desperatæ valetudinis adderetur vita. Utrumque tribuitur tum pietati et precibus Ezechiæ, quæ id merebantur; tum sanctitati, orationi et meritis Isaiæ, quæ id a Deo impetrarunt. Quocirca Isaias, cap. XXXVIII, 8, ait Ezechiæ : « Ecce ego reverti faciam umbram linearum. » Unde pariter τὸ *addidit regi vitam* referendum est ad Isaiam. Potest tamen quoque ad solem, qui antecessit, referri hoc sensu, quod sol regrediens portenderet redituram regi sanitatem, adeoque tot annos regis vitæ addendos, quot horis illo die auctus fuit sol, nimirum quindecim. In Prophetis enim dicitur ille qui prophetat vel portendit aliquid, illum ipsum efficere; quia illud ipsum certo eventurum prænuntiat et edicit : prophetia enim falli nequit; unde quod ipsa prædicit, necessum est ut eveniat. Dum ergo quippiam prædicit, morali modo efficit et cogit, ut idipsum eveniat. Unde S. Cyrillus, in *Isaiæ* XXXVIII, 8 : « Quod remigraturus in vitam esset Ezechias, ait, planum facit Deus retrogrediente solis umbra, et die ad inusitatam horarum mensuram prolata. » Et auctor *De Mirabil. S. Script.*, apud S. Augustinum, lib. II, cap. XXVIII : « Convenienter, inquit, tale signum regi in mortis exspectatione posito aptissimum evenit, quod Dominus fieri taliter per solem congrua dispensatione disposuit; quoniam sicut sol in procinctu occasus sui positus in diei initium reducitur : sic rex in mortis exspectatione constitutus quasi ad incipientis vitæ gaudia revocatur. Tantum quoque temporis, id est quindecim annos ejus vitæ, se Dominus dixit addere; quatenus nasciturus tunc filius (Manasses) consumpto illo tempore, regnum defuncti patris valeret gubernare. » Plura de hoc regressu solis et sanatione Ezechiæ dixi *Isaiæ* XXXVIII.

Vers. 27.

27. SPIRITU MAGNO VIDIT ULTIMA, ET CONSOLATUS EST LUGENTES IN SION. — « Spiritus magnus » hic est prophetiæ, puta magnum et amplum lumen propheticum, quo dotatus Isaias « vidit ultima; » græce ἐσχατα, qua voce Septuaginta solent vertere Hebræum אחרנים *acharonim*, id est posteriora, uti vertit hic Vatablus. Quare « ultima » vel « novissima » in Prophetis vocantur tempora Messiæ, quæ scilicet post plura sæcula erant futura, etiamsi absolute non sint ultima, nisi quod respectu status legis naturæ et legis Mosaicæ, status legis Christinæ, sit absolute ultimus. Alludit *Isaiæ* II, ubi Isaias, prophetans de tempore Christi et Ecclesiæ, ait : « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes. » Adde Isaiam absolute ultima prænuntiasse, uti ostendam vers. seq. Pro *spiritu magno*, Syrus vertit : *Spiritu giganteitatis* vel *gigantum*, id est spiritu valido, excelso, extenso, porrecto longissime, uti gigantes vident ultra cæteros homines.

Consolatus est lugentes in Sion: quos?

Porro Isaias « consolatus est lugentes in Sion : » *Primo*, cum Ezechiam et Judæos ob metum Sennacherib perculsos, spe certæ liberationis recreavit. Rursum cum Judæis in Babylonem abducendis, ex ea reditum promisit. *Secundo*, cum sui temporis viros fideles et pios dolentes de sui ævi sceleribus et ærumnis, promissione adventus Messiæ liberatoris et sanctificatoris consolatus est. Unde ait cap. XL : « Consolamini, consolamini, pópule meus, etc. Loquimini ad cor Jerusalem; » adeoque alibi passim fideles animat et solatur, totusque solatiis divinis refertus est. *Tertio*, cum etiamnum fideles « in Sion, » id est in Ecclesia, lugentes hujus vitæ peccata et miserias, promissione gratiæ et gloriæ Christi consolatur. Unde cap. LXI, 1, ita Christum suos consolantem inducit : « Spiritus Domini super me, etc., ut consolarer omnes lugentes in Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. » Ad quem locum hic alludit Siracides, ut patet verba utrinque conferenti.

Vers. 28.

28. USQUE IN SEMPITERNUM OSTENDIT FUTURA, ET ABSCONDITA ANTEQUAM EVENIRENT. — Syrus : *Stans in mundo vidit signa, et tentationes antequam venirent*; Vatablus : *In ævum usque futura prænuntiarunt, arcanaque facta priusquam evenirent.* Isaiæ enim vaticinia se porrigunt ad Christum et Ecclesiam duraturam per omnia sæcula usque in finem mundi. Nam Christi ex Virgine conceptionem, nativitatem, prædicationem, miracula,

passionem, mortem et resurrectionem ita graphice describit, ut, teste S. Hieronymo, non tam Prophetam quam Evangelistam agere videatur. Rursum prænuntiat ea quæ futura sunt in fine mundi, puta universale judicium, resurrectionem, et renovationem mundi, ut patet cap. XXIV, vers. 21 et seq., cap. XXV, 8, cap. XXVI, 21. Denique prænuntiat felicitatem piorum in cœlo, et infelicitatem impiorum in gehenna, quarum utraque perdurabit in omnem æternitatem. Unde cap. XXXVII, vers. 17 : « Et erit, inquit, opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. » Et cap. XXXIII, 14 : « Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? » Et cap. XXXV, 10 : « Redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude; et lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. » Similia habet cap. LX, 19; cap. LXV, 17; cap. LXVI, 22.

CAPUT QUADRAGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Laudatur Josias usque ad vers. 9. *Inde Jeremias, Ezechiel et duodecim prophetæ minores usque ad vers.* 13. *Inde Zorobabel, Jesus filius Josedec, et Nehemias usque ad vers.* 16. *Inde usque ad finem capitis regreditur Siracides ad priores priscosque patres, ac retexit laudes Henoch, Joseph, Seth, Sem et Adam, eosque inter se comparat.*

1. Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii. 2. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini. 3. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, et tulit abominationes impietatis. 4. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius, et in diebus peccatorum corroboravit pietatem. 5. Præter David, et Ezechiam, et Josiam, omnes peccatum commiserunt : 6. nam reliquerunt legem Altissimi reges Juda, et contempserunt timorem Dei. 7. Dederunt enim regnum suum aliis, et gloriam suam alienigenæ genti. 8. Incenderunt electam sanctitatis civitatem, et desertas fecerunt vias ipsius in manu Jeremiæ. 9. Nam male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est Propheta, evertere, et eruere, et perdere, et iterum ædificare, et renovare. 10. Ezechiel, qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim. 11. Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis qui ostenderunt rectas vias. 12. Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo : nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis. 13. Quomodo amplificemus Zorobabel? nam et ipse quasi signum in dextera manu; 14. sic et Jesum filium Josedec? qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam. 15. Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras. 16. Nemo natus est in terra qualis Henoch : nam et ipse receptus est a terra. 17. Neque ut Joseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi : 18. et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt. 19. Seth et Sem apud homines gloriam adepti sunt, et super omnem animam in origine Adam.

ENCOMIUM JOSIÆ.

Vers. 1. 1. MEMORIA JOSIÆ IN COMPOSITIONEM ODORIS FACTA OPUS PIGMENTARII. — Ita Latina, Romana et Græca Romæ correcta. Minus recte ergo pro *facta* Complutensia legunt *facto* vel *confecto*; et alii, *facti*. Rursum pro *opus* Græca jam habent ἔργῳ, id est *opere*. Vide Franciscum Lucam, in Notis hic. Græca Romana sic clare habent : *Memoria Josiæ in compositione incensi, facta opere unguentarii*; Vatablus : *Instar mixturæ odoramenti artificio unguentarii concinnatæ, est Josiæ memoria*; Syrus : *Nomen Josiæ sicut thuribulum incensi* (alius codex habet *incensorum*) *commixti multitudine aromatum;* alii : *Memoria Josiæ ut compositio thymiamatis confecti opere pigmentarii*. Sensus ergo est, *q. d.* Memoria

Josiæ est instar compositionis odoriferæ (qua scilicet res odoriferæ apta proportione inter se commiscentur et componuntur, ut fiat quid mixtum valde odoratum et suavissime redolens) «facta,» id est confecta, velut « opus pigmentarii, » hoc est, suavissima et gratissima tam Deo et Angelis, quam hominibus, præsertim Judæis, est Josiæ memoria. Sicut enim pigmentarius, sive aromatarius excongrua commixtione et compositione aromatum, conficit compositum quoddam mire odoriferum; sic pariter memoria Josiæ ex variis ejus virtutibus et præclare factis composita et conflata efficit famam ejus mire fragrantem, suavem et jucundam omnibus posteris. Alludit ad thymiama (græce enim pro *odoris* est θυμιάματος) quod componebatur ex commixtione quatuor aromatum, sive rerum odoratarum, nimirum ex stacte, onycha, galbano et thure, *Exod.* XXX, 34; sic enim memoria et fama viri sancti et pii, qualis erat Josias, conflatur ex pluribus virtutibus, præsertim quatuor per aromata totidem jam dicta repræsentatis; stacte enim repræsentat mortificationem, onycha castitatem, galbanum charitatem, thus religionem et orationem. Hinc *Apocal.* V, 8, S. Joannes vidit 24 seniores habentes « phialas aureas plenas » odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. » Vide dicta *Exod.* XXX, 34. Quocirca Arabicus vertit : *Nomen Josiæ velut thuribulum, in quo est de omni fumatione bona,* quod scilicet omnem fumum suaveolentem exhalat.

Virtutes sunt thymiama. Primo.

Primo igitur, sicut thymiama non ex uno aromate, sed ex variis componebatur; sic decus virtutis Josiæ, memoria et fama non ex una virtute, sed ex variis, ac præsertim ex quatuor jam dictis, conflata fuit et composita. Unde S. Gregorius, lib. I *Moral.* cap. XXXIX : « Thymiama, ait, ex aromatibus componimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. » Et Philo, lib. *De Somniis* : « Sicut, » ait, « odoramenta suaveolentia replent proximos; sic vicini et contermini sapientis, ex afflatu ejus latissime se diffundentis, meliores evadunt. » Sic adolescentulæ, hoc est teneriores animæ, percepta sponsi virtutum fragrantia, illectæ clamant : « Post te curremus in odorem unguentorum tuorum, » *Cant.* I, 3.

Secuno.

Secundo, sicut aromata apta mensura inter se commisceri debebant, ut fieret thymiama: sic et virtutes apta proportione inter se componendæ sunt, ut quid pulchrum et redolens efficiant; alia enim, v. g. magnificentia, humilitas, eleemosyna, obedientia decet subditum, alia superiorem, alia plebeium, alia principem; alia laicum, alia sacerdotem, alia Religiosum, etc.

Tertio, thymiama maxime notat pietatem Josiæ circa cultum Dei, resque sacras promovendas; ipse enim sustulit aruspices, magos, sacerdotes, sacrificia, altaria et templa idolorum fabricata a Salomone, Achaz, Manasse et Jeroboam, ac pro eis veros Dei sacerdotes, et sacra, ipsumque verum thymiama restituit. Lege sancta ejus circa hanc rem gesta toto capite XXIII lib. IV *Reg.* Josias ergo fuit excisor omnis superstitionis et inveteratæ per tres annorum centurias idololatriæ, ac avitæ veræque religionis restaurator. Quocirca Josiæ nomen, virtus et pietas trecentis annis ante ejus nativitatem, sub exordia idololatriæ invectæ a Jeroboam, prædicta fuit a Deo per Prophetam, III *Reg.* cap. XIII, 1 : « Et ecce, inquit, vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare, et thus jaciente. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait : Altare, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet. » Hanc de se prophetiam post trecentos annos implevit Josias, cum, ut dicitur IV *Reg.* XXIII, 15 : « Insuper et altare quod erat in Bethel, et excelsum quod fecerat Jeroboam, etc., destruxit atque combussit; » et vers. 20 : « Et occidit universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi, super altaria; et combussit ossa humana » sacerdotum, qui tempore Jeroboam in altaribus istis sacrificarunt idolis. Quocirca vers. 25 subditur : « Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysis : neque post eum surrexit similis illi. »

Idcirco apposite vocatus est a Deo « Josias, » hocque nomen tribus ante eum sæculis ab eo prædictum, et exordio idololatriæ Jeroboam oppositum fuit; « Josias » enim, vel, ut Hebræi prænuntiant, *Josiahu,* hæc omnia ejus gesta jam dicta significat; « Josias » enim, *primo,* hebraice dicitur quasi יהו שי *scai ia,* id est munus, vel oblatio Dei; aut quasi יהו אש *es ia,* id est ignis Dei, vel urens Dominus; quia flagrans zelo Dei, igne combussit idola et idololatras. Unde auctor *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, homilia I *in Matthæum,* ad illa verba : *Amon autem genuit Josiam.* « Josias, inquit, interpretatur, ubi est hostia Domino? vel salus Domini, etc. Providentia autem Dei secundum quod futurus erat Josias, dispensavit ei nomen imponi, ubi est hostia Domini. Tale enim sacrificium obtulit Domino Deo, quale nec ante eum aliquis regum, nec post eum. Et ipse fuit hostia Deo, secundum quod mandat Apostolus, » *Rom.* XII : « Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. Et ipse fuit populi sui in tempore suo salus. » Et mox : « Tertius est Josias, cujus nomen prophetatum est priusquam nasceretur, ii tres sunt : Samson, Josias, Joannes. » Horum enim trium nomina, antequam nascerentur, prædicta et imposita sunt a Deo.

Josiæ etymma. Primo.

Secundo.

Secundo, « Josias » hebraice idem quod יהו אש *iesca ia,* id est salus Domini, uti jam dixit Auctor *Imperfecti,* adeoque Josias quasi idem est quod

Jesus; ejus enim expressus fuit typus, uti mox ostendam.

Ex Io. *Tertio*, « Josias » dici potest quasi יהוה יש *ies ia*, id est existens Dominus aut Domini; quia plenus Deo ejus honorem vindicavit, cultumque restituit. Ita Pagninus in *Interpretatione nominum Hebraicorum*.

Quarto. *Quarto*, « Josias » idem est, ait Pagninus *ibidem*, quod cessatio Domini, vel requies Domini, vel requiescet Dominus, vel requies mea Dominus; quia ipse cessare fecit iram Dei contra idololatras, ac Deus in eo quasi in templo suo requievit, et ipse vicissim in Deo. Denique ipse effecit ut Deus in Israele, Jerusalem et templo postliminio redux requiesceret.

Quinto genuine? Magis genuine Josias idem est quod יאשיהו *iaas ia*, id est abrenuntiavit (sic enim vertunt Septuaginta et Noster, *Ecclesiast.* II, 20), abdicavit, ablegavit Dominus, scilicet idola et idolorum cultores. Hoc enim fecit Deus per Josiam.

Allegorice. Allegorice, Josias est Jesus Christus, qui igne charitatis et zeli succensus, seipsum fecit hostiam Deo pro salute hominum in ara crucis. Quocirca memoria vitæ et passionis Christi omnibus Christianis est odoratissima et suavissima, præsertim Religiosis et sanctis perfectionis studiosis, quorum assidua cogitatio est de Jesu Christo; ac proinde Jesus illis est quasi unguentum odoriferum ex variis speciebus aromaticis, puta ex humilitate, obedientia, paupertate, patientia, fortitudine, charitate, cæterisque eximiis virtutibus commixtum atque compositum, quod mentem roborat ad pugnam contra spiritales hostes, et sensum interioris odoratus mire oblectat. Nam, ut ait S. Bernardus, *in Cant.* serm. 15, ad illud : *Oleum effusum nomen tuum* : nomen « Jesu, » si nominetur et invocetur, « exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones. » Et inferius : « Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ timorem sedat, sanat livoris vulnus; restringit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem; siquidem, cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde benignum, sobrium, castum, misericordem et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanet, et roboret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Jesus. Sumo itaque mihi exempla de homine, et auxilium a potente; illa tanquam pigmentarias species; hoc tanquam unde acuam eas, et facio confectionem, cui similem medicorum nemo facere possit. Hoc tibi electuarium habes, o anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus quod est Jesus; salutiferum certe, quodque nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu est, semper in manu; quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. Denique et invitaris : Pone me, inquit, signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo, » *Cantic.* VIII. Idem in *Formula honestæ vitæ* sub initium : « Sit tibi Jesus, inquit, semper in corde, et nunquam imago crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus et potus, dulcedo et consolatio tua, mel tuum, et desiderium tuum, lectio tua et meditatio tua, oratio et contemplatio tua, vita, mors et resurrectio tua. » Quocirca viri spirituales, qui satagunt Deum semper habere præsentem, ac jugiter in Dei præsentia versari, incipiunt hanc Dei præsentiam sibi efformare in Deo incarnato, puta in Jesu Christo; hunc enim facilius est concipere et phantasiæ imprimere, quam ipsum Deum qui purus est spiritus. Vide nostrum Alvarum de Paz, tractatu *De Perfecta contemplatione*, libro V, parte I, apparatu 2, cap. VII.

Tropologice. Tropologice, Josias est quivis vir sanctus et zelator honoris divini, qui acervum virtutum, quasi thymiama, sibi miscet et componit, quod omnes oblectet, et ad sui imitationem alliciat : cujus proinde memoria et gloria longe lateque spargitur et perennat; ac præsertim talis est, qui hæresim et impietatem profligat et exstirpat, quique avitæ religionis et pietatis est restaurator, quales omni sæculo Deus suscitavit. Tales fuere S. Athanasius, S. Augustinus, S. Basilius, S. Hieronymus, S. Antonius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, et nuper noster S. Ignatius. Atque e regibus et principibus Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, Jagello, Casimirus, S. Ludovicus, ac moderni Imperatores, Reges et Duces orthodoxi.

Huc facit similis unius e Septuaginta duobus S. Scripturæ Interpretibus, apud Aristæam, tomo VII *Biblioth. SS. Patrum*, sententia. Ptolemæus Philadelphus enim, Septuaginta duobus Interpretibus S. Scripturæ singulis singulas quæstiones ethicas proponens, quarto hanc proposuit : « Quomodo rex et judex bonam assequatur famam ? » Ad quam ille : « Si omnibus, inquit, te æquum ratione præbueris, et nihil superbe, nihilque pro potentiæ tuæ viribus contra delinquentes agas. Id autem assequeris, si Dei dispositionem inspicias, qui dignis sua vota perficit, peccantibus vero vel per insomnia, vel opere demonstrat quid illis nocivum sit; neque secundum eorum peccata, neque pro magnitudine virium suarum homines cædit, sed mansuetudine usus corrigit recte. »

Memoria pro gloria. Nota : « Memoria, » *primo*, hic accipi potest simpliciter pro recordatione, *q. d.* Recordatio Josiæ est suavissima et gratissima; *secundo*, « memoria » accipi potest pro fama et gloria, per metalepsin : memoria enim Josiæ fuit gloriosa. Sic cap. XLVI, 14, dicitur : « Memoria, » id est fama et gloria Judicum Israel, « sit in benedictione; » et cap. XXXIX, 13 : « Non recedet memoria, » id est gloria « ejus » (sapientis). Unde explicans subdit : « Et nomen ejus requiretur a generatione in ge-

herationem.» Et *Psal.* CXI, 6 : «In memoria æterna erit justus. » Hinc « memoria » metonymice significat monumentum erectum ad memoriam et gloriam. Item diem festum institutum ad memoriam Sancti, vel rei alicujus gloriosæ, juxta illud *Psal.* CXLIV, 7 : « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. » Sic dies festi Martyrum a Cypriano, indeque in Martyrologiis, vocantur Memoriæ Martyrum; hos enim dies annotari et recoli ac celebrari jubet S. Cyprianus, lib. III, *epist.* 7 : « Cum, inquit, confessioni accedit moriendi terminus, consummata Martyris gloria est. Denique et dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus (quanquam Tertullianus scribat et significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeant), et celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.» Vocantur hi dies Memoriæ, quia iis anniversarie recurrentibus, recolebant et prædicabant heroica Martyrum dicta, facta, tormenta, constantiam, victoriam. Unde idem Cyprianus, libro IV, *epist.* 5 : « In servo Dei, inquit, victoriam gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit. Nec rudis iste aut novus est in Celerino titulus gloriarum, quia ejus Celerina jam pridem martyrio coronata est, etc.; dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas a Domino et coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.» Celebrant enim super memorias, id est super sepulcra et monumenta Martyrum. Atque inde cœpit origo scribendi Martyrologia; ac primus, quod sciam, qui Martyrologium scripsit, fuit Eusebius Cæsariensis, qui paulo post S. Cyprianum vixit; voluerunt enim in Martyrologiis exstare memoriam Martyrum, tum ad eorum gloriam, tum ad posterorum exemplum. Eadem de causa Siracides hic texit catalogum, et quasi Martyrologium Josiæ, et Sanctorum veteris Testamenti.

Memoria Martyrum quæ ?

Origo Martyrologii.

Vers. 2. 2. IN OMNI ORE QUASI MEL INDULCABITUR (græce γλυκανθήσεται, id est *dulcescet*, dulcis erit) EJUS MEMORIA, ET UT MUSICA IN CONVIVIO VINI. — Syrus : *Sicut mel palato, dulcis est ejus memoria; et veluti canticum super potationem vini*; Vatablus : *Omni ori mellis in modum dulcis, et ut in facundo vini convivio musica, q. d.* Omni ori narranti pia et sancta facta Josiæ, dulcis erit ejus commemoratio instar mellis, et instar musicæ. Suavem gratamque Josiæ memoriam explicat per tria, quæ tres primarios sensus mire oblectant, scilicet per incensum et thymiama, quod odoratum æque ac visum; per mel et vinum, quod gustum; per musicam, quæ auditum pascit et mulcet. Sicut ergo mel mira sua dulcedine dulcorat palatum, musica in convivio opiparo rapit auditum : sic commemoratio Josiæ mire delectat os mentemque commemorantis, ut videatur sibi mel comedere; et aures audientis, ut videatur sibi suavissimum in convivio concentum audire, in quo uti fauces epulis et vino, ita aures musica harmonia pascuntur. Ubi indirecte et tacite suavitatem memoriæ Josiæ non tantum musicæ, sed et convivio vinoque odorato et delicato assimilat. Id revera ita accidisse liquet ex II *Paralip.* XXXV, 24 (quo hic alludit Siracides), ubi de mortuo Josia dicitur : « Universus Juda et Jerusalem luxerunt eum; Jeremias maxime : cujus omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant; et quasi lex obtinuit in Israel, » ut de iis quasi de re usitata, et omnium ore celebrata dicatur : « Ecce scriptum fertur in Lamentationibus. » Lamentationes hæ Jeremiæ fuerunt carmina in laudem gestorum Josiæ a Jeremia composita, quæ omnium ore terebantur, et canebantur cum suavissima et gratissima ejus recordatione, fama et gloria. Quare lamentationes hæ diversæ fuere a threnis Jeremiæ, ut ibidem ostendi.

Porro apposite memoriam Josiæ melli comparat, quia, sicut mel conservat corpora ne putrescant : sic et memoria conservat nomen et famam ne corrumpantur. Ita Plinius, lib. XXII, cap. XXIV : « Mellis natura, inquit, talis est, ut putrescere corpora non sinat, jucundo sapore atque non aspero, alia quam salis natura. » Unde Babylonii corpora defunctorum melle condiebant, ut manerent incorrupta. Audi Statium, lib. III *Sylvar* :

Mel servat corpora ne putrescant.

> Duc et ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
> Conditor, Hyblæo perfusus nectare, durat.

Audi et Corippum de Justino Imperatore juniore avunculi corpus condiente :

> Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
> Infundunt pateris, et odoro balsama succo.
> Centum aliæ species, unguenta mira feruntur,
> Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Idem docet Columella, lib. II Xenophon, lib. V *Græcarum rerum*, et Scaliger, *exerc.* 119, qui surculos melle perfusos diu servari, et facile transferri posse docet. Memoria ergo Josiæ est quasi mel in ore, quia cunctorum sermone quasi melle conservatur, quando omnes odorata recordatione et honorata laude eum prosequuntur, nec sinunt famam nomenque ejus intermori aut corrumpi, juxta illud *Psal.* CXI, 7 : « In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit; » nimirum sapientia et justitia est quasi mel, conservans sapientem et justum in hominum memoria, ne putrescat et intereat, juxta illud *Prov.* XXIV, 13 : « Comede, fili mi, mel, quia bonum est, etc. : sic et doctrina sapientiæ animæ tuæ : quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit. » Et *Prov.* X, 7 : « Memoria justi cum laudibus (Sep-

tuaginta, *in encomiis*), et nomen impiorum putrescet.» Denique huc facit illud Iphigeniæ, apud Euripidem, *in Tauris* :

> Et apis populatricis montium
> Liquorem floreum tuo infundam rogo.

Veteres enim mel infundebant rogo, quo parentum vel amicorum defunctorum corpora cremabant, ut per hoc innuerent, quam grata dulcisque sibi fuisset eorum in vita conversatio, ac post mortem futura esset eorumdem memoria et recordatio; hæc enim sola eis apud homines superest, vivitque posthuma.

Allegorice. Allegorice, Josias est Jesus Christus, cujus nativitatis, passionis, resurrectionis, etc., gratissima apud fideles et sanctos est memoria, adeoque, ut ait S. Bernardus, « Jesus est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. » Sicut enim mel ori dulcissimum est, sic os viri pii, cum ex abundantia cordis de Jesu suo loquitur, quasi mel et gustare et fundere videtur; uti S. Franciscus quoties Jesum pronuntiabat, toties intima dulcedine perfundebatur, ut sibi mel lingere videretur. Rursum Jesu nominatio et commemoratio, viro pio est quasi musica in convivio vini; quia auditui dat gaudium et lætitiam, adeo ut exsultent ossa humiliata, ut scilicet virtutes, quæ ossa sunt animæ, hac memoria rigatæ reflorescant, et abjecto omni tepore in sancte operando fervescant. Ita noster Alvarez, in loco jam citato.

Tropologice. Tropologice, Josias est quivis fidelis et sanctus, præsertim zelator et restaurator religionis et pietatis, cujus memoria discipulis et posteris dulcis est, ut mel, ut vinum, ut deliciæ, ut musica. Quocirca sapienter S. Chrysostomus, homilia 30 *in Genesin*, docet memoriam et famam non parari magnificis fabricis, columnis, titulis, sed heroicis virtutibus, et præsertim charitate et eleemosyna; illa enim vana et caduca sunt, hæ veræ et stabiles : rursum hæ sanctæ et cœlestes sunt, illa sæpe cum scelere, sæpius cum vanitate conjuncta; quare per illa non tam laus quam probrum paratur : « Igitur, inquit S. Chrysostomus, hoc non est memoriam assequi, sed infamari, et spectatorum linguas acuere in accusationem. Quod si omnino æternam memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, qua poteris semper celebrari, et quæ dabit tibi fiduciam in futuro sæculo. Hoc pacto igitur poteris et commemorari et celebrari quotidie encomiisque evehi, et post hanc vitam, si has pecunias in manus inopum dispenses, relictis lapidibus, et splendidis ædificiis, et villis, et balneis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria innumeros tibi thesauros conciliat, hæc memoria a sarcina peccatorum alleviat, hæc multam tibi fiduciam apud Deum conciliat. Cogita, obsecro, et hæc verba quæ singuli dicturi sunt : Ecce hunc misericordem et benignum, hunc mansuetum, hunc suavem, hunc tam largum dispensa[illegible]. Dispersit enim, inquit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum. » Et paulo inferius : « Uno die divitias dispersit, et justitia ejus manet in sæculum, et memoriam facit immortalem. Vidisti memoriam, quæ se in omne sæculum extendit? Vidisti memoriam magnis et ineffabilibus plenam bonis? Tali ædificio nostri memoriam relinquere studeamus. Non lapidibus ædificasse non solum nihil nobis prodesse poterit, sed nos continuo et clara voce infamabit. Et nos hinc abimus deferentes peccata inde parta, et ædificia hic relinquimus; quin nec frigidam et inutilem memoriam consequimur, sed potius probris deturpamur, nomenque statim transit ad alterum. Etenim sic res habent, ut ab hoc ad alium transeant, et ab illo iterum in alium. Et hodie quidem domus dicebatur hujus, cras vel alio die et mox dicetur alterius. » Subdit deinde exemplum Tabithæ, cujus eleemosynas post mortem omnes celebrarunt, *Act.* IX, 39, ac demum concludit : « Si memoriam quæris, si veram gloriam amas; hanc imitare, tales domos exstrue, noli sumptus tuos inanimatis impendere; sed cum illis, qui ejusdem sunt generis, misericordiam facito. Hæc laude digna est memoria, hæc magnum lucrum affert. »

Vers. 2. 3. IPSE EST DIRECTUS DIVINITUS IN PŒNITENTIAM GENTIS, ET TULIT ABOMINATIONES IMPIETATIS, — *q. d.* Josias a Deo fuit destinatus, electus et directus ad gentis Judaicæ conversionem. Unde ipse abstulit abominanda impiorum idola, excelsa, lucos, magias, incantationes, lupanaria etiam effeminatorum, id est scortorum masculorum : quod est peccatum abominandum, ideoque mutum, et præ exsecratione non nominandum; vide IV *Reg.* XXIII, 24. Quæ omnia impietas impiis regibus et hominibus erigenda et colenda suggesserat.

Pro in *pœnitentiam* græce est ἐπιστροφή, id est *conversione*, ut scilicet converteret Judæos ab idololatria ad cultum veri Dei, ab impietate ad pietatem, a luxuria ad castitatem, etc., quæ conversio fit per pœnitentiam. Pro est *directus divinitus*, Græca jam tantum habent κατευθύνθη : quod *primo*, Complutenses et Romani ad verbum vertunt, *directus est; secundo*, alii vertunt active, *recte se gessit*; quod sequitur ex primo : qui enim dirigitur a Deo, hic utique recte se gerit. Unde Vatablus vertit : *Hic in populo reformando dexteritate usus est, et abominandas impietates sustulit.* Magna enim dexteritate opus est, ut abusus et scelera inolita tollantur, præsertim communia et frequentata a toto populo. Unde S. Augustinus, epist. 64 *ad Aurelium*, et habetur dist. 44, cap. *Comessationes*, docet comessationes et ebrietates, quæ in Africa fieri solebant a populo in festis Martyrum, non violenter, sed leniter et dextere tollendas : « Non ergo aspere, inquit, quantum existimo, non duriter, non modo imperiose ista tolluntur, magis docendo quam jubendo, magis

Vitia communia leniter tollenda.

monendo quam minando; sic enim agenduin est cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spiritales, vel spiritalibus proximi, quorum auctoritate et lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur. » Quocirca Henricus IV, nuper Franciæ rex, sapienter dictabat, hæresim nascentem, vi reprimendam, et instar nascentis incendii aquis suffocandam, ferroque opprimendam; crescentem vero et gliscentem, consilio dissipandam; perfectam denique et formatam, complexu superandam, ut scilicet amore, benevolentia et beneficentia hæreticos tibi devincias, itaque sensim ab hæresi ad veram fidem abducas; ne, si violenter id efficere velis, omnes in te concites, tibique et regno periculum crees. Porro Syrus alio abit : *Quoniam*, inquit, *absconditus est a tentationibus, et abstulit opera erroris, tradiditque Deo cor suum;* alius codex habet : *Non fecit amplius opera pueritiæ suæ, et tradidit Deo cor suum.*

Vers. 4. 4. ET GUBERNAVIT (græce κατεύθυνε, id est *direxit*) AD DOMINUM COR IPSIUS (COR SUUM), ET IN DIEBUS PECCATORUM (ἀνόμων, id est iniquorum et impiorum hominum) CORROBORAVIT PIETATEM. — Græce κατίσχυσεν, quod alii vertunt, *fortiter tenuit pietatem.* Melius et nervosius Noster vertit *corroboravit :* quia Josias non tantum in se tenuit, sed et aliis omnibus magna animi spiritusque sui efficacia et robore impressit verum piumque Dei cultum, pios in eo confirmando, impios ad eum pelliciendo, et tam præmiis quam pœnis propositis convertendo. Unde Vatablus vertit : *Pietatem temporibus impiorum constabilivit;* Syrus, *fecit veritatem.* Hinc Josias celebravit Pascha solemne et commune, quale nunquam antea a temporibus Judicum celebratum fuerat, uti dicitur IV *Reg.* cap. XXIII, 22. Sacerdotum quoque et Levitarum officia neglecta, vel collapsa pristino vigori restituit, II *Paralip.* XXXV, 1. Nota : Prius hemistichium indicat causam posterioris. Causa enim cur Josias corroboraverit pietatem, est, quod ipse direxerit ad Deum cor suum, eum amando et colendo « in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, » IV *Reg.* XXIII, 25. Qui enim toto corde Deum diligit et colit, hic utique zelum pro ejus cultu induit, ut omnia illi contraria evertere, omnesque ad eumdem totis viribus traducere et convertere satagat.

Porro magnum robur pietatis et religionis situm est in pietate regum : hi enim cum magna auctoritate et potentia polleant, religionem collapsam restaurare et corroborare valent, si id efficaciter et robuste velint, uti liquet in Constantino Magno, Theodosio, Carolo Magno, S. Ludovico, cæterisque piis regibus.

Vers. 5. 5. PRÆTER DAVID, ET EZECHIAM, ET JOSIAM, OMNES (reges Juda) PECCATUM COMMISERUNT. — Græce, πλημμελείαν ἐπλημμέλησαν, id est *delictum deliquerunt;* Syrus, *corruperunt;* Vatablus, *perfidiose defecerunt.* Per *peccatum* enim non quodlibet (sic enim peccavit et David homicidio et adulterio), sed antonomastice idololatriam et superstitionem intelligit. Hoc est enim peccatum peccatorum, quod secum cætera omnia adducit : idololatra enim est apostata, qui perfide a Deo ad idolum, id est ad dæmonem, desciscit. « Peccatum » ergo intellige idololatriæ, vel cultæ, vel non omnino sublatæ.

Dices : Etiam rex Asa et Josaphat fuere veri Dei cultores et osores idolorum. Respondeo : id verum est, sed tamen peccavit uterque peccato idololatriæ vicino et annexo. Nam nec Asa, nec Josaphat « abstulit excelsa, » scilicet templa et altaria erecta in montibus locisque excelsis, quæ Deus vetuerat, III *Regum* XV, 14, et III *Regum* XXII, 44. Insuper cum idololatris regibus Israel, Achab, Ochozia et Joram amicitias et connubia junxit, itaque eorum idololatriam indirecte fovit et roboravit : quam ob causam semel et iterum acriter reprehensus fuit a Propheta submisso a Deo, lib. II *Paralip.* cap. XIX, 2 : « Impio, inquit, præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris : sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos, » etc. Et cap. XX, 37 : « Prophetavit autem Eliezer, etc., ad Josaphat dicens : Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis »

Notent hunc locum reges ad principes Christiani, discantque non sufficere quod ipsi sint orthodoxi et pii, sed insuper Deum ab eis requirere, ut hæreticos et hæresim, quoad possunt, exstirpent, omnesque sibi subditos faciant orthodoxos, et veræ fidei ac religionis cultores : si enim Asa et Josaphat reges pii dicuntur peccatum magnum, imo maximum, idololatriæ commisisse, quod vel excelsa non abstulerint, vel cum idololatris fœderati et conjugati fuerint; utique eidem peccato affines censebuntur, qui hæreticos et hæresim tolerant, imo serpere et gliscere permittunt, quique cum eis temere fœdera contra Ecclesiam et Ecclesiæ principes sanciunt : hoc enim est fovere hæreticos et favere hæresi, fidem vero et fideles deprimere, imo debellare : hæresis enim est idololatria. Nam hæreticus suam hæresim quasi idolum effingit, aliisque colendum proponit, imo vere et proprie hæreticus Deum non verum, sed fictum et falsum format et colit. Qui enim dicit Deum non habere filium, uti docebant Ariani; aut non esse trinum in personis, uti docebant Sabelliani; aut non esse liberi arbitrii, uti docent moderni; aut quid aliud falso ipsi affingit utique nondum verum, qui est, sed alium Deum, qui

Veticus verus est idolatra.

non est; ac proinde falsum numen, et idolum a se confictum colit; Deus enim verus habet filium, est trinus in personis, est liberi arbitrii, etc. Quare Deus carens filio, tribus personis, libero arbitrio, etc., utique non verus, sed fictus falsusque, ideoque diabolicus et idolum est. Vide dicta in *epist. S. Judæ*, vers. 8, et II *Petri*, II, 10.

Idipsum videre et sanxere Philosophi. Plato, lib. II *De Republ.*, religionem verumque Dei cultum basim et fundamentum reipublicæ constituit. « Prima, inquit, in omni republica bene constituta cura esto de vera religione. » Et lib. VII : « Ejus reipublicæ quæ felix esse volet, magistratus in veri Dei et veri boni cognitione edocentur prima statim ab infantia. » Causam subdit : « Veri Dei verique boni ignorantia innumerabilium, tum privatarum, tum publicarum calamitatum, pessimorumque consiliorum in republica fons est et origo ; » idque toto deinceps libro commonstrat. Idem, lib. II *De Legibus* : « Princeps, inquit, suis inculcet, nullas res externas absque virtute, pietate in Deum, et justitia esse utiles vel jucundas. » Et lib. IV : « Religio vera est firmamentum reipublicæ, ideoque potissima de ea constituenda cura reipublicæ esse debet. » Et lib. X : « Vera religio basis reipublicæ ideoque omnis impietas punienda. »

Vers. 6. 6. NAM RELIQUERUNT LEGEM ALTISSIMI REGES JUDA, ET CONTEMPSERUNT TIMOREM DEI. — Ita Romana. Dat causam cur omnes reges Juda præter Davidem, Ezechiam et Josiam peccatum idololatriæ commiserint, illam vel exercendo et sanciendo, vel permittendo ; quia, inquit, omnes vel ex parte, vel in totum « reliquerunt legem Dei, et contempserunt timorem, » id est reverentiam, cultum et religionem « Dei. » Græce est : *Nam reliquerunt legem Altissimi, reges Judæ defecerunt ;* Vatablus, *reges Judaici descivere.* In totum id fecere Achaz, Manasses et alii qui idola erexerunt ; ex parte, qui excelsa non abstulerunt. Unde de Salomone, Asa, Josaphat, Joas, Amasia et Azaria regibus alioqui piis in lib. Regum dicitur, et hæc macula laudibus eorum injicitur : « Verumtamen excelsa non abstulit. » Et tamen excelsa hæc pleraque non idolis, sed Deo vero erant erecta : verum quia Deus ea vetuerat ob periculum idololatriæ, hinc culpantur reges, quia ea permiserunt, nec sustulerunt.

Vers. 7. 7. DEDERUNT ENIM REGNUM SUUM ALIIS, ET GLORIAM SUAM ALIENIGENÆ GENTI ; — τὸ *enim* probat id quod præcessit, *q. d.* Quod reges Juda dereliquerint legem et timorem Domini, patet ex effectu. Nam « dederunt, » id est sua impietate meruerunt, fueruntque causa ut daretur regnum eorum gloriosum alienigenis, puta Assyriis et Babyloniis. Pro *dederunt*, legit Noster cum Græcis, Romanis, ἔδωκαν in plurali ; Complutensia vero legunt in singulari ἔδωκε, id est *dedit*, scilicet Deus irritatus sceleribus regum Juda. Rursum pro *regnum* græce est κέρας, id est *cornu*, id est robur, imperium, regnum. Bestiarum enim robur, quo cæteras impetunt et subigunt, iisque imperant, situm est in cornibus. Unde aliqui ex Græco sic vertunt : *Prodiderunt enim cornu suum aliis, et gloriam suam genti alienæ.* Per *gloriam* significantur non tantum opes, decus, magnificentia, sed et majestas templi, sacrorum, pontificum, oraculorum, Prophetarum, doctorum, etc. Hæc enim omnia destruxerunt vel profanarunt Chaldæi. Syrus : *Dederunt vim* (gloriam et fortidudinem) *suam aliis, et honorem suum genti alienæ.*

ENCOMIUM JEREMIÆ.

Vers. 8. 8. INCENDERUNT (scilicet alii, sive gens alienigena quæ præcessit) ELECTAM SANCTITATIS CIVITATEM, ET DESERTAS FECERUNT VIAS IPSIUS IN MANU JEREMIÆ ; — *q. d.* Impii reges Juda sua impietate meruerunt, ut alii, sive gens alienigena, puta Chaldæi, incenderent regni eorum metropolim, puta Jerusalem, civitatem fidelem et sanctam, ac a Deo electam, ut in ea sibi templum erigeret in quo habitaret, utque viæ ejus olim ita frequentatæ a Chaldæis desolarentur, fierentque incolis et habitatoribus vacuæ ac desertæ : « In manu Jeremiæ, » id est prout per Jeremiam fuerat prophetatum, et comminatum, sive « juxta vaticinium Jeremiæ, » ut vertit Vatablus. Est hebraismus : « manus » enim, qui instrumentum omnium operum, hinc Hebræis significat causam instrumentalem, idemque valet quod *per* : « in manu » ergo « Jeremiæ, » idem est quod per operam et os Jeremiæ, sive per Jeremiam prophetatum, *q. d.* Juxta prophetiam Jeremiæ. Syrus : *Eradicaverunt* (demoliti sunt) *civitatem sancti, et deserta fecerunt* (vel æruginaverunt) *destructa illius in diebus Jeremiæ.*

Vers. 9. 9. NAM MALE TRACTAVERUNT ILLUM, QUI A VENTRE MATRIS CONSECRATUS EST PROPHETA, EVERTERE, ET ERUERE, ET PERDERE, ET ITERUM ÆDIFICARE, ET RENOVARE. — Græce : *Vexarunt enim illum, cum a matrice consecratus esset propheta ad eradicandum, et malefaciendum, et perdendum, et similiter ad ædificandum, et plantandum, q. d.* Causa cur Jerusalem sit incensa et vastata a Chaldæis, fuere ejus scelera, ac præsertim impietas sacrilega in Jeremiam Prophetam, a Deo missum ad ejus salutem, exercita, nimirum quod Hierosolymæ reges Jechonias et Sedecias, ac populi principes Jeremiam male tractarint, incarcerarint, et in fossam demerserint, utique ibidem moriturum, nisi Abdemelech eunuchus liberasset eum, *Jerem.* XXXVIII, 7 ; illum, inquam, qui ex utero a Deo destinatus, et quasi consecratus erat Propheta, ut certo prædiceret has gentes evertendas, suisque sedibus eruendas, evellendas et disperdendas ; illas vero rursum instaurandas et renovandas. Omnes enim hi infinitivi *evertere, eruere, perdere, ædificare, renovare*, actionem non realem, sed mentalem, vel potius verbalem significant, idemque valent quod

prædicere evertendas, eruendas, perdendas, ædificandas, renovandas esse gentes. Prophetæ enim dum aliquid futurum prophetant, ita certi et efficaces sunt, itaque certo illud ipsum evenit, ac si reipsa manibus suis illud operarentur et perficerent. Citat *Jeremiam*, I, 5 : « Priusquam te formarem in utero, novi te ; et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te. » Et vers. 10 : « Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. » Vide quæ ibidem annotavi.

ENCOMIUM EZECHIELIS.

Vers. 10. 10. EZECHIEL QUI VIDIT CONSPECTUM GLORIÆ (Dei), QUAM OSTENDIT ILLI IN CURRU CHERUBIM. — « Ezechiel, » subaudi, est ille nobilis Propheta, qui post Jeremiam, imo cum Jeremia prophetavit. Unde Vatablus vertit : *Porro vel autem est Ezechiel, qui vidit visum gloriæ.* Aut, ut Jansenius, pendet hic versus a versu 12, ibique expletur, *q. d.* « Ezechiel, » id est Ezechielis, (Ezechiel enim Græcis æque ac Hebræis est indeclinabile, ideoque cujuslibet casus), qui vidit conspectum gloriæ, etc., et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo, pro quo Complutensia habent : *Sit memoria in benedictionibus, q. d.* Ezechielis et duodecim Prophetarum memoria sit benedicta.

Porro currus Cherubim fuit symbolum providentiæ et vindictæ Dei, qua quasi curru bellico insidens armatus fertur in impios, quasi hostes suos, eosque debellat et proterit. Vide quæ de curru hoc dixi *Ezech.* II, ubi fuse eum, tum ad litteram, tum allegorice, tropologice et anagogice explicui.

Vers. 11. 11. NAM COMMEMORATUS EST INIMICORUM IN IMBRE, BENEFACERE ILLIS, QUI OSTENDERUNT RECTAS VIAS. — τὸ *nam* dat causam, cur memoria Ezechielis sit benedicta et celebris. Rursum explicat currum Cherubim, nimirum, ut dixi, hoc curru significari Dei providentiam, qua punit impios ; piis autem beneficus est. Unde Tigurina : *Hic sub imbre meminit inimicorum*, (id est sub allegoria imbris mala inimicis Dei prædixit, ut explicat Vatablus), *rectaque incedentes erexit, q. d.* Ezechiel meminit vindictæ Dei, quod scilicet Deus ultor impiorum in eos plagas suas depluat, detonet, et fulguret instar imbris tonitruo et fulmine personantis, et procellæ desuper irruentis. Meminit quoque beneficentiæ, quam Deus ostendit pœnitentibus, qui scilicet « vias, » id est actiones suas pravas corrigunt, et « rectas » efficiunt ; iis enim vitam promisit Ezechiel, tum præsentem, tum æternam, ut patet *Ezech.* cap. XVIII, 22, et cap. XXXIII, 16 et 19. Alludit, imo citat *Ezech.* cap. XIII, 13, ubi Judæis impiis per imbrem Dei vindictam intentat. Et cap. XXXVIII, 22, ubi Gog et Magog ducibus Antichristi intentat imbres, grandines, tonitrua et fulmina ; illa enim revera Deum in impios vibraturum in fine mundi, docet S. Joannes, *Apoc.* XVI, 21 : « Et grando magna, inquit, sicut talentum descendit de cœlo in homines. » Vide utrobique dicta. Accedit, quod S. Ephiphanius et Dorotheus in *Vita Ezechielis*, eum multa portenta et miracula patrasse narrant, præsertim in aquis et fluviis.

Pro ἀγαθῶσαι, id est *benefacere*, alii legunt κατορθῶσαι, id est *dirigere* ; Complutensia καὶ κατόρθωσε, id est *et direxit* ; unde Syrus vertit : *Atque etiam super Job dixit* (*Ezechiel*, cap. XIV, 14), *quod omnes viæ ejus justitiæ* (directæ et justæ) *fuerunt*. Ubi adverte, Syrum videri hæc transtulisse ex Hebræo, non ex Græco : nam pro אֹיֵב *oïeb*, id est *inimici*, legit aliis punctis יוֹב *Job*

ENCOMIUM DUODECIM PROPHETARUM.

Vers. 12. 12. ET DUODECIM PROPHETARUM OSSA PULLULENT DE LOCO SUO : NAM CORROBORAVERUNT (græce παρεκάλεσαν, id est consolati sunt) JACOB, ET REDEMERUNT SE IN FIDE VIRTUTIS. — Græce ἐλύτρωσαν αὐτοὺς ἐν πίστει ἐλπίδος, id est *liberarunt ipsos*, (Noster αὐτούς accipit pro ἑαυτούς, id est *seipsos*) *in fide spei*, hoc est per fidem, qua certo sperabant eventurum quod prophetabant, liberarunt Jacobæos, puta Judæos, a malis suis, ut si non reipsa liberarentur, certe spe et fide jam essent liberati, juxta illud Pauli : « Spe salvi facti sumus. » Ita Jansenius. Unde Vatablus vertit : *Duodecim quoque Prophetarum ossa de locis revirescant, memoriamque eorum fausta sit et beata. Enimvero quisque consolatus est Jacob, et spe fida servavit eum.* Noster pro *fide spei*, vertit, *fide virtutis* ; quia fides spei, id est quæ certo sperat futurum id quod Deus promittit et prædicit per Prophetas, est fides virtutis, id est fides valida, potens et efficax. Latinæ ergo versionis nostræ sensus est, *q. d.* Ossium et sepulcri, ac per consequens ipsorum duodecim Prophetarum, virens semper, grata et florida sit memoria ; nomen et fama eorum cum sepulcris et monumentis ipsorum perennet, ut videantur reviviscere et magis vivere defuncti, quam cum reipsa viverent : adeo eorum laus, decus et gloria promanet ad posteros, imo permaneat in æternum, ut, quoties posteri inspexerint eorum ossa et sepulcra, toties eorum virtutum et oraculorum gloriosam memoriam renovent et celebrent, dignosque prædicent, quorum ossa inter Patriarchas et Apostolos ad gloriam cœlestem resurgant in universali hominum resurrectione. Est metalepsis : « ossa » enim ponuntur pro sepulcro, sepulcrum pro sepultis, puta pro ipsismet Prophetis, nimirum contentum ponitur pro continente ; et « pullulare » idem est quod semper vigere et florere. Causam subdit : « Nam corroboraverunt Jacob in fide » et pietate unius veri Dei et Messiæ, quem prædixerunt venturum ; « corroboraverunt, » inquam, tum vaticinando, tum suis meritis et precibus robur et auxilium Dei populo

Ossa Prophetarum pullulant : quomodo?

impetrando : « Et redemerunt se in fide virtutis, » puta in fide non quali quali, sed valentissima et potentissima ; vel « in fine virtutis, » id est in fidelitate maxime strenua et efficaci : « redemerunt, » id est liberarunt, et immunes præservarunt se ab omni culpa, pœna et calumnia ; quia non nisi ea quæ Deus eis revelabat, fideliter et constanter prolocuti et vaticinati sunt. Simili enim phrasi de Josue aliisque Judicibus Israel dixit cap. XLVI, 13 : « Et Judices quorum non est corruptum cor : qui non aversi sunt a Domino, ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, » hoc est ut explicans subdit : « Et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria. »

Ossa ergo hæc Prophetarum etiamnum pullulant, et pullulabunt usque ad finem mundi, dum ipsi per sua monumenta et oracula Christianis, Judæis, omnibusque Gentibus assidue prædicant et prædicabunt Messiæ adventum, ejusque fidem, mores, spiritum omnemque virtutem et sanctimoniam. Unde Syrus : *Duodecim quoque prophetæ* (claudentur), *sint ossa eorum lucida subter se ; quoniam sanaverunt Israel, et fiduciam habere fecerunt eos qui liberandi sunt.*

ENCOMIUM ZOROBABEL, JESU FILII JOSEDEC, ET NEHEMIÆ.

Vers. 13. 13. QUOMODO AMPLIFICEMUS (græce μεγαλύνωμεν, id est *magnificabimus*, scilicet digne pro meritis ; Vatablus, *quantopere extollemus*) ZOROBABEL? NAM ET IPSE QUASI SIGNUM) Syrus, *signaculum*, vel *annulus signatorius*) IN DEXTERA MANU. — Jansenius et alii addunt ; *Israel*, sed idipsum delent Latina, Romana et Græca omnia, cum Zorobabel fuerit signum in manu Dei, non Israelis ; nisi dicas cum Jansenio « Israel » esse dativi casus, *q. d.* Zorobabel fuit signaculum Dei ad obsignandum Israelem. Citat Siracides illud *Aggæi* II, 24 : « In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel, etc., et ponam te quasi signaculum, quia te elegi. » Pro *signaculum*, hebraice est חותם *chotum*, id est sigillum, *q. d.* Ego Deus te, o Zorobabel, diligo, arcteque complector, uti annulus signatorius diligi, complecti et custodiri solet ab eo qui illum manu gestat. Vide dicta Aggæi II, 24, ubi fuse hoc signaculum tam ad litteram de Zorobabel, quam allegorice de Christo exposui. Post duodecim Prophetas celebrat Zorobabel principem, et Jesum pontificem, qui fuere duces populi e Babylone redeuntis, ac templum Dei a Chaldæis combustum reædificarunt.

Vers. 14. 14. SIC ET JESUM FILIUM JOSEDEC? QUI (Jesus et Zorobabel) IN DIEBUS SUIS (Syrus, *in paupertate sua*) ÆDIFICAVERUNT DOMUM (Deo, puta templum, ut sequitur), ET EXALTAVERUNT TEMPLUM SANCTUM DOMINO, PARATUM IN GLORIAM SEMPITERNAM. — Templum enim hoc secundum ædificatum a Jesu et Zorobabel duravit semper, quamdiu scilicet duravit Synagoga et respublica Judæorum, usque ad excidium ejus per Titum et Vespasianum. Rursum in templo hoc Christus Dominus præsentatus est, docuit, prædicavit, miracula patravit, denique fundavit Ecclesiam suam, cujus gloria durabit semper in omnem æternitatem. Alludit ad illud *Aggæi* II, 8 : « Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, etc. Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum. » Vide ibi dicta. De Jesu hoc plura dixi *Zachar.* III, 1 et seq.

Pro *templum* legit cum Complutensibus, Vatablo et aliis ναὸν, pro quo Romana legunt λαὸν, id est *populum* ; sed eodem redit sensus : populus enim sanctus fit ex templo sancto, dum scilicet illud reædificat, frequentat, colit, in eoque Dei legem discit et perficit : atqui utrumque effecere Jesus et Zorobabel.

Vers. 15. 15. ET NEHEMIAS IN MEMORIA MULTI TEMPORIS (subaudi, sit), QUI EREXIT NOBIS MUROS (Jerusalem a Chaldæis) EVERSOS, ET STARE FECIT PORTAS ET SERAS, QUI EREXIT DOMOS NOSTRAS, — *q. d.* Inter heroes recensendus quoque est Nehemias, æterna memoria dignus ; ipse enim, venia impetrata ab Artaxerxe rege Persarum, anno regni ejus 20 Jerusalem eversam a Nabuchodonosor reædificavit, tam quoad portas et muros, quam quoad domos privatas. Ipsius enim jussu, ordine et distributione privati quique domos in urbe ædificarunt. Vide *Nehemiæ* cap. II et seq. Græca Complutensia et Vatablus habent : *Inter selectos insuper est multæ*, vel, ut Complutensia, *diuturnæ memoriæ Nehemias, qui excitavit nobis muros collapsos, portasque constituit cum vectibus et domorum nostrarum* οἰκόπεδα, id est *areas et fundamenta ;* Complutensia, *sola erexit ;* Vatablus, *substruxit.* Hac de causa apposite vocatus est hebraice *Nehemias*, id est *consolator Dominus*, vel *consolatus a Domino*, ait Rabanus. Syrus : *Nehemiæ memoria multiplicetur, quoniam erexit destructiones nostras, et instauravit eversiones nostras, fecitque portas nostras et seras nostras.*

ENCOMIA TRIA COMPARATA : PRIMUM, JOSEPH COMPARATUM CUM HENOCH ; SECUNDUM, SEM COMPARATUM CUM SETH ; TERTIUM, ADÆ COMPARATUM CUM CÆTERIS HOMINIBUS.

Vers. 16, 17 et 18. 16, 17 et 18. NEMO NATUS EST IN TERRA QUALIS HENOCH : NAM ET IPSE RECEPTUS EST A TERRA. NEQUE UT JOSEPH, QUI NATUS EST HOMO, PRINCEPS FRATRUM, FIRMAMENTUM GENTIS, RECTOR FRATRUM, STABILIMENTUM POPULI : ET OSSA IPSIUS VISITATA SUNT, ET POST MORTEM PROPHETAVERUNT. — Syrus obscure vertit : *Pauci creati sunt super terram velut Henoch, et mater ut Joseph non peperit, atque etiam corpus ejus in pace collectum est.* Siracides hic concludit encomia patrum, quorum meminit Scriptura (omittit enim Judam, Jonatham, Simonem, cæterosque

Machabæos tot victoriis celebres, quia hi eum secuti sunt, ejusque ævo fuere posteriores) per anacephalæosin. Igitur ad primos regrediens, aliquot ex iis eminentes a se prætermissos recenset, ac inter se comparat. Quocirca sicut cœpit ab Henoch, ita in eodem desinit, eo quod ipsi comparat Joseph a se prætermissum. Esse enim hic comparationem Joseph cum Henoch, liquet ex τῷ, *neque ut Joseph*, ut habent Romana, et ex Græco qui vers. 2, habet οὐδὲ ὡς Ἰωσὴφ ἐγενήθη ἀνὴρ, id est *neque ut Joseph natus*, vel *factus est vir*, quod item de Henoch dixerat versu priori : Siracides enim more veterum in hisce ethicis suis gnomis gaudet comparationibus, uti hactenus sæpe vidimus; illæ enim fuere elegantiæ illius ævi. Simili modo Plutarchus scripsit *Vitas comparatas virorum illustrium;* comparat enim Græcos Romanis, quemque suo simili. Sic comparat Theseum cum Romulo, Hannibalem cum Scipione Africano, Alexandrum Magnum cum Julio Cæsare, Demosthenem cum Cicerone, Agesilaum cum Pompeio, Themistoclem cum Camillo, Aristidem cum Catone, Pyrrhum cum C. Mario, Periclem cum Fabio Maximo, Lycurgum cum Numa Pompilio, Solonem cum Publicola, Lysandrum cum Sylla, etc.

Sensus ergo est, *q. d.* Sicut primo mundi sæculo ante diluvium, nullus fuit similis Henoch virtute et pietate; ipse enim ambulavit cum Deo, ideoque raptus est in paradisum, ut in fine mundi gentes ab Antichristo ad Christum abducat et convertat : sic pariter posteriori sæculo post diluvium nullus fuit similis Josepho, « qui natus est homo, » græce ἀνήρ, id est vir, quia a puero virilem sapientiam, modestiam, gravitatem, virtutem, præ se tulit. Rursum « natus est homo, » ut fieret « princeps fratrum, » æque ac Ægyptiorum; ad hoc enim a puero destinabatur a Deo; unde adhuc puer cum sedecim esset annorum, per somnia prophetica vaticinatus est, *Genes.* XXXVII.

Comparatio Henoch cum Joseph.

Igitur *primo*, sicut Henoch evectus est in paradisum, sic Joseph evectus est ad principatum Ægypti.

Primo.

Secundo.

Secundo, sicut Henoch sua pietate mire placuit Deo, sic et Joseph.

Tertio.

Tertio, sicut Henoch salutem dedit gentibus sui ævi, ac magis dabit in fine mundi verbo et exemplo : sic pariter Joseph salutem dedit Ægyptiis et Hebræis; tum temporalem, pascendo eos in fame; tum spiritualem, imbuendo eos vera Dei cognitione et cultu, juxta illud *Psalm.* CIV, 21 : « Constituit eum (Pharao Josephum) dominum domus suæ, et principem possessionis suæ, ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. »

Quarto, sicut Henoch fuit sui ævi Nazaræus, quia separatus a conversione hominum ambulavit cum Deo, sic et Joseph fuit Nazaræus inter fratres suos, *Gen.* XLIX, 26. Hic « Henoch » hebraice idem est quod « dedicatio, » quia totus fuit dedicatus Deo : sic et Joseph.

Quinto.

Quinto, sicut Henoch fuit Propheta, sic et Joseph. Unde « Joseph » hebraice idem est quod *additus*, vel auctus, scilicet dono prophetiæ; licet mater Rachel eum vocarit « Joseph, » eo quod, cum antea esset sterilis, jam hoc filio aucta esset, *Genes.* XXX, 24.

Sexto.

Sexto, sicut Henoch ob suam separationem et sanctitatem multa passus est a sui sæculi hominibus, qui fuere impiissimi, ac plura patietur ab Antichristo ejusque asseclis, adeoque ab eo occidetur et martyrio laureabitur : sic pariter Joseph multa a fratribus et Ægyptiis in carcere passus est. Unde Arabicus vertit : *Defuit* (non fuit) *in hominibus qui similis sit Henoch : et non est genitus in mulieribus ut Joseph, in præstantia patientiæ suæ.* Joseph enim admirabilis fuit in multis, sed præsertim in patientia et castitate. Audi S. Zenonem Veronensem, serm. *De Pudicitia :* « Joseph, ait, Hebræus adolescens, clarus genere, clarior pulchritudine, morum clarissimus probitate, fuit inter filios Jacob ætate minor, sed spiritu major; quem domini sui uxor pejus amare cœperat, quam oderant fratres. » Et post nonnulla : « O quantum est miranda, pudicitia, quæ aliter laudari te non vis, quam ut custodiaris, solo bono conscientiæ contenta! Tu in virginibus felix, in viduis fortis, in conjugibus fidelis, in sacerdotibus pura, in Martyribus gloriosa, in angelis clara, in hominibus regina. Tu es honor corporum, tu thesaurus animarum, tu sacrificium Deo charum, legitimum Dei templum, sacrarium pudoris. »

Alludit ad *Genes.* XLIX, 22, ubi Moyses elogia Joseph recensens, inter cætera ait : « Sedit in forti arcus ejus, etc., inde pastor egressus est lapis Israel. Pastor, » id est, ut explicat hic Siracides, « princeps fratrum, » et rector Ægypti : « Lapis Israel, » id est, « stabilimentum populi; » ipse enim omnes fratres suos, filios Israel sive Jacobi, cum suis familiis aluit et stabilivit in Ægypto. Porro τὸ *rector fratrum, stabilimentum populi*, videtur ex alia versione hic insitum. Nam τὸ *rector fratrum* idem est cum eo quod præcessit « princeps fratrum, » et τὸ *stabilimentum populi*, idem est cum eo quod præcessit, « firmamentum gentis. »

Denique « ossa ipsius (Joseph) visitata sunt, » id est curata sunt; curavit enim Moyses, *Exodi* XIII, 19, educens Hebræos ex Ægypto, ut pariter exportarentur ossa Joseph in terram promissam, prout petierat et prædixerat Joseph moriturus, *Genes.* L, 23. Causas ibidem assignavi. Græca Complutensia addunt ἀπὸ κυρίου, id est *visitata* (Vatablus, *conservata*) *sunt a Domino;* unde aliqui vertunt : *Ossa illius visitavit*, vel *respexit Dominus.* Alludit enim ad verba et oraculum Joseph, qui in morte hanc prophetiam quasi cycneam vocem edidit : « Deus visitabit vos : asportate ossa mea vobiscum de loco isto » *Genes.* L, 24.

Ossa Joseph prophetarunt. Primo.

Hinc, « et ossa » Joseph « post mortem prophetaverunt, » id est prophetiam, quam Joseph vivens de exitu Hebræorum ex Ægypto cum ossibus suis ediderat, hanc post 144 annos (tot enim anni fluxere a morte Joseph usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto) ossa ejus confirmarunt. Quando enim cum castris, et per castra Hebræorum ex Ægypto in terram promissam eferebantur ossa Joseph; hoc ipso eadem tacite testabantur, et muta voce loquebantur, pristinam ejus prophetiam de hoc exitu cum ossibus suis fuisse esseque veram, eamque quasi apposito certo eventus sigillo obsignabant et confirmabant. Est catachresis; « prophetare » enim hic idem est quod prophetiam confirmare. Vide dicta cap. XLVIII, vers. 14.

Secundo.

Aliter Palacius : Ego, inquit, credo ossa Joseph prophetasse, quia aliquod miraculum per ea Deus operatus est, aliquem mortuum vivificando, aut languidum sanando; sic enim dixit prophetasse mortuum corpus Elisei, quia occisum a morte ad vitam revocavit, cap. XLVIII, vers. 14.

Tertio.

Porro Joannes Alba, *Electorum* cap. XCVIII, per hypallagen, quæ verba orationis invertit et transponit, sic exponit : « Ossa Joseph visitata sunt, et post mortem prophetaverunt, » id est Joseph vivens prophetavit de illis (scilicet fratribus suis), post mortem suam visitandis a Deo, et de suis ossibus, scilicet asportandis in terram Chanaan. Nam ossa Joseph non visitata, sed asportata narrantur, et fratres illius visitati, *Genes.* L, nec ossa prophetaverunt, sed Joseph de ossibus suis. Similis phrasis est *Act.* I, 18 : « Possedit (Judas proditor Christi) agrum de mercede iniquitatis; » pro de mercede iniquitatis possessus, vel emptus est ager. Et *Act.* VIII : « In humilitate judicium ejus sublatum est, » pro eo quod diceres, sublatus vel ablatus est Christus de terra, mortuus est humilitate judicii, sive humili judicio, hoc est vili supplicio, sive morte crucis probrosa et infami. Verum sensus initio datus ut simplicior, sic et germanior ac nervosior est.

Vers. 19.

19. SETH ET SEM APUD HOMINES GLORIAM (virtutis et præsidentiæ, ait Glossa) ADEPTI SUNT; ET SUPER OMNEM ANIMAM IN ORIGINE ADAM. — Syrus : *Seth et Sem et Enos inter homines creati sunt, et super omnes hos Adam.* Secunda est hæc comparatio, qua confertur Sem cum Seth in gloria. *Primo* enim, sicut Seth ab initio mundi fuit primus pater piæ generationis piorum, qui ex eo prognati sunt, oppositus Cainо, qui parens fuit impiorum; unde filii Seth vocantur « filii Dei; » filiæ vero Cain vocantur « filiæ hominum, » *Genes.* VI, 2, ita post diluvium cum renovatus est mundus, Sem fuit pater piæ generationis Patriarcharum, puta Abrahæ, Isaac, Jacob, etc., ex quibus prognatus est Christus; oppositus Cham, ex quo orti sunt Chananæi, cæterique infideles et impii. Unde S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* cap. XVII : « Cum ergo, inquit, esset » Adam « utriusque generis pater, id est et cujus series ad terrenam, et cujus series ad cœlestem pertinet civitatem; occiso Abel, atque in ejus interfectione commendato mirabili sacramento, facti sunt patres duo singulorum generum, Cain et Seth : in quorum filiis, duarum istarum civitatum, in genere mortalium, evidentius judicia clarere cœperunt, » etc.

Comparatur Sem cum Seth. Primo.

Secundo, uti nomen Sem litteris alludit ad nomen Seth, ita alludit et etymon : « Sem » enim hebraice idem est quod « nomen, » fama, *q. d.* Nominatus, famosus, celebris ob sapientiam et virtutem, ac præsertim ob Dei et patris sui Noe reverentiam, qua ejus in ebrietate nuditatem contexit, quam irridebat Cham, *Gen.* IX, 22 et 23. « Seth » vero idem est quod « positus, » suppositus, scilicet pro pio Abel, quem occiderat Cain, juxta illud *Gen.* IV, 25 : « Vocavitque nomen ejus Seth, dicens : Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain; » ut scilicet per Seth in posteris stirps et nomen Adæ propagetur et celebretur. Hinc S. Epiphanius, *hæresi* 34, Seth interpretatur ἀναλλαγήν, id est commutationem, quia pro Abel commutatus et suppositus est.

Tertio.

Tertio, tam Sem quam Seth fuit typus resurrectionis; sicut enim per Seth quasi revixit et resurrexit Abel a Cain occisus, ejusque virtus et pietas : ita pariter per Sem revixit mundus, et humanum genus diluvio mersum et pene exstinctum. Unde S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* cap. XVII : « Seth, inquit, interpretatur resurrectio, » quia in Seth Abel repositus, et quasi resurrexisse videbatur. Et cap. XVIII : « Et Seth, inquit, natus est filius, et nominavit nomen ejus Enos. Hic speravit invocare nomen Domini Dei, nempe clamat attestatio veritatis. In spe igitur vivit homo, filius resurrectionis in spe vivit, quamdiu peregrinatur hic civitas Dei, quæ gignitur ex fide resurrectionis Christi. Ex duobus namque illis hominibus Abel, qui interpretatur luctus; et ejus fratre Seth, qui interpretatur resurrectio, mors Christi et vita ejus ex mortuis præfiguratur. Ex qua fide gignitur hic civitas Dei, id est homo qui speravit invocare nomen Domini Dei, spe enim salvi facti sumus, ait Apostolus; spes autem quæ videtur non est spes, » *Rom.* V : « Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. » Et S. Chrysostomus, hom. 21 *in Genes.*: « Excitavit, inquit, mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Vide quomodo obscure hoc verbo resurrectionis exordia hic ostendit. Nam dicebat, *q. d.* Pro eo qui cecidit excitavit mihi hunc. Sed quia nondum erat tempus resurrectionis, non lapsum suscitavit, sed alium pro illo. »

Sem et Seth typi resurrectionis.

Quarto.

Quarto, tanta fuit sanctitas Seth, ut a fidelibus cognominaretur Deus, ait Suidas : similis fuit Sem; unde a patre Noe præ Cham et Japhet benedici meruit, *Genes.* IX, dignusque habitus est, et electus a Deo, ut ex eo progigneretur Christus Deus et homo. Hinc Hebræi censent Sem fuisse

eumdem cum Melchisedech, cujus et sanctitas celebratur a Mose, *Genes.* XIV, et a Paulo, *Hebr.* VII. Sem enim vixit usque ad tempora Melchisedech et Abrahæ; quanquam verius sit Sem non fuisse Melchisedech, uti locis jam citatis ostendi. Accedit, quod S. Cyrillus « Sem » interpretatur « perfectionem. » Sane Sem fuit vir perfectus in sanctitate, æque ac sapientia.

Quinto. Denique tam Sem, quam Seth, fuit pater filiorum Dei; ac sicut Seth fuit pater et princeps Ecclesiæ ante diluvium, ita Sem fuit post diluvium.

Allegorice. Allegorice, tam Sem quam Seth repræsentant Christum patrem Sanctorum tam præsentis quam futuri sæculi, *Isaiæ* IX, 6. Christus enim est Seth, id est positus et fundatus a Deo, ut sit lapis angularis Ecclesiæ, juxta illud *Isaiæ* XXVIII, 16 : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. » Idem Christus est Sem, id est nomen, quia ob ejus humilitatem et passionem Deus Pater « donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, » *Philip.* II, 9. Ita Glossa.

Vita et progenies pia Seth. Porro hæc de Seth dicta confirmat Josephus, qui sic de eo scribit, lib. I *Antiq.* cap. III : « Hic a patre educatus ubi eo ætatis venit, ut jam quid rectum est discernere valeret, virtutis studiis se totum dedidit, et cum ipse vir optimus evasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole præditi, et patriam absque seditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt, et sideralem scientiam, et cœlestium rerum cognitionem excogitarunt. » Rursum noster Raderus, in *Animadvers. ad Chronicum Alexandrin.* num. 5, refert ex fragmento cujusdam Chronici ex Palatina bibliotheca, Sethum 40 anno ætatis subito raptum ab Angelo,

Raptus et prophetia Seth. et 40 dierum spatio non fuisse visum, eoque tempore divinitus didicisse filios suos peccaturos, et mundum aquis inundatum iri, ac præter paucos periturum; venturum etiam salutis auctorem Christum, eaque parentibus exposuisse. In illo autem cum angelo congressu cœlesti splendore circumfusum, quem per reliquam vitam tenuerit : quæ quamvis Raderus vereatur, ne ex Sethianorum hæreticorum libris excerpta fuerint, qui raptum ferebant Sethum, ut refert Epiphanius; alii tamen verisimilia autumant : Sethiani enim hæretici censebant Seth esse Christum, eo quod Deus in Seth omnia virtutis et puritatis genera deposuisset, quod nulli nisi Christo convenit. Vide Epiphanium *hæresi* 39 : nil autem tale dicit codex ille Palatinus.

Adam tribus excellit omnes posteros. ET SUPER OMNEM ANIMAM IN ORIGINE ADAM, — supple et repete, « gloriam adeptus est, » *q. d.* Adam primus homo et protoplastus, omnem hominem excellit origine et principio; ipse enim primus omnium creatus est a Deo, ac vicissim ipse progeneravit cæteros homines omnes quotquot fuerunt, sunt et erunt. Hæc est ergo Adami gloria, quod ipse inter homines sit primus immediate a Deo conditus, ac consequenter quod ipse omnium hominum sit origo et principium. Arabicus hic, uti et alias sæpe, a Græcis et Latinis discrepat : sic enim habet : *Porro Seth et Enos in primis hominibus Dei excelsi* (quos creavit Deus excelsus), *laudavit eum* (Seth, nec enim Adam vidit Sem) *pater noster Adam.*

In tribus ergo confertur et antefertur Adam cæteris hominibus : *primo*, creatione, quod scilicet ab origine mundi ante omnes ipse creatus sit a Deo; *secundo*, origine, quod ipse cæterorum omnium sit origo et parens; *tertio*, dominio, quod ipse ut Patriarcha, imo ut vicarius Dei, non tantum filiis et posteris, sed et cæteris animalibus totique mundo, quasi rex præesset et dominaretur. Unde Græca habent, καὶ ὑπὲρ πᾶν ζῶον ἐν τῇ κτίσει Ἀδάμ, id est *et super omne animal*, vel *omne vivum in creatione Adam*; Vatablus : *In natura rerum Adam inter cuncta animantia*, licet in Complutensibus τὸ ζῶον desit.

Adam civis mundi. Quocirca Philo, lib. *De mundi creat.*, Adamum vocat « mundi civem. » Unde S. Basilius, epist. 1 *ad Maximum Philosophum*, eum vocat πολίτην οἰκουμένης, id est « civem orbis; » et Nazianzenus, *orat.* 23 in laudem Heronis (qui idem est cum Maximo S. Basilii) eum vocat « totius orbis terrarum civem. » Quin et Diogenes Cynicus rogatus, cujas esset : κοσμοπολίτην, hoc est *mundi civem*, se esse respondit. Idem de Socrate refert Cicero, *Tuscul.* V, nimirum :

Omne solum forti patria est, ceu piscibus æquor.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Encomium Simonis pontificis.

1. Simon Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum. 2. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio et

excelsi parietes templi. 3. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, et quasi mare adimpleti sunt supra modum. 4. Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. 5. Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis : et ingressum domus et atrii amplificavit. 6. Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucet. 7. Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. 8. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus æstatis. 9. Quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne. 10. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. 11. Quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, et vestiri eum in consommationem virtutis. 12. In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum. 13. In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, et ipse stans juxta aram. Et circa illum corona fratrum : quasi plantatio cedri in monte Libano, 14. sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, et omnes filii Aaron in gloria sua. 15. Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagoga Israel : et consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi regis 16. porrexit manum suam in libatione, et libavit de sanguine uvæ. 17. Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi. 18. Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, et auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. 19. Tunc omnis populus simul properaverunt, et ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum, et dare preces omnipotenti Deo excelso. 20. Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis, et in magna domo auctus est sonus suavitatis plenus. 21. Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus est honor Domini, et munus suum perfecerunt. 22. Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israel dare gloriam Deo a labiis suis, et in nomine ipsius gloriari : 23. et iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei. 24. Et nunc orate Deum omnium qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies nostros a ventre matris nostræ, et fecit nobiscum secundum suam misericordiam : 25. det nobis jucunditatem cordis, et fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos; 26. credere Israel nobiscum esse Dei misericordiam, ut liberet nos in diebus suis. 27. Duas gentes odit anima mea : tertia autem non est gens, quam oderim : 28. qui sedent in monte Seir, et Philistiim, et stultus populus qui habitat in Sichimis. 29. Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo. 30. Beatus, qui in istis versatur bonis : qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. 31. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit : quia lux Dei, vestigium ejus est.

Vers. 1. 1. SIMON ONIÆ FILIUS, SACERDOS MAGNUS, QUI IN VITA SUA SUFFULSIT DOMUM (Dei, puta templum), ET IN DIEBUS SUIS CORROBORAVIT TEMPLUM. — Syrus : *Major fratrum suorum, et corona populi sui, Simon filius Nathaniæ, sacerdos magnus, in cujus diebus ædificata est domus, et corroboratum est templum*, vel *crevit opus templi*, pro *templum*. Legit cum Romanis, Vatablo et aliis ναόν, pro quo Complutensia legunt λαόν, id est *populum*. Vatablus : *Adde et Simonem Onia natum pontificem maximum, qui sacram ædem instauravit* (alii, *resarcivit*) *in vita sua templumque ætate sua firmavit.*

Post patres et heroes, quos celebrat S. Scriptura, subjicit Siracides laudes insignis pontificis Simonis, qui paulo post ultimos patres in S. Scriptura laudatos, sua ætate vel sæculo magna virtutis et pontificatus gloria vixerat. Laudat Simonem *primo*, a cura templi : hæc enim ad eum proprie spectat : pontificis enim templi, cujus est pontifex, propria est cura ; *secundo*, a cura populi ; *tertio*, a cura sui ipsius, quod scilicet curarit ut in moribus esset compositus, talisque qualem decet esse pontificem, qui scilicet cæteros omni honestate, decore et gratia antecellat. laudatur a tribus

Quæritur, quisnam sit hic Simon? Nota ex Josepho, lib. XI *Antiq.*, sub finem, et lib. XII, cap. II, III, IV, V, hanc fuisse generationem, successionem et seriem pontificum Judæorum illius ævi, puta sæculo Siracidis. Jaddo (quem Alexander Magnus, licet Judæus, eo quod Darium regem Persarum suum hostem adjuvissent, infensus, reveritus est et adoravit) genuit Oniam primum : Onias genuit Simonem Justum, ejusque fratrem Eleazarum ; Simon Justus genuit Oniam secun- Quis sit hic Simon

dum, cognomento Avarum, fuit enim pusilli arctique animi; Onias secundus genuit Simonem juniorem, sive secundum; Simon secundus genuit Oniam tertium, cognomento Sanctum.

Series Pontificum illius ævi.

Porro Jaddo in pontificatu proxime successit filius, Onias primus, Oniæ Simon Justus, utpote senior Oniæ filius; Simoni successit frater Eleazarus, qui septuaginta duos Interpretes S. Scripturæ misit ad Ptolemæum Philadelphum; eo quod Onias secundus, Simonis Justi filius, moriente patre esset parvulus, ideoque incapax pontificatus; Eleazaro successit patruus Manasses; Manassi Onias secundus, Simonis Justi filius jam adultus; Oniæ secundo successit filius Simon junior, sive secundus; huic Onias tertius, sive Sanctus; hic est enim ille Onias, qui restitit Heliodoro poscenti opes templi, eumque ab Angelorum flagellatione suis precibus liberavit, II *Machab.* III, 31. Hic pariter est ille Onias, quem Judas Machabæus vidit protensis manibus orantem pro populo, II *Machab.* cap. XV, vers. 12. Hic denique Onias extrusus est a fratre Jasone (qui magna pecuniæ vi pontificatum emerat ab Antiocho), ac tandem occisus est ab altero fratre Menelao, quem Antiochus Jasoni in pontificatu surrogarat. Quocirco Judas Machabæus ejusque fratres, videntes post Oniam pontificatum profanari, vendique impiis hominibus, eum armis sibi vendicarunt, suoque principatui annexerunt, quod factum est 124 annis post Simonem Justum. Nam Simon Justus pontificatu et vita functus est, juxta computum nostri Saliani, anno mundi 3765; Judas vero Machabæus pontificatum iniit anno mundi 3889, qui fuit annus 147 Græcorum, sive Seleucidarum, ante Christi vero natalem fuit annus 164.

Aliqui Simonem hic junio-rem accipiunt.

His positis, multi censent Simonem, quem hic laudat Siracides, esse juniorem sive secundum. Ita Eusebius, in *Chronico*, olympiade 137; Sigonius, lib. VIII *De Republ. Hebr.* cap. II; Adrichomius, in *Descript. Jerusalem*; noster Serarius, in lib. *Machab.*, in *Catalogo Pontificum*; Rabanus, Lyranus, Hugo et Dionysius hic. Hi auctores, si consequenter loqui velint, dicere debent hoc caput L et sequens LI conscriptum esse a Siracide non seniore sive avo, sed juniore sive nepote, qui in Prologo ait se vixisse sub Ptolemæo Evergete: sub illo enim floruit Simon secundus, cum Siracides senior floruerit sub Ptolemæo Lagi, vel Philadelpho, ac consequenter ante Simonem secundum. Nam Eusebius, in *Chronico*, tradit Simonem juniorem pontificem creatum esse anno 15 Ptolemæi Evergetis, cum jam Siracides senior esset defunctus: nec enim Evergeti convivere aut coævus esse potuit. Verum hoc dicere durum est, æque ac novum, nec ullus interpres aut doctor (quod sciam) classicus est, qui id ausus sit asserere, præsertim cum ipse Siracides junior in Prologo asseveret se duntaxat Siracidis senioris, sive avi librum ex Hebræo in Græcum translulisse, non autem partem ejus composuisse. Et quis audeat in alterius, præsertim hagiographi, scripta manum mittere?

Respondeo: Simon hic est senior.

Quocirca longe verius, imo certum est, Simonem hic accipi seniorem sive primum, qui cognominatus est Priscus, non juniorem sive secundum. Ita censuit Genebrardus, Salianus, Torniellus, in *Chronolog.*, ac Jansenius, Palacius et Emmanuel Sa hoc loco.

Probatur primo.

Probatur *primo* ex eo quod Simon senior fuerit illustris, eique illustria hæc elogia competant quæ juniori competere nequeunt, cum de juniore nil memorabile narretur a Josepho, vel alio quopiam. De seniore vero sic scribit Josephus, lib. XII *Antiq.* c. II: « Onia pontifice defuncto, successit ei filius Simon Justus cognominatus, quod et Deum pie coleret, et cives summa prosequeretur benevolentia. Quo mortuo, superstite unico filio parvulo (Onia secundo), frater ejus Eleazarus pontificatum assumpsit, cui Ptolemæus hoc modo scripsit. » Subdit Ptolemæi Philadelphi litteras, quibus ab Eleazaro mitti ad se petit septuaginta duos Interpretes.

Secundo.

Secundo, quod ex connexione et acoluthia, sive consequentia orationis, satis liqueat, hoc caput esse ejusdem auctoris, cujus sunt omnia præcedentia huc usque. Illa autem sunt Siracidis senioris; ergo et hoc caput est senioris, qui multis annis Simonem juniorem ætate præcessit. Quod si Siracides junior hoc caput attexuisset præcedentibus, quæ sunt senioris sive avi, utique hoc epigraphe aliqua indicasset, nec suos partus fraudulenter alteri instar cuculi supposuisset.

Tertio.

Tertio, si hæc scripsisset Siracides junior de Simone juniore, utique meminisset Eleazari et septuaginta duorum Interpretum, qui Simonem et ætate et gestis et gloria antecesserunt; Siracides autem senior non meminit Eleazari, vel quia ante eum defunctus, vel quia noluit viventem adhuc laudare, juxta illud a se præceptum, cap. XI, 30: « Ante mortem ne laudes hominem. »

Quarto, quia Simon ille, cujus laus hic texitur, jam erat defunctus, ut patet ex eo quod de illo hic dicit: « Qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum. » Simon autem junior vixit cum Siracide juniore, et forte ei supervixit. Scripsit ergo hæc Siracides senior de Simone seniore, eo jam defuncto post ejus mortem.

Ex hoc loco colligitur Siracidem seniorem has Simonis senioris laudes, et consequenter librum hunc, qui vulgo Ecclesiasticus dicitur, conscripsisse sub initium regni Ptolemæi Philadelphi, vel certe sub finem regni Ptolemæi Lagi, qui quasi pater Philadelphum proxime antecessit. Nam scripsit hæc post mortem Simonis senioris: Simon autem senior mortuus est sub finem regni Lagi, scilicet quatuor annis ante regnum Philadelphi, ut docet Eusebius in *Chronico*. Ergo ante id temporis hæ ejus laudes, adeoque Ecclesiasticus, scribi non potuere a Siracide seniore.

Allegorice. Allegorice, Simon hic uti nomine, ita et pontificatu, sapientia ac virtute repræsentat Simonem Petrum, quem primum Christus suæ Ecclesiæ præficit Pontificem, ut cæteris secuturis ideam veri Pontificis exhiberet, quam hic describit Siracides : quare omnia quæ de Simone Prisco dicit Siracides, mutato cognomine applices longe potiori ratione Simoni Petro.

Tropologice. Tropologice Simon hic vocatur « sacerdos magnus, » tum quia pontifex, tum quia rerum gestarum gloria eminuit. Unus hic laudatur inter sacerdotes et pontifices, quia inter eos excelluit : ita hodie multi sunt sacerdotes, sed pauci qui encomia mereantur. Præclare Auctor *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, hom. 43 *in Matth.*, et citatur dist. 40, can. XII : « Multi sacerdotes, inquit, et pauci sacerdotes : multi in nomine, et pauci in opere. Videte ergo, fratres, quomodo sedetis super cathedram ; quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram ; non locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedræ : qui male sederit, injuriam facit cathedræ. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem : in judicio enim tuo sedes. Si quidem bene vixeris et bene docueris, populum instruis : si bene docueris et male vixeris, tui solius condemnator eris. Nam bene vivendo et bene docendo, populum instruis, quomodo vivere debeat : bene autem docendo et male vivendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. »

QUI IN VITA SUA SUFFULSIT DOMUM, ET IN DIEBUS SUIS CORROBORAVIT TEMPLUM. — Jam enim a reædificatione templi facta a Zorobabel et Jesu Pontifice, sub auspiciis Darii Hystaspis, regis Persarum, I *Esdr.* VI, elapsi erant 230 anni, quibus multa in templo vetustate hiabant, alia minabantur ruinam : quocirca sarta tecta templi instauravit Simon, utpote pontifex, ideoque templi præses et curator. Porro ex sequentibus colligitur, Simonem maxime instaurasse ædificia ambientia templum illudque firmantia. Pro quo nota, montis Sion verticem fuisse arctum et angustum præ magnificentia et magnifico templo quod in eo erigere destinabat Salomon. Quocirca Salomon valles monti Sion vicinas aggesta terra implevit, murisque circumdedit et firmavit. Audi Josephum, lib. VIII *Antiq.* cap. II : « Vallibus, inquit, expletis tam profundis, ut ad prospectum oculi caligarent, et aggesta ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis quo templum exstructum est æquavit, atque hoc modo factum est, ut area fani cum solo templi æquaretur. Hanc cinxit duplicibus porticibus, quas columnæ e nativo saxo sustentabant, et laquearia cedro expolita tegebant. Fores vero habebant omnes ex argento fabricatas. » Idem lib. VI *De Bello*, cap. VI : « Initio, inquit, vix templo atque areæ sufficiebat jacens in summo planities, quod undique præceps erat atque declivis. Cum autem rex Salomon qui etiam templum ædificaverat, muro ejus partem ab Oriente cinxisset, una porticus aggeri est imposita, » etc. Substructiones ergo, sive peribolus et muri aggestam hanc terram continentes et cingentes, a Simone restaurati, roborati, altiores et crassiores effecti fuere.

Porro τὸ *suffulsit* maxime significat antherides, quibus passim templorum muros extrinsecus suffulciri videmus, a Simone templo additas, auctas et roboratas : item illum porticus templo adjacentes auxisse et roborasse ; hæ enim templum suffulciunt, æque ac ornant, uti videmus Romæ Basilicam Vaticanam S. Petri, cæterasque porticibus ante ingressum erectis ornari et roborari.

2. TEMPLI ETIAM ALTITUDO AB IPSO FUNDATA EST, DUPLEX ÆDIFICATIO ET EXCELSI PARIETES TEMPLI. — Vers. 2. Simon fundavit templum : quomodo? Nonnulli proprie templum accipientes censent Simonem illud duplo altius quam erat, erexisse. Cum enim Cyrus, I *Esdræ* VI, 3, permisisset Judæis templum ædificare ad sexaginta cubitos altitudinis duntaxat, ne scilicet, si altius erigeretur, Judæi inde sibi arcem ad Cyro rebellandum conficerent ; Simon in duplum, scilicet ad centum viginti cubitos altitudinis illud erexit. Ita noster Sanchez, in *Aggæi* cap. II, vers. 18, n. 35.

Alii valde verisimiliter « templum » hic accipiunt pro porticibus et fabricis annexis templo, illudque suffulcientibus : has enim significat Græcum περίβολον (quod Noster vertit *parietes*), id est ambitus, vallum, septum, munitio, murus, porticus, lorica murorum, similesque substructiones. Unde Syrus : *Positus est murus, et propugnacula, et instructus est ambitus* (peribolus). Quocirca noster Salianus, in *Annalib.*, anno mundi 3765, sic exponit : Simon, inquit, suffulsit domum et corroboravit templum, quia templi substructiones, quibus extrema sustentabatur templi area, a Chaldæis incendio dissipatas, a Zorobabele prætermissas, sive properante, sive regiis parcente sumptibus, ne regis liberalitate abuti videretur, Simon ædificavit. Earum dicitur « altitudo duplex, » ut habent Græca, quia templum qua parte altissimum fuit, non nisi 120 cubitorum fuit : substructio vero a radice montis ad ejus verticem 300 (ut ostendit Vilalpandus in fabrica templi), id est altior duplo, atque eo amplius. Et quoniam firmissimum erat id ædificium, dicitur munimentum excelsum peribolo templi, quem scilicet peribolum in summa ora sustentabat. Et ne periboli nomen quod in Græco est, quis alio trahat, mox sequitur : *Curam gerens populi sui a casu*, pro quo Vulgata Latina eodem sensu habet : *Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione*, videlicet juxta legem Domini *Deuter.* XXII, 8 : « Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum : ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio, et in præceps ruente. » Dices : Noster

hæc accipit de altitudine non substructionis sive periboli, sed ipsius templi; ait enim : *Altitudo templi fundata, et excelsi parietes templi.* Respondeo : Templum hic non præcise pro ipso templo, sed pro complexu omnium ædificiorum, porticuum, arearum ad templum pertinentium sumitur. «Duplex» ergo «ædificatio» dicitur, quod duplo major altitudine et crassitie esset reliquis quibuscumque templi muris : crassitudo enim in imo erat 150 cubitorum, quæ sensim minuebatur usque ad 50 cubitos in summo. Hoc autem facto, simul etiam « ingressum domus et atrii amplificavit, » ut ait Siracides; quia excitatis undique his molibus, laxior area tota circumquaque facta est. Hæc Salianus.

Verum quia nec Siracides, nec Josephus, nec quis alius illius ævi explicat qualis fuerit hæc fabrica Simonis; hinc nihil certi de ea definire possumus, præsertim quia nostra Vulgata Latina asserit quidem templum altius fuisse erectum a Simone; at non addit, in duplum. Ait enim «duplex ædificatio,» non duplex altitudo. Unde cum Hugone et Palacio per « duplicem ædificationem» accipi posset duplex tabulatum, sive duplex contignatio; aut cum Jansenio, duplex ambitus, vel duplex paries et murus templi, *q. d.* Simon extulit porticum, vel murum templo cohærentem, eumque duplici contignatione duplo altiorem quam erat, ædificavit, itaque erexit excelsos parietes ambientes templum, ut iis totum templum ambiretur, muniretur et tegeretur. Favent Græca Romæ correcta, quæ sic habent : *Et ab ipso fundata est altitudo duplicis* (scilicet ὀχυρώτητος, id est munitionis, vel οἰκοδομῆς, id est ædificationis, uti videtur legisse Latinus Vulgatus) *reparatio excelsa ambitus templi* : legunt enim διπλῆς, id est *duplicis;* et περιβόλου, id est *ambitus,* in genitivo, pro quo Complutensia legunt διπλοῦν, id est duplex, et περίβολον, id est ambitus, vel septum, in nominativo. Unde Complutensia sic habent : *Et in ipso fundata est altitudo duplex reparatio; excelsus circuitus templi;* ubi potius τὸ *duplex* referas ad «reparatio» quam ad « altitudo : » itaque idem exsurget sensus, quem expressit Noster, et Græca Romæ correcta. Tigurina tamen sic legit et vertit : *Ab hoc duplex altitudo fundata est, celsum munimen illud templum ambiens.* Sed et hic « duplex altitudo » accipi potest duplex contignatio : quod si illam pariter duplo altiorem, quam fuerat prior, fuisse contendas, non repugnabo. Verum adverte, illam non fuisse in ipso templo, sed περιβόλῳ, id est in septo, porticu vel muro templum ambiente, ut vertit Tigurina.

Mystice. Mystice Rabanus : « Doctores, inquit, sancti templi altitudinem fundant, quando Christi incarnationem, passionem et resurrectionem in fide credentium collocant : ut totius ædificii summa, hoc est boni operis forma, inde consurgat. Unde fit quod duplex ædificatio excelsos parietes templi faciat, quando verbo et exemplo de Judæis et Gentibus plurimos ad arcem virtutum docendo et exhortando erigunt : parietes enim domus Dei in expositione Catholicorum Patrum, duos populos intellectos esse reperimus; et merito, quia inde consurgens structura crescit in templum sanctum in Domino. »

3. IN DIEBUS IPSIUS EMANAVERUNT PUTEI AQUARUM (Syrus, *fodit fontem*; Arabicus, *effossi sunt fontes*), ET QUASI MARE ADIMPLETI SUNT SUPRA MODUM. — Græce est περίμετρον, id est *supra modum;* pro quo Romani et alii legunt τρίμετρον, id est *triplum,* sive triplici mensura. Pro *emanarunt* Rabanus, Palacius et alii legunt, *remanaverunt, q. d.* Putei ante Simonem desiccati, qui aquam manare cessabant, opera Simonis, aquæductibus restitutis eam remanaverunt, id est rursus manare cœperunt. Unde græce est ἠλαττώθη, id est *imminuti sunt.* Pro *quasi mare* græce est ὡς χαλκός, id est *velut æs* : pro quo alii legunt ὡς λάκκος, id est *velut lacus,* vel cisterna. Unde Romana vertunt : *et æs quasi maris perimetrum,* vel, ut alii legunt, *trimetrum.* Sensus est, ait Palacius, *q. d.* In diebus Simonis deerant aquæ puteorum, sed ipse refectis canalibus eas restituit; ubi insumpsit æs ut mare : tantæ fuerunt expensæ in canalium et puteorum reparatione. « Significatur, » inquit Jansenius, quod, cum in diebus ipsius putei aquarum defecissent deficientibus aquis, quæ per aquæductus in civitatem influere solent; opera Simonis rursum quasi mare abunde repleti sunt, ita ut curaverit aquæductus reparari et restitui : quemadmodum supra dictum est de Ezechia, quod induxerit aquas in civitatem, quæ facilis est et expedita loci hujus sententia. Tigurina : *Hujus temporibus receptacula aquarum assiccata sunt, æneaque fuit pars maris fere tertia.* Ubi valde coacte mare vocat «æneum,» id est siccum, quo modo cœlum æneum aliquando dicitur. Sed hæc expositio id habet incommodi, quod nihil pertinent hæc verba ad laudem Simonis. Tolerabilior est altera, quæ locum hunc ad mare æneum refert, quia in singulari legitur ἀποδοχεῖον, id est receptaculum, ut significetur mare æneum in restauratione templi factum fuisse multo minus quam olim a Salomone; a Simone autem fuisse factum περίμετρον, id est supra modum amplum et capax; vel, ut alii habent, τρίμετρον, id est triplo majus. Scaliger interpretatur cisternam quamdam ab eo fuisse munitam laminis æneis ad aquam continendam, vertique vult : *Sub eo laminis æneis instrata cisterna, cujus ambitus est instar maris,* scilicet Salomonici. Sed hanc expositionem ipse conficit sibi, mutatis tribus vocabulis in unico versu; quo modo facile est quælibet loca, et ad quem placebit sensum traducere. Torniellus hæc refert ad templi aquæductus, quibus cruor victimarum expurgabatur, quorum meminit Aristæas et Eusebius, adde et Hieronymum et Septuaginta apud Vilalpandum. Ita Salianus, anno mundi 3765, num. 10.

Simonis aquæductus.

Mystice, Rabanus per *puteos* accipit profundi-

tatem S. Scripturæ, quæ in divinis libris quasi conclusa figuris latet, sed sanctorum prædicatorum ore ad plurimorum societatem quasi mare redundat.

Vers. 4. 4. QUI CURAVIT GENTEM SUAM, ET LIBERAVIT EAM A PERDITIONE. — Rabanus legit, *a pernicie;* Syrus et Arabicus : *liberavit populum suum ab inimicis :* Græca habent tantum, ὁ φροντίζων τοῦ λαοῦ αὐτοῦ ἀπὸ πτώσεως, id est, *curam gerens populi sui contra casum;* Vatablus : *hic populo suo sedulo cavit a ruina;* quod Noster Salianus, uti dixi vers. 1, exponit de lorica sive septo, quod fecerit Simon in porticibus templi sublimibus, ne quis ex iis incautus ambulans præceps caderet et in terram ruens collideretur. Verum arctior est hæc interpretatio, præsertim quia hic vers. 4 non cohæret cum vers. 2, ubi actum est de hisce porticibus, sed sequitur vers. 3, ubi actum est de puteis et aquis.

Simonis quanta cura populi. Quare nova tertiaque hæc videtur laus Simonis, eaque ampla et propria Pontifici, quod scilicet curam magnam gesserit populi, ne in aliquod malum, vel periculum spiritale aut corporale incideret : pontifex enim subditorum, perinde ac pastor ovium, curam gerere debet, eosque a lupis, furibus, injuria aeris, fame, siti, omnique malo tutari, præsertim ne quis pseudopropheta, hæreticus vel atheus, eos suæ perfidiæ veneno inficiat; ne quis impudicus, raptor, aliasve sceleratus sua scelera illis affricet; ne doctores et prædicatores boni qui pabula verbi Dei probe pieque populo subministrent, desint, etc. Videtur autem Siracides peculiare aliquod malum Judæis imminens hic notare, quod propulsatum sit a Simone; licet idipsum in particulari non explicet. Forte fuerit hoc quod, cum Ptolemæus Lagi, teste Josepho, XII *Antiq.* cap. I et III, multa Judæorum millia in Ægyptum captiva abduxit, Simon ei restiterit ne plura abduceret, utque abductis de rebus necessariis provideretur, ac præsertim ut in fide solidarentur, ne ab Ægyptiis in idololatriam pertraherentur, procurarit. Aut potius, *q. d.* Ptolemæus Philadelphus initio contrivit gentem Judæorum, ac postea flexus auctoritate et intercessione Simonis Pontificis, in eam benignus et beneficus extitit, adeo ut ab Eleazaro fratre Simonis postularit Septuaginta duos Interpretes. Ita Palacius.

Vers. 5. 5. QUI PRÆVALUIT AMPLIFICARE CIVITATEM, QUI ADEPTUS EST GLORIAM IN CONVERSATIONE GENTIS : ET INGRESSUM DOMUS ET ATRII AMPLIFICAVIT. — Legit Interpres πολιωρῆσαι, id est *amplificare*, jam legunt πολιορκῆσαι, id est *obsidere*, quod Romana explicant, *ad propulsandum obsidionem.* Unde alii legunt, ἐν πολιορκήσει, id est *in obsidione*, id est contra obsidionem. Alii aliter. Unde videas magis credendum codicibus Latinis, utpote constantibus et consentientibus, quam Græcis ita variantibus et dissentientibus, præsertim quia de eadem amplificatione subdit : *Et ingressum domus et atrii amplificavit.* Noster Salianus citatus vers. 2, per *civitatem* accipit templum, *q. d.* Simon amplificavit exedras, porticus, cæterasque domos et fabricas templo annexas : templum enim multa continebat ædificia, eratque quasi parva civitas; unde civitas vocatur, *Ezech.* XL, 2, uti explicant Richardus, Lyranus et Vilalpandus. Ratio ejus est, quod amplificatione Hierosolymæ illo tempore non fuerit opus, eo quod illa civibus valde esset imminuta et destituta. Nam Ptolemæus Lagi centum viginti millia Judæorum recenter transtulerat in Ægyptum, ac Seleucus primus post Alexandrum Magnum rex Asiæ et Syriæ (a quo Seleucidarum sive Græcorum anni numerantur in libris Machabæorum) multas in Asia civitates exstruxerat, easque Judæis repleverat, teste Eusebio in Chronico. Verum civitas hic a templo distinguitur. De templo enim egit vers. 2, quare proprie accipienda videtur : nec ei amplificatæ Judæi incolæ deesse poterant, utpote qui per totam Judæam, imo totum orbem sparsi per polygamiam multiplicabantur instar piscium, uti dicitur *Exod.* II, 12, in Hebræo; uti hodie eos Romæ, et per Italiam mire crescere et multiplicari cernimus. Fateor tamen amplificationem hanc Hierosolymæ, maxime factam in monte Sion, tum quod in eo esset templum, tum quod in eo esset arx a Davide ædificata, quæ reliquam urbis partem sibi subjectam tutabatur et propugnabat. Igitur Simon amplificavit Jerusalem et Sionem tum plateis et domibus, tum civibus et incolis. Præsertim vero amplificavit ingressum domus Dei, puta templi ejusque atrii : qua de causa « adeptus est gloriam in conversatione gentis, » dum scilicet in sua gente, id est inter Judæos, quasi pontifex adeo in templum, civitatem et cives suos beneficus et magnificus, amanter æque ac magnifice conversabatur. Sic legunt et intelligunt Romani, Rabanus Glossa et alii; licet Jansenius et nonnulli legant : *Et in ingressu* (græce, ἐν ἐξόδῳ, id est, *in egressu domus velumenti, domus et atrii amplificatus est.* Sed eodem redit sensus, *q. d.* Sicut ipse in multis benefecit genti suæ, ita vicissim gloriam ab ea consecutus est, dum in ea probe et decenter conversatus est; cumque eum aut ingredi templum vel atrium contingeret, aut egredi peracto suo officio, amplo a populo honore affectus et decoratus est. Unde Tigurina : *Quam se gerebat honorifice cum versabatur in populo, cumque e domicilio velo prætenso* (puta e templo : hoc enim obductum erat velo, ut patet *Exod.* XXVI, 31; *Hebr.* IX, 3,) *procedebat quasi stella matutina inter nebulas!* Porro gloriam hanc explicat per varias comparationes stellarum, lunæ, solis, iridis, liliorum, ignis, thuris, olivæ, etc., quas subjicit.

Amplificavit civitatem : quam.

Vers. 6 et 7. 6 et 7. QUASI STELLA MATUTINA IN MEDIO NEBULÆ, ET QUASI LUNA PLENA IN DIEBUS SUIS LUCET. ET QUASI SOL REFULGENS, SIC ILLE EFFULSIT IN TEMPLO DEI. — Vatablus : *Veluti sol irradians templum Altissimi.* Comparat Simonem pontificem *primo*, stellæ matutinæ, id est lucifero, qui inter nebu-

Simon fulsit

quasi stella, luna et sol.

las translucens, solisque ortum præcurrens et prænuntians, gratissimus est hominibus post longas noctis tenebras lucem diei præstolantibus. Simili enim modo Simon post longas captivitatis Babylonicæ et Ægyptiacæ sub Ptolemæo Lagi calamitates, errores et vitia, velut lucifer inter nebulas refulsit, tum populum sua majestate et beneficentia exhilarans, tum verbo et exemplo eidem prælucens. A lucifero gradatim ascendit ad lunam plenam, inde ad solem; sicut enim luna luciferum, sic sol lunam luce et splendore superat. *Secundo* ergo comparat Simonem lunæ plenæ, quæ noctem adeo illuminat, ut in ea homines videre, ambulare, suasque res peragere possint, perinde ac si esset dies. *Tertio*, eumdem comparat soli. Sicut enim sol suo splendore omnibus rebus lucem, calorem, lætitiam et vitam communicat : sic et Simon populum luce cœlestis doctrinæ et vitæ illuminavit, exhilaravit, amore divino accendit, eique vitam divinam aspiravit. Vide causas et analogias plures cur sapientes et Sancti comparentur stellis, lunæ et soli, quas recensui *Genes.* I, 14 et 16; *Isaiæ* XLV, 1; *Daniel.* XII, 3; *Apoc.* I, 20, et II, 28.

Anima S. Francisci specie stellæ cœlum ascendit.

Simili modo Deus excitavit S. Athanasium, S. Augustinum, S. Hieronymum, S. Benedictum, S. Bernardum, S. Dominicum, S. Franciscum, etc., quasi sui ævi luciferos, lunas et soles. Unde vir religiosus, teste S. Bonaventura, vidit animam S. Francisci morientis, sub specie stellæ præfulgidæ a candida subvectam nubecula, super aquas multas sursum recto tramite in cœlum ferri; ut significaretur eam sublimi sanctitatis candore, et cœlestis sapientiæ simul et gratiæ ubertate, promeruisse locum introire lucis et pacis, ubi cum Christo sine fine quiescit et regnat. Quocirca Gregorius IX, canonizans S. Franciscum, orationem habuit ad populum de Sancti laudibus, sermonem sic exorsus : « Quasi stella matutina in medio nebulæ, sic ille effulsit in templo Dei, » teste S. Bonaventura, in *Vita S. Francisci*, cap. XV, et Luca Waddingo, in *Chronic. Minorum.*

Meminerit ergo sacerdos, præsertim pontifex, se talem et mente, et verbo, et vita esse debere, ut sit quasi lucifer, quasi luna, imo quasi sol radians in templo Altissimi, utque quasi sol non in terra, sed in cœlo cum Dei et angelis conversetur, sitque « quasi obambulans quidam in terra Deus, et sanctus in carne angelus. » Unde Syrus : *Quam decorum* (pulchrum) *illi in egressu suo de templo, cum appareret de sub velamine quasi stella matutina inter nubes, et quasi luna in diebus Nisan* (mensis primi, sive paschalis, qui nostro partim martio, partim aprili respondet), *et quasi sol refulgens super arces*, vel atria, et palatia magna.

Allegorice stella est Christus.

Allegorice, Simon pontifex est Christus, ait Hugo; ut per solem fulgentissimam Christi deitatem intelligas; per lunam corpus ejus deitatis splendore quasi transfusum, et in cruce quidem etsi plenum in diebus suis, atque adeo deitatis ejusdem radiis lucidum, quodammodo tamen mortis velut objectu eclipsim passum; per stellam denique lucidam animam, quæ semper fixa in firmamento deitatis per jugem fruitionem etiam in cruce colluxit. Adde, stellam in medio nebulæ, Christum pontificem in cruce, in mediis illis tenebris esse, vel eamdem ejus animam, et divinitatis fulgore et gratiarum pulchritudine radiantem, sed corpore ad crucem denigrato et nebuloso velut circumdatam. Lunam plenam in diebus suis, eumdem in media passionis suæ morte fulgentem, et velut acceptos superne splendores reddentem, nosque Deo reconciliantem, ut in Moyse olim in monte Sinai fuit adumbratum, facie quidem ob splendorem cornuta, sed velo, ut a populo conspici posset, operta, quod etiam S. Bonaventura contemplativis viris accommodat. Denique solem quoque in cruce refulgentem, et peccatorum nostrorum nebulas, quorum illæ tenebræ symbola erant, dissipantem, obcæcantem infideles, et credentes illuminantem, licet mente intueri et contemplari.

Simonis etymon.

Hinc Simon, hebraice idem est quod audiens, exaudiens, obediens; quia Christus Patri fuit obediens usque ad mortem crucis; hinc vicissim ab eo audiri et exaudiri meruit pro sua reverentia, *Hebr.* V. Aliter Rabanus : « Simon, inquit, interpretatur, pone mœrorem, a שׂם *scham*, id est *posuit*, et עון *on*, id est *dolorem;* aut audi tristitiam, a שמע *scema*, id est *audi*, et עון *on*, id est *tristitiam;* quia Christus nostros dolores nobis abstulit et in se transtulit, juxta illud *Isaiæ* LIII, 4 : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. »

Simili solis orientis et effulgentis comparatione usi sunt Poetæ, ut Q. Catulus :

> Constiteram solem exorientem forte salutans,
> Cum subito a læva Roscius exoritur.
> Pace mihi liceat, cœlestes, dicere vestra :
> Mortalis visus pulchrior esse deo.

Tropologice stellæ sunt doctores, seu in diis, id est virtutibus, præfulgentes.

Tropologice idem Hugo : Differentiam doctorum, inquit, sive quorumlibet fidelium significat, quibus Dominus diversas largitur gratias, « dividens singulis proult vult, » I *Cor.* XII. In quibusdam enim lucet quasi « stella matutina, » id est in via pœnitentiæ pœnitentibus, in medio nebulæ, id est nebulosæ conscientiæ. In aliis « quasi luna plena, » id est in proficientibus, qui plenam quidem justitiam habent, sed non perfectam, quia non est ibi status. In aliis refulget « quasi sol, » id est in perfectis, qui et bene calent et perfecte lucent, calent sibi, et lucent aliis. *Joan.* V : « Erat Joannes lucerna ardens, et lucens. » *Eccl.* XXVII, 12 : « Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol. » Christus etiam stella matutina fuit in nativitate. *Apoc.* II, 26 : « Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi stellam ma-

tutinam. » Hæc est stella quæ perduxit Magos usque ad Jesum in Bethlehem, *Matth.* II. Habuit autem hæc stella sex radios, sicut et quælibet alia stella habet, quibus totam Ecclesiam illustravit. Primus est radius humilitatis, quem emisit in nativitate : « Parvulus enim natus est nobis, » *Isaiæ* IX ; secundus est radius vilitatis, quem emisit cum voluit involvi pannis vilibus et in præsepio reclinari, *Luc.* II ; tertius est radius voluntariæ paupertatis; quartus, patientiæ ; quintus obedientiæ; sextus, sapientiæ, quæ effulsit in ejus prædicatione.

Vers. 8. 8. QUASI ARCUS REFULGENS INTER NEBULAS GLORIÆ, ET QUASI FLOS ROSARUM IN DIEBUS VERNIS, ET QUASI LILIA QUÆ SUNT IN TRANSITU AQUÆ, ET QUASI THUS REDOLENS IN DIEBUS ÆSTATIS. — Syrus : *Quasi arcus in nubibus, et quasi spicæ agri, et quasi lilium regis (regium) in fontibus aquarum, et quasi arbores Libani in diebus collectionis fructuum ;* Vatablus : *Ut arcus splendidis refulgens nubibus, ut flos rosarum tempore verno, et quasi ad aquas profluentes lilia, ut thurifer surculus tempore æstatis. Nebulas gloriæ* vocat nubes splendidas, quos scilicet iris suo fulgore illustrat, eisque suam gloriam, id est fulgorem et pulchritudinem communicat. Unde Græca Complutensia sic habent, ὡς τόξον φωτίζον νεφέλας (Romana ἐν νεφέλαις, id est in nubibus, vel inter nubes et nebulas, ut vertit Noster) δόξης, id est *ut arcus illustrans nubes gloriæ,* id est claritate gloriosas et splendidas. A stellis, luna et sole descendit ad iridem, eique comparat Simonem ; iridis enim fulgor tricolorque decor est admirabilis, uti multis ostendi, cap. XLIII, 12. Ab iride descendit ad flores odoratissimos et pulcherrimos, puta rosas et lilia, quæ sunt « in transitu aquæ, » id est quæ sita sunt ad profluentes aquas, iisque rigantur, aluntur et efflorescunt; lilia enim, cum sint sicca et calida, aquas amant et sitiunt. Vide quæ de liliis dixi, *Osee,* cap. XIV vers. 3. A floribus transit ad aromata, puta ad thus, per « thus » hic accipe, non aroma, sed arborem quæ thuris aroma profert ; græce enim est, ὡς βλαστὸς λίβανου, id est *ut germen,* vel surculus, *thuris,* sive thurifer, ut vertit Vatablus. Addit « diebus æstatis ; » nam in æstate solis ardore icta hæc arbuscula thurifera, suaviorem quam alio tempore exspirat vaporem et odorem, utpote sole illum eliciente, quod maxime fit circa ortum canis, ait Plinius, lib. XII cap. XIV. Hæ similitudines significant Simonem *primo* in se fuisse mere decorum, moribusque compositum ; *secundo,* venerandum et amabilem fuisse populo ; *tertio,* vitia populi suæ doctrinæ luce, et sanctæ vitæ odore et exemplo discussisse.

Nota τὸ *quasi flos rosarum in diebus vernis.* In vere enim mirum odorem exhalat rosa, ob veris teporem. Unde rosa ver efficit amœnum, decorum, odoratum, ut, quod ait Poeta, ver sit formosissimus annus ; rosa enim est purpura veris.

Rosa est Christus. Allegorice, hic flos est Christus, Nazarenus noster, totus floridus, qui quovis flore speciosior in vere patiens, « fusi cruoris colore vernavit, » ait S. Ambrosius, lib. *De Spiritu Sancto,* cap. V. Itaque in corona illa spinea sese ad crucem instar rosæ expandens, ac suo se cruore perfundens, mire splenduit ac rutilavit, et olim ejus typus ardens in medio rubi flamma, *Exod.* III. Rursum « vernavit ; » quia cum in cruce succisus emarcuisse videretur, rubebat elegantius, ut flos regius, et ad regni perennitatem revirescens vernabat. Audi S. Ambrosium, in loco jam citato, tractantem illud de Christo, *Isaiæ* XI, 1 : *Et flos de radice ejus ascendet* : « Flos, ait, odorem suum succisus reservat, et contritus accumulat, nec avulsus amittit : ita et Dominus Jesus virgo regalis flos, in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit ; sed illa lanceæ punctione succisus, sane speciosius fusi cruoris colore vernavit, mori ipse nesciens, mortuus æternæ vitæ munus exhalat. » Quin et rubentes ipsas sanguine spinas, non jam spinas, sed suave rubentes rosas, aut caryophyllatos flores Poeta Hispanus optime dixit, ait noster Jacobus Pintus *De Christo crucifixo,* lib. IV, tit. IV, loco 1, num. 15.

Rosa notat puritatem et charitatem. Tropologice rosa notat puritatem, verecundiam charitatem, mortificationem (rosa enim sepitur spinis, et inter eas nascitur), quæ mire ornant fideles, præsertim sacerdotes. Vide quæ de rosa et Sanctis roseis dixi, *Act.* cap. XII, vers. 13. Quibus adde, S. Elisabetham, Lusitaniæ reginam, quæ floruit anno Domini 1300 (a qua omnes Lusitaniæ et moderni Hispaniæ reges recta genealogiæ serie descendunt, num. 14), quamque nuper ob eximiam sanctitatem sanctorum catalogo adscripsit Urbanus VIII, cum profusa esset in eleemosynas, ideoque accusata apud maritum regem Dionysium, quod opes regni prodigeret, ac quodam die regi occurreret sinu pleno nummis in pauperes erogandis, rexque rogaret : Quid geris in sinu ? illa respondit : « Gero rosas, » ac aperto sinu regi rosas ostendit ; nimirum Deus ad tegendam reginæ pietatem nummos in rosas verterat; sed rege abeunte rosæ reversæ sunt in nummos, quos ipsa in pauperes distribuit : ita habet ejus *Vita.* Apposite, rosa enim suo candore integritatis, æque ac charitatis, et beneficentiæ suo rubore est symbolum, præsertim quia rosa medicinalis et benefica est, multisque electuariis inservit.

S. Elisabeth nummos vertit in rosas.

Rosæ Martyrum. Quocirca Rabanus : « Quid, ait, per flores rosarum in diebus veris, nisi Martyrum sanguis in virore nascentis Ecclesiæ exprimitur ? quia tunc maxime prædicatores sancti trucidati sunt pro dogmate Evangelicæ fidei : et quid per lilia, nisi castorum et virginum ordo, qui in transitu labentis sæculi semetipsos castraverunt propter amorem Dei ?

Vers. 9. 9. QUASI IGNIS EFFULGENS (cum noctu flamma emicat et in altum se extollit, ait Palacius) ET THUS ARDENS IN IGNE. — Græca jungunt ignem cum

thure hoc modo : *Quasi ignis et thus in foculo.* Hic thus accipitur pro aromate, non pro arbore; unde Syrus : *Quasi odor thuris super thuribula.* Confertur enim Simon igni fulgenti, et thuri in eo ardenti, quæ duo simul juncta et splendore, et calore, et odore astantes recreant; simili enim modo Simon pontifex et splendore sapientiæ, et ardore suavitateque devotionis Deo gratissimæ, instar thuris excelluit. Ita Rabanus : « In thure, inquit, pura oratio exprimitur, quæ redolet in diebus æstatis; quia ejus odor spargitur in claritate fidei, et ardet in igne amoris; licet enim thuris odor per se bene oleat, appositus tamen igni fortius redolet : sic et oratio pura, licet per se Deo sit grata, tamen si adhibito igne passionum in dilectione perseveraverit, coram oculis Dei magis grata redolebit. »

Rosæ maxime notant verecundiam, lilia castitatem, thus orationem, ignis charitatem, quæ Simonis, id est sacerdotis, præsertim Prælati et Pontificis, primariæ sunt dotes et virtutes, juxta id quod de Onia III, Simonis hujus abnepote dicitur, II *Machab.* XV, 12, Judam Machabæum vidisse : « Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. » Hac de causa sacerdos in sacris thus Deo adolet, ac simul orat : « Fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. » Sacerdos enim debet esse vir orationis, in eaque adeo validus et potens, ut medius velut sequester inter Deum et populum interveniat, Deoque irato manus quasi liget, eumque populo reconciliet; uti Aaron thurificans plagam ignis in populum grassantem stitit, *Num.* XVI, 47. Præclare nuper D. Avila : Sacerdos, inquit, sit quasi alter Moyses resistens iræ Dei, et quasi alter Aaron sistens plagam Dei. Polleat ergo dono orationis, non ex se, sed ex afflatu Spiritus Sancti, postulet pro toto populo gemitibus inenarrabilibus, uti fecit Christus in cruce, *Hebr.* V, 7. Christi ergo gemitus et ardores induat.

Oniæ virtutes.

Præclare insuper B. Gregorius Nyssenus, tract. *De Scopo Christiani* : « Nobis, inquit, amplius orationi insistendum est, siquidem hæc veluti chori virtutum antistita quædam est, et per sanctitatem arcanam et spiritalem, et affectum inenarrabilem Deo cunjungit eum qui in prece perseverat; qui desiderio fervens satietatem precationis non invenit, imo semper a bonis appetitu corripitur, juxta id quod dictum est : Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient; atque alibi : Dedisti lætitiam in corde meo, *Psalm.* IV, 7. Et Dominus, *Luc.* XVII, 21 : Regnum cœlorum intra vos est, regnum appellavit gaudium desuper insitum animis per spiritum : quod est arrhabo sempiterni gaudii, quo tunc fruentur Sanctorum animæ. »

Oratio virtutum antistita.

10. QUASI VAS AURI SOLIDUM, ORNATUM OMNI LAPIDE PRETIOSO. — Syrus : *Quasi torques auri* (ex auro) *variegatus optime, et ornatus lapidibus pretiosis;* Vatablus : *Ut vas auro solidum, omnigena gloria decoratum.* Alludit ad Rationale pontificis, quod auro et duodecim pretiosis gemmis, totidem pontificis virtutes repræsentantibus constabat, de quibus multa dixi *Exod.* XXVIII, 17, proinde hic plura non addam. Mystice Rabanus : « In auro, inquit, splendor sapientiæ, in lapidibus pretiosis virtutum decor exprimitur : cum ergo virtutes sacræ fulgori sapientiæ intermiscentur, vas animæ hæc habens pretiosissimum esse demonstratur. » Vers. 10. Simon similis vasi aurei.

11. QUASI OLIVA PULLULANS, ET CYPRESSUS IN ALTITUDINEM SE EXTOLLENS, IN ACCIPIENDO IPSUM STOLAM GLORIÆ, ET VESTIRI EUM IN CONSUMMATIONEM VIRTUTIS. — Syrus : *Quasi oliva decora, cujus sunt rami magni, et quasi arbor unguenti satura* (referta; Arabicus, *obvoluta*) *ramis, in accipiendo vestes sanctitatis* (sanctas), *ei in amiciendo se vestibus gloriæ.* Comparat hic post multa alia Simonem oleæ et cypresso, perinde ac sapientiam eisdem comparavit, cap. XXIV, vers. 17 et 19, ut ostendat sapientiam et sapientem, qualis erat Simon, in se complecti omne pretium, omneque decus rerum omnium, eum scilicet in se continere omne id quod pretiosum et pulchrum est in cœlis, æque ac in terris, puta in arboribus, floribus, aromatibus, gemmis, metallis, etc. Vers. 11.

Comparat ergo hic eum olivæ, tum quia olea est arbor speciosa frondibus, et fecunda fructibus; nam profert olivas ex quibus fit oleum, quod simul lux est, cibus et medicina; lucem enim præbet in lampade, cibat esurientes, plagis morbisque medetur, ut ait S. Bernardus, serm. 15 *in Cant.*, in illud : *Oleum effusum nomen tuum.* Hæc omnia populo præstitit Simon, et quivis sapiens ac sanctus. Unde pro *oliva pullulans*, græce est, ἀναθάλλουσα καρπούς, id est *germinans fructus.* Oliva.

Rursum comparat Simonem pontificalibus amictum, graviter et decore in templo incedentem, cupresso, tum ob mentis altitudinem (cupressus enim altissime verticem erigit), tum ob speciem; cupressus enim frondibus suis tam apto ordine compositis adeo decore vestitur, ut referat speciem capitis humani egregie comati et pexi. Unde Græca habent : *Quasi oliva decora,* vel *speciosa, germinans fructus, et quasi cupressus exaltata in nubibus,* vel *usque ad nubes;* Tigurina : *Ut oliva elegans et fructifera, quasi cupressus ad nubes usque procera, cum sumebat gloriosum habitum, cumque omni magnificentia induebatur, atque in ascensu altaris amictum sanctitatis decorabat.* Quod Noster vertit : *In accipiendo ipsum stolam gloriæ,* id est cum indueret vestes pontificias, quæ gloriosæ erant et magnificæ, ac divinitatis indices : numen enim Dei ipsamque deitatem, in nomine « Jehova » laminæ aureæ insculpto, æque ac in Ratio- Cupresso.

nali, totoque cætero ornatu repræsentabat pontifex : « Et vestiri eum in consummationem virtutis, » id est cum vestiretur perfecto et consummato illo ornatu, qui sacerdotalis et pontificalis virtutis, hoc est potestatis et auctoritatis, erat index, symbolum et argumentum. Græce : *Cum se induebat consummatione gloriationis,* id est consummato decore et gloria vestium pontificalium. Sic de Aaronis amictu dixit cap. XLV, vers. 9 : « Circumcinxit eum zona gloriæ, et coronavit eum in vasis virtutis. » Aliter Palacius : Consummatio virtutis, inquit, vocatur lamina cui consummatissima virtus, id est nomen Dei « Jehova » erat insculptum. Recte igitur gloriosus pontifex Simon comparatur cyparisso, quia cyparissus, id est cupressus vel cypressus, est arbor elegans, recta, procera semperque frondens ac convoluta, sursumque in acumen et conum desinens, præsertim si mas sit (cupressus enim alia mas est, alia femina). Unde a Poeta Conifera vocatur et Aeria. Ita Virgilius :

Ratio.

Cypressus conifera.

Aeriæ quercus aut coniferæ cyparissi.

Et Martialis, lib. II :

Daphnonas, platanos ac aerias cyparissos.

Adhibita funeri : cur?

Ex adverso quia cupressus cæsa nunquam revirescit; hinc a Gentilibus feralis habita, et inferis consecrata, indeque atra et funesta est dicta; quia mortui quasi plane excisi non reviviscunt, et a mortuo nihil amplius est sperandum. Ita Plinius, lib. XVI, cap. XXII. Hinc et Ovidius, lib. III *Trist.* eleg. 13 :

Funeris atra mihi ferali cincta cupressu.

Mystice, Rabanus : « In oliva, inquit, lux fidei et affectus misericordiæ; in cypresso vero altitudo perfectionis, et odor suavissimus bonæ voluntatis, quam habent Sancti, intelligitur. » Vide quæ de symbolis olivæ et cypressi dixi, cap. XXIV, vers. 17 et 19. Et Palacius : Simon, inquit, similis fuit olivæ, quæ charitatem erga proximos in oleo figurat; et cupresso, quæ contemplationem et charitatem erga Deum erectam, sua proceritate et rectitudine in cœlum ostendit. Habet pontifex speculum, in quo videat qualem se præstare debeat, scilicet tam benignum et purum quam sunt lucifer, luna, sol, tam in se pura, tam erga nos benigna; jam ut arcus admonet Deum fœderis sui, ne terram diluvio perdat, ita Pontifex adeo sanctus sit, ut Deum admoneat ne peccatores pœnis inferni condemnet; *tertio,* ut rosæ, lilia, et arbor Sabæa tam sunt odorata, ita Pontifex sit bonus odor Christi; *quarto,* ut ignis ardet et purificat, ita zelus Pontificis ardeat, et sordes depellat; *quinto,* ut thus olet in igne, ita ille in persecutione; *sexto,* sit vas aureum charitate, solidum humilitate, ornatum omnibus gemmis, scilicet omnibus virtutibus; *septimo,* sit oliva misericordia, cupressus in mentis erectione.

Septem dotes sacerdotis et Pontificis.

Symbolice hic nota, Sanctos eximios comparari olivæ, quia excelluerunt oleo pietatis et misericordiæ. Unde et nonnulli post mortem stillant oleum, eo quod in vita præ aliis fuerint dediti operibus pietatis et charitatis, cujus symbolum est oleum. Ita oleum stillat ex corpore S. Nicolai, S. Catharinæ, S. Walpurgæ. Qua de re audi Philippum Eystettensem Episcopum, in *Vita S. Wilibaldi,* primi Eystettensis Episcopi, cap. XXXV : « Et ideo de Sanctorum corporibus sacri olei demanatio plenitudinem exuberantis misericordiæ, ac redundantiam viscerosæ pietatis, ac lenitivæ mititatis prætendendo figurat; fuerunt namque hi Sancti, qui habent scaturiginem emanationis sacri olei, misericordissimi ac piissimi in vita, et ideo misericordiam consecuti per signa misericordiæ et pietatis hominibus post mortem laudabiliter innotescunt. Sic B. Walpurgis virgo, tanquam oliva in domo Domini fructuosa, et quasi oliva in campis Ecclesiæ speciosa, per oleum effusum dilatavit nomen suum. Rivulo enim suæ sacræ emanationis, notitia sanctitatis ejus derivata est in fines terræ, oleo misericordiæ et pietatis illuminans cæcos, spiritualiter et corporaliter pascens esurientes in bonis, pro affectu sancti desiderii, ac corpore sauciatos sanans, contritis corde medetur. »

Cur Sancti nonnulli stillent oleum.

12. IN ASCENSU ALTARIS SANCTI, GLORIAM DEDIT SANCTITATIS AMICTUM. — Syrus : *In egressu suo ad recipiendum laudem decore virtutis sanctuarii,* id est in amiciendo se iis quæ honorem et gloriam præferebant, sive vestes sint, sive ornamenta. Nota τὸ *ascensu;* altare enim erat excelsum, unde ad illud ascendere oportebat. Unde « altare dicitur quasi alta ara : ara, quod in ea ardeant victimæ, » ait S. Isidorus, lib. XV *Origin.* cap. IV. Græce, ἐδόξασεν περιβολὴν ἁγιάσματος. Quod *primo,* vertas cum Complutensibus, *glorificavit circuitum sanctitatis,* id est glorificavit ambitum sanctuarii, *q. d.* Pontifex pontificali magnificentia redimitus, decorabat et glorificabat totum templi circuitum. *Secundo,* περιβολὴ non tantum ambitum, sed et amictum significat. Unde melius cum Romanis vertas : *In ascensu altaris sancti gloriam dedit amictu sanctitatis;* Tigurina : *Amictum sanctitatis decorabat;* alii : *Glorificabat amictum sacrosanctum, q. d.* Simon pontifex sua gravitate et sanctitate glorificabat vestem pontificalem, ipsumque sacerdotium, adeo ut ipse honoraret et decoraret potius pontificatum, quam ab eo decoraretur. Idem videtur voluisse Noster dum vertit : *Gloriam dedit sanctitatis amictum, q. d.* Amictum sanctum dedit esse gloriam, hoc est effecit eum gloriosum, decoravit et glorificavit eum suæ personæ dignitate et majestate; sic enim reges et principes graves, moribus ornati, et per omnia compositi magis ornant vestes regales, quam ab iis ornentur. Scitum est illud Alexandri Severi Imperatoris : « Imperatoria majestas constat virtute, non corporis cultu. » Et illud Alfonsi Aragonum regis,

Vers. 12.

apud Panormitanum, lib. I *De ejus gestis* : « Malo moribus et auctoritate meos excellere, quam diademate et purpura. » Qui enim indigni purpura decorantur, sunt, quod vulgo dicitur, simiæ in purpura, in quos competit illud S. Hieronymi ex Cicerone : « Cæsar dum indignos extulit, non ipsos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit. »

Posset tamen nostra Latina versio sic simpliciter accipi, *q. d.* Simon « gloriam dedit sanctitatis amictum, » hoc est Simon splendidus et gloriosus fuit sanctitatis amictu, tum interno, tum externo. Unde Vatablus vertit : « Insignis erat sanctitatis amictu. » Simonis enim sanctitas, gravitas, et compositio morum interna decorabat sanctam illam vestium pontificalium compositionem et ornatum externum, utpote qui sanctitatis internæ erat tantum significatio quædam et repræsentatio, uti dixi *Exod.* XXVIII, 30.

Ex quo discant sacerdotes, seipsos illis sanctis virtutibus moribusque ornare, quales ipse Ordo habitusque requirunt et præferunt, utque iisdem sacerdotium ornent, populoque commendent potius quam ab eo ornentur et decorentur. Unde Rabanus : « In ascensu altaris, inquit, sanctitatis amictum dabit, qui sacerdotii sui jura rite custodit, ut recte subditos doceat, et pro illis quotidie ad Deum preces fundat. » Sic S. Paulus, *Ephes.* III, 6, et II *Cor.* IV, 6, ait se illuminasse Evangelium, quia sua admirabili doctrina et vita illud reddebat lucidius, splendidius et illustrius.

Vers. 13 et 14. 13 et 14. IN ACCIPIENDO AUTEM PARTES (legit μέρη, id est *partes*, jam legunt μέλη, id est *membra*) DE MANU SACERDOTUM, ET IPSE STANS JUXTA ARAM (græce, παρ' ἐσχάρᾳ βωμοῦ, id est *juxta focum altaris*). ET CIRCA ILLUM CORONA FRATRUM : QUASI PLANTATIO CEDRI (Complutensia, κέδρων, id est *cedrorum*) IN MONTE LIBANO, SIC CIRCA ILLUM STETERUNT QUASI RAMI PALMÆ, ET OMNES FILII AARON IN GLORIA SUA. — Ita hæc dispungunt Biblia Romana, licet aliter dispungat Jansenius et alii. Sensus est, *q. d.* Cum Simon pontifex acciperet « partes, » græce μέλη, id est membra animalium immolatorum offerenda et imponenda altari holocaustorum, ut in eo Deo cremarentur; tunc ipse erat stans circa aram quasi sacerdos et pontifex sacrificaturus Deo pro toto populo : « Et circa illum, » id est cingens, coronans et condecorans illum erat « corona fratrum, » puta minorum pontificum, sacerdotum et Levitarum, quasi diaconorum, qui omnes subserviebant ipsi, ipsumque ornabant et honorabant; perinde ac cedrus procera in Libano circum se plantas cedrorum minorum habet, quibus ornatur et decoratur; et sicut palma circum se habet multos ramos ex eodem trunco germinantes, quibus vallatur, ornatur et roboratur; omnes enim rami tandem in eamdem palmæ arborem coeunt, in eaque uniuntur. Pari modo et decore hi omnes sacerdotes et ministri cinxerunt Simonem pontificem « in gloria sua, » id est in decore et glorioso suo amictu, ordine, officio, ministerio, modestia, gravitate et pietate. Unde Vatablus vertit : « Cum item membra e manibus sacerdotum accipiens stabat ad focum aræ cingente eum corona fratrum, cedro in Libano natæ similis erat, illis perinde ut stirpes palmarum, et omnibus prognatis Aarone cum sua magnificentia circumstantibus, sacrificiaque Domini manu tenentibus coram universo cœtu Israelitarum. »

Comparat ergo Simonem pontificem *primo*, cedro, quod, sicut cedrus eminet minoribus cedris sive surculis, quibus cingitur et coronatur, qui ex eodem trunco vel radice progerminant : sic et Simon eminebat cæteris sacerdotibus eisque quasi corona cingebatur et coronabatur, quia ex eodem trunco, puta Aarone, prognati erant. Simoni cedro.

Secundo, comparat eum palmæ : sicut enim palma in altum çacumen attollens, circumcirca ramis ex eodem trunco prognatis ambitur, et instar coronæ circumdatur, qui tandem palmæ se inserunt, et cum ea in unam arborem coeunt; quo fit ut palma forinsecus tota sit nodosa : sic pariter Simon cæteris Dei ministris eminens, iis circumcirca in orbem cingebatur, qui cum eo unum clerum, unumque sacerdotium efficiebant; sed ita ut a Simone omne suum decus et gloriam acciperent. Et palma.

Nota : Hæc sacrificia quotidie obibant sacerdotes minores; in festis tamen solemnioribus, præsertim in festo Expiationis, ea per se obibat Pontifex, ingrediens et lustrans Sancta sanctorum, *Levit.* XVI; tumque hac sacerdotum corona circumdatus, magnam pontificatus magnificentiam præ se ferebat, qua populum ad devotionem et reverentiam sui, et magis Dei excitabat.

Antitype idem facit Pontifex Romanus, qui dum in festo Paschæ et SS. Petri et Pauli solemniter in basilica eorumdem celebrat, undique cingitur Cardinalibus purpuratis, mitratis Episcopis, sacerdotibus, diaconis, subdiaconis, acoluthis, cæterisque altaris ministris vestibus sacris redimitis, pulchro ordine, modestia, reverentia, pietate circumstantibus et ministrantibus. Circumstant et legati Imperatorum, Regum et Principum : totus denique populus tanto numero, ut subinde basilica, licet capacissima, eum vix capiat. Denique personarum apparatus, sacrorum majestas, musicorum symphonia, etc., cœlestis paradisi gaudia repræsentant; in quo Deo jubilant ex ordine novem Angelorum chori, omnesque Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, Religiosorum et Confessorum cœtus. Corona et majestas Pontificis.

Sic de S. Basilio scribit ei intimus S. Gregorius Nazianzenus, orat. 20, quæ est *De Laudibus S. Basilii*, quod, cum Valens Imperator Arianus, infensus S. Basilio in festo Epiphaniæ adiret Ecclesiam, ut eum inde ejiceret, vidisse S. Basilium, suis Clericis circumdatum, tanta majestate et

pietate sacris operantem, ut vertiginem passus pene in animi deliquium inciderit. Sed audi S. Gregorium rem gestam enarrantem : « Postquam enim intus fuit, atque ipsius aures psalmorum cantu non secus ac tonitruo quodam personuerunt, plebisque pelagus vidit, omnemque ordinem et concinnitatem, quæ tam in sacrario, quam prope sacrarium erat, angelicam potius quam humanam; atque ipsum quidem ante populum recto corpore stantem, qualem Scriptura Samuelem describit, nec corpore, nec oculis, nec animo perinde ac si nihil novi contigisset, ullam in partem se moventem, sed Deo, ut ita dicam, et altari affixum; eos autem, a quibus cingebatur, cum timore quodam ac reverentia stantes : hæc, inquam, simul atque perspexit (nec enim simile quidquam unquam viderat), humanum quiddam passus est, atque oculorum vertigine ac tenebris totus impletur. Atque id plerisque adhuc obscurum et incognitum erat. Verum, cum dona, quæ ipsemet effecerat, divinæ mensæ offerenda essent, nec quisquam, ut mos ferebat, simul ea caperet (quod non satis liqueret an ea Basilius acceptarus esset); tum vero manifeste se affectus prodidit : ita enim titubare cœpit, ut, nisi quispiam ex sacrarii ministris vacillantem supposita manu retinuisset, misere utique et luctuose prolapsurus fuerit. »

S. Ambrosii. S. Basilii æmulus et assecla fuit S. Ambrosius, qui proinde, cum Theodosius Imperator post Offertorium in templo intra cancellos constitisset, per Diaconum percunctatus est cur ibi moraretur; cumque ille responderet : Ut videam sacra peragi mysteria; rursum misso Diacono eidem renuntiavit, ut agnosceret locum suum : nam eum, in quo consisteret esse sacerdotibus Pontificem ambientibus designatum; atque adjecit : « Purpura imperatorem facit, sacerdotem nequaquam. » Tanti antistitis majestatem reveritus Theodosius paruit, atque extra cancellos ad locum laicorum et populi se transtulit.

Mystice. Mystice Rabanus : « Bonum est, inquit, ut qui primus est in ordine, præcipuus fiat in bona operatione et eruditione doctrinæ. Deinde fratres ejus illum circumstent, hoc est imitentur : fratres enim hic possumus intelligere presbyteros, diaconos et cæteros minoris ordinis viros, qui boni pastoris pium sequantur exemplum, et coram omni synagoga Israel, hoc est credentium multitudine, digne sui ordinis agant officium, ut inde omnes provocentur ad laudandum omnipotentem Deum; ita enim ipsa Veritas in Evangelio præcepit dicens : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est, » *Matth.* v.

Vers. 15, 16 et 17. 15, 16 et 17. OBLATIO AUTEM DOMINI IN MANIBUS IPSORUM, CORAM OMNI SYNAGOGA ISRAEL : ET CONSUMMATIONE FUNGENS IN ARA, AMPLIFICARE OBLATIONEM EXCELSI REGIS PORREXIT MANUM SUAM IN LIBATIONE, ET LIBAVIT DE SANGUINE UVÆ. EFFUDIT IN FUNDAMENTO ALTARIS ODOREM DIVINUM EXCELSO PRINCIPI. — Syrus : *Circumdantibus illum velut corona fratribus suis omnibus filiis Aaron in suo ipsorum honore, tenentibus oblationes manibus suis coram universo populo Israel, donec compleverunt* (alius codex habet, *complevit*, scilicet Simon Pontifex) *ministrare altari, et ministrare in lætitia sanctitatis; porrexit ad urceum manum suam, et accepit vinum vetus, et effudit super latus altaris in odorem beneplaciti.* Pro *consummatione fungens*, græce est, συντέλειαν λειτουργῶν, id est *consummationem ministrans et sacrificans*; hoc est, perfecto et consummato munere sacerdotii fungens, sive ultimas sacrificii partes exsequens, et sacrificium perficiens : ultima enim pars erat libatio sanguinis uvæ, id est effusio vini in pavimentum altaris : hac enim effusione vinum consumebatur in honorem Dei, ideoque ei offerri et sacrificari censebatur. Aliter Palacius : ipse enim per « consummationem » accipit holocaustum; hoc enim, quia totum Deo cremabatur, hinc erat perfectum et consummatum sacrificium. Ostendit in præcedentibus decorem coronæ sacerdotum circumstantium Pontificem, nunc eorum declarat opus et ministerium, *q. d.* Sacerdotes circumstantes Pontificem habent oblationem in manibus quam tradunt Pontifici, ut is eam Deo offerat. Tunc Pontifex consummaturus sacrificium, et extremam ei manum impositurus, ut ampliorem oblationi Dei excelsi gloriam addat, extendit manum suam ad phialam vino plenam, quam effundens in pavimentum altaris ei libat, id est litat et offert Deo excelso, juxta illud quod sancitum est *Num.* XXVIII, 14 : « Vinum ad libamentum offeret in odorem suavitatis; » græce, ὀσμὴν εὐωδίας, quæ verba hic pariter Siracides usurpat in Græco. Sed Noster vertit *odorem divinum;* tum quia erat suavissimus et optimus, utpote vini optimi et odoratissimi : optima enim sunt Dei, ideoque vocantur divina; tum quia Deo dicatus erat et consecratus; tum denique quia sicut in victimis, ita et in libamine apponebant thus; quod dicit « divinum, quia communi gentium usu nulli nisi Deo offertur et adoletur, uti dixi *Levit.* II, 2.

Immolationis et libationis ritus. Audi de immolatione et libatione S. Isidorum, lib. VI *Origin.* cap. XIX : « Immolatio dicta, eo quod in mole altaris posita victima (alii a mola salsa, id est farina cum sale inspersa capiti victimæ), unde et mactatio post immolationem est. Nunc autem immolatio panis et calicis convenit : libatio autem calicis tantummodo oblatio est. Hinc est illud : Et libavit de sanguine uvæ. Sic et Poeta, *Æneid.* VII : Nunc, ait, pateras libate Jovi; libare enim proprie fundere est, sumptumque nomen de Libero, qui in Græcia usum reperit vitis. »

Loquitur Siracides de magnificentia sacrificiorum Simonis, quasi recenti, quam ipse oculis spectarit, cujusque grata apud omnes exstet memoria.

Allegorice de Eucharistia.

Allegorice, Rabanus : « Consummata oblatio offertur, inquit, excelso Regi, quando corpus Christi in sacro altari offertur Deo omnium dominatori, ubi et libatio fit sanguine uvæ, quando sanguis Redemptoris exhibetur in calice : quod fundendum est in fundamentum altaris, hoc est totum agendum in commemorationem nostri Redemptoris ; ipse est enim fundamentum, quod portat totum Ecclesiæ ædificium. Cujus oblationis odor suavissimus est excelso Principi, quia beneplacet ac gratissima est Deo Patri omnipotenti. » Denique sanguinem Christi optime repræsentat sanguis uvæ : hic enim est vinum non album, sed valde rubrum, quod sanguinis habet colorem : ac Palæstini vinum rubrum habent, non album. Vide Delrio, *adagio* 52.

Vers. 18.

18. TUNC EXCLAMAVERUNT FILII AARON, IN TUBIS PRODUCTILIBUS SONUERUNT, ET AUDITAM FECERUNT VOCEM MAGNAM IN MEMORIAM CORAM DEO. — Syrus : *Vocem validam ad benedicendum coram universo populo.* Jusserat enim Deus Moysi, *Num.* X, facere duas tubas ductiles ex argento, quibus clangerent filii Aaron in festis tempore sacrificii. Nam, vers. 10, ait : « Si quando habebitis epulum, et dies festos et calendas, canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri ; » ut scilicet hoc jubilo testemini vos memores esse Dei, cui jubilatis, ac vicissim et potius ut Deus hac vestra devotione animique alacritate provocatus, recordetur vestri, vestras preces et vota exaudiat, vobisque sit propitius et beneficus. Hoc ipsum Siracides vocat : « In memoriam coram Domino, » ut scilicet Deus, excitus vestro hoc tubarum jubilo, memor sit vestri, vobisque benefaciat. Unde Tigurina vertit : *Vocem ingentem edere commendationis causa*, qua scilicet se Deo commendent ; Vatablus : *celebrationis causa*, qua scilicet Deum laudent et celebrent.

Clangor tubarum et cymbalorum in sacrificio, cur ?

Porro duabus hisce tubis David et Salomon multas alias addidere, easque tradidere sacerdotibus ad clangendum tempore immolationis, cum Levitæ personarent cymbalis, citharis et psalteriis. Hoc est enim quod dicitur II *Paral.* V, 12, in dedicatione templi Salomonis : « Tam Levitæ quam cantores, etc., vestiti byssinis, cymbalis et psalteriis et citharis concrepabant, stantes ad Orientalem plagam altaris, et cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis. Igitur cunctis pariter et tubis, et voce, et cymbalis et organis, et diversis generibus musicorum concinentibus, et vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur ; ita ut, cum Dominum laudare cœpissent, et dicere : Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus ; impleretur domus Dei nube. »

Sic antitype longe potiori ratione et jure in sacrificio Missæ tempore Offertorii et Consecrationis cantores et musici personant vocibus et organis. Audi S. Isidorum, lib. I *De Offic. Eccles.* cap. XIV : « Offertoria, ait, quæ in sacrificiorum honore canuntur, Ecclesiasticus liber indicium est veteres cantare solitos, quando victimæ immolabantur. Tunc exclamaverunt, ait, filii Aaron in tubis. Non aliter et nunc in sono tubæ, id est vocis prædicatione, cantu accendimus, simulque corde et opere laudes Domino declamantes, jubilamus, in illo scilicet vero sacrificio, cujus sanguine salvatus est mundus. »

Angeli assistunt sacrificio.

Quocirca non tantum cantores, sed et Angeli summa reverentia altare tunc circumstant, Deoque consona voce jubilant. Audi S. Chrysostomum, lib. VI *De Sacerdotio* : « Per id tempus et Angeli sacerdoti assident, et cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, choris Angelorum cinctus est. » Angelorum, sacrificio Missæ ministrantium, exempla plura recensui, *Num.* IV, 49 ; et S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. LVIII : « Quis, inquit, fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri. »

Allegorice.

Allegorice, Rabanus : « Filii Aaron, inquit, sacerdotes sunt Christi, et ministri altaris divini : hi voces exaltant in tubis ductilibus, hoc est prædicationem exhibent doctrinæ per passionem consummatæ in memoriam coram Domino. Ductiles autem apte dicuntur, quia fideles diversis passionibus tusi, Domino largiente, proficiunt, et tanto plus crescunt, quanto amplius duri mallei fuerint iteratione percussi. Malleus enim est diabolus, de quo Propheta dicit : Contritus est malleus universæ terræ, » *Jerem.* L.

Vers. 19.

19. TUNC OMNIS POPULUS (singuli de populo) SIMUL PROPERAVERUNT, ET CECIDERUNT IN FACIEM SUPER TERRAM, ADORARE DOMINUM DEUM SUUM, ET DARE PRECES OMNIPOTENTI DEO EXCELSO. — Syrus, *et dederunt in confessionem* (in laudem et gratiarum actionem) *vocem suam, et delectati sunt simul in prece, q. d.* Ad oblationem et clangorem unanimem sacerdotum excitus populus, eos quasi duces suos secutus devotionis pariter spiritum induit, ac pronus in terram corruens adoravit Deum, suasque preces et vota ei obtulit. Idem jussit fieri Nabuchodonosor in dedicatione statuæ aureæ, *Daniel.* III, 5 et 6.

Populus olim sacerdoti succinebat, *Amen.*

Simili modo totus populus Christianus olim succinebat sacerdotibus, respondendo : *Amen*, teste S. Paulo, I *Cor.* XIV, 10. Unde S. Hieronymus, *Præfat. in Epist. ad Galat.* lib. II : « Ad similitudinem, inquit, cœlestis tonitrui *Amen* reboat. » Et Ausonius, in *Ephemeride* :

> Consona quem celebrant modulati carmina David,
> Et responsuris ferit aera vocibus *Amen.*

Quin et in multis Germaniæ locis in festo Paschæ et Natalis Christi, totus populus in templo hymnos Christo nascenti et resurgenti canit, et re-

boando jubilat, ut animi lætitiam et devotionem testetur.

20. ET AMPLIFICAVERUNT PSALLENTES IN VOCIBUS SUIS, ET IN MAGNA DOMO AUCTUS EST SONUS SUAVITATIS PLENUS. — Pro *amplificaverunt psallentes in vocibus suis*, græce est : καὶ ἤνεσαν οἱ ψαλμῳδοὶ ἐν φωναῖς αὐτῶν, *et laudaverunt cantores vocibus suis*. Unde patet dictionem « psallentes » apud nos non esse participaliter accipiendam, nec attribuendam toti populo, sed nominaliter pro cantoribus, ut sit sensus : « Et psallentes, » hoc est, inquit Jansenius, Levitæ, quorum ex institutione Davidis officium erat cantare psalmos et carmina, populo in terram prostrato, « amplificaverunt, » Deum « in vocibus suis, » hoc est eum glorificaverunt ejusque laudem ample et magnifice extulerunt : sicque in magno illo templi et atriorum ædificio, auctus est sonus plenus melodia. Primum ergo sacerdotes tuba cecinerunt, deinde populus in terram prostratus est, et cantores suo officio functi sunt. Illis autem canentibus, quid populus fecerit subdit, dicens: «Et rogavit populus,» etc.

Pro *in magna domo*, græce est : ἐν πλείσῳ οἴκῳ; pro quo nonnulli legunt : ἐν πᾶντι οἴκῳ, id est *in tota domo, q. d.* Quia domus Dei erat ampla et fornice tecta, hinc augebatur dulcis musicorum concentus in ea; fornicatæ enim testudines, quia voces continent et reverberant, hinc augent sonum ac subinde efficiunt echo. Complutensia legunt : ἐν πλείῳ ἤχῳ, id est : *in multo*, vel *multiplici sono*. Sic et Vatablus : *Cantores autem*, inquit, *vocibus suis laudes agere, ut suave plurimo sono carmen ederetur* ; alii : *Et collaudarunt cantores psalmorum vocibus suis, multiplici sono carminum modi dulcuerunt*. Sic et hodie dum in festis solemnibus plures sunt numerosique chori musicorum, mire sonora et concinna editur ex consona tot vocum modulatione melodia et concentus suavissimus.

21. ET ROGAVIT POPULUS DOMINUM EXCELSUM IN PRECE USQUE DUM PERFECTUS EST HONOR DOMINI, ET MUNUS SUUM PERFECERUNT. — Hæc pertinent ad versum 19, eumque explent; significant enim quod populus perrexerit adorare Deum, quamdiu sacerdotes et cantores sacrificiis et psalmis Deum celebrabant, *q. d.* Populus sacerdotibus et Levitis consentiens, et quasi succinens, perrexit Deum rogare et precari, donec perfectus est honor, græce κόσμος, id est ornatus; hoc est ornata psalmodia, sacrificia, cæremoniæ et cultus Domini, puta donec sacerdotes et cantores suum « munus, » græce λειτουργίαν, id est sacrum ministerium litandi et psallendi perfecerunt. Unde Vatablus vertit : *Interim populus summo Domino supplicare, precesque fundere coram misericordi, donec absolveretur cultus ipsius, sacraque ministeria peragerentur*. Populi enim est sacerdotibus obsequi, eosque in cultu Dei subsequi, ut sic utrique vicissim suas in Deo colendo partes agant.

Nota hic : Sacrorum cultus vocatur κόσμος, id est ornatus : *primo*, quia in se pulcher et decorus erat; *secundo*, quia ornabat Ecclesiam ipsumque Deum; *tertio*, κόσμος significat nitorem et ornatum vestium sacerdotalium, quo utebantur sacerdotes, donec sacra perficerent, quibus honorabant tam sacra, quam Deum, cui sacra faciebant.

Nota, *secundo*, τὸ *perfecerunt* : Inde enim discant laici non discedere e templo, nec cessare a prece et laude Dei, donec sacerdotes sua sacrificia, psalmodias, conciones et doctrinas absolverint; sicut enim perfectum a sacerdotibus Deus exigit sacrificium et laudem, sic et a populo.

22. TUNC DESCENDENS, MANUS SUAS EXTULIT IN OMNEM CONGREGATIONEM FILIORUM ISRAEL, DARE GLORIAM DEO A LABIIS SUIS, ET IN NOMINE IPSIUS GLORIARI. — Græca Complutensia pro *dare gloriam Deo* legunt, διδόναι εὐλογίαν κυρίου, id est *dare benedictionem Domini*, subandi populo; videtur enim hic Siracides significare benedictionem, quam sacerdos peracto sacrificio impertiebatur populo, dicens : « Benedicat tibi Dominus, et custodiat te, » etc., *Num.* VI, 34. Et sic benedixit populo Aaron celebratis suis primitiis, *Levit.* IX, 23. Verum Græca Romæ correcta, Vatablus, Tigurina et alii pro κυρίου legunt κυρίῳ, id est *Domino*, in dativo; unde vertunt : *Dare benedictionem Domino*, id est benedicere, laudare et glorificare Dominum; quod Noster clare vertit : *Dare gloriam Deo*. Sacerdos enim, benedicens populo, simul benedicebat Deum; quia a Deo velut omnis boni datore, cujus magnificentiam et beneficentiam celebrabat, precabatur populo omnem gratiam omneque bonum : qua prece utique significabat et protestabatur Deum esse omnis boni fontem, quod sane est Deum benedicere et laudare, atque « in nomine ipsius gloriari, » quia omnis boni laudem et gloriam Deo assignabat. Unde Vatablus vertit : *Deinde cum descendisset ille, manus suas ad omnem cœtum Israelitarum, laudes Domino labiis suis agendo, ejusdemque nomine gloriando, extendere.* Vers. 22

Alludit ad factum Salomonis, qui in dedicatione templi sui, peractis sacrificiis, ita Deo æque ac populo benedixit : « Benedictus Dominus qui dedit requiem populo suo Israel, etc. Sit Dominus Deus noster vobiscum, etc. Sit quoque cor nostrum perfectum coram Domino Deo nostro,» etc., III *Reg.* VIII, 56. Simile fecere Jonathan et Nehemias sacerdotes in sacrificiis, quæ obtulerunt in purificatione templi, in qua a Deo missus fuit novus ignis e cœlo in victimas, II *Machab.* I, 23 : « Orationem autem, inquit, faciebant sacerdotes dum consummaretur sacrificium, Jonatha inchoante, cæteris autem respondentibus. Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: «Domine Deus, omnium creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus justus et omnipotens, et æternus, qui fecisti patres electos, et sanctificasti eos, accipe sacrificium pro universo populo tuo Israel, et custodi

partem tuam, et sanctifica, » etc. Ubi manifeste vides sacerdotes benedixisse Deum, æque ac populum: Deum laudando, et de suis attributis ei congratulando; populum, bona illi a Deo imprecando et postulando. Utrumque ergo faciebat sacerdos, et utrumque ad eum ex officio spectabat. Unde Palacius : Benedictio Salomonis, inquit, III *Reg.* VIII, fuit Deum exaltare, et fidelem in promissis ostendere. Tunc Salomon flexit utrumque genu, et felicia populo a Deo impetrare contendit, simul divinam laudans potentiam, quæ posset cuncta quæ vellet. Ad eum modum Simon fecit; nam conversus ad congregationem, quæ in atriis stabat intenta, extulit in cœlum manus labiis suis dans gloriam Deo, et in nomine exsultans, quod tanta beneficia ab eo accepisset. Tunc conversus ad altare, iterum orationem coram Domino fudit pro felicitate Israelis, ostendens a Deo felicitatem dependere.

Ritus pontificis benedicentis populo.

Igitur Pontifex, benedicens populo, elevabat manum sursum; mox eam deprimebat deorsum, inde a sinistra movebat ad dexteram describendo formam crucis, inquit Jansenius, Palacius et alii. Vide dicta cap. XXXVI, vers. 19; populus vero, flexis genibus, Pontificis benedictionem excipiebat, uti modo Romæ fieri videmus, cum Pontifex solemniter benedicit populo, præsertim in festo Ascensionis Christi, ut ejus benedictionem imitetur, de qua plura dixi *Actor.* I, 9.

Vers. 23. 23. ET ITERAVIT ORATIONEM SUAM, VOLENS OSTENDERE VIRTUTEM DEI, — supple, se agnoscere et commendare, *q. d.* Simon Pontifex ob devotionem, tum suam tum populi, iterato elevans manus benedixit tam Deum quam populum, ut hac benedictione exultans ostenderet et publice celebraret virtutem Dei, puta *primo*, Dei potentiam, sanctitatem et magnificentiam; *secundo*, Dei fidelitatem et bonitatem, qua tot beneficia assidue Israeli præstabat; *tertio*, « virtus » hæc accipi potest efficacia benedictionis, quam populo dabat Pontifex, *q. d.* Simon iteravit suam benedictionem, ut ostenderet eam fore efficacem, et reipsa complendam; quia nomine et jussu Dei promittentis se eam ratam habiturum, et reipsa præstiturum, eam impertiebat populo, *Num.* VI, 34. Unde Græca pro *virtutem* habent εὐλογίαν, id est benedictionem, beneficentiam, gratiam. Pro *iteravit* legit Interpres ἐδευτέρωσεν, in singulari; jam Complutensia et nonnulli alii legunt in plurali, ἐδευτέρωσαν, id est *iterarunt*, scilicet Israelitæ. Rursum pro « ostendere » Noster legit ἐπεδείξασθαι; jam Complutensia et alii legunt ἐπιδέξασθαι, id est *suscipere*; unde hunc versum explicant de populo, non de Pontifice, sicque vertunt : *Et iterarunt adorationem, ut susciperent benedictionem ab Altissimo*; Tigurina : *Inde rursum preces iterari ad benignitatem Altissimi percipiendam*; Vatablus, *ad gratiam impetrandam ab Altissimo*. Quæ verba significant, ait Jansenius, populum qui prius tempore sacrificii se semel in terram prostraverat, ut dictum est vers. 19, peracto sacrificio, cum Simon Pontifex eum esset benedicturus, rursus se adorando Deum prostravisse, ut susciperet benedictionem non tam a Pontifice quam a Deo altissimo, sicut ei imprecabatur Pontifex, dicens : « Benedicat tibi Dominus. » Unde et in nostra versione in verbo « iteravit » repeti potest nomen «populus,» et nomen «orationem» accipi potest pro *adorationem*, ut habent Græca, ut sensus sit : Et populus, sacerdote ipsum benedicente, iteravit adorationem suam, volens ostendere virtutem Dei, se scilicet agnoscere. Verum aptius hæc referas ad Pontificem, ut patet ex copula « et, » quæ hæc immediate præcedentibus connectit; præcedentia autem ad Simonem Pontificem spectant, non ad populum. Accedit quod Græca emendata in singulari legant plane eo modo quo legit Noster; habent enim : *Et iteravit in adoratione*, id est iteravit adorationem, *ad ostendendum benedictionem ab Altissimo, q. d.* Simon Deum adoravit, ut ostenderet se benedicere populo, non nomine et virtute sua, sed Dei, cujus opem adorando implorabat, ut is benedictionem suam faceret efficacem, et in effectum deduceret. Ad Simonem enim omnis hæc laus pertinet.

Moraliter, disce hic benedictionem Pontificum æque ac Patriarcharum fuisse efficacem, et magnam habuisse virtutem; idque ex institutione et promissione Dei, qui per Pontificem benedicebat populo, *Num.* VI, 34; ideoque populus flexis genibus avide et reverenter eam excipiebat. Efficacior est benedictio Pontificum Christianorum, utpote quæ fit nomine, meritis et virtute Christi, a quo omnis in homines gratia dimanat. Vide dicta cap. III, 11, et *Num.* VI.

Vers. 24. 24. ET NUNC ORATE DEUM OMNIUM, QUI MAGNA FECIT IN OMNI TERRA, QUI AUXIT DIES NOSTROS A VENTRE MATRIS NOSTRÆ, ET FECIT NOBISCUM SECUNDUM SUAM MISERICORDIAM. — Ita Romana et Græca. Perperam ergo passim pro *Et nunc orate*, legunt : *Et plus oravit*. Pro *orate* græce est εὐλογήσατε, id est benedicite; prima enim orationis pars debet esse Dei benedictio, id est laus et gratiarum actio, ut per eam Dei benevolentiam nobis conciliantes, novam ab eo gratiam emendicemus et emereamur, uti ostendi I *Timoth.* II, 1. Unde Vatablus vertit : *Nunc quoque Deo rerum omnium laudes agite, Deo per omnia magnifico, qui nobis ab utero in dies augescere dedit, et nobiscum egit pro sua misericordia.*

Est conclusio capitis et totius libri : nam post recensitam benedictionem Simonis Pontificis hortatur populum, ut Pontificem suum sequens et imitans, adorando benedicat Deum, id est eum laudet, eique gratias agat; idque triplici titulo et causa : prima est generalis, quia Deus « magna fecit in omni terra; » ergo ab omnibus terræ incolis cum gratiarum actione laudandus et celebrandus est; secunda est specialis, quia Deus « auxit dies nostros a ventre matris nostræ, »

quia scilicet Deus nobis a nativitate huc usque conservavit et prolongavit dies et annos vitæ nostræ, ut alii ad 50, alii ad 60, alii ad 70 annum, Deo dante, sani, læti, fideles et fortunati vixerint: sub vita enim omnia non tantum ad vitam necessaria, sed et utilia ac commoda, tam corporalia quam spiritalia accipe, quæ Deus omnibus, sed maxime fidelibus suis, puta Judæis, illo ævo singulari cura et providentia, tanquam pater summe providus et beneficus procurabat; Deus enim suorum ab utero per omnem vitam, usque ad ultimum vitæ spiritum specialem gerit curam et sollicitudinem. Unde David : « In te, inquit, projectus sum ex utero, » *Psal.* XXI, 11. Et : « In te confirmatus sum ex utero; de ventre matris meæ tu es protector meus, » *Psal.* LXX, 6. Et : « Suscepisti me de utero matris meæ; » *Psal.* CXXXVIII, 13. Et Isaias, cap. XLIV, 2 : « Dominus etc., ab utero auxiliator tuus. » Et cap. XLVI, 3 : « Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. » Et cap. XLIX, vers. 5 : « Formans me ex utero servum sibi. » Et vers. 1 ; « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. » Et Jeremias I, 5: « Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te. » Tertia est, quia « fecit nobiscum » non secundum justitiam, qua nostris peccatis juste poterat rependere pœnas et maleficia, sed « secundum suam misericordiam, » ut peccata nostra dissimularet, et pœnitentibus condonaret; quin et suam gratiam, omnemque beneficentiam, tum temporalem, tum præsertim spiritalem, sive externam, sive internam, conferre et rependere non cessaret.

Vers. 25 et 26.

25 et 26. DET NOBIS JUCUNDITATEM CORDIS, ET FIERI PACEM IN DIEBUS NOSTRIS IN ISRAEL PER DIES SEMPITERNOS. CREDERE ISRAEL NOBISCUM ESSE DEI MISERICORDIAM, UT LIBERET NOS IN DIEBUS SUIS. — Pro *jucunditatem*, uti legunt quoque Græci codices Romæ emendati, Complutensia legunt εἰρήνην, id est *pacem*; Tigurina et alii addunt, καὶ εὐφροσύνην, id est *et lætitiam*, sive juncunditatem. Pro *per dies sempiternos*, græce est, κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ αἰῶνος, id est *per dies sæculi*. Pro *credere*, græce est ἐμπιστεῦσαι; quod Complutensia vertunt : *Ut cum fide faciat misericordiam ejus*; Romani : *Fidelem faciendo nobiscum misericordiam suam*. Noster melius vertit, « credere; ἐμπιστεύω enim idem est quod credo, fidem adhibeo, uti ex Galeno, Alexandro Aphrodisio et aliis docet Budæus in *Comment. linguæ græcæ*. Unde II *Paralip.* XX, 20, Septuaginta vertunt : Ἐμπιστεύσατε ἐν κυρίῳ θεῷ ὑμῶν, καὶ ἐμπιστευθήσεσθε, id est : *Credite in Domino Deo nostro, et securi eritis*, ut vertit Noster. Pro *in diebus suis*, græce est αὐτοῦ, quod cum Romanis tam *ejus*, puta Simonis Pontificis, quam *suis*, verti potest, *q. d.* Liberet nos Deus ab omni malo toto tempore pontificatus et vitæ Simonis Pontificis nostri, Deo et hominibus clari. Complutensia et Vatablus pro αὐτοῦ legunt ὑμῶν, id est *nostris*. Græca ergo Romæ correcta sic habent : *Det nobis jucunditatem cordis, et fieri pacem in diebus nostris in Israel secundum dies sæculi, fidelem faciendo nobiscum misericordiam suam; et in diebus ejus* (Simonis) *liberet nos*; Vatablus : *Is nos perfundat jucunditate animi, nostrisque temporibus pacem concedat, ut priscis sæculis in Israel, ut misericordiam suam in nos ratam faciat, nosque temporibus nostris liberet*; alii : *Det nobis lætitiam cordis, utque pax sit in diebus nostris in Israel secundum dies sæculi, ut fidem faciat misericordiæ suæ apud nos, et in diebus suis redimat nos.* Imitatur Siracides Simonem Pontificem; quare, sicut ille sacrificia benedictione concludebat : sic et ipse librum simili benedictione concludit, apprecans Israeli « jucunditatem cordis, » id est lætitiam animi; quia in ea consistit felicitas vitæ tam præsentis quam futuræ, juxta illud quod dixit cap. XXX, 23 : « Jucunditas cordis hæc est vita hominis. » Porro ut hanc lætitiam obtineat Israel, optat ei pacem perennem hoc fine, ut Israel expertus jugem hanc Dei in se beneficentiam certius credat, id est sibi persuadeat perpetim sibi adesse Dei misericordiam, ut ei se suaque omnia fidenter credat et committat, ideoque in quavis difficultate ad eam recurrat, ac certa fiducia eam invocet, omniaque quæ petit ab ea impetret, quo fiat ut illa liberet nos ab omni malo in diebus suis. Τὸ *suis* vel ad Deum referri potest, *q. d.* Liberet nos Deus « in diebus suis, » id est perpetuis, quibus scilicet Israelem curat, protegit et gubernat : aut potius τὸ *suis* referas ad Israel, *q. d.* Deus liberet Israelem in diebus suis, id est, quamdiu Israel erit Israel, puta quamdiu Israel erit Ecclesia et populus Dei. Ita Palacius : Ut Simon, inquit, precatus est felicia populo; ita precatur auctor : *primo*, ut Deus det jucunditatem cordis; quare comprehendit felicitatem privatam : cum enim corde lætus sum, felix sum; nam et Paulus ait : « Gaudete » in Domino semper; iterum, dico, gaudete; *secundo*, ut det pacem in diebus nostris, et semper : quæ est felicitas publica; nam pax est status omnium bonorum; *tertio*, speciatim petit ut Israel credat sibi Dei misericordiam adesse; si enim id, ut debet, credat, habebit liberationem ab hostibus, per omnes dies quibus vixerit Deus. Quod Deus præstitit, non exstinguens gentem Judæam usque ad Christum, per quem melius liberati, vere liberi sunt per omnem æternitatem. De spiritualibus Judæis loquor : « Non enim qui in manifesto, Judæus est; neque quæ in manifesto in carne, est circumcisio : sed qui in abscondito, Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, » *Rom.* II, 28. Unde Syrus hos tres versus, scilicet 24, 25, 26, ita convertit : *Laudaveruntque populus terræ Deum, qui fecit prodigia in terra, qui creavit homines de ventre matris suæ, et gubernat eos secundum voluntatem suam, ad dandam eis scientiam cordis, et sit pax inter eos, et consistat cum Simone misericordia, et cum semine ejus sicut dies cœli*, id est perpetim in æternum.

Paulo aliter Dionysius Carthusianus accipit τὸ *credere nobiscum, etc., q. d.* Det Deus Israeli pacem, quatenus filii Israel hinc inde per gentes dispersi percipiant et credant Deum misericorditer esse cum eo; sicque festinent ad terram Israel reverti, ut « liberet eos » (sic enim legit Dionysius, Jansenius et alii passim; sed pro *eos*, legendum cum Romanis et Græcis, *nos*) a captivitate et servitute gentium omnique malo. Sic et Lyranus.

Vers. 27 et 28.

27 et 28. DUAS GENTES ODIT (Syrus : *In duabus gentibus contristata est*) ANIMA MEA; TERTIA AUTEM NON EST GENS, QUAM ODERIM : QUI SEDENT IN MONTE SEIR, ET PHILISTHIM, ET STULTUS POPULUS QUI HABITAT IN SICHIMIS. — Interserit hæc de tribus gentibus Israeli inimicis Siracides, ex amore et zelo Israelis. Quia enim omnia fausta precatus est Israeli, suumque eximium in eum affectum ostendit, orans ut Deus eum ab hostibus protegat : nunc consequenter ostendit suum in gentes tres hostiles odium, eo quod illæ Israeli perpetim essent infestæ; sicut ergo Israelis fidem et pietatem celebravit, ita nunc trium gentium infidelitatem, impietatem et hostilitatem detestatur.

Tres gentes exosæ Judæis.

Græca jam pro *in monte Seir*, habent, *in monte Samariæ*; sed perperam : nam sic non tres gentes hic nominarentur, sed tantum duæ : Samaritani enim iidem sunt cum Sichimitis; Samaritanorum enim metropolis, post excisam Samariam urbem, fuit Sichem. Vide hic rursum ut Latina Vulgata correctior sit et præstet Græcis originalibus. Pro *odit*, græce est, προσώχθισα; quod Complutensia vertunt : *Onerosa fuit anima mea;* Romana : *Odit anima mea;* Vatablus : *Infensus fuit animus meus;* alii : *Offensa est anima mea.* Idem verbum habetur *Psalm.* XCIV, 10, ubi dicitur : « Quadraginta annis offensus fui generationi illi; » græce προσώχθισα, hebraice אקוט *acut;* quod Aquila et Symmachus vertunt, δυσηρεστήθην, id est *ægre tuli, offensus fui, fastidivi;* Chaldæus, *aspernatus sum;* S. Hieronymus, *displicuit mihi;* Vatablus, *rixatus sum, contendi, cum tædio pertuli.* Sensus ergo est, *q. d.* Ego Siracides, sicut fideles et pios Israelitas, cives meos, toto animi affectu complector; ita plane aversor tres gentes infideles et impias, quæ Deo exosæ sunt, et ejus populo, puta Israeli, uti vicinæ eumque quasi circumcidentes, ita eidem summe infestæ.

Primo. Idumæi.

Prima gens est Idumæorum, qui habitant « in monte Seir; » horum enim in Israelem odium cœpit in Esau, primo eorum patre, qui Jacobum fratrem ob præreptam sibi primogenituram, internecino odio est prosecutus, illudque patris odium posteri non tantum imbiberunt, sed et vehementer auxerunt.

Secundo. Philistini.

Secunda gens est Philistinorum; hi enim, ut ex libris Judicum et Regum constat, perpetuis bellis et cladibus affecerunt vexaruntque Israelem.

Tertio.

Tertia gens, quam summe odi, est Cuthæorum, sive Samaritanorum Judæis infensissimorum, quorum metropolis erat Sichem. Unde de ea dicit : « Tertia autem gens non est gens quam oderim; » quæ verba sic ordinanda sunt, *q. d.* « Tertia gens quam oderim, » id est quam merito odisse debeam, « non est gens, » id est non est digna gentis nomine. Quapropter Syrus et Græca habent tantum : *Duas gentes odit anima mea, atque tertiam quæ non est gens,* id est non meretur nomen gentis. Aut certe : « Tertia autem non est gens quam oderim, » *q. d.* Tertia sicut non est gens, sic nec odio digna : quia vilis, abjecta; tum quia non erat una gens, sed conflata ex multis Assyriorum gentibus, puta ex Babyloniis, Cuthæis, Avathæis, Evathæis, Sepharvaimitis, ut patet IV *Reg.* XVII, 24; erat ergo non tam gens, quam miscellanea plurium gentium turba : tum quia non erat illa gens, quam se esse jactabat, nimirum Judæa, oriunda ex Jacob et Patriarchis; hoc enim jactasse de se Samaritas patet *Joan.* IV, 20. Porro vocat hanc gentem « stultam; » quia cum Deo vero Israelitarum colebat idola Assyriorum, ut patet IV *Reg.* XVII, 24. Samaritæ.

Origo schismatis Samaritanorum.

Hinc Judæi Samaritanos maxime oderant, adeo ut nullum cum eis vellent habere commercium, ut patet *Joan.* IV, 20. Recens autem majoris odii occasio accesserat, quam innuit voce « Sichimis. » Pro quo nota Manassen Jaddi Pontificis fratrem in uxorem accepisse Nicato, filiam Sanaballat Cuthæi, quem Darius rex Persarum præfecerat Samariæ; cumque Manasses ob hoc cum alienigena matrimonium, sacerdotio Hierosolymis spoliandus esset, cogitavit ejus repudium. Sanaballat ergo, ne eam repudiaret, promisit ei pontificatum novum : quare ædificavit templum simile Hierosolymitano in monte Garizim, ad cujus radices sita erat Sichem, quæ tunc erat Samariæ caput (Sichem enim a Jeroboam primo rege Israel, sive decem tribuum, facta erat caput Samariæ; ac licet postea Amri rex idipsum transtulerit in Samariam urbem; tamen tempore Alexandri Magni rursum Sichem erecta est in caput Samariæ, teste Josepho, lib. XI *Antiq.* Porro Sichem tempore Christi corrupte dicta est « Sichar, » postea « Neapolis, » atque ibidem Pontificem constituit Manassen generum suum. Quocirca de templo hoc velut schismatico et Hierosolymitani æmulo, assidua Judæis cum Samaritis fuit controversia et contentio, ut patet *Joan.* IV, 20. Hæc omnia patent ex Josepho, lib. XI *Antiq.* cap. VII et VIII, et lib. XII, cap. I. Excisum est tandem hoc templum post ducentos annos ab Hyrcano Pontifice, Simonis, fratris Judæ Machabæi, filio, teste Josepho, lib. XIII, cap. XVII. Igitur Siracides inculcat hic odium Sichimitarum, quia eorum schisma et contentio recruduit sub ejus tempora, ob templum schismaticum recens erectum in Garizim juxta Sichem; hoc enim erectum fuit tempore Jaddi Pontificis, qui fuit avus Simonis justi, cui coævus fuit Siracides. Unde

ejus laudes operose pertexuit hoc cap. L. Audi Josephum tempore Ptolemæi Lagi, sub quo vixere Simon justus et Siracides, describentem, lib. XII *Antiq.* cap. II : « Seditiones continuæ erant inter eorum (Judæorum, qui sub Ptolomæo in Ægyptum migrarunt) posteros et Samaritas, instituta patria pertinaciter retinentes, pugnabantque inter se jugiter, dum Hierosolymitani suum templum sacrosanctum esse affirmant, et victimas a Judæis non alio mittendas : Samaritæ contra in montem Garizim eas mitti debere contendunt. »

Mystice, tres gentes quid significant?

Mystice Rabanus et ex eo Jansenius : Israel est Ecclesia et populus Christianus, cujus tres infensissimi hostes sunt : *primo*, Idumæi, id est Judæi, qui æque ut Idumæi, ex fidelibus Patriarchis, Abraham, Isaac et Jacob, progeniti spiritales eorum in fide filios, puta fideles Christianos, persequuntur. Unde vocantur « Edom » et Idumæi, id est rufi : quia sanguine Christi, quem occiderunt, et Christianorum rubricati; et « Seir, » id est pilosi, quia superbi et duri obstinate in sua perfidia persistunt; *secundo*, sunt Philistiim, qui interpretantur ruina duplex, ait Rabanus. Hi repræsentant gentes idololatras, Turcas et Saracenos, qui nihil commune habent cum Christianis, sed in sua idololatria et sceleribus perseverantes Christianos atrocissime persequuntur; *tertio*, sunt Samaritæ qui repræsentant hæreticos. Hi stulti habitant in Sichimis, id est in humeris sive laboribus; quia quotidie perversa scribendo et prava docendo, stulte laborem suum consumunt, ut se et alios in errorem et gehennam pertrahant. Dicentes ergo se sapientes, stulti facti sunt, *Rom.* I. Hi non sunt gens una, quia ex variis locis orti, et ex variis sectis et hæresibus etiam inter se contrariis conflati; veritatem tamen religionis sibi solis contra Catholicos orthodoxos vindicare audent, mentientes se Apostolorum esse filios et discipulos, eorumque doctrinæ insistere.

Rursum Idumæus, velut frater natu major Jacobo, sive Israele, repræsentat mundum; Philistæus dæmonem; Sichimita carnem, ait Paladius; Sichem enim corrupit Dinam Jacobi filiam, *Gen.* XXXIV. Porro hi tres hostes circumcidunt et occidunt fideles et Ecclesiam, sicut Israelem et Judam circumcidebant et obsidebant Idumæi a Meridie, Philistæi ab Occidente, Sichimitæ a Septentrione.

Ibid. 29. 29. DOCTRINAM SAPIENTIÆ ET DISCIPLINÆ SCRIPSIT IN CODICE ISTO JESUS FILIUS SIRACH JEROSOLYMITA, QUI RENOVAVIT SAPIENTIAM DE CORDE SUO. — Syrus : *Omnia proverbia sapientum et ænigmata eorum scripta sunt in codice isto.* Hic versus et sequentes duo videntur esse adjecti Siracidi seniori sive avo, a Siracide juniore sive nepote, ut ostendat libri hujus auctorem esse Jesum filium Sirach avum suum; veteres enim, ut Moses, Josue, David, Samuel, etc., gloriam fugientes nomen suum libris non præfigebant. Unde in calce nomen ab aliis addebatur, ut sciretur libri auctor. Atque hac de causa ne tot libris S. Augustini, S. Hieronymi, S. Cypriani, etc., velut incertis et dubiis, utpote olim anonymis, tanta est inter doctos disceptatio. Eadem est de auctoribus libri Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon, Judith, Tobiæ, Esther, Machabæorum, etc. Addidit ergo hæc Jesus nepos, ut testetur librum hunc scriptum ab avo suo. Verum nil obstat quominus hæc ab ipso Jesu seniore, sive avo scripta dicantur; sic enim in aliis nonnullis veterum libris nomen ab ipso auctore in calce adjectum legimus. Unde Græca Romæ correcta pro *scripsit*, legunt in prima persona *scripsi*, quasi ipse avus loquatur dicatque : Ego Jesu doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsi in codice isto. Primus, qui nomen suum operi præfixit, fuit Salomon; proverbia enim sua ipse sic inchoat : « Parabolæ Salomonis, filii David regis Israel. » Græca nonnulla, ut Tigurina, ad « Jesus filius Sirach » addunt : *Eleazar*, vel *Eleazari*, quasi Jesus hic fuerit filius Sirach, qui Sirach fuerit filius Eleazari, ita ut Jesus fuerit nepos Eleazari. Unde aliqui opinati sunt Jesum hunc fuisse nepotem Eleazari Pontificis, qui septuaginta Interpretes misit ad Ptolemæum Philadelphum. Verum id refutavi in prologo; Jesus enim hic fuit coævus Simoni Pontifici, qui Eleazarum in pontificatu antecessit, illumque quasi fratrem ejus hæredem et successorem reliquit. Nam in Simone finit elogia patrum, nec ullam Eleazari successoris facit mentionem. Quare paulo post Simonis mortem hunc librum scripsisse videtur, sub initium regni Ptolemæi Philadelphi; unde et nepos ejus in prologo fatetur se librum hunc ex Hebræo in Græcum transtulisse sub Ptolemæo Evergete, qui Philadelpho proxime in regnum Ægypti successit. Quocirca alii censent Sirach, patrem Jesu, alio nomine vocatum Eleazarum; erant enim Judæi polyonymi. Verum τὸ *Eleazar*, vel *Eleazari*, delent codices Græci Romæ emendati, æque ac Latini omnes : quare plane irrepsisse videtur, esseque delendum.

An Siracides fuerit nepos Eleazari pontificis.

Porro Jesus « renovavit sapientiam de corde suo ; » quia priscam veterum sapientiam, sive ethicam jam obsoletam, et pene oblivioni traditam, de novo conscripsit, itaque eam quasi novam edidit et vulgavit. Græce est : ἀνώμβρισε σοφίαν ἀπὸ καρδίας, id est *distillavit*; Romana : *Diffudit sapientiam a corde*; Vatablus : *Effudit animi sui sapientiam*, alii proprie : *Ut imbrem effudit sapientiam e corde suo*, juxta illud Moysis : « Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina, » *Deut.* XXXII, 2. Vide ibi dicta.

Vers. 30. 30. BEATUS, QUI IN ISTIS VERSATUR BONIS : QUI PONIT ILLA IN CORDE SUO, SAPIENS ERIT SEMPER. — Syrus : *Beatus vir, qui in his meditabitur, et discet ea, et capiet ea, et faciet ea.* Nota : Adeo insitum naturæ est beatitudinis desiderium, ut nemo sit qui non velit esse beatus. Unde S. Augustinus,

Beatitudo sit sapientia.

lib. XIII *De SS. Trinitate*, cap. III : « Mimus quidam, inquit, cum se promisisset in theatro quid in animo haberent, et quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum major multitudo conflueret, suspensis silentibus omnibus, dixisse perhibetur : Vili vultis emere, et caro vendere, etc. Ennius quoque dicens : Omnes mortales sese laudari exoptant, videtur pronuntiasse hominum omnium voluntates, etc. Ac si dixisset : Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis; dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate. » Ibidem enim ostendit aliquos non cupere laudem, nec opes; sed nullus prorsus est qui non cupiat esse beatus. Verum multi quærunt beatitudinem ubi non est, puta in honore, epulis, divitiis. Siracides ergo hic, digito ad fontes intento, indicat locum sedemque beatitudinis esse sapientiam; ut ibi eam quæramus, alibi eam non inventuri. Sola enim sapientia, hoc est sola virtus, beat.

Vers. 31. 31. SI ENIM HÆC FECERIT, AD OMNIA VALEBIT : QUIA LUX DEI VESTIGIUM EJUS EST. — Syrus : *Altitudo* (eminentia) *timoris Dei super omnia exaltata est; vide eum, fili mi, et ne dimittas eum.* Sensus est, *q. d.* Beatus erit qui in bonis, tum virtutibus, tum earum præmiis, quæ hoc libro describit, legendo et meditando assidue versatur : quare qui ea in corde suo recondit, sapiens evadet. Si enim hæc in opus et praxim redegerit, ad omnia quæ agenda erunt, fiet potens et validus (græce enim est ἰσχύσει,) *quia lux Dei vestigium ejus est.* Est metonymia; « vestigium » enim ponitur pro gressu qui fit per vestigia, *q. d.* Quia ambulat, et vestigia gressuum actionumque suarum figit in luce legis et sapientiæ Dei, juxta illud Christi : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, » *Joannis*, VIII, 12. Unde Vatablus vertit : *Qui hæc egerit, valebit ad omnia; quia vestigium ponit in luce Domini, qui sapientia pios imbuit;* quia scilicet Jesus Sirach hæc scripsit non ex cerebro suo, sed ex illustratione lucis divinæ. Alludit ad columnam ignis et lucis, quæ quasi dux vitæ Hebræos præcessit in deserto, eosque certo duxit et perduxit in terram promissam; quacumque enim illa præcedebat, illac sequebantur Hebræi, ibique vestigia sua figebant, *Exod.* XIII, 21. Eadem de causa Abrahæ apparuit lampas in caligine, transiens inter divisiones victimarum, *Genes.* XV, 17; lampas enim transiens repræsentabat Deum, qui Hebræis quasi in tenebris Ægypti oberrantibus prætendit facem, ut tuto exirent : itaque Hebræos invitabat ad exitum. Quare populo Hebræorum tunc « lux Dei » fuit « vestigium ejus; » quia scilicet populus præeuntis lucis vestigia secutus est. Idem tropologice, Deus facit justis, dum eis viam ad virtutem, perfectionem et beatitudinem prælucens indicat et commonstrat. Id facit per illustrationes rerum divinarum et cœlestium, quas quasi fulgura menti immittit.

Græca Complutensia, Vatablus et alii addunt : *Et piis dedit sapientiam. Benedictus Dominus in sæculum. Fiat, fiat.* Verum codices Romæ emendati hæc omittunt; prior enim pars mutuata et transsumpta videtur ex fine capitis XLIII, posterior ex fine *Psalmi.* LXXXVIII.

CAPUT QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Laudat et celebrat Deum, quod se a multis afflictionibus et periculis liberarit. Inde, vers. 18, *ostendit quantum a puero studuerit sapientiæ, quantosque ex ea fructus perceperit. Denique, vers.* 31, *omnes suo exemplo ad sapientiæ studium hortatur et accendit.*

1. Oratio Jesu filii Sirach : Confiteor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum. 2. Confitebor nomini tuo : quoniam adjutor et protector factus es mihi, 3. et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium, et in conspectu astantium factus es mihi adjutor. 4. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus, præparatis ad escam, 5. de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me : 6. a pressura flammæ, quæ circumdedit me; et in medio ignis non sum æstuatus : 7. de altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta : 8. laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, 9. et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. 10. Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. 11. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ, quæ a sæculo sunt : 12. quoniam eruis sustinentes te, Domine, et liberas eos de mani-

bus gentium. 13. Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecatus sum. 14. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum sine adjutorio. 15. Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. 16. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. 17. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.

Post elogia, præcepta, exempla sapientiæ toto libro tradita, more oratorum concludit acri exhortatione, lectores incitando, ut eam sibi conquirant et comparent; modum autem eam comparandi docet esse orationem et studium a puero: sic enim se eam a teneris annis comparasse, ideoque ex amaris ejus radicibus dulces tandem ejusdem fructus percepisse commemorat.

18. Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palam in oratione mea. 19. Ante templum postulabam pro illa, et usque in novissimis inquiram eam. Et efflоruit tanquam præcox uva, 20. lætatum est cor meum in ea. Ambulavit pes meus iter rectum, a juventute mea investigabam eam. 21. Inclinavi modice aurem meam, et excepi illam. 22. Multam inveni in meipso sapientiam, et multum profeci in ea. 23. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam. 24. Consiliatus sum enim ut facerem illam: zelatus sum bonum, et non confundar. 25. Colluctata est anima mea in illa, et in faciendo eam confirmatus sum. 26. Manus meas extendi in altum, et insipientiam ejus luxi. 27. Animam meam direxi ad illam, et in agnitione inveni eam. 28. Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar. 29. Venter meus conturbatus est quærendo illam: propterea bonam possidebo possessionem. 30. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, et in ipsa laudabo eum.

Siracides huc usque proposuit se in exemplum Philosophis, id est sapientiæ studiosis, ac triplicis possessionis præmio, quod per ejus studium assecutus est, tacite omnes ad idem illexit: nunc vero clare et aperte omnes ad illud ipsum hortatur et invitat. Ubi nota: Siracides huc usque ostendit quam studiosus fuerit in discenda sapientia; nunc ostendit quam cupidus sit ejusdem docendæ. Vere enim sapientis est, id quod didicit docere alios: vice versa insipientis est, velle docere quod non didicit. Unde S. Gregorius, Præf. in Pastor. : « *Sunt plerique,* inquit, *qui dum metiri se nesciunt, quæ non didicerunt docere concupiscunt; qui pondus magisterii tanto levius æstimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant.*

31. Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ. 32. Quid adhuc retardatis? et quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer. 33. Aperui os meum, et locutus sum: Comparate vobis sine argento, 34. et collum vestrum subjicite jugo, et suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam. 35. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. 36. Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in ea. 37. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini in laude ipsius. 38. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

PRIMA PARS CAPITIS.

1. ORATIO JESU FILII SIRACH. — « Oratio, » id est hymnus et psalmus, quo gratias agit Deo pro liberatione sua e tot periculis et malis, eumque laudat et glorificat; oratio enim genus est amplum, omnem mentis ad Deum elevationem, collocutionem, unionem significans: quod multas sub se continet species, quarum una est hymnodia et psalmodia, sive laus et gratiarum actio, ut patet I *Timoth.* II, 1. Sic Pharisæus orabat dicens : « Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, » *Lucæ,* XVIII, 11. Sic angeli et Beati in cœlo orant et adorant Deum, ejus sanctitatem et magnificentiam, admirando et exclamando : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus

Deus exercituum : plena est omnis terra gloria tua; » et : « Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum, » *Apocal.* v, 13, et iv, 8 et seq., et vii, 12.

Hymnus Siracidis ad quid? Porro ad litteram scripsit hunc hymnum Siracides pro se, scilicet ut gratias agat Deo pro sui liberatione, et beneficiis ab eo acceptis; Spiritus Sanctus tamen per eum voluit hic toti Ecclesiæ, omnibusque fidelibus dare formam gratias agendi Deo pro liberatione e quibuslibet periculis et malis. Unde Ecclesia eam usurpat applicatque S. Agneti aliisque sanctis Virginibus et Martyribus, illamque legit in earumdem Officio et Missa. Ita Rabanus. Siracides ergo præscribit hic modum gratias agendi Deo omnibus Sanctis, præsertim Virginibus et Martyribus, pro salute animæ et corporis, et maxime castitatis a Deo inter tot tentationes et violentias semper conservatæ. Fuit enim hoc perpetuum quasi Dei studium, ut virgines fideles, quas tyranni in lupanari omnium violentiæ et libidini prostituebant, a Deo virginum patrono et vindice per miraculum illæsæ perpetuo servarentur, uti patuit in S. Agnete. S. Lucia, S. Agatha, cæterisque omnibus.

CONFITEBOR TIBI, DOMINE REX, ET COLLAUDABO TE DEUM SALVATOREM MEUM. — Syrus : *Laudabo nomen tuum, Domine, quotidie.* Pro *confitebor* græce est, ἐξομολογήσομαι, id est faciam exomologesin, edam confessionem meam, ut scilicet vere et sincere coram toto mundo confitear et profitear me innumeris malis circumdatum, et pene oppressum, nulla mea vel humana virtute, sed solius Dei ope ab omnibus liberatum, salvum et incolumem evasisse. Deum vocat « regem, » ut opponat eum Ptolemæo regi se affligenti, *q. d.* Rex Ptolemæus me afflixit; sed Deus, qui est Rex regum, et Dominus dominantium, ab ejus manu et tyrannide me liberavit. Rursus vocat eum σωτῆρα, id est *salvatorem,* tum ut alludat ad nomen Jesu Christi Salvatoris, cujus ipse typum nomine, æque ac doctrina et passione sua, præferebat; Christi enim meritis omnis hæc ejus liberatio, omnisque gratia adscribenda est; nam hebraice *Jesus* idem est quod græce σωτήρ, latine Salvator, *Matthæi* i, tum ut alludat ad Ptolemæum Lagi suum persecutorem, qui Soter cognominatus est, sed falso, teste Josepho, lib. XII *Antiquit.* cap. i, *q. d.* Ptolemæus non fuit meus soter, id est salvator, sed oppressor : Deus optimus maximus et Christus meus, verus fuit soter, qui me ab omnibus Ptolemæi afflictionibus potenter et clementer eripuit. Siracides imitatur Prophetas, ut Isaiam, qui post populi liberationem in doxologiam erumpens, cap. xii, 1 : « Confitebor, inquit, tibi, Domine, quoniam iratus es mihi : conversus est furor tuus, et consolatus es me. » Idem fecere tres pueri cum a Deo servarentur illæsi in fornace Babylonia; *Danielis* iii, 51 et 57, ubi ob tantum miraculum et beneficium jubilantes « : Benedicite, inquiunt, omnia opera Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula, » etc. Idem facit Habacuc, cap. iii : « Domine, audivi auditionem tuam, et timui. » Unde vers. 18 : « Ego autem, inquit, in Domino gaudebo : et exsultabo in Deo Jesu meo. » Idem crebro facit David in Psalmis, ut *Psal.* ix, 2 : « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. » *Psal.* lvi, 10 : « Confitebor tibi in populis, Domine : et psalmum dicam tibi in gentibus. » *Psal.* lxxxviii, 6 : « Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine. » *Psal.* cv, 1 : « Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. » *Psal.* cvi, 21 : « Confiteantur Domino misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum. »

Quibus exemplis docet Spiritus Sanctus, nos perpetim debere Deo gratias agere pro innumeris beneficiis, quibus nos a plurimis, etiam occultis, periculis liberat, et in dies plurima dona, quæ non cognoscimus, vel non advertimus, elargitur et confert, uti docet S. Chrysostomus in formula gratias agendi Deo, quam alibi recitavi. Vide quæ de Dei laude et gratiarum actione dixi, *Apoc.* iv, 8, et v, 23, et vii, 12.

2. CONFITEBOR NOMINI TUO : QUONIAM ADJUTOR ET PROTECTOR FACTUS ES MIHI. — Syrus : *Enarrabo nomen tuum in Canticis. Fiducia mea a sæculo es, o Excelse;* Vatablus : *Nomini tuo gratulor, quod mihi defensor fueris et adjutor.* Pro *confitebor,* græce rursum est : ἐξομιλογήσομαι, id est profitebor meam infirmitatem, meaque mala, ac Dei virtutem et beneficentiam, qua me ex omnibus malis eripuit : nostræ enim infirmitatis et divinæ virtutis bonitatisque humilis et grata confessio, summa est Dei laus et gratiarum actio. Vers. 2.

Imitatur Davidem, qui Deum solet vocare et invocare « adjutorem » et « protectorem. » Deus enim, est « adjutor, » ait Jansenius, ad superandum mala jam parata : « protector, » ne obruant mala futura. « Adjutor » ad benefaciendum : « protector » ad evitandum mala. Porro quibus in rebus Deus fuerit sibi adjutor et protector explicat, dum subdit :

3. ET LIBERASTI CORPUS MEUM A PERDITIONE, A LAQUEO LINGUÆ INIQUÆ (græce, ἐκ παγίδος διαβολῆς γλώσσης, id est, *e laqueo calumniæ linguæ;* Vatablus, *a labiis linguæ calumniatricis*), ET A LABIIS OPERANTIUM MENDACIUM. — « Operantium, » id est loquentium; opus enim labiorum non est aliud, quam loqui. « Operantium » ergo « mendacium, » id est contra me concinnantium calumnias, fraudes, falsa testimonia, etc, Unde Vatablus : *Quod adversus labia mendacio dedita, contraque adversarios mihi tuleris auxilium.* Vers. 3.

ET IN CONSPECTU ASTANTIUM FACTUS ES MIHI ADJUTOR. — Pro *abstantium,* legit cum Romanis et aliis παρεστηκότων; jam Complutensia et Vatablus legunt καθεστηκότων, id est *contra stantium,* hoc est adversantium mihi. Ut hæc omnia intelligantur, notandum est ex Josepho, XII *Antiq.* i, Ptolemæum Lagi (sub quo floruit Siracides) proxime post *Ptolemæi Lagi su-*

vitia in Judæos.

Alexandrum Magnum regem Ægypti, dolo occupasse Jerusalem, in eamque sæviisse, hos spoliando, illos occidendo, alios perplures captivos abducendo : « Ingressus enim sabbato urbem, ut Josephus, velut sacrorum gratia, Judæis nec resistentibus (quod nihil hostile suspicarentur), et quoquin eum diem in otio et quiete agentibus, sine difficultate potitus dominatu, acerbe eam et inclementer tractavit. » Et mox : « Ptolemæus multos captivos ex montano Judææ tractu, et Hierosolymorum vicinia, Samariaque et Garizim in Ægyptum traductos, jussit sedes ibi figere. »

Philadelphi in eosdem clementia.

Unde cap. II, narrat Ptolemæum Philadelphum, qui Ptolemæo Lagi quasi patri in regnum successit, manumisisse 120 Judæorum millia in gratiam Eleazari pontificis, qui eidem septuaginta Interpretes, ad Biblia Hebræa in Græcum idioma convertendum, transmiserat. Videtur ergo Siracides, utpote Hierosolymita, et vir in ea urbe princeps, ac sapientia clarus, huic cladi interfuisse, ejusque non minima pars exstitisse. Cum igitur in miseranda illa strage multi Judæi occiderentur, maxime viri nobiles et sapientes, quod eos suæ tyrannidi restituros timeret Ptolemæus; videtur et Siracides velut unus e primariis urbis civibus et principibus, cum aliis quæsitus ad necem, atque ex Ægyptiorum gladiis, ignibus et tormentis (quibus urbs ab hoste occupata conflagrabat) ereptus ope divina. Hoc est quod hic ipse commemorat et celebrat. Ita Palacius, Jansenius et alii. Ait ergo : « Liberasti corpus meum a perditione, » græce, ἐξ ἀπωλείας, id est *ab interitu*, puta a morte, quæ in urbis vastitate mihi in singulas horas a grassante hoste imminens, et quasi præsens, jugiter ob oculos versabatur. « A laqueo linguæ iniquæ, » id est *calumniatricis*, ut vertit Vatablus. Credendum est, inquit Palacius, aliquem delatorem detulisse Ptolemæo, ubi auctor lateret, ut inde abduceretur ad pœnam, et contra eum mendacia fuisse conficta; ideo ait : « A labiis operantium mendacium, et in conspectu astantium factus es mihi

Siracides accusatus apud Ptolemæum, sed a Deo liberatus.

adjutor. » Credo auctorem coram Ptolemæo et ducibus ejus adductum, mendacia contra se audivisse; sed eum in tam ancipiti causa orantem Deus adjuvit, ne occideretur. Unde Syrus : *Liberasti*, inquit, *animam meam a morte, prohibuisti carnes meas a corruptione, de manu inferi liberasti pedes meos.* Forte Siracides apud Ptolemæum mendaciter accusatus fuit alicujus seditionis aut perduellionis, quod cives et vicinos ad ei quasi hosti resistendum, eumque urbe expellendum occulte sollicitaret : hoc enim magistratus et senatoris (qualis putatur fuisse Siracides) videbatur esse officium.

Simili modo apud Theodoricum regem Gothorum in Italia, accusati fuere Symmachus et Boetius senatus Romani principes, ac Joannes Pontifex, quod Romam et Romanos ad ei, velut Ariano, rebellandum sollicitarent, ac contra eum Justini Imperatoris auxilium implorarent : qua de causa omnes ab eo occisi illustre obiere martyrium; sed mox sceleris pœnas dedit Theodoricus, projectus in ollam Vulcaniam, uti narrat S. Gregorius, lib. IV *Dial.* cap. XXX. Vide Boetium, in libris *De Consolat. philosophiæ*, quos ea de causa in carcere conscripsit, dignos utique tanto principe, philosopho et Martyre.

Causa calumniæ quoque fuisse videtur, quod Siracides, utpote Scriba et doctor legis avitæ, Judæos, præsertim in Ægyptum abducendos, doceret, ut ab Ægyptiorum idolis et moribus caverent, ac in paterna religione fideque a Deo Moysi tradita constantes persisterent; inde enim accusarunt eum quasi Ægyptiorum et Ptolemæi hostem, uti solent politici religionem ad politiam trahere, et in fide religiosos non tantum perfidiæ, sed et politiæ suæ adversarios interpretari. Quod si ita est, Martyr censendus est Siracides, utpote qui martyrio Jesu Christi, patiendo pro Dei lege et fide, patientia sua præluserit, ejusque typum tam nomine quam prædicatione, tam vitæ innocentia et sanctitate, quam persecutionum et tormentorum tolerantia gesserit. Certe in Festis SS. Virginum et Martyrum hoc legit Ecclesia in Officio divino; unde sentire videtur Siracidem suo hic martyrio iis viam stravisse.

Vers. 4 et 5.

4 et 5. ET LIBERASTI ME SECUNDUM MULTITUDINEM MISERICORDIÆ NOMINIS TUI A RUGIENTIBUS, PRÆPARATIS AD ESCAM, DE MANIBUS QUÆRENTIUM ANIMAM MEAM, ET DE PORTIS TRIBULATIONUM, QUÆ CIRCUMDEDERUNT ME. — *q. d.* Liberasti me non meis meritis, sed ob tuam immensam misericordiam ab hostibus in urbis vastatione furibundis, instar leonum scilicet rugientibus, prædæque et cædi inhiantibus, qui quærebant « animam, » id est vitam meam, perdere. Per *portas tribulationum*, *primo*, Palacius intelligit judices. Solebant enim Hebræi in portis judicia exercere, et reos condemnare, *q. d.* Per Deum liberatus sum a judicibus meam condemnationem agitantibus, meamque necem ordientibus. *Secundo*, Dionysius, *q. d.* Liberasti me ab ipsis tribulationibus, quæ sunt portæ et viæ ad mortem, et ad vitam futuram, imo ad vitam beatam, si æquanimiter Dei intuitu et amore sustineantur.

Portæ tribulationum, quæ? Respondeo primo. Secundo.

Tertio.

Tertio et aptius, per *portas* accipe ingressus, incursus, irruptiones densas tribulationum; sicut enim per portas hostis irrumpens in urbem, eam ferro flammaque vastat : sic dum portas tribulationum in aliquem laxat aperitque Deus, illæ facto agmine in hominem irruunt, eumque prosternunt et obruunt. Alludit ad irruptiones militum Ptolemæi in Jerusalem, per portas dolo vel vi apertas : hi enim uti urbem, ita Siracidis domum et familiam vastare satagebant : sed Deus eum protexit et liberavit. Dicit ergo : Uti omnes urbis portæ apertæ Ptolemæo, viam dederunt irruentibus undique militibus ad eam vastandam : ita omnes tribulationum aditus in me laxari videbantur, ut omnes tribulationes in me ir-

ruerent, meque perderent; sed Deus me ab eis tutatus est et eripuit. Sic Virgilius, I *Æneid.*, de ventis e cœlo in terram erumpentibus, eamque horrisone perflantibus ait :

Qua data porta ruunt, et terras turbine perflant.

Adde, in portis significari robur et firmitatem pene insuperabilem tribulationum : portæ enim urbium solent esse munitissimæ et robustissimæ *q. d.* Videbar mihi undique cinctus tribulationibus, velut portis quibusdam validissimis et insuperabilibus; sed Deus omnes superavit et disjecit. Legit Interpres πυλῶν, id est portis : jam legunt πλειόνων, id est multis. Unde vertunt : *De multis tribulationibus*; Vatablus : *E plurimis, quas perpessus sum, afflictionibus.*

Porro vocat « misericordiam nominis » Dei, quia Deus misericordiam nomine suo præfert. Vocatur enim « miserator, misericors, multæ miserationis, pater misericordiarum, Deus totius consolationis, » etc., *Exod.* XXXIV, 6, *Psalm.* CX, 4, et II *Cor.* I. Ut significetur Deo proprium esse misereri et parcere, ac misericordiam ipsi esse connaturalem, intimam et essentialem, de eaque velut de nomine proprio Deum gloriari. Unde Græca Romæ correcta addentia *et*, legunt, *misericordiæ et nominis*; Syrus : *Salvasti me in multitudine misericordiarum tuarum, ab offendiculo* (scandalo) *et perditione liberasti me, et de manu quærentium animam meam, et a multitudine angustiarum mearum liberasti me.*

Vers. 6. 6. A PRESSURA FLAMMÆ (Syrus, *a flamma ignis*,) QUÆ CIRCUMDEDIT ME, ET IN MEDIO IGNIS NON SUM ÆSTUATUS, — scilicet non sum ambustus, *q. d.* Me ab acri tribulatione et validæ persecutionis æstu liberasti, quæ instar ignis me undequaque vallabat et urebat, id est acriter cruciabat : sic enim « ignis » et « flamma » per catachresin, sæpe sumitur pro quolibet acri dolore et cruciatu; ut *Psalm.* XVI, 3: « Igne me examinasti; » *Psalm.* LXIII, 10 et 12; *Eccli.* II, 5. Ita Rabanus, Jansenius et alii. Posset tamen « ignis » et flamma » hic proprie accipi. Quid enim prohibet, inquit Palacius, judicis sententia Siracidem in rogum flammantem fuisse projectum, uti olim fuere juvenes Hebræi in fornacem Babylonicam injecti, *Daniel.* III, atque inde fuisse a Deo liberatum? Unde Græca habent : *A suffocatione flammæ in circuitu, et de medio ignis, ubi non sum æstuatus*; alii, *ubi non exarsi.* Flamma enim intercludens halitum et respirationem, hominem suffocat. Unde Vatablus : *Ex igne suffocationem undique minanti, ex igne, quem non accenderam.*

Qui vincit ignem concupiscentiæ, vincet et ignem corporeum. Mystice Glossa : Ignis significat æstum libidinis : hujus enim repressio et exstinctio, est singulare donum gratiæ Dei : qui enim ignem concupiscentiæ vicerunt, vicerunt quoque ignem corporeum. Unde S. Agnes ob castitatem in medio flammarum illæsa, expansis manibus exultans orabat : « Te deprecor, omnipotens, adorande, colende, Pater metuende, quia per sanctum Filium tuum evasi minas sacrilegi tyranni, et carnis spurcitias immaculato calle transivi; et ecce venio ad te, quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi. Te confiteor labiis, te corde, te totis visceribus concupisco. » Ita S. Ambrosius, *serm.* 90. Exemplum S. Agnetis.

S. Peregrinus Diaconus Anconitanus, et Martyr sub Diocletiano, cum in craticula ferrea igne subjecto extenderetur, oleoque perfunderetur, Deum verbis hisce precatus : « Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas; » et : « Libera me a pressura flammæ, quæ circumdedit me, » incendium illud sine læsione superavit, ut ex monumentis Ecclesiæ Anconitanæ narrat Ferrarius, in *Catalogo Sanctorum Italiæ*, ad diem 16 maii. Et S. Peregrini.

Memorabile est quod de abbate Petro, cui cognomen Igneus, legimus in *Vita S. Joannis Gualberti*, fundatoris Ordinis Vallis Umbrosæ, nimirum Petrum hunc, ut simoniam Achiepiscopi Florentini probaret et coargueret, invocato prius Deo veritatis et religionis vindice, per medios flammarum globos uti intrepidum, sic et illæsum pertransisse, indeque Igneum cognominatum.

Magis mirabile et memorabile est quod de nonnullis Martyrum legimus, eos ad rogum damnatos, cum corpus acribus flammarum cruciatibus absumeretur; animum tamen in iis illæsum invictumque, ac tormentis omnibus superiorem perstitisse, perinde ac si foret Angelus, nec in suo, sed in alieno corpore ureretur, qui proinde Deo gratulans jubilansque dicebat : « Liberasti me a pressura flammæ, quæ circumdedit me, et in medio ignis non sum æstuatus. »

Vers. 7. 7. DE ALTITUDINE VENTRIS INFERI, ET A LINGUA COINQUINATA, ET A VERBO MENDACII, A REGE INIQUO ET A LINGUA INJUSTA, — repete, liberasti me. « De altitudine, » id est a profunditate : hanc enim significat Græcum βάθος. Sic mare altum vocamus profundum. Sensus est, *q. d.* Liberasti me ab alto, id est profundo, ventre inferni. Cogitabant me occidere, et ita mittere in infernum : omnes enim, etiam justi, ante Christum post mortem descendebant in infernum, puta ad limbum patrum : licet enim Jansenius per *infernum* accipiat mortem et sepulcrum, melius tamen magisque proprie accipias infernum. Alludit ad Jonam in ventre ceti sepultum, ibique Deum invocantem : « De ventre inferi clamavi, ait cap. II, et exaudisti vocem meam. » Sensus est, *q. d.* Videbar mihi a morte et inferno absorptus, et in eorum ventre ita profunde demersus, sicut Jonas fuit in ventre ceti; sed singulari Dei ope inde erutus sum, et cum Jona vitæ restitutus. Præclare Tertullianus, lib. *ad Martyres*, cap. II : « Nihil interest, inquit, ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis : vagamini spiritu, spatiamini spiritu, proponentes vobis illam viam, quæ ad

Deum ducit : quoties eam spiritu deambulaveritis, toties in carcere non eritis. Nihil crus sentit in nervo, cum animus in cœlo est. »

Nil sentit crus in nervo, cum animus sit in cœlo.

Simili modo *Sap.* x, 19, dicitur : « Ab altitudine inferorum eduxit illos ; » et cap. xvii, 13, tenebras Ægyptiacas vocat « impotentem vere noctem, et ab infimis, et ab altissimis inferis supervenientem. » Profunditati enim quæ est in fundo terræ et inferni, respondet altitudo extimæ superficiei terræ ; quantum enim profundus est fundus terræ, tantum ab eo in altum eminet extima ejus superficies. Sicut ergo fundi ingens est profunditas, sic superficiei ingens est altitudo. Semidiameter enim terræ (qui metitur distantiam extimæ superficiei terræ a centro terræ), juxta Aristotelem, continet italica milliaria 7954 ; juxta Ptolemæum milliaria 3245 ; juxta recentiores vero 3035. Ita noster Clavius, in *Sphæra*, cap. I, pag. 116. Tot ergo milliaribus descendit Siracides, et quivis alius Patrum, dum moriens e terra descendit ad infernum, qui est in centro terræ, ut habet communis Theologorum opinio. Quare recte dicit : « Ab altitudine ventris inferi, » et, ut vertit Vatablus : *Ex imo Orei ventre eduxisti me.*

Terra usque ad centrum profunda est 3035 milliaria.

Et a lingua coinquinata. — Græce ἀκαθάρτου, id est *impura*. Ita vocat linguas calumniantium et falso se accusantium ex odio, invidia, aliove impuro affectu.

Moraliter hic disce linguam detractoris vocari contaminatam, quia detractio omnes sordes, id est peccata et defectus, proximorum, sub detractoris quasi serpentis lingua recondit.

Et a verbo mendacii (notat testes, qui mendax et falsum contra se testimonium dixerant) a rege iniquo (puta a Ptolemæo Lagi, uti dixi vers. 3) et a lingua injusta, — astantium Ptolemæo, eumque ad injustam Siracidis mortem inflammantium, ait Palacius. Quanquam per hæc omnia eosdem accusatores, eorumque calumnias accipere possis. Idem enim aliis aliisque verbis exaggerat. Unde Græca habent : *A sermone mendaci* (qui fuit) *regi calumnia* (prodiens) *ex lingua iniqua* ; Vatablus : *Ab injusta apud regem criminatione, et ab injustæ linguæ calumia.*

Vers. 8 et 9. 8 et 9. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. — Syrus : *Pervenit ad inferos anima mea, et spiritus meus morti appropinquavit.* Legit noster interpres ἤνεσεν, id est laudavit, hoc est « laudabit. » Jam legunt ἤγγισεν, id est *appropinquavit* : unde vertunt : *Appropinquavit usque ad mortem anima mea, et vita mea erat prope infernum infimum ;* Vatablus : *Ad mortem usque propinquarat anima mea, vitaque deorsum quam proxime orcum accesserat.* Noster melius legit ἤνεσεν, id est *laudavit* : dat enim causam cur adeo laudet Deum : nam τὸ *et* more Hebræo est causale, significans *quia, q. d.* Quamdiu vivam, quamdiu spirabo, jugiter usque ad mortem ex intimis animæ medullis laudabo Deum ; *et*, id est *quia*, cum jam essem in limine mortis et inferni, ipse me pro infinita sua misericordia inde reduxit et eripuit. Ex dictis patet, per *infernum* hic non recte accipi mortem et sepulcrum : sepulcra enim cum sint juxta extimam superficiem terræ, non possunt vocari « altitudo, » id est profunditas, « ventris inferi, » nec infernus infimus, vel, ut Noster vertit, *deorsum*, græce κατωτάτου, id est imi, sive infimi : pro quo aliqui male legunt κακωτάτου, id est pessimi.

Anagogice, Hugo hæc exponit prophetice de Patribus e limbo per Christum liberandis.

Tropologice, hæc exponit de periculis peccati et damnationis, quasi Siracides et quivis pius laudet Deum, quod totius vitæ tempore præservarit aut liberarit illum a gravioribus peccatis, et proinde a gehennæ suppliciis, ad quæ anima corpore hoc degravata, et sollicitante concupiscentia incitata, appropinquabat ; sed Dei gratia retentabat et in bono solidabat. Hi ergo dicant gratulanter cum Psalte : « Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. » Et cum S. Maria Ægyptiaca pœnitente : « Misericordias Domini in æternum cantabo. » Et cum Isaia, cap. I, 9 : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. »

Tropologice, de periculis peccati.

Vers. 10. 10. Circumdederunt (hostes et tribulationes) me undique, et non erat qui adjuvaret. Respiciens eram in adjutorium hominum, et non erat. — Tribulationem exaggerat, ut Dei opem, indeque suum gaudium et gratulationem exaggeret. Vide S. Augustinum, VIII *Confess.* III, ubi hoc statuit axioma : « Ubique majus gaudium molestia major præcedit, » illudque probat inductione : « Triumphat, ait, victor imperator, et non vicisset nisi pugnavisset ; et quanto majus periculum in prælio, tanto majus gaudium est in triumpho. Jactat tempestas navigantes, minaturque naufragium ; omnes futura morte pallescunt : tranquillatur cœlum et mare ; et exsultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger est charus, et vena ejus malum renuntiat ; omnes qui eum salvum capiunt, ægrotant simul animo : fit ei recte, et nondum ambulat pristinis viribus ; et fit jam tale gaudium, quale non fuit cum antea salvus et fortis ambularet. Vide S. Thomam, I, II. *Quæst.* XXXII, art. 4, ubi docet tristitiam præteritam esse causam delectationis. Vere Poeta :

Tristitia præteriti causat lætitiam.

Gaudia præteriti cumulant inopina dolores.

Vers. 11. 11. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis (perperam Palacius, Jansenius et alii legunt, *cooperationis* : græce enim est, ἐργασίας, id est *operationis* : Ita Romana) tuæ, quæ a sæculo sunt. — Syrus : *Memoratus sum miserationum Domini, et misecordiarum ejus quæ a seculo sunt ; qui liberat omnes qui confidunt in ea, et salvat eos ab eo qui robustior est eis.*

Vers. 12. 12. Quoniam eruis sustinentes te, Domine, et

LIBERAS EOS DE MANIBUS GENTIUM, — *q. d.* Cum undique hostibus et tribulationibus vallarer et cingerer, respectabam num quis hominum mihi auxiliari posset et vellet; sed nullum reperi; cum alii possent, sed nollent; alii vellent, sed non possent, mihi in tantis ærumnis constituto auxiliari. Quare omni ope humana destitutus ad Deum confugi, unicum desolatorum refugium et asylum : memor enim fui misericordiæ tuæ et operationis, quam (scilicet misericordiam tuam et operationem) a mundi exordio fidelibus tuis afflictis exhibere soles, ut eorum miserearis, et magna miraque pro eorum liberatione et salute opereris : quoniam pro infinita tua pietate eruere soles « sustinentes, » græce ὑπομένοντας, id est *exspectantes* te, tuamque opem patienter et ardenter invocando præstolantes, et liberas eos de manu gentium qui tuos cultores persequuntur. Ita Vatablus : *Comprehensum*, inquit, *me tenebant undique, nec comparebat adjutor : ad humanum auxilium respectabam, nec ullum erat. Tum misericordiæ tuæ, Domine, recordatus sum, et eorum quæ ab ævo condito gessisses, te eorum qui in te fidunt liberatorem esse, et e manibus hostium vindicem.*

Proprium est Dei rebus desperatis succurrere.

Nota hic proprium esse Dei, divinum præstare auxilium, cum deest humanum; ac proinde Deum singularem gerere providentiam et curam orphanorum, viduarum, pauperum, omniumque derelictorum ab hominibus : hanc enim exigit Dei misericordia, pietas et magnificentia, juxta illud : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor, » *Psalm.* X, 14. Hoc est quod vulgo dicitur : « Deus ex machina, » id est ex improviso apparens. Rebus enim plane perplexis et quasi desperatis sese ostendere et succurrere solet Deus, omnesque difficultates expedire et complanare, præsertim si a fidelibus sui cultoribus devote et ardenter invocetur. Unde illud Euripidis in *Oreste* : « Apollo in mediis tumultibus apparens, res turbatissimas subito componit. » Cum enim rerum difficultas major est quam ut possit humana ope explicari, tunc tempus est ut Deus ostendat suam potentiam et providentiam, omniaque difficilia et perplexa explicet, faciatque facilia. Cum ergo salus ex insperato ostenditur, apparet e machina Deus, Deique virtus et bonitas. Sic Philo, in *Legat. ad Caium*, narrat se cum sociis a Judæis legatum missum ad C. Caligulam Imperatorem, ut deprecaretur ne Judæos cogeret se adorare velut numen; sed dum a Caio rejectus repulsam pateretur, dixisse ad socios : « Nunc demum nobis sperandum est de sorte meliori, majorque fiducia figenda in Deo, quia tunc solet auxilium succurrere divinum, cum deest humanum. » Res ergo desperatæ sunt fori divini, et quæ ab hominibus deserta sunt, uni relinquuntur Deo : ideoque in iis non desperandum, sed magis sperandum, magisque spes acuenda in Deum; utpote cui illa præ cæteris curæ sunt et cordi.

Vers. 13. 13. EXALTASTI SUPER TERRAM HABITATIONEM MEAM. — Legit, ἀνύψωσας ἀπὸ γῆς οἰκετίαν μου, id est : *Exaltasti a terra domum et familiam meam*; ut scilicet in terra feliciter viverem et gloriose habitarem. Ideoque pro morte defluente deprecatus sum, ut sequitur, confidens scilicet quod solito more me a morte liberares, quin et exaltares. Jam legunt, ἀνύψωσα ἀπὸ γῆς ἱκετίαν μου, id est, *Extuli super terram supplicationem meam*, *q. d.* E terra elevavi mentem meam ad Deum supplicans et deprecans, ut me a morte defluente mihi imminente eriperet. Minus recte Complutensia pro γῆς, id est *terram*, legunt ὀργῆς, id est *iram* : unde vertunt : *Exaltavi ab ira supplicationem meam.* Nam Romani cæterique legunt γῆς, non ὀργῆς.

ET PRO MORTE DEFLUENTE DEPRECATUS SUM. — Græca jam habent, ὑπὲρ θανάτου ῥύσεως ἐδεήθην, quod Complutensia vertunt : *Pro morte liberationem rogavi*; Romana : *Pro mortis liberatione deprecatus sum*; Vatablus : *Ut a morte liberarer oravi.* Noster pro ῥύσεως, id est *liberatione*, legit ῥεύσεως, id est *fluxu.* Unde vertit pro *mortis fluxu*, id est, *pro morte defluente deprecatus sum.*

Mors defluens quæ? Respondeo primo.

Quæres, quis est fluxus mortis, sive quænam est « mors defluens? » Respondeo : *Primo*, « mors defluens » dicitur, quæ in omnes defluit et dilabitur, *q. d.* Deprecatus sum ne raperer vorticibus mortis successive in omnes, sed hoc tempore in me defluentis : sicut enim mare, fluvius vel torrens exæstuans et exundans, nunc huc defluens, nunc illuc, sensim omnes et omnia abripit : sic mors nunc in hunc defluit eumque abripit, nunc in illum; itaque sensim omnes aufert. Rursum, sicut naufragi dum vasto mari jactantur, alii his, alii illis fluctibus hauriuntur et absorbentur : sic homines omnes hujus vitæ fluctibus jactati; alii his, alii illis fortuitis casibus et incursibus merguntur. Igitur, sicut per nativitatem orimur, et fluimus in ortum et vitam : sic per mortem diffluimus in interitum et occasum. Quin et vita nostra non est aliud, quam continuus fluxus ad mortem, ideoque mors ipsa ab initio vitæ in nos defluere incipit per tot infirmitates et miserias, quæ sensim hominem consumunt, donec iis obruatur et moriatur; perinde ac rivus aquæ, licet exiguus, si assidue fluat in fossam, eam sensim fluendo tandem implevit, adeoque merget homines, quantumvis magnos et gigantes, boves et equos in ea existentes.

Secundo.

Secundo, « mors » dicitur « defluens » per hypallagen, quia omnes homines pedetentim in eam defluunt et dilabuntur, juxta illud : « Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur, » II *Reg.* XIV, 14. Et Poeta :

Omnia prætereunt more fluentis aquæ.

Tertio.

Tertio, « mors » dicitur « defluens, » quia mors consistit in diffluxu et dissolutione quatuor humorum, spirituum, nervorum, organorum, omniumque membrorum hominis : sicut enim vita consistit in eorum compagine et harmonia; sive

debita singulorum proportione, quæ fit per calorem naturalem, et temperiem cuique propriam : ita hac deficiente dissolvitur illa compago et harmonia, sicque homo dissolvitur et moritur. Adde, omnes fere homines mori fluxu rheumatis et catarrhi ex redundante pituita. quo fauces oplentur; itaque homo suffocatur : unde moribundi solent gutture gargarizare, eoque sonitum quasi suffocationis vel strangulationis edere. Quocirca « Gorgias » Rhetor jam senex rogatus, « an libenter moreretur? Maxime, inquit, nam tanquam ex putri et diffluente domuncula non invitus discedo. » Ita Stobæus, *serm.* 115.

Quarto. *Quarto*, « mors » dicitur « defluens » metonymice, puta causaliter, quia omnes et omnia facit defluere et dilabi : mors enim facit ut dilabantur sanitas, vita, vigor, sensus, motus, opes, amici, omniaque bona mundi, tum interna, tum externa, quibus affluebat homo, dum viveret et vigeret. Huc facit illud *Job* XXII, 16 : « Qui sublati sunt ante tempus, et fluvius subvertit fundamentum eorum. » Ubi S. Gregorius per fluvium jugiter fluentem accipit « quotidianum temporis lapsum, et præsentis vitæ mortalitatem. » Hugo vero fluxum intelligit mortis, quæ instar fluvii impetu maximo incurrit in omnia ea quæ interitui sunt obnoxia. Et noster Pineda eidem accommodat hoc nostri Siracidis : « Pro morte defluente deprecatus sum, » *q. d.* Deprecatus sum ut mors, quæ vitæ nostræ fundamenta lambit et erodit instar fluentis fluvii, paulisper a me dilaberetur, meque intactum et illæsum relinqueret.

Denique per mortem defluentem accipit mortem certam et naturaliter inevitabilem, quæ scilicet certo cursu et destinato fluxu in hominem defluit, ut non sit possibile homini eam avertere; sicut non est possibile homini avertere fluxum fluminis suo alveo in arborem hominemve defluentis. Id patet ex præcedentibus; dixit enim immediate ante : « Non erat qui me adjuvaret. Respiciens eram in adjutorium hominum, et non erat. » Tunc ergo rebus profligatis, certoque morte mihi imminente ad te Deum confugi, ac « memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et pro morte *certo in me* defluente deprecatus sum. »

Vers. 14. 14. INVOCAVI DOMINUM PATREM DOMINI MEI, UT NON DERELINQUAT ME IN DIE TRIBULATIONIS MEÆ, ET IN TEMPORE SUPERBORUM SINE ADJUTORIO. — Græce, ἐν καιρῷ ὑπερηφάνων ἀδοηθησίας, quod Complutenses et et Romani vertunt, *in tempore superborum destitutionis*, cum scilicet dominantibus superbis ab omnibus destituerer et derelinquerer, itaque omni humano carerem adjutorio. Vatablus, *opem negantibus superbis*; alii, *in tempore quo dominarur superbi, deficiente auxilio*; Syrus : *Levavi de terra vocem meam, oravi et invocavi patrem meum de excelso* (dicens) : *Domine gigas* (Syri Deum vocant Gigantem sæculorum, ob fortitudinem, magnitudinem et æternitatem), *et salvator, ne derelinquas me in die angustiæ, quæ contristat,*

Deus est gigas sæculorum: cur?

Nota hic, Siracidi et Judæis priscis cognitum fuisse Deum Patrem, et Deum Filium, adeoque mysterium SS. Trinitatis. Invocat enim « Dominum, » id est Deum Patrem Domini sui, puta Dei Filii, qui per incarnationem futurus erat Messias et Christus, id est redemptor et salvator hominum, ut eos a peccatis omnibusque malis et hostibus liberaret. Quocirca ad Messiam quasi liberatorem ipse cæterique omnes anhelabant, ideoque hic ejus mentionem injicit, *q. d.* Invocavi Deum Patrem Verbi æterni, sive Messiæ ad nos venturi; ut per eum ejusque merita me a tantis tribulationibus liberaret : adeoque statuto ab eo tempore eum ad nos mitteret, ut ab omnibus malis me cæterosque fideles suos eripiat. Tantum est, ait Palacius, Deum adorare quatenus Pater est, tantum valet apud Patrem memoria Filii. Plus valet mentio Patris, quam omnipotentis, etc., amat enim Pater Filium. Ideo Ecclesia a Filio instituta Patrem per Filium deprecatur, omnesque orationes et Collectas ita concludit : « Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, » etc. Siracidi cognita fuit S. Trinitas.

Alludit ad illud *Psalm.* CIX : « Dixit Dominus Domino meo. » Et *Psalm.* II : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Et *Psalm.* LXXI : « Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. »

Vers. 15. 15. LAUDABO NOMEN TUUM ASSIDUE, ET COLLAUDABO ILLUD IN CONFESSIONE, ET EXAUDITA EST ORATIO MEA. — « In confessione; » Vatablus, *cum gratulatione.* Est hyperbaton, sive inversus ordo : « Invocavi Dominum Patrem Domini mei, etc., et exaudita est (ab eo) oratio mea : » quocirca « laudabo, » Domine, « nomen tuum assidue. » Aut certe τὸ *et* more Hebræo exponendum per *quia*, *q. d.* Laudabo nomen tuum, etc., « et » id est *quia*, exaudita est a te oratio mea. » Unde Tigurina vertit : *Laudabo nomen tuum omni tempore, et memorabor tui in canticis : tunc exaudivit Dominus vocem meam, auscultavit supplicationem meam, et liberavit me ab omni malo, et salvavit ab omni mœrore.* Aliter Jansenius, *q. d.* « Invocavi Dominum Patrem Domini mei » in tribulatione, dicendo : Si me ab ea liberes, laudabo nomen tuum assidue; et sic me cum hujusmodi voce orante, exaudita est oratio mea. Verum hæc explicatio multa subaudit, et supplet quæ non sunt in textu.

Vers. 16. 16. ET LIBERASTI ME DE PERDITIONE, ET ERIPUISTI ME DE TEMPORE INIQUO. — Græce πονηροῦ, id est *malo*, molesto, maligno, malefico, difficili, anxio, periculoso, quo scilicet mali et iniqui dominabantur, meque et cæteros æquos piosque tui cultores opprimebant. Vatablus : *Nam servasti me ab interitu, et ex improbo tempore eripuisti.* Idem aliis et aliis verbis refricat et inculcat; quia cor habebat plenum tam sensu suarum afflictionum, quam gratiarum actione, laude et jubilo Dei, qui ex omnibus eum eripuit.

Identidem repetit Siracides τὸ *liberasti*, ut sensa

e multis angustiis liberatum profiteatur, Deoque liberatori exsultabundus gratias agat. Simili modo S. Wilgefortis, virgo et Martyr (quam celebrat Martyrologium Romanum, die 20 julii), alio nomine nuncupata est « Liberata, » quod a Deo e multis tribulationibus fuerit eruta. Unde Breviarium Seguntinum (ibi enim sacrum ejus corpus quiescit; unde et a civibus velut urbis tutelaris et patrona, magno honore colitur) cum narrasset eam Catellii, reguli Lusitaniæ, filiam, ac matrem eodem partu novem enixam filias, nimirum Geniberam, Victoriam, Eumeliam, Gemmam (Margaritam), Marcianam, Germanam, Basiliam, Quiteriam, et Wilgefortem sive Liberatam; matrem, inquam, de tanto puellarum partu verecundatam jussisse obstetrici, ut omnes secreto in flumine submergeret; sed obstetricem piis matronis illas educandas tradidisse; quæ proinde omnes sanctæ Virgines et Martyres, licet diversis locis et temporibus, evasere, ac velut novem cœlestes Musæ novem angelorum choros exornant; subdit: « Dimissis igitur cunctis sororibus ad regna cœlestia, tandem B. Liberata multis tormentis cruciata, cum a fide avelli non posset, capitis abscissione migravit ad Dominum. Et sic liberata a fluminis submersione (quando nata est), liberata ab infidelitatis errore (per baptismum), liberata a corruptione carnis (nam pro pudicitia passa est), liberata ab ergastulo corporis per martyrii triumphum, libera pervenit ad Christum. » Fusius harum novem sororum agones et martyrium, ex priscis Hispanicarum Ecclesiarum monumentis authenticis, describit Franciscus Bivarius, in *Comment. ad Chronicon* L. Dextri, anno Christi 138, ubi et validis rationibus contendit S. Margaritam, quam colit Ecclesia die 20 julii, esse Gemmam, unam novem sororum jam dictarum.

Vers. 17. 17. PROPTEREA CONFITEBOR, ET LAUDEM DICAM TIBI, ET BENEDICAM NOMINI DOMINI. — Græce *nomen Domini*, id est Dominum, *q. d.* Benedicam et glorificabo Dominum per suum nomen, nominando scilicet et exaltando sanctum ejus nomen. Vatablus: *Propterea gratulor tibi, et laudes ago, Domine, nomenque tuum celebro.* Aliter Palacius, qui per *nomen Domini* accipit Filium Dei, in quo quasi in nomine, voce et verbo agnoscitur Pater. Non solum, inquit, laudat Deum, sed etiam laudes dicit nomini Domini, qui est Filius Dei; juxta illud *Joan.* XII: « Pater, clarifica nomen tuum, » id est Filium tuum. Ita ipse.

SECUNDA PARS CAPITIS.

LIBRIQUE EPILOGUS.

Vers. 18. 18. CUM ADHUC JUNIOR ESSEM, PRIUSQUAM OBERRAREM, QUÆSIVI SAPIENTIAM PALAM IN ORATIONE MEA,— *q. d.* Dum essem juvenis, videremque alios mihi coævos per varias Judæorum et Philosophorum sectas erroresque oberrare, ego, ne in eosdem errores inciderem, per eosque quasi erro et vagabundus oberrarem, sectis omnibus earumque scholis relictis palam, græce προφανῶς, id est aperte, publice, ex professo unam quæsivi sapientiam: quare adii ejus fontem et auctorem Deum, assidua oratione ex toto corde postulans, ut eam mihi communicaret, dixique cum Salomone, *Sap.* IX, 4: « Da mihi (Domine) sedium tuarum assistricem sapientiam. » Et vers. 10: « Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. » Unde aliqui exponunt sic: *Priusquam oberrarem*, id est priusquam idololatrarem; idola enim antonomastice vocantur « errores; » tum objective, quia multorum errores et erroneos cultus terminant; tum effective, quia in multos errores inducunt. Sic I *Reg.* V, 7: « Dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum. » Chaldæus vertit: *et super Dagon errorem nostrum.* Sic per varias Philosophorum sectas et errores oberravit S. Justinus Philosophus et Martyr, donec a Deo per hominem vel angelum veram sapientiam est edoctus, uti fusius enarravi *Proœmio in Pentateuchum.* Sic per Manichæorum errores oberravit in juventute S. Augustinus, donec precibus S. Monicæ matris a Deo fuit illustratus. Quocirca S. Jacobus sapienter monet, cap. I, 5: «Si quis vestrum, inquit, indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei. » Ita hodie multi per Philosophorum vel hæreticorum scholas oberrant, perduntque veram scientiam, fidem, pietatem, gratiam et salutem.

Error pro idololatria.

Errores S. Justini.

Pro *priusquam oberrarem*, græce est, πρὶν ἢ πλανηθῆναι με quod *primo*, verti potest: *priusquam errarem* vel *oberrarem*; Tigurina: *antequam seducerer; secundo*, cum Vatablo: *priusquam peregrinarer*, scilicet ad visendos homines sapientes, scholas et academias, in quibus audirem et discerem sapientiam. Vide dicta cap. XXXVI, 5. Sed prior sensus germanior et aptior est: juventus enim mille erroribus exposita est, partim ob curiositatem et socios, partim ob concupiscentiam, per quam extra se vagatur per multiplices hujus vitæ voluptates, et desideria erroris instar illius filii prodigi adolescentioris, qui peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose, *Luc.* XV, 13, qui proinde Deo supplex dicat: « Erravi, sicut ovis quæ periit: quære servum tuum (Domine), » *Psalm.* XCVIII, vers. ult.

Porro qui sapientiam quærit et invenit, Deum quærit et invenit: Deus enim est ipsa increata

sapientia, a qua omnis creata velut radius a sole dimanat. Unde Syrus vertit : *Cum essem puer, complacuit mihi in eo* (Domino, de quo versu præcedenti) *et quæsivi eum : incessit pes meus in veritate, Domine mi. A pueritia non novi doctrinam, et oravi orationem illius cum parvulus essem, et multam inveni doctrinam.*

Vers. 19. 19. ANTE TEMPLUM POSTULABAM PRO ILLA, ET USQUE IN NOVISSIMIS INQUIRAM EAM, — id est, ut Vatablus : *sectabor eam usque ad extremum,* scilicet ætatis et vitæ meæ. Pro *ante templum* Jansenius, Palacius et alii legunt *ante tempus,* cui congruit τὸ *et usque in novissimis inquiram eam, q. d.* Ante maturum sapientiæ percipiendæ tempus, et antequam tempus esset, quo communiter solent homines percipere sapientiam, aut pro ea orare; ego postulavi pro illa; nec desinam pro ea obtinenda laborare, sed usque in novissima vitæ meæ tempora inquiram eam, ut quæ nec satietatem affert, nec fastidium.

Verum legendum cum Romanis, *ante templum :* hoc enim significat Græcum ἔναντι ναοῦ; nam sacerdotes soli oraturi ingrediebantur templum, puta Sanctum et Sanctum sanctorum : hoc enim dicebatur היכל *hechal,* id est templum, sive basilica : laici vero, qualis videtur fuisse Siracides, orabant ante Sanctum, imo ante atrium sacerdotum in atrio laicorum, quod proinde erat eorum templum, consistebant. Unde *secundo,* exponi posset, *q. d.* Intempestive, puta summo mane, aut vespere, et noctu (uti faciebat S. Casimirus, S. Genovefa, S. Carolus Borromæus et alii) adibam templum a Deo postulaturus sapientiam; at cum templum puta atrium laicorum, clausum invenirem, ante templum orabam Deum in templo residentem super arcam et Cherubim, in propitiatorio Sancti sanctorum, ut sapientiam mihi infunderet.

Hinc disce, meliorem et efficaciorem esse orationem, quæ fit in templo, quam quæ fit domi. Quocirca de S. Basilio et S. Gregorio Nazianzeno legimus apud Ruffinum et alios, quod, cum Athenis sapientiæ darent operam, nullam urbis viam vel plateam nossent, nisi unam quæ pergebat ad templum, et alteram quæ ducebat ad scholas. Sic olim Christiani noctu solebant ante valvas templi procumbere, et orare, ipsasque valvas deosculari; quin et idem per diem Romæ non tantum in jubilæo, sed sæpe alias fieri videmus. Ita S. Chrysostomus, hom. ult. *in* II *ad Corinth.* : « Nonne videtis, ait, quot etiam vestibula templi hujus osculantur, illi quidem flectentes, alii autem manu continentes, et ori manum admoventes? »

S. Basilius et S. Nazianzenus nullam norunt plateam nisi ad templum et scholas.

Vers. 19 et 20. 19 et 20. ET EFFLORUIT (ita Romana, male Jansenius et alii legunt, *et florebit;* pejus Rabanus, *et defloruit*), TANQUAM PRÆCOX UVA, LÆTATUM EST COR MEUM IN EA, — *q. d.* Sapientia, quam tanto studio sectatus sum, ante tempus in me florem et fructum protulit, eoque mire me pavit et oblectavit, uti solent uvæ præcoquæ, scilicet quæ ante alias maturescunt, sive *primo* et ante tempus maturæ; sicut enim uvæ continent vinum, quod totum hominem reficit, roborat, lætificat, vivificat: sic sapientia continet vinum spiritale, quod mentem Dei cognitione et amore implet et inebriat, quod proinde Apostolis propinavit Spiritus Sanctus in Pentecoste, adeo ut de iis Dei amore inflammatis, tamque divina et ardentia eructantibus dicerent Judæi : « Musto pleni sunt isti, » *Act.* II. Hoc est quod ait Sapiens, *Prov.* IX, 1 : « Sapientia ædificavit sibi domum, etc., immolavit victimas suas, miscuit vinum; » et ad illud sui studiosos invitans : « Venite, inquit, comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis. » Unde « lætatum est cor meum in ea, » multo magis quam quis sitiens lætatur in musto et uvis præcocibus, juxta illud Davidis, *Psal.* CXV : « Calix meus inebrians quam præclarus est. »

Igitur sapientia in me « effloruit tanquam præcox uva; » quia præcox ingenium, præcox sapientiæ studium, præcocem sapientiæ fructum et præmaturum sensum mihi pepererunt; cum alii vel pueri, vel adolescentes nimium immaturi, nimiumque acerbi in sapientiæ studio tunc temporis inveniri soleant, *q. d.* Puerilis ætas per sese ad sapientiam acerba, in me sapientiæ præcocis beneficio maturuit. Græca habent : *Ex flore tanquam maturescentis uvæ lætatum est cor meum in ea, q. d.* Eo tempore quo nullus esse solet sapientiæ in pueritia gustus fructusve, sed tantum flos aliquis, et bonæ indolis atque ingenii specimen; in me tamen ille flos simul cum maturescentis fructus dulcedine et suavitate conjunctus fuit. Unde aliqui clare vertunt : « Tanquam de flore maturescentis uvæ lætatum est cor meum de ea. »

Simili modo Salomon in juventute præcocem a Deo petiit et obtinuit sapientiam, ut ostendit Pineda, lib. III *De Rebus Salom.* cap. II, ubi et num. 5, asserit Siracidem in Salomonis persona hic loqui ac dicere : « Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam. »

Solida lætitia non nisi in Deo

Moraliter, hic disce non esse veram solidamque lætitiam et delectationem, nisi in Deo ejusque sapientia, id est pietate et virtute. In Deo enim est omne bonum, quod mentem allicit et ad se pellicit, ut in eo quasi centro conquiescat, imo in eo quasi in pelago bonorum natet, eique se immergat et inebriet. Id expertus Psaltes exclamat, *Psal.* XXX, 20 : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! » Egregie S. Augustinus, lib. IV *Confess.* cap. X : « Quaquaversum, inquit, se verterit anima hominis, ad dolores figitur, alibi præterquam in te, tametsi figitur in pulchris extra te, et extra se. » Imo et Plato, in *Philebo,* amicos Dei tantum veris delectationibus frui dicit. Optime S. Bernardus, *epist.* 114 : « Illud solum, ait, et verum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore suscipitur; et omnis aliunde ju-

cunditas, mœror est; omnis suavitas, dolor est; omne decorum, fœdum; omne postremo quodcumque aliud delectare potest, molestum.

AMBULAVIT PES MEUS ITER RECTUM. — Græce : *Ascendit pes meus in rectitudine*; Vatablus : *Pes meus recta ingressus*; alii, *recta incessit*, *q. d.* A puero vitam prudenter recteque institui, non incessi per errorum avia, nec per obliquas vitiorum ambages; sed recto itinere progressus sum, nimirum in omnibus secutus sum veræ prudentiæ dictamen, ut ad sapientiam practicam, puta ad virtutem pervenirem. Dictamen autem prudentiæ erat, rectum iter ad hanc sapientiam esse, *primo*, orationem; *secundo*, lectionem et meditationem legis divinæ; *tertio*, studium virorum sapientum et sanctorum, uti docuit cap. XXXIX, 1 et seq. Nota Græcum ἀνέβη, id est *ascendit*; quia, ut ad sapientiam hanc pervenias, ascendas oportet de carne ad spiritum, de concupiscentia ad mortificationem, de superbia ad humilitatem, de gula ad abstinentiam, de avaritia ad paupertatem, denique de terra ad cœlum. Rursum « iter rectum » ad Deum est recta intentio, qua quis non sua commoda, sed Dei gloriam, suamque et proximorum salutem in studio sapientiæ et virtutis spectat et intendit.

A JUVENTUTE INVESTIGABAM EAM. — Sicut venator solet leporem vel cervum per vestigia sequi, ut eum comprehendat, tanto, imo majori studio sapientiam venari oportet. Plato, lib VI., *De Legibus* docet, eos qui in re vel arte quapiam excellentes evadere cupiunt, debere se in ea a puero assidue exercere. Hoc verissimum est in sapientia et virtute. Id significarunt veteres per Herculem, quem finxerunt puerum in cunis angues elidere solitum, virum deinde leones, hydras cæteraque monstra domasse; senem tandem cœlum humero fulcire. Sic ut senes cœlo potiamur, pueri angues concupiscentiæ elidamus oportet, ac viri deinde contra mundum carnem et diabolum decertantes, omnia superemus. Innuit hoc Isaias, cap. XI, 8, dicens : « Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis : et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. » Themistocles cum centum et septem annos vixisset, moriens dixisse fertur : « Omnes ætatis annos et dies in honestissimo litterarum, ac sacro philosophiæ studio consumpsi. Doleo me nunc egredi e vita, quando ex litterarum studio sapere incipio. » Idem fere de Theophrasto commemorat Cicero, in *Tuscul.* sic Timotheum, *epist.* II, cap. III, vers. 15, laudat S. Paulus, quod ab infantia sacras Litteras didicisset, ubi plura hujus rei exempla recensui.

Vers. 21. 21. INCLINAVI MODICE AUREM MEAM, ET EXCEPI ILLAM. — Græce : *inclinavi paulum aurem meam, et admisi et comparavi mihi multam* παιδείαν, id est *disciplinam*.

Vers. 22. 22. MULTAM INVENI IN MEIPSO SAPIENTIAM, ET MULTUM PROFECI IN EA. — Græce, προκοπή, id est : *Profectus factus est mihi in ea*; Syrus : *Jugum ejus factum est mihi in honorem*. Significat ad sapientiam comparandam non opus esse ingenti, difficili et prolixo studio, uti nonnulli autumant, ideoque ab ea prosequenda deterrentur; sed modico labore multam sapientiam comparari, *q. d.* Post orationem qua a Deo postulabam sapientiam, admovi aurem, et audivi tam quæ Deus interius mihi sapienter inspiraret, quam quæ doctores exterius me docerent; avideque illa excipiens multam inveni sapientiam, quam mente ruminans, ac voluntate gustans, et opere exercens, multum profeci in ea : præsertim quia a puero hæc feci, antequam auris et mens mea cupiditatis et errorum illecebris imbueretur et depravaretur. Quare cum aurem et mentem meam velut tabulam rasam exhibuerim sapientiæ, illa facile et illico omnem sapientiæ doctrinam hausit et imbibit, firmiterque retinuit, juxta illud :

> Quo semel est imbuta recens servabit odorem
> Testa diu.

Intellige hæc de facilitate sapientiæ quoad ejus inchoationem, puta quoad ejus cognitionem, quæ est in intellectu, ac amorem et desiderium, qui est in voluntate; nam ejus exsecutio et perfectio ardua et difficilis est. Unde vers. 25 ait : « Colluctata est anima mea in illa. » Causa est duplex. Prior, quod sapientia in se sit facilis et clara, æque ac fecunda et abundans, instar solis. Sicut ergo sol magnam lucem affert vel modice eum intuenti; sic et sapientia. Accedit quod mens humana a natura propensionem habeat ad sapientiam, ac ejus lucis scintillas non modicas ab ortu insitas. Huc facit Magorum ænigma, quod citant Platonici, et Giraldus in *Ænigmatibus* : « Est res undique lucida, est res undique obscura, est partim lucida, partim obscura; » nimirum res plane lucida est mens divina : res undique obscura est anima irrationalis; partim lucida, partim obscura, est hominis intellectus et ratio. Sic, in ordine corporum, res undique lucida est stella quælibet supra lunam; res undique obscura est aer; res partim lucida, partim obscura est luna. Igitur sicut luna a sole facile illuminatur, sic et mens humana a Deo.

Sapientia facilis, duplici de causa.

Ænigma mentis.

Posterior, quod doctor sapientiæ sit Deus et Spiritus Sanctus, qui interius mentem mira luce illustrat, quo fit ut facile capiat quæ exterius ei doctor instillat. Unde S. Leo, serm. 1 *De Pentecoste*, agens de Apostolis, quos Spiritus Sanctus linguis igneis in eos illapsus, subito doctores orbis effecit : » O quam velox, inquit, est sermo sapientiæ, et ubi Deus magister est, quam cito discitur quod docetur! »

Moraliter, disce hic virtutem esse facilem ei qui illius est cupidus et avidus, ut modico labore eam assequi queat, præsertim si juvenis sit, qui necdum contrarios vitiorum habitus induit : *primo*, quia virtus est secundum naturam : nam con-

Virtus est facilis.

Primo.

formis rectæ rationi; vitium autem est contra naturam, quia deforme rationi, legi et Deo : virtus enim reipsa non est aliud quam recta ratio exSecundo. culta atque perfecta; *secundo*, quia aviditas et cupiditas virtutis non æstimat labores et difficultates pro ea consequenda; sed omnes leves censet, et generose superat, utpote tanto virtutis pretio et præmio longe inferiores et minores. Id significarunt veteres hoc emblemate et proverbio, quod recitat Plutarchus, lib. I *Sympos*, Quæst. V :

Musicam docet amor: quam? « Musicam docet amor, licet prius fueris rudis. » Per musicam enim, ut notat Manutius in *Adagiis*, significarunt sapientiam; hæc enim est summa animæ harmonia, quæ proinde Musis dicata erat: hanc enim docet amor. Hinc et Socrates apud Platonem, in *Convivio*, ait, animam corpori immersam expergisci amoris stimulis, ab eoque primos ad virtutem impetus accipere, quasi excusso

Tertio. soporis veterno; *tertio*, quia gratia Christi dat alas roboris et alacritatis, quæ facile efficiunt

Quarto. omne difficile; *quarto*, quia usus et exercitium virtutis sensim omnes difficultates alleviat, habitumque inducit; habitus autem felicitatem operandi tribuit. Unde S. Leo, serm. 5, *De jejunio* 7 mensis : « Hic, inquit, affectus, quo amor terrenus excluditur, bonorum operum consuetudine roboratur, quia necesse est ut bonis actibus conscientia delectetur, et libenter faciat quod fecisse

Quinto. gaudeat; » *quinto*, quia, ut docet Abbas Isaac, apud Cassianum, *Collat.* IX, cap. IV, animus humanus similis est levissimæ plumæ, quæ, nisi aqua aut humore aliquo crassiore superfusa fuerit, vel exiguo flatu in aerem e terra extollitur. Simili enim modo animus hominis, utpote spiritus, naturalem habet insitam levitatem, qua nisi cupiditatibus terrenis degravetur, ad superna facile effertur, et humilia fastidiens ad cœlestia

Sexto. evolat; *sexto*, quia amor facit ut continua exercitatione transeat quasi homo in ipsius virtutis affectum, ut nihil ea suavius, nihil vitio amarius æstimet : « Nec enim carius ac pretiosius quidquam præsenti judicat puritate, cui pœna gravis est, vel virtutum perniciosa transgressio, vel ipsius vitii virulenta contagio, ait Cassianus, *Collat.* XI, cap. IX.

Vers. 23. 23. DANTI MIHI SAPIENTIAM, DABO GLORIAM. — Græca Complutensia, δώσω δύναμιν, id est *dabo potentiam*, *q. d.* Confitebor et celebrabo, quod ejus virtute et potentia sapientia mihi communicata et indita sit. Sed Romana et cæteri legunt, δώσω δόξαν, id est *dabo gloriam;* Vatablus : *Cum itaque profectum in ea sim assecutus, fatebor gloriam illius, qui mihi contulit sapientiam*, *q. d.* Deo, qui instar solis jugiter illuminat mentem, eamque sua sapientia illustrat, dabo sapientiæ meæ gloriam, palamque prædicabo me non a meipso, sed a Deo illam adeptum, dicamque cum S. Paulo : « Soli sapienti Deo per Jesum Christum honor et gloria in sæcula sæculorum, amen, » *Rom.* XVI, 27; et cum S. Jacobo, cap. I, 17 : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum (quale est imprimis sapientia) desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim nos genuit verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. » Vide ibi dicta.

Porro Deo quasi primo sapientiæ doctori prima ejus danda est gloria; angelis autem et hominibus, per quos Deus eam nonnullos docet; sua quoque a discipulis danda est gloria, sed participata, tanquam Dei instrumentis et interpretibus. Unde Syrus vertit : *Præceptori meo dabo gratiarum actionem.* Exstat Hippocratis medicorum principis juramentum, quod sic habet : « Testor deos omnes me tributurum præceptori meo, a quo hanc artem edoctus sum, non minus quam parenti, a quo sum genitus; vitam cum eo communicaturum, res omnes quas illi necessarias esse intellexero, pro viribus meis ministraturum, progeniem ejus fratrum loco habiturum. »

Juramentum Hippocratis.

Nota : Non ait, « ei qui dedit, » δι δόντι, id est *danti;* quia Deus non tantum dedit, sed instar solis assidue menti indit sapientiam, etiam conservando et augendo; conservatio enim est rei creatæ in suo Esse creato conservatio, ac proinde nova jugisque quasi creatio; jugi enim Dei creatoris influxu indigent omnes creaturæ, ut in sua essentia conserventur : quem si subtrahat Deus, illico in suum nihilum, ex quo a Deo eductæ sunt, recident et relabentur.

Vers. 24 et 25. 24 et 25. CONSILIATUS SUM ENIM, UT FACEREM ILLAM : ZELATUS SUM BONUM, ET NON CONFUNDAR. COLLUCTATA EST ANIMA MEA IN ILLA, ET IN FACIENDO EAM CONFIRMATUS SUM. — Τὸ *enim* dat causam cur ei data sit sapientia. Ne quis enim ex eo quod dixit vers. 21 : « Inclinavi modice aurem meam, et excepi illam, » putet eam otianti et incurio datam, ac a solo Deo sine suo labore inditam, addit se pro ea consilia, labores, et luctas varias subiisse : Deus enim negotiantibus opitulatur, non otiantibus; vigilantibus, non dormientibus; nec desides adjuvat, sed laborantes, eisque cooperatur et collaborat. Unde Euripides : « Otiantibus nullus adest deorum, » sed cœtus dæmonum; nam, ut ait Cassianus, lib. X *De Instit. Cœnob.* cap. XXIII : « Ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem monachum dæmone uno pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari. » Igitur docet hic modum quo sapientiam sit consecutus, nimirum Deo eam operanti cooperando et collaborando. *Primo* ergo dicit : « Consiliatus sum, ut facerem illam; » græce διενοήθην, id est *cogitavi;* Vatablus : *Decrevi præstare illam, q. d.* Considerans pulchritudinem sapientiæ, eamque admirans consilium cepi, deliberavi, resolvi, firmiterque decrevi illi me discipulum tradere, ac facere quidquid illa juberet. Rursum, cepi consilium investigandi modos et rationes, quibus id præstare possem.

Deus negotiantibus opitulatur, otiantibus dæmon.

Secundo, « zelatus sum bonum, » id est exarsi

amore boni et honesti, quod illa mihi proponebat, meque ut facerem docebat. Zelo enim ingentique animi ardore opus est, ut tantum bonum tot difficultatibus obsitum quis consequatur. Idcirco « non confundar, » id est non excidam mea spe et conatu; sed bonum sapientiæ, quod tanto zelo prosequor, reipsa assequar. Aut potius « non confundar, » id est non erubescam, nec verecundia afficiar sequendo ejus dictamina, ac exsequendo quod illa me facere jubet; non pudebit me palam, aperta fronte, et clara voce profiteri discipulum et sectatorem sapientiæ et virtutis; esto ab hominibus mundo carnique deditis ea de causa irridear et subsanner, habearque stultus, vilis, contemptibilis. Disce hic, Philothee, amans, inquam, Dei et virtutis, superare rusticum pudorem, ac contemnere hominum judicia et risus; ut dicas cum S. Paulo : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, » *Galat.* I, 10; ita non confunderis coram hominibus in vita, nec coram Deo in morte, nec coram Christo in die judicii.

Tertio, « colluctata est anima mea in illa, » id est pro illa assequenda et opere exsequenda; Vatablus : *Animus meus cum illa conflictatus est;* alii : *Acriter pugnavit* (hoc enim significat Græcum διεμερίχηται, *anima mea pro illa, q. d.* Acriter certavi cum meis concupiscentiis legi sapientiæ repugnantibus, ac cum iis quasi antagonistis pro virili luctatus sum, ut iis, quæ a sapientia me retardabant et avocabant, suppressis, liber et expeditus uni sapientiæ servirem et viverem. Igitur hæc lucta non fuit contra sapientiam, sed pro sapientia contra cupiditates et vitia; fuit tamen indirecte cum ipsa sapientia. Sicut enim Jacob luctans contra angelum eum vicit, ab eoque benedici meruit; sic mysticus Jacob, id est luctator et supplantator vitiorum, luctatur cum sapientia, utpote quæ quasi virgo casta et intacta, fugit Jacobum et hominem luctantem cum vitiis, utpote adhuc vitiis et maculis infectum, sed dum ipse ea quasi Jacob domat et supplantat, sinit se ab eo teneri vincique sapientia, atque ei multifariam benedicit. Vide dicta *Genes.* XXXII, 25.

Colluctatio animæ cum sapientia : unde?

Porro hujus colluctationis causa et ratio a priori est, quod anima humana partim sit rationalis inclinans ad bona spiritualia, partim sensitiva inclinans ad bona sensibilia, sicque homo videtur conflatus ex angelo et bruto; et hæc cum illa assidue luctatur, sed pars sensitiva in eo vehementior existit, et secum rationalem sæpe trahit ad sua objecta sensibilia, neglectis spiritualibus. Nam, ut recte docet noster Lessius, lib. XII *De Perfection. divin.* cap. IX, mens humana, cum inter naturas rationales sit infima, ac proinde carni mortali inserta, et sensibus addicta; nihil præter sensibilia et temporalia, ut honores, divitias, voluptates perfecte apprehendit; spiritualia, ut pulchritudinem virtutum, et bona vitæ futuræ, obscure et confuse. Hinc fit ut a spiritualibus moveatur parum et languide, a sensibilibus multum et valide; motiones enim affectuum, cognitionis apprehensionem sequuntur. Quare, objectis difficultatibus, et iis quæ carni molesta, homo facile retrocedit, et studium virtutis abjicit; molestias enim illas, utpote sensibiles et naturales, valide apprehendit; cumque oriantur ex rebus obscuris, et non satis per experientiam comprobatis, fingit eas centuplo graviores quam revera sint, et ita facile ab illis vincitur. Bonum enim imperfecte apprehensum (quale est bonum virtutis et gloriæ cœlestis) non tantum attrahit, quantum ingens molestiarum imaginatio deterret. In bonis autem sensibilibus persequendis (qualia sunt opes, honores et voluptates), et si magnæ difficultates se offerant, mens tamen humana perstat; quia etsi illæ molestiæ per se deterreant, magis tamen bonorum speratorum vehemens apprehensio allicit, quorum ardens amor facit, etiam ipsas molestias longe quam reipsa sint minores videri. Hæc est pene tota ratio et prima origo, cur via virtutis, alioquin per se facilis et jucunditatis plena, videatur difficilis et amara; e contrario via sæculi, revera aspera et molestissima, videatur facilis et jucunda. Plus enim allicit fortis apprehensio bonorum sensibilium, quam deterreat imaginatio malorum illis annexorum; et plus deterret valida imaginatio molestiarum, quæ studio virtutis inesse videntur, quam apprehensio bonorum spiritualium (quæ in nobis valde tenuis est et obscura) alliciat. Dominus igitur hujus infirmitatis nostræ conscius, ut fortius apprehenderemus bonorum spiritualium excellentiam, et minoris æstimaremus difficultates annexas : proponit hic Siracidis exemplum, stimulum et consilium, ut scilicet per sapientiæ studium bonis spiritualibus audiendis, legendis, meditandis, exercendis assidue insistamus, iisque mentem plene imbuamus, ut ipsa fiat spiritualis, eoque secum rapiat partem inferiorem et animalem, indeque alios quoque tanti boni faciat participes. Nam, ut ait S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 122 : « Magnus bonorum labor est mores tolerare contrarios, quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet justum alieni peccati iniquitas, quantum a sua recedit. » Hæc enim est vis charitatis et zeli, ut instar ignis omnia inflammet.

Homo quasi conflatus ex angelo et bestia.

Porro noster Pineda, lib. III *De Rebus Salomon.* cap. III, censet hæc dici in persona Salomonis, de eoque sic explicat, *q. d.* Inter varias cogitationum colluctationes et conflictus de optimo vitæ genere sectando, « consiliatus sum, » id est eligendo inii consilium tradendi me totum studio sapientiæ. Censet enim Siracidem doctrinam et sensa Salomonis conscribere.

Quarto, « et in faciendo illam confirmatus sum; » Græca Complutensia et Romana legunt, καὶ ἐν ποιήσει λιμοῦ διηριθμησάμην, id est *et in effectione*

famis diligenter egi, vel diligentiam adhibui, *q. d.* Quam diligens et sedulus est homo famelicus, ut cibum consequatur, quo famem levet; tam diligens ego fui in studio sapientiæ, ut ejus famem et aviditatem exsatiarem. Verum Tigurina, Vatablus et alii pro λιμοῦ legentes μοῦ vertunt, *et in operatione mea exactus fui*; Vatablus : *Facta mea perpendi*, hoc est, ut Jansenius, actiones meas diligenter et exacte expendi, num cum præceptis sapientiæ convenirent, uti faciebat David dicens : « Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua, » *Psalm.* CXVIII. Qua de re divine scripsit S. Bernardus libros quinque *De Consideratione ad Eugenium Pontificem.* Alii vertunt, *et in effectione mea exquisitus fui.* Quo accedit Noster, *et in faciendo illam confirmatus sum*, *q. d.* Ut sapientiam semper facerem, ejusque dictamina explerem, obfirmavi animum, esto luctam in ejus praxi non modicam cum carne sentirem; tamen firmus in ea perstiti; et constanter perseveravi. Græcum enim διαχρίβόω significat *primo*, exacte discutio, diligenter expendo; *secundo*, exacte compono et absolvo; *tertio*, affabre facio; *quarto*, omni ope et exacta diligentia efficio, exsequor diligenter. Quocirca Syrus vertit : *Cogitavi benefacere, et non revertar quando inveniam illam. Conglutinata est anima mea cum illa, et faciem meam non averti ab ea. Dedi animam meam post eam* (tradidi me totum illi), *et in sæculum sæculorum non oblivíscar illius.*

Quatuor requisita ad sapientiam.

Moraliter, disce hic ad sapientiæ et virtutis consecutionem requiri : *primo*, generosam animi resolutionem, et propositum efficax ad eam prosequendam; *secundo*, ardorem et zelum; *tertio*, colluctationem et mortificationem cupiditatum; *quarto*, animi robur, constantiam et perseverantiam in virtutis studio et operatione. Igitur necesse est ei, qui sapientiæ donum in mente accipit, laborare, nervos intendere, totis viribus conniti, ut quæ jubet sapientia fortiter exsequatur; præcipit enim adversa carni, mundo et dæmoni. Cum hisce ergo diu multumque ei colluctandum est; at idcirco, non delassetur, nec cadat animo, quia ipsa colluctatione non debilitatur, sed confirmatur animus; perinde ac Jacob luctatus cum angelo, ideoque claudicans, ex lucta fortissimus effectus est, ut angelo et Deo prævaleret; unde vocatus est Israel, id est prævalens vel dominans Deo, uti dixi *Genes.* cap. XXXII, vers. 28. Nam ut ait S. Paulus, II *Corinth.* cap. XII, vers. 9 : « Virtus in infirmitate perficitur. » Et Psaltes, *Psalm.* CXLI, vers. 4 : « In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas. » Ita Palacius. Hic verum est illud Claudiani, in *Nuptiis Honorii Imperatoris* :

Via ad virtutem est perardua.

Non quisquam fruitur veris honoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos;
Si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas, mella tegunt apes.
Crescunt difficili gaudia jurgio.

Ad culmen ergo sapientiæ arduo et acclivi ascensu est opus :

Ardua per præceps gloria vadit iter.

S. Augustinus, tractat. *De Virgin.* : « Diversis, inquit, seminibus pectoris tui colles sere, nunc alimoniis mediocribus, nunc jejuniis parcioribus, lectione, opere, prece, ut mutatio laboris induciæ sint quietis. » Hisce mediis ad arcem virtutis sensim evadimus, robur colligimus, invicti efficimur. Audi Senecam, lib. *De Constant. sapient. ad Seren.* cap. III : « Quomodo quorumdam lapidum expugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut cædi vel teri potest, sed incurrentia ultro retundit; quemadmodum quæ jam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum habitumque conservant; quemadmodum projecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi ulla sævitiæ vestigia tot verberati procellis ostentant; ita sapientis animus solidus est, et id roboris collegit, ut tam tutus sit ab injuria, quam illa quæ retuli. »

Præclare Nazianzenus, *orat.* 23 : « Philosophicus, inquit, animus ex eo quod passus sit generosior redditur; atque ut candens ferrum frigida aspersione, ita periculis obdurescit, » juxta illud Horatianum :

Duris ut ilex tunsa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

26. MANUS MEAS EXTENDI IN ALTUM, ET INSIPIENTIAM EJUS LUXI. — Jansenius addit, *et ignorantias meas illuminavit.* Verum hæc delent Romani aliique plures. Pro *insipientiam ejus luxi*, Palacius, Jansenius et alii multi legunt : *In sapientia ejus luxit anima mea*, *q. d.* Cum anima mea colluctaretur intra se, et suas actiones secum expenderet; extendi manus ad Deum, ut me illuminaret, videremque meos errores et lapsus, sine quibus hæc vita mortalis non ducitur. Illuminavit ergo me Deus, « et in sapientia, » id est per sapientiam mihi a Deo infusam « luxit, » id est lucida facta est, « anima; » quia Deus eam illuminans fecit eam cognoscere suos errores et lapsus, eosque corrigere. Vers. 26.

Verum pro *in sapientia* corrigendum cum Romanis *insipientiam*; græce enim est ἀγνοήματα, id est *ignorantias*. Rursum pro *luxi* non est ἐφώτισα, id est luxi, a luceo, ut vult Lyranus et Dionysius; sed ἐπένθησα, id est luxi, a lugeo, indolui, ingemui. Ita Hugo, Jansenius et alii.

Sensus ergo est, *q. d.* In ista colluctatione sapientiæ et insipientiæ, virtutis et vitii in anima mea, de qua versu præcedenti, deprehendi magnam meam infirmitatem; eque ac ignorantiam sive insipientiam, meque in multis errare, deficere et labi. Manus ergo expandi in altum, orans Deum ut infirmitatem meam robore sapientiæ

corroboraret; ac insipientiam luce sapientiæ collustraret; ideoque insipientiam ejus, scilicet animæ meæ, colluctantem, ut dixi vers. præced., coram Deo luxi et deflevi. Græca habent : *Manus meas expandi in altum, et ignorantias ejus* (animæ meæ secum luctantis) *intellexi*; Vatablus, *et errores illius* (animæ meæ) *agnovi.*

Aut planius et potius, *q. d.* Ignorantiam et insipientiam ejus, scilicet sapientiæ, agnovi, hoc est agnovi quod non saperem, quod ignorarem sapientiam, quod essem insipiens; atque hanc meam sapientiæ ignorantiam et insipientiam luxi et deflevi. Unde nonnulli codices, quos citat Franciscus Lucas, in Notis hic, legunt : « Et in insipientia ejus (id est ob ignorationem sapientiæ) luxit anima mea; » itaque legendum censet ipse Lucas. Pro *luxi* Noster legit cum Græco codice Vaticano et cum Græco Romæ correcto, ἐπενόησα, id est *cogitavi.* Porro Syrus vertit : *Manus mea aperuit ostium ejus, et circumdedi eam* (vel circumvallatus sum ab ea), *et intellexi eam, et in puritate inveni eam.*

Vers. 27. 27. ANIMAM MEAM DIREXI AD ILLAM, ET IN AGNITIONE INVENI EAM. — Græce, pro *in agnitione* est, ἐν καθαρισμῷ, id est *in purificatione;* alii : *Per puritatem inveni eam.* Sed eodem redit sensus : « agnitionem » enim intelligit propriæ insipientiæ, errorum et lapsuum, eamque efficacem, puta quæ eorum pœnitentiam, correctionem et purificationem imperat et efficit : hæc enim agnitio et purificatio recta est via ad sapientiam et virtutem, de quo plura vers. 35. Sensus ergo est, ut recte Jansenius, *q. d.* Cum in me deprehenderem et deflerem multam insipientiam meam, animam meam direxi ad sapientiam, curvatam ex parte, et obtenebratam animam erigendo ad sapientiam, a qua illuminari et purgari optavi, et per agnitionem errorum meorum, et secutam hinc purgationem, inveni ipsam sapientiam. Vera enim ratio percipiendæ sapientiæ est agnitio propriæ insipientiæ, sive qua cognoscimus quam multa vere ignoremus, sive qua cognoscimus vitæ nostræ defectus, si eam agnitionem sequatur humilis pro sapientia precatio, et vitæ morumque emendatio atque correctio.

Nota Palacius apposite dicit « in agnitione inveni eam; » quia sicut charitas invenitur amando, patientia sufferendo, humilitas se dejiciendo; sic sapientia invenitur se cognoscendo, id est « in agnitione. » Aperiendo enim oculos, et videndo thesauros sapientiæ, qui abyssum meæ insipientiæ implere sufficiunt, illam inveni : habitus enim sapientiæ in suo actu invenitur. Si enim multa cognosco, invenio multam me habere sapientiam. Porro, ut dixi, sapientia consistit in agnitione thesaurorum sapientiæ, æque ac abyssi propriæ insipientiæ, hanc illi comparando, opponendo, et humili prece substernendo, ut eam illuminet et impleat, juxta illud S. Francisci : « Quis tu, Domine? quis ego? Tu abyssus sapientiæ et boni, ego abyssus insipientiæ et mali. »

Denique nota in purificatione affectuum, ac puritate castitatis et vitæ inveniri, imo consistere sapientiam : « In malevolam enim animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, » *Sap.* I, 4. Ita narrat Ruffinus S. Gregorio Nazianzeno per visum apparuisse duas virgines insignes, cumque ille studio castitatis earum aspectum fugeret, illæ comiter ad eum : « Nos, inquiunt, sorores sumus, una sapientia, altera castitas nominatur. Missæ sumus ad habitandum tecum; quia per puritatem jucundum nobis in anima tua habitaculum præparasti. » Et B. Hugo, Lincolniensis Episcopus, Christianismum aiebat tria requirere : « Exigit, inquit, vis et veritas beati nominis hujus, ut indesinenter teneatur charitas in corde, veritas in ore, castitas in corpore non fallaciter Christiani. » Christianismus tria requirit.

Vers. 28. POSSEDI CUM IPSA (perperam Lyranus et alii legunt *cum ipsis*, scilicet doctoribus sapientiæ) COR AB INITIO : PROPTEREA NON DERELINQUAR. — Hoc quoque ordine hunc versum et præcedentem legunt Græci Complutenses; habent enim : *Animam meam direxi ad illam, et in purgatione inveni eam. Cor possedi cum ipsa ab initio, propterea non derelinquar.* Codices vero Romæ emendati nonnulla immutant et trajiciunt; habent enim : *Animam meam direxi ad illam, cor acquisivi cum eis ab initio, et in purificatione inveni eam : propter hoc non derelinquar;* Syrus : *Cor possedi mihi ab initio, propter hoc derelinquam eam.*

Jam *primo*, Jansenius hunc dat sensum, *q. d.* Ab initio vitæ meæ ego ex dono Dei obtinui, et habui cor sapientiæ conjunctum, eamque semper desiderans; ideoque firmiter confido, quod non derelinquar a Deo et sapientia ejus; quia ejus raro dono ab infantia semper illi addictum habui cor. Nec frigide eam quæsivi, sed venter meus conturbatus est quærendo eam, hoc est, interiora mea omnia studio quærendæ sapientiæ commota fuerunt. Unde Vatablus vertit : *Conjunctum cum illa cor adeptus sum ab initio.*

Secundo, Planius et simplicius : Hebræi dicunt קניתי לב *kaniti leb*, id est acquisivi, et acquirendo possedi cor (sic « possidere » sumitur pro acquirere, parare, efficere, *Proverb.* VIII, 22, et alibi : est metalepsis), ut scilicet per sapientiam cordatus evaderem et prudens : cor enim fons est et symbolum prudentiæ, maturitatis, constantiæ et fortitudinis. Hinc Scipio Nasica vocatus est « corculum, » ob insignem prudentiam, de quo Cicero, *Tuscul.* I : « Aliis, inquit, cor ipsum animus videtur : ex quo excordes, vecordes concordesque vocantur; et Nasica ille prudens bis consul, corculum. » Et Plinius, lib. VII, cap. XXXI, Catos, Corculos, apud Romanos cognominatos esse refert, qui sapientia præstiterunt : prisci enim Philosophi in corde sapientiam constituerunt. Et Ennius se tria corda habere dixit, eo quod tres linguas calleret, puta quod latine, osce et græce Cor symbolum prudentiæ et animæ. Ennius tria corda habuit qualia?

sciret. Præclarius vero Salomon, a Deo donatus sapientia, accepit « latitudinem cordis, » id est animi magnitudinem, amplitudinem et liberalitatem, III *Reg.* IV. Sic Jeremias, cap. V, 20, ait : « Audi, populе stulte, qui non habes cor ; » et Osee, cap. VII, 11, ait de Ephraim : « Columba seducta non habens cor. » Vide ibi dicta. Corde ergo caret, qui sapientia caret : sapientia enim dat cor. « Propter hoc non derelinquar, » nec a sapientia, nec a Deo ; quia ubi est cor, ibi est sapientia, ibi est Deus.

Tertio, Dionysius et Palacius : In sapientia possedi cor, id est, inquiunt, possedi animam et meipsum, ut quasi dominus et possessor imperarem omnibus animæ motibus et affectibus, eosque freno sapientiæ mihi subditos, sibique invicem in pace associatos continerem. Sic ait Christus, *Luc.* XXI, 19 : « In patientia vestra possidebitis animas vestras ; » quia patiens per patientiam dominatur animæ suæ, eamque in pace continet et regit : impatiens vero non dominatur illi, nec eam possidet, sed potius possidetur ab ira, et consequenter a Satana. Sic avarus non habet se, sed habetur a nummis. Unde avari vocantur « viri divitiarum, » quasi servi earum, utpote qui non possident, sed possidentur a divitiis, *Psalm.* LXXV, 6. Sic libidinosus possidetur a venere et ventre. Et qui facit peccatum amisit seipsum ; quia se fecit servum et mancipium peccati, II *Petr.* II, 19.

Mirum cordis per annos incrementum et decrementum.

Denique præclare noster Caussinus, lib. III *Parab. Histor.* cap. III : Cordis effigies, ait, hieroglyphicum sapientiæ et fortitudinis est. Hinc Varro tradit hominis anniculi cor duarum esse drachmarum, quinquagenarii constare drachmis centum ; ab eo tempore annis singulis totidem imminuitur drachmis, quot excreverat : creditumque inde ex defectu humani cordis, non ultra centesimum annum posse homines vivere. Cor igitur sapientiæ sedes et typus, vasculum quidem parvum, ut ait Macarius, *homil.* 43, sed in quo recipiantur omnia. Ibi Deus, ibi angeli, ibi vita et regnum : ibi cœlestes urbes, ibi thesauri gratiæ. At si pravum fuerit, ibi dracones, ibi leones, ibi bestiæ venenosæ, ibi asperæ et salebrosæ viæ, ibi præcipitia, ibi thesauri vitiorum.

Androdamas species adamantis, typus sapientiæ.

Idem, lib. XI, cap. XXII, sapientiæ symbolum dat androdamantem : Androdamas, inquit, argenti nitorem habet, et pene adamas, quadratis semper tesseris. Magi putant nomen impositum ab eo quod animorum impetus vel iracundias domare et refrenare dicatur ; si credimus Isidoro, *Origin.* lib. XVI, cap. XIV, Apodosis, sive redditio parabolæ, est hæc : Nullus est alius androdamas, quam sapientia moderatrix animi, expultrixque vitiorum. Hæc incitatas permotiones, et instar torrentis et fluminis effusas reprimit et sistit, dissipata tot affectuum caligine.

Vers. 29. 29. VENTER MEUS CONTURBATUS EST QUÆRENDO ILLAM : PROPTEREA BONAM POSSIDEBO POSSESSIONEM.— Vatablus : *Viscera* (hebraice מעי *meai*) *mea commota sunt ad quærendam illam : propterea bonam possessionem nactus sum* ; Syrus : *Viscera mea ardent ut fornax ad intuendum in eam ; propter hoc possedi eam possessionem bonam.*

Primo, Dionysius et Palacius per ventris conturbationem intelligunt jejunium ; hoc enim ventrem fame latrantem turbat et humiliat, juxta illud : « Humiliabam in jejunio animam meam, » *Psal.* cap. III, 4, ut sensus sit, *q. d.* Sicut dæmon pater erroris et mendacii ejicitur in jejunio et oratione, *Marc.* IX ; ita e contrario ego cæterique sapientiæ studiosi, eam quæsivimus et acquisivimus jejunio et oratione ; perinde ac stulti eamdem amittunt crapula, garrulitate et dissolutione animi.

Secundo et genuine, pro *venter*, Noster cum Græcis Romæ correctis legit κοιλία ; sed Complutensia legunt καρδία, id est cor. Verum eodem redit sensus : nam per cor velut præcipuum cætera viscera, totusque venter intelligitur per synecdochen. Sensus ergo est, *q. d.* Cor meum summis votis, desideriis et conatibus quærens sapientiam, variis cogitationibus, desideriis, curis et sollicitudinibus agitatum et conturbatum est : at ubi eam, quam tantopere quærebam, inveni, per eam acquisivi bonam possessionem, puta ipsam sapientiam, quæ pretiosor est omni auro et argento : ac per sapientiam possedi cor meum, ut dixi vers. præcedenti. Unde Rabanus : « Quod dicit, inquit, ventrem suum conturbatum inquirendo illam, vel hoc insinuat quod in ejus meditatione anxium habuerit animum ; quia omnis disciplina in præsenti amara est. Vel hoc intimat, quod per ejus notitiam ad peccatorum suorum compunctus sit pœnitentiam. Unde scriptum est : Qui addit scientiam, addit dolorem, *Apoc.* X. Hinc et Joannes in Apocalypsi narrat quod angelus daret sibi librum, et diceret ei : Accipe librum, et devora illum, et faciet amaricari ventrem tuum ; sed in ore tuo erit dulce tanquam mel, *Ezech.* III. Et accepi librum de manu angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus. Sed possidet in hoc bonam possessionem, quando per hujuscemodi conversionem ad æternam perveniet requiem : qui enim conversus ingemuerit, salvus erit, » *ibid.* XVIII. Et : « Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur, » *Matth.* V.

Venter pro corde.

Tropologice noster Alvarez de Paz, lib. IV *De dignitate perfectionis*, parte II, cap. X : Sapientiæ, id est perfectionis, inquit, studiosus adipiscitur bonam possessionem. Quæ profecto possessio non est alia quam ipse Deus : nam illum perfecta charitas in mentem infert, et in cordibus nostris habitare facit. Si igitur perfectio animæ possessio Dei est, ergo et felicitas : et si perfectus Deum ipsum possidet, est ergo beatus et felix. « Quid enim potest eo esse felicius, » inquit Prosper, Regiensis Episcopus, « cui efficitur suus con-

ditor census, et hæreditas ejus dignatur esse ipsa divinitas : si modo eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo et de illo jugiter vivat, et nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium conditor, cui nihil eorum quæ fecit, valet æquari, non dignatur cum his quæ condidit possideri. Denique quid ultra quærit, cui omnia suus conditor fit; aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? » O tu ergo qui mundo contempto, quia minime sinus tui cordis explebat, aliud bonum quæris, quod te repleat, quod te satiet, quod te beatum et felicem efficiat, perfectionem inquire, qua Deum ipsum, ultra quem nihil bonum, nihil pulchrum, nihil desiderabile, et intra quem omnia bona, omnia pulchra et omnia desiderabilia continentur, felicissime possidebis.

Vers. 30. 30. DEDIT MIHI DOMINUS LINGUAM MERCEDEM MEAM : ET IN IPSA LAUDABO EUM. — Syrus : *Dedit Dominus linguæ meæ mercedem, et in labiis meis laudabo eum;* Vatablus : *Dominus mihi præmio dedit linguam, qua et laudabo ipsum;* alii : *Ut in ea laudem ipsum, q. d.* Deus dedit mihi linguam eruditam, piam et eloquentem, qua divina sapientiæ dogmata recte eloqui valeam; ut ipsa sit merces ex parte studii et laboris, quem impendi sapientiæ. Idcirco per ipsam laudabo Deum, tum eum in oratione glorificando, tum ejus laudes et præconia populo et lectoribus per lectiones, conciones, colloquia et scripta deprædicando, eosque ad Dei laudem et cultum incitando. Huc facit illud Ciceronis : « Eloquentia nihil aliud est quam copiose loquens sapientia. » Et illud Salomonis, *Sapient.* VII, 15 : « Mihi dedit Deus dicere ex sententia, et præsumere digna horum quæ mihi dantur; » et illud *Prov.* XV, 2 : « Lingua sapientum ornat (hebraice, *bonam reddit*) scientiam. »

Est hæc tertia bona possessio, quam adeptus est per sapientiam. Unde Palacius sic explicat, *q. d.* Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, et in ipsa laudabo eum. Sensus est : Dedit mihi Dominus bonam possessionem, primo, sapientiam; *secundo*, cor cum ipsa; *tertio*, linguam, qua et alios docere, et Deum laudare possim. Plane dat Dominus linguam, qui aperit os mutorum, et linguas infantium disertas facit. Et rursum : « Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo. » Et Spiritus Sanctus linguas igneas Apostolis distribuit, quibus loquerentur magnalia Dei. Datur autem lingua in mercedem; quia enim Auctoris lingua laboravit orando, datur ei in stipendium, ut lætetur laudando. Ergo ut merces divitis illius erat, ut lingua quæ deliciis affluebat in hoc sæculo, amburatur in inferno; ita merces linguæ laborantis in oratione est, ut delectetur in Dei sui laudationem. Sic S. Antonius de Padua in præmium suæ sapientiæ et virtutis, accepit linguam sapientem et ardentem docendi et prædicandi, qua auditores innumeros cognitione et amore Dei succendit. Quocirca post ejus mortem anno 32, S. Bonaventura linguam S. Antonii adhuc integram cum lacrymis exosculans : « O lingua, inquit, quæ semper laudasti Deum, causaque exstitisti, ut alii eumdem laudarent; nunc miraculo integritatis tuæ ostendis quanti meriti sis apud Deum, qui te ad tam sublime officium creavit. »

Lingua S. Antonii Patavini incorrupta.

TERTIA PARS CAPITIS.

CONCLUSIO ET ADHORTATIO AD STUDIUM SAPIENTIÆ.

Vers. 31. 31. APPROPIATE AD ME, INDOCTI, ET CONGREGATE VOS IN DOMUM DISCIPLINÆ. — Vatablus : *Accedite ad me, imperiti, et in domo disciplinæ versamini;* græce enim est διαλίσθητε, id est versamini, conversamini; Syrus : *Declinate ad me, insipientes, pernoctate in doctrina.*

Possent hæc accipi ut verba sapientiæ invitantis ad se, et ad domum suam omnes expertes sapientiæ, ut eam a se addiscant; sic enim sapientiam ad se insipientes invitantem induxit, cap. XXIV. Verum germanius ad litteram hæc accipias, ut verba Siracidis, qui indoctos ad se velut doctorem sapientiæ, ac consequenter ad domum suam quasi scholam sapientiæ invitat. In præcedentibus enim hucusque de se suaque persona locutus est Siracides; ergo cum subnectit : « Appropiate ad me, » de se personaliter intelligit, *q. d.* Recensui modum, quo ego sapientiam adeptus sum; appropiate ad me, et ad domum meam, ego tum modum sapientiam consequendi, tum ipsam sapientiam vos docebo. Sapientiam Ethicam intelligit; unde eam vocat « disciplinam, » quæ scilicet vitia castigat, moresque omnes ad virtutem efformat et componit. Unde Palacius : Siracides, inquit, imitatur Salomonem dicentem *Proverb.* IX : « Si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est : Venite, comedite, » etc. Et item : « Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea, quæ sibi noxia sunt, cupient? » etc. Ita nunc auctor indoctos ad sapientiam invitat, quia vere indoctus est, quem tu non erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Jam quia auctor videbat se Dei lumine collustratum, nihil veretur dicere : « Accedite ad me, et illuminamini, » etc., *Act.* XXVIII. Et ego certo credo auctorem in aliqua domo docuisse, sicut et Apostolus in suo conducto docebat omnes ad se venientes. Ad hanc igitur domum auctor discipulos invitat; quam « domum disciplinæ » vocat. Hæc Palacius.

Huic similis est gnome R. Josephi filii Joezer in *Pirke avoth*, id est in *Capitulis* sive *Proverbiis patrum* : « Sit domus tua quasi quoddam asylum sapientibus, impulvera te pulvere pedum eorum, ac sitibundo gutture avide sermones eorum excipe. » Ibidem, cap. I : « Viri synagogæ, inquit, hæc tria documenta vobis dedere, prudentes estote in judicando, plures vobis studete facere discipulos, sepem denique ac propugnaculum legi ponite. » *Ibidem*, Samai socius, R. Hillel : « Parcum, inquit, te volo in loquendo, multum in agendo, vultu autem hilari et benevolo omnem ad te venientem excipe. » *Ibidem*, cap. IV, Barzoma quatuor hæc problemata proponit : « Quis vere sapiens dici potest ac debet? Ille, inquit, qui se semper et ab omnibus doceri desiderat, juxta illud *Psalm.* CXVIII : Super omnes docentes me intellexi. Quis est potens? Ille, inquit, qui fortiter tentationi resistit. Dicit enim Scriptura : Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium, *Prov.* XVI, 32. Quis est appellandus dives? Is, inquit, qui suis contentus est, nec appetit aliena, sicut ait Psaltes : Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit, *Psalm.* CXXVII, vers. 2. Beatus es in spe exspectationis, bene autem erit tibi in re et fruitione consummatæ beatitudinis. Beatus, inquam, es in præsenti sæculo, et bene tibi erit in altero. Quis est in honore ac pretio? Ille, inquit, qui alios observat et colit debita reverentia, juxta regulam in S. Scriptura statutam : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, » I *Reg.* II, 30.

Ibidem, R. Ismael : « Qui eo fine discit, inquit, ut alios postmodum doceat, illi Deus et discendi gratiam confert pariter et docendi. Et qui hoc animo discit, ut suos ipsius mores instruat, dat illi Deus unde discat et doceat, et quod alios docuit, in opus et praxim redigat. »

Igitur ex hoc loco habes, tempore Siracidis ipsum similesque sapientes sapientiam, præsertim Ethicam de virtutibus, quibus perfectionem et felicitatem assequimur, deque Deo rite sancteque colendo docuisse, vel in scholis publicis, vel domi suæ. Sic Abraham eamdem docuit suos liberos suamque familiam; quin et peregrinos, quos hospitio recipiebat, sicut tradit Jonathas auctor *Targum* Hierosolymitani, uti dixi *Genes.* cap. XXI, 33. Hinc et urbs in Judæa dicta est *Cariatsepher*, id est civitas litterarum, quod illæ in ipsa docerentur, quodque scholis et magistris eas docentibus abundaret, *Josue* X et sequent., ac *Judicum* I. Fuit ergo Cariatsepher Universitas et Academia Palæstinæ, ait Adrichomius, in *Descrip. terræ sanctæ in tribu Simeonis*, num. 41.

Abraham doctor sapientiæ,

Imo Jacobus Middendorpius, lib. I *De Academiis in Italia*, ex Beroso, lib. III *Antiq.*, et aliis, asserit Noe post diluvium primum in Armenia, deinde Vetuloniæ in Italia gymnasium erexisse, ibique publice jura divina et humana, morum disciplinam, ritumque colendi Deum docuisse, qua de re nonnulla dixi, *Genes.* cap. IX, in fine. Quod si ita est, primus Academiarum institutor fuit Noe. Unde Rebecca, *Genes.* XXV, 22 : « Perrexit ut consuleret Dominum; » ubi Jonathas jam citatus vertit : « Abiit, ut peteret misericordiam in domo, ubi concionabatur Sem. » Et illud *ibidem*, vers. 27 : « Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis; » Onkelos vertit : *Jacob vir integer minister domus doctrinæ*, quod ipse et Hebræi ad scholas sapientiæ referunt, quas frequentabat Jacob doctoribus Sem et Heber; aut secundum alios Melchisedech, rerum divinarum et pietatis studio vacans : minister enim idem est quod auditor et discipulus. Sic Salomon erexit academiam in arce Sionis, *Proverb.* IX, 1; de qua vide nostrum Pinedam, lib. III *De Rebus Salomon.* cap. XXVII et XXVIII.

Et Noe,

Et Salomon.

Mystice, « domus » sapientiæ et « disciplinæ » est Ecclesia Catholica; item templum in quo concionatores docent et prædicant veram fidem, virtutem et pietatem; insuper collegia, oratoria ac cœtus virorum sapientum. Denique « domus disciplinæ » est status Religionis, quæ mores hominum reformat, eosque per tria vota Deo devincit et obstringit. Vide P. Platum, lib. I *De Bono status Religiosi*, cap. XXI, et lib. III, cap. V et XI.

32. QUID ADHUC RETARDATIS? ET QUID DICETIS IN HIS (id est *de his*)? ANIMÆ VESTRÆ SITIUNT VEHEMENTER. — Sic et Græci Complutenses, licet Romani aliique deleant τὸ *et quid dicetis?* Vatablus : *Quidnam cunctamini? et quid dicetis super his cum animæ vestræ vehementer sitiant?* Est acris exhortatio, qua quasi stimulo pungit audientem vel legentem hæc, ut sapientiæ studio se dedat, *q. d.* Quid moramini? quid in his adhortationis meæ verbis excusationis afferre potestis? si animæ vestræ sunt velut terra sitiens, id est arida et indiga veræ sapientiæ, qua irrigentur, vivant, fructusque vitæ sanctæ proferant; atque ego ea de causa os meum aperui, ut velut imbres emitterem eloquia mea, cur non venitis ad bibendum, et pleno ore ea hauriendum? Τὸ enim *sitiunt* significat sitim, non tam desiderii (sic enim non dixisset : « Quid adhuc retardatis? ») quam ariditatis et indigentiæ. Syrus tamen desiderii sitim accipit : *Usquequo*, inquit, *deficietis his? et anima vestra erit sitiens unum*, summum bonum, puta Deum?

Vers. 32.

33. APERUI OS MEUM, ET LOCUTUS SUM : COMPARATE VOBIS SINE ARGENTO, — scilicet « sapientiam » (uti addunt aliqui, vel *scientiam*, ut addit Syrus) quam aperto ore vobis propono. Vatablus : *Aperto ore dictito : Sine argento comparate vobis, q. d.* Cum animæ vestræ rudes et imperitæ instar terræ æstuantis sitiant optentque imbrem sapientiæ, quo irrigentur, et ad fruges bonorum operum fecundentur, in aperto plenoque corde et ore vobis illum offero et propino. Avide ergo eum excipite et haurite, ut sitim et ariditatem vestram levetis.

Vers. 33.

Nec est quod excuseris dicendo vos non habere pretium, quod pro ea rependatis, uti Philosophi caro admodum vendebant suam scientiam : ecce enim ego gratis eam vobis offero. « Comparate » ergo, id est excipite, eam « sine argento, » sine pretio; solum enim pretium hic est affectus desiderantis sapientiam, eamque avide excipientis, nec enim invito illa obtrudenda est.

Alludit ad illud *Isaiæ* LV, 1 : « Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite; venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. » Quæ quia ibidem explicui, hic non repetam.

Vers. 34. 34. ET COLLUM VESTRUM SUBJICITE JUGO (Syrus, *inducite jugo illius*), ET SUSCIPIAT ANIMA VESTRA DISCIPLINAM; IN PROXIMO EST ENIM INVENIRE EAM. — Τὸ *et* est exegeticum, posterior enim pars explicat priorem, *q. d.* Collum vestrum subjicite jugo sapientiæ, hoc est suscipiat anima vestra disciplinam, qua inordinatos animi motus juxta Dei legem, rectamque rationem ordinetis et componatis, omnesque vestras actiones conformetis voluntati divinæ. Pro *in proximo est*, græce est ἐγγύς ἐστι, id est prope est, ut inveniatis eam. Unde Vatablus : *Cervicem vestram subjicite jugo, et anima vestra suscipiat disciplinam, in promptu est enim invenire eam*; Syrus : *Proxima est quærenti illam, et qui dat animam suam* (qui ei intendit ex animo) *invenit eam*. Alludit ad illud Moysis, cap. XXX, 11 : « Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos? etc. Sed juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. » Igitur Dei mandatum, sive lex, vocatur « jugum; » quia premit cervicem superborum, et frenat concupiscemtiam carnalium; sed, ut Rabbini dicunt, lex vocatur et est « jugum cœli, » quia a Deo gratiam ad legem implendam subministrante est impositum, juxta illud S. Leonis : « Juste instat præcepto, qui prævenit auxilio. » Sic Jeremias ait, *Thren.* III, 27 : « Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. » Et Christus, *Matth.* XI, 29 : « Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Hinc ex adverso « filii Belial, » id est sine jugo, vocantur inobedientes, rebelles, apostatæ, qui jugum Dei, sapientiæ et legis excutiunt. Rursum alludit ad illud *Sap.* cap. VI, 14 : « Clara est et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. »

Vers. 35. 35. VIDETE OCULIS VESTRIS QUIA MODICUM LABORAVI, ET INVENI MIHI MULTAM REQUIEM. — Duos sensus hic affert Palacius : Prior, inquit, est : Videte, obsecro, etsi pro sapientia obtinenda aliquantum laborarim, multam in ea tamen requiem inveni : quis enim posset tam multa de quavis materia, ut scripsi, scribere, nisi qui requiem multam animo haberet? Alter sensus germanus, ut credo, est : Oculis vestris me conspicite; laboravi equidem sub iniquo rege; sed me jam videtis in multa requie felicem : id vero factum est ob sapientiam; eam ergo et vos comparate. Videtur auctor post afflictionem multam felicitatem habuisse, ut olim Job, ut postea David et alii multi. Unde Syrus vertit : *Laboravi in ea modicum, et inveni eam multum.*

Tertio, simpliciter et plane sic exponas, *q. d.* Ex illis quæ hoc capite, vers. XIX et seq. ac toto libro de sapientia ejusque experientia et fructu disserui, evidenter colligite, et oculis mentis perspicite quantam ex modico labore, quem sapientiæ impendi, collegerim mihi requiem. Ex hisce enim meis dictis et scriptis colligetis me omnes animæ turbulentos motus et perturbationes per sapientiam ita ordinasse et composuisse, ut totus in sapientiæ pace et jucunditate conquiescam et delicier. Nam, ut ait Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag* : « Medicina medetur corporis morbis, sapientia autem animi perturbationibus. » Et S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 15 in plagam grandinis : « Prima sapientia, ait, est vita proba et honesta Deoque perpurgata, vel certe se purgans; Deo, inquam, qui purissimus et splendidissimus est, solumque purgationis sacrificium a nobis requirit. » Ratio est prima, quia, ut dicere solebat S. Bernardus : « Sapiens est cui quæque res sapiunt, prout sunt. » Ita habet auctor *Vitæ* ejus, lib. III, cap. I. Sapiens ergo omnia accipit prout sunt, omnibus eventis acquiescit : semper ergo est in pace. Secunda, quia, ut ait Comicus, in *Hecyra* : « Istud est sapere, qui ubicumque opus sit, possis animum flectere. » Et alius : « Sapiens res sibi seque rebus accommodat. » Ubique ergo pacem et requiem invenit. Tertia, quia « sapiens semper est solutus, semper sui juris; » habet enim animum terra celsiorem in Deo fixum, unde omnia tam adversa quam prospera, quæ ei accidunt, parvipendit, et ad se non pertinere existimat, juxta illud : « Mundana sperne, id culmen est sapientiæ. » Quarta, quia « tristium gubernatrix est sapientia : » quare sapiens per sapientiam omnia tristia vel avertere, vel fortiter ferre, vel iis mederi novit. Quinta, quia sapiens futura prospicit, ac futuris longe, antequam eveniant, malis partim assuescit, partim providet. Sexta, quia quisquis sapit, sorti suæ se accommodat, ac sorte sua quam Deus ei admensus est, sive prospera ea sit, sive adversa, contentus vivit. Septima, quia « sapientis anima semper ad latus est Dei, dicitque : Si Deus pro nobis, quis contra

Sapiens est in perenni pace et gaudio: Cur?

Causa prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

nos? » *Rom.* VIII : « Ut enim sapiens Deum, sic sapientis animam sequitur Deus. Quare quæ possidet Deus, possidet et sapiens. » Ab omnipotente ergo fit omnipotens, ab impassibili impassibilis, ab invincibili invictus. Huc facit illud : « Quis sapiens? qui vivit cum diis ex pari. »

Octava. Et spe jeatitudinis.

Denique gaudet sapiens in labore sapientiæ et virtutis quantumvis arduo ; quia certa fide et spe credit et sperat ex modico labore consequi æternam quietem in gloria cœlesti. Modicus enim labor perennem parit felicitatem, quæ est omnium bonorum aggregatio et cumulus. Legimus in *Vita B. Galgani Senis*, excusa anno Domini 1571, et ex ea apud Philippum Ferrarium, in *Catalogo Sanctorum Italiæ*, ad diem 4 decembris, B. Galganum a voluptuosa vita ad austeram sanctamque a Michaele Archangelo evocatum, in eremum secessisse, ac cœlestem in orationibus, jejuniis, omnique austeritate vitam agentem, post annum cœlesti voce ad æternam requiem invitatum hisce verbis : « Satis est quod laborasti, metes nunc quod seminasti; » in cœlum emigrasse anno ætatis 33, sub annum Domini 1181. An non hic modico labore magnam requiem sibi peperit? S. Stephanus septem mensibus Diaconi officium exercens, disputans cum Judæis, Christi fidem ingenti zelo prædicans, quantam quietem et gloriam adeptus est! eodem enim anno quo Christus 25 martii, ipse 26 decembris pro Christo lapidatus martyrii στέφανον laureamque adeptus est. S. Laurentius quinque diebus, qui a morte S. Sixti ad ejus craticulam interfluxerunt, modicis sed heroicis laboribus cum Valeriano Imperatore decertans, quam illustres sibi in cœlo et in terra creavit triumphos! Quare sapienter S. Franciscus hac brevi, sed nervosa concione suos ad omnes virtutis agones excitabat : « Modica voluptas, pœna immensa; modicus labor, gloria æterna : multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio. » Et S. Ephrem, in *Serm. ascetico ad Fratres* : « Post tentationem requies, post formicam apes, id est acerbitatem laboris dulcedo quietis excipit, et asperitatem vitæ gaudium. »

Vers. 36.

36. ASSUMITE DISCIPLINAM IN MULTO NUMERO ARGENTI, ET COPIOSUM AURUM POSSIDETE IN EA. — Tripliciter hæc exponas. *Primo*, *q. d.* Comparate vobis disciplinam et sapientiam in multo, id est per multum numerum argenti (hebræum enim ב, id est *in*, significat sæpe pretium, idemque valet quod *per*), puta pretio multæ pecuniæ; quia per eam possidebitis copiosum aurum; tum quia sapientia veras opes homini confert, spiritales scilicet, quæ mentem rerum cognitione et virtutibus divitem efficiunt; tum quia ipsa secum afferre solet opes corporales sapienti ad suum statum necessarias vel utiles, uti Salomoni tanquam regi attulit innumera auri et argenti talenta. Unde Syrus : *Audite doctrinam meam modicam, et argentum et aurum possidebitis per me.* Hinc et ex Græco nonnulli vertunt : *Participate disciplinam multo numero argenti, et multum auri per eam acquiretis*, *q. d.* Comparate vobis sapientiam, etiamsi eam magno pretio, adeoque tota substantia vestra comparare debeatis. *Secundo* et nervosius, Rabanus, *q. d.* Comparate vobis disciplinam, « in multo, » id est præ multo, « numero argenti, » præferte illam et potiorem ducite omni auro et argento : quia per ipsam copiosum aurum et opes tum spiritales, tum corporales possidebitis : Hebræum enim ב, id est *in*, subinde sumitur pro מן *min*, id est *præ*. *Tertio*, *q. d.* Comparate vobis disciplinam *in*, id est cum multo numero argenti : quia scilicet ipsa secum defert omnes opes, easque sapienti largitur. Unde explicans subdit : « Et copiosum aurum possidete in ea. » Ita Vatablus : *Participes*, inquit, *estote disciplinæ cum magno argenti numero, et cum ea multum auri acquirite.*

Nota « possidete, » id est possidebitis per sapientiam copiosum aurum : tum quia ipsa plus valet quam omne aurum, eoque longe pretiosior est, juxta illud :

> Auro quid melius? Jaspis. Quid Jaspide? Virtus.
> Quid virtute? Deus. Quid deitate? Nihil.

Gradus bonorum.

tum quia sapientia sæpe procurat sapientibus aurum. Est enallage modi frequens in Scriptura, præsertim in promissionibus. Per illam enim significat Scriptura, si id fiat a nobis, quod ipsa præscribit, promissionem præmii fore certissimam et infallibiliter complendam, quasi jam nihil supersit nisi manum ad fructum illum colligendum, sive ad promissum reipsa capiendum extendere. Sic dicitur *Psal.* XXXIII, 6 : « Accedite ad eum, et illuminamini, » id est si accesseritis ad Deum, certo ab eo illuminabimini. Similia sunt *Isaiæ* LV, 2, *Osee*, X, 12 et alibi. Huc facit illud S. Ephrem, in *Cantico spirituali de laude sapientiæ* : « Relinque negligentiam, perditionis ærarium. Posside aurum cum mensura, et doctrinam absque mensura. »

Vers. 37.

37. LÆTETUR ANIMA VESTRA IN MISERICORDIA EJUS, ET NON CONFUNDEMINI IN LAUDE IPSIUS. — Τὸ *ejus* non refert sapientiam (græce enim est masculinum αὐτοῦ) sed Deum datorem sapientiæ, *q. d.* Lætamini, exsultate, et gratias agite Deo, qui per immensam suam misericordiam offert et confert vobis sapientiam : et si id præstiteritis, nunquam confundemini in laude ejus, quod scilicet Deum laudaveritis, sicut sæpe confunduntur, qui laudant homines, a quibus magna sperant, sed frustra. Aut potius : « Non confundemini ; » græce, μὴ αἰσχυνθείητε, id est *non confundemini*, id est non pudeat vos perpetim laudare Deum; esto ob id ab omnibus profanis parumque religiosis irrideamini. Unde Vatablus : *Anima vestra lætetur benignitate ejus, nec vos laudum ejus puduerit.* Porro Palacius : Scio, inquit, Græcis relativa *ejus* et *ipsius* esse masculina, et ita ad Deum, non ad sapientiam referri; sed cum Græci codices sæpe tam sint varii, magis placet ad sapientiam re-

ferre, ut sit sensus : Cum sapientia se vobis misericordem et benignam ostenderit, lætetur anima vestra; aperiat universos sinus suos, ut benignitatem sapientiæ suscipiat. « Cor meum, inquit, et caro mea, exsultaverunt in Deum vivum, » *Psal.* LXXXIII. Dulciora sunt judicia sapientiæ super mel et favum; est enim sapientia Verbum Dei, Filius Dei. O quantum ille animam lætam reddere potest, *Psal.* XVIII. O quam recte spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum! Vide dicta *Eccli.* cap. XIV, in fine. Jam vere dictum est : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea : et labiis exsultationis laudabit os meum, » *Psal.* LXII. Nam ubi anima exsultatione sapientiæ adimpletur, laudes Dei eructat et ebullit. Hoc dicit auctor : Lætetur anima vestra in misericordia sapientiæ : tunc eam laudabitis, nec vos pudebit unquam ipsam laudasse. Pudebit laudasse divitias, honores, demum laudasse terrena; at pulchram, divitem et honestissimam sapientiam amasse et laudasse, nunquam in sæcula pudebit. Porro Syrus vertit : *Lætabitur anima vestra in pœnitentia mea, et non confundemini in canticis meis.*

Vers. 38. 38. OPERAMINI OPUS VESTRUM ANTE TEMPUS; ET DABIT VOBIS MERCEDEM VESTRAM IN TEMPORE SUO. — Τὸ *operamini* significat sapientiam, de qua semper agit, non esse otiosam, inanem et speculativam, nec solum in affectu et interno amore virtutis consistere, sed esse operosam, atque in actiones virtutis emanare. Unde has vocat « opus vestrum, » quod scilicet vobis sapientiæ studiosis ipsa præscribit, quodque vobis manebit in omne ævum, vobisque conciliabit æternam felicitatem et gloriam; cum cætera mundi hujus bona, ut opes, honores, deliciæ non sint opus vestrum, vobisque mansurum, sed mundi, utpote quæ a mundo nunc dentur, nunc auferantur, et ad alios transferantur, adeoque cum mundo, imo ante mundum sint interitura. Quocirca Christus, *Joan.* VI, 27 : « Operamini, ait, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. » Opus ergo sapientiæ, id est rationis, virtutis, felicitatis et æternitatis, est opus nostrum, id est nobis a Deo destinatum, nobis dignum, nobis mansurum, nos beaturum. Porro τὸ *ante tempus* tripliciter exponi potest. *Primo, q. d.* « Operamini opus vestrum, » puta opus sapientiæ et virtutis, antequam pereat et elabatur vobis tempus operandi et merendi æterna præmia : ut notet duo tempora, unum hujus vitæ, quod est tempus merendi; alterum futuræ vitæ, quod erit tempus mercedem recipiendi; juxta illud, *Galat.* VI, 10 : « Dum tempus habemus, operemur bonum : tempore enim suo metemus non deficientes. » Unde Vatablus vertit : *Ante amissam occasionem* (hanc enim significat Græcum καιρός), *fungimini officio vestro, suoque tempore præmio vos afficiet.*

Virtuti ante tempus studendum. Primo.

Alludit ad Jacob ambientem Rachel in sponsam : unde pro ea ante nuptiarum tempus servivit Laban patri Rachelis per 14 annos pascendo greges illius, et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, *Genes.* XXIX, 20. Nam, ut ait Albinus Flacus, *Disput.* cum Pipino Caroli Magni filio : « Quid est spes? refrigerium laboris. Quid est quod amara facit dulcia? fames. Quid est quod hominem non lassum facit? lucrum. » Huc accedit Glossa : Operamini, inquit, opus vestrum, ante tempus judicii; Lyranus, ante tempus mortis. Unde Sapiens, *Ecclesiast.* IX, 10 : « Quodcumque, inquit, facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. »

Secundo, Palacius sic exponit, *q. d.* « Operamini ante tempus, » id est in juventute, ut ego feci, qui ante tempus postulavi eam, cum nondum tempus videbatur petendi. Aut potius, *q. d.* Ne exspectetis tempus quærendi sapientiam, prævenite omne tempus : fallimini si creditis senectam exspectandam ad eam quærendam : arripite igitur quamvis eam comparandi occasionem. Ne contingat vobis, quod contingit sponsæ, quæ cum aperuit pessulum ostii sui, sponsum qui diu ad januam pulsaverat, jam abiisse doluit. Igitur « operamini ante tempus, » idem est quod, operamini etiam ante tempus. « Dabit, inquit, mercedem in tempore suo, » dabit scilicet sapientia mercedem, non quovis tempore, sed tempore suo, cum oportuerit. Secundo.

Huc accedit noster Pineda, lib. III *De Salomon.* cap. III, qui sic explicat : « Operamini, inquit, opus ante tempus, etc., *q. d.* Dum non habetis sapientiam, etiam ante tempus senectutis (tunc enim suo tempore videtur mature provenire) enitimini, ut illam bonis operibus et assiduis vigiliis atque laboribus promereamini. Quippe illa tandem vobis aderit non quidem oscitantiæ et somnolentiæ, sed sollicitudinis et vigiliarum præmium; mercesque opportuna, ut in me cernitis.

Tertio, plenius et sublimius, *q. d.* « Operamini opus vestrum, » puta vestræ sapientiæ et virtutis, « ante tempus, » scilicet mercedis, ut in tempore suo, mercedi scilicet a Deo destinato, mercedem vestram quisque operi suo congruam et commensam recipiatis, *q. d.* Operamini opera bona in præsenti vita, ut in futura mercede donemini : præsens enim sæculum est operis et meriti; futurum vero erit quietis et mercedis. Nota τὸ *mercedem*, quam scilicet cuique majorem vel minorem, pro qualitate et quantitate operum, Deus justus judex taxabit. Igitur in hac vita non est tempus mercedis, lætitiæ et divitiarum; sed est tempus militiæ, laboris et crucis. Ergo si illa Deus daret in hac vita, non tempore suo ea daret. Exspecta igitur, o Christi athleta, tempus suum, quo Deus ea tibi certo, imo magno cum fœnore præstabit. Denique Syrus sic concludit : Tertio.

Operamini opus vestrum non in tempore suo, et dabitur merces vestra tempore suo. Benedictus Deus in sæculum, et laudabile nomen ejus in generationem et generationem. Hucusque verba Jesu filii Simeonis (forte Sirach pater Jesu, alio nomine dictus est Simeon) *qui vocatur Bar-Siro* (id est filius devincti); Arabicus, *Bar-Sirach.*

Imitatur Siracides Salomonem, puta Ecclesiasticus Ecclesiasten, qui ita librum suum concludit: « Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo, » id est hic finis, hæc meta, hæc felicitas, hæc gloria, hoc omne bonum hominis. Unde Rabanus : « Huic sententiæ, inquit, canon totius divinæ legis concordat, et hoc resonat, hoc docet, hocque hortatur, ut dum tempus habemus semper bono operi insistamus; quatenus in tempore opportuno justissimo judice retribuente, æternam mercedem pro hoc accipiamus. »

Finis sapientiæ felix æternitas.

Finis enim omnis sapientiæ et doctrinæ; omnisque actionis et virtutis est æterna merces, felicitas et gloria, quæ sane omnes exstimulare et accendere deberet ad aggrediendum heroica virtutum opera, eaque multiplicanda et augenda : quot enim talia facimus, tot coronas gemmeas et adamantinas nobis in cœlis adornamus : « Ad magna enim præmia, ait S. Gregorius, homil. 37 *in Evang.* perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde Paulus egregius prædicator dicebat : Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. » Præclare S. Augustinus, in *Psal.* XCIII : « Venale est quod habeo, dicit Dominus, tibi eme illud. Quid habet venale? Requiem, Regnum. Quantum valet? Pretium ejus labor est. Quantus labor? Æterna requies æterno labore emenda erat. Sed qualis misericordia Dei! Non dicit: Decies centena millia annorum labora; non dicit, Vel mille annos labora; non dicit, Quingentos labora : sed, Cum vivis labora paucis annis; inde jam requies erit, et finem non habebit. Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos : siliquam laboris ad requiem sempiternam. » Et S. Bernardus, serm. 4 *De Ascens.* : « Quid illi grave poterit videri, qui semper mente tractat, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium, semper videt æterna præmia? »

Ascetarum stimulus erat præmium æternitatis.

Hæc præmia sibi jugiter ob oculos posuere prisci ascetæ et anachoretæ, iisque velut acribus virtutis stimulis, ad ardua quæque sese incitabant. Audi Damascenum, in *Histor. Barlaam et Josaphat*, cap. XII : « Per hæc exempla, et per hujusmodi colliones et actiones, terreni cœlitum vitam imitati sunt : ut qui in jejuniis et precibus ac vigiliis, in calentibus lacrymis et luctu ab omni animi distractione liberi, in peregrinatione ac mortis memoria, in lenitate, animique affectu ab iracundia remoto, in labiorum silentio, in paupertate atque inopia, in castitate ac pudicitia, in humilitate et quiete, ac denique in perfecta erga Deum et proximos charitate præsentis vitæ curriculum confecerint, Angelosque moribus expresserint. Ob eamque causam Deus miraculis ac signis, variisque virtutibus eos exornavit, effecitque ut admirandæ eorum vitæ rationis sono ipsi quoque orbis terrarum fines personent. » Deinde unius S. Antonii *Vita* in exemplum proposita, ista subjicit : « Beati certe illi ac ter beati, ut qui Dei amore flagrarunt, atque ob ipsius charitatem omnia pro nihilo duxerunt. Siquidem lacrymas profuderunt, dieque ac noctu in luctu versati sunt, ut perpetuam consolationem adipiscerentur : seipsos ultro depresserunt, ut illic in altum attollerentur : carnes suas fame ac siti et vigiliis confecerunt, ut illic paradisi deliciæ et exsultatio ipsos exciperent : Spiritus Sancti tabernaculum per cordis puritatem exstiterunt, quemadmodum scriptum est : Inhabitabo in ipsis et inambulabo : seipsos mundo crucifixerunt, ut ad Christi dexteram starent : lumbos suos in veritate succinxerunt, atque in promptu semper lampades habuerunt, immortalis sponsi adventum exspectantes. Nam cum mentis oculis præditi essent, horrendum illum diem semper prospiciebant : atque tum futurorum bonorum, tum futuri supplicii contemplationem ita in corpore defixam gerebant, ut ab ipsa nunquam divellerentur : atque hic laborare studuerunt, ut sempiternæ gloriæ compotes essent : perturbationum expertes, non secus atque angeli fuerunt; nunc cum illis quorum vitam imitati sunt, choreas agunt. Beati illi ac ter beati, quoniam firmis mentis oculis præsentium rerum vanitatem, atque humanæ prosperitatis incertitudinem et inconstantiam perspexerunt, eaque rejecta sempiterna bona sibi ipsis condiderunt, ac vitam eam, quæ nunquam occidit, nec morte interrumpitur, arripuerunt. »

Igitur vera sapientia non est aliud quam vera sanctitas, sancta felicitas, felix æternitas. Quocirca « sursum vocatos animos terrena desideria non deprimant, ad ÆTERNA præelectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent, etc., » ait S. Leo, serm. 2 *De Ascensione.*

S. Antonius, apud S. Athanasium : « Si centum annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro, sed pro annis prædictis omnium nobis sæculorum regna tribuentur. » Quidquid hic vides, breve est. Æternum cogita : semel cogitatum, dictum, factum, æternum est.

S. Gregorius, lib. VI, epist. 26 *ad Andream* : « Si bona quærimus, illa diligamus quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus,

illa timeamus quæ a reprobis sine fine tolerantur. »

S. Gregorius Nazianzenus, epist. 57 *ad Eudoxium* : « Ad Deum contende, progredere, animo volita, vitam æternam arripe. Nusquam spes tuas siste, quousque ad illud summe expetendum et beatum bonum perveneris. »

S. Augustinus, serm. 39 *De Tempore* : « Tota series scripturarum nos a terrenis ad cœlestia erigi adhortatur, ubi vera et sempiterna est beatitudo. »

S. Bruno, fundator Cartusiæ, in carmine *De Vanitate mundi* :

Sic vivunt homines tanquam mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

« Æternitati comparata brevis est omnium temporum longitudo. In conspectu enim tuo mille anni quasi dies una reputantur. » S. Hieronymus, epist. 139 *ad Cyprianum* : » Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum. » *Alleluia*, IV *Esdræ*, II, et *Offic. Eccles.*

VIVE ÆTERNITATI.

O ÆTERNITAS, quam longa es : quam intermina! quam raro versaris in mentibus hominum! o ÆTERNITAS, quam piis beata, quam impiis misera es! o viva semper eademque sæculorum omnium ÆTERNITAS!

Tertullianus, *Exhortat. ad Martyres*, cap. III : « Bonum certamen subituri estis in quo agonothetes Deus vivus est, xystarches Spiritus Sanctus, corona ÆTERNITATIS bravium, angelicæ substantiæ politia in cœlis, gloria in sæcula sæculorum. *Amen.*

ADDITIO DE BEN-SIRA.

In *Proœmio* pollicitus sum me in calce operis, nisi id nimis excresceret, daturum integrum Ben-Sira, Siracidi nostro cognominem, affinem et persimilem. Fidem datam libero : vestigavi Ben-Sira Romæ, Parisiis, Antverpiæ, Lugduni, Francofurti apud omnes pene Europæ typographos, quin et apud Synagogæ ac Judæorum Rabbinos; ac nusquam reperi, quod ejus genuinum foret et prelo dignum. Romæ in Vaticano inveni quæstiones et problemata Hebraica manuscripta, nomen Ben-Sira præferentia, eademque a Rabbinis Hebræorum accepi ac perlegi; sed plane diversa ab ejus Alphabeto Proverbiorum comperi, apocrypha, nomen Ben-Sira mentientia, illique a sciolo quodam afficta, utpote futilia, fabulosa, erronea, ac plane tanto viro indigna; ac proinde ab ipsismet Hebræis proscripta ac legi vetita. Nam in ipso libri limine traditur prodigiosa Ben-Siræ generatio ex matre virgine, quæ non ex viro, sed aliunde ex vapore vel humore conceperit : quæ meræ sunt næniæ et fabulæ Judaicæ. In ipso libro auctor proponit quæstionem, cur Deus certum genus muscæ vel vermiculi inutile, imo noxium homini, utpote ejus caput invadens et in cerebrum penetrans, crearit? Ac respondet, id fecisse eo quod eodem Titum imperatorem romanum occidere, itaque superbiam ejus sternere, ac crudelitatem in Judæos excisa Hierosolyma exercitam vindicare decrevisset; quæ non solum ridicula et nugacia sunt, sed aperte asystata et chronologiæ repugnantia. Ben-Sira enim aliquot sæculis vixit ante Titum, imo ante Christum. Nam, ut habet communis Hebræorum sententia, vixit altera ætate post Jeremiam Prophetam, cujus etiam nepos fuisse existimatur; filium habuit Uzielem nomine, et nepotem Josephum, utrumque sapientiæ laude clarum, quorum subinde meminit Scholiastes Alphabeti Ben-Sira. Idem auctor narrat vespam ore gestasse araneum, ac stultum quemdam baculo vespæ araneum excutere destinasse, accurrisse Davidem regem, ac miratum, cur Deus tres res adeo ineptas et insulsas, puta vespam, araneum et stultum creasset : Deum vero miranti respondisse, se vespis punire noxios, uti Chananæos punivit; *Sap.* XII, 8, araneo purgare domum, quod is noxios ad se trahat humores; stulto tueri subinde vitam sapientum, uti David ipse simulans se stultum coram Achis rege, mortem sibi imminentem evasit, I *Reg.* XXI, 13. Plura ejusdem farinæ affert, quæ plane levicula, Judaica, fabulosa et sapiente indigna sunt.

Similia sunt problemata Physica, quæ cæteris immiscet : Cur, inquit, in stillicidiis stilla una sigillatim in lapidem destillat, non duæ simul? ac respondet : Ne lapidem cito exterant et consumant. Cur in cæteris corporis membris ex uno poro duo pili oriuntur, in capite vero ex uno poro unus capillus duntaxat? ac respondet : Quia id noceret visui et oculis, quorum sedes est in capite, ab oculis enim succum et spiritus ad sese avocarent ac abstraherent plures capilli ex eodem poro nascentes, etc. Ex quibus liquet Auctorem hunc plane diversum esse a prisco illo Ben-Sira, ejusque nomen conciliandæ auctoritatis causa sibi arrogasse. Porro Rabbini Hebræorum Romæ mihi asseverarunt, nullas alias Ben-Sira gnomas

hebraice reperiri, præter bina eorum Alphabeta in *Proœmio* a me recensita, quæ sane tanto viro digna sunt, ac antistrophŏs nostro Siracidi respondent. Unde nonnulli autumant Ben-Sira eumdem esse cum Siracide; ego non eumdem, sed persimilem esse censeo : Ben-Sira enim nepos fuisse Jeremiæ ab Hebræis perhibetur; Jesus Sirach vero fuit de stirpe Jesu filii Josedec, summi pontificis in captivitate Babylonica, ait Genebrardus, in *Chronol.* pag. 16, qui cum Zorobabel principe jussa Dei templum reædificavit, ut patet *Zachariæ* III, et *Aggæi* II. Conferat lector Ben-Sira cum Siracide, et videbit gnomas utrinque plane, velut ovum ovo, similes, et subinde easdem, ac simul jucunde dissonam utriusque consonantiam, et consonam pariter dissonantiam admirabitur. Qua de causa initio operis gnomas Ben-Sira Ethicas præfixi, paucas quidem, sed prægnantes, ac cuivis ætati, statui graduique perutiles, raras, et paucis cognitas, ut Siracidem illustrent illique alternante velut choro ἀντιφώνως respondeant, atque idem sententiosum melos succinendo jucundam piis auribus mentibusque harmoniam, ad morum conformationem appositam efficiant. Utere, lector, et fruere.

Porro Rabbinis priscis ante Christum cognitum fuisse Ecclesiasticum, habitumque Canonicum, ideoque hebraice exstitisse, liquet ex dicto factoque R. Simeonis Ben-Sata, qui fuit frater uxoris Alexandri Jannæi, cujus Alexandri pater fuit Hyrcanus, avus Simon frater Judæ Machabæi. Cum enim hic Alexander secta Sadducæus, regiam coronam sibi imposuisset, regemque Judææ se fecisset, ac simul ejusdem summus vellet remanere pontifex, uti fuerat Simon, Jonathas et Judas Machabæi; obstiterunt ei Pharisæi dicentes, neminem simul posse esse regem et pontificem : quare si rex esse vellet, pontificatum in alium resignaret. Hac de causa ipse Pharisæos persecutus est, et septingentos ex eis crucifixit, uti ex Josepho, lib. XIII, *Antiq.* cap. XXII, et Chronicis hebraice narrat Genebrardus, in *Chron.* Idem deinde ut Pharisæos sibi conciliaret, R. Simeonem jam nominatum primarium e Pharisæis ad convivium invitavit, eumque inter se et reginam considere fecit, dixitque : « En quantum te Pharisæum honoro. » Cui R. Simeon : « Jure, inquit, et merito id facis; nam lex dicit : Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum considere illum faciet. » Quæ verba sunt *Ecclesiast.* cap. XI, vers. 1. Ita rem narrant Hebræi, in lib. *Berachot*, id est *Benedictionum*, cap. III. Unde colligas Rabbinos ante Christum (nam Alexander hic et R. Simeon centum annis Christum antecesserunt) Ecclesiastici librum uti legem, hoc est uti Canonicum, habuisse, ac hebraice lectitasse. Nam sententia hæc jam citata, hebraice exstat in libro *Berachot*. Hebraice dico, id est hierosolymitane, puta syriace. Hebræi enim post reditum ex Babylone linguam Hebræam corruperunt, et cum Chaldæa commiscuerunt : unde hæc eorum lingua dicta est Hierosolymitana, sive Syriaca. Rabbini quoque melioris notæ, qui post Christum scripserunt, ex Ben-Sira, id est Ecclesiastico, sæpe sententias cum laude auctoris et libri citant hebraice, id est syriace. Thalmudici vero Ecclesiasticum rejecerunt, legique vetuerunt. Sic enim habet eorum Thalmud : *Omnis Israelita habebit partem in futuro sæculo*, etc. *Nemo legens libros* חיצונים *chitsonim*, id est exotericos, *habebit partem in futuro sæculo.* Ubi Gemara : *Qualis*, inquit, *est Ben-Sira* (puta Siracides, sive Ecclesiasticus : ipsi enim unum tantum Ben-Sira agnoscunt, quem faciunt auctorem tam Ecclesiastici quam Alphabeti jam dicti). Causam addit, sed obscuram, quam clare explicat R. Salomon, quod scilicet Siracides constituat plures personas in Deo. Nominat enim Spiritum Sanctum, cap. I, vers. 9, Patrem et Filium, cap. XXIV, vers. 5 et cap. LI, vers. 14. Judæi autem negant S. Trinitatem, dicuntque Deum unum esse in persona æque ac in essentia, quæ est illorum perfidia; cui aliud velum prætexunt, scilicet se sequi Canonem Esdræ, hoc est, se agnoscere illos duntaxat libros pro Canonicis, quos Esdras in suo Canone recensuit : quare nec Sapientiam, nec Ecclesiasticum, nec libros Machabæorum, etc. pro Canonicis habent, quia hi scripti sunt post tempora Esdræ.

FINIS.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC OPERE EXPLICANTUR, VEL ELUCIDANTUR.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat : si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est. Asteriscus tomum X indicat : ubi deest, tomum IX adeundum esse, signum esto lectori.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

Cap. v, *vers.* 22. Henoch ambulavit cum Deo, pag. *439, *col.* 2.
ix, 25. Servus servorum erit fratribus suis, 677, 1.
xx, 11. Forsitan non est timor Dei in loco isto, 66, 1.
xxiv, 40. Dominus diriget viam tuam, *78, 1.
xxv, 22. Perrexit ut consuleret Dominum, *566, 2.
xlix, 5. Vasa iniquitatis bellantia, *388, 2.
— 24. Sedit in forti arcus ejus, etc., inde pastor egressus est lapis Israel, *529, 2.
— 26. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, 490, 1.
l, 24. Asportate ossa mea vobiscum de loco isto, *529, 2.

EX EXODO.

Cap. xii, *vers.* 11. Calceamenta habebitis in pedibus, 142, 1.
xiii, 2. Sanctifica mihi omne primogenitum, *172, 1.
xx, 7. Non assumes nomen Domini tui in vanum, 288, 1.
— 1. Nec enim habebit insontem Dominus eum, *ibid.*
— 12. Honora patrem tuum et matrem tuam, 324, 2.
xxxiii, 20. Faciem meam videre non poteris, 488, 2.

EX LEVITICO.

Cap. xiii, *vers.* 55. Si lepra mutaverit colorem suum, *122, 1.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. xxxii, *vers.* 16. Provocaverunt eum in diis alienis, *88, 1.
xxxiii, 17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, 193, 2.

EX LIBRO JUDICUM.

Cap. xiv, *vers.* 14. De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, 653, 2.
— 18. Si non arassetis in vitula mea, 229, 1.

EX LIBRO I REGUM.

Cap. ii, *vers.* 9. Pedes sanctorum suorum servabit, 95, 2.

EX LIBRO II REGUM.

Cap. ii, *vers.* 14. Surgant pueri, et ludant coram nobis, 264, 2; *484, 2.
vii, 15. Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea, *498, 1.
xxii, 34. Coæquans pedes meos cervis, *236, 1.

EX LIBRO III REGUM.

Cap. x, *vers.* 1. Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini, venit tentare eum, *493, 2; 579, 1.

EX LIBRO IV REGUM.

Cap. ii, *vers.* 9. Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. *514, 1.

EX LIBRO I PARALIPOMENON.

Cap. iv, *vers.* 22. Sela qui stare fecit solem, virique Mendacii, et Securus, et Incendens, *470, 1.
xxv, 1. Asaph et Heman qui prophetarent in citharis, *516, 2.

EX LIBRO I ESDRÆ.

Cap. v, *vers.* 7. Dario regi pax omnis, 681, 1.
vii, 6. Esdras scriba velox in lege Domini, 298, 2.

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. ii, *vers.* 18. Quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, *357, 2.

EX LIBRO JOB.

Cap. i, *vers.* 12. Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt, 448, 2.
ii, 6. Ecce in manu tua est, 448, 2.
iv, 11. Tigris periit, eo quod non haberet prædam, 228, 1.
ix, 9. Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, *179, 1.
xiv, 1. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, 318, 2.
xx, 5. Laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti, 221, 2.
xxi, 5. Superponite digitum ori vestro, 184, 1.
xxii, 16. Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit, fundamentum eorum, *556, 1.

XXXVIII, 9. Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem? 621, 2.
— 30. In similitudinem lapidis aquæ durantur, *403, 1.

EX PSALMIS.

Psal. X, *vers.* 6. Dominus interrogat justum et impium, *802, 1.
XIII, 3. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, 500, 2.
XVI, 3. Igne me examinasti, *533, 1.
XVII, 27. Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris, *40, 1.
XVIII, 6. In sole posuit tabernaculum suum, 389, 2.
XIX, 4. Holocaustum tuum pingue fiat, *218, 1.
XX, 4. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso, *487, 1.
XXVIII, 7. Vox Domini intercidentis flammam ignis : vox Domini præparantis cervos, *405, 2.
XXX, 16. In manibus tuis sortes meæ, *169, 2.
XXXII, 4. Omnia opera ejus in fide, *357, 2.
XXXIII, 3. In Domino laudabitur anima mea, 88, 2.
— 6. Accedite ad eum, et illuminamini, *568, 2.
XXXV, 8. Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, *493, 1.
XXXVIII, 6. Mensurabiles posuisti dies meos, *335, 2.
XL, 2. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, 611, 2.
XLVIII, 3. Simul in unum dives et pauper, 500, 2.
— 11. Simul insipiens et stultus peribunt, *ibid.*
L, 3. Dele iniquitatem meam, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris, 501, 1.
— 12. Cor mundum crea in me, Deus, 55, 2.
— 14. Spiritu principali confirma me, *182, 2.
LV, 5. In Deo laudabo sermones meos, *88, 2.
LVII, 4. Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, 72, 1.
LXI, 10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces in stateris, 482, 1.
LXIV, 11. In stillicidiis ejus lætabitur germinans, 76, 1.
LXVIII, 20. Tu scis confusionem et reverentiam meam, *357, 1.
LXX, 15. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini, *20, 2.
LXXI, 10. Reges Tharsis et insulæ munera offerent, *494, 1.
LXXV, 6. Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, *564, 1.
LXXVII, 10. Non custodierunt testamentum Dei, 469, 1.
LXXXI, 1. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat, 274, 2.
LXXXVIII, 15. Misericordia et veritas præcedent faciem tuam, *154, 1.
LXXXIX, 17. Opus manuum nostrarum dirige, *78, 1.
XC, 1. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, 199, 2,
— 5. Non timebis ab incursu et dæmonio meridiano, *203, 2.
XCIV, 10. Quadraginta annis offensus fui generationi illi, *547, 1.
XCV, 10. Dominus regnavit a ligno, *440, 1.
CIV, 3. Laudamini in nomine sancto ejus, *87, 2.
CIX, 3. Tecum principium in die virtutis tuæ, 256, 1; 629, 1.
CIV, 11. Omnis homo mendax, *261, 2.
CXVIII, 95. Testimonia tua intellexi, 611, 2.
CXXVI, 4. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum, 675, 2.
— 5. Cum loquetur inimicis suis in porta, *90, 2.
CXXVIII, 3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, 239, 1.
CXXXI, 10. Non avertas faciem Christi tui, 445, 2.
CXXXII, 1. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum! 403, 2; *3, 2.
CXXXVIII, 6. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, 129, 1.
CXL, 3. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, *62, 1.
CXLIV, 3. Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis, *421, 1.
CXLVII, 16. Qui dat nivem sicut lanam : nebulam sicut cinerem spargit, 622, 1 et seq.
— 17. Mittit crystallum suam sicut buccellas, *403, 2.

EX PROVERBIIS.

Cap. II, *vers.* 18. Et ad inferos semitæ ipsius, 287, 2.
III, 7. Time Deum, et recede a malo, 679, 1.
— 7 et 8. Time Deum, et recede a malo : sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum, *10, 2.
IV, 18. Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem, *158, 2.
— 23. Omni custodia serva cor tuum, 681, 1.
VIII, 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, 56, 1; 194, 1; 312, 1; 629, 1.
XX, 12. Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque, 39, 1.
XXII, 2. Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus, 63, 2.
— 29. Vidisti virum velocem in opere suo? *131, 1.
XXIII, 20. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt, 521, 2.
— 21. Vacantes potibus, et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio, 522, 2.
XXV, 11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo, *151, 1.
XXVI, 7. Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola, 555, 2.
— 20. Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis, et susurrone subtracto, jurgia conquiescent, 264, 1.
XXVII, 14. Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit, *360, 2.
XXX, 1. Agur filius Vomentis, *130, 1.

EX ECCLESIASTE.

Cap. I, *vers.* 2. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, *193, 2.
III, 12. Cognovi quod non esset melius nisi lætari facere et bene in vita sua, 407, 2.
XI, 1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies eum, *67, 2; *71, 2.
XII, 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus, etc., hoc est enim omnis homo, *570, 1.

EX LIBRO CANTICORUM.

Cap. IV, *vers.* 3. Sicut vitta coccinea, labia tua, 63, 2.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. I, *vers.* 7. Hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non poterit latere, nec præteriet illum corripiens judicium, *379, 1.
— 13. Deus mortem non fecit, 346, 1.
— 14. Sanabiles fecit nationes orbis terrarum, 471, 1.
II, 2. Fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, 497, 2.
III, 5. In paucis vexati, in multis bene disponentur, 158, 1.
IV, 11. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius, *445, 1.

VII, 25. Vapor est virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, 49, 1.
VIII, 3. Contubernium habens Dei, 49, 1.
— 21. Quoniam aliter non possem esse continens, 213, 2.
XI, 24. Miserereris omnium, quia omnia potes, 110, 2.
XVI, 28. Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare, *158, 1.

EX ISAIA.

Cap. XLI, *vers.* 23. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos, *258, 2.
XLV, 6. Ego Dominus faciens pacem, et creans malum, 55, 2.

EX JEREMIA.

Cap. I, *vers.* 10. Constitui te hodie super gentes, ut evellas et destruas, 56, 2; *199, 1.
X, 2. A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt, *378, 2.

EX EZECHIELE.

Cap. XX, *vers.* 37. Inducam vos in vinculis fœderis, *300, 1.

EX DANIELE.

Cap. IV, *vers.* 34 Omnia opera ejus vera, 103, 1.
VII, 9. Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit, 624, 1.

EX OSEA.

Cap. VI, *vers.* 6. Misericordiam volui, et non sacrificium, 372, 1.

EX AMOS.

Cap. I, *vers.* 3. Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, *3, 2,

EX AGGÆO.

Cap. II, *vers.* 24. Ponam te quasi signaculum, quia te elegi, *528, 2.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. V, *vers.* 45. Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, *29, 2.
VI, 34. Sufficit diei malitia sua, 404, 1; *96, 1.
X, 41. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, 369, 2.
XIX, 7. Moyses mandavit dare libellum repudii, 455, 1.
— 21. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, *96, 1.
XXI, 2. Ite in castellum, quod contra vos est, 601, 2.

EX S. MARCO.

Cap. XVI, *vers.* 7. Dicite discipulis ejus, et Petro, 187, 2; 232, 1.

EX S. LUCA.

Cap. XVI, *vers.* 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, 173, 1; *205, 2.

EX S. JOANNE.

Cap. I, *vers.* 1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, 50, 1.
IV, 6. Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem, *486, 2.
— 23. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, 103, 1.
VI, 27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, 422, 2.
VIII, 44. Ille in veritate non stetit, 487, 2.
ille homicida erat ab initio, 500, 1.
XV, 1. Ego sum vitis vera, 103, 1.
XVII, 19. Ego pro eis sanctifico meipsum, *220, 1.
XX, 15. Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam, 658, 2.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. I, *vers.* 18. Possedit agrum de mercede iniquitatis, 530, 1.
VIII, 33. In humilitate judicium ejus sublatum est, *530, 1.
IX, 15. Vas electionis est mihi iste, *388, 2.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. VIII, *vers.* 26. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, 626, 2.
XII, 19. Non vos metipsos defendentes, charissimi, *501, 1.
XV, 19. Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi, *493, 2.

EX EPISTOLA I AD CORINTHIOS.

Cap. VII, *vers.* 34. Ut sit sancta corpore et spiritu, *12, 2.
X, 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, 289, 1.
— 22. An æmulamur Dominum, *88, 1.
XI, 10. Ideo debet mulier habere potestatem supra caput suum, *460, 2.
XV, 34. Ad reverentiam vobis loquor, *857, 1, 2.

EX EPISTOLA II AD CORINTHIOS.

Cap. IX, *vers.* 8. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, 358, 2.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Cap. V, *vers.* 3. Testificor rursus omni homini circumcidenti se, *53, 1.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. II, *vers.* 10. Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, 138, 2.

EX EPISTOLA I AD TIMOTHEUM.

Cap. V, *vers.* 17. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, 324, 2.
VI, 10. Radix omnium malorum est cupiditas, 313, 2.

EX EPISTOLA II AD TIMOTHEUM.

Cap. I, *vers.* 9. Secundum gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia, 56, 2.
IV, 17. Ut per me prædicatio impleatur, *494, 2.

EX EPISTOLA AD TITUM.

Cap. I, *vers.* 12. Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta, etc. : Testimonium hoc verum est, *261, 2.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. XI, *vers.* 1. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, 680, 2.
XIII, 16. Talibus enim hostiis promeretur Deus, 669, 1.

EX EPISTOLA S. JACOBI.

Cap. V, *vers.* 3. Ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis, *72, 2.

EX EPISTOLA I S. PETRI.

Cap. III, *vers.* 21. Bonæ conscientiæ interrogatio, *313, 1.
V, 12. Contestans hanc esse veram Dei gratiam, 103, 1.

EX EPISTOLA I S. JOANNIS.

Cap. III, *vers.* 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccare non potest, *29, 1.

EX APOCALYPSI.

Cap. XIII, *vers.* 10. Hic est patientia, et fides sanctorum, *357, 2.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN HOC COMMENTARIO CONTINENTUR.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat : si unicus occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.

A.

Aaron quomodo populum benedixerit, *238, 2. in quo fuerit Mosi par, *456, 1. fuit typus Christi pontificis, *ibid.* 2; *460, 2. sacerdotium illius familiæ perenne promisit Deus, *456, 2; *461, 1. qua gloria sit ab eo donatus, *ibid.*; *457, 1. solis ejus posteris pontificatus fuit a Deo addictus, *460, 1, 2. ejus sacrificia ignis cœlitus missus absumpsit, *460, 2. est per Moysen consecratus pontifex, *461, 1. offerebat per se et suos Deo sacrificium carneum, et thymiama suave olens, *ibid.* 2. in dubiis legem Dei interpretabatur, *462, 1. ei invidentes sacerdotium a Deo castigati, *ibid.* ab eo ejus gloria accumulata, *463, 1. ejus solius virga floruit et fronduit : omnes Levitæ ejus ministerio addicti fuere : accepit a Deo victimas, primitias, oblationes, *ibid.* ei abunde et ad satiem de annona Deus providit, *ibid.* 2. ingens ejus proventus, *ibid.*

Abba idem est quod pater, *428, 2.

Abbakyrum in calumniis patiens et constans erat, *4, 2.

Abductio in qua permanet tristitia, quænam sit, *281, 2.

Abigail leni suo sermone Davidem iratum mitigavit, 191, 2. et Nabalo vitam conservavit, *242, 1.

Abire post aurum quid sit, *115, 2; *116, 1.

Abraham præ aliis semitis Deus sibi elegit, *171, 2. quamdiu cum Noe vixerit, *445, 2. ex Abram dictus est Abraham, *446, 1. fuit pater multitudinis gentium, *ibid.* non inventus illi similis in gloria, *ibid.* ejus fides, *ibid.*; *447, 2. ejus cum Deo familiaritas, *446, 1. legem tum naturalem, tum positivam exacte servavit, *ibid.* 2. ejus obedientia, *447, 2; *448, 2. ter cum eo Deus fœdus iniit, *447, 1. quare ei præscripta fuerit circumcisio, *ibid.* 1. ejus animus virilis, *ibid.* 2. fuit martyr vivus et mortuus, *ibid* omnia ei promissa Deus servavit, quin et Messiam ex eo nasciturum promisit, *ibid.* in eo erant omnes gentes benedicendæ, *ibid.* est pater fidelium et sanctorum, *ibid.* fuit doctor sapientiæ, *566, 1.

Abscondere pecuniam turpe et damnosum est, *72. 1, 2.

Absentia est amoris impuri remedium, 282, 1.

Abstemii soli apti sunt ad studia, *80, 2.

Abstinentia avertit morbos, 510, 1. nimia cibi abstinentia corpori et animæ nocet, *128, 2.

Abyssini reges unde se vocent filios Salomonis, *493, 2.

Abyssus quid sit, hanc pervidet et penetrat Deus, *377, 1.

Academiarum quis fuerit auctor, *566, 1, 2. quare institutæ, *302, 2.

Acathii (S.) martyris in tormentis constantia, 588, 2.

Accepit (qui plus), majorem reddere rationem Deo debet, 125, 1. a manu Domini quidquid immittit, benigne accipiendum, 97, 1.

Accipiter severe educat pullos, *95, 2.

Accusatio sui est certa ad Deum via, 494, 2. falsa plerumque recidit in falso accusantem, *42, 1. accusatio vitæ quomodo apud inferos non sit, *349, 2.

Acediæ filiæ, 147, 2. damna, 577, 1, 2 et seqq. remedia, 357, 1, 2. acedia velut somnus est, *50, 1.

Ἀκηδῶς et ἀκηδία, quid sint, et unde deriventur, 147, 2. amaror vocatur metaphorice acetum, 148, 1.

Ach Hebræis, Græcis et Latinis est interjectio dolentis et lamentantis, 210, 1.

Achabum cum sua Jezabele Elias morte mulctavit, *507, 2.

Acharis homo est inficetus, insulsus, ingratus, 554, 1. talis fit fabula vana, quomodo, *ibid.* 2.

Acidus idem est quod molestus, iracundus, indignans, 147, 2.

Acie (in) tria sunt providenda, sol, ventus, pulvis, *470, 1.

Aconitum cur vocetur pardalianches, *60, 1.

Acroama est narratio quæ a vulgo libenter auditur, *150, 2. item narratio mensalis, item cantus, *ibid.* 2.

Actio quando assumenda sit, quando contemplatio, *287, 2. sancti assidue in vita actione Deum laudant, *423, 1. actio præstat speculationi et parit experientiam, *287, 2.

Actiones nostræ omnes a Deo prævidentur antequam fiant, *111, 2. ipsæ Christi meritis unitæ, Deo sunt offerendæ; ita fient ei gratiores magisque meritoriæ, *220, 2. sunt a Deo inchoandæ, *259, 1. actiones inutiles cavendæ, utiles et ex justitia debitæ assumendæ, *287, 1.

Activa vita nocet contemplationi, *288, 1, 2.

Actus omnis sapientiæ in nobis et angelis est elicitus, talem et habuit Deus ab æterno, 55, 2. actus noster semper sit compositus et decorus, 543, 2. actus intensiores virtutum supernaturalium secum afferunt augmentum charitatis et gratiæ, 84, 2. actus vitæ spiritualis semper innovandi, 423, 2. actus multi exigui pariunt habitum, 524, 2. Deus novit actus humanos antequam fiant, 610, 1. actus peccati excitat ad sui iterationem, *28, 1. actus sunt consilio, non eventu metiendi, *160, 2. actus virtutum includuntur in fuga vitii contrarii, *214, 2. sunt boni vel mali ab intentione quam iis voluntas præfigit, *227, 2; *228, 1. utrique oriuntur ex corde physice et effective, *260, 2. sunt omnes charitatis et amoris actus informandi et vivificandi, *488, 2.

Adam et proprium est nomen protoplasti, et commune omnium ejus posterorum, *227, 2. peccavit e superbia, 312, 1; 313, 1, 2. ejus peccatum cæterorum peccatorum

fuit causa, *ibid.* in creatione accepit scientiam omnium rerum naturalium, 478, 2. fuit doctissimus philosophus et absolutus theologus, 480, 1. an prænoverit Filii Dei incarnationem, 481, 1, 2. ejus lapsus describitur, 497, 2. hunc permisit Deus ad bonum finem, 447, 2. post eum mansit liberi arbitrii, 449, 1. Adam lunæ comparatus, quia mutabilis, *31, 1, 2. ei indita est medicinæ scientia, *370, 1. ejus peccatum multipliciter in posteris castigatur, *324, 1, 2; *325, 1, 2. quale jugum ei Deus post illud intentarit, *324, 2; 325, 1, 2. inter prospera beatitudinis statu excidit, *356, 1, 2. ipse omnes homines excellit origine, creatione, dominio, *531, 2. fuit civis totius mundi, *ibid.*

Adeps est melior et subtilior pars carnis, *483, 1, 2. ejus et Davidis regis analogiæ, *ibid.* 2 et seq. in hostia pacifica solus adeps Deo adolebatur, *ibid.* adeps est exsanguis, etsi ex sanguine gignatur: aliæ ejus proprietates, *ibid.* est symbolum optimi principis, *484, 1. in omni sacrificio Deo cremabatur, *218, 1.

Adiaphora bona quæ dicantur, 240, 1.

Adjutorium viri est uxor bona, *242, 2.

Adolescentes in mensa sint taciturni et pauciloqui, *152, 1. *ibid.* deferre debent senioribus, *ibid.*; *152, 2; *153, 1. non se æquent dignioribus et magnatibus, *ibid.* finita mensa statim surgant, *155, 1. eos decet verecundia, *152, 2; *154, 1, 2. quidam adolescens falso accusatus adulterii cum S. Elisabetha regina commissi, mirabiliter sospes evasit, *43, 1.

Ἀδολεσχέω proprie est quidlibet temere effutire, 231, 1.

Adorationes tres SS. Trinitatis, 623, 2.

Adrianus Imperator inedia se ipse confecit justo Dei judicio, *43, 2. ejus dictum de medicis, *270, 2.

Adrianus VI Pontifex quid de Pontificatu censeret: ejus epitaphium, *146, 1; *327, 1.

Adulatio in regum aulis frequens est, 402, 1, 2.

Adulatores plerumque etiam sunt calumniatores, 553, 2. sunt arrosores, non arrisores, 635, 2. cervis assimilantur, *124, 2.

Adultera statuit spurio hæreditatem ex alieno matrimonio, 612, 1. ejus culpa quintuplex est, *ibid.* non potest adulterari, etiamsi maritus vel filii ei dent ad hoc facultatem, 612, 1. quintuplex ejus pœna, *ibid.* et seqq. est. maledictum et probrum hominum et sæculorum, *ibid.*

Adulterium passim male audit, *362, 1. ejus in muliere variæ sunt causæ, 691, 2. illud semper punivit Deus, 610, 2; 611, 1 et seqq.

Adulterorum mira cæcitas, 606, 2. timent homines, non Deum, 607, 1, 2. eorum pavor et pœna, 610, 2.

Adustio quomodo in herbis, floribus et germinibus fiat, *408, 2.

Advenæ non facile credendum, 862, 1.

Adversa sæpe magis prosunt quam prospera, 345, 2. ostendunt veros amicos et inimicos, 194, 1; 374, 2; 375, 1. probant sanctos et fideles, 92, 2; 93, 1; 98, 2; 157, 2. et seq. post adversa sequuntur prospera, 356, 2 et seq.; 358, 1. in illis non est desperandum, 353, 2. non est in illis amicus deserendus, 591, 1.

Adversitas est signum divinæ electionis, *23, 1. per hanc viri fortes fortiores evadunt, *177, 1.

Advocati injusti cuilibet causæ patrocinantur, *167, 2.

Ædificans et destruens nil lucratur nisi laborem, *209, 1; *209, 2.

Ægidii (B.) gnome de perfectione virtutis et amoris, 193, 1. quid senserit de Minoritarum e sedibus suis expulsione, *83, 1.

Æger pro salute Deum primo precetur, *273, 2. peccata pœnitentia expiet, *ibid.* 2. pro sanitate recuperanda offerat sacrificium, *275, 2. etiam medicum advocet in morbi periculo, idque crebro, *276, 1. sacerdotes pro se orare jubeat, *277, 1. primo Deum sibi conciliet, deinde medicos adhibeat, *273, 2; *270, 1. ægro languido mors suavis est, *346, 2. quomodo magi et sagæ ægros sanent, *270, 1.

Ægroti visitandi, 256, 1, 2. et aliis officiis donandi, *ibid.*

Ægyptii cranium mortui in conviviis circumferebant, 260, 2. in mari Rubro mersi, Deo vindicante, *314, 2. timebant Moysen prodigia operantem, *452, 1. eorum sacerdotes sale abstinebant ad castitatem, *316, 1.

Ægyptus balsamum habet, ex quo B. Virgo eo concessit, 644, 1. omnem utilitatem et felicitatem suam debet Nilo, 640, 1.

Ænigma quid sit, *494, 1. ænigma quoddam hebraicum de voce viros et mulieres significante, *9, 1. aliud de anno lunari, *394, 2, de die et nocte, *ibid.* de nive, *401, 2; *407, 1. de glacie, *409, 1. de mente, *559, 2.

Æqualitas et respondentia quædam in omnibus et singulis servatur, *177, 2.

Aer initio mundi non fuit creatus purus, 621, 2.

Æramenta facile sordes et æruginem contrahunt, 375, 1. maxime si tersa sint, 376, 2.

Ærugo symbolum est inimicitiæ, 375, 1. ejus usus in medicina, *ibid.* ea oleo tollitur, 377, 1. metaphorice pro maledicentia et livore accipitur, 375, 2.

Ærumnæ hujus vitæ variæ ob peccatum Adæ, *326, 2 et seqq. hæ magis impios cruciant quam pios, *327, 1.

Æsopi mythologi elogium, 25, 2. quando vixerit, 385, 1, 2; *42, 2. quid responderit Soloni libere Crœsum coarguenti, 385, 2. unde dictus Æsopus, *ibid.* quæ Enno filio dederit præcepta vitæ, *5, 2. ejus nex et vindicta apud Delphios, *224, 1. rogatus quo iret, respondit se nescire, *314, 2.

Æstus marini causa est luna, *394, 2.

Ætas tenera flectenda est, non senilis, *94, 1.

Ætas mystica virtutis, et virtute prædita, 69, 2. ætas hominis post diluvium paulatim accisa et imminuta est, 477, 1. ætatum singularum proprii affectus, 205, 1.

Æterna sunt, singula quæ operamur, *183, 1. æterna præ oculis habenda sunt, *570, 2; *571, 1.

Æternitatis definitio et etyma, *118, 2. ejus et ævi distinctio, *ibid.* 2. ipsa quid sit, quomodo sit objectum in quod Deus inspicit, *380, 1. separat Deum ab omni re creata, 629, 1. constat rerum contrariis, *178, 1. ei debemus operari, *183, 2. est centrum temporum, *312, 1. æternitas felix est finis omnis sapientiæ et virtutis, *570, 1. non ambit totum tempus toti tempori simul coexistendo, 57, 2. ea præ oculis habenda peccantibus, 238, 2. ejus longitudo, 503, 2. ejus concipiendæ modus, 504, 1.

Æther est ignis non elementaris, sed cœlestis, *393, 1.

Ætna mons igneos torrentes evomit, *392, 2.

Ævum unde dicatur, quomodo ab æternitate differat, *118, 2; 53, 1; 504, 1. ævum sanctum est sæculum futurum, non præsens, 667, 1.

Affectiones animi indicantur vultu, naso, oculis, fronte, 541, 2; 542, 1.

Affectus hominis finitus est et limitatus, 192, 2. affectus mentis vim addit orationi, 231, 1. affectibus imperans princeps est, 294, 1.

Affectus alterius quomodo explorandus, *124, 1. affectus carnalium non est credendum, *250, 2. affectu addiscere volentis emitur sapientia, velut pretio dato, *566, 2; *567, 1. affectus oculis se prodit, *8, 1. affectus animi mali sunt contrariis superandi virtutibus, *265, 1. affectus et intentiones hominum perspicit Deus, *378, 2.

Afflicti oratio a Deo exauditur, *225, 2. afflicti consolandi sunt, 164, 1.

Africana Ecclesia S. Ambrosii exemplo sustulit epulas in sepultura defunctorum, *101, 1.

Agape primorum christianorum describitur, 290, 2; *149, 2. ea etiam adhibebatur in sepultura defunctorum, *100, 2.

Agathocles ex figulo rex Siciliæ factus, semper in fictilibus cœnabat, *295, 1.

Ἀγέλαστοι fuere multi gentiles, 572, 1.

Agesilai regis in vitæ rigore constantia, *34, 1.
Agnes (S.) in mediis flammis mansit illæsa, *553, 1.
Agnitio divinorum fructus est sapientiæ, 649, 2. sed agnitio propriæ insipientiæ est ratio ejus percipiendæ, *563, 1.
Agno paschali comeso psalmos canebant Judæi, *156, 1. agnus in holocaustum offerendus debebat esse immaculatus, *478, 1. is Christum repræsentabat, *ibid.* hujus oblationis tropologia, *ibid.* agni concolores sunt arieti generanti, *90, 1.
Agnoscere Dei est efficax et effectuosum, *449, 1.
Agones celebres in Græcia erant quatuor, 168, 1.
Agonizor pro *agonizo* sumit interpres Ecclesiastici, 168, 1.
Agricolæ in republica sunt necessarii, *289, 1. quod eorum sit studium, *ibid.* 2.
Agricultura antiquissima artium est, *289, 2. quæ ejus præcepta, *ibid.* 2. agriculturæ labores, 206, 2. et fructus, 207, 1. est artium optima, 232, 1. a Deo instituta est in statu innocentiæ, *ibid.*
Agur apud Salomonem quare vocetur filius Vomentis, *130, 1.
Ἀιών quid significet, et unde dicatur, 504, 1.
Alacritas corporis et corpus et animum vegetat, *139, 2. in studio virtutum maxime requiritur, *131, 2.
Alæ sex symbolicæ Seraphim operibus nostris addendæ, ut in cœlum evolent, *183, 1.
Albedo visum nimis dispergit et dissolvit, *337, 1.
Alciati Cardinalis epitaphium, *439, 2.
Alcibiades prudenter periculum capitis declinavit, 135, 2.
Alconis sagittandi peritia, 373, 1.
Alethius mortua uxore se totum Dei servitio mancipavit, 320, 1; 326, 2.
Alexander Jannæus simul rex et pontifex esse voluit: fuit inimicus Pharisæorum, *172, 2.
Alexander Ursinus Cardinalis in profestis B. Virginiis se usque ad sanguinem diverberare solebat, *366, 2.
Alexandri Farnesii Parmæ ducis bellica peritia, 223, 2.
Alexandri Magni gloriæ cupiditas, 223, 2. ejus vitia familiares imitabantur, 38, 1. quare Callisthenem de medio sustulerit, 392, 2. sibi adulantibus aures dabat, 402, 2. gloriam suam obscuravit iracundia, *108, 1. ejus liberalitas, *391, 2. pontificem Jaddo pontificalibus indutum veneratus est, *457, 1; *532, 2.
Alexandri Severi Imperatoris lenitas, 316, 1. ab Ulpiano ethicam et politicam didicit, 2, 2.
Alexandri (S.) Patriarchæ Alexandrini clementia, *47, 2.
Alexius (S.) peregrinatus est per 17 annos mendicando, *83, 1.
Alfonsus Aragonum rex quid de regibus censeret ab aliorum nutu pendentibus, *181, 1. quid de hypocritis sentiret, 86, 2. inimicos beneficiis vincebat, 378, 1.
Allia symbolum sunt contentionis, 340, 2.
Alphabetum ethicum Ben-Sira duplex, 32, 2; 33, 2. item S. Gregorii Nazianzeni, 34, 2.
Alta a fulmine feriuntur, *402, 1. altum subinde idem quod profundum, *553, 2.
Altare erat gradibus ascendendum, *540, 2.
Altiora captu et conditione quærenda non sunt, 128, 1; 129, 2; 131, 2. qui talia quærant, 128, 2; 129, 1.
Alypiana S. Gregorii Nazianzeni neptis, curva et parva erat, ideo a marito despiciebatur, 334, 2.
Amabilitas in loquendo omnium amorem conciliat, 551, 2.
Amandus (qualiter) Deus in omni fortuna, 345, 2.
Amans Deum nihil patitur mali, *164, 2.
Amantibus nihil difficile est, 208, 1, 2. amantium insania et stupor, 284, 2. amantium Deum suspiria, 251, 1. hi fiunt divini, 613, 2. sunt quoque longævi, *ibid.*
Amaritudo tollit sapientiam dupliciter, 568, 2. quid proprie sit amaritudo, *ibid.*
Ambitio turbat pacem et concordiam, 670, 2. ejus damna et cruces, 222, 1.
Ambitiosi in regum gratiam se omnimodis insinuant, *180, 2. idque per artes magicas, *ibid.* eorum exitus sæpe funestus, *ibid.* sunt infruniti, 598, 2. dejiciuntur, 652, 2.
Ambrosius (S.) quare sustulerit epulas pro animabus defunctorum, *101, 1. lugebat mortem senum sanctorum, *496, 1. imperatores percantes libere redarguit, *516, 1. Theodosium imperatorem choro jussit excedere, *542, 1. ethicam totam paucis est complexus, 35, 2. ejus in morte confidentia, 66, 2. ejus adhuc pueri ori insederunt apes, *33, 1. secretum sibi commissum mire servavit, 277, 2; 534, 2.
Amicæ olim amasiis coronas imponebant, *147, 1.
Amicitia consanguinitati præponderat, 677, 1. nititur fidelitate, *36, 2. perditur revelatione secreti, *37, 1; *ibid.* 2. id amicitia in vita est, quod sol in mundo, *248, 2. ad eam quatuor specialiter spectant, *249, 2.
Amicitiæ tres gradus, 192, 2. amicitia sit cum paucis, *ibid.* et seq. amicitiæ origo, *ibid.* ad germanam amicitiam tria requiruntur, *ibid.* amicitiæ prima lex, 194, 1. amicitia usque ab aras, *ibid.* virtute nitatur, non rebus caducis, *ibid.* amicitia fœminea quæ sit, 195, 2. amicitia ollaris quæ, 196, 1. amicitia vera cur vocetur unanimis, 197, 1. amicitiæ definitio et descriptiones, *ibid.* 2. amicitiæ veræ commoda et elogia, 199, 1 et seq. est fortis protectio et panoplia, *ibid.* vera illa est quæ Deo nititur, *ibid.* 2. est amico thesaurus, *ibid.* ejus leges et officia varia, 200, 1; 201, 2. variis gradibus ad eam perveniendum, 204, 1. gentilium de ea gnomæ, *ibid.* una naturalis est, altera supernaturalis, *ibid.* est auro potior, 239, 2. ejus imago est speculum, 376, 1, 2. et seq. sit inter pares, 384, 2. qua re maxime lædatur, 590, 1. eam quinque vitia abrumpunt, *ibid.* 2.
Amici secreta non prodenda, cur, 590, 1; *36, 1. quia hic ab amico per secreti revelationem proditus, ab eo avertitur, *37, 2; *38, 1. amico nihil negandum, *71, 2. amico nemo se nimis subjiciat, *180, 1. amicus caute est diligendus, *246, 2; *249, 1. non est deserendus in re tenui ab altero locuplete, *ibid.* in eo quatuor probanda sunt, *ibid.* 2. pro amico multa subeunda sunt, *ibid.* amicus est medius inter inimicum et adulatorem, *247, 1. ejus pretium, *248, 1. tam est diligendus in adversis quam prosperis, *249, 1. debet esse unanimis cum amico, *ibid.* ejus animus explorandus ex animo proprio, *256, 1. ei non est injuria irroganda, *358, 1. amicus fidus magnum vitæ hujus solatium est, *250, 2. quantum is sit bonum, 677, 2. præstat consanguineo, *ibid.* amicus ollaris et mensalis est plerumque infidus, *249, 1. amicus fictus occulte machinatur amico dolum, *39, 1. omnibus imponit sua simulatione, *ibid.* ejus fictio apud amicum, *ibid.* 2. ejus doli in ipsius caput recidunt, *40, 1. hic amico applaudit commodi sui causa, alioqui in corde eum subsannat, *167, 2; *168, 1. adfert alteri mortem, *247, 1. et mox ei fit inimicus, *ibid.* 2. talis primum ex orco prodit, 248, 2. quam acerbum talis sit malum, *ibid.* 2. est mox transfuga, *ibid.*
Amici ficti qui sint, 188, 1; 190, 1, 2; 195, 1, 2; 196, 1. qui veri, 197, 1; 199, 2; 201, 2; 202, 2. talium exempla, 199, 2. amici fastidiosi et insolentes carpuntur, 190, 2. amici pauci seligendi, 192, 1 et seq. pluribus amicis simul satisfacere impossibile est, 192, 2. amici veri corripiunt, falsi blandiuntur, 193, 2. primo probandi in rebus parvis et adversis, *ibid.* non facile ob amici mores amicitiam dissolvant, 195, 2. amici ollares et gulæ, 196, 1. amici æquales sint, *ibid.* eorum omnia sunt communia, 203, 1. non facile mutandi, 286, 1. amici amicorum effigiem olim in pala annuli sculptam gerebant, 485, 2. injuria non sunt afficiendi, *358, 2. et quali, 190, 1. sed juvandi in adversis, 591, 1. amicis legabatur olim pars hæreditatis, *ibid.* 2. salutandi sunt, 592, 2.
Amici Dei pariter sunt amici justorum, 676, 1. amici sibi similes quomodo habeantur, *143, 2.

Amictus index est affectus interni, 542, 1.
Amicus amici causa nil faciat pravi, 163, 1, 2; 188, 1; 194, 2. amicus secundum tempus quis sit, 195, 1. amicus verus non facile concipiet odium, *ibid.* 2. amicus sit tibi æqualis, 197, 1. quid amico præstet, 192, 2; 199, 1 et seq. eadem cum amico sentit et vult, 376, 1. ei ex opibus benefaciendum, 420, 1. amicus amico amicitiæ jure debet correptionem, 535, 2. amici vitia non sunt propalanda, 589, 1. nec cum eo fraudulenter agendum, *ibid.* 2. quæ sint officia amici, 592, 2. amici fidelis quantum sit pretium, 200, 2. licet subinde eum magis amare, quam proprium patrem, 201, 1. est medicamentum vitæ et immortalitatis, 201, 1 et seqq.; 202, 2. quantum is sit bonum, 202, 1, 2. datur a Deo, *ibid.* est thesaurus magnus, 200, 1. amicus verus adest amico adversis oppresso, 374, 1 et seq. ejusque malis condolet, 387, 1. sed falsus in adversis eum deserit, 379, 2. ejus doli, 380, 1. amicus vetus novo est melior, 286, 1 et seq.
Amomum non est rosa Jerichuntina, 639, 1. proprium erat feminarum unguentum, 644, 2.
Amor Dei crescit, crescente timore, 680, 1. causat timorem, et hic illum, *ibid.* excitat amantem ad semper laborandum et patiendum pro Deo, *33, 2. in eo continuo sita perfectio est, *488, 1. amor Dei est idem cum timore Dei, 64, 2; 69, 1. ejus sunt septem gradus, 248, 2. sex ejus actus, 251, 1. puri amoris Dei quod sit signum, 345, 2. hunc depurare in dies debemus, 356, 1. amor proximi nascitur ex amore Dei, 116, 2. amoris impuri remedium est absentia, 282, 1. amor carnalis est passio vacantis cura, *9, 2. facit impudentes, *ibid.* hic etiam in Ecclesiasticos se sensim insinuat, *370, 2; *373, 2. amor parentum in filios, *89, 1. amor animalium in fœtus, et avium in pullos, *ibid.* amor proprius fons et origo est detractionis, *61, 2. est auctor intrinsecus inimicitiæ, *248, 2.
Amor facit vigiliam, 152, 2. transformat amantes, 205, 1. eum conciliat similitudo, idque in omni re, 396, 1; 450, 2. ex eo nascitur dolor, et ex dolore amor, 547, 1. amor hominis valde limitatus est, 192, 2. amor et benevolentia qui differant, *ibid.* amor sapientiæ optima est ad eam dispositio, 216, 1. amor maternus et sponsalis quam tener et honorabilis, 434, 1. amor mutuus causa est concordiæ, 669, 2. amor amorem conciliat, 450, 2; *124, 1. omnia unit et concordat, 670, 1. facit æquilibrium viri et uxoris, *339, 1; docet sapientiam, *559, 1.
Anabaptistæ censent medicis non esse utendum, *269, 2.
Anachoretæ quomodo asperas pœnitentias subirent, *161, 1. eorum plurimi habuerunt donum prophetiæ, *253, 2. abstinebant medicis, *276, 1. eorum abstinentia, *317, 2. mortem non exhorrebant, *350, 1. stimulabant se ad laborandum præmii cœlestis intuitu, *570, 1. invicem occurrentes mortis memoriam refricabant, 417, 1. plerique fuere longævi, 79, 2.
Anacreon regi Polycrati accepta ab eo talenta duo remisit, quod eorum causa inquietus esset, *113, 2.
Ἀναδίδωμι capitur subinde pro ἀναβλαστάνω, id est *reddo* pro *pullulo*, 82, 1.
Anaphe insula e mari emersit, *414, 2.
Anaxagoras filii mortem generose tulit, *348, 1. ejus de sole sententia, *392, 2; 393, 1. Dei creatoris fuit assertor, 4, 2.
Anaxarchi philosophi constantia, *34, 1.
Ancilla alienæ uxoris non est scrutanda, nec sollicitanda, *362, 1. ancillæ moratæ decus sunt dominarum, 242, 1.
Andreas (S.) Corsinus ex lupo repente mutatus est in agnum, 398, 2.
Androdamas species adamantis est typus sapientiæ, *564, 1.
Votum est sanctificatio Dei, 253, 1. votum facit constantes in vocatione, 353, 1. vota adimplenda sunt, 271, 2. et quidem cito, 512, 2. vota perfectioris vitæ sunt quasi compedes voluntariæ, 214, 2. votum, causa rei turpis habendæ, Deo displicet, estque tacita blasphemia, *205, 2.
Vox per aures ad auditum progreditur, 479, 1.
Vulcanus an sit fabrilis artis inventor, *291, 1 et seq. est idem qui ignis : unde vox formetur, *ibid.* idem dictus est Mulciber, *ibid.* sumitur pro igne, *ibid.* dictus est ignipotens, *ibid.* cur claudus fingatur, *ibid.*
Vulgatæ versionis auctor est S. Hieronymus, non tamen universalis, 22, 1. Vulgata editio Latina pro authentica Scriptura habenda est, *16, 1. est præferenda Græcis et Hebræis codicibus, *440, 1; *443, 1.
Vulnera causatur ebrietas, *139, 2.
Vulpes symbolum versuti et dolosi, 171, 1; 442, 1.
Vultur Ægyptius an eadem avis cum pelicano, 150, 2.
Vultus judicantis Christi futurus terribilis, 465, 2. vultus est proditor animi, 541, 2; 689, 2; *260, 1. sæpe a corde dissentit, 404, 2; 405, 1, 2. vultus morositas detractorem quasi monet ut detrahere cesset, *60, 2. vultus non est avertendus a cognato, *361, 1. nec a proximo, *ibid.* — *Vide* Facies.
Walpurgis (S.) mortua oleum stillat, *540, 2.
Wenceslaus (S.) ab avia est ad sanctitatem efformatus, *87, 1. per angelum in duello victor exstitit, *486, 2.
Wilgefortis (S. cur) vocata sit Liberata, *557, 1.
Willebordus (S.) vidit Radbodum, Frisiæ regem, in tartaro catena ignea religatum, 460, 2.

X.

Xerxes, Persarum rex, viso universo exercitu illacrymatus est, 259, 1; 418 2. quomodo animadverterit in Pythium regem Lydiæ, filios quatuor ei offerentem, et quintum sibi retinentem, 614, 2.
Ξύλον et lignum est et gossypium, 536, 1.

Z.

Zabulus nomen est diaboli, 103, 2.
Zamolxis famulus erat Pythagoræ, et erat in honore, *190, 2.
Zeilanus insula optimum fert cinnamomum, 643, 2.
Zelatores honoris divini bonum odorem post se relinquunt, *522, 2. et dulcem memoriam, *524, 1.
Zelosi per Eliam repræsentantur, *504, 1. cum talibus versari est utile, *513, 2.
Zelotypa uxor viro sæpe dat philtrum, *369, 1.
Zelotypiæ malum est feminæ proprium, *5, 1. ejus origo, *ibid.* grave est conjugii malum et morbus, 278, 2. quanta afferat mala, 279, 1. ejus remedia, *ibid.* et seq.
Zelotypi mariti docent uxores adulterari, 278, 1.
Zelus multos actus complectitur, 287, 1. tam invidia et ira, quam zelotypia est, *107, 2. zelus honoris Dei nascitur ex ejus amore, *525, 1. zelo opus est ad bonum consequendum, *561, 1. zelus Eliæ et SS. Joannis et Jacobi fuit justitiæ, non clementiæ, *502, 2. zelus Phinees, *464, 1.
Zeno imperator ob eleemosynas Dei iram a se avertit, *68, 1.
Zeno ab Atheniensibus aurea corona donatus est, 215, 2.
Zeuxis morose pingens æternitati pingere se dicebat, 194, 1; *131, 2; *183, 1; *249, 2.
Ziscas Hussitarum dux cur e corio sui mortui tympanum fieri voluerit, 398, 1.
Zodiacum virtutum pingit Deus in mente fideli, 610, 2.
Zona pontificalis perfectionem indicabat, *457, 1. hæc erat duplex, *ibid.*
Zorobabel fuit signaculum in manu dextera Dei, *528, 1.
Zozimas vitam S. Mariæ Ægyptiacæ ore ejus exceptam litteris prodidit, 560, 2.
Ζυγοστατέω et ζυγοστάτης ad ponderum æquitatem spectant, *63, 1.

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

QUÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTUR.

ET QUÆ, AD EVANGELIORUM DOMINICARUM, AC FESTORUM ET FERIARUM NONNULLARUM PER ANNUM ACCOMMODATARUM, VERBA IN USUM ET GRATIAM CONCIONATORUM ADAPTANTUR.

DOMINICA I ADVENTUS.

ERUNT SIGNA IN SOLE ET LUNA. — Impii et lunæ analogiæ, cap. XXVII, vers. 12. solis et justi analogiæ, *ibid.* Solis elogium et decus, cap. XLIII, vers. 2. Sol stetit sub Josue, et quomodo id factum, cap. XLVI, vers 5. Lunæ etymon, et nomina et elogia, cap. XLIII, vers. 6. Huic B. Virgo diversis rationibus comparatur, vers 7.

ET STELLIS. — Stellarum elogia, cap. XLIII, vers. 9.

VIRTUTES CŒLORUM MOVEBUNTUR. — Angeli regunt stellas et orbes cœlorum, cap. XVI, vers. 26. Iris cœlestis describitur : ejus figura, effectus, symbola, cap. XLIII, vers. 12, 13. Grandinis descriptio, vers. 16. Quid denotet mystice. *ibid.* Cœli an sint animati, et stellæ igneæ, cap. XVI, vers. 27. Cœlorum concentus, vers. 28.

VERBA AUTEM MEA NON TRANSIBUNT. — Lex Christi est æterna, suique sectatores cœlo transcribit, cap. I, vers. 5. Testamentum vetus unde dicatur æternum, cap. XVII, vers. 10.

Reliqua vide notata Dom. in XXIV post Pentecost., et in Indice rerum, verb. Luna, Sol, Stellæ, Elias, Henoch.

DOMINICA II ADVENTUS.

TU ES QUI, etc. AN ALIUM EXSPECTAMUS? — Judæi Messiam suum adhuc exspectant, cap. XXXVI, vers. 18.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. — *Vide notata in Festo omnium Sanctorum, et in Indice rerum, verb.* Pauper, Paupertas.

ARUNDINEM VENTO AGITATAM. — His verbis demonstrantur S. Joannis in sanctitate soliditas et constantia, quæ et cuivis homini in suo statu et vocatione necessaria est, cap. XI, vers. 21, et cap. XXVII, vers. 12. hæc autem oratione impetratur, cap. XI, vers. 21. alia ejus obtinendæ media, cap. XXIV, vers. 30. Constantia omnia ardua pervincit cap. XXXVIII, vers. 31. Stimuli ad perseverantiam, cap. XXVII, vers. 12. Contra, studium vagum imprimis noxium est, cap, XXIX, vers. 31. — *Vide Indicem rerum., verb.* Constantia, Perseverantia.

HOMINEM MOLLIBUS VESTITUM. — In vestitu non est sanctis et sapientibus gloriandum, cap. XI, vers. 4.

IN DOMIBUS REGUM SUNT. — Quomodo agendum cum regibus, cap. XIII, vers. 12 et seq. In aulis regum adulatores frequentes sunt, vers. 29. — *Videte notata in festo Epiphaniæ, et in Indice rerum, verb.* Rex, Princeps.

DOMINICA III ADVENTUS.

TU QUIS ES? — Curiositas in quærendo semper vitanda est, cap. III, vers. 22

TU QUIS ES? — Ita se homo interroget, quia ratione corporis est velut bestia, ratione animæ velut angelus, cap. LI, vers. 25.

ELIAS ES TU? — *Vide notata Dominica II in Quadrages.*

PROPHETA ES TU? — *Prophetare* in varia significatione accipitur, cap. XLVIII, vers. 14. Prophetarum ossa quomodo pullulare dicantur, cap. XLIX, vers. 12. Prophetandi origo est unio cum Deo, cap. XXXVII, vers. 18. — *Vide Indicem rerum, verb.* Propheta, Prophetare.

EGO BAPTIZO IN AQUA. — Aquæ et sapientiæ analogia, cap. XXIV, vers. 40.

HÆC TRANS JORDANEM FACTA SUNT. — Jordanis quare sit sacer fluvius, cap. XXIV, vers 36.

FERIA IV QUATUOR TEMPORUM ADVENT.

Christus in incarnatione semetipsum exinanivit, cap. XXIV, vers. 12. Habuit per eam mirabilia varia tam extrinseca, quam intrinseca, cap. XXXVI, vers. 10.

DESPONSATAM VIRO, CUI NOMEN ERAT JOSEPH. — Joseph quam fuerit sanctus, cap. XXXVI, vers. 26. Josephi patriarchæ cum Henoch comparatio, cap. XLIX, vers. 16.

SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE. — Incarnatio Christi fuit opus Spiritus Sancti, cap. I, vers. 9.

FILIUS ALTISSIMI VOCABITUR. — Christus erat verus Dei Filius, cap. I, vers. 4, et cap. XXIV, vers. 1. — *Vide Indicem rerum, verb.* Jesus Christus.

BUTYRUM ET MEL COMEDET. — Apis mellis confectrix est symbolum sapientiæ ethicæ et œconomicæ, cap. XI, vers. 3. Item Christi et B. Virginis, *ibid.* Mel servat corpora incorrupta ne putrescant, cap. XLIX, vers. 2.

DOMINICA IV ADVENTUS.

OMNIS MONS ET COLLIS HUMILIABITUR. — Via ad sapientiam et virtutem est ardua, cap. LI, vers. 25.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

QUIA NON ERAT EIS LOCUS IN DIVERSORIO. — Domus propriæ et cellæ commoda, cap. XXIX, vers. 29.

GLORIA IN ALTISSIMIS DEO. — Deum abunde et sufficienter laudare non possumus, cap, XLIII, vers. 31. Quo plus cognoscitur, eo plura cognoscenda exhibet, *ibid*

ET VERBUM ERAT APUD DEUM. — Sapientia est ab æterno, cap. I, vers. 1.

OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT. — Omnia Deus creavit simul, cap. XVIII, vers. 1. antithesis rerum ipsum universum ornant, cap. XXXIII, vers. 15. Deus omnia verbo crea-

vit et conservat, cap. XLII, vers. 15. ejus opera quam præstantia sint, vers. 16 et 17.

QUÆ ILLUMINAT OMNEM HOMINEM. — Quibus modis Christus animam illuminat, cap. I, vers. 5.

PLENUM GRATIÆ. — *Vide Indicem rerum, verb.* Gratia.

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

HIC AUTEM QUID? — Curiositas omnis vitanda est in interrogando, cap. III, vers. 22.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

APPARUIT IN SOMNIS. — Animus in somno non sapit, nec divinat, cap. XXXIV, vers. 6. Somniorum vanitas, cap. XL, vers. 7. Somnium est simile umbræ et vento, cap. XXXIV, vers. 2. Somnia sunt spernenda, vers. 7. Quomodo vera a falsis dignoscantur, *ibid.*

JOSEPH. — Quam S. Joseph fuerit sanctus, cap. XXXVI, vers. 25.

FUGE IN ÆGYPTUM. — Peregrinationis incommoda, maxime S. Josephi apud Ægyptios, cap. XXIX, vers. 31. Docet peregrinatio sapere, cap. XXXIV, vers. 11; cap. XXXIX, vers. 5.

DOMINICA INFRA OCTAV. NATIVIT.

ET HÆC VIDUA ERAT. — Viduarum preces audit Deus, cap. XXXV, vers. 8.

GRATIA DEI ERAT IN ILLO. — Vis gratiæ et pulchritudinis, cap. XXVI, vers. 16, Quid sit gratia, vers. 19.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

UT CIRCUMCIDERETUR. — Circumcisione reparatur peccatum originale, cujus causa est Adam. In quo is reliquos homines superet, cap. I vers. 19.

VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS. — Jesus tres illustres fuere. Prolegom. — *Vide Indicem rerum, verb.* Jesus.

Jesu nomen quam sit dulce, cap. XXIV, vers. 27. Josiæ nomen ad hoc proxime alludit, cap. XLIX, vers. 1.

Nomina sceleratorum non sunt filiis imponenda, quia et Gentiles ea olim vitarunt, cap. XLI, vers. 14.

Josue qui typus fuit Jesu elogium, cap. XLVI, vers. 1 et seq.

IN EPIPHANIA DOMINI.

VIDIMUS STELLAM EJUS IN ORIENTE. — Divinatores et astrologi plerumque mentiuntur, cap. XXXIV, vers. 4. horum horoscopus damnatur, cap. XLII, vers. 19.

HERODES SCISCITABATUR AB EIS. — Consultamus de iis quæ libera sunt, cap. XV, vers. 14.

UT ET EGO VENIENS, ADOREM EUM. — Quæ sit ficta humilitas, et ejus schema, cap. XIX, vers. 22.

STELLA ANTECEDEBAT EOS. — Christus est et dicitur stella, cap. L, vers. 6.

OBTULERUNT EI THUS. — Deo proprie thus adoletur, cap. XXIV, vers. 21. Estque sapientiæ symbolum, *ibid.* Quid sit, ejusque vires, *ibid.* Oratio velut thus est, cap. L, vers. 9. Virtutes sunt thymiama, cap. XLIX, vers. 1.

MYRRHAM. — Per hanc mortificatio denotatur, cap. XXIV, vers. 20. quid sit myrrha, *ibid.*

NE REDIRENT AD HERODEM. — Dolosi, qualis erat Herodes, cavendi, cap. XI, vers. 31, 32, 36. Quomodo cum regibus agendum, cap. XIII, vers. 12 et seq. In aulis regum frequentes adulatores sunt, cap. XIII, vers. 29. In aula quomodo versandum, cap. VIII, vers. 10.

DOMINICA INFRA OCT. EPIPHANIÆ.

CUM FACTUS ESSET JESUS ANNORUM DUODECIM. — Sancti illustres a pueris a Spiritu Sancto directi fuere, cap. I, vers. 16.

SEDENTEM IN MEDIO DOCTORUM, AUDIENTEM ET INTERROGANTEM. — Senes habent doctrinam, et ab iis ea petenda est, cap. VI, vers. 18. Consilium item ab eisdem et sapientibus petendum, cap. VIII, vers. 20. Senes valent experientia, cap. XXV, vers. 8. Juvenes senibus patienter auscultando deferant, cap. XLI, vers 17.

AUDIENTEM ET INTERROGANTEM. — Non est respondendum ante interrogationem plene auditam, cap. XI, vers. 8. Est tempus loquendi et tempus tacendi, cap. XX, vers. 7.

SUPER PRUDENTIA ET RESPONSIS. — Silentium et auditus signum est prudentiæ, cap. XIX, vers. 28, et cap. XX, vers. 5 et 6.

PATER TUUS ET EGO DOLENTES QUÆREBAMUS TE. — Parentes plus amant filios quam seipsos, cap. XXX, vers. 4.

MATER EJUS CONSERVABAT OMNIA, etc., CONFERENS IN CORDE SUO. — Dei jugiter recordandum, cap. IX, vers. 23.

JESUS PROFICIEBAT SAPIENTIA. — Sapientiæ tam naturalis quam supernaturalis auctor est Deus; ejus usus, fructus, doctores, auctores, officia: ejus finis est beatitudo, *Proœmio.* Sapientiæ morali vel ethicæ propositum est vitia castigare, *ibid.* Sapientia personalis est Filius Dei: at sapientia creata multiplex est, cap. I, vers. 1. Sapientia creata est in Spiritu Sancto, vers 9. Initium sapientiæ timor est Domini, vers. 16. Varii sapientiæ fructus, cap. VI, vers. 20, et cap. XV, vers. 3, 4, 5 et 6; cap. XXXIX, vers. 9 et seq., et cap. XXIV, vers. 24. ejus fructus externi, cap. XXXIX, vers. 12. Ipsa a paucis invenitur, cap. VI, vers. 23. est laboriosa et ponderosa, *ibid.* Varii sunt ad eam perveniendi gradus, *ibid.* ejus variæ definitiones, cap. XIV, vers. 23. Blanditur suis quasi mater et sponsa, cap. XV, vers. 2. est similis cedro, cap. XXIV, vers. 17. Scientiæ et sapientiæ quod sit discrimen, cap. XXV, vers. 13. Sapientia est in otio comparanda, cap. XXXVIII, vers. 25. Abraham et alii prisci patres fuere doctores sapientiæ, cap. LI, vers. 31. Ipsa est similis olivæ et platano, cap. XXIV, vers. 19. item viti, vers. 23. In ea est veritas et virtus, vers. 25. Mira ejus dulcedo, vers. 29. — *Vide Indicem rerum, verb.* Sapientia, Timor, Scientia, Ethica.

PROFICIEBAT. — In dies et assidue in sanctitate debemus proficere, cap. II, vers. 20. Quod sit signum profectus in virtute, cap. XXIV, vers. 29.

ERAT SUBDITUS ILLIS. — Obedientiæ et charitati justi imprimis studere debent, cap. III, vers. 1. Cur obedientia charitati jungenda, *ibid.* Ipsa est sacrificium mysticum, cap. XXXV, vers. 2.

SUBDITUS. — Honor matri deferendus, cap. III, vers. 3. Parentes suos honorans expiat peccata, vers. 1. Quibus in rebus honorandi sint, vers. 8, 9, 14. Pueri a teneris docendi et castigandi, cap. VII, vers. 25 et 26; cap. XXX, vers. 1 et 12. Filii magnorum virorum plerumque sunt degeneres, vers. 13. — *Vide Indicem rerum, verb.* Puer.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

NUPTIÆ FACTÆ SUNT. — Uxor non debet viro dominari, cap. IX, vers. 2. Uxor bona insignis est possessio, cap. XXXVI, vers. 28. Filiarum elocatio quoto anno sit facienda, cap. VII, vers. 27.

Mulieris fabrica, cap. XVII, vers. 5. Filias parentes sedulo custodiant, ut virgines nuptui elocent, cap. XLII, vers. 9. — *Vide Indicem rerum, verb.* Uxor, *et notata Domin. II post Pentecost.*

VOCATUS EST AUTEM ET JESUS. — Ut Redemptor inter homines agens, a reliquis hominibus se ritu et habitu non segregavit: ita et cuilibet in cœtu multorum communis vita est sectanda, cap. XIII, vers. 20; cap. XXXII, vers. 1.

UT GUSTAVIT ARCHITRICLINUS. — Idem dicebatur symposiarcha: quæ hujus partes, et munia in mensa, cap. XXXII, vers. 1 et seq. Mensalia præcepta, cap. XXXI, vers. 12 et seq.

OMNIS HOMO PRIMUM BONUM VINUM PONIT. — Vinum mire

conducit vitæ humanæ, cap. XXXI, vers. 32. ejus commoda, vers. 35. est id aqua diluendum, vers. 37. ejus damna varia, vers. 38.

ET CUM INEBRIATI FUERINT. In conviviis vino prævalente sæpe lingua labimur, cap. XIX, vers. 15. Ebrietatis damna, cap. XXXI, vers. 39 et 40. Convivantes olim floribus coronabantur ad eam avertendam, cap. XXXII, vers. 3.

ET CREDIDERUNT IN EUM DISCIPULI. — Scilicet viso miraculo; alioqui qui cito credit, decipietur, cap. XIX, vers. 4.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

DOMINE, PUER MEUS JACET. — Occasione hujus heri erga servum ita humani, agi poterit de officiis herorum. Heri quomodo se erga servos gerant, cap. IV, vers. 35. eorum mores ex servis æstimantur, cap. VII, vers. 23. Servi regendi ut asini, cap. XXXIII, vers. 25. Sapiens, etsi serviat, liber est, cap. X, vers. 28. Multi servi dominati sunt dominis, *ibid.* — *Vide Indicem rerum, verb.* Servus.

Servitutis origo, cap. XXXIII, vers. 26. Servitus Dei honesta est, eaque semper inchoanda, cap. XVIII, vers. 6.

EGO VENIAM, ET CURABO EUM. — Sanitatem animæ et corporis dat sapientia et timor Domini, cap. I, vers. 22. Ægros visitare pium est, cap. VII, vers. 39.

HABENS SUB ME MILITES. — Milites et martyres inter se comparantur quoad constantiam, cap. XVII, vers. 24.

DICO HUIC : VADE, ET VADIT. — Reges ne se sinant ab alio regi, cap. XXXIII, vers. 20.

IN TENEBRAS EXTERIORES. — *Vide notata Feria II post Domin. I in Quadragesima.*

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

MOTUS MAGNUS FACTUS EST. — Passiones animi motus sunt, sed illas vir pius non consulat, cap. XXXVII, vers. 7. Sunt animæ carnifices, cap. XL, vers. 4 et 5.

IN MARI. — Ventorum vis in mari, cap. XLIII, vers. 18. Ventus quis sit, et ejus generatio, vers. 22. Maris mira varia, vers. 27. Arenæ maris an sint numerabiles, cap. I, vers. 2.

DOMINE, SALVA NOS, PERIMUS. — Tribulari suos permittit Deus ut probet, cap. XXVII, vers. 6. succurrit plerumque rebus desperatis, cap. LI, vers. 12. suos protegit et propugnat, cap. II, vers. 3.

QUID TIMIDI ESTIS, MODICÆ FIDEI? — Justis non occurrunt mala, cap. XXXIII, vers. 1. Deum timens nihil timere debet, cap. XLVI, vers. 9.

FACTA EST TRANQUILLITAS MAGNA. — Tentationum maria pacat Deus, cap. XLIII, vers. 25.

VENTI ET MARE OBEDIUNT EI. — Creatura omnis homini servit, ut ipse Creatori serviat, cap. XLII, vers. 26.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM.

HOMINI QUI SEMINAVIT. — Agricultura est a Deo instituta, et honesta est ars, cap. VII, vers. 16.

UNDE HABET ZIZANIA? — Improborum consortia vitanda, cap. XIII, vers. 1.

INIMICUS HOMO HOC FECIT. — Vitium se communicantibus affricat, cap. XIII, vers. 1.

SINE UTRAQUE CRESCERE. — Vitia communia leniter tollenda sunt, cap. XLIX, vers. 3.

DOMINICA VI POST EPIPHANIAM.

CUM AUTEM CREVERIT, MAJUS EST OMNIBUS. — Parva vitia tandem fiunt maxima, cap. XI, vers. 34.

ET SINE PARABOLIS NON LOQUEBATUR. — Sacra Scriptura utitur apologis et parabolis, nam sic olim ethica tradebatur, Prolegom. et proinde toties eis usus est Christus, *ibid.*

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

EXIIT PRIMO MANE. — Mane surgendum ad Deum laudandum, cap. IV, vers. 13. Oratio matutina quam sit utilis : mane cor Deo est offerendum, cap. XXXIX, vers. 6, 7.

OPERARIOS. — Homini quinque de causis laborandum est, cap. VII, vers. 16. In studio virtutis strenuitate opus est, cap. XXXI, vers. 27. Opificum sapientia in Dei cultu consistit, cap. XXXVIII, vers. 39.

QUID HIC STATIS TOTA DIE OTIOSI? — Temporis est maxima ratio habenda, cap. IV, vers. 23. quæ sint remedia acediæ, cap. XI, vers. 27. Pigritia et desidia quam sit noxia, cap. XXII, vers. 2. Otii damna et epitheta, *ibid.* ipsum est vitandum, cap. XXXIII, vers. 29.

ITE ET VOS IN VINEAM MEAM. — Exercitii corporalis utilitas, cap. XXXI, vers. 27.

REDDE ILLIS MERCEDEM. — Operum merita adstruuntur, cap. XIV, vers. 17.

AMICE. — Amicitia paucorum sit, cap. VI, vers. 6. Amicitiæ proprietates et leges, vers. 7. et seq. Quæ sit amicitia ollaris et ficta, vers. 10. Amicitia esse debet unanimis, vers. 12. Amicitiæ definitio et descriptio, *ibid.* et vers. 17. ejus commoda, vers. 14 et seq.

Amicus per adversa probatur, cap. VI, vers. 7; cap. XII, vers. 9. probandus est ante amicitiam contractam, cap. VI, vers. 9. — *Vide plura in Indice rerum, verb.* Amicitia, Amicus, *et Sabbato post Domin. IV in Quadrages.*

NON LICET MIHI QUOD VOLO FACERE? — Liberum arbitrium demonstratur, cap. XV, vers. 14. id non excludit gratiam, vers. 16. ejus dignitas est sextuplex, vers. 18. Voluntas propria est velut mulier mala, cap. XXVI, vers. 10. at voluntas sancta est velut uxor bona, vers. 22. Quod unus altero sit melior, provenit a Deo, cap. XXXIII, vers. 7.

AN OCULUS TUUS NEQUAM EST, QUIA EGO BONUS SUM? — Invidus quis sit : invidiæ schema et symbola, cap. XIV, vers. 8. Invidiæ nequitia et remedia, *ibid.* Invidi describuntur, cap. XXXI, vers. 16. Oculi symbola quinque, cap. XV, vers. 20. Gratia Dei similis est pupillæ, cap. XVII, vers. 18. Oculi et cordis similitudo, cap. XXII, vers. 24. Oculos custodiat mulier, nec nutu respondeat, cap. XXVI, vers. 12. Oculi sunt plerumque causa peccati, cap. XXVII, vers. 11.

MULTI SUNT VOCATI, PAUCI VERO ELECTI. — Deus est origo prædestinationis, cap. XXXIII, vers. 12. Gratia efficax summum Dei donum est, *ibid.* Cur Deus hos eligat, illos reprobet, vers. 15.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

EXIIT QUI SEMINAT. — Agricultura prima est artium, cap. VII, vers. 16; cap. XXXVIII, vers. 25 et 27.

SEMEN EST VERBUM DEI. — Concionandi præcepta optima, cap. XLVIII, vers. 1.

Prædicatores verbi Dei apibus designantur, cap. XI, vers. 3. non quærant plausum, cap. XXII, vers. 6.

ET A VOLUPTATIBUS VITÆ EUNTES SUFFOCANTUR. — Concupiscentia omnis refrenanda est, cap. XVIII, vers. 30. ejus expletio quæ causet damna, vers. 31. Concupiscentia est velut limax, *ibid.* item prurigo, cap. XXIII, vers. 6. item velut mulier mala, cap. XXV, vers. 17. ejus ignem qui vincunt, facile ignem corporeum vincent, cap. LI, vers. 6. *Vide Indicem rerum, verb.* concupiscentia, Cupiditas, Passio, Ratio.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

ECCE ASCENDIMUS HIEROSOLYMAM. — Amici in adversis cognoscuntur, cap. XII, vers. 9.

MENDICANS. — Mendicorum vita mors potius est quam vita, cap. XL, vers. 30.

DOMINE, UT VIDEAM. — Gratia Dei similis est pupillæ ocu-

li, cap. XVII, vers. 18. peccatum inducit cæcitatem, cap. XI, vers. 16.

IPSE VERO MULTO MAGIS CLAMABAT. — Garrulus et loquax est quasi mulier parturiens, cap. XIX, vers. 11. Multiloquus in multis peccat, cap. XX, vers. 8.

Erit hic locus agendi de peccati turpitudine, et peccantium cæcitate, occasione bacchanalium instantium. Peccator similis est dormienti ob quinque analogias, cap. XXII, vers. 9. et mortuo, vers. 10. est quasi bestia, vers. 18. Intemperantiæ tria damna, cap. XXXI, vers. 24. item ebrietatis, vers. 39 et 41. Gulosi ducunt noctes insomnes, vers. 22.

Peccatum inducit cæcitatem, cap. XI, vers. 16. ejus pericula, cap, LI, vers. 9. est fugiendum quasi coluber, cap. XXI, vers. 2. ejus noxa, vers. 3, 4. ejus nequitia, vers. 4, et cap. XXII, vers. 12. ejus et virtutis antitheses, cap. XXVII, vers. 11. — *Vide Indicem rerum, verb.* **Peccatum et Peccator.**

FERIA IV CINERUM.

MEMENTO, HOMO, QUIA CINIS ES. — Mortis memoria semper habenda, cap. XIV, vers. 12, et cap. XXXVIII, vers. 23. Creaturæ omnes et homo nihil sunt, Deus omne, cap. XLIII, vers. 29. Vitæ brevitas, cap. XIV, vers. 12. Homines sunt velut folia, vers. 19.

CUM JEJUNATIS.—Aurea continentiæ præcepta, cap. XXXI, vers. 20. Sobrietas mater est sanitatis et sanctitatis cap. XXXI, vers. 22 et 24. Jejunium operatur miracula, cap. XLVIII, vers. 2. Abstinentia avertit morbos, cap. XVIII, vers. 20. Frugalitas priscorum parentum, cap. XXIX, vers. 28. hi aquam bibebant, non vinum : aquæ potus salubris est, *ibid.* an ea nutriat, *ibid.*—*De Gula vide notata Dom. in Quinquages. et in Indice rerum, verb.* Gula, Vinum.

FERIA VI POST CINERES.

EGO AUTEM DICO VOBIS. — Doctrina Christi veterum philosophiam castigat, *Procem.*

ODIO HABEBIS INIMICUM TUUM. — Quo sensu eleemosyna danda sit peccatori, cap. XII, vers. 4.

Inimico non est credendum, nisi vere sit factus amicus, vers. 10. Animæ inimico et concupiscentiæ non est credendum, *ibid.*

DILIGITE INIMICOS VESTROS. — Id jubet lex Christi, cap. XXV, vers. 10.

NOLITE THESAURIZARE. — Divitiæ justæ beant, cap. XIII, vers. 30. Qui thesauros coacervare cupit, pauper est; suis contentus, dives, *ibid.* Opes absconditæ quomodo pereant, cap. XXIX, vers. 13. eæ sunt in pauperes expendendæ, vers. 14. involvunt multas ruinas, cap. XXXI, vers. 6. faciunt miseros; earum damna et epitheta, *ibid.*

TE AUTEM FACIENTE ELEEMOSYNAM. — Eleemosyna facit fortes, cap. XXIX, vers. 1. amovet omnia mala, vers. 15. Eleemosynæ conditiones, cap. XXXI, vers. 11. ipsa est victima laudis, cap. XXXV, vers. 4, 5. expiat peccata, cap. III, vers. 33. ejus variæ species, cap. IV, vers. 1. est facienda cito, vers. 3. ejus pretium, vers. 11. est in vita melior quam post mortem, cap. XIV, vers. 13. est quasi sacculus et signaculum, cap. XVII, vers. 18. an prosit damnatis, vers. 19. — *Vide Indicem rerum, verb.* Eleemosyna, Dives.

Danda pauperi tum bona verba, tum res, cap. XVIII, vers. 17. Proximo in necessitate mutuandum, cap. XXIX, vers. 2 et 11. Stimuli ad mutuandum, vers, 11 et seq. Inventa danda sunt pauperibus, vers. 4. Beneficentia facit divinos et quasi deos, cap. IV, vers. 11. sit hilaris, cap. XVIII, vers. 15 et 18.

UT SITIS FILII PATRIS VESTRI. — Christianus, in quo Christo coæquetur, cap. XXXVI, vers. 14.

QUI SOLEM SUUM ORIRI FACIT. — Solis et justi analogiæ, cap. XXVII, vers. 12. sol justitiæ est Christus, *ibid.*

SUPER BONOS. — Beneficium non est temere et sine ratione dandum, cap, XII, vers. 1.

ET MALOS. — Indigno quandoque est benefaciendum, cap. XII, vers. 1.

ET PLUIT SUPER JUSTOS ET INJUSTOS. — Misericordia Dei quam magna sit, cap. XVIII, vers. 12.

ESTOTE PERFECTI. — Quomodo opera nostra omnia excellenter facere possimus, et stimuli ad hoc ipsum, cap. XXXIII, vers. 24. Religiosi perfectionis asseclæ sunt mundi domini, cap. XXXVI, vers. 28. De religioso statu assumendo cogitantes, non debent parentes aut consanguineos consulere, cap. XXXVII, vers. 12. Perfectio sita est in continuo Dei amore et laude, cap. VII, vers. 32; cap. XLVII, vers. 10. ejus officia, cap. XX, vers. 7. Religionis etymon quod sit, cap. I, vers. 17. Quomodo quis perfectus evadat, cap. XIV, vers. 22. Dei servitus semper est inchoanda, cap. XVIII, vers. 6. ei servire, regnare est, cap. IV, vers. 15. ejus servitus est quadruplex, *ibid.*

Virtutis definitio : ipsa summum hujus vitæ bonum est, cap. XLIV, vers. 3. est facilis, cap. LI, vers. 22. ei studendum ante tempus, quo sensu, vers. 38. ejus elogia ex theologis et philosophis, *Procem.*

PATER TUUS, QUI VIDET IN ABSCONDITO. — Deus est totus oculus, cap. XXXIV, vers. 18. est ubique præsens, cap XXIII, vers. 26. Deus est in omnibus, et ipse est omnia, cap. XLIII, vers. 29. Præsentiæ Dei habendæ praxis et modus, cap. XLVII, vers. 10. Dei jugis memoria habenda est, cap. XIV, vers. 22. Oculus Dei intuetur omnia, cap. XXIII, vers. 26. est sole lucidor, *ibid.*

SABBATO POST CINERES.

CONFIDITE, EGO SUM, NOLITE TIMERE. — Deus dat vocationi gratiam congruam, cap. XV, vers. 5.

ET QUOTQUOT TANGEBANT EUM, SALVI FIEBANT. — Christus summus est medicus. Medico porro omni triplex debetur honos, cap. XXXVIII, vers. 1. Veterum nonnulli censuere non esse utendum medicis, *ibid.* hinc etiam nonnulli medicinam damnarunt, vers. 3. Medicamenta omnia a Deo profecta sunt et creata, vers. 5, 6. Ascetæ prisci, a Deo sanitatem sperantes, abstinebant medicis, non posteriores, vers. 12.—*Vide Indicem rerum, verb.* Medicus, Medicina.

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

DUCTUS EST JESUS IN DESERTUM A SPIRITU. — Turba hominum et negotia declinanda quietem sectantibus, cap. XVIII, vers. 33.

UT TENTARETUR. — Tentatio ostendit qualis sit justus, cap. XXVII, vers. 6. Oratio dat robur in tentatione, et in quolibet prælio, cap. XLVII, vers. 6. Deo incipiens servire, tentationes exspectet, cap, II, vers. 1. Cur servi Dei tentantur, *ibid.* Qui tentantur, sunt milites et asseclæ Christi, *ibid.* Tentationum remedia, vers. 2, 3, 4 et seq. Novitii in religione diversimode probantur, cap. IV, vers. 18. — *Consule Indicem rerum, verb.* Tentatio, Tribulatio.

ET CUM JEJUNASSET. — Jejunium patrat miracula, cap. XLVIII, vers. 2. — *Vide plura notata Feria IV Cinerum.*

ACCEDENS TENTATOR. — Anima tres habet hostes, cap. XXV, vers. 4. Hæc lucta Christi cum diabolo, imago est luctæ, qua cum virtute et sapientia identidem nobis luctandum est, cap. LI, vers. 25.

MITTE TE DEORSUM. — Dæmonis in homines odium, cap. XXXIX, vers. 33. Peccati periculum cavendum, cap. III, vers. 27.

NON TENTABIS DOMINUM. — Ut Dominus Satanam suo jugulat telo, sic malum plerumque recidit in auctorem, cap. XXVII, vers. 29, 31. Humilitate tentationes optime superantur, cap. II, vers. 2. Animus excelsus a nullis vincitur tentationibus, vers. 3. Fiducia in Deum optime omnia dæmonis tela retunduntur, vers 6. Certandum nobis est viriliter, et athletarum more, cap. IV, vers. 34.

Ostendit illi omnia regna mundi, et gloriam eorum. — Mundus plenus est laqueis, cap. IX, vers. 20. Omnis mundi gloria brevis est, cap. X, vers. 12. Rerum humanarum et regnorum circulus, *ibid.*

Hæc omnia tibi dabo. — Speciosa quidem hoc in mundo suis dæmon spondet, sed in hora mortis iis insultabit, cap. XII, vers. 19. ut diabolus hic mentitur, sic omnis mendax ei similis est, cap. XX, vers. 2[illegible].

Si cadens adoraveris me. — Pericula favoris popularis, cap. VII, vers. 7. Superbia est initium omnis peccati, cap. X, vers. 15. Non est hominibus concreata, vers. 22.

FERIA II.

Hospes eram, et collegistis me. — Hospitalitas commendatur, cap. XI, vers. 31.

In supplicium æternum. — Æternitatis definitio et etyma, cap. XXXI, vers. 10. quam ea sit longa et intermina, cap. XVIII, vers. 8. Ignis inferni an sit corporeus, cap. VII, vers. 19. Cur damnati crucientur, igne : ignis gehennæ est sulphureus : hic est maxima pœnarum quinque de causis : an in inferno sint veri vermes, *ibid.* Vermis conscientiæ damnatos maxime torquebit, *ibid.* Ignis impios consumens, quintuplex est, cap. XXI, vers. 10. In gehenna non est solum ignis, sed et alia tormenta, cap. XXXIX, vers. 36. Infernalium suppliciorum gravitas, cap. XL, vers. 5.

Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis. — Quod pauperi datur, Christo datur, cap. XII, vers. 2. Virtus hominem in hora mortis tuetur et protegit, cap. VI, vers. 30.

FERIA III.

Ex ore infantium perfecisti laudem. — Humiles ut pueri, sunt vere sapientes, cap. XV, vers. 7.

FERIA IV.

Sicut fuit Jonas in ventre ceti. — Mira natura cetorum, cap. XLIII, vers. 27.

Audire sapientiam Salomonis. — Salomon non est auctor Ecclesiastici, cur tamen ei ascribatur, Prolegom. — *Vide Indicem rerum, verb.* Salomon.

Scopis mundatam et ornatam. — Studendum decoro et munditiei, cap. XLIV, vers. 6.

Fiunt novissima peiora prioribus. — Relapsus in peccatum est gravior lapsu, cap. XXXIV, vers. 31. Quam is noxius, sit, cap. VII, vers. 15.

FERIA V.

Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. — Sapientiæ radices misit Deus in Israel, cap. XXIV, vers. 13. — *Vide Indicem rerum, verb.* Israel, Judæi.

FERIA VI.

Multitudo magna languentium. — Sanitas quantum sit bonum et Dei donum, cap. XXX, vers. 15. quæ eam conservent, *ibid.* est auro potior, vers. 16. Medicis quatenus sit utendum, et quis iis honor tribuendus. — *Vide notata Sabbato post Cineres, et Indicem rerum, verb.* Medicus.

Morbi, miseriæ, ærumnæ, casus, infortunia hominibus ab Adami peccato accidunt : atque hoc jugum illis impositum jam inde ab initio per Adamum, cap. XL, vers. 1. et quanta id jugum mala complectatur, *ibid.* Peccati originalis decem pœnæ, *ibid.*

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA.

Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum. — Ut Dominus paucos transfigurationis suæ testes adhibuit : ita consiliarii pauci, et cum delectu seligendi sunt, cap. VI, vers. 6. *Vide Indicem rerum, verb.* Amicus, Consilium, S. Petrus.

Resplenduit facies ejus sicut sol. — Solis et justi analogiæ, cap. XXVII, vers. 12. Christus est sol justitiæ, *ibid.* solis elogium, cap. XLIII, vers. 2. sol est typus Christi, *ibid.* an sit igneus, vers. 4.

Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix. — Nivis commoda, cap. XLIII, vers. 14. ejus miranda et causæ, vers. 20.

Nubes lucida obumbravit eos. — Nubes est thronus Dei, cap. XXIV, vers. 7. Nebula tegens terram quæ sit, vers. 6.

Moysi unum. — Elogium Moysis, cap. XLV, vers. 1 et seq. — *Consule Indicem rerum, verb.* Moysis.

Et Eliæ unum. — Eliæ elogium, cap. XLVIII, vers. 1. per eum zelozi denotantur, *ibid.* Cur hic raptus sit curru igneo, vers. 9. certabit in fine sæculi cum Antichristo, et ad Christum convertet Judæos, vers. 10. — *Vide Indicem rerum, verb.* Elias.

FERIA II.

Qui misit me, verax est. — Anima sancta quomodo enuntiet vera, cap. XXXVII, vers. 18.

FERIA III.

Patrem nolite vocare vobis super terram. — An filius idem possit ex aliis parentibus nasci, cap. VII, vers. 30.

FERIA IV.

Dic ut sedeant hi duo. — Ambitiosorum mores describuntur, cap. XXIII, vers. 5.

Nescitis quid petatis. — Honores non sunt ambiendi : et ambitionis damna et cruces, cap. VII, vers. 4. — *Vide Indicem rerum, verb.* Ambitio.

Principes Gentium dominantur eorum. — Potens non sit superbus, nec se inferioribus insultet, cap. VII, vers. 12. Cum potentibus non est litigandum, cap. VIII, vers. 1 et 2. in aulis quomodo versandum sit, cap. VIII, vers. 10. Rector qualis esse debeat, cap. XXXII, vers. 1 et seq. sit sapiens, cap. X, vers. 1 et 2. Tyrannus in quo a rege differat, cap. X, vers 6. Potentiorum injuriæ sunt ferendæ, cap. XIII, vers. 4. — *Vide Indicem rerum, verb.* Princeps, Rex ; *et notata Dominica XXII post Pentecost.*

Indignati sunt duobus fratribus. — Reges oderunt eos qui plus cæteris sapere videri volunt, cap. VII, vers. 5.

Filius hominis non venit ministrare, sed ministrare. — Humilitas est propria virtus Christi, cap. X, vers. 15.

FERIA V.

Homo quidam erat dives. — Dives facile lites movet, cap. XXVIII, vers. 12. similis est idolo, cap. XXX, vers. 19. Dives in auro non sperans beatus est, cap. XXXI, vers. 8. tripliciter dives salvatur, *ibid.* Dives in auro non sperans facit quasi miracula, vers. 9. Prosperitas mentem dissolvit, cap. XLI, vers. 17. — *Vide notata Domin. II post Pentecost., et Indicem rerum, verb.* Aurum, Dives, Divitiæ, Opes. Hujus divitis nomen non est proditum. Nomen et fama comparatur bonæ vitæ, non magnificis operibus, cap. XLIX, vers. 2.

Purpura et byssa. — In vestitu non est gloriandum, cap. XI, vers. 4.

Lazarus mendicus. — Mendicorum vita potius mors est quam vita, cap. XL, vers. 30.

Factum est ut moreretur mendicus. — Mors et vita quid sit, cap. XLI, vers. 1. Ipsa suavis est indigentibus, ægris, senibus, anxiis, desperantibus, vers. 4.

Fili, recordare quia recepisti bona in vita. — In die bonorum habenda memoria malorum, cap. XI, vers. 27. In altera vita felicium et infelicium sortes mutabuntur ; *ibid.* Nemo ante mortem beatus dicendus est, vers. 30.

NUNC AUTEM HIC CONSOLATUR, TU CRUCIARIS. — Pauperum et divitum sortes differunt, cap. XIII, vers. 25.

IN HUNC LOCUM TORMENTORUM. — Infernalium suppliciorum gravitas, cap. XL, vers. 5. — *Vide notata Feria II post Domin. in Quadrages.*

FERIA VI.

LOCABIT ALIIS AGRICOLIS.—*Vide notata Domin. in Sexagesima.*

MALOS MALE PERDET. — Deus nulla peccata non punit, cap. V, vers. 5.

SABBATO.

ADOLESCENTIOR. — Juventus robusta est, cap. XXV, vers. 6. adolescentes quomodo se in convivio gerant, cap. XXXII, vers. 11 et seqq. Verecundia eos decet, vers. 14.

VIVENDO LUXURIOSE. — Vitia et lascivia juventutis in senium durant, cap. XI, vers. 16, et cap. XXV, vers. 5. Filii lascivi et venerei sunt dedecus patri, cap. XVI, vers. 1 et 4. Juventus non est danda vitiis, senectus pœnitentiæ, cap. XVII, vers. 27. Concupiscentia puero est similis quoad tria, cap. XXX, vers. 8. — *Vide Indicem rerum, verb.* Libido, Fornicatio, Meretrix, Mulier.

EGO AUTEM HIC FAME PEREO. — Ærumnæ impios magis cruciant quam pios, cap. XL, vers. 8.

SURGAM, ET IBO AD PATREM. — Conversio non est de die in diem differenda, cap. V, vers. 9. — *Vide Indicem rerum, verb.* Pœnitens, Pœnitentia.

PATER, PECCAVI IN COELUM ET CORAM TE. — Pœnitentiæ origo, ratio et essentia, cap. V, vers. 9.

SYMPHONIA. — Musica recte in conviviis adhibetur, cap. XXXII, vers. 5. et 8.

MORTUUS EST ET REVIXIT. — Peccator deplorabilis est, cap. XXVI, vers. 27. — *Vide Indicem rerum, verb.* Peccator, Peccatum.

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA.

OMNE REGNUM IN SE DIVISUM DESOLABITUR. — Cupiditas est causa discordiæ, cap. XXV, vers. 2. Antitheta rerum universum hoc ornant, cap. XXXIII, vers. 15. — *Reliqua vide in Feria IV post Domin. in Quadrag.*

FERIA II.

SUB ELISEO PROPHETA. — Elisei elogium, cap. XLVIII, vers. 13. — *Vide Indicem rerum, verb.* Eliseus.

AD MULIEREM VIDUAM. — Viduarum preces exaudit Deus, cap. XXXV, vers. 18.

FERIA III.

CORRIPE EUM INTER TE ET IPSUM SOLUM. — In ira nemo est corripiendus, cap. VIII, vers. 13. Quo affectu quis sit corripiendus, *ibid.* Correptio quas habere debeat conditiones, cap. XIX, vers. 13. eam odiens, odit medicinam, cap. XXI, vers. 7. Timens Deum si corripiatur, statim ad cor redit, cap. XXI, vers. 7. — *Vide Indicem rerum, verb.* Correctio, Castigatio.

IPSUM SOLUM. — Consilia sint secreta, cap. VIII, vers. 21. secretum est custodiendum, vers. 22.

SI DUO EX VOBIS CONSENSERINT. — Conjuges sint inter se concordes, cap. XL, vers. 23; cap. XXV, vers. 2. — *Vide Indicem rerum, verb.* Conjux, Concordia, Uxor. — *Vide et notata in festo S. Marci Evangelistæ.*

FERIA IV.

HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM. — Matri honor deferendus est, cap. III, vers. 3. Senes non sunt spernendi, sed eorum mores ferendi, cap. VIII, vers. 7. Filii probi sunt patri decus, gloria et gaudium, cap. XXV, vers. 10; cap. XXX, vers. 3. Filii heroum plerumque sunt degeneres, cap. XXX, vers. 13. Filii quid sint docendi, *ibid.* et quidem a teneris, cap. VII, vers. 25 et 26. Parentes honorans expiat peccata, cap. III, vers. 5. quibus rebus sint honorandi, vers. 8, 9, 14. eorum contemptus vocatur blasphemia, vers. 19. — *Vide Indicem rerum, verb.* Filius, Parentes, Pater.

ET QUI MALEDIXERIT PATRI. — Hinc et parentes subinde maledicunt filiis quorum maledictio sæpe est efficax, cap. III, vers. 11, 19. Pater misceat gravitatem lenitati, cap. XXX, vers. 10.

MUNUS QUODCUMQUE EST EX ME. — Victima e rapina pauperum offerenda non est, cap. XXXIV, vers. 24 et 28. Qui talem offert nihil lucratur, vers. 29. Oblationes nostræ uniendæ sunt meritis Christi, cap. XXXV, vers. 11.

HYPOCRITÆ. — *Vide notata Domin XXII. post Pentecost.*

COR EORUM LONGE EST A ME. — Interiora hominis e quatuor externis signis dignoscuntur, cap. XIX, vers. 27.

ADHUC ET VOS SINE INTELLECTU ESTIS. — Mens et venter invicem comparantur, cap. XXXVI, vers. 20.

QUÆ PROCEDUNT DE ORE, EA COINQUINANT. — Multiloquium et garrulitas cavenda, cap. VII, vers. 15. Lingua incendio comparatur, cap. VIII, vers. 4. Linguæ lapsus est facilis, cap. XIV, vers. 1. Sapiens et stultus quomodo loquela dignoscantur, cap. XXI, vers. 29. Verba sunt mentis speculum, cap. XXVII, vers. 8. Lingua multos occidit, cap. XXVIII, vers. 22. Lingua nequam pejor est morte, vers. 25. Lingua flammæ est similis, vers. 26. Lingua maledica similis leoni et pardo, vers. 27.

DE CORDE EXEUNT. — Cordis affectiones et mala : ejusdem descriptio, cap. II, vers. 15. Cor durum describitur cap. III, vers. 27. Cordis duri et sapientis antitheses, vers. 31. Cor bonum facit vultum bonum, malum, malum, cap. XIII, vers. 31. Cor symbolum est animæ et prudentiæ, cap. LI. vers. 28.

FALSA TESTIMONIA. — Mendax est diabolo similis, cap. XX, vers. 26. et deterior fure, cap. V, vers. 17, et cap. 20, vers. 27. Detractio quantum sit malum, cap. XIX, vers. 10. Convicii et fumi analogiæ, cap. XXII, vers. 30. Detractionis remedia, cap. XXVIII, vers. 28 et seq. Mendacium semper malum est, cap. VII, vers. 14.

BLASPHEMIÆ. — Blasphemia est morte vestita, cap. XXIII, vers. 15. — *Vide Indicem rerum, verb.* Lingua, Detractio, Maledicus.

FERIA V.

SINGULIS MANUS IMPONENS, CURABAT EOS. — *Vide notata Sabbato post Cineres.*

DÆMONIA CLAMANTIA : QUIA TU ES FILIUS DEI. — Peccatores tamen vere non laudant Deum, cap. XV, vers. 9 et 10.

ET DETINEBANT EUM NE DISCEDERET AB EIS. — Sapiens ita loquitur, ut omnes apud eum esse gestiant, cap. XX, vers. 13. Sermo suavis mire mentem delectat, cap. XL, 21.

FERIA VI.

NUMQUID TU MAJOR ES PATRE NOSTRO JACOB? — Jacobi patriarchæ elogium, cap. XLIV, vers. 26.

DEDIT JACOB JOSEPH FILIO SUO. — Joseph patriarcha et Henoch inter se comparantur, cap. XLIX, vers. 16.

NON COUTUNTUR JUDÆI SAMARITANIS. — Schisma Samaritarum a Judæis unde et qua occasione ortum sit, cap. L. vers. 28.

FIET IN EO FONS AQUÆ SALIENTIS IN VITAM ÆTERNAM. — Christus est fons vitæ, cap. I, vers. 5. Deus nostra est vita, cap. IV, vers. 12, et cap. XIII, vers. 18.

SABBATO.

DEPREHENSAM IN ADULTERIO. — Meretrix stercori compa-

ratur, cap. IX, vers. 10. Adulterium semper a Deo punitur, cap. XXIII, vers. 30. ejus culpa est quintuplex, vers. 33. varia ejus pœna, vers. 36. Conjugii fidem varia docent animalia, vers. 30. Zelotypia ex adulterio nata est grave malum in femina, cap. XXVI, vers. 8. — *Vide Indicem rerum, verb.* Adultera, Mulier, Uxor.

SCRIBEBAT IN TERRA. — Videtur hic Redemptor accusantium peccata in terra scripsisse. Dei oculus intuetur omnes cordis latebras, cap. XVI, vers. 16. — *Vide supra Feria VI post Cineres.*

NEMO TE CONDEMNAVIT? NEMO, DOMINE. — Non est quis statim condemnandus, cap. XI, vers. 7.

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

Vide notata Domin. VI post. Pentecost.

QUIA HIC EST VERE PROPHETA. — Prophetandi origo est unio cum Deo, cap. XXXVII, vers. 18. — *Vide Indicem rerum, verb.* Propheta, Prophetia.

FERIA II.

CUM FECISSET QUASI FLAGELLUM. — In ira nemo est castigandus, cap. VIII, vers. 13. Ira est quasi fera, et hominem reddit ferinum, vers. 19. — *Vide notata Dominica IX post Pentecost.*

FERIA III.

NOLITE JUDICARE SECUNDUM FACIEM, JUSTUM JUDICIUM JUDICATE. — Judices iniqui justitiam violant, cap. XX, vers. 3. justitia enim pingitur ut virgo, vers. 2. Judex sit prudens et sapiens, cap. X, vers. 1 et 2. — *Vide plura in Indice rerum, verb.* Judex, Judicium.

FERIA IV.

QUIS PECCAVIT, etc., UT HIC CÆCUS NASCERETUR? — Fabrica singulorum hominis membrorum, cap. XVII, vers. 5. Ratione fabricæ suæ ad Deum amandum homo tenetur, vers. 6.

PECCATORES DEUS NON AUDIT. — Peccatores vere non laudant Deum, cap. XV, vers. 9 et 10.

SI QUIS DEI CULTOR EST, HUNC EXAUDIT. — Sapientes et pii jugiter laudant Deum, cap. XV, vers. 10.

QUI MENDICABAT. — Mendicorum vita mors est potius quam vita, cap. XL, vers. 30. — *Vide Indicem rerum, verb.* Pauper, Paupertas.

IN PECCATIS NATUS ES TOTUS. — Impii in maledictione nascuntur, cap. XLI, vers. 12. Parentes impii quare filios improbos gignant, *ibid.*

FERIA V.

MISERICORDIA MOTUS. — *Vide notata Dominica VI post Pentecost, et in Indice rerum, verb.* Misericordia.

INFIRMITAS HÆC NON EST AD MORTEM. — Infirmitatis utilitas, cap. XXXVIII, vers. 7.

LAZARUS AMICUS NOSTER. — Speculum est imago amicitiæ, cap. XII, vers. 10. Amicitiam quinque vitia abrumpunt, cap. XXII, vers. 27. Amici quæ sint officia, vers. 32. Amicitiæ præstantia et elogium, cap. XXXVII, vers. 2. Amicus vetus novo est melior, cap. IX, vers. 15. — *Vide Indicem rerum, verb.* Amicitia, Amicus.

QUOD DIXERAT DE MORTE EJUS. — Mors vocatur judicium, quare, cap. XXXVIII, vers. 23.

EGO SUM RESURRECTIO ET VITA. — Deus nostra est vita, cap. IV, vers. 12. est item animæ anima, cap. VII, vers. 31, et cap. XIII, vers. 18. Ad vitam spiritualem decem res sunt necessariæ, cap. XXXIX, vers. 31.

VOCAVIT SOROREM SUAM SILENTIO. — Maria forsan contemplationi intenta sibi vacabat, quia omnis contemplativus mente esse vacuus debet, cap. XXXVIII, vers. 25. Contemplationis remoræ, *ibid.*

VADIT AD MONUMENTUM UT PLORET IBI. — Luctus in morte moderandus est, cap. XXXVIII, vers. 18. — *Vide Indicem rerum, verb.* Luctus.

TURBAVIT SEMETIPSUM. — Compassione levatur dolor afflicti, cap. VII, vers. 38.

LACRYMATUS EST JESUS. — Mundus est locus lacrymarum: Christus hic flevisse legitur, at nunquam risisse, cap. XXI, vers. 23.

SOLVIT EUM. — Pœnitentia in peccatore, cujus typus est hic Lazarus, omnes scelerum nexus dissolvit, cap. XX, vers. 4. — *Vide notata in festo* S. *Mariæ Magdalenæ, et Indicem rerum, verb.* Peccator, Pœnitentia.

SABBATO.

EGO SUM LUX MUNDI. — Quibus modis Christus animam illuminet, cap. I, vers. 5. Futura non sunt realiter æternitati præsentia, vers. 4. — *Vide notata in Festo Nativit., et in Indice rerum, verb.* Lumen, Sol, Stella.

ET NEMO APPREHENDIT EUM. — Verbum dulce amicos multiplicat, cap. VI, vers. 5.

LOCUTUS EST IN GAZOPHYLACIO. — Coram Deo nemo vacuus apparere debet, cap. XXXV, vers. 6.

DOMINICA PASSIONIS.

QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO? — Conscientiæ remorsus est velut canis latrans, cap. XXI, vers. 2. Fuga peccati est nobile sacrificium, cap. XXXV, vers. 3.

Plura vide Domin. in Quinquag. de peccato, item in Indice rerum, verb. Peccator, Peccatum.

NUMQUID TU MAJOR ES PATRE NOSTRO ABRAHAM? — Abrahami elogium, cap. XLIV, vers. 20 et seq.

ET PROPHETÆ MORTUI SUNT. — Omnibus est moriendum, cap. XIV, vers. 12.

SI EGO GLORIFICO MEIPSUM, GLORIA MEA NIHIL EST. — Gloria Dei duplex est, interna et externa, cap. XLII, vers. 26.

De Passione Domini qui habere materiam volet, adeat Indicem rerum, verbis Jesus, Passio.

FERIA IV.

OPERA QUÆ EGO FACIO, HÆC TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME. — Omnis meditatio debet ad praxin et actionem redigi, cap. VI, vers. 37.

DOMINICA PALMARUM.

SOLVITE, ET ADDUCITE MIHI. — Bestiæ et feræ obediunt hominibus, cap. XVII, vers. 4.

De Palma vide caput XXIV *Ecclesiastici, vers.* 18.

FERIA V IN COENA DOMINI.

HYMNO DICTO. — Mos agendi gratias post sumptum cibum, cap. XXXII, vers. 17. Ita faciebant olim prisci christiani, *ibid.*

IN FESTO PASCHÆ.

RESURREXIT. — Resurrectionis symbolum est lilium, cap. XXXIX, vers. 19. — *Vide Indicem rerum, verb.* Resurrectio.

Patres qui in limbo detinebantur, sæpe per angelos illuminabantur, cap. XXIV, vers. 45. Christus resurgens ad infernum damnatorum personaliter non descendit, *ibid.* sed in purgatorio plenum jubilæum dedit, *ibid.*

ERIT SEPULCRUM EJUS GLORIOSUM. — Sanctis variis sunt monumenta magnifica erecta, cap. XLIV, vers. 14.

FERIA II POST PASCHA.

TU SOLUS PEREGRINUS ES? — Peregrinatio docet sapere, cap. XXXIV, vers. 11. Peregrinandum est ad scientiam parandam, cap. XXXIX, vers. 5. — *Vide Indicem rerum, verb.* Peregrinatio.

DE JESU NAZARENO QUI FUIT. — Christi memoria suis gratissima est, cap. XLIX, vers. 2.

NOS SPERABAMUS. — In Deo sperans benedicitur, cap. XXXIV, vers. 14.

NONNE OPORTUIT CHRISTUM PATI, ET ITA INTRARE? — Humiliatio probat et purgat Dei servos, cap. II, vers. 5.

INTERPRETABATUR ILLIS IN OMNIBUS SCRIPTURIS. — Sacræ Scripturæ studio paratur sapientia, cap. XXXIX, vers. 1. huic omnes Ecclesiæ Doctores et SS. Patres studuere, *ibid.* et vers. 2. — *Vide Indicem rerum, verb.* Scriptura.

NONNE COR NOSTRUM ARDENS ERAT? — Deus succurrit tentatis patienter opem ipsius exspectantibus, cap. II, vers. 3.

FERIA III POST PASCHA.

EXISTIMABANT SE SPIRITUM VIDERE. — Samuel a Pythonissa evocatus an vere apparuerit, cap. XLVI, vers. 23.

DOMINICA IN ALBIS.

PAX VOBIS. — Sapiens et justus in perenni est pace, cap. LI, vers. 35. — *Vide Indicem rerum, verb.* Pax, Concordia, Amor.

QUORUM REMISERITIS PECCATA. — Confessio criminum pendet a confessione et laude Dei, cap. XVII, vers. 25. Confessionis encomia, cap. IV, vers. 31.

Vide notata Domin. X post Pentecost. et in festo S. Mariæ Magdalenæ.

DOMINICA II POST PASCHA.

EGO SUM PASTOR BONUS. — *Consule Indicem rerum, verb.* Episcopus, Pastor, Prælatus.

ANIMAM MEAM PONO PRO OVIBUS MEIS. — Deus est amicus fidelis et fortis, cap. VI, vers. 14. item Christus, vers. 17. — *Vide Indicem rerum, verb.* Amicus, Amicitia.

DOMINICA III POST PASCHA.

MODICUM, ET NON VIDEBITIS ME. — Deus unicuique tribulationes juxta vires admetitur, cap. VI, vers. 22.

MUNDUS GAUDEBIT, VOS VERO CONTRISTABIMINI. — Impii hic prosperantur, pii affliguntur, cap. XI, vers. 14 et 28.

TRISTITIA VESTRA VERTETUR IN GAUDIUM. — Patiens post patientiam iterum florere et fructificare incipit, cap. I, vers. 29. Qui patiens est, est potens, maxime Deus, cap. II, vers. 23. Conscientia bona remedium est tristitiæ, cap. XXX, vers. 22. Tristitia fugat et contristat Spiritum Sanctum, vers. 23 et 26. hominem enecat, vers. 25. ejus remedia, *ibid.* Tristitiæ tria damna, cap. XXXVIII, vers. 19. Ærumnæ magis cruciant impios quam pios, cap. XL, vers. 8. — *Vide Indicem rerum, verb.* Tribulatio, Tristitia, Patientia.

GAUDIUM VESTRUM NEMO TOLLET A VOBIS. — Solidum gaudium tantum in Deo reperitur, cap. LI, vers. 20. et ipsum est de sola virtute, cap. XXX, vers. 16. Tres fructus lætitiæ, vers. 23. Delectatio spiritualis major est carnali, cap. XXXII, vers. 17. Justi gaudent de pœna impiorum, cap. XXXV, vers. 25. — *Vide Indicem rerum, verb.* Gaudium, Lætitia.

DOMINICA IV POST PASCHA.

ARGUET MUNDUM DE PECCATO. — *De peccato vide notata Domin. in Quinquagesima, et Domin. Passionis, et Indicem rerum, verb.* Peccator, Peccatum.

DE JUSTITIA. — De propitiato peccato non oportet nos esse sine metu, cap. V, vers. 5. Justitiæ comes est pax, vers. 12.

DOCEBIT VOS OMNEM VERITATEM. — Sapientiæ fructus, cap. VI, vers. 20. ea a paucis invenitur, vers. 23. est laboriosa et ponderosa, *ibid.*

ADHUC HABEO MULTA VOBIS DICERE, — Secreta amici celanda sunt, cap. XXVII, vers. 17. — *Vide Indicem rerum, verb.* Secreta.

SED NON POTESTIS PORTARE MODO. — Dei magnalia homo ad fundum penetrare nequit, cap. XVIII, vers. 6.

IN LITANIIS MAJORIBUS.

PETITE, ET DABITUR VOBIS. — Præparatio ad orationem quadruplex est, cap. XVIII, vers. 23. Optima præparatio est bona orandi intentio, *ibid.* In oratione habenda attentio et silentium, cap. XLI, vers. 25.

EO QUOD AMICUS EJUS SIT. — Amicus est medius inter inimicum et adulatorem, cap. XXXVII, vers. 1. — *Vide Indicem rerum, verb.* Amicus, Amicitia, *et notata Domin. in Septuag. et Feria VI, post Domin. III in Quadrages.*

IN DIE ASCENSIONIS.

NON EST VESTRUM NOSSE TEMPORA. — Temporum et ævi vices novit Deus, cap. XLII, vers. 19.

IN FESTO PENTECOSTES.

TANQUAM ADVENIENTIS SPIRITUS VEHEMENTIS. — Quid Deus in sibilo auræ tenuis apparens Eliæ, vellet denotare cap. XLVIII, vers. 7. — *Vide de vento notata Domin. IV post Epiphaniam.*

ET APPARUERUNT ILLIS LINGUÆ. — Lingua sancta donum est Spiritus Sancti, cap. XI, vers. 30. Linguæ igneæ Apostolorum sunt in Elia denotatæ, cap. XLVIII, vers. 1.

PACEM RELINQUO VOBIS. — Pax est comes justitiæ, cap. V, vers. 12. Sanctus in perenni pace et gaudio vivit, cap. LI, vers. 35.

Quem spiritum Eliæ duplicem sibi dari petierit Eliseus, cap. XLVIII, vers. 13. — *Vide Indicem rerum, verb.* Spiritus Sanctus, Lingua.

Inter dona Spiritus Sancti non postremum est timor, de quo passim sermo est toto libro Ecclesiastici, quo nomine virtus et pietas intelligitur.

Timoris Dei elogia quatuor, cap. I, ante vers. 11. ipse est initium sapientiæ, vers. 16. fidelibus concreatus est, *ibid.* dat sanitatem animæ et corporis, vers. 22. facit longævos, vers. 25. expellit peccata, vers. 27. est vera nobilitas, cap. X, vers. 23. urget ad profectum virtutis, cap. XV, vers. 1. est quasi animæ auriga et nauclerus et speculator, cap. XXV, vers. 14. causat amorem, et amor timorem, vers. 16. cæteras virtutes timor Dei in se complectitur, cap. XL, vers. 27. — *Vide Indicem rerum, verb.* Timens, Timor.

Timens Deum est ut sacerdos, rex, triumphator, cap. I, vers. 11.

Donum consilii item a Spiritu Sancto descendit. Consultamus de iis quæ libera sunt, cap. XV, vers. 14. Consiliarii quas habere conditiones debeant, cap. XXXVII, vers. 7, 9 et seq. Homo creatus cum consilio Dei, cap. XXXII, vers. 24. Consultor est res sacra, cap. XXXVII, vers. 12. Quinam sint in consilio vitandi, *ibid.* Cor est oraculum boni consilii, vers. 17. Consilii efficacia, *ibid.* ejus præstantia, cap. XL, vers. 25. — *Vide Indicem rerum, verb.* Consiliarius, Consilium.

De dono scientiæ vide in Indice rerum, verb. Sapientia, Doctrina. Quæ scientia Spiritus homini data sit, cap. XVII, vers. 6. Spiritus sapientiæ quis dicatur, cap. XXIV, vers. 27, et cap. XXXVII, vers. 9.

FERIA II POST PENTECOSTEN.

SIC DEUS DILEXIT MUNDUM. — Deus est verus amicus qui nos ab æterno amavit, cap. IX, vers. 14. Christus pro nostris debitis se fidejussorem præstitit, cap. XXIX, vers. 20. — *Vide Indicem rerum, verb.* Jesus Christus, Deus, Amor.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

BAPTIZANTES EOS. — Baptismo tollitur peccatum originale : hujus decem pœnæ, cap. XL, vers. 1. an Eva peccans ad posteros id transmisisset, cap. XXV, vers. 33.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. — Divina sapientia plena est notionibus rerum formandis creaturis secundum speciem cujusque idoneis, cap. I, vers. 10. In Deo sunt omnes virtutes, excepta humilitate, cap. XI, vers. 4. ipse summopere laudandus est, cap. XV, vers. 10. ejus magnalia homo ad fundum usque penetrare non potest, cap. XVIII, vers. 6. varia ejus epitheta, cap. XXXIV, vers. 20. ejus pulchritudo, cap. XLIII, vers. 1, est in omnibus, et ipse omnia, cap. XLIII, vers. 29. eum abunde et sufficienter laudare non possumus, vers. 31. quo plus cognoscitur, eo plura cognoscenda demonstrat, *ibid.* ejus omnipotentiæ quinque mensuræ, vers. 37. est essentialiter sanctus, cap. XLVI, vers. 6. SS. Trinitas laudat seipsam laude immensa, cap. XV, vers. 10, et cap. XLIII, vers. 34. ejus symbolum, cap. XVII, vers. 22. ejus tres throni et adorationes, cap. XXIV, vers. 7. est fons amoris et concordiæ, cap. XXV, vers. 1. denotatur per iridem, cap. XLIII, vers. 13. — *Vide Indicem rerum, verb.* Deus, Trinitas.

Christi deitas adstruitur, cap. I, vers. 4. Filius Dei est sapientia personalis, vers. 2. — *Vide Indicem rerum, verb.* Jesus Christus.

EGO VOBISCUM SUM OMNIBUS DIEBUS USQUE AD CONSUMMATIONEM SÆCULI.—Quomodo dies sæculi sint innumerabiles, cap. I, vers. 3. item dies Israelis, cap. XXXVII, vers. 28.

DOMINICA I POST PENTECOSTEN.

ESTOTE MISERICORDES. — *Vide notata Feria VI post Cineres.*

NOLITE JUDICARE. — Judex fortitudinem habeat tum externam, tum internam, cap. VII, vers. 6. Ex specie non est judicandum, cap. XI, vers. 2. — *Vide Indicem rerum, verb.* Judex.

PERFECTUS AUTEM OMNIS ERIT. — *Vide notata Feria VI post Cineres, et in Communi Confessorum.*

HYPOCRITA. — *Vide notata Domin. XXII post Pentecosten.*

IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

QUI MANDUCAT HUNC PANEM, VIVET IN ÆTERNUM. — Eucharistia facit longævos, ut et timor Dei, cap. I, vers. 12. Christus quasi pelicanus suo nos sanguine vivificat, cap. IV, vers. 12. est vita animæ, cap. XIII, vers. 18. Eucharistia est panis vitæ, cap. XV, vers. 3. dat robur animæ, vers. 4. in ea edimus et carnem Beatæ Virginis, cap. XXIV, vers. 29.

Sacrificium Missæ quam sit honorificum, cap. L, vers. 18. habet id vim impetrandi ex opere operato, cap. XXXIV, vers. 23. est summa realis Dei laus, cap. XLIII, vers. 34. — *Vide Indicem rerum, verb.* Eucharistia, Sacrificium.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

JUGA BOUM EMI. — Avaritia nihil est scelestius, cap. X, vers. 9. ejus proprietates, *ibid.* est iniqua, cap. XIV, vers. 9. est mentis inopia, cap. XXVII, vers. 1. ejus comes est invidia, cap. XXXI, vers. 15.

Avarus projicit intima sua, quomodo, cap. X, vers. 10. ei non permanent bona : tempus ei præterit, cap. XI, vers. 20. quam sit miser, cap. XIV, vers. 3. decem ejus stultitiæ, *ibid.* non benefacit aliis, nisi animo maligno, vers. 7. est velut hydropicus, vers. 9. — *Vide notata in Indice rerum, verb.* Avaritia, Dives.

UXOREM DUXI. — Libido hominem debilitat et enervat, cap. VI, vers. 3. et reddit impudentem, cap. XIX, vers. 3. est tinea, cap. XLII, vers. 13. Pulchritudo est illex libidinis, cap. IX, vers, 5. Mulier fucata est Venus colorata, vers. 8. Mulieres opulentæ dominantur viris, cap. XXV, vers. 30. Mulier est natura salax, cap. XXVI, vers. 14. est similis igni, magneti, basilisco, cap. XLII, vers. 13. ejus epitheta et descriptio, vers. 14.

Nemo se aut sua mulieri credere debet, cap. VII, vers. 28. Non debet mulier viro dominari, cap IX, vers. 2. ejus tactus periculosus est, vers. 9. ejus malitia summa est, cap. XXV, vers. 17, 22, 26. Mala mulier est velut coluber, vers. 22. ejus nequitia est incurabilis, vers. 23. talis mulier obtingit peccatori, vers. 26. Mulier imperiosa est viro contraria, vers. 30. a muliere ortum est peccatum, vers. 33. Scorpio est typus malæ mulieris, cap. XXVI, vers. 10. Mulieres vitandæ sunt, cap. XXXVI, vers. 24, et cap. XLII, vers. 14. Uxor mala ingens est malum, cap. XXV, vers. 17.

Zelotypia ingens est conjugii malum, quam ea sit damnosa : ejus remedia, cap. IX, vers. 1.

Uxor domi est continenda, cap. XXV, vers. 1. sit sobria, cap. XXVI, vers. 11. Uxor bona virum diversimode beat, vers. 1. talis est Dei donum, vers 3. maritum exhilarat, et pellit dolorem, vers. 21.

Virginum aspectus cavendus est, cap. IX, vers. 5. Filiæ sunt plerumque simiæ matris et filii patris, cap. XI, vers. 30. — *Vide plura in Indice rerum, verb.* Mulier, Femina, Libido, Virgo, Uxor, Concupiscentia, Zelotypia.

Sapientia est uxor viri justi et sapientis, cap. XV, vers. 5. Iniquitas viri est melior benficentia mulieris, cap. XLII, vers. 14.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

ERANT APPROPINQUANTES AD JESUM PECCATORES. — Peccatores non sunt rejiciendi, nec exacerbandi, cap. VIII, vers. 6. — *Vide Indicem rerum, verb.* Peccator, Impii.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

LAXATE RETIA. — Negotiantibus et agentibus succurrit Deus, cap. LI, vers. 25.

IN VERBO TUO LAXABO RETE. — A Deo sunt omnia incipienda, cap. XXXVII, vers. 19.

RELICTIS OMNIBUS SECUTI SUNT EUM. — Velocitas in via Domini quam sit salutaris, cap. XXXI, vers. 27

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

EGO AUTEM DICO VOBIS, QUIA OMNES QUI, etc. — Gentiles putabant injurias vindicare honorificum esse, non ita christiana lex, cap. XXVIII, vers. 3.— *Vide notata Feria VI post Cineres.*

OMNIS QUI IRASCITUR FRATRI SUO. — Iræ remedium est Dei memoria, cap. XXVIII, vers. 8. Ira parit insaniam, vers. 14. Bile carentia sunt longæva, cap. XXX, vers. 26.

QUI DIXERIT FRATRI SUO, RACA. — Detractor tres uno ictu vulnerat, cap. XXVIII, vers. 17. — *Vide Indicem rerum, verb.* Detractor, Lingua.

QUIA FRATER TUUS HABET ALIQUID ADVERSUM TE. — Lis est multorum malorum causa, cap. XXVIII, vers. 11. est scintillæ similis, vers. 14.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

MISEREOR SUPER TURBAM. — Liberalis est manu validus, cap. XXIX, vers. 1. Misericordia aliter in Deo est, aliter in nobis : tres ejus gradus in Deo, cap. XXXV, vers. 20. — *Vide*

notata Feria IV post Cineres, et in Indice rerum, verb. Eleemosyna, Misericordia.

Nec habent quod manducent. — Vitæ humanæ decem res sunt necessariæ, cap. XXXIX, vers. 31.

Accipiens panes. — Panibus non est cubito incumbendum, cap. XLI, vers. 24.

Gratias agens. — Aaronicus sacerdos quomodo benediceret populo, cap. XXXVI, vers. 19.

Manducaverunt, et saturati sunt. — Edendum citra satietatem, cap. XXXVII, vers. 32. — *Vide Indicem rerum, verb.* Cibus, Panis, Modimperator, Convivium.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

Attendite a falsis prophetis. — Scandalosi et hæretici cavendi sunt, cap. VIII, vers. 18. item peccatores, cap. XXII, vers. 14 et 15.

Cum impiis agens fit plerumque culpæ et pœnæ eorum particeps, cap. XII, vers. 13. — *Vide Indicem rerum, verb.* Hæreticus, Peccator, Impii.

Intrinsecus sunt lupi rapaces. — Audaces sunt vitandi, cap. VIII, vers. 18. Lupi sunt sævitiæ et gulæ symbolum, cap. XIII, vers. 21.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis. — Pauperes a divitibus sæpe seducuntur, cap. XI, vers. 9.

Facite vobis amicos de mammona. — Eleemosynarius non timeat inopiam, cap. IV, vers. 8. Beneficentia facit divinos et quasi deos, vers. 11. Benefacere melius est quam bona accipere, vers. 36. Munera non sunt capienda, cap. XX, vers. 31. — *Vide notata Feria VI post Cineres, et in Indice rerum, verb.* Eleemosyna.

Mammona iniquitatis. — Quatuor ob causas sunt divitiæ iniquæ, cap. V, vers. 1. — *Vide Indicem rerum, verb.* Divitiæ, Opes, Aurum.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

Quia si cognovisses et tu. — Novissimorum recordatio trahit hominem a malo, et incitat ad bonum, cap. VII, vers. 40. Cognitio Dei quanti referat, est omnis boni fons, cap. XXXVI, vers. 5.

Quæ ad pacem tibi. — Felicitas sæpe est causa ruinæ, cap. XLVII, vers. 22.

Ejicere vendentes et ementes. — In ira nemo est castigandus, cap. VIII, vers. 13.

Vendentes. — In emptione et venditione peccatum facile intercurrit, cap. XXVII, vers. 3. — *Vide Indicem rerum, verb.* Mercator, Mercatura.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

Qui in se confidebant. — Altiora se nemo sectetur aut quærat, cap. III, vers. 22.

Ut orarent. — In oratione studendum attentioni et silentio, cap. XLI, vers. 26.

Non sum sicut cæteri hominum. — Nemo potest aliis detrahere et se laudare, cap. II, vers. 14. In fortitudine sua et virtute nemo gloriari debet, cap. VI, vers. 3. In cœtu vitanda est singularitas, cap. XIII, vers. 20, et cap. XXXII, vers. 1. — *Vide Indicem rerum, verb.* Superbia, Superbus.

Publicanus a longe stans. — Peccator humilis melior est superbiente justo, cap. X, vers. 34. Oratio humilium exauditur, cap. XXXV, vers. 21. — *Vide Indicem rerum, verb.* Oratio, Preces.

Qui se exaltat, humiliabitur. — Superbia Deo et hominibus est exosa, cap. X, vers. 7. Homo nihil habet, quo se magni faciat, vers. 9. Superbiæ origo quam sit turpis, vers. 14. est velut pix, cap. XXIII, vers. 1. Superborum arrogantiam retundit Deus, cap. XXXVI, vers. 7.

Qui se humiliat, exaltabitur. — Humilitas magna convenit magnis, cap. III, vers. 20. item summa modestia, *ibid.* Gnomæ de humilitate, ejusque assequendæ cap. III, vers. 21. Veterani sint humiliores junioribus, *ibid.* Habemus varia motivæ ad nos humiliandos. cap. VII, vers. 19. Humilitatis gradus duodecim, actus novem, signa decem, *ibid.* ipsa sola exaltat, cap. XI, vers. 1, et cap. XX, vers. 11. quæ sit vera humilitas, cap. XIII, vers. 9. Talis debetur Deo : ejus gradus, *ibid.* — *Vide Indicem rerum, verb.* Humilis, Humilitas.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

Apertæ sunt aures ejus. — Aures sepiendæ sunt spinis, cap. XXVIII, vers. 28.

Et solutum est vinculum linguæ ejus. — Os custodiendum est, cap. XXII, vers. 33.

Loquebatur recte. — Pauca loquenda sunt, eaque circumspecte, cap. IV, vers. 34. Verba antequam proferantur, ponderanda sunt, cap. XXVIII, vers. 29. Sermo suavis mire mentem delectat, cap. XL, vers. 21. — *Vide Indicem rerum, verb.* Lingua.

Tanto magis plus prædicabant. — Non debemus erubescere Christum confiteri, cap. IV, vers. 24.

Bene omnia fecit. — Beneficus ab omnibus amatur et benedicitur, cap. XXXI, vers. 29.

In operibus Dei celebranda maxime sunt bonitas et potentia, cap, XXXIX, vers. 21. Opera Dei sunt admiranda, cap. XLII, vers. 23. Ipse iis intime præsens est per essentiam, præsentiam, potentiam, *ibid.* In omnibus iis notatur opposita dualitas, vers. 25. Laus bonorum operum Deo est ascribenda, cap. XLVII, vers. 9. — *Consule Indicem rerum, verb.* Creator, Creatura, Laus.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum, etc., ex toto corde tuo. — Debemus studere Deo placere, cap. II, vers. 19. Amoris Dei septem gradus, cap. VII, vers. 32. Actus sex amoris Dei, *ibid.* Quid sit eum ex toto corde diligere, *ibid.* Quam eum redamare debeamus, cap. XV, vers. 2. — *Vide Indicem rerum, verb.* Amor, Charitas, Dilectio.

Et proximum sicut teipsum. — Charitatis quanta sit latitudo, cap XVI, vers. 29. ejus quanta sit vis et energia, cap. XL, vers. 20. ipsa sole designatur, cap. XLIII, vers. 3.

Infundens oleum. — Olea describitur, cap. XXIV, vers. 19. item balsamum, vers. 20. Cur nonnulli Sancti jam mortui oleum exsudent, cap. L, vers. 11.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN.

Ite, ostendite vos sacerdotibus. — In confessione deponendus est pudor : confessionis encomia, cap. IV, vers. 31. Confessio sacramentalis quam sit secreta, cap. XXVII, vers. 19. — *Vide Indicem rerum, verb.* Confessio, Pœnitentia.

Sacerdotibus. — Sacerdotum magna dignitas : qui iis honos debeatur, cap. VII, vers. 31 et 33. eorum variæ dotes, cap. L, vers. 11 et 12. benedicentes populum simul Deum benedicunt, vers. 22. — *Consule Indicem rerum, verb.* Pontifex, Sacerdos.

Magna voce magnificans Deum. — Deum laudandi varii sunt gradus, cap. XLIII, vers. 34. Sacerdotes Deum perpetuo laudare debent, cap. XLV, vers. 19.

Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt? — Unus sanctus apud Deum potior est universis impiis, cap. XVI, vers. 4 et 5.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus dominis servire. — Mundo et Deo

simul placere nemo potest, cap. II, vers. 14 — *Vide Indicem rerum, verb.* Herus, Servitus, Servus.

QUIS VESTRUM COGITANS POTEST ADJICERE CUBITUM? — Homo nihil habet unde superbiat, cap. X, vers. 9.

RESPICITE VOLATILIA COELI. — Aves cantu suo excitant hominem ad Dei laudem, cap. XLII, vers. 16.

PATER VESTER COELESTIS PASCIT ILLA. — Providentia Dei singula intuetur et curat, cap. XVI, vers. 16.

QUONIAM NEC SALOMON IN OMNI GLORIA SUA. — Animæ sanctæ decor, cap. XXXVI, vers. 24. Salomonis elogium et vituperium, cap. XLVII, vers. 14. an sit salvatus, vers. 22. — *Vide Indicem rerum, verb.* Salomon.

SI FOENUM AGRI, etc., DEUS SIC VESTIT. — Pulchritudinis vanitas, cap. XI, vers. 2. Mens formosa sæpe est in deformi corpore, *ibid.* Pulchritudinis descriptio, cap. XXV, vers. 28. Viridia oculos valde oblectant, cap. XL, vers. 22. — *Consule Indicem rerum, verb.* Pulchritudo.

DE VESTITU QUID SOLLICITI ESTIS? — Prosperitas est Dei donum, non fortunæ, cap. X, vers. 5.—*Vide Indicem rerum, verb.* Vestes, *et notata Domin. II Adventus.*

QUÆRITE PRIMUM REGNUM DEI, ET HÆC OMNIA, etc. — Divitiæ sunt donum Dei, cap. XI, vers. 14. Cultus Dei basis est reipublicæ et regnorum, cap. XLIX, vers. 5.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

DEFUNCTUS EFFEREBATUR. — Sancti sunt sæpe ab angelis et bestiis sepulti, cap. XXXVIII, vers. 16.—*De morte vide notata Domin. XIII post Pentecost. et in Festo Fidel. Animarum.*

ET HÆC VIDUA ERAT. — Viduarum preces exaudit Deus, cap. XXXV, vers. 18.

MISERICORDIA MOTUS. — Misericordia aliter est in Deo, aliter in nobis: tres ejus gradus in Deo, cap. XXXV, vers. 26. — *De misericordia vide notata Domin. VI post Pentecost. et Indicem rerum, verb.* Misericordia.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN.

HYDROPICUS. — Avari sunt velut hydropici, cap. XIV, vers. 9. — *Vide Indicem rerum, verb.* Avarus.

CUJUS VESTRUM ASINUS, etc., IN PUTEUM? — Quare pecora et jumenta curanda sint, cap. VII, vers. 24.

SI LICET SABBATO CURARE. — Pii similes sunt diebus festis, cap. XXXIII vers. 7.

DICEBAT AD INVITATOS PARABOLAM. — Mensalia præcepta varia traduntur, cap. XXXI, vers. 12 et seq. Cubito non est pani innitendum, cap. XLI, vers. 24.

TUNC INCIPIAS CUM RUBORE. — Pudor non bonus quis sit, cap. XLI, vers. 19 et 20. In quibus erubescendum sit, vers. 21 et seq. in quibus non sit erubescendum, cap. XLII, vers. 1 et seq.

RECUMBE IN NOVISSIMO LOCO. — Honor summus est a Deo honorari, cap. X, vers. 24. Nimia humiliatio sui vetatur, cap. XIII, vers. 9.

OMNIS QUI SE EXALTAT. — *Vide notata Domin. X post Pentecosten.*

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN.

DILIGES DOMINUM DEUM. — *Vide notata Domin. XII post Pentecosten.*

Quid sit Deum ex toto corde diligere, cap. VII, vers. 32. Ipse est in omnibus rebus et hominibus æqualiter amandus, cap. XI, vers. 14.

DICUNT EI: DAVID.—Davidis elogium, cap. XLVII, vers. 2 et seq.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN.

CUM VIDISSET COGITATIONES EORUM. — Deus videt minutissima quæque, cap. I, vers. 3. Futura non sunt realiter præsentia æternitati, vers. 4. — *Vide notata Feria VI post Cineres, et Domin. XXII post Pentecost., et in Indice rerum, verb.* Cogitatio, Oculus.

VIDENTES AUTEM TURBÆ TIMUERUNT. — *Vide Indicem rerum, verb.* Timor, Timens, *et notata in Festo Pentecostes.*

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

AD NEGOTIATIONEM.—*Vide Indicem rerum, verb.* Emptio, Mercator, Negotiatio.

AT ILLE OBMUTUIT PRÆ PUDORE. — Pudor et verecundia est passio, non virtus, cap. IV, vers. 24. Pudor bonus et malus quis sit, *ibid.* et vers. 25, 26 et seq.—*Vide Indicem rerum, verb.* Pudor, *et Domin. XVI post Pentecost.*

DIXIT REX MINISTRIS: LIGATIS, etc. — Damnati an per dæmones crucientur, cap. XXXIX, vers. 33.

MITTITE IN TENEBRAS EXTERIORES. — Deus punit citra condignum, cap. VII, vers. 3. — *Vide notata Feria II post. Domin. I in Quadrag., et in Indice rerum, verb.* Infernus, Dæmon.

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN.

ERAT QUIDAM REGULUS.—Deo servire, regnare est, cap. IV, vers. 15. — *Vide notata Domin. III post Epiphan., et in Indice rerum, verb.* Rex, Princeps.

INCIPIEBAT ENIM MORI. — Mors semper adesse et instare cogitanda est, cap. VII, vers. 40. Mors quare vocetur defluens, cap. LI, vers. 13. — *Vide notata in Festo Fidelium Animarum.*

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN.

JUSSIT EUM DOMINUS VENUMDARI. — Servi bene meriti sunt libertate donandi, cap. VII, vers. 23. — *Vide Indicem rerum, verb.* Servus, Herus.

MISERTUS AUTEM DOMINUS SERVI ILLIUS. — Quanta Dei sit in peccatores misericordia, cap. II, vers. 23, et cap. IV, vers. 11.

TENENS SUFFOCABAT EUM. — Ira est quasi fera, et reddit hominem ferinum, cap. VIII, vers. 19. — *Vide Indicem rerum, verb.* Ira, Iracundia.

NONNE ERGO ET TE OPORTUIT? — Mansuetudo in corripiente requiritur, cap. III, vers. 19. Injuriam oblivisci heroicum est, cap. X, vers. 6. Injuriæ condonandæ stimuli, cap. XXVIII, vers. 2. — *Vide Indicem rerum, verb.* Mansuetedo, Mitis, *et notata in Festo omnium Sanctorum.*

SI NON REMISERITIS UNUSQUISQUE FRATRI SUO. — Deus ignoscit ignoscenti proximis, cap. XXVIII, vers. 1.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN.

UT CAPERENT JESUM IN SERMONE. — A republica exsulare debent fraudes, doli, injuriæ, cap. X, vers. 8. Sophistica est cavenda, cap. XXXVII, vers. 23.

SCIMUS QUIA VERAX ES.—Sinceritatis descriptio, cap. II, vers. 14. Veritatis dignitas, cap. VII, vers. 14.

COGNITA NEQUITIA EORUM. — Melancholici semper mala et falsa suspicantur, cap. III, vers. 26. Cor hominis est velut abyssus, quod nemo penetrat, sed solus Deus, cap. XLII, vers. 18. Deus novit omnia possibilia, cap. 1, vers. 1.

QUID ME TENTATIS, HYPOCRITÆ? — Fraudulenti sunt hypocritæ, cap. II, vers. 14. Hypocritæ Deum vere non amant, nec colunt, cap. I, vers. 39. Varia symbola hypocriseos, v. 37. eam tandem detegit Deus, vers. 39. —*Vide Indicem rerum, verb.* Hypocrisis, Hypocrita, Dolus.

OSTENDITE MIHI NUMISMA CENSUS. — Scite respondere posse interrogantibus (uti hic Christus facit) magna est prudentia, cap. VIII, vers. 12. — *Vide Indicem rerum, verb.* Pecunia, Respondere.

CÆSARI. — Prout rex est, sic et populus, cap. X, vers 2, habet regnum a Deo, vers. 4. Reges a Deo prosperantur, vers. 5. Tyrannus in quo a rege differat, vers. 6. tyranni brevis sunt ævi, vers. 12. reges non sinant se ab alio regi, cap. XXXIII, vers. 20. sint humiles et mansueti, sic diu imperabunt, cap. X, vers. 6. — *Vide Indicem rerum, verb.* Princeps, Rex.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

FILIA MEA MODO DEFUNCTA EST. — Vitæ brevitas, cap. XIV, vers. 12. Mors nobis instat proxime, cap. XXXVIII, vers. 23. Quid sit mors et vita, cap. XLI, vers. 1. non est mors metuenda, sed patienter ferenda, vers. 5 et 6. eam Sancti optant, vers. 7. — *Vide notata in Festo Animarum.*

MULIER QUÆ SANGUINIS FLUXUM PATIEBATUR. — Hæc, ut ait Marcus cap. V, multa perpessa fuerat a compluribus medicis. Medicina quippe tortura est, cap. XXXVIII, vers. 15. — *Vide notata Sabbato post Cineres, et in Indice rerum, verb.* Medicina, Medicus.

CUM VIDISSET TIBICINES. — Carmine et modulis tradita est ethica a priscis, cap. XLIV, vers. 5. — *Vide Indicem rerum, verb.* Musica.

EXIIT FAMA HÆC IN UNIVERSAM TERRAM. — Boni nominis cura habenda est, cap. XLI, vers. 15. — *Vide Indicem rerum, verb.* Fama, Nomen.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

CUM VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS STANTEM IN LOCO SANCTO. — Per hanc nonnulli intelligunt statuam Cæsaris in templo adorandam propositam. Jeroboam fuit idololatriæ auctor in Israel, et quare, cap. XLVII, vers. 29.

SICUT FULGUR. — Fulguris mirabilia : fulgura sunt judicii divini, cap. XLIII, vers. 14. Hujus causa est tonitru quod concutit terram : ejus causa, vers. 18. quid hoc anagogice et tropologice significet, *ibid.* — *Vide Indicem rerum, verb.* Fulgur, Tonitru.

VIRTUTES COELORUM COMMOVEBUNTUR. — Iris cœlestis super quam judex Christus sedebit, describitur : ejus figura, effectus, symbola, cap. XLIII, vers. 12, 13. Grandinis descriptio, vers. 16. quid ea denotet mystice, *ibid.* Terræ motus sunt signum magnificentiæ Dei, cap. XVI, vers. 19. — *Vide Indicem rerum, verb.* Cœlum, Firmamentum, Stella, *et notata Domin. I Advent.*

ET NISI ABBREVIATI FUISSENT DIES ILLI. — Dies delictorum qui dicantur, cap. XVIII, vers. 27.

VENIENTEM IN NUBIBUS COELI. — Nubes sunt quasi aves Dei, earum mirabilia, cap. XLIII, vers. 15.

Henoch qui præcedet Christi adventum ad judicium, quare et in quem paradisum sit translatus : ejus raptus et vita, redibit sub mundi finem cum Elia, cap. XLIV, vers. 16. comparatur cum Joseph patriarcha, cap. XL, IX, vers 16 et 17, paradisus terrestris adhuc superest, cap. 44 vers. 16. *Vide Indicem rerum, verb.* Elias Henoch.

SICUT FUIT IN DIEBUS NOE. — Noe elogium, cap. XLIV, vers. 17.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

A Dei cultu et templorum constructione omnia sunt ordienda, cap. XXXV, vers. 10.

ECCE TABERNACULUM DEI CUM HOMINIBUS. — Christus semper habitat in Ecclesia christiana, cap. XXIV, vers. 16. Coram Deo in templo non debemus apparere vacui, cap. XXXV, vers. 6.

Musica recte in templis adhibetur, cap. XXXII, vers. 5. psalmodiæ fructus et usus, cap. XLVII, vers. 11. Decoro et ornatui studendum, cap. XLIV, vers. 6. — *Vide Indicem rerum, verb.* Templum, Ecclesia, Musica.

FESTINANS DESCENDE. — Velocitas salutaris est, cap. XXXI, vers. 27.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Vide notata Domina. IV post Pentecost.

IN FESTO PURIFICAT. B. MARIÆ VIRGINIS.

OBTULERUNT PAR TURTURUM. — Nemo coram Deo vacuus apparere debet, cap. XXXV, vers. 6. Oblationes nostræ uniendæ sunt meritis Christi, vers. 11.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

RESPONDENS SIMON PETRUS. — Simon pontifex, quem Ecclesiasticus celebrat, quis fuerit : ejus elogium toto cap. L. — *Vide Indicem rerum, verb.* Ecclesia, Petrus, Pontifex, Sacerdos.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

REVELASTI EA PARVULIS. — *Vide notata in Festo S. Michaelis, et Feria IV post Domin. III in Quadrages. et Indicem rerum, verb.* Puer.

STATUERUNT DUOS. — Etsi Joseph esset sanctus, et cognomento Justus, tamen Deo rem dirigente, S. Matthiæ postpositus est ; nam actus consilio sunt, non eventu, metiendi, cap. XXXII, vers. 23.

SORS CECIDIT SUPER MATTHIAM. — Quisque debet sua sorte esse contentus, cap. XVII, vers. 24. Deus est bonæ fortunæ causa, cap. XXXIII, vers. 7. — *Vide Indicem rerum, verb.* Pontifex, Sacerdos, Apostoli, Fortuna.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

Vide notata Feria IV Quatuor Tempor. Adventus ; idem enim est Evangelium.

SEDEM DAVID PATRIS. — Davidis regis elogium, cap. XLVII, vers. 2 et seq. — *Vide Indicem rerum, verb.* David.

QUIA VIRUM NON COGNOSCO. — B. Virginis virginitas inviolata, cap. XV, vers. 2. — *Vide Indicem rerum, verb.* B. Maria Virgo, Virginitas.

Rosarium quod Deiparæ legitur, ex rosis Salutationum Angelicarum compositum est, cap. XXXIX, vers. 17.

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

MISIT ILLOS BINOS. — Cum paribus semper agendum, cap. XIII, vers. 2. quia pares paribus gaudent, vers. 20. Morum similitudo placet in alio, *ibid.* Concordiæ et pacis bona, cap. XXV, vers. 12 — *Vide Indicem rerum, verb.* Amor, Dilectio, Charitas, Concordia.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

ITA EXALTARI OPORTET FILIUM HOMINIS. — Crucis Christi symbola, cap. XXXIV, vers. 20. — *Vide Indicem rerum, verb.* Crux.

IN FESTO NATIVIT. S. JOANNIS BAPTISTÆ.

QUIS PUTAS PUER ISTE ERIT. — Qui aliqua in re excellere cupiunt, se ei a puero applicent, cap. LI, vers. 20, — *Vide Indicem rerum, verb.* Joannes Baptista, Puer.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Occasione B. Mariæ Magdalenæ agi poterit de meretricum audacia et impudentia, hæc ingens est malum, cap. XXIII, vers. 6. Lupanaria non sunt in christianis urbibus permittenda, cap. XIX, vers. 3. — *Vide Indicem rerum, verb.* Meretrix, Mulier, Fornicaria, Libido.

LACRYMIS COEPIT RIGARE PEDES EJUS. — Pœnitentia est

tabula post animæ naufragium, cap. XVII, vers. 20. ad eam tria requiruntur, cap. XXXVIII, vers. 10. in morte semper necessaria est, *ibid.* non est de die in diem differenda, cap. *e*, vers. 9. omnes criminum nexus dissolvit, cap. XX, vers. 4. — *De oculis vide notata Domin. in Septuag., et in Indice rerum, verb.* Oculus; *item verb.* Pœnitentia.

DUO DEBITORES ERANT CUIDAM FOENERATORI. — Fœnus et usura est morsus, cap. XX, vers. 16. spondens pro alio triplici cautela sibi caveat, cap. XXIX, vers. 19. nunquam ejus obliviscendum, vers. 20. ipse est a sponsione indemnis præstandus, vers. 22. *Vide Indicem rerum, verb.* Mutuum, Fœnerator, Usura.

REMITTUNTUR EI PECCATA MULTA. — Peccatum fugiendum quasi coluber, cap. 21, vers. 2. — *Vide notata Domin. Passionis et in Indice rerum, verb.* Peccatum, Peccator. Peccator dormienti similis est, et mortuo, cap. XXII, vers. 9 et 10.

IN FESTO S. JACOBI.

DIC UT SEDEANT. — Audax et impudens fuit petitio hujus matris. Quam porro ingens malum sit impudentia, cap. XXIII, vers. 6.

Vide et notata Feria IV post Domin. II in Quadrag. est enim idem Evangelium.

IN FESTO S. IGNATII DE LOYOLA.

Vide Indicem rerum, Verb. S. Ignatius.

IN FESTO S. DOMINICI CONFESSORIS.

Vide Indicem rerum, verb. S. Dominicus.

IN FESTO TRANSFIGURATIONIS.

Vide notata Dominica II in Quadragesima.

IN FESTO ASSUMPT. B. MARIÆ VIRGINIS.

B. Virgo est radix sapientiæ, cap. I, vers. 6. est nobis mater honorificata, cap. XV, vers. 2. est opus Dei sapientissimi: ejus sanctitas; est et sapientia Christum incarnans; alia ejus elogia, cap. XXIV, vers. 1, 26 et 42. in omnes se invocantes gratiam transfundit, vers. 5. fecit ut in cœlis oriretur lumen indeficiens, vers. 6. est velut nebula, *ibid.* item nubes, vers. 7. est tabernaculum Dei, vers. 12, etymon nominis ejus, *ibid.* est principium operum Dei, vers. 14. est in plenitudine Sanctorum, vers. 16. est thesaurus omnis sanctitatis, *ibid.* est rosa in Jericho, vers. 18. item velut oliva et platanus, vers. 19. item balsamum et myrrha, vers. 20. item vitis, vers. 23. ejus fructus, vers. 24. in ipsa est omnis virtus et veritas, vers. 25. est dulcissima, vers. 27. est aquæductus fluvii divini, vers. 41. insignis ejus gratia, cap. XXVI, vers. 19. ejus decor, cap. XXXVI, vers. 24 et 25. — *Vide Indicem rerum, verb.* B. Maria Virgo.

TURBARIS ERGA PLURIMA. — Occupationes minuere debent ii qui orationi vacare volunt, cap. XVIII, vers. 22. Contemplativi sint mente vacui, cap. XXXVIII, vers. 25. Contemplationis remoræ, *ibid. Consule Indicem rerum, verb.* Negotium, Otium.

MARIA OPTIMAM PARTEM ELEGIT. — Contemplationi vacans (cujus typus est hæc Maria) in sapientia moratur, cap. XIV, vers 22. Meditatio est causa devotionis, cap. XXXV, vers. 8. — *Vide Indicem rerum, verb.* Contemplatio, Meditatio, Oratio.

IN FESTO S. BERNARDI CONFESSORIS.

Vide Indicem rerum, verb. S. Bernardus.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

JUDAM ISCARIOTEM QUI FUIT PRODITOR. — Etiam Sancti aliquando graviter labuntur, cap. XLVII, vers 18.

IN FESTO DECOLLAT. S. JOANNIS BAPTISTÆ.

PLACUIT OCULIS EJUS. — Saltatrices sunt illecebrosæ, cap. IX, vers. 4. Pulchritudo illex est libidinis, vers. 5. — — *Vide Indicem rerum, verb.* Mulier.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

SEQUERE ME. — Deum sequentes fiunt divini, cap. XXIII, vers. 38. Eum sequi facile est, *ibid.*

SURGENS SECUTUS EST EUM. — Pœnitentia non est diu differenda, cap. XXI, vers. 1 velocitas in opere bono salutaris est, cap. XXXI, vers. 27. — *Vide notata in Festo S. Mariæ Magdalenæ.*

NON EST OPUS VALENTIBUS MEDICO. — *Vide notata Sabbato post Cineres, et in Indice rerum, verb.* Medicus, Medicina.

IN FESTO S. MICHAELIS.

S. Michael Ecclesiæ est, et Synagogæ fuit, præses et tutor, cap. XVII, vers. 14. — *Vide Indicem rerum, verb.* Angeli, Michael.

NISI EFFICIAMINI SICUT PARVULI. — Parva potentiora et vegetiora sunt magnis, cap. XI, vers. 2. — *Vide Indicem rerum, verb.* Puer, Filius.

QUI SCANDALIZAVERIT UNUM DE PUSILLIS ISTIS. — Scandalum quid sit: aliud est activum, aliud passivum, cap. VII, vers. 6. — *Vide Indicem rerum, verb.* Scandalum.

Scandalosi cavendi sunt, cap. VIII, vers. 18.

VÆ HOMINI ILLI PER QUEM SCANDALUM VENIT. — Cum impio agens, ejus pœnæ et culpæ fit particeps, cap. XII, vers. 13.

VIDETE NE CONTEMNATIS UNUM EX PUSILLIS. — Parva qui contemnit, paulatim decidet in majora, cap. XIX, vers. 1. Parva non sunt contemnenda, cap. XI, vers. 3.

IN FESTO S. FRANCISCI CONFESSORIS.

Vide Indicem rerum verb. S. Franciscus.

IN FESTO SS. APOST. SIMON. ET JUDÆ.

SI ME PERSECUTI SUNT, ET VOS PERSEQUENTUR. — Christus et Deus sunt in moribus imitandi, cap. XIII, vers. 20. — *Vide notata in Communi Apostolorum.*

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

BEATI. — Tria hominem in hac vita beant, cap. XIV, vers. 1.

BEATI PAUPERES SPIRITU. — Pauperum preces quales et quando Deus exaudiat, cap. IV, vers. 6. Pauperes sunt juvandi, vers. 10. — *Vide Indicem rerum, verb.* Pauper, Paupertas, Humilis.

Paupertas justa melior injuste partis opibus, cap. X, vers. 33. Paupertas liberat a peccato, cap. XX, vers. 23. Paupertas evangelica hominem beat, cap. XL, vers. 29.— *Vide notata Domin. II Adventus.*

BEATI MITES. — Animi placor et quies signum est sanctitatis, cap. IV, vers. 13. Lenitas sanctificat, cap. XLV, vers. 4. Mansuetudo in corripiente requiritur, cap. III, vers. 19. Verbum dulce amicos multiplicat, cap. VI, vers. 5. — *Vide Indicem rerum, verb.* Mansuetudo, Mitis.

BEATI QUI LUGENT, QUONIAM CONSOLABUNTUR. — *Vide notata Domin. III post Pascha, et in Indice rerum, verb.* Luctus, Tristitia, Tribulatio.

BEATI MISERICORDES. — *Vide Indicem rerum, verb.* Misericordia.

BEATI MUNDO CORDE. — *Vide Indicem rerum, verb.* Castitas, Virgo.

BEATI QUI ESURIUNT ET SITIUNT JUSTITIAM.—Virtus exercita magis dulcescit, cap. XXIV, vers. 29. et esuriem causat, *ibid.*

BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR.—Injuriarum perpessio est porta cœli, cap. XXVIII, vers. 6. Adversa amicos probant, cap. VI, vers. 7, et cap. XII, vers. 9. — *Vide notata in Communi Martyrum, et in Indice rerum, verb.* Persecutio, Tribulatio.

Corona et aureola Sanctorum diversa est. Corona unde dicatur, et quid denotet, cap. I, vers. 22.

Cœlestis gloriæ dulcedo, cap. II, vers. 9. Firmamentum et stellæ describuntur, cap. XLIII, vers. 1. Cœli empyrei descriptio, *ibid.* Cœlestis gloria est præmium et finis sapientiæ, et stimulus ad eamdem, cap. LI, vers. 38. — *Vide Indicem rerum, verb.* Cœlum. In quem paradisum sit Henoch translatus, cap. XLIV, vers. 16.

Sancti Deum amant et timent, cap. I, vers. 11. sunt velut palma, cap. XXIV, vers. 18. sunt similes diebus festis, cap. XXXIII, vers. 7. mortem optant, cap. XLI, vers. 7. vivunt in terris ut reliquis sint vitæ exemplar, cap. XLIV, vers. 1. laudantur quatuor de causis, *ibid.* quando et quare cœpti canonizari, vers. 2. eorum fortia desideria sunt velut tonitru, cap. XLVI, vers. 21. nonnulli cum leonibus et belluis luserunt, cap. XLVII, vers. 3. nonnulli sunt ab angelis vel bestiis sepulti, cap. XXXVIII, vers. 16. cur nonnulli mortui oleum stillent, cap. L, vers. 11. Unus sanctus apud Deum est potior universis impiis, cap. XVI, vers. 4 et 5. ossa Prophetarum et Sanctorum quomodo pullulent, cap. XLIX, vers. 12. Sancti in perenni sunt pace et gaudio, cap. LI, vers. 35. — *Vide Indicem rerum, verb.* Sancti, Pii, Justi, Fideles.

Sanctitas dat nomen immortale apud Deum et homines, cap. XLIV, vers. 15. — *Vide Indicem rerum, verb.* Sanctitas.

IN DIE FIDELIUM ANIMARUM.

Mortuis et animabus quæ beneficia præstari debeant, cap. VII, vers. 37. eorum luctus est christianis moderandus: quomodo hi olim lugerentur, cap. XXII, vers. 12, 13, et cap. XXXVIII, vers. 18. gentiles ponebant epulas ad sepulcra suorum, cap. XXX, vers. 18. Quæ justa mortuis debeantur, cap. VII, vers. 37. quintuplicem requiem habere debent, cap. XXXVIII, vers. 24.— *Vide Indicem rerum, verb.* Mors, Defunctus. Sancti statim a morte cœlo recipiuntur, cap. XI, vers. 28, sunt in pace mortui, cap. XLIV, vers. 14. — *Vid, notata in Festo omnium Sanctorum.*

Mortis memoria semper habenda, cap. XXXVIII, vers. 23. mors vocatur judicium, *ibid.* ante mortem nemo est beatus, cap. XI, vers. 30. Cupressus erat feralis. cap. 50. vers. 11. — *Vide Indicem rerum, verb.* Cupressus, Mors.

Vitæ brevitas, cap. XIV, vers. 12. omnibus est moriendum, cap. XL, vers. 11. — *Vide Indicem rerum, verb.* Vita.

SS. Patres olim limbo detenti, crebro per angelos illuminabantur, cap. XXIV, vers. 45.

Sepeliendi sunt vita functi. Sepulturæ fines et fructus quatuor, cap. XXXVIII, vers. 16. —*Vide Indicem rerum, verb.* Sepulcrum, Sepelire.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS.

Fuit ipsa in templo juvencula a parentibus præsentata, cap. XXIV, vers. 14. — *Vide Indicem rerum, verb.* B. Maria Virgo, Pueri, Juvenes.

IN FESTO S. FRANCISCI XAVERII.

Vide Indicem rerum, verb. S. Franciscus Xaverius.

IN COMMUNI APOSTOL. ET EVANGELIST.

Apostoli sunt viri misericordiæ, cap. XLIV, vers. 10. per Eliam repræsentantur, cap. XLVIII, vers. 1. — *Vide Indicem rerum, verb.* Apostoli, Apostolici.

VOS ESTIS SAL TERRÆ. — Salis usus, necessitas et vires, cap. XXXIX, vers. 31, et cap. XLIII, vers. 21. — *Consule Indicem rerum, verb.* Sal, Mare.

IN COMMUNI MARTYRUM.

Martyres in tormentis Deum laudabant, cap. I, vers. 14. militibus comparantur quoad constantiam, cap. XVII, vers. 24. Memoriæ martyrum quæ dicantur, cap. XLIX, vers. 1. — *Vide Indicem rerum, verb.* Martyr.

Per rubicundas rosas denotantur. Rosæ encomium, cap. XXIV, vers. 18. Christus quoque est rosa; rosa quarum rerum sit symbolum, cap. L, vers. 8 — *Vide Indicem rerum, verb.* Rosa.

TIMETE EUM QUI POTEST. — Timor Dei est quasi auriga animæ, et nauclerus et speculator, cap. XXV, vers. 14. — *Vide de timore Dei plura notata in Festo Pentecostes, et in Indice rerum, verb.* Timor et Timens.

Pro qualibet etiam virtute libenter occumbendum est, cap. XXX, vers. 15. Qui concupiscentiæ ignem vincunt, vincent facile ignem corporeum, cap. LI, vers. 6.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Confiteri Christum erubescere non debemus, cap. IV, vers. 24. Sacerdotes et Religiosi perpetuo Deum laudare debent, cap. XLV, vers. 19. obediendo offerunt sacrificium mysticum, cap. XXXV, vers. 2. Religiosi sunt mundi domini, cap. XXXVI, vers. 28. Regnorum salus consistit in eo, ut reges sanctos habeant sacerdotes, confessarios, pontifices, cap. XXVII, vers. 1. Vigor et zelus novitiorum sunt velut virides sationes, cap. XL, vers. 22.

FACILIUS EST CAMELUM, etc. — Cameli etymon, cap. XIII, vers. 9.

ALIA QUINQUE SUPERLUCRATUS SUM. — Vita nostra velut mercatus est, cap. XIV, vers. 17. In venditione et emptione intercurrit facile peccatum, cap. XXVII, vers. 3.—*Vide Indicem rerum, verb.* Religiosus, Perfectus, Levitæ, *et notata Feria VI post Cineres.*

IN COMMUNI DOCTORUM.

PROFERENS DE THESAURO SUO NOVA. — Doctrina foras non prodiens inutilis est, cap. XX, vers. 32.

Doctores sunt similes cedris, cap. XXIV, vers. 17. tria his sunt necessaria, cap. XXXIII, vers. 4. sunt velut hyades, vers. 17. studuerunt omnes S. Scripturæ, cap. XXXIX, vers. 1 et 2. alios sua doctrina juvare debent, cap. LI, vers. 31. apibus denotantur, cap. XI, vers. 3. sunt clavigeri sapientiæ, cap. XIV, vers. 24. non quærant plausum, cap. XXII, vers. 6.—*Vide Indicem rerum, verb.* Concionator, Doctor, Prædicator.

IN COMMUNI PONTIFICUM.

Sacerdotum variæ dotes, cap. L, vers. 11 et 12. dum populum benedicunt, etiam Deum benedicunt, vers. 22. eorum benedictio est efficax, vers. 23. Superior qualis esse debeat, cap. XXXII, vers. 1 et seq. Onus animarum quam sit grave et intolerabile, cap. XXIII, vers. 2. Episcopi populum pascant ad vitam æternam, cap. XXXII, vers. 3. Aaronis elogium, cap. XLV, vers. 7 et seq. Vestium sacerdotalium tropologia, vers. 10 et 14. Elogium Phinees pontificis, vers. 28. item Samuelis, cap. XLVI, vers. 16.—*Vide Indicem rerum, verb.* Pontifex, Sacerdos, Episcopi.

IN COMMUNI VIRGINUM.

Status virginalis et cælibatus potior est conjugio, cap. XXXVI, vers. 28. ejus typus est lilium, cap. XXXIX, vers. 19. Virginum aspectus cavendus est, cap. IX, vers. 5. virgines a parentibus suis sunt custodiendæ, cap. XLII, vers. 9. Ros velut virgo est, et ejus et pruinæ generatio, cap. XLIII, vers. 21. Virgines oculos custodiant, nec nutibus respondeant, cap. XXVI, vers. 12.

Vide Indicem rerum, verb. Virgo, Virginitas, Mulier, Uxor.

COULOMMIERS. — Typogr. ALBERT PONSOT et P. BRODARD.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise,* de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org